BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IX
E
31
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

IOAN. FRANCISCI BVDDEI
THEOL. D. ET P. P.

ISAGOGE
HISTORICO-THEOLOGICA
AD
THEOLOGIAM VNIVERSAM
SINGVLASQVE EIVS PARTES.

TOMVS POSTERIOR
SIVE
LIBRI POSTERIORIS,
PARTISQVE ADEO SPECIALIS
SECTIO POSTERIOR
HISTORIAM ECCLESIASTICAM, THEOLOGIAM POLEMICAM ET EXEGETICAM EXHIBENS.



LIPSIAE,
EX OFFICINA THOMAE FRITSCHII,
M DCC XXX.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRI POSTERIORIS
CAPVT SEXTVM
DE
HISTORIA ECCLESIASTICA.

Σύνοψις.

QVid per hiſtoriam eccleſiaſticam intelligatur? eiusque vtilitas & neceſſitas; §. I.
De iis, qui ſcriptorum monumentorumque, ex quibus hiſtoria eccleſiaſtica haurienda, notitiam tradunt; §. II.
De hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti, ſcriptoribusque eo ſpectantibus; §. III.
De ſcriptoribus, qui hiſtoriam eccleſiaſticam noui teſtamenti vniuerſam, aut amplis voluminibus, aut compendiis complexi ſunt; §. IV.
De iis, qui ſingulas hiſtoriae eccleſiaſticae noui teſtamenti partes illuſtrarunt; §. V.
Poſſunt quoque hiſtoriae eccleſiaſticae noui teſtamenti certa conſtitui interualla; primum a Chriſto nato vsque ad Carolum magnum; §. VI.
Alterum interuallum a Carolo magno vsque ad eccleſiae emendationem; hiſtoriae eccleſiaſticae Germaniae in eo praecipue habenda eſt ratio; §. VII.
Tertium interuallum ab emendatione eccleſiae vsque ad noſtra tempora; in eo ad hiſtoriam reformationis eccleſiae cumprimis reſpiciendum; §. VIII.
Status praeſentis eccleſiae neutiquam negligenda conſideratio; §. IX.
Hiſtoria eccleſiarum particularium quousque hic in cenſum veniat? §. X.
Cautiones in hiſtoriae eccleſiaſticae tractatione obſeruandae; §. XI.

§. I.

HIſtoriae eccleſiaſticae nomine ea pars hiſtoriae intelligitur, quae eccleſiae, quam Deus ipſe inter mortales conſtituit, originem, fata, proſpera, aduerſa, propagationem, mirabilemque inter adflictiones & calamitates perpetuas conſeruationem, enarrat; inde vt ſapientiam Numinis ſummam, eiusque & bonitatem & iuſtitiam agnoſcentes, in fide corroboremur, & ſapientiores, prudentioresque euadamus. Vnde & vtilitas pariter ac neceſſitas eius intelligitur. *

* Qui ea, quae hucusque de theologia dogmatica, ſymbolica, patriſtica, morali, cumprimis de iurisprudentia eccleſiaſtica diximus, rite conſiderauerit; quantam in hiſce omnibus lucem hiſtoria eccleſiaſtica dederit, facile perſpiciet. Quod ergo res ipſa poſtulat me facturum exiſtimo, ſi ipſam de hiſtoria eccleſiaſtica tractationem ſtatim ſubiunxero. Hocce vero quid intelligatur nomine, cum deſcriptio, quam dedimus, omnes condoceat; vt pluribus hoc declaremus verbis, neceſſe non erit. Caput cauſſae in eo conſiſtit, quod eccleſiae, adeoque & doctrinae verae, a Deo ad hominum ſalutem reuelatae, per quam Deus eccleſiam colligit, quaeue in

eccleſia, & cum eadem, ſimul conſeruatur, & propagatur, originem, atque fata, cumprimis conſeruationem, & propagationem, tradat. Nimirum duplex eſſe regnum diuinum, conſtat, aliud naturae, aliud autem gratiae, quod in eccleſia conſpicitur. Illud hiſtoria ciuilis ſibi vindicat, quae in regnorum ac imperiorum origine, conuerſionibus, fatis, prouidentiae diuinae veſtigia, ad ductum rectae rationis, obſeruat. Huius autem conſideratio, hiſtoriae eccleſiaſticae propria eſt, quae adeo, ea, quae ſcriptura ſacra de hocce regno gratiae tradit, ipſa experientia confirmari, demonſtrat. Vnde conſequitur, hiſtoriam eccleſiaſticam non tantum theologiae multiplicem vſum adferre, ſed pro eius etiam parte quadam recte haberi. Nec enim alia de re magis, quam de regni gratiae natura, indole, ac fatis, theologum ſollicitum eſſe oportet. Fructus autem, qui ex hiſtoriae eccleſiaſticae tractatione, ad nos, alioſque, redundat, praecipue in eo conſiſtit, quod non tantum, dum ſapientiae, bonitatis, & iuſtitiae diuinae veſtigia vbique deprehendimus, fides mirifice corroboretur; ſed quod ad ſapientiam quoque, prudentiamque, cumprimis eccleſiaſticam, egregie faciat, ſi ex exemplis quam plurimis condiſcimus, quaenam eccleſiae aut proſint, aut noceant, quaeue aut amplecti, aut fugere debeamus, quaue ratione ſaluti eccleſiae conſulere, periculaque eidem imminentia, auertere queamus. Verae porro religionis mirifica, a prima mundi origine, ad noſtram vſque aetatem, inter tot calamitates, inter tam atroces hoſtium inſultus, & tam callidas machinationes, conſeruatio, luculentiſſimum pro eius veritate, contra atheos, hominesque profana mente imbutos, praebet argumentum. Nouum eidem, ſimulque firmiſſimum, additur robur, ex collatione hiſtoriae veteris nouique teſtamenti, vaticiniorumque, in illo occurrentium, in hocce complemento. Porro, dum quorumdam hominum ſanctitatem, conſtantiam, virtuteſque varias, labores item & incommoda, quae pro tuenda conſeruandaque doctrina caeleſti, de cuius veritate conuicti erant, ſubierunt, aliorum autem errores, lapſus, naeuos, vitia, deſcribit; condiſcere inde licet, quae imitari, quae fugere contra, ſummoque euitare ſtudio, debeamus. Quod ſi ſingulas perluſtremus theologiae partes; deprehendemus, nullam eſſe, quae hiſtoria eccleſiaſtica commode carere queat. Cumprimis tamen in theologia polemica vſus eius eſt ampliſſimus, quippe in qua non recte procedemus, niſi hiſtoriam & originem haereſium & errorum, quos refellendos nobis ſumimus, perſpectam cognitamque habeamus. Accedit, quod diſſentientes, romanenſes maxime, haud raro armis ex antiquitate eccleſiaſtica depromtis pugnent; quibus adeo feliciter obuiam non iueris, niſi iisdem armis fueris inſtructus. Sed mitto reliqua, quae pro neceſſitate & vtilitate hiſtoriae eccleſiaſticae adferri queant; cum hodie non temere quisquam fuerit, qui de ea dubitauerit. Quod ſi quis dubitet, ei auctor fuerim, vt IO. ANDR. BOSII noſtri *orationem de hiſtoria eccleſiaſtica, noſtro praeſertim tempore, diligentius colenda*, legat, quae cum eiusdem *introductione in notitiam ſcriptorum eccleſiaſticorum* iterum prodiit cura & ſtudio IO. GEO. WALCHII, Ienae 1723. 8. Iungi poterit IO. CLERICI *oratio de praeſtantia & vtilitate hiſtoriae eccleſiaſticae*, Amſtelodami an. 1712. 4. In iurisprudentia eccleſiaſtica neminem ſine hiſtoriae eccleſiaſticae notitia recte verſari, res ipſa docet, meritoque adeo inculcat IVSTVS HENN. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſtico proteſtantium &c. lib. I. tit. IV. §. XXI. ſeqq. p. 214. ſeqq.*

§. II.

§. II. Cum eccleſiaſtica hiſtoria ex libris monumentisque fide dignis haurienda ſit, latiſſimoque ſimul circumſcribatur ambitu; conſulendi initio ſunt, qui eiusmodi librorum monumentorumque notitiam tradunt, viamque adeo, quam ingredi debeat, qui recte proficere cupit, monſtrant. *

* Ad notitiam ſcriptorum, hiſtoriae eccleſiaſticae ſtudio inſeruientium, comparandam, nonnulli ex illorum quoque numero faciunt, qui generatim de hiſtoricis, eorumque ſcriptis, agunt, quos ſupra ad *lib. prioris cap. IV. §. XV.* laudauimus, cumprimis GERH. IO. VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis*, & DEGOR. WHEAR, in *relectionibus hyemalibus, de ratione & methodo legendi vtrasque hiſtorias, ciuiles & eccleſiaſticas, ſect. XXXII. ſeqq. p. 119. ſeqq.* quibus iungenda, quae IO. CHRISTIAN. NEV collegit, in *acceſſionibus ad Wheari l. c. p. 220. ſeqq.* Sunt vero & qui ſpeciatim ſcriptores eccleſiaſticos enarrare ſuarum duxerunt eſſe partium; quos inter primum ſe nobis offert IO. ANDR. BOSIVS, in *introductione in notitiam ſcript. eccleſiaſticorum*, quam cum aliis eiusdem opuſculis Ienae anno 1723 iterum editam, antea diximus. Praecipue tamen haecce *introductio* ad eam hiſtoriae eccleſiaſticae partem ſpectat, quae de ſcriptoribus eccleſiaſticis praecipit; quorſum & THOM. ITTIGII *ſchediaſma de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, aliaque eiusdem generis, referre licet, a nobis iam commemorata, cum de hiſtoria litteraria, itemque de theologia patriſtica, verba faceremus. BOSIVM merito excipit SEV. WALTH. SLVTERVS, cuius *propylaeum hiſtoriae chriſtianae, ſiſtens enarrationem methodicam ſcriptorum veterum atque recentiorum, cum generatim ad hiſtoriam eccleſiae chriſtianae, tum ſpeciatim ad eiusdem topographiam, proſopographiam, pragmatographiam, & polemographiam facientium*, primum Francofurti 1680 prodiit, recuſum deinde cum emendationibus & acceſſionibus quibusdam Luneburgi, 1696. 4. Nec contemnendus eſt hicce liber; etſi hodie non deſint, qui & plenius eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores enarrant, & meliori eos exhibent ordine. Id certe beatus CASP. SAGITTARIVS noſter facere inſtituit, in *introductione in hiſtoriam eccleſiaſticam & ſingulas eius partes*; cuius tomi primi, qui an. 1694 lucem adſpexit, ſupplementum aliquod alteram *propylaei* ſui editionem voluit eſſe SLVTERVS. Sed poſtquam alter tomus, *ſupplementa & continuationem* continens, cura & ſtudio IO. ANDR. SCHMIDII prodiit; reliquis omnibus opus hocce praeferendum eſſe, nemo dubitauerit. In *primo* autem *tomo* praeter generales hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores, veteres & recentiores, exhibentur particulares, qui ſingulorum regnorum, rerumpublicarum, atque prouinciarum hiſtoriam eccleſiaſticam dederunt; itemque, qui patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum &c. hiſtoriam deſcripſerunt; porro, qui ſingularum vrbium, itemque monaſteriorum hiſtoriam litteris conſignarunt; tum &, qui de imperatoribus romanis regibusque Germaniae, deque pontificibus romanis, generatim & ſpeciatim, egerunt, itemque de cardinalibus; cumprimis autem ſcriptores haereſiologici, generales ac ſpeciales, fuſe recenſentur. In *altero tomo*, quem IO. ANDR. SCHMIDIVS an. 1718 publicae luci expoſuit, praeter ſupplementa tomi primi, ſiſtuntur ſcriptores de conciliis & colloquiis, tum generales tum ſpeciales. In *tertio* denique, qui adhuc exſpectatur, *tomo* comparebunt ſcriptores, qui de ritibus,

bus, aliisque antiquitatibus eccleſiaſticis, perſequutionibus, martyribus & martyrologiis, ſanctis, hierarchia eccleſiaſtica, & ordinibus religioſis vtriusque ſexus &c. commentati ſunt. Commemorandus etiam hic iterum THOM. ITTIGIVS, ob *praefationem*, *ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſticae primi a Chriſto nato ſaeculi* praemiſſam, in qua ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae recentiores recenſet; quemadmodum in *praefatione ſelectorum capitum hiſtor. eccleſ. ſaeculi ſecundi*, antiquiorum hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptorum notitiam ſuppeditat; & de vtrisque varia lectu obſeruatuque digna tradit. Denique nec IO. ALB. FABRICIVS hic praetermittendus eſt, quippe qui *volumini duodecimo bibliothecae* ſuae *graecae*, *p. 152. ſeqq. mantiſſam*, *de recentibus hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus* inſeruit, in qua primum *annalium & hiſtoriae veteris teſtamenti*, deinde, *annalium & hiſtoriae eccleſiaſticae noui teſtamenti* ſcriptores, cumprimis *centuriatores Magdeburgenſes*, & *annales* CAES. BARONII, recenſet; tum reliquos ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae ordine alphabetico exhibet; hinc eos, qui hiſtoriam reformationis eccleſiae dederunt, commemorat; tandemque ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae ſpecialis certarum regionum vel populorum, item ciuitatum quarumdam Germaniae, ſubiungit.

§. III. Ad rem ipſam accedenti primum ſe offert hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti, quae & in ſe ſpectata ſcitu cognituque prorſus eſt neceſſaria, & ob arctiſſimum quoque cum hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti nexum, minime eſt negligenda. Fontes itaque, ex quibus haurienda, cum ſubſidiis, quae eidem inſeruiunt, probe obſeruandi ſunt. *

* Quae generatim de vtilitate ac neceſſitate hiſtoriae eccleſiaſticae ad *§. I.* diximus, ſpeciatim etiam de veteris teſtamenti hiſtoria eccleſiaſtica intelligenda ſunt. In hac namque primam reuelatae religionis originem condocemur, eiusque, vsque ad Meſſiae aduentum, propagationem, atque fata; immo in hac fontes recluduntur eorum omnium, quae in nouo teſtamento contigerunt, & de quibus hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti nos erudit. Intelligere itaque hinc licet, eam, quam Chriſtus atque apoſtoli tradiderunt, rationem Deum colendi, aeternamque conſequendi ſalutem, ſi caput cauſſae ſpectes, non aliam eſſe, quam quae per Numinis reuelationem primis parentibus ſtatim poſt eorum lapſum innotuit, adeoque ſemper obtinuit. Ex quo, ſicut religionis chriſtianae antiquitas elucet; ita haud contemnendum inde pro eiusdem veritate deſumitur argumentum. Cum etiam in veteri teſtamento, praeſertim religione Moſaica, profani homines praecipue ſibi inueniſſe videantur, quae exagitent, & ad chriſtianam religionem omnium ludibrio exponendam arripiant; hiſce non rectius obuiam iri poteſt, quam hiſtoriae eccleſiaſticae diligenti tractatione; quippe quae eo nos ducit, vt, quam vani irritique iſtorum hominum ſint conatus, luculenter intelligamus. Non minus tamen iuuat, cognita atque perſpecta habere, quae omni tempore infernalis genius egit, vt veritatis lucem obſcuraret, regnumque Chriſti opprimeret; quorſum in veteri teſtamento cumprimis idololatria ſpectat; de cuius adeo ortu, indole, progreſſu, generibus, hiſtoria eccleſiaſtica, quae huius interualli eſt, nos inſtruit. Sed mitto reliqua.

Inter fontes, ex quibus hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti haurienda, primum praecipuumque locum tenet ſcriptura ſacra veteris teſtamenti, inque ea prae-

ci-

cipue libri canonici, iique hiſtorici, non minus tamen & qui apocryphi vocari ſolent, quiue hiſtorica continent. Et ad canonicos quidem quod attinet, veriſſima eſſe, quae in iis traduntur, & extra omnem controuerſiam poſita, non dubitabit, qui de illorum diuina perſuaſus eſt inſpiratione. Sed ſi hinc quoque diſcedas, ſummam nihiloſecius in rebus hiſtoricis promerebuntur fidem; eo, quod nullo hactenus exemplo comprobari potuit, occurrere in iis quidquam, quod veritati conſentaneum non ſit. Idque ex ipſa etiam ſcripturae ſacrae cum hiſtoricis profanis collatione demonſtrari poteſt. Si enim hi cum illa conſentiant, vti in plurimis conſentiunt; mirifice inde hiſtoriae ſacrae viritas confirmatur; ſin diſſentiant, ratio adferenda, cur ſcriptoribus profanis, plerumque de rebus alienis, ſibique minus perſpectis, ſcribentibus, potius adhibenda fides ſit, quam ſacris, de rebus domeſticis, ſibi cognitis ac exploratis, verba facientibus. Accedit, quod profanae hiſtoriae tam incerta, tamque lubrica fides ſit, tanta auctorum, qui eam litteris conſignarunt, a ſe inuicem diſcrepantia, vt omni rationis vſu deſtitutus videatur, qui eam ſacrae praeferre velit; quod & luculenter demonſtrauit EDVARD. STILLINGFLETVS, in *originibus ſacris, cap. II. ſeqq.* Et ſunt tamen, qui STRABONI, aut cuicumque alii ſcriptori ethnico in rebus Iudaeorum potius credendum putant, quam Moſi; quod IO. TOLANDVM, in *originibus iudaicis*, eiusdem *adeiſidaemoni* ſubnexis, feciſſe conſtat. Sed hac de re iam alibi dictum.

Scripturam ſacram merito excipit FL. IOSEPHVS, Matathiae ſacerdotis filius, gente & religione Iudaeus, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum primo vixit, magnamque ſcriptis ſuis famam, atque exiſtimationem, conſequutus eſt. Praeter *libros ſeptem de bello iudaico*, reliquit ἀρχαιολογίας, hoc eſt, *antiquitatum*, vel vt alii loqui amant, *originum iudaicarum libros viginti*, in quibus iudaicae gentis hiſtoriam ita perſequitur, vt ab ipſa mundi creatione exorſus, ad duodecimum vsque Neronis annum progrediatur. Cumque hac ratione non tantum ſcripturam ſacram, in rebus Iudaeorum, continuet, ſed & ſubinde, quae in illa breuius dicta erant, amplificet, atque illuſtret; plurima eum, de quibus in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti agitur, complecti nemo non intelligit. Ad fidem autem atque integritatem eius quod attinet, non vna eademque de ea virorum doctorum eſt ſententia. Iudaeos parum aequo in illum eſſe animo, mirum non eſt; quoniam talia ſcripſit, quae ab homine iudaeo ſcripta nollent, CAESAR BARONIVS nullam occaſionem, Ioſephum perſtringendi, praetermittit; quod & in *annalibus veteris teſtamenti* facit IAC. SALIANVS. Grauiſſimis errorum tenebris eum inuolutum eſſe, LEO ALLATIVS pronuntiat; in *notis ad Euſtath. p. 11.* IO. HARDVINI *proluſionem de nummis Herodiadum* eo vnice ſpectare, vt Ioſephi fidem eleuaret, docet MATVR. VEYSSIERIVS LA CROZE, in *defenſione veterum ſcriptorum contra Io. Harduinum, p. 35.* Cuncta, quae in Ioſepho reprehendi ſolent, ſummatim complectitur CAROL. DAVBVZ. *Quidam*, inquit, *in Ioſepho culpant ſummam ac intolerabilem mentiendi libidinem, quidam negligentiam, alii fraudem & adulationem, nec minima eſt eorum querela, qui acriter in eum inſurgunt, quod antiqua Moſis, & aliorum, miracula eleuare videatur;* in *libris duobus pro teſtimonio Fl. Ioſephi, p. 68.* Fuerunt tamen rurſus, qui longe aliter de Ioſepho cenſerent. THEOPHYLACTO φιλαλήθης audit, in *Matth. XXII. 7.* IOS. IVSTVS SCALIGER eum diligentiſſimum & φιλαληθέστατον omnium ſcriptorum vocat, *de quo nos*, ita pergit, *haec audacter dicimus, non ſolum*

in rebus iudaicis, ſed etiam in externis, tutius illi credi, quam omnibus graecis & latinis; prolegom. in libros de emendat. tempor. Quod SCALIGERI elogium cum & CAROL. DAVBVZ retuliſſet, addit: *licet nulla huius teſtimonii* (de Chriſto) *ratio haberetur, ſi tamen Iudaei Flauium admitterent, eiusque ſcripta legerent, tanta ſunt ac praeclara in illis veritatis indicia, ſcripturasque ſacras ſine praeiudiciis legendi ſtudium, vt fieri nequeat, quin Iudaei pertinacia ſua depoſita, ſtatim ad partes noſtras tranſirent; l. c. p. 69.* In SCALIGERI quoque de Ioſepho iudicio haud obſcure adquieſcit GERH. IO. VOSSIVS, de *hiſtoricis graecis, lib. II. cap. VIII. p. m. 116.* IS. CASAVBONVS, dum Ioſephum contra BARONIVM defendit, *hiſtoricum nobiliſſimum* vocat, *quidquid ingrati Ioſephomaſtiges muginentur;* quamquam fateatur, eum interdum errare; *exercit. XII. contra Baronium, p. 207.* Longe modeſtius etiam, quam BARONIVS, de Ioſepho cenſet ANTON. PAGI, immo contra eum defendit, magnamque fidem & eruditionem illi tribuere non dubitat; in *critica anti-Baron. adparat. n. CXXXIV. & CXXXV.* item ad *an. Chriſti XIV. num. III.* Iungendus his THOM. ITTIGIVS, in *prolegomenis* lectu dignis, editioni *operum* Ioſephi, quae an. 1691 Lipſiae prodiit, praemiſſis; qui tamen, vti itidem non diffitetur, erraſſe haud ſemel Ioſephum; ita praecipua ex perperam ab eo dictis, in vnum collecta, ibidem exhibet; quod & poſt eum PETR. BRINCH fecit, in *examine chronologiae & hiſtoriae Fl. Ioſephi,* Haffniae an. 1701. 4. edito. Summa haec eorum eſt, quae ipſemet de Ioſepho fuſius dixi, in *prolegomenis hiſtoriae eccleſ. vet. teſtam. §. IX. pag. 10. ſeqq.* vbi & illorum, qui eius cauſſam agunt, hactenus me ſubſcribere ſententiae profeſſus ſum; ob quaedam errata non ſtatim reliquis ab eo memoratis fidem denegandam eſſe, niſi praegnantes, quae hoc ſuadeant, adſint rationes. Cauſſas ibidem expoſui, cur aliquando aut data opera a veritate deflexiſſe videatur, aut abreptus ſit, quo minus de rebus, de quibus ſcribebat, eas animo notiones conceperit, quas concipere debuerit. Editiones, itemque verſiones operum IOSEPHI recenſent THOM. ITTIGIVS, in *prolegomenis* iam laudatis, & IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliothec. graec. lib. IV. cap. VI. §. IV. p. 234. ſeqq.* Lipſienſem illam, quae an. 1691 lucem adſpexit, & Oxonienſem, EDVARDI BERNHARDI, quae tamen partem tantum operum IOSEPHI exhibet, auctore, quo minus reliqua perficeret, praematura morte praepedito, quaeue anno 1700 prodiit, in *proleg. hiſt. eccleſ. vet. teſtam.* ad *§. IX. p. 14.* iam commemoraui; addenda vero nunc omnino eſt, quam IO. HVDSONVS, vir doctiſſimus, dedit; qui, vt ipſa inſcriptio nos docet, *opera Ioſephi omnia, ad codices fere omnes, cum impreſſos, tum manuſcriptos, diligenter recenſuit, noua verſione donauit, & notis illuſtrauit;* Oxoniae 1720 duobus tomis in fol. Atque ita tandem HVDSONVS obtinuit, quod IO. ANDR. BOSIVS, EDVARD. BERNHARDI, & GOTTFR. OLEARIVS, qui de edendo Ioſepho cogitationes ſuſceperant, fruſtra ſperarunt.

Dici nunc etiam poſſet de HEGESIPPO, vel quisquis auctor eſt, qui, ſub hocce nomine, res Iudaeorum a tempore Maccabaeorum vsque ad euerſam vrbem Hieroſolymam perſequutus eſt, ſua tamen maximam partem ex IOSEPHO depromſit, deque IOS. GORIONIDE, qui ex eodem auctore ſua corraſit; niſi de vtroque iam fuſe admodum actum a me eſſet, in *prolegom. hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. §. X. p. 15. ſeqq.* Ibidem quoque iam recenſui eos ex Iudaeis, qui lingua ebraea gentis ſuae hiſtoriam condendo, lucem quamdam rebus,

bus, de quibus in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti tractatur, adfundunt; quales ſunt R. ABRAHAM BEN R. SAM. ZACVTI Hiſpani in libro יוחסין ſeu *proſapiarum*, quo chronologia, & hiſtoria iudaica a mundi exordio vsque ad annum Chriſti 1500 continetur; R. GEDALIA BEN R. IOSEPH IACHIA, in שלשלת הקבלה *catena kabbalae*, in qua itidem hiſtoria a prima rerum origine, ad auctoris, qui circa annum Chriſti 1500 natus eſt, vsque tempora, deducitur; R. ABRAHAM BEN DAVID, quem alii BEN DIOR vocant, in ספר הקבלה *libro traditionis*, Moſaicae ſcilicet doctrinae, a Moſe ad poſteros transmiſſae, qui, licet Sadducaeorum haereſi, eo, quo auctor vixit, tempore in Hiſpania inter Iudaeos caput iterum tollenti, oppoſitus ſit; chronologiam tamen, ſimul & hiſtoriam, ſiſtit, a mundi initio vsque ad annum Chriſti 1161, quo auctor eum abſoluit; R. IOSE BEN CHILPETA, qui circa annum Chriſti 130 vixit, auctorque fertur chronici, quod inſcribitur: סדר עולם רבא *ordo mundi maior*, hiſtoriamque orbis a primo rerum initio vsque ad tempora Adriani imperatoris exhibet, & hactenus commemoratis longe eſt antiquius, diuerſum quoque ab eo, quod סדר עולם זוטא *chronicon mundi minus* inſcribitur, atque recentius eſt; denique R. DAVID GANZ in צמח דוד *germine Dauidis*, ex hactenus commemoratis, itemque ex *meor enaim* compilato, in quo ſacram & profanam temporum, auctorum, dictorum, & factorum rationem, a mundo condito ad annum eius quinquies milleſimum trecenteſimum vigeſimum quintum, hoc eſt, Chriſti 1592, annorum diligenter ſeruata ſerie, complectitur. Qui vero indolem geniumque ſcriptorum iudaicorum nouerit, quamque ſollemne illis ſit, falſa miſcere veris, fabuliſque & commentis indulgere, quamque nihil minus, quam ἀκρίβειαν in rebus hiſtoricis ſectentur; facile perſpiciet, non adeo magni momenti eſſe, quae ab hiſce, ſimilibusue, exſpectare queamus commoda. Idem etiam, & quidem multo magis, de ſcriptoribus quibusdam arabicis, GEORG. ELMACINO, ABNOLAMBDI & IBNOL-AMBDA dicto, GREGOR. ABVLPHARAIO, IBN HAKIMA dicto, atque ABR. ECCHELLENSI, Maronita, cenſendum, de quibus *l. c.* ad *§. XI. p. 21. & 22.* verba feci. Compendium aliquod hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti ſecundum ſententiam & traditiones orientalium ex hiſce ſcriptoribus a IO. HENR. HOTTINGERO, in *ſmegmate orientali*, *cap. VIII.* exhiberi, ibidem obſeruaui, ſimulque D' HERBELOTII *bibliothecam orientalem* laudaui, editam Pariſiis anno 1697. fol. quippe in qua itidem orientalium de patriarchis, viriſque aliis, tempore veteris teſtamenti celebribus, traditiones exponuntur.

Qui ex graecis latiniſque ſcriptoribus, iiſque ethnicis, ad hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti illuſtrationem aliquid conferunt, non vnius ſunt generis. Primo namque nonnulli ex inſtituto de Iudaeis egerunt, quos recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. IV. cap. XVI. §. XVIII. p. 254.* Cumque iſti iniuria temporum perierint, conſulendi, qui fragmenta quaedam, ceu ſeruatas e naufragio tabulas, ad nos transmiſerunt; quod praeter FL. IOSEPHVM, ſubinde ex eiusmodi ſcriptoribus quaedam ad gentis ſuae hiſtoriam ſpectantia recitantem, diligentiſſime praeſtitit EVSEBIVS, *praeparat. euangel.* per integrum *librum nonum*, qui adeo totus huc comparatus eſt. Deinde, alii ex iisdem graecis latiniſque ſcriptoribus non quidem ex inſtituto res Iudaeorum deſcribunt, oblata tamen occaſione & velut in tranſitu, earumdem mentionem faciunt, vt STRABO, PLVTARCHVS, TACITVS, IVSTINVS, aliique. Diligenter ex hiſce, quae ad res Iudaeorum ſpectant, colle-

collegit, certoque ordine diſpoſuit IOAN. IAC. SCHVDT, in *compendio hiſtoriae iudaicae, de origine, incrementis, & rebus geſtis Iudaeorum, ad ductum Iuſtini hiſtor. lib. XXXIV. potiſſimum ex gentilium ſcriptoribus collecto*, quod Francofurti anno 1700. 8. prodiit. Alii rurſus ex ſcriptoribus ethnicis Iudaeorum equidem nullam faciunt mentionem, dum autem eorum, quibuscum Iudaeis varia olim interceſſerunt commercia, vt Aegyptiorum, Phoenicum, Chaldaeorum, Perſarum, aliarumque orientis gentium, Graecorum item ac Romanorum, res deſcribunt, non poſſunt non talia tradere, quibus ſcripturae ſacrae de Iudaeorum rebus ac fatis narratio mirifice confirmatur. Fuſe itaque admodum & copioſiſſime de iſtarum gentium hiſtoricis egi, in *prolegomenis hiſtor. eccleſ. vet. teſtam.* ad §. *XIII. p. 25.* quae vt hic repetantur, neceſſe non eſt. Id ſolum non addere nequeo, prodiiſſe poſtea HVMFREDI PRIDEAVX opus, inſcriptum: *vetus & nouum teſtamentum, in hiſtoria Iudaeorum, & vicinarum gentium, connexum, a declinatione regni Iſraëlis & Iudae, vsque ad tempora Chriſti*, lingua anglicana, tomis duobus, quorum prior an. 1716, poſterior 1718 lucem adſpexit. Magna multorum adprobatione opus hocce exceptum fuit; cuius verſio gallica Amſtelodami euulgata eſt 1722, quinque voluminibus in 12. belgica a IOAN. DRIEBERGE adornata, Lugduni Batauorum, anno 1722 & 23. duobus tomis in 4. germanica denique auctore AVGVSTO TITTELIO, an. 1721, duobus tomis in 4. Eo nimirum opus hocce comparatum eſt, vt, quae ſcriptores ſacri veteris teſtamenti tradunt, ethnicorum ſcriptorum teſtimoniis confirmentur; quod dum auctor agit, hiſtoriam ſacram cum profana aptiſſime connectit, & eo, quo quodlibet contigit, tempore, narrat, incipiendo a regno Achazi, patris Ezechiae, & progrediendo vsque ad adſcenſionem Chriſti in caelum. Nullam hinc praetermittit occaſionem, hiſtoriam ſacram, variaque ſcripturae oracula illuſtrandi, ſubinde & chronologiam ſcriptorum ethnicorum cum chronologia ſacra conciliat, & vaticiniis quibusdam lucem adfundit, dum illorum ex hiſtoria gentium, populo iſraelitico & iudaico vicinarum, complementa oſtendit. Praeeuntes ſane hac in re iam ſibi habuit IAC. VSSERIVM, IOAN. MARSHAMVM, aliosque; nec deſunt, qui iamdudum eadem tradiderunt, quae ipſe adfert; apta tamen atque concinna rerum omnium connexio, nouitatis gratiam libro huic conciliauit.

Iam ad chriſtianos, eosque veteres, ſi nos conuertamus, primo chronographi quidam ſeſe nobis offerunt, vt IVLIVS Africanus, EVSEBIVS, qui ex IVLIO Africano ſua fere deſumſit, GEORG. SYNCELLVS, IOANNES Antiochenus, cognomento MALALA, IOANNES, monachus Antiochenus, a priori diuerſus, auctor *chronici Alexandrini*, & ſi qui alii ſunt eiusdem generis, iam commemorati in *prolegomenis hiſtor. eccleſ. vet. teſtam.* ad §. *XIV. p. 36. ſeqq.* Ex hiſce interdum in chronologicis aliquid lucis capias; ceteroquin facile iis carere poſſemus. EVSEBII chronicon, παντοδαπὴ ἱστορία dictum, qua graecum textum vtcumque reſtitutum exhibet IOSEPH. IVST. SCALIGER, in *theſauro temporum*, Lugduni Batauorum an. 1606 edito, recuſo deinde notis tertia parte auctioribus Amſtelodami 1658. fol. Qui quidem *theſaurus* vel ob notas illas & animaduerſiones hic commemorandus fuit, quippe in quibus multa ſacrae pariter ac profanae hiſtoriae loca egregie illuſtrantur. Sed miſſis hiſce, ad SVLPIT. SEVERVM progredimur; ad cuius hiſtoriam ſacram DEGOREVS WHEAR eos accedere iubet, *qui vniuerſam hiſtoriae ſacrae & eccleſiaſticae imaginem, vno quaſi intuitu ab orbe condito ad Chriſtum natum, & inde porro*

porro ad annum quaſi quadringenteſimum ſecundi interualli, contemplari cupiunt. Vir, inquit porro, *erat doctrina & ſapientia plurimum pollens, ſcriptor valde politus, dictione vtitur adeo terſa & eleganti, vt eccleſiaſticorum puriſſimus ſcriptor a Ioſepho Scaligero vocetur;* in *relectionib. hyemalib. de ratione & methodo legendi hiſtor. ſect. XXXII. p. 122.* conferendus etiam de eo GERHARDVS IO. VOSSIVS, de *hiſtor. lat. lib. II. cap. XII.* Licet autem gentis iſraëliticae fata SVLPIT. SEVERVS praecipue deſcribat; quoniam tamen in hacce gente olim verae eccleſiae fuit ſedes, huiusque adeo fata cum fatis illius fuerunt coniunctiſſima, porro non tantum ciuilia, ſed & ſacra populi huius enarret, hiſtoriae denique eccleſiaſticae noui teſtamenti partem ſubnectat; neſcio quo fundamento a non nemine adſertum ſit, non tam *eccleſiaſticam,* quam *ſacram* hiſtoriam SVLPITIVM tradidiſſe, neque eo ſenſu hiſtoriam eius ſacram vocari, vt eccleſiaſticam ſimul denotet. Editiones operum SVLPITII alii recenſent; nouiſſima, eaque minime contemnenda, eſt, quae Lipſiae an. 1709 lucem adſpexit, & in duos diſtributa eſt tomos, quorum prior antehac edita continet, cum notis IO. VORSTII, alter autem epiſtolas, antea cum reliquis operibus nondum editas, ex recenſione & cum notis IO. CLERICI. Praeter IO. VORSTIVM, VICTOR quoque GISELINVS, CAR. SIGONIVS, IO. DRVSIVS, GEORG. HORNIVS, aliique, notis & commentariis auctorem huncce illuſtrarunt; cumprimis autem fuſe & operoſe idem praeſtitit CHRIST. SCHOTANVS, in *bibliotheca hiſtoriae ſacrae veteris teſtamenti, ſeu exercitationibus hiſtoricis in ſacram ſcripturam & Ioſephum, per modum commentarii in hiſtoriam ſacram Sulpitii Seueri,* quae in duos diſtributa tomos Franecquerae 1662. fol. prodiit. Quod adeo opus inter ea, quibus hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti illuſtratur, haud vltimum locum tenet, vſuique, ob magnam rerum variarum farraginem, eſſe poteſt; licet nonnulli ordinem atque ſelectum in eo non ſine ratione deſiderare videantur.

Ex medii aeui chronographis nonnulli, itidem annales ſuos atque chronica a mundi exordio inchoantes, veteris quoque teſtamenti hiſtoriam complectuntur; id quod ex Graecis GEORG. CEDRENVS, IOAN. ZONARAS, atque MICH. GLYCAS, ex Latinis ISIDORVS Hiſpalenſis, BEDA, cognomine *venerabilis,* FRECVLPHVS, Lexouienſis epiſcopus, ADO Viennenſis, HERMANNVS contractus, MARIANVS Scotus, aliique, faciunt. Sed cum iſti omnes parum lucis rebus veteris teſtamenti adferant, ſubinde & fabulis ac commentis indulgeant; non eſt quod iis immoremur. Rectiora melioraque ab iis exſpectantur, qui poſt bonarum litterarum reſtitutionem ad hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti illuſtrandam animum adpulerunt; quos inter primo loco nominandi ſunt, qui annales veteris teſtamenti condiderunt, vt IAC. SALIANVS, AVGVST. TORNIELLVS, & IAC. VSSERIVS. Et ad SALIANVM quidem quod attinet, qui ſocietati Ieſu adſcriptus fuit, *annalium* eius *eccleſiaſticorum veteris teſtamenti, vſque ad Chriſti mortem, connexis annalibus imperii Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Graecorum atque Romanorum,* volumina ſex, Pariſiis an. 1619 ad 24 prodierunt, auctiora deinceps ibidem edenda an. 1641. *Epitome* iſtorum *annalium* vnico volumine lucem adſpexit Pariſiis 1635, alibique. TORNIELLI autem *annales ſacri & profani ab orbe condito ad eundem Chriſti paſſione redemtum,* duobus tomis, tum alibi, tum & Francofurti 1711 euulgati ſunt, atque ita concinnati, vt velut praeuium aliquod annalibus CAES. BARONII opus cenſeri debeant. Vtrique multum praeferendus eſt IAC. VSSERIVS,

in

in *annalibus veteris & noui teſtamenti, a prima mundi origine deductis, vſque ad extremum templi & reipublicae iudaicae excidium*, Londini an. 1650 primum editis, tum Pariſiis an. 1683, & Bremae an. 1686. fol. addita eiusdem *chronologia ſacra*, quam tamen, morte praeuentus, ad finem non perduxit, quod maximopere dolendum, itemque *diſſertatione de Macedonum & Aſianorum anno ſolari*. Sed praeferenda reliquis editio Geneuenſis, quae anno 1722 conſpectui orbis eruditi expoſita eſt, in qua annales manu ipſius auctoris emendatiores auctioresque exhibentur, & praeter *chronologiam ſacram*, & *diſſertationem de Macedonum & Aſianorum anno ſolari* ſubnectitur liber *de ſymbolis*, ſeorſim alias excuſus, praemittiturque vita VSSERII, ſcripta a THOMA SMITHO, editaque antea Londini an. 1707. 4. Conferendus de hac editione IO. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XVII. part. II. art. III. p. 359. ſeqq.* Commemorari hic porro poſſent, qui *chronologias ſacras* condiderunt; ſed cum de hiſce alibi agatur, ad illos progredimur, qui ex inſtituto hiſtoriam eccleſiaſticam, aut fuſiori tractatione, aut compendiis complexi ſunt. Inter illos locum ſibi vindicat NAT. ALEXANDER, cuius *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti*, vna cum *hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti*, (de qua deinceps plura dicemus) antea per partes edita, iunctim tandem, & in octo diuiſa tomos, Pariſiis prodiit, an. 1699. fol. Spectat huc quoque FRIDER. SPANHEMII *hiſtoria eccleſiaſtica, a condito Adamo ad aeuum chriſtianum, cui inſeruntur ſynchroniſmi inſigniores hiſtoriae exoticae*, tomo primo *operum* eius Lugduni Batauorum anno 1701 tomis tribus in fol. iunctim editorum; itemque IAC. CAPPELLI *hiſtoria ſacra & exotica ab Adamo vſque ad Auguſtum*, Sedani an. 1613. 4. de qua conferenda, quae obſeruat THOM. ITTIGIVS, in *praefatione, ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſ. primi a Chriſto nato ſaeculi* praemiſſa, §. *LXXXII. p. 93.* Fratrem IACOBI, LVD. CAPPELLVM *chronologiam ſacram ab orbe condito ad eundem reconditum, indeque ad vltimum Iudaeorum excidium*, concinnaſſe, notum eſt. Edita eſt Pariſiis 1655. 4. & Londini in *adparatu ad biblia polyglotta* BRIANI WALTONI, & iterum ſeorſim Tiguri an. 1673. fol. Sed de chronologis alibi agitur. Operae tandem & ipſe me facturum exiſtimaui pretium, ſi in hocce litterarum genere ingenii periclitarer vires, *hiſtoriamque eccleſiaſticam veteris teſtamenti ab orbe condito vſque ad Chriſtum natum, variis obſeruationibus illuſtratam*, publicae luci exponerem. Conſtat ea duobus tomis in 4. quorum prior Halae Magdeburgicae anno 1715, poſterior autem ibidem an. 1718 prodiit; prior etiam eodem an. 1718, & poſterior an. 1721, iterum editus eſt; moxque ſequetur editio tertia. Vniuerſam veteris teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam in duas periodos maiores, quarum altera a mundi & eccleſiae origine ad Moſen, altera a Moſe ad Chriſtum vſque progreditur, diſtribui. Vtriusque minora interualla ſecundum praecipuas, quas eccleſia ſubiit, mutationes conſtitui. In ſingulis iſtis interuallis minoribus primum fata eccleſiae, ſimulque initio patriarcharum, deinde populi iſraëlitici & iudaici, luculenter deſcripſi; tum quae religionis & doctrinae, quae cultus Dei externi, quae matrimoniorum, & vbi res iſtud poſtulauit, ſtatus ciuilis, ratio fuerit, expoſui; nec litterarum ſtudia, librosque, qualibet aetate editos, praetermiſi; cumprimis vero & ea, quibus vera religio obſcurata eſt, ſpeciatim idololatriae originem, progreſſum, varia eius genera, ediſſerui; ſed & exoticorum ſcriptorum teſtimoniis, quantum fieri potuit, hiſtoriam ſacram, praeſertim quae de rebus Iudaeorum & Iſraëlitarum narrat, confirmaui; tandemque

&

Digitized by Google

& reliquarum gentium, quae iſta aetate celebritatem quamdam conſequutae ſunt, earum maxime, quibuscum Iſraëlitis atque Iudaeis varia intercesſerunt commercia, hiſtoriam ſubiunxi. Nonnullos ex iis, qui hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti compendia, ſiue ſeorſim, ſiue vna cum hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti, dederunt, vt FRIDER. SPANHEMIVM, in *breui introductione ad hiſtoriam ſacram vtriusque teſtamenti*; GEORG. HORNIVM, in *hiſtoria eccleſiaſtica*, MELCHIORIS LEYDECKERI & DAN. HARTNACCII *notis & obſeruationibus illuſtrata*; ANTONIVM LEGRAND, in *hiſtoria ſacra a mundi exordio ad Conſtantini magni imperium deducta*; GOTTFR. ARNOLDVM, in *compendio hiſtoriae eccleſiaſticae veteris & noui teſtamenti*, lingua germanica conſcripto; IO. ANDR. SCHMIDIVM, in *compendio hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti*; CAMP. VITRINGAM, in *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae, a mundo condito vsque ad finem ſaeculi primi*; LVD. ELL. DV PIN, in *compendio hiſtoriae eccleſiaſticae veteris ac noui teſtamenti*, per quaeſtiones & reſponſiones adornato, & ex gallica lingua in germanicam translato; & denique *compendium*, quod vocatur, *hiſtoriae eccleſiaſticae Gothanum*, iam commemoraui in *prolegom. hiſtor. eccleſ. vet. teſt.* ad §. *XVII. p. 43. 44.* His nunc addendi; IOACH. LANGIVS, in *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti, per ſeptem periodos a mundo condito vsque ad Chriſtum natum, cum iſagoge exegetica in libros ſacros, praecipue hiſtoricos, & ſynchroniſmis hiſtoriae exoticae ciuilis & litterariae*, Halae 1718. 4. IO. HIERON. WIGLEBIVS in *hiſtoria eccleſiaſtica a condito mundo vsque ad natum Chriſtum*, germanice per interrogationes ac reſponſiones, Halae 1716. 4. IO. CHRIST. LANGIVS, paſtor Budiſſinenſis, in *der Grundlegung zu einer realen Kirchen-Hiſtorie des alten Teſtaments, in zehen Haupt-Abtheilungen &c.* Lipſiae 1717. 8. Atque poſtremus quidem hicce, in praefatione, de methodo ſcripturam ſacram hieroglyphice interpretandi diſſerit, eamque, HENNING. BERNH. WITTERVM ſequutus, haud obſcure adprobat; quam tamen ſi ſemel admittamus, praecipuorum factorum, quibus chriſtiana innititur religio, labefactandi certitudinem, aliis occaſionem dabimus. Nec omnibus probabitur, quod hypotheſi huic inſiſtens, paradiſum, ſiue גן עדן non hortum quemdam, ſed ſtatum felicitatis, amoenitatis & libertatis, interpretatur; *ſect. I. §. IX. p. 16.* Hac enim ratione pronum erit, quae de lapſu primorum parentum Moſes narrat, hieroglyphice explicare; quemadmodum & auctor ſerpentem exemplo ſolum, comedendo ſcilicet de fructu arboris vetitae, primos parentes ſeduxiſſe exiſtimat; *ſect. I. §. XIII. p. 33.* Praeter hactenus laudatos, alios adhuc, qui compendia hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti ſimiliaque ſcripta concinnarunt, commemorat IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. VI. cap. IV.* ſiue *volum. XII. p. 152.* Nonnullos, qui vtriusque veteris & noui teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam iunctim tradiderunt, ad §. *ſequentem* adhuc laudabimus. Addi his etiam poſſent, qui ex chriſtianis, & quidem recentioribus, hiſtoriam iudaicam exhibent, illi nimirum, qui fata huius gentis ſub veteri teſtamento deſcribunt, vt LVD. CAPPELLVS, in *hiſtoriae iudaicae compendio ex Ioſepho contracto*; quamquam & is a tempore Hasmonaeorum tantum hiſtoriam ſuam ordiatur, eamque ad illuſtrationem hiſtoriae euangelicae & apoſtolicae noui teſtamenti adcommodauerit. Inſerta eſt GEORG. HORNII *hiſtoriae eccleſiaſticae*, antea nobis laudatae. Qui autem hiſtoriam iudaicam ſub nouo teſtamento deſcribunt, vt IAC. BASNAGIVS, *dans l' hiſtoire & la religi-*

Digitized by Google

on des Iuifs &c. huius loci non ſunt. Diligenter hiſtoricos chriſtianos recentiores de rebus iudaicis recenſet IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. V. num. XII. p. 1074. ſeqq.*

Ad adcuratiorem hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti notitiam comparandam, vtile fuerit, eos conſulere, qui ſingulis eius partibus lucem quamdam adfundunt. Vbi primum ſtatim in cenſum veniunt, qui ipſam doctrinam ſacram veteris teſtamenti illuſtrant, cuius quippe originem, indolem, conſeruationem ac propagationem vt cognitam ac perſpectam habeamus, id enimuero caput cauſſae eſt, praecipuumque momentum trahit. Inter eos autem, quorum huc comparati fuerunt labores, cumprimis mihi occurrit beatus IO. HENR. MAIVS, theologus de eccleſia noſtra praeclare meritus, quippe qui ex inſtituto hoc egit, in *oeconomia temporum veteris teſtamenti, exhibente gubernationem Dei, inde a mundo condito, vsque ad Meſſiae aduentum, per omnes antiqui codicis ebraei libros &c.* Francofurti ad Moenum 1706. 4. Licet enim & alia, quae ad veteris teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectant, attingat; de ipſa tamen doctrina cumprimis eſt ſollicitus, quam ex praecipuis veteris teſtamenti oraculis luculenter exponit. Praeeuntes ſibi quodammodo habuit eos, qui ex ſchola Cocceiana theologiam ſecundum diuerſam federum diuinorum oeconomiam exhibent, vt IO. BRAVNIVM, HERM. WITSIVM, aliosque; qui & omnino locum hic ſibi depoſcunt, quoniam plerumque doctrinam ſacram veteris teſtamenti egregie illuſtrant; ſed cum de iis ſupra iam in theologia thetica dictum ſit, nihil amplius addimus. Nec alieni ab hoc loco ſunt, qui typos veteris teſtamenti euoluunt; ſiquidem iſti hac ratione ipſum velut nucleum doctrinae, quae vmbris & imaginibus variis eo tempore tegebatur, nobis proponunt, vt THOMAS TAILORVS, cuius *Chriſtus reuelatus, id eſt, vetus teſtamentum expoſitum, ſiue tractatus de typis ac figuris, ceu vmbris ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti*, latino ſermone quintum prodiit Franecquerae anno 1700. 8. ne quid de reliquis eiusdem generis ſcriptoribus dicam, de quibus alibi agitur. Cumprimis vero iungendi hiſce ſunt, qui vaticinia atque oracula prophetarum explicant; vtpote ex quibus doctrina veteris teſtamenti quam luculentiſſime intelligitur; cum omnia tandem eo redeant, redemtorem quemdam humani generis exſpectandum eſſe, quem dum ceu aduenturum deſcribebant, vt tamen ſemper paullo clarius, quis qualisue futurus eſſet, indicarent; ſummam ſimul doctrinae veteris teſtamenti exprimebant. Non tantum autem interpretes ſcripturae oracula iſta exponunt, ſed & non deſunt, qui ſpeciatim atque ſeorſim quaedam illuſtranda ſibi ſumſerunt, quorum nonnullos in ipſa *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti* paſſim laudaui. Iunctim praecipua ſolide explicauit IO. HENR. MAIVS, in *theologia prophetica, ex ſelectioribus veteris teſtamenti oraculis, ſecundum ſeriem locorum theologicorum diſpoſitis*, Francofurti anno 1710. 4. Magna etiam ex parte huc comparatum eſt NIC. GVRTLERI *ſyſtema theologiae propheticae*, Amſtelodami 1702. 4. editum; quamquam ſimul fata totius eccleſiae, prout a prophetis fuere praedicta, rite inter ſe connexa exhibeat. Certe dum fata filii Dei, prout in vaticiniis prophetarum delineata fuerunt, deſcribit; id quod in doctrina veteris teſtamenti praecipuum fuit, proponit. Idem de aliis eiusdem generis ſcriptis pronuntiandum. Ceterum non errauerit, qui exiſtimet, in hiſtoria ſtatus integritatis, in quo primus homo conditus fuit, &, qui eum excepit, lapſus funeſtiſſimi, clauem velut ad hiſtoriam eccleſiaſticam, tum veteris, tum noui teſtamenti, contineri. Operae ergo pretium fuerit

fuerit eos conſulere, qui de eo ex inſtituto commentati ſunt, quod omnium fuſiſſime copioſiſſimeque fecit IO. MARCKIVS, in *hiſtoria paradiſi illuſtrata, libris quatuor; quibus non tantum loci iſtius plenior deſcriptio exhibetur, ſed & hominis integritas, lapſus, ac prima reſtitutio declarantur, ſecundum Geneſeos capita II. & III.* Amſtelodami 1704. 4. Eamdem ob cauſſam & illorum cumprimis habenda eſt ratio, qui ſpeciatim hiſtoriam eccleſiae ante-diluuianae deſcripſerunt; cuius quippe pars praecipua eſt hiſtoria ſtatus integritatis & lapſus primorum parentum; vt BALTH. BEBELIVS, cuius *eccleſiae antediluuianae vera & falſa ex antiquitatibus Moſaicis erutae*, Argentorati editae ſunt, & cum eiusdem *hiſtoria eccleſiae Noachicae, ex vetuſtiſſimis ſacrarum litterarum antiquitatibus eruta, & ſuffragio eccleſiae chriſtianae illuſtrata*, eodem in loco eodemque tempore recuſa, vel ideo hic commemorandae fuerunt, quod in vtroque libro dogmatum, cumprimis verorum atque falſorum, habeatur ratio. Nec praetermittenda I. R. C. *hiſtoria veteris teſtamenti ante-diluuiana, ex recentioribus Gallorum, Anglorum, Italorum, Germanorum, Belgarum &c. ſcriptis collecta, confectaque, & per compendium tradita, atque ſelectis obſeruationibus illuſtrata*, quae Lipſiae anno 1722. 4. luci publicae expoſita eſt. Quae enim, maxime in hacce hiſtoriae eccleſiaſticae parte, obſeruatu digna occurrunt, ex praeſtantiſſimis auctoribus ſelecta, breuiter, ſed perſpicue, tradit.

Poſt doctrinam ſacram conſiderandi ſunt viri illi illuſtres atque inſignes, quorum opera Deus in doctrina iſta, ſimulque eccleſia ipſa, conſeruanda ac propaganda, ſubinde & reſtauranda, vſus eſt, patriarchae ſcilicet, prophetae, ſcriptoresque ſacri, quorum monumenta, ex diuina inſpiratione profecta, ad nos peruenerunt. Qui cum in *lexicis* quoque *hiſtoricis* commemorari, ſoleant, ſpeciatim tamen SIMONII *dictionarium biblicum magnum, ſeu explicatio litteralis & hiſtorica omnium nominum propriorum, veteris & noui teſtamenti, cum vita & actionibus praecipuarum perſonarum &c.* hic in cenſum venit. Conſcriptum eſt lingua gallicana, & primum an. 1693 lucem adſpexit, deinceps auctius Lugduni Gallorum an. 1703 iterum editum. Ad patriarchas quod attinet, palmam omnibus hic praeripit IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtoria ſacra patriarcharum*, cuius tomus prior iterum Amſtelodami an. 1688, poſterior cum *chronologia ſacra patriarcharum*, ibidem anno 1681. 4. prodiit. Opus eſt prorſus egregium multiplicique eruditione refertum, quod ſimul primum iſtud hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti interuallum, quo patriarchae vixerunt, mirifice illuſtrat. Prophetarum autem hiſtoriam nemo plenius & adcuratius tradidit, quam HERM. WITSIVS, in libro de *prophetis & prophetia*, qui *miſcellaneorum* eius *ſacrorum tomo primo* exſtat. Poſtquam enim multa curioſe & diligenter generatim de prophetis & prophetia, deque variis modis reuelationis, ſimilibusque, diſputauit, de prophetis ante legem, *cap. XVI.* de prophetis in deſerto, *cap. XVII.* de prophetis in Canaan, *cap. XVIII.* de prophetis in captiuitate babylonica, *cap. XIX.* de prophetis poſt captiuitatem babylonicam, *cap. XX.* verba facit. Iungere tamen iuuabit CAMPEG. VITRINGAE *typum doctrinae propheticae*, qui cum eiusdem *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae*, Franequerae an. 1708. 8. prodiit, in quo itidem de prophetis & prophetiis differit. Scriptorum denique diuinorum, quorum in ſacro codice veteris teſtamenti leguntur monumenta, hiſtoriam illuſtrant, ex veteribus auctor *ſynopſeos ſcripturae*, quae inter ATHANASII *opera* exſtat, ex recentioribus praeter alios FRANC. SIXTVS Senenſis,

ſis, in *bibliotheca ſancta*; PETR. DAN. HVETIVS, in *demonſtratione euangelica*; LVD. ELL. DV PIN, in *diſſertat. praelimi-nari*, ſeu *prolegomenis ſuper biblia*; MICH. WALTHERVS, in *officina biblica*; GEO. SERPILIVS, in *perſonalibus*, vt auctori loqui placuit, *ſeu vitarum deſcriptionibus Moſis*, *Ioſuae*, reliquorumque ſcriptorum biblicorum, vsque ad Danielem, (qui vltimus eſt, quantum mihi conſtat, cuius vitam deſcripſit) Lipſiae an. 1708 & ſequentibus, vsque ad annum 1725, (quo *vita Danielis* prodiit) lingua germanica editis; IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in *introduct. ad libros canonicos bibliorum veteris teſtamenti*, Lipſiae anno 1721 euulgata, aliique, qui ſcripta iſagogica in ſcripturam ſacram, ſpeciatim veteris teſtamenti, concinnarunt, quos ex inſtituto laudabimus, cum de theologia exegetica verba faciemus. SCIPIO SGAMBATVS, in *archiuorum veteris teſtamenti libris tribus*, *de rebus ad Deum ſpectantibus*, *de primis patribus*, *de viris illuſtribus in veteri teſtamento*, Neapoli anno 1703. fol. editis, non tantum de ſcriptoribus ſacris, ſed aliis etiam viris in veteri teſtamento, vel eo temporis interuallo celebribus, agit; ſcriptaque non tantum canonica, ſed & apocrypha, nec ſolum genuina, ſed & ſpuria ac ſuppoſititia recenſet; immo & *lib. III.* de viris inter Graecos ſapientiae laude conſpicuis, quos ex Ebraeorum fontibus ſua irrigaſſe arua, putat, verba facit. Nonnulla hinc inde ex Ebraeorum magiſtris obſeruat lectu non indigna; etſi argumentum, quod ſibi tractandum ſumſit, non plene exhauriat, nec talia vbique tradat, quae ſe omnibus ſint probatura. Scripta autem iſta ſuppoſititia, quae ſub patriarcharum, aut aliorum in veteri teſtamento celebrium virorum nominibus olim circumferebantur, & quorum aut memoria ſolum ſupereſt, aut fragmenta, ſi vnum alterumue excipias, ad nos peruenerunt, praeter SGAMBATVM enarrat quoque IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *pſeudo-veteri teſtamento*, Helmſtadii anno 1707 edito; *teſtamentum duodecim patriarcharum filiorum Iacobi*, quod ex eiusmodi librorum numero eſt, praemiſſa praefatione, graece & latine exhibet IO. ERNEST. GRABIVS, in *ſpicilegio patrum vt & haereticorum ſeculi I.* ſiue *tomo I. p. 145. ſeqq.* Sed omnium diligentiam multum hic ſuperauit IO. ALB. FABRICIVS, in *codice pſeudepigrapho veteris teſtamenti*, in quo, quidquid eiusmodi librorum aut fragmentorum ſupereſt, vel ab aliis de iis ſcriptum eſt, ſummo ſtudio collegit, & obſeruationibus erudititiſſimis hinc inde illuſtrauit, ſimulque de hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti praeclare meritus eſt. Primum *codicis* iſtius volumen Hamburgi lucem adſpexit, anno 1713. 8. alterum ibidem, 1723.

Cum autem in hiſtoria eccleſiaſtica perpetuum velut certamen veritatis & erroris, regni lucis & tenebrarum, conſpiciatur; vis porro omnis & efficacia erroris & regni tenebrarum in idololatria deprehendatur, quae orbem vniuerſum inundauerat, qua & ſaepe Ebraeorum adflabantur animi; non poſſunt nec debent ignorari ſcriptores, qui de gentilium idololatria ſcripſerunt, quippe ex quibus plurimum in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti capere emolumenti licet. Generatim ſi ſpectetur idololatria, vtramque hic facit paginam GERH. IOAN. VOSSIVS, in opere notiſſimo, & theſaurum veluti quemdam variae eruditionis continenti, *de theologia gentili*, ſeu *de origine & progreſſu idololatriae libris nouem*; quibus etiam additus eſt MOSIS MAIMONIDIS *de idololatria* liber, in linguam latinam translatus & notis illuſtratus a DION. VOSSIO. Ad originem quoque idololatriae inueſtigandam praecipue comparatus eſt EDVARDI baronis HERBERTI DE CHERBVRY liber, *de religione gentilium*, *erro-*

rumque

rumque apud eos cauſſis, variis, iisque eruditis, obſeruationibus refertus, ab ISAACO VOSSIO Amſtelodami anno 1663. 4. editus, deinde ibidem anno 1700. 8. recuſus. Propius adhuc ad noſtrum inſtitutum accedit IO. SELDENVS, cuius *de diis ſyris ſyntagmata duo* exſtant, in quibus Arabum ſimul, Perſarum Aegyptiorum theologia explicatur, cumprimis vero de idolis, quorum in ſcriptura ſacra occurrit mentio, agitur. Prodierunt primum Londini 1617. 8. iterumque excuſa ſunt deinde tum alias, tum & cum additamentis ANDR. BEYERI, Lipſiae an. 1668. 8. Huius porro loci ſunt ANT. VAN DALE *diſſertationes, de origine & progreſſu idololatriae & ſuperſtitionum, de vera ac falſa prophetia, vti & de diuinationibus idololatricis Iudaeorum*. Etſi enim non omnia forte probanda ſint, quae auctor adſerit; multa tamen in iis obſeruatu digna occurrunt. Publicae expoſitae luci ſunt Amſtelodami 1696. 4. Idem cenſendum de eiusdem auctoris *diſſertationibus duabus, de oraculis veterum ethnicorum*, Amſtelodami an. 1700 editis. Cumprimis adhuc commemoranda eſt PETRI IVRIEV *hiſtoria critica dogmatum & cultuum bonorum & malorum, qui in eccleſia ab Adamo vsque ad Chriſtum fuerunt*, gallico idiomate conſcripta, editaque Amſtelodami an. 1704. 4. quippe in qua verae pariter ac falſae theologiae in veteri teſtamento fata ita ediſſerit, vt ſpeciatim ortum, progreſſum, & rationem idololatriae gentilium diligenter explicet. Eodem vero cum & IO. OWENI Θεολογούμενα παντοδαπὰ, *ſiue de natura, ortu, progreſſu, & ſtudio verae theologiae libri ſex, quibus etiam origines & proceſſus veri & falſi cultus religioſi, caſus & inſtaurationes eccleſiae illuſtriores ab ipſis rerum primordiis enarrantur &c.* collineent; nec eos praetermittere decet. Atque hoſce quidem ſufficere puto, inde vt diſcamus, quaenam idololatriae tempore veteris teſtamenti fuerit ratio.

Supereſt, vt de iis quoque aliquid dicamus, qui in ritibus gentis iudaicae atque eius antiquitatibus exornandis illuſtrandisque ſtudium atque diligentiam ſuam poſuerunt; ſiquidem eorum in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti, haud exiguum vſum eſſe, vel me non monente, quilibet intelligit. Vbi ſi ad fontes ipſos reſpicias, occurrit primum praeter ipſam ſcripturam ſacram, itemque FLAVIVM IOSEPHVM, & EDVARDI BERNHARDI in eum, quamuis ad finem non perductum, commentarium, vt & PHILONEM Iudaeum, ipſum *talmud, miſchnam* pariter ac *gemaram* complectens, itemque tum Hieroſolymitanum, tum Babylonicum. Non minus vero inter fontes quodammodo referendi ſunt, talmudis interpretes, quorum haud exiguus eſt numerus, aut qui doctrinam talmudis luculentius exponere ſuisque complecti ſcriptis adgreſſi ſunt, R. MOSES MAIMONIDES, in opere prorſus inſigni יד חזקה *manus fortis*, inſcripto; R. IACOB ben ASCHER in ערבה טורים *quatuor ordinibus*, quibus velut breuiarium aliquod ſanctionum talmudicarum complexus eſt; aliique, quos IVLIVS BARTOLOCCIVS, in *bibliotheca rabbinica magna*, cui & ipſe varias diſſertationes, ad antiquitates iudaicas ſpectantes, inſeruit, itemque IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *bibliotheca ebraea*, enarrant. Caute tamen in ſcriptis Iudaeorum verſandum, recte viri docti monent, ne temere fidem iis, quae dicunt, adhibeamus, praeſertim ſi de tempore ab aetate, qua ipſi vixerunt, remotiſſimo loquantur, nec promiſcue tamen omnia reſpuamus. Ex chriſtianis IO. BVXTORFIVS, in *lexico chaldaico-talmudico-rabbinico*, & IO. HENR. OTTO, in *lexico rabbinico-philologico*, de antiquitatibus quibusdam ebraeis ita agunt, vt rabbinorum de iis placita referant. Latiorem ſibi campum, in quo induſtriam ſuam exerceret, conſtituit AVGVST. CALMET, in *dictionario*

ſacrorum bibliorum hiſtorico, critico, chronologico, geographico & litterali, in quo & antiquitates iudaicae exhibentur, gallice conſcripto, editoque Pariſiis an. 1723. fol. Naeuorum illum non eſſe expertem, exemplis docet IO. CLERICVS, *bibliothec. anc. & mod. tom. XIX. part. I. artic. II. p. 105. ſeq.* De *theſauro antiquitatum ſacrarum & profanarum*, ſeu diſſertationibus ex eiusdem CALMETI *commentariis* in ſcripturam ſacram excerptis, atque ſeorſim Amſtelodami an. 1722. 12. euulgatis, itidem legendus IO. CLERICVS, *l. c. p. 138. ſeqq.* Scripſit & IO. CVNR. DIETERICVS *antiquitates biblicas, in quibus decreta, prophetiae, ſermones, conſuetudines, ritusque ac dicta veteris teſtamenti, de rebus Iudaeorum & gentilium, qua ſacris, qua profanis, expenduntur*, Gieſſae Haſſorum an. 1671. fol. Quod etſi ad varia ſcripturae ſacrae loca ex antiquitatibus illuſtranda ſpectet opus, hinc & ſecundum ordinem librorum biblicorum ſit diſpoſitum; vſum tamen illis etiam, qui in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti proficere cupiunt, praebere poteſt. Specialiori tamen quadam ratione huc comparatae ſunt IO. ANDR. QVENSTEDII *antiquitates biblicae & eccleſiaſticae*, in quibus veteris nouique teſtamenti antiquitates eccleſiaſticae iunctim exhibentur. Eiusdem fere generis ſunt IOACH. HILDEBRANDI *antiquitates ex vniuerſa ſcriptura ſacra ſelectae, & ſecundum ordinem librorum veteris & noui teſtamenti adornatae*, & poſt auctoris obitum cum praefatione CHRISTOPHORI HENR. RITTMEIERI, publicae luci expoſitae, Helmſtadii anno 1700. 4. Non enim ex Iudaeorum ſcriptis, ſed ex ſcriptura tantum ſacra ſunt concinnatae. Iam antea BENEDICT. ARIAS, a patria *Montanus* dictus, *libros nouem antiquitatum iudaicarum* dederat, inſertos *tomo ſexto ſacrorum criticorum, p. 524. ſeqq.* ſecundum editionem Francofurtenſem; in quorum *primo* de gentium ſedibus primis, orbisque terrarum ſitu, in *ſecundo* de terrae promiſſae partitione, in *tertio* de duodecim gentibus, in *quarto* de antiquae Ieruſalem ſitu, in *quinto* de ſacris fabricis, in *ſexto* de ſacris veſtimentis ornamentisque, in *ſeptimo* de menſuris ſacris, in *octauo* de actione aut minutioribus ritibus, in *nono* denique, de ſaeculis & chronologia tractat, Iudaeorumque ſubinde in ſubſidium vocat monumenta. Multorum quoque elogiis celebrantur GVIL. GOERESI opera, belgice ſcripta, *antiquitates* ſcilicet *Moſaicae*, Amſtelodami 1690, quatuor voluminibus in fol. *antiquitates iudaicae*, ibidem, 2 voluminibus in fol. itemque continuatio PETRI CVNAEI, de *republica Ebraeorum*, belgice primum, deinde & gallice cum ipſo CVNAEO Amſtelodami 1705, tribus voluminibus in 8. Nec in minimis ponendum opus ſatis amplum IO. LVNDII, germanica lingua compoſitum inſcriptumque: *die alten iüdiſchen Heiligthümer, Gottesdienſte und Gewohnheiten für augen geſtellet, in einer ausführlichen Beſchreibung des gantzen leuitiſchen Prieſterthums &c.* quod cum primum tribus voluminibus in 8. prodiiſſet, deinde emendatius & acceſſionibus quibusdam auctius, cum praefatione viri doctiſſimi HENR. MVHLII recuſum fuit anno 1701 in fol. Ea nimirum antiquitatum ebraicarum capita, quae ad ſacerdotium Leuiticum ſpectant, hic quinque libris auctor perſequitur, quorum *primus* de tabernaculo, eiusque ſtructura, inſtrumentis vaſisque, ac fatis; *ſecundus* eadem ratione de templo, tum priori, tum poſteriori; *tertius*, de ſacerdotibus, & ſummo, & reliquis, eorumque veſtitu, vnctione, officiis, functionibus; *quartus* de Leuitis, eorumque origine, officiis itidem atque functionibus, in tabernaculo, pariter ac in templo; *quintus* denique de cultu Numinis veterum Ebraeorum, quotidiano, tum in tabernaculo & tem-

templo, tum extra illud, itemque de diebus feſtis, praecipit. Inter compendia, ſummatim, quae de ritibus & antiquitatibus Ebraeorum ſcitu digna ſunt, complectentia, haud vltimum locum tenet THOMAE GOODWINI libellus, *Moſes & Aaron, ſeu ciuiles & eccleſiaſtici ritus antiquorum Ebraeorum, tam quos illi nulli genti debent, quam quos iidem ab ethnicis, & hi ab Ebraeis per κακοζηλίαν, adſciuerunt*, inſcriptus, & ex anglicana, qua concinnatus erat, in linguam latinam translatus, & tum alias non ſemel, tum & cum *notis perpetuis* IO. HENR. REITZII, itemque *praefatione* & *duabus diſſertationibus de theocratia Iſraëlitarum* & *de Rechabitis* HERM. WITSII, editus Bremae anno 1694. 8. Eumdem deinceps librum *illuſtratum, emendatum, & praecipuis thematibus auctum*, recudi curauit IOAN. HENR. HOTTINGERVS, Francofurti ad Moenum an. 1710. 8. &, omiſſis REITZII ſuas adnotationes, ex ipſis fontibus, ſeu Iudaeorum monumentis, hauſtas, addidit; praeterea *iſagogen ad ſtudium antiquitatum iudaicarum*, in qua de earum praeſtantia diſſerit, praemiſit, itemque *diſſertationem de theocratia Iſraëlitarum a Moſe praeſertim vsque ad Saulum*; reiectis HERM. WITSII diſſertationibus, cuius tamen praefationem retinuit. Nec dubium, quin haec editio reliquis omnibus ſit praeferenda. Plurimis etiam merito ſe probarunt HADR. RELANDI *antiquitates ſacrae veterum Ebraeorum, breuiter delineatae*, Vltraiecti primum an. 1708, deinde auctiores 1712, euulgatae, tandemque cum praefatione mea Lipſiae an. 1713, recuſae. Breuitate enim non tantum & perſpicuitate ſe commendant, ſed &, quod maximum eſt, ex ipſis fontibus hauſtae ſunt. Iungendus denique hiſce BERNH. LAMY *adparatus biblicus, methodicam antiquitatum hebraicarum diſpoſitionem exhibens, ad intelligenda ſacra biblia*, initio per modum tabularum latine, deinde in forma libri gallice, mox & latine, editus, & tum alibi, tum & Ienae anno 1709 recuſus. Paucis enim res plurimas complectitur, & ob ordinem concinnum non placere nequit; compendium ſimul hiſtoriae iudaicae exhibet.

Immenſum prorſus ingrederer campum, ſi eos, qui ſingula antiquitatum ebraicarum capita commentationibus ſuis ſpeciatim illuſtrarunt, recenſere vellem; quod & ab aliis iam factum, quos deinceps laudabimus. Non tamen abs re fuerit, ſi ex praecipuis eos, qui prae reliquis obſeruatu digni mihi videntur, indicauero. De tabernaculo Moſaico praeter eos, quos in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. per. II. ſect. I.* ad §. *XXXII. p. 687.* laudaui, praeſertim HERM. WITSIVM *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. diſſert. I.* quae *de tabernaculi Leuitici myſteriis* ex inſtituto agit, conferendus CONR. MEL, in libro germanica lingua ſcripto: *der Tabernackul, oder gründliche Beſchreibung der Stiffts-Hütte*, Francofurti 1711. 4. De templo Hieroſolymitano tractatus talmudicus *middoth* ſiue *de menſuris templi* legendus, quem latine vertit, notisque illuſtrauit CONST. L'EMPEREVR, Lugduni Batauorum 1630. 4. itemque R. MOSES MAIMONIDES, in *tractatu de domo electa, ſiue de figura & forma aedificii templi*, quem in linguam latinam tranſtulit LVDOV. DE COMPIEGNE DE VEIL, exſtatque cum aliis eiusdem MAIMONIDIS tractatibus, vt, *de adparatu templi, inſtrumentis, atque de miniſtris eius; de ratione adeundi templi; rebus altari interdictis*, aliisque, in *faſciculo ſexto & ſeptimo opuſculorum, quae ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectant*, Roterodami 1696. 8. Reliquos laudaui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. III.* ad §. *XXIV. p. 260.* De ſacerdotibus eorumque functionibus agit IO. LIGHTFOOTVS, in *miniſterii templi, ſeu functionum ſacrarum in templo Hieroſolymitano, tempore ſeruatoris noſtri, deſcriptione*, quae *operum* eius *tomo*

tomo I. legitur, *p. 673. ſeqq.* qui & ibidem *p. 553. ſeqq. deſcriptionem templi Hieroſolymitani, praeſertim quale erat tempore ſeruatoris noſtri,* exhibet. Sed & alia quam plurima in ſcriptis huius viri doctiſſimi, praeſertim in *horis* eius *ebraicis* & *talmudicis in quatuor euangeliſtas*, occurrere, quae, vt vſum antiquitatum iudaicarum demonſtrant, ita lucem rurſus illis conciliant, nemini, niſi qui ea numquam vidit, ignotum eſſe poteſt. Ad ſacerdotes Ebraeorum vt reuertamur, cum ſucceſſio ſummorum ſacerdotum magnum in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti momentum trahat; commendandi vel maxime IOAN. SELDENI de *ſucceſſione in pontificatum Ebraeorum libri duo*, cum eiusdem *vxore ebraica*, itemque *de ſucceſſionibus ad leges Ebraeorum in bona defunctorum libro ſingulari*, recuſi Francofurti ad Oderam an. 1695. 4. Veſtimenta autem ſacerdotum ebraeorum curioſe & diligenter deſcripſit IO. BRAVNIVS, in libro *de veſtitu ſacerdotum ebraeorum, ſiue commentario ampliſſimo in Exodi cap. XXVIII. ac XXXIX. & Leuit. cap. XVI. aliaque loca ſacrae ſcripturae quam plurima*, recuſo Amſtelodami, an. 1701. 4. Inter functiones ſacerdotum praecipua erat ſacrificiorum oblatio; ad quam & inter reliqua antiquitatum iudaicarum capita, haud perſunctorie attendendum. *Duos* autem *de ſacrificiis libros*, lectu dignos, GVIL. OVTRAMVS ſcripſit, Londini 1677. 4. & Amſtelodami 1678. 8. excuſos; in quorum priori Iudaeorum & quaedam aliarum gentium ſacrificia deſcribit; in poſteriori autem de ſacrificio Chriſti agit. WOLFG. FRANZII *ſchola ſacrificiorum patriarchalium ſacra* Socinianis praecipue eſt oppoſita, eo quippe comparata, vt ſatisfactionem Chriſti pro peccatis omnium hominum, in ſacrificiorum veterum typis fundatam, ab iſtorum hominum cauillationibus vindicet; veram interim & genuinam ſacrificiorum nos condocet rationem. Recuſa eſt Wittebergae an. 1698. 4. De *hirco Azazel*, *duae* exſtant IO. VAN DER WAYEN *diſſertationes*, in *variis* eius *ſacris*, *pag. 137. ſeqq.* quarum altera IO. SPENCERI de hirco iſto ſententiam ſub examen reuocat. De diebus feſtis Iudaeorum plurimi commentati ſunt; palmam tamen forte reliquis praeripit IO. MEYERVS, in libro *de origine & cauſſis feſtorum, ſolemniumque dierum, quos olim Iudaei in terra Canaan, hodieque in exſilio agitare conſueuerunt*, Amſtelod. 1693. 8. qui itidem IO. SPENCERO praecipue oppoſitus eſt, cum R. MOSE MAIMONIDE contendenti, feſtos gentilium dies Iudaeorum originem dediſſe feſtis. De *circumciſione* legendus peculiaris tractatus SEB. SCHMIDII. De origine eius ſententiam IO. SPENCERI & HERM. VON DER HARDT, qui *iuris Iudaeorum canonici prodromum de circumciſione* edidit, & ipſe ſub examen reuocaui, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. per. I. ſect. III.* ad *§. IV. p. 276. ſeqq.* vbi & plures, pro genuina eius origine pugnantes, laudaui. Ad matrimonialia Ebraeorum ſpectant IOAN. SELDENI *vxor ebraica, ſeu de nuptiis & diuortiis ex iure ciuili, id eſt, diuino & talmudico veterum Ebraeorum, libri tres*, recuſi Francofurti ad Oderam anno 1695. 4. itemque IO. BVXTORFII, filii *diſſertatio de ſponſalibus & diuortiis*, Baſileae anno 1652. 4. Rem ſcholaſticam Ebraeorum illuſtrauit IAC. ALTINGIVS, in *orationum academicarum heptade, cuius priores quatuor rempublicam Ebraeorum ſcholaſticam, & poſteriores tres ſacerdotis ſummi veſtimenta propria deſcribunt*, cum eiusdem *academicarum diſſertationum heptadibus duabus*, edita Groeningae anno 1671. 4. Nimium tamen vir iſte doctus Iudaeorum commentis tribuit, vnde & ſubinde ſcholas & academias in ſacro codice ſibi inuenire videtur, vbi alii nullum illarum veſtigium deprehendunt. Cumprimis vero

adhuc

adhuc commemorandi ſunt, qui de republica Ebraeorum commentati ſunt, quippe qui ſimul & alia antiquitatum iudaicarum capita attingere ſolent; vt CAROL SIGONIVS, PETR. CVNAEVS, BONAV. CORNEL. BERTRAMVS, cuius librum *de republica Ebraeorum* notis illuſtrauit CONSTANT. L' EMPEREVR; IOAN. STEPH. MENOCHIVS, HERM. CONRINGIVS, aliique. CVNAEI librum *de republica Ebraeorum*, a GVIL. GOERREO continuatum, eiusdemque notis illuſtratum, belgice pariter ac gallice an. 1705 tribus tomis in 8. quorum primus verſionem libri ipſius *de republica Ebraeorum*, ſecundus & tertius notas & continuationem GOERREI continent, prodiiſſe, antea iam obſeruauimus. Nunc addendum, IAC. BASNAGIVM continuationem quamdam huius operis dediſſe, in *antiquitatibus iudaicis*, vel vt gallice inſcribuntur: *antiquitéz iudaiques, ou remarques critiques ſur la republique des Hebreux*, Amſtelodami 1713. duobus tomis in 8. quorum prior etiam, in ipſa inſcriptione, intuitu praecedentis operis *quartus*, poſterior *quintus* vocatur. Idem hicce PETR. CVNAEI, aeque ac CAR. SIGONII *de republica Ebraeorum* liber, cum notis IO. NICOLAI recuſus eſt; vterque Lugduni Batauorum, ille an. 1703, hic autem anno 1701. 4. Hiſce de republica Ebraeorum ſcriptoribus adhuc iungendus MELCH. LEYDECKERVS, in amplo atque luculento opere, cuius pars prior inſcripta: *de republica Ebraeorum libri XII.* lucem adſpexit Amſtelodami 1704. fol. poſterior autem, ſiue: *de vario reipublicae Ebraeorum ſtatu libri nouem*, ibidem anno 1710 prodiit. In eo autem non tantum reipublicae iudaicae conſtitutio deſcribitur, ſed ritus quoque atque antiquitates eiusdem gentis, immo fata & hiſtoria, a prima eius origine ad tempus vsque nati Chriſti, ordine ediſſeruntur, vſumque adeo inſignem in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti praebere poteſt. Locum quoque hic ſibi vindicant, qui de ſynedriis Ebraeorum commentati ſunt; vt IO. SELDENVS, in *tribus de ſynedriis Ebraeorum libris*, quorum tamen vltimus ad finem perductus non eſt, itemque IO. VORSTIVS, in *diſſertat. de ſynedriis Ebraeorum*; porro, qui de iure regio Ebraeorum ſcripſerunt; vt WILHELMVS SCHIKARDVS, de *iure regio Ebraeorum*, cum notis IO. BENED. CARPZOVII; item, qui de legibus ciuilibus Ebraeorum egerunt, vt CONST. L' EMPEREVR & HOTTINGERVS, quos, vti & eos, qui legum ebraicarum & romanarum collationem inſtituerunt, iam laudaui, in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor.* ad *§. LIV. p. 485.* De ipſo autem iure naturae quaenam ebraeae gentis doctorum ſint placita, erudite expoſuit IO. SELDENVS, in praeclaro opere, *de iure naturae & gentium iuxta diſciplinam Ebraeorum*, tum alias, tum & Francofurti ad Oderam anno 1695 excuſo; in quo varia ſimul antiquitatum ebraicarum capita egregie illuſtrat. Plurimae denique exſtant diſſertationes IO. BVXTORFII, vtriusque, patris & filii, IO. BENED. CARPZOVII, IOAN. FRISCHMVTHI, THEOD. DASSOVII, IO. ANDR. DANZII noſtri, aliorumque virorum doctiſſimorum, partem quamdam eiusmodi antiquitatum, ſeorſim tractantes, quas qui hactenus enumeratis adiunxerit, intelliget, vix aliquod in hocce eruditionis genere ſupereſſe argumentum, in quo ſuum viri docti non exercuerint ingenium; quamquam lubens fatear, non vna eademque omnes id feciſſe ratione, nec iisdem inſtructos fuiſſe præſidiis. Sed cum nobis tantum conſtitutum fuerit, praecipuos quosdam ex antiquitatum ebraicarum ſcriptoribus indicare; plures qui deſiderat, adire poterit CAR. IOS. IMBONATVM, in *bibliotheca latino-ebraica, ſiue de ſcriptoribus latinis, qui ex diuerſis nationibus contra Iudaeos, vel de re ebraica, vtcumque ſcri-*

ſcripſere &c. quae *bibliothecae rabbinicae magnae*, a IVLIO BARTOLOCCIO concinnatae, & ab IMBONATO ad finem perductae, *tomum quintum* conſtituit, prodiitque Romae an. 1694. fol. itemque IO. ALB. FABRICIVM, in *bibliographia antiquaria*, & quidem *cap. I.* vbi de ſcriptoribus antiquitatum ebraicarum generalibus, agit, quemadmodum ſpeciales in ſequentibus paſſim laudat; denique & IO. CHRIST. WOLFIVM, *biblioth. ebr. part. II. lib. V. ſect. XIII. p. 1080. ſeqq.* Nonnullos quoque eiusmodi ſcriptores indicat AVGVST. PFEIFFERVS, in *ſciagraphia ſyſtematis antiquitatum ebraicarum*, inſerta eius *criticae ſacrae, p. m. 198. ſeqq.* qui & ipſemet *ſpecimen antiquitatum ſacrarum* dedit, *de antiquis Ebraeorum ritibus & moribus*, Wittebergae 1667. 4 itemque *antiquitates ebraicas ſelectas*, Lipſiae 1685. 12.

De IO. SPENCERI opere, *de legibus Ebraeorum ritualibus, & earum rationibus*, ſeorſim aliquid dicendum eſt; cum haud leuem illud ſtrepitum dederit, ſimul tamen multa contineat, lectu obſeruatuque digniſſima. Tribus conſtat libris, primumque lucem adſpexit Cantabrigiae an. 1685. fol. recuſum deinceps tum alias, tum & Lipſiae an. 1705. 4. De rationibus nimirum legum rituumque iudaicorum ita diſſerit, vt, myſteriorum adumbrationem fuiſſe finem earumdem ſecundarium, adſerat; *lib. I. cap. XI.* tum vero *libro II.* probare adgreditur, Zabiorum ritus multis legibus Moſaicis occaſionem praebuiſſe; eo quod Moſes leges iis contrarias Ebraeis dederit; *libro* vero *III.* euincere conatur, Deum in legibus quam plurimis, gentium, praeſertim Aegyptiorum, moribus atque inſtitutis ſe attemperaſſe. Idque ne fruſtra adſeruiſſe videatur, varias rationes *lib. III. diſſert. I. cap. I. p. 763. ſeqq.* in medium adfert, quibus hancce ſententiam ſuam comprobet. Cumprimis vero ipſarum legum Moſaicarum hac ratione aperire ac detegere cauſſas adnititur. Qua in re iam praeeuntes quodammodo ſibi habuit ex Iudaeis MOSEN MAIMONIDEM, in *more neuochim, part. III. cap. XLV.* ex patribus IVSTINVM martyrem, ORIGENEM, TERTVLLIANVM, CYRILLVM, CHRYSOSTOMVM, aliosque, a me iam laudatos, in *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. tom. I. per. II. ſect. II.* ad *§. XXXI. p. 669.* ex recentioribus autem, ſpeciatim ad Aegyptios quod attinet, IO. MARSHAMVM, in *canone chronico*, Londini primum an. 1672. fol. edito, & Lipſiae an. 1676. 4. recuſo. Quemadmodum vero myſteriorum, hoc eſt, Chriſti ſeruatoris noſtri, beneficiorumque eius morte & ſanguine hominum generi partorum, adumbrationem, praecipuam legum ritualium ſeu caerimonialium cauſſam eſſe, theologi dudum ex *Coloſſ. II. 17. Ebr. X. 1.* aliisque ſcripturae teſtimoniis, probatum dederunt; ita quod de Zabiis, legibusque Moſaicis eorum ritibus oppoſitis, dicit, lubrico atque incerto nititur fundamento. Gentem iſtam Zabiorum, cuius ritus ac inſtituta MOSES MAIMONIDES, aliique deſcribunt, recentem eſſe admodum, nec Mohammedis tempora ſuperare, multisque adeo ſaeculis ab aetate Moſis remotam, cum ipſemet fateatur SPENCERVS; non video, quo pacto leges Moſaicae illorum ritibus opponi potuerint. Nec eſt, quod dicas, (eo namque res omnis tandem redit) veterum gentilium ritus, certe eorum reliquias quasdam, in Zabiorum inſtitutis fuiſſe conſeruatos. Id enim, vti per meram coniecturam dicitur, ita longe eſt incertiſſimum. Non magis credibile, Deum rurſus in aliis legibus, gentilium, ſpeciatim Aegyptiorum, moribus atque inſtitutis ſe attemperare voluiſſe; cum non ſemel Deus quam ſeueriſſime Iſraëlitis praecipiat, ſerioque iis iniungat, ne mores & inſtituta ethnicorum ſequantur, aut ea imitentur. Quod adeo manifeſtum eſt, vt ipſimet gentiles

tiles hoc agnouerint, leges Iudaeorum ſuis inſtitutis ac ritibus e diametro oppoſitas eſſe. Omnium inſtar eſſe poteſt C. CORN. TACITVS: *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus, contrarioſque ceteris mortalibus, indidit. Profana illis omnia, quae apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quae nobis inceſta &c. hiſt. lib. V. cap. IV.* In adplicatione denique iſtarum hypotheſium ad ſingulas leges deprehendere licet, etſi interdum res bene procedere videatur, plerumque tamen cauſſas iſtas, quas SPENCERVS comminiſcitur, tam longe petitas, tot difficultatibus circumſeptas, tamque parum probabiles eſſe, vt qui rite & animo a partium ſtudio alieno eas conſiderauerit, vix ſibi perſuaſurus ſit, veras eas atque genuinas eſſe. Refutarunt hinc etiam paſſim viri docti hanc SPENCERI ſententiam, praeſertim HERM. WITSIVS, in *aegyptiacis, ſiue de aegyptiorum ſacrorum cum ebraicis collatione libris tribus,* Amſtelodami anno 1696. 4. recuſis, in quibus tum contra IO. MARSHAMVM, tum contra SPENCERVM, diſputat; IAC. TRIGLANDIVS, in *diſſertat. de origine & cauſſis rituum Moſaicorum,* Lugduni Batauorum, 1702. 4. CLAVD. FRASSENIVS, *diſquiſit. biblicar. lib. I. cap. IV. ſeqq.* NAT. ALEXANDER, in *hiſtor. eccleſ. veter. teſt. aetat. mundi IV. diſſert. III. pag. 404. ſeqq.* Sententiam SPENCERI de *vrim* ac *thummim* refutauit IO. BENED. CARPZOVIVS, ad *Schikard. de iure regio, p. 30. ſeqq.* Commenta eius de hirco Azazel IO. VAN DER WAYEN; de origine feſtorum iudaicorum IO. MEYERVM, profligaſſe, antea iam docuimus. Subinde quoque contra eum diſputat SALOMO DEYLINGIVS, vir doctiſſimus, in *obſeruationibus* ſuis *ſacris*. Sed & ipſemet placita eius haud ſemel ſub examen reuocaui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt.* cumprimis *tomo I. per. I. ſect. III.* ad §. *XXII. p. 417. ſeqq.* item *per. II. ſect. I.* ad §. *XXXI. p. 667. ſeqq.*

Inter ſubſidia hiſtoriae eccleſiaſticae, tum generatim ſpectatae, tum ſpeciatim veteris teſtamenti, *chronologia* pariter ac *geographia ſacra* & *eccleſiaſtica*, haud vltimum locum tenent. De vtraque autem cum partim ſupra *libr. prior. cap. IV.* ad §. *XVII.* partim in *prolegom. hiſtor. eccleſ. vet. teſtam.* ad §. *XX. p. 49. ſeqq.* actum ſit, ſimulque praecipui auctores ad vtramque facientes ibi indicati; nunc quidquam addere ſuperuacaneum exiſtimo.

§. IV. In noui teſtamenti hiſtoria eccleſiaſtica reſpiciendum initio ad eos eſt, qui totius eccleſiae fata ad ſua vſque tempora, ſiue fuſe & copioſe magnis ampliſque voluminibus, ſiue breuiter ac ſummatim ac in compendiis exhibuerunt, hinc & ex variis fontibus ac documentis, quae inſtituto ſuo inſeruire putarunt, congeſſerunt. *

* Inter eos, qui iuſtum aliquod atque plenum hiſtoriae eccleſiaſticae corpus dederunt, primum praecipuumque ſibi locum vindicant *centuriatores*, vt vocari ſolent, *Magdeburgenſes.* Nemo enim eiusmodi quid ante eos aut ſuſcepit, aut perfecit, quod cum illorum comparari queat inſtituto. Opus hocce *centuriarum* nomine venit, quia ſinguli tomi annorum centuriam continent; *Magdeburgenſium* autem, quia priores tomi Magdeburgi ſcripti ſunt. Praecipuus auctor fuit MATTH. FLACIVS illyricus, cui ſocias operas iunxerunt IO. WIGANDVS, MATTH. IVDEX, BASIL. FABER, ANDR. CORVINVS, THOM. HOLTHVTHER, aliique, quorum, vti & ipſius FLACII vitam ac ſtudia, deſcribit CASP. SAGITTARIVS, in-

Digitized by Google

introduct. in hiſtor. eccleſ. cap. XIII. §. II. ſeqq. pag. 241. ſeqq. FLACII etiam vitam nuper lingua germanica dedit IO. BALTH. RITTERVS, Francofurti 1723. 8. Quo in libello multa lectu digna occurrunt. Habuit naeuos ſuos FLACIVS, quos tamen magnis planeque ſingularibus in rem eccleſiaſticam & litterariam meritis compenſauit. In ſingulis centuriis, quarum vltima eſt decima tertia, hiſtoria eccleſiaſtica ad certa quaedam capita reuocatur; quorum *primum* totius ſaeculi conſpectum velut in tabula quadam ſiſtit: *ſecundum*, de propagatione eccleſiae agit, & quibus in locis ac regionibus, quaue ratione doctrina euangelii fuerit recepta; *tertium*, de perſequutione eccleſiae, itemque de eiusdem tranquillitate & poenis perſequutorum; *quartum*, de doctrina eccleſiae, eiusque fatis, per ſingulos locos theologicos; *quintum*, de haereſibus, vbi & hypotheſes haereticorum, earumque fontes ac rationes, indicantur, confutatores quoque haereſium recenſentur; *ſextum*, de caerimoniis & ritibus eccleſiae; *ſeptimum*, de politia ſeu gubernatione eccleſiae, vbi & de bibliothecis, de ſcholis, de officio magiſtratus in iuuanda gubernatione, & diſciplina eccleſiaſtica, de primatu papae: *octauum*, de ſchiſmatibus ac certaminibus leuioribus; *nonum*, de conciliis; *decimum*, de vitis epiſcoporum & doctorum; *vndecimum*, de haereticis ſeu ſeductoribus, nimirum iis, quae ad perſonas eorum pertinent, de erroribus enim ſeu dogmatibus falſis eorum, iam antea dictum fuerat; *duodecimum*, de martyribus; *decimum tertium*, de miraculis & prodigiis; *decimum quartum*, de rebus iudaicis externis ſeu politicis; *decimum quintum*, de aliis religionibus extra eccleſiam Chriſti; iudaiſmo ſcilicet & gentiliſmo, & a ſaeculo ſeptimo Mohammedaniſmo; *decimum ſextum*, denique, de mutationibus politicis in imperiis. Vitio centuriatoribus hiſce a quibusdam datum, quod tam fuſe doctrinam, tum orthodoxorum, tum haereticorum, additis animaduerſionibus ſuis, in ſingulis ſaeculis explicauerint. Ego vero id laudandum potius maximopere cenſeo, cum verae doctrinae conſeruatio ac propagatio pro praecipua hiſtoriae eccleſiaſticae parte iure habeatur. Recte ipſimet hoc obſeruant centuriatores, in *praefatione* operi huic praemiſſa, reprehenduntque EVSEBIVM, aliosque, quod inſigne hocce hiſtoriae eccleſiaſticae caput praetermiſerint. *Nihil*, inquiunt, *dicunt illi hiſtorici de doctrina, quae quolibet ſaeculo in eccleſia Chriſti viguerit. Sane autem haec pars vel principem in hiſtoria eccleſiaſtica locum obtinet; ſiquidem praecipua nota, & quaſi cor verae eccleſiae illa exſiſtit.* Publicae luci centuriae iſtae primum expoſitae ſunt Baſileae, ab an. 1559 ad 1574, quo decima tertia, eaque vltima, prodiit. Recuſae deinceps ſunt ibidem, an. 1624, opera & ſtudio LVDOV. LVCII, in academia Baſileenſi profeſſoris; quae tamen editio ob epiſtolas dedicatorias, & nomina auctorum omiſſa, itemque quod multis in locis interpolata eſt atque corrupta, vt viris doctis paſſim obſeruatum, non magno eſt in pretio. LVCAS OSIANDER haſce centurias in epitomen redegit, vt ſimul easdem, addendo hiſtoriam eccleſiaſticam ſaeculi decimi quarti, decimi quinti & decimi ſexti, continuaret. Praeterea ſaeculi cuiusque hiſtoriam non ſecundum materias diuerſas, ſed ſecundum temporum ordinem digeſſit, ſubinde etiam quaedam, interque ea ſua monita & iudicia admiſcuit. Octo priores operis huius centuriae Tubingae prodierunt an. 1592, vsque ad 1602. 4. Tum eodem an. 1602 centuria decima ſexta lucem adſpexit, quam & magna cumprimis tractare diligentia, cumque, maiori, quam reliquas, momenti eam eſſe, cenſeret, iis praemittere, conſultum duxit. Tandem & reliquae centuriae anno 1613 orbis eruditi con-

conſpectui expoſitae ſunt. Ad ipſas Magdeburgenſes centurias vt reuertamur, magnis hinc inde, & quidem merito, ornatae ſunt elogiis; quibus recenſendis non immorabimur. RICHARDVM ſolum MONTACVTIVM praetermittere nequeo, qui equidem eas itidem valde laudat, ſimul tamen acriter vehementerque perſtringit. *Certe quidem*, inquit, *rerum ordo iſte ſplendidus, ſeries & methodus ſingularis, rerum & temporum diſpoſitio enucleata, quam per ſingulas annorum centurias obſeruant & proponunt, ita, vt ſigillatim exhibeantur fidei* ἐκθέσεις, *diſciplinae* πράξεις, *mores hominum, virtutum progreſſus & incrementa &c. haec, inquam, & ſimilia centuriarum ornamenta, quae negari nec poſſunt nec debent, mentes mouent, iucunda luce perfundunt, non ipſas ſolummodo res enarrandas, ſed vitam quoque hiſtoriae, veritatem commendant &c.* Haec aliaque cum in laudem centuriarum iſtarum dixiſſet, vitio rurſus iis vertit, quod earum auctores adfectibus ſuis frena nimis laxauerint. *Habent*, inquit, *autem interea centuriatores, quod nec ferre debemus, nec vllo modo poſſumus excuſare. Eſt autem illud, quod correpti illo morbo, de quo nunc egimus, epidemio, ſuis partibus, animis, & adfectibus, maiorem in modum per centurias illas omnes & ſingulas, indulgeant; quod non vt rerum geſtarum narratores, ſed tanquam aduerſarii, vel conſtituti in cauſſa aduocati, laudare, vituperare, pugnare, oppugnare, lacerare, lancinari, rodere ſoleant, vel vltra meritum & metas commendare interdum, prout ipſis placuerint, aut e rebus ſuis fuerint, vel etiam diſplicuerint res enarrandae.* Cumprimis MONTACVTIO diſplicet, quod centuriatores veteris eccleſiae doctorum, ſeu patrum, effata caeco vbiuis non adprobauerint obſequio, ſed ea ſub examen reuocauerint, & quousque aut admittenda aut reiicienda, libere pronuntiauerint; quod tamen, ſi modus in hiſce teneatur, laude potius, quam reprehenſione dignum eſt. De MATTHIA FLACIO illyrico deinceps, ceu praecipuo centuriarum iſtarum auctore, verba faciens, eum vocat *virum certe prodigioſae cuiusdam induſtriae, librorum immanem helluonem, & bibliothecarum obliguritorem, furioſum tamen theologum & inſanum, prodigioſarum quarumdam opinionum inuentorem, & acerrimum propugnatorem;* nihil tamen inde, quod centuriis ipſis exprobretur, colligi poſſe, fatetur, in quibus ipſemet rurſus alia adhuc deſiderat; in *praefatione, adparatui ad origines eccleſiaſticas* praemiſſa, §. *XLVIII. ſeqq.* ISAAC. CASAVBONVS itidem *in partibus operis illius luculentiſſimi* (centuriarum Magdeburgenſium) *deſiderari non pauca poſſe &c. ſummam tamen inſtituti laudabilem & eccleſiae noſtris temporibus adprime fuiſſe vtilem*, pronuntiat; in *epiſtola dedicatoria, exercitationibus* eius ad *annales Baronii* praefixa. Et ſane naeuis ſuis hocce non carere opus, negari nequit. Praeſertim cum & hiſtoriae eccleſiaſticae pariter ac litterariae hodie longe alia facies ſit, quam olim fuit, & in veterum monumentis quam plurimis ex tenebris in lucem proferendis, itemque in ſcriptis genuinis a ſpuriis diſcernendis, in corruptis reſtituendis, viri doctiſſimi haud infeliciter operam ſtudiumque ſuum collocauerint; quin multa in eodem emendari, idemque ſimul plurimis locupletari poſſit acceſſionibus, non eſt quod dubitemus. Laudandum itaque maximopere eſſet inſtitutum viri doctiſſimi IO. ANDR. SCHMIDII, qui eiusmodi quid in ſe ſuſcepit, dum *conſilium de centuriis Magdeburgenſibus emendandis, defendendis, & continuandis*, Helmſtadii 1700. 4. edidit, ſi modo deſtinata exſequi potuiſſet. Sed tot circumſeptum iſtud videtur difficultatibus, vt vix vmquam eiusmodi quid ſperare liceat. Plurimos autem centuriae iſtae expertae ſunt aduerſarios, immo circa ipſum

initium eis non defuiſſe obtrectatores, patet ex *narratione de eccleſiaſtica hiſtoria, quae Magdeburgi contexitur, contra Menium & ſcholaſticorum Wittebergenſium epiſtolas, ſcripta a gubernatoribus & operariis eius hiſtoriae*, Magdeburgi an. 1557, cui Wittebergenſes ſatis acerbe reſponderunt. Eos, qui ex romanenſibus centurias haſce impugnare adgreſſi ſunt, CONR. BRVNVM, PETR. CANISIVM, NIC. HARPSFELDIVM, GVIL. EISENGREINIVM, GILBERTVM GENEBRARDVM, ONVPHRIVM PANVINIVM, FRANC. TVRRIANVM, ordine recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XII. lib. VI. cap. IV. p. 163. ſeqq.* praeter quem & plura de centuriatoribus Magdeburgenſibus dabunt CASP. SAGITTARIVS, *introd. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XIII. p. 240. ſeqq.* THOM. ITTIGIVS, in *praefat. ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſt. ſaec. I.* praemiſſa, *§. I. ſeqq.* itemque IO. FRID. MAYERVS, *de fide Baronii & Bellarmini ipſis pontificiis ambigua*, *cap. I.*

Inter omnes autem, qui centurias Magdeburgenſes ſibi impugnandas ſumſerunt, primum praecipuumque locum iure ſibi vindicat CAES. BARONIVS, cardinalis. Huc enim vaſtum illud, quod compoſuit, *annalium eccleſiaſticorum* opus comparatum eſſe, ipſemet diſerte teſtatur, in publica gratiarum actione pro annalibus iſtis, quam ad PHILIPPVM NERIVM, iam mortuum, direxit, & *tomo octauo annalium* praefixit. Raro tamen admodum centuriarum iſtarum meminit; idque prudenter ab eo factum, nonnulli romanenſium contendunt; ſiquidem crebra illarum mentione lectorum excitari potuerit curioſitas, ad centurias iſtas euoluendas legendasque, quarum lectione nihil cogitari poſſit exitioſius. Ad laborem huncce in ſe ſuſcipiendum praecipue BARONIVS inductus fuit ſollicitatione PHIL. NERII, quem romana eccleſia hodie inter ſanctos colit. Hic enim cum circa annum 1554 congregationem oratoriam inſtituiſſet, inter cuius leges haec quoque fuit, vt ex iis quatuor, quos ſingulis diebus de rebus diuinis verba facere oportebat, vnus hiſtoriam eccleſiaſticam exponeret, eamque in rem quidquid eſt ſcriptorum huc facientium adcurate euolueret; prouincia haecce BARONIO demandata fuit, cui adeo ſimul iniunctum, vt ad haereticos refellendos, cumprimis ad centuriatores Magdeburgenſes oppugnandos, diligentiam ſuam converteret. Diu vero reſtitit BARONIVS, nec impetrare a ſe, vt conſentiret, prius potuit, quam, voce quadam per ſomnium audita, ad iſtud faciendum excitaretur. Fuſius haec enarrat HIERONYMVS BARNABEVS, in *purpura ſancta, ſeu vita Caeſaris Baronii*, cum eiusdem *elogiis*, cura & ſtudio GREG. FRITZ, congregationis oratoriae Viennenſis presbyteri, Viennae an. 1718. 8. recuſa, *lib. I. cap. XVIII. p. 47. ſeqq*, qui & circa finem *libri primi, p. 62. ſeqq.* publicam iſtam BARONII pro annalibus gratiarum actionem, quam *tomo octauo* praefixam antea diximus, integram exhibet, vbi ipſemet plura hac de re diſſerit. Duodecim illuſtre hocce annalium opus abſoluitur tomis, quorum primus Romae an. 1588 prodiit, quem ſequentibus annis reliqui exceperunt, vltimo in anno Chriſti 1598 deſinente. Tomum decimum tertium, decimum quartum, & decimum quintum, patribus oratorii romani moribundum commendaſſe BARONIVM, nonnulli perhibent; qui tamen lucem non adſpexerunt, niſi quod ODOR. RAYNALDVM, de quo deinceps dicemus, iisdem vſum, quidam obſeruant. Editiones varias horum *annalium* alii recenſent, quos deinceps laudabimus; inter eas, quas auctor ipſe recognouit, optima eſſe cenſetur, quae Moguntiae anno 1601 prodiit. In Antwerpienſibus deeſt tractatus *de monarchia Siciliae*, quem tomo

tomo vndecimo inſeruerat, iuſſu regis Hiſpaniae publice combuſtus, qui tamen ſeparatim excuſus eſt Pariſiis anno 1609. 8. Iudicia eruditorum, quae annales iſti experti ſunt, plane ſunt diuerſa. Illorum, qui ex romanenſibus eos ſine exceptione laudarunt, elogia refert IO. FRID. MAYERVS, *de fide Baronii & Bellarmini ipſis pontificiis ambigua*, *cap. II. p. 25. ſeqq.* CASP. SCIOPPII *epiſtolam ad Baronium*, qua illi gratias agit, quod per ipſius annales ad ſacra eccleſiae romanae perductus fuerit, ibidem exhibet, *p. 44. ſeqq.* ſed rurſus etiam eiusdem SCIOPPII epiſtolam ad FVLGENTIVM, theologum Venetum, *cap. VII. p. 148. ſeqq.* producit, in qua adſerit, BARONIVM partim ex ignorantia, partim ex negligentia multa falſiſſima ſcriptis mandaſſe, ita vt monachus quidam adfirmauerit, ſe ex eius annalibus collegiſſe duo millia errorum. Addit porro, BARONIVM *contra conſcientiam ſuam adulteraſſe doctrinam chriſtianam, cum ſummo praeiudicio principum, exhortando pontificem ad vſum gladii ſaecularis, iuxta illud, quod Petro dictum fuit, occide & manduca*; *quam*, inquit, *ego doctrinam longe maiorem & peſtilentiorem eſſe haereſin exiſtimo, quam aliam quamcumque, ſiue a Luthero & Caluino, ſiue a quouis alio haereſiarcha in medium prolatam.* Sed miſſis hiſce, eos potius audiendos eſſe cenſeo, qui, quae laudanda ſunt, in BARONIO laudant, nec tamen diſſimulant, quae ſunt vituperanda. Hos inter praecipui ſunt ISAACVS CASAVBONVS atque RICH. MONTACVTIVS, ille in *epiſtola dedicatoria ad Iacobum, Britanniae regem*, hic autem in *praefatione, adparatui ad origines eccleſiaſticas* praemiſſa, §. *LVIII. ſeqq.* Hiſce, aliisque, qui eadem via incedunt, iungimus adhuc IO. ANDR. BOSIVM noſtrum. Is vero, *equidem*, inquit, *negare nolim, Caeſarem Baronium incredibili induſtria, & triginta annorum indefeſſo labore, tantum in eccleſiae hiſtoria tradenda praeſtitiſſe, quantum ante eum nemo ne quidem ſperare auſus erat. Quippe non ſolum in annales ſuos retulit, quaecumque priores hiſtoriographi tradiderant; ſed praeterea ex patribus, aliisque varii generis argumentique ſcriptoribus, congeſſit, quidquid ad res eccleſiae videbatur quacumque ratione pertinere; infinita etiam antea incognita ex editis ineditisque monumentis eruit; primus totius orbis chriſtiani res geſtas in continuam annorum ſeriem digeſſit, pleraque alia, merito laudanda, ſtupendo operi inſeruit. Sed vt taceam naeuos alios, qui pulcerrimam operis faciem non parum deformant, illud intolerabile eſt, quod, vt ipſe in praefatione ſcribit, catholicae eccleſiae viſibilem monarchiam a Chriſto inſtitutam, ſuper Petro fundatam, ac per eius legitimos ſucceſſores, romanos pontifices, inuiolate conſeruatam, neque vmquam interruptam, ſemperque eccleſiae caput vnum viſibile, cui pareant membra cetera, eſſe cognitum & obſeruatum, demonſtraturus, ac omnipotentiam papalem placitaque Tridentinae ſynodi pro virili defenſurus, de veritate parum ſollicitus fuit, modo metam ſibi propoſitam attingeret. Itaque paſſim exuta hiſtorici perſona patronum induens, cunctaque ad fidem exigens romanam, eccleſiam veterem, non qualis reuera fuit, ſed qualem ipſe vult fuiſſe, depingitque ac format &c.* in *orat. de hiſtoria eccleſ. diligentius colenda*, cum *introd.* eius in *notit. ſcriptorum eccleſiaſt.* aliisque *opuſculis* Ienae 1723 recuſa, *p. 211. ſeqq.* Varia autem ſunt, ob quae BARONIVS nonnullis male audit. Alii maiorem rerum ipſarum peritiam; alii caſtigatiorem temporum ſcientiam; rurſus alii adcuratiorem graecae linguae notitiam; plerique, immo tantum non omnes, fidem ac ſinceritatem in eo deſiderant. Hanc equidem magnopere extollit HIERON. BARNABEVS, in *vita Baronii*, *lib. I. cap. XX.* quod inſcribitur: *in ſcribendo quantum veritati ſtuduerit*;

duerit; ſed an ipſemet fidem apud multos inuenturus ſit; valde dubito. Graecae linguae ignorantiam non ſine ratione BARONIO exprobrari, ſupra iam exemplo quodam comprobauimus, *lib. prior. cap. IV.* ad *§. V. p. 117.* Inter ipſos romanae eccleſiae addictos, haud paucos de BARONII fide dubitare, aut potius eum malae fidei adcuſare, ex inſtituto docet IO. FRID. MAYERVS, *de fide Baronii & Bellarmini, ipſis pontificiis ambigua*, praeſertim *cap. IV.* vbi teſtimoniis carmelitarum, Benedictinorum, Ciſtercienſium, Dominicanorum, Auguſtinianorum, Fratrum ordinis minorum, Ieſuitarum, ſpeciatim vero MARCI ANTONII DE DOMINIS, hoc confirmat. Idem porro *cap. V.* de Hiſpanis, negotium Baronio faceſſentibus, ſuper iis, quae de iure pontificis in regnum Siciliae ſcripſerat, & quod Iacobum negauerat in Hiſpaniam veniſſe; *cap. VI.* de pontificiis ſcriptoribus gallis, qui BARONII fidem & candorem in dubium vocarunt, eumque caſtigarunt; *cap. VII.* denique de pontificiis ſcriptoribus italis & germanis, fidei Baronianae parum tribuentibus, differit.

Dicendum nunc de illis quoque eſt, qui BARONII annales in epitomen redegerunt, aut eosdem continuarunt; quorum nonnulli vtrumque ſimul praeſtiterunt. Inter illos, LVD. AVRELIVS Peruſinus, ABRAH. BZOVIVS, IO. GABRIEL BISCIOLA, IO. HORAT. SCOGLIVS, aliique, paſſim celebrantur; praeferendus tamen reliquis HENR. SPONDANVS, cuius *epitome annalium Baronii*, Pariſiis an. 1612 primum edita, ſaepius deinde variis in locis recuſa fuit. DEGOREVS WHEAR, qui per errorem SPONDANVM Ieſuitam vocat, eum eſſe *maledicum & conuiciatorem egregium, diligentiae tamen ſuae meritas fortaſſe reportare potuiſſe laudes*, pronuntiat, *niſi Baronianis nimis ſuperſtitioſe inſiſtens veſtigiis, paparum omnipotentiam adſtrueret, regum principumque maieſtatem imminueret, & pernicioſiſſimum Hildebrandinae doctrinae venenum lectoribus ebibendum, quaſi aliud agens, propinaret*; in *relectionib. hyemalib. de ratione & methodo legendi hiſtor. part. I. ſect. XLIV. p. 168.* Ad eos quod attinet, qui annales BARONII continuarunt, primum forte praecipuumque inter illos locum tenet ODOR. RAYNALDVS, Taruiſinus, qui cum itidem oratoriae congregationis presbyter eſſet, hocce munus velut hereditario quodam iure ſibi vindicare potuit. Octo autem, dum vixit, continuationis ſuae tomos euulgauit, annalibusque BARONII addidit, quorum primus Romae anno 1646, & vltimus, qui cum an. 1634 deſinit, an. 1663 eſt excuſus. Synopſis autem, ſiue epitome octo iſtorum voluminum, quam ipſemet confecit, Romae an. 1667 vnico volumine in fol. prodiit. Nonus operis huius tomus, isque bipartitus, quem moriens ad prelum paratum reliquit, Romae equidem an. 1676 & 77 impreſſus eſt, ſed an. 1689 demum luci publicae expoſitus; forte quod in eo quaedam occurrerent, quae romanis non placerent cenſoribus. IO. CLAVDII de RAYNALDO iudicium ex *praefatione reſponſionis* ad ANT. ARNALDI librum, *perpetuitas fidei eccleſiae cathol. &c defenſa*, refert IO. FRID. MAYERVS, *de fide Baronii & Bellarmini ipſis pontificiis ambigua, cap. II. p. 35.* vbi inter alia, *homo nullius ingenii, nullius iudicii, nullius ſinceritatis, nullius fidei*, audit, *qui praetenſiones curiae romanae, omni fundamento deſtitutas, audacia incredibili tamquam fidei articulos proponit &c.* Iam ante RAYNALDVM in annalibus BARONII continuandis operam ſtudiumque ſuum collocauerat ABRAH. BZOVIVS, gente Polonus, Dominicanorum ordini adſcriptus. Praeter epitomen namque BARONII, antea laudatam, octo tomos, quibus annales eius continuauit, in lucem emiſit, priusquam

uſquam primus RAYNALDI prodiret. Primus vero Bzouiani operis tomus Coloniae an. 1616 excuſus eſt; quem reliqui deinceps inſequuti ſunt, quorum vltimus, ſiue octauus in anno Chriſti 1564 deſinit. Nonus vero etiam operis huius tomus diu poſt auctoris obitum euulgatus eſt Romae an. 1672. fol. BARONIO cum in reliquis omnibus fuerit inferior; ſola tamen erga romanam ſedem adulatione eum ſuperaſſe, virorum doctorum eſt ſententia. De Ludouico bauaro imperatore cum talia ſcripſiſſet, quae domui bauaricae dedecori eſſent, non impune hoc tulit. Qua de re audire iuuat IAN. NICIVM ERYTRAEVM: *Cenſoria quadam auctoritate, quam ſibi ipſi attribuerat, eſt conatus, eumdem* (Ludouicum imperatorem) *tamquam nec iure, nec legibus creatum, imperatorum quaſi ſenatu mouere; ſed poſtulante Bauariae duce, ac tantam domui ſuae iniuriam factam querente, in iudicium vocatus, iudicum ſententia eſt coactus, abolere, quod ſcripſerat, ac Ludouicum in ea, vnde deiecerat, ſede reponere. Inuectus in eum eſt acriter vehementerque Georgius Herwartus, qui Ludouici defenſionem arripuerat; adeo vt quantum in ipſo fuerit, omnem ab eo ingenii, memoriae, ſolertiae, acuminis, diligentiae, fidei & integritatis commendationem auerterit; qui Herwarti liber, Ludouici defenſi titulo inſcriptus, ſuperiorum decreto vetitus, ſtatim depulſus eſt ab hominum manibus; propterea quod ille cum Ludouici defenſione coniunxerat multorum praeterea dedecus; pinacoth. I. imag. illuſtr. p. 199. ſeqq.* Ita nimirum ſe res habet, vt ERYTRAEVS refert, coactus eſt BZOVIVS, *abolere quod ſcripſerat*, ſeu retractationem edere, quae Ingolſtadii anno 1628. 8. lucem adſpexit. Sed id quoque conſtat, GEORG. HERWARTVM AB HOHENBVRG, Bauariae cancellarium, in *Ludouico quarto defenſo, & Bzouio iniuriarum poſtulato*, Monachii 1618. 4. edito, acriter caſtigaſſe BZOVIVM, varioſque errores ei exprobraſſe. Vitam & ſcripta BZOVII recenſet SIM. STAROVOLSCIVS, in *centuria ſcriptor. polon. p. 131.* Annales BZOVII a LVDOV. AVRELIO Peruſino in epitomen redactos, auctor eſt AVGVST. OLDOINVS, in *athenaeo auguſto, in quo Peruſinorum ſcripta publice exponuntur, p. m. 215.* Iungendus denique hiſce HENR. SPONDANVS, quippe qui praeter epitomen, antea memoratam, continuationem quoque annalium BARONII dedit, ab anno 1198, vſque ad 1640, Pariſiis 1641, duobus voluminibus in fol. quibus adpendix poſthuma acceſſit ſex annorum, ſeu vſque ad annum 1646, Pariſiis 1659. fol. Etſi autem numero tomorum & mole RAYNALDO & BZOVIO cedat SPONDANVS; vtrique tamen ob fidem, diligentiam, iudicium praeferendum eſſe, pronuntiat GVIL. CAVE, in *prolegom. hiſt. litter. ſcriptor. eccleſiaſt. p. 26.* Naeuis ſuis tamen non caret; immo ANDR. RIVETVS mendacem hiſtoricum vocare non dubitauit; *tom. III. oper. theolog. p. 531.* obſeruante IO. FRID. MAYERO, *de fide Baronii & Bellarmini, ipſis pontificiis ambigua, cap. II. p. 38.* Plura tum de epitomaſtis, tum de continuatoribus annalium BARONII dabit THOM. ITTIGIVS, *praefat.* ad *ſelect. capit. hiſtor. eccleſ. ſaec. I. §. X. ſeqq. p. 29. ſeqq.* itemque IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XII. lib. VI. cap. IV. p. 168. ſeqq.* qui & *p. 167.* verſiones annalium iſtorum recenſet.

Supereſt, vt praecipuos ex iis commemoremus, qui in refutandis aut corrigendis, emendandiſque BARONII annalibus, ſtudium operamque ſuam collocarunt. Hic vero primo ſe nobis offert ISAAC. CASAVBONVS, vir ſummus, cuius *exercitationes ad annales eccleſiaſticos* BARONII nemini temere ignotae ſunt. Prima autem ſolum earum pars lucem adſpexit, & quidem an. 1614. fol. quae ſaepius deinde

de recuſa fuit; vlterius quo minus progrederetur, mors obſtitit, quae eodem anno 1614 ei obtigit. Conſtat prima haecce pars *exercitationibus ſedecim*, in quibus *prolegomena Baronii*, itemque, *annalium pars prima, de ſeruatoris noſtri natiuitate, vita, paſſione & adſumtione*, excutiuntur; quemadmodum in ſuis *prolegomenis* ipſemet auctor *de Baronianis annalibus* diſputat; de quibus, vti & aliis obſeruatu dignis, etiam in *epiſtola dedicatoria ad Iacobum I. Britanniae regem* differit. Quo animo ad hocce negotium acceſſerit, patet ex verbis eius, quae in *Caſaubonianis*, a viro doctiſſimo IO. CHRIST. WOLFIO editis, *p. 8.* exſtant, quaeue digna ſunt, vt hic legantur: *Quod Deus optimus maximus conſilium velit fortunare. Poſt longam deliberationem, longam meditationem & praeparationem hodie* (v kal. Maii) *accinxi me ſcriptioni anti-Baronianae. Scis, tu, bone Ieſu, nulla me adduci leuitate, nulla inanis gloriae titillatione; ſed ſola cupiditate veritatis defendendae, in re praeſertim tanti momenti. Nam quum multa ſint iuſta reprehenſione digna apud Baronium in annalibus, nihil tamen eſt, in quo plus ille operae poſuerit, quam vt papae romani tyrannidem in eccleſiam vniuerſam & maxime in reges & principes confirmaret. Vident omnes, quo haec doctrina iam peruenerit, quos progreſſus fecerit, & quotidie faciat; quot triſtia exempla ab illo fonte manantia prodierint &c. Veneror ſupremum Numen, adſit conatibus meis, det veritatis notitiam, liberet mentem ab erroribus &c.* Romanenſibus CASAVBONI haſce *exercitationes* diſplicuiſſe, mirum non eſt, teſtanturque aduerſarii eius, quos mox recenſebimus. Fuerunt vero etiam inter alios, qui non praeclare nimis de hocce eius labore ſentirent. THEOD. PARRHASIVS, ſiue IO. CLERICVS exiſtimat, CASAVBONVM, transferendo auctores graecos, reipublicae litterariae commoda magis promouere potuiſſe, quam ſcribendo contra Baronium, de rebus, quas non ſatis intellexerit, & quarum, propter aetatem, adcuratiorem notitiam ſibi non potuerit comparare; *parrhaſianor. tom. I. p. 235.* Pari ratione ROB. SCHEILDERVS, in *epiſtola ad Seb. Tegnagelium*, cuius fragmentum in *clarorum virorum epiſtolis ſingularibus, p. m. 517.* exhibet PAVL. COLOMESIVS; *abſque dubio melius famae ſuae & litteris conſuluiſſet*, (CASAVBONVS) *ſi tempus ſuum impendiſſet illuſtrando Polybio.* Quocum prorſus conuenit illud SCALIGERI: *Caſaubonus poteſt ſcribere in Polybium, & quidem melius, quam reſpondere Baronio, qui omnia capit ex centuriis*; in *Scaligerianis, p. 83.* conf. & IO. CHRIST. WOLFIVS, in *notis in Caſauboniana, p. 273.* Nec vero, dum in eo ſumus, hic praetermittendum, quod idem vir eruditiſſimus, WOLFIVS, *notata Iſaaci Caſauboni ad oras annalium Baronii, p. 123. ſeqq.* exhibeat. Sed miſſis hiſce, quae non obſtant, quo minus prorſus egregia in iſtis CASAVBONI *exercitationibus* deprehendi cenſeamus; ad illos nos conuertimus, qui ex inſtituto eas refellere adgreſſi ſunt; praecipuos ſolum commemoraturi. Egit id itaque IVL. CAES. BVLENGERVS, in *diatribis*, in duas partes diuiſis, oppoſitisque CASAVBONO, Lugduni 1618. fol. Eum *ſociennos ſuos & fide & doctrina multum antecellere, ac ingenuum adeo ſe praeſtitiſſe, vt ſaepius contra Caſaubonum, nonnumquam etiam pro illo ſentiret*, ADAM. TRIBBECHOVIVS pronuntiat, in *exercitationibus ad Baronii annales*, de quibus deinceps dicemus, *prolegom. p. 2.* Sed BVLENGERO iterum ſe oppoſuit RICH. MONTACVTIVS, in *anti-diatribis aduerſus priorem partem diatribarum Bulengeri*, Geneuae 1625. fol. Dignus autem hic eſt, qui etiam ob *commentationes* ſuas de *originibus eccleſiaſticis* locum hic inueniat, quarum pars prior Lon-

Digitized by Google

Londini an. 1636, poſterior autem ibidem an. 1640. fol. prodiit. Idem opus etiam θεανθρωπικῦ, ſeu *de vita domini noſtri Ieſu Chriſti,* nomine venit, ſaltem partis poſterioris inſcriptio ita ſe habet; idque cum tractatione ipſa conuenit, in qua ita ſe gerit, vt modo BARONIVM, modo CASAVBONVM refellat. Eiusdem MONTACVTII *analecta exercitationum aduerſus Baronium* Londini 1622 edita, deinceps ſub nomine *adparatus ad origines eccleſiaſticas* recuſa ſunt Oxoniae anno 1635. fol. Sententiarum, quas epiſcopales ſeu hierarchici in Anglia tenent, acerrimum ſe vbique demonſtrat defenſorem. BVLENGERVM inter antagoniſtas CASAVBONI excipit ANDR. EVDAEMON IOANNES, Cretenſis, Ieſuitarum ſocietati adſcriptus, qui cum calumnias atrociſſimas in CASAVBONVM, eiusque parentem, effudiſſet; CASAVBONVS autem easdem *exercit. I. ad adparat. annal Baronii cap. IV. p. 36. ſeqq.* ſtrenue repuliſſet; ANDR. EVDAEMON IOANNES non tantum reſponſionem ad *caput* iſtud *IV. exercitationis I.* edidit, Coloniae anno 1615. 8. ſed & defenſionem *annalium* BARONII contra CASAVBONVM, Coloniae 1617. 4. At vindicias pro CASAVBONO contra creticum huncce calumniatorem ſcripſit IO. PRIDEAVX, Oxoniae 1624 cum aliis eius operibus impreſſas. Tertius, qui contra CASAVBONVM in aciem prodiit, eſt HERIBERTVS ROSWEIDVS, quippe qui edidit *legem talionis duodecim tabularum cardinali Baronio ab Iſaaco Caſaubono dictam retaliatione retortam*, Antwerpiae anno 1614. 8. De ROSWEIDO pariter ac ANDR. EVDAEMONE IOANNE, ADAM. TRIBBECHOVIVS ita pronuntiat: *Vterque nequam & indoctus, ſiquidem in vitam moresque Caſauboni inuehendo defungi ſe optime poſſe crediderunt; ceterum argumentorum robori cum pares opponere lacertos non poſſent, linguas tantum affricuere; prolegom. exercit. ad Baronii annales, p. 2.* ROSWEIDO interim pariter ac prioribus duobus CASAVBONI aduerſariis *tres libros vindiciarum pro Caſaubono* oppoſuit IAC. CAPPELLVS, Francofurti 1619. 4. quorum primus ROSWEIDVM, alter EVDAEMONEM IOANNEM, tertius BVLENGERVM oppugnat. Cum vero ROSWEIDVS eodem adhuc anno *anti-Cappellum, ſiue exploſionem naeniarum Iacobi Cappelli, quas famae Caſauboni occinuit,* prodire iuſſiſſet; ſine mora iterum obuiam ei iuit in *aſſertione bonae fidei aduerſus ſtrophas Heriberti Roſweidi, ſeu vindiciis pro Caſaubono aduerſus Roſweidum adſertis & recognitis;* Sedani 1619. ROSWEIDO denuo ad pugnam redeunte, in *ſyllabo malae fidei Cappellianae, excerpto ex Iacobi Cappelli mendaci adſertione bonae fidei,* Antwerpiae 1620. Agmen denique inter aduerſarios CASAVBONI claudat PETRVS LANSSELIVS, in *diſpunctione omnium notarum ſiue calumniarum a Caſaubono in exercitationibus ad Baronium Iuſtino martyri inuſtarum,* quae editionibus operum IVSTINI martyris graeco-latinis, Pariſienſi 1615, & 36, & Wittebergenſi 1686 addita conſpicitur. Fuerunt vero etiam, qui exercitationes CASAVBONI continuare adgreſſi ſunt; vt ADAM. TRIBBECHOVIVS, CHRIST. KORTHOLTVS, & SAM. BASNAGIVS FLOTTEMANVILLAEVS. Et TRIBBECHOVII quidem *exercitationes ad Baronii annales continuatae, vbi deſiit Iſaacus Caſaubonus,* in quibus in *annalium Baronii* an. 34. *num. CCLXXXVII.* ſubſtitit, Kilonii primum prodierunt, an. 1666, recuſae deinceps cum KORTHOLTI *diſquiſitionibus anti-Baronianis* Hamburgi 1708. 4. dignaeque ſunt iſto elogio, quo eas ornauit CASP. SAGITTARIVS, in *introduct. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XIV. §. XX. p. 317.* Sed KORTHOLTI quoque *diſquiſitiones anti-Baronianae* reſpondent famae & exiſtimationi illi, quam vir

doctiſſimus antiquitatisque eccleſiaſticae peritiſſimus, merito conſequutus eſt. Septem illarum lucem adſpexerant Kilonii anno 1677. Sed cum anno 1708 Hamburgi, ſtudio & opera SEB. KORTHOLTI recuderentur, praeter alia & octaua acceſſit, *de reliquiarum cultu*, itemque *exercitatio in canonem ſextum Nicaenum Baronio & Bellarmino* oppoſita. Non minus vero & ob variam atque exquiſitam eruditionem commendandae ſunt SAM. BASNAGII *de rebus ſacris & eccleſiaſticis exercitationes hiſtorico-criticae, in quibus cardinalis Baronii annales ab anno Chriſti 35. in quo Caſaubonus deſiit, expenduntur, tum & multa aduerſus Bellarminum, Lightfootum, Pagium, & alios diſcutiuntur, plurimique hiſtoriae & chronologiae errores emendantur;* Vltraiecti 1692. 4. Progreditur in iis vsque ad *annum 44. num. 89.* De eiusdem *annalibus politico-eccleſiaſticis* deinceps dicemus. De ANDR. MAGENEL ſiue MAGENDEI *anti-Baronio*, in quo & *epitome lucubrationum criticarum Caſauboni ad annales Baronii*, vna cum DAVID. BLONDELLI *animaduerſionibus nonnullis ad Baronium* exhibentur, videatur THOM. ITTIGIVS, *praefat. ad ſelecta capita hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. §. XXVI. p. 35. ſeqq.* qui & de reliquis hucusque commemoratis conſulendus eſt.

Praeter CASAVBONVM, eiusque continuatores & alii annales BARONII ſub examen reuocare adgreſſi ſunt. Idem namque praeſtitit IO. HENR. OTTIVS, hiſtoriae eccleſiaſticae in gymnaſio Tigurino profeſſor; quippe qui 1676 *examinis perpetui in annales Baronii centuriam primam, ſecundam, & tertiam*, ſeparatis libris, in lucem emiſit. In prima continetur *vita & triumphus Chriſti, curſus & certamen apoſtolorum, virorumque apoſtolicorum, euangelii plantatio & propagatio, eccleſiarum praecipuarum fundatio & ſucceſſio*, in ſecunda & tertia, *viri apoſtolici & illuſtres, eccleſiarum vel fundatio, vel ſucceſſio, perſequutiones &c.* Contra primam centuriam AVGVST. REDING, abbas Einſidelenſis, *vindicem veritatis annalium eccleſiaſticorum cardinalis Baronii &c.* typis monaſterii Einſidelenſis, an. 1680. fol. in lucem emiſit, cui tamen OTTIVS iterum *vindicias examinis* ſui oppoſuit anno 1681. 4. Ex ipſis romanenſibus BARONIVM non tam refutare, quam corrigere ac emendare, adgreſſus eſt ANTONIVS PAGI, in *critica hiſtorico-chronologica, in vniuerſos annales eccleſiaſticos Caeſaris cardinalis Baronii, in qua rerum narratio defenditur, illuſtratur, ſuppletur, ordo temporum corrigitur, innouatur & periodo graeco-romana nunc primum concinnata munitur*, Coloniae Allobrogum MDCCV, quatuor voluminibus in fol. Opus poſthumum eſt, a FRANC. PAGI, auctoris nepote, publicae luci expoſitum. Primus equidem tomus priora quatuor ſaecula complexus, ab ipſo auctore euulgatus erat Pariſiis an. 1689, ita inſcriptus: *critica hiſtorico-chronologica in annales eccleſiaſticos eminentiſſimi cardinalis Baronii, illuſtriſſimi Henrici Spondani, Appamiarum epiſcopi, epitomatoris eius, ordine ſeruato.* Cum vero in ſequentibus tomis ipſos Baronii annales, non autem eorum epitomen, illuſtrare, conſultum duceret; FRANC. PAGI, mortuo auctore, primum etiam tomum ordini Baroniano reſtituit, pluresque ex auctoris mente adnotationes adiecit, & ita cum reliquis tribus tomis, tum primum editis, recudi curauit. Idem FRANC. PAGI in *praefatione* monet, ex concertationibus, quae ſuper annales BARONII exortae ſunt, annales eccleſiaſticos parum aut nihil lucis accepiſſe; cum fere omnia, quae inter vtrosque agitata fuere, externa, & annalibus eccleſiaſticis aduentitia ſint. Annales namque rerum narratione & temporum conſignatione conſtare; quae autem eo non ſint comparata, aliena cenſeri debere. *Quae itaque,*

itaque, inquit, *ad fidem aduerſus haereticos certis argumentis & auctoritatibus ſpectant tuendam, ea ad auctores, qui de controuerſiis, catholicos inter & heterodoxos verſantibus, tractarunt, aut ad ſacrae ſcripturae interpretes reiiciat*, (cui annales ſcribere animus eſt) *oportet. Sic eius non eſt, pertractare, ad quae ſeſe poteſtas eccleſiaſtica extendat, quidue in rebus eccleſiaſticis principibus ſaecularibus liceat &c.* Quae ſi ita ſe habent, peccauit BARONIVS, quod iſta in annalibus ſuis pertractauit. At excuſat tamen auctor eum, quod ſcopus ipſius fuerit, centurias Magdeburgenſes confutare, *in quibus*, inquit, *auctores cumularant, quaecumque aduerſus ſanctitatem eccleſiae romanae, auctoritatem ſummorum pontificum, omniaque religionis catholicae dogmata facere ſibi videbantur.* At, cum centuriatoribus Magdeburgenſibus conſtitutum fuerit, non tam annales condere, quam plenam hiſtoriae eccleſiaſticae faciem exhibere, cuius praecipua pars eſt verae doctrinae conſeruatio & propagatio; praetermittere talia non poterant. BARONII autem non ſatis ſibi conſtat inſtitutum, qui annales ſe ſcribere profitebatur, & tamen ſimul centurias Magdeburgenſes impugnare volebat. Reprehendit hinc PAGI illos, qui BARONIVM refutare adgreſſi ſunt, ISAAC. CASAVBONVM, MELCH. GOLDASTVM, RICH. MONTACVTIVM, cumprimis autem IO. HENR. OTTIVM (quem HOTTIVM vocat) quod ad annalium BARONII illuſtrationem nihil contulerint. At cogitare debebat, nec hoc inſtituti illorum poſtulaſſe rationem; vtpote qui non de chronologia, ſed rebus ipſis, erroribusque hiſtoricis & theologicis cardinalis iſtius erant ſolliciti. Lubens itaque fateor, prouinciam hancce, chronologica, &, quae ad annales ſpeciatim pertinent, adcuratius inueſtigandi, vtpote ab aliis nondum occupatam, relictam fuiſſe ANT. PAGIO; ab eo etiam ſumma cum diligentiae ac eruditionis laude ornatam. Nec reprehendi in hocce opere temere quidquam poterit, niſi quod ſaepe in minutiis, rebusque parum neceſſariis, laborem ſuum collocaſſe, vir doctiſſimus videatur, quem rectius forte maioris momenti diſquiſitionibus impendiſſet. Praemiſſa eſt tomo primo diſſertatio *de periodo graeco-romana*; quam excipiunt *veterum romanorum pontificum catalogi decem*; tandemque *adparatus chronologicus* ſequitur, *Baronianum illuſtrans & ſupplens.* Accedat denique hiſce, cui haudquaquam vltimus debetur locus, SAM. BASNAGIVS FLOTTEMANVILLAEVS, quippe qui praeter *exercitationes hiſtorico-criticas*, antea iam commemoratas, *annales politico-eccleſiaſticos annorum 1545. a Caeſare Auguſto ad Phocam vsque, in quibus res imperii, eccleſiaeque obſeruatu digniores ſubiiciuntur oculis, erroresque euelluntur Baronio*, tribus voluminibus in fol. edidit, Roterodami an. 1706. Fatetur, viros eruditos, CASAVBONVM, VSSERIVM, PETAVIVM, NORISIVM, in *hiſtoria Pelagiana*, & *Cenotaphiis Piſanis*, PAGIVM in *critica* ſua, & NAT. ALEXANDRVM, errores bene multos in annalibus BARONII deprehendiſſe, & caſtigaſſe; at Augiae ſtabulum nec dum purgaſſe. Ipſum PAGIVM multa praeteriiſſe, quibus cenſura opus fuerit, exemplis luculentis docet: NAT. ALEXANDRVM frequenter emendare BARONIVM; frequentius tamen emendare debuiſſe. Iſtorum itaque virorum labores non obſtare, inde concludit, quo minus plurima ſibi relicta ſint, in quibus diligentiam ſuam exerceret. Atque ita ſe rem habere deprehendet, qui opus hocce longe praeſtantiſſimum legerit, quod ita comparatum eſt, vt magnam & voluptatem & vtilitatem adferat omnibus, qui illud euoluere ſuarum duxerint eſſe partium. Tomo ſecundo inſertae ſunt *duodecim diſſertationes ad illuſtrandam antiquitatem eccleſiaſticam idoneae*, eaeque

Digitized by Google

omnino lectu digniſſimae. De MELCH. GOLDASTO, ceteriſque, quos praetermiſimus, qui BARONII annales aut refutarunt, aut refutare voluerunt, conferendi THOM. ITTIGIVS, in *praefat.* ad *ſelect. cap. hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. §. XXX. p. 39. ſeqq.* itemque IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. vol. XII.* ſiue *lib. VI. cap. IV. p. 170. ſeqq.*

Diu ſatis nos detinuit BARONIVS. Eum vero inter romanae eccleſiae addictos excipit merito NAT. ALEXANDER, ob ſingularia itidem in hiſtoriam eccleſiaſticam merita; cuius vitam & ſcripta recenſent IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum, tom. I. p. 810. ſeqq.* *Selecta* nimirum *hiſtoriae eccleſiaſticae capita & in loca eius inſignia diſſertationes hiſtoricas, chronologicas, criticas, dogmaticas,* triginta duobus voluminibus in 8. ſeorſim primum edidit; ex quibus viginti ſex ad noui, ſex autem reliqui ad veteris teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam pertinent. Initium autem a nouo teſtamento fecit, an. 1676. *ſeqq.* & hinc ad vetus regreſſus eſt. Iunctim vero tandem hocce opus, ac in octo tomos in fol. diſtributum, inſcriptumque: *hiſtoria eccleſiaſtica veteris nouique teſtamenti, ab orbe condito ad annum poſt Chriſtum natum milleſimum ſexcenteſimum, & in loca eiusdem inſignia diſſertationes hiſtoricae, chronologicae, criticae, dogmaticae &c.* prodiit Pariſiis an. 1699. Quid in noua hac editione acceſſerit, ipſemet in *praefatione generali* indicat; ſcilicet praeter obſeruationes plurimas, quas paſſim addiderit, diſſertationes aliquot ſeorſim antea vulgatae, quae ſuis quaeque locis opportune inſertae ſint; vt, *de confeſſione ſacramentali aduerſus libros Ioan. Dallaei; de diuina epiſcoporum ſupra presbyteros eminentia aduerſus Blondellum,* & aliae eiusdem generis. Inter reliquas etiam hic conſpicitur, quam de *vulgata ſcripturae ſacrae verſione* conſcripſit, quamue CLAVD. FRASSENIVS, in *diſquiſitionibus* ſuis *biblicis lib. II. cap. VI.* impugnauerat, vbi ALEXANDRVM acerbe perſtringit, eumque inter alia *hiſtoriae eccleſiaſticae compilatorem, & haereticorum exſcriptorem, virum, qui haereticis blanditur, ſciolum temerarium,* adpellitat; cui ALEXANDER prioris diſſertationis *vindicias,* ſeu *anticriticam* oppoſuit, in qua crimen plagii, a FRASSENIO ſibi obiectum, non tantum declinat, ſed & in illum retorquet, contendendo, illum ex PETRI DAN. HVETII *demonſtratione euangelica* plurima exſcripſiſſe. Exſtat vtraque haecce diſſertatio inter *diſſertationes ſaeculi IV. num. XXXIX. & XL. p. 402. ſeqq.* Acceſſit etiam in noua hacce editione, *noua diſſertatio, his maxime neceſſaria temporibus, aduerſus errores Beguardorum in Quietiſtis rediuiuos, qua ſpuriorum myſticorum fanaticum ſyſtema funditus euertitur, & periculoſa dogmata refelluntur.* Denique & ſcholia quaedam in noua hacce editione comparent, quorum pleraque eo comparata ſunt, vt ad indiculum anonymum religioſorum quorumdam cenſorum, qui varios in hiſtoria eius eccleſiaſtica ſibi deprehendiſſe videbantur errores, reſpondeat, pauca quaedam hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti illuſtrent. Per integrum autem opus iſtud hacce methodo auctor incedit, vt, praemiſſa ſaeculi cuiusque, aut in veteri teſtamento, aetatis, ſynopſi hiſtoriae, in certa capita atque articulos diſtributa, diſſertationes ſubiungat, hiſtoricas, criticas, dogmaticas, in quibus ſubinde contra haereticos, quos vocat, interdum etiam contra romanae eccleſiae addictos, diſputat. Mirum itaque non eſt, quod varios nactus ſit aduerſarios, quorum nonnullos iam indicauimus, cum *praecedenti capite* de libertatis eccleſiae gallicanae defenſoribus verba faceremus. Hos inter namque & NAT. ALEXANDER nomen ſuum profeſſus eſt; cumque ita non poſſet non quaedam adſerere, quae roma-

romanorum pontificum labefactare auctoritatem videbantur; Innocentius XI pontifex an. 1685 die X Iulii *hiſtoriam* eius *eccleſiaſticam*, in qua tum vsque ad ſaeculum decimum tertium progreſſus fuerat, cum omnibus eius operibus proſcripſit, eorumque deſcriptionem, impreſſionem, lectionem & vſum omnibus chriſtianis ſub poena excommunicationis interdixit. Nec melius hiſtoriam eccleſiaſticam ſaeculi XIII & XIV, itemque XV & XVI exceptam, ipſemet in *praefatione* vltimorum iſtorum ſaeculorum conqueritur. Hodiernus autem pontifex Benedictus XIII, ſi publicis relationibus fides habenda, iuſſit, vt opera ALEXANDRI ex indice librorum prohibitorum iterum eximerentur. Aduerſarios ALEXANDRI recenſet, qui & reliqua omnia, quae de *hiſtoria* eius *eccleſiaſtica* obſeruatu digna ſunt, fuſe & diligenter perſequitur, ELIAS VEIELIVS, in *diſſertatione iſagogica*, *in ſelecta hiſtoriae eccleſiaſticae capita, ſiue in diſſertationes hiſtoricas, chronologicas, criticas, dogmaticas Natalis Alexandri, in qua tanquam in breuiario, adductis viri clariſſimi, & domeſticorum fidei propriis verbis, graues illius ac plurimae in multis magnique momenti capitibus cum ſodalibus diſſenſiones, acresque cenſurae producuntur, ac oſtenditur, aduerſarium veritatis euangelicae tam grauem cauſſae pontificiorum plus offeciſſe, quam proteſtantium; ſimulque decus imperatorum romano-germanicorum, contra acerbas gallicani ſcriptoris criminationes, paucis vindicatur, ac pietas D. Lutheri & paraſtatarum adſeritur*; Vlmae 1699. 8. *cap. I.* Atque ibidem, quae in ALEXANDRO tum laudanda, tum vituperanda ſint, ſummatim exponit. *Sunt in eo*, inquit, *quae laudem merentur haud vulgarem: doctrina, labor, ſtilus, candor. Multiplicis doctrinae hominem eſſe, ex eo ſatis eluceſcit, quod perſonam, quam induit, in multis partibus egregie ſuſtinet & ornat. De labore loquuntur tot volumina hactenus in publicum edita. Stilo vtitur terſo. Candorem prae ſe fert, dum viros laudatos laudat; & ingenue profitetur, ex quibus fontibus ſua hauſerit; nec ſuae partis doctoribus mordicus adhaeret, ſicut alii faciunt, qui auctoritati humanae diuinum prope axioma tribuunt. Hic ipſe tamen auctor in quam plurimis placere non poteſt pontifici, & pontificiis adſectatoribus, & quidem ob cenſuram rigidius nonnumquam in ſanctos patres exercitam; ob inſultationes, quibus ſcriptores papaeos, & numero multos, & fama magnos, immo integros religioſorum examinum ordines, exagitat; ob nimias eccleſiae gallicanae & academiae Pariſienſis laudes; & denique ob ſeueram paparum ipſorum & dogmatum papalium reprehenſionem. Mirum igitur nemini videatur, quod acerbe inuehatur in Caluiniſtas, quos vocat, in Lutheranos, & in alios quoſcumque a ſacris romanenſium abhorrentes.* Addere hiſce lubet, quaenam SAM. BASN. FLOTTEMANVILLAEI de NAT. ALEXANDRO eiusque *hiſtoria eccleſiaſtica* ſit ſententia. Errores enim eius quoſdam hiſtoricos, eosque haud leuis momenti, cum in *praefatione, tomo primo annalium politico-eccleſiaſticorum* praemiſſa, recenſuiſſet; ita pergit: *Praeterea, leui ſane brachio acta martyrum exſequitur, quibus, ad accendendam pietatem, vis ineſt non minima. Deinque ea ad ſcribendum vtitur methodo, quam hiſtoricorum nullus adhibuit, cum puluere ſcholaſtico hiſtoriam ſuam reſperſerit, propoſitis ſyllogiſmis, quorum maiorem probat, atque minorem.* Idque cum exemplo quodam comprobaſſet, ita pergit: *Diuina hac arte & methodo ſcriptor hiſtoriam ſuam concinnauit. Quod a nugis quidem propius abeſt. Materiae nobilitati ſcribendi ratio reſpondere debet.* Commode hoc loco commemorari etiam poſſent, qui lingua gallicana haud exiguae molis ſcripta ediderunt, quibus hiſtoriam eccleſiaſticam noui teſtamenti complexi ſunt; vt ANT-

GO-

Digitized by Google

GODEAV, ſiue GODELLVS, itemque abbas DE CHOISY, vt & abbas FLEVRY; ſed legere de illis iuuabit THOM. ITTIGIVM, in *praefat.* ad *ſelecta capita hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. §. LXIII. ſeqq. p. 70. ſeqq.* Refert is huc etiam LVDOV. ELL. DV PIN *bibliothecam ſcriptorum eccleſiaſticorum*, vtpote in cuius tomis poſterioribus non ſolum de ſcriptoribus eccleſiaſticis, ſed etiam de aliis hiſtoriae eccleſiaſticae capitibus agat. Cum tamen auctori huic praecipue conſtitutum ſit, de ſcriptoribus eccleſiaſticis exponere; ſupra iam in theologia patriſtica *bibliothecae* huic locum adſignauimus. *Compendium* autem eius *hiſtoriae eccleſiaſticae veteris ac noui teſtamenti*, quod ex gallicana lingua in germanicam quoque translatum eſt, ad §. *praecedentem* iam commemorauimus. De SEB. NANI TILLEMONTII *commentariis hiſtoriae eccleſiaſticae inſeruientibus*, cum tantum ſex priorum a Chriſto nato ſaeculorum hiſtoriam complectantur, in ſequentibus dicemus.

Ex reformatae eccleſiae doctoribus IO. HENR. HOTTINGERVS, atque FRID. SPANHEMIVS, haud vulgarem, ob ſingulare, quod in hiſtoria eccleſiaſtica ornanda poſuerunt, ſtudium, conſequuti ſunt laudem. Et HOTTINGERVS quidem ſedecim ſaeculorum hiſtoriam eccleſiaſticam, nouem tomis, in 8. complexus eſt, quorum primus Tiguri, anno 1651, reliqui ſequentibus annis, vsque ad 1667 prodierunt. Commendandum hocce opus vel eo nomine eſt, quod Mohammedaniſmi, cumprimis vero & iudaiſmi, hiſtoria per ſingula ſaecula adcurate & ſumma diligentia in eo pertractatur. Nec enim negligenda, aut leuiter ſolum attingenda eſt ea hiſtoriae eccleſiaſticae pars, quod a pleriſque fieri ſolet. Cumprimis, ad Iudaeos quod attinet, res illorum atque fata, ad noſtra vsque tempora, perſpecta habere, plurimas ob cauſſas iuuat. Laudandique adeo, qui ex inſtituto ea exponere adgreſſi ſunt, quos IO. CHRIST. WOLFIVS recenſet, *biblioth. ebr. part. II. lib. V. ſect. XII. p. 2074.* Eminent inter reliquos IAC. BASNAGIVS, in *hiſtoria & religione Iudaeorum a Chriſto nato vsque ad praeſentem aetatem*, gallice ſcripta, & Roterodami 1707 quinque tomis in 8. edita; (quam cum LVD. ELL. DV PIN mutatam hinc inde & caſtratam, auctore inſcio, an. 1710 Pariſiis recudendam curaſſet; BASNAGIVS de iniuria, hac ratione ſibi illata, conqueſtus eſt, in libro: *hiſtoire des Iuifs reclamé*, inſcripto, Roterodami 1711. 12.) itemque IO. IACOB. SCHVDT, in *memorabilibus iudaicis, ſiue iüdiſchen Merckwürdigkeiten &c.* quorum partes tres priores anno 1714, quarta ſiue vltima an. 1717 Francofurti lucem adſpexerunt. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. FRID. SPANHEMII *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti* cum *ſynchroniſmis inſignioribus hiſtoriae exoticae*, itemque *noui teſtamenti a nato Chriſto, ad coeptam ſuperiori ſaeculo reformationem*, cum *mutationibus inſignioribus in republica*, plenius & emendatius, quam antea, exhibetur, operum eius, Lugduni Batauorum an. 1701 & ſequentibus iunctim editorum, *tomo primo*, quem & cum eiusdem *geographia ſacra & eccleſiaſtica*, itemque *chronologia ſacra* integrum abſoluit. Multa neruoſe admodum complexus eſt vir eruditiſſimus, & omni ſubſidiorum genere ad opus eiusmodi perficiendum inſtructiſſimus, & cuncta ex genuinis fontibus hauſit, adeo vt, ſi a quibusdam, in quibus eccleſiae ſuae hypotheſibus inſeruit, diſceſſeris, omnibus in hoc genere dubiam facere palmam videatur. *Summam* etiam *hiſtoriae eccleſiaſticae a Chriſto nato ad ſaeculum decimum ſextum inchoatum*, idem vir doctiſſimus Lugduni Batauorum anno 1689 in 12. euulgauit; quae ibidem an. 1694 & Francofurti 1698. 4. inſcripta: *breuis introductio ad hiſtoriam ſacram vtriusque teſtamenti, ac praecipue*

cipue

tipue chriſtianam, ad annum 1518. recuſa fuit. In *operum* denique eius, iunctim editorum, tomo ſecundo, *miſcellaneorum ad ſacram antiquitatem, & eccleſiae hiſtoriam pertinentium libros decem* complectente; qui an. 1703 lucem adſpexit, plurima ſummo ſtudio conſcripta, & hiſtoriam eccleſiaſticam mirifice illuſtrantia, occurrunt.

Reliquos, qui aut compendia hiſtoriae eccleſiaſticae dederunt, aut eam non adeo magnae molis voluminibus complexi ſunt, quorumue haud exiguus eſt numerus, recenſent viri ſaepe nobis iam laudati: CASP. SAGITTARIVS, in *introd. in hiſt. eccleſiaſticam cap. XV. XVI. XVII. pag. 223. ſeqq.* & IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *ſupplementis, p. 179. ſeqq.* THOM. ITTIGIVS, in *praefat.* ad *ſelecta capita hiſtor. eccleſ. ſaec. I. §. XLII. ſeqq. p. 56. ſeqq.* & IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XII.* ſiue *lib. VI. cap. IV. p. 152. ſeqq.* Praecipui, & prae reliquis obſeruatu digni, & quidem ex noſtratibus ſunt: HIER. KROMAYERVS, in *eccleſia in politia, ſiue hiſtoriae eccleſiaſticae centuriis XVI. cum dimidia XVII.* Lipſiae 1666. & 73. 4. IOAN. MICRAELIVS, in *ſyntagmate hiſtoriarum eccleſiae*, cum continuatione DAN. HARTNACCII Lipſiae 1699. 4. CHRISTIAN. KORTHOLTVS, in *hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti* κατ' ἐπιτομὴν *a Chriſto nato vsque ad ſaeculum decimum ſeptimum &c.* poſt auctoris beati obitum, Lipſiae anno 1697 edita, & Hamburgi 1708. 4. recuſa, quae tamen, cum exquiſitae auctoris eruditioni non vsque quaque reſpondeat, an ab eo profecta ſit, nonnullos dubitare video; CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introductione in memorabilia eccleſiaſtica hiſtoriae ſacrae noui teſtamenti, maxime vero ſaeculorum primorum & nouiſſimorum, ad iuuandam notitiam regni Dei & ſatanae, cordisque humani, ſalutarem &c.* Stutgardiae an. 1718 & 19 duobus voluminibus in 4. quorum prius ſaecula quindecim, poſterius decimum ſextum & decimum ſeptimum exhibet; ADAM. RECHENBERGIVS, in *ſummario hiſtoriae eccleſiaſticae* Lipſiae 1697 edito, ſaepiusque deinceps recuſo; CHRIST. IVNCKERVS, in *der Grundlegung zur Kirchen-Hiſtorie oder kurzgefaſſeten Vnterricht in der Kirchen-Hiſtorie altes und neues Teſtaments bis auf gegenwaertiges Jahr 1710.* Hamburgi 1710. 8. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *inſtitutionibus hiſtoriae eccleſiaſticae iuxta ordinem ſaeculorum breuiſſimo penicillo delineatis &c.* Tubingae 1721. 8. IOACH. LANGIVS, in *hiſtoria eccleſiaſtica a mundo condito vsque ad ſaeculum a Chriſto nato praeſens, ſeu decimum octauum deducta*, Halae Magdeburgicae 1723. 8. Addendum hiſce *compendium hiſtoriae eccleſiaſticae Gothanum*, ſeu iuſſu ſereniſſimi principis Erneſti in vſum gymnaſii Gothani conditum, veteris pariter ac noui teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam complectens; in cuius nouiſſima editione, quae Gothae 1723 lucem adſpexit, *liber tertius*, ſeu continuatio a pace Weſtphalica, ad noſtra vsque tempora, decreto ſereniſſimi principis, Friderici II ducis Saxo-Gothani, ab ERN. SALOM. CYPRIANO viro doctiſſimo concinnata, acceſſit. Ex reformatae eccleſiae ſacra ſequentibus commemorandus eſt TILEM. GESSELIVS, medicinae doctor, cuius *hiſtoria ſacra, & eccleſiaſtica*, in duas partes diuiſa, proſtat, quarum prior ab orbe condito, vsque ad annum 726 progreditur, altera in an. 1025 deſinit. *Scopum ſuum*, inquit ITTIGIVS, *quem ſibi in hac hiſtoria praefixit, ipſe ſtatim in titulo indicat, cum ſe pio adfectu conari adſerit, vt viam ad pacem eccleſiae aperire poſſit, quo fine etiam ad calcem ſecundae partis irenica quaedam monumenta vulgauit, quorum nonnulla in praefatione partis primae non procul a fine recenſentur; praefat.* ad *ſelecta capita hiſtor. eccleſ. ſaec. I. §. XLIV. p. 58.*

p. 58. Multorum ceteroquin manibus teritur, nec in minimis ponenda *hiſtoria eccleſiaſtica* GEO. HORNII, in cuius nouiſſima editione, quae Francofurti ad Moenum an. 1704. 4. prodiit, praeter notas ac obſeruationes MELCH. LEYDECKERI, & DAN. HARTNACCII, acceſſit *duplex ſupplementum*, ſiue continuatio MELCH. LEYDECKERI, vsque ad annum 1687, & IO. DAN. CRAMERI vsque ad praeſens ſaeculum. Inſertum eidem eſſe LVDOV. CAPPELLI *compendium hiſtoriae iudaicae*, ſupra iam obſeruauimus. Breuitate pariter ac concinnitate ſe commendat FRID. ADOLPHI LAMPII *ſynopſis hiſtoriae ſacrae & eccleſiaſticae ab origine mundi ad praeſentia tempora, ſecundum ſeriem periodorum deductae*, Traiecti ad Rhenum an. 1721. 8. publicae luci expoſita. Ex Arianae ſectae reſtauratoribus praetermittendus hic non eſt CHRISTOPH. SANDIVS, cuius *nucleus hiſtoriae eccleſiaſticae exhibitus in hiſtoria Arianorum tribus libris comprehenſa*, primum Coſmopoli, id eſt, Amſtelodami, an. 1668. & iterum Coloniae, hoc eſt itidem Amſtelodami an. 1676. in 4. prodiit. Id autem cum agat, vt, veteris eccleſiae doctores ante-Nicaenos Arianorum erroribus, quos ipſe pro veritate reputat, infectos fuiſſe, euincat, & tantum non Arianorum factionem pro vera eccleſia venditet; non defuerunt, qui haecce commenta ſolide profligarent, quos recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXIII. p. 312. ſeqq.* Praefixus eſt SANDII huic *nucleo tractatus de veteribus ſcriptoribus eccleſiaſticis*, de quo ſupra iam dictum ad *cap. III.* huius libri *§. II.* Agmen denique claudat THOM. HOBBESIVS, cuius *hiſtoria eccleſiaſtica carmine elegiaco concinnata*, Auguſtae Trinobantum an. 1688. 8. excuſa eſt. Id vero in ea agit, vt veteris eccleſiae doctorum ſeu patrum ſtudia, in compeſcendis refellendisque haereticis, exagitet; quae quorſum ſpectent, nemini obſcurum eſſe poteſt. Quaedam interim eum dixiſſe, veritati conſona, non negauerim. Summa carminis iſtius exhibetur in *der ſummariſchen Nachricht von auserleſenen mehrentheils alten in der Thomaſiſchen bibliothec vorhandenen Büchern tomo I. part. IV. num. II. p. 314. ſeqq.*

§. V. Progrediendum hinc ad eos, qui aut patrum, ſcriptorumque eccleſiaſticorum, aut aliorum virorum, ſanctitatis laude illuſtrium, vel martyrum quoque notitiam exhibent*; doctrinaeque ſacrae ſucceſſionem exponunt**; aut haereticos, eorumque errores deſcribunt**; aut conciliorum hiſtoriam pandunt*; aut regiminis eccleſiaſtici rationem edifferunt**; aut denique ritus & antiquitates eccleſiaſticas explicant***.

* De iis, qui veteris eccleſiae doctores, qui ſcriptis inclaruere, ſeu ſcriptores eccleſiaſticos, recenſent, ex inſtituto iam dictum, cum de theologia patriſtica verba faceremus; ad *cap. III.* libri huius *§. II.* Sed eos quoque, qui virorum, ſanctitatis laude florentium, vitas deſcripſerunt, aut eiusmodi ſcripta collegerunt, iam commemorauimus, ad *cap. IV.* huius libri *§. II.* Supereſt itaque, vt de iis ſolum aliquid addamus, qui ſpeciatim martyrum geſta litteris conſignarunt, eorumque conſeruarunt, & ad nos propagarunt, memoriam. Haud vltimam enim hanc eſſe hiſtoriae eccleſiaſticae partem, recte viri docti iudicarunt. *Acta martyrum*, inquit SAMVEL BASNAGIVS, FLOTTEMANVILLAEVS, *hiſtoriae eccleſiaſticae pars magna eſt*, *ad com-*

commouendos adfectus idonea. Confirmat hoc teſtimonio SCALIGERI, de *actis martyrii Polycarpi* ita pronuntiantis: *Quorum lectione piorum animus ita adficitur, vt numquam ſatur inde recedat &c. Certe ego nihil vmquam in hiſtoria eccleſiaſtica vidi, a cuius lectione commotior recedam, vt non amplius meus eſſe videar.* Tumque porro addit: *Reuera magnis tot Chriſti militum pro domini ſui gloria certantium, exemplis ad fortitudinem eorum imitandam permouemur*; in *praefatione*, *tomo primo annalium politico-eccleſiaſticorum* praemiſſa. Martyrologiorum autem primus auctor creditur CLEMENS Romanus, apoſtolorum diſcipulus, quem ſeptem notarios in totidem Romae vrbis regionibus conſtituiſſe, perhibent, qui actiones, cruciatus, confeſſiones, mortem martyrum adcurate deſcriberent, & ita eorum ad poſteros transmitterent memoriam. Ita BARTH. PLATINA, *de vitis pontific. romanorum*, in *Clemente I. p. m. 13.* & ex auctore *libri pontificalis* praeter alios FRANC. PAGI, in *breuiar. geſtor. pontif. romanor. tom. I. ſaec. I. p. 20.* PLATINA tamen deinceps ANTERO hoc tribuit: *Anterus autem primus hoc ſtatuit, vt res geſtae martyrum diligenter exquiſitae a notariis ſcriberentur*, in *Antero p. 30.* Fabianum I, Anteri ſucceſſorem, & poſtea Caium I, notariis adiunxiſſe diaconos, ex eodem PLATINA diſcimus. *Fabianus*, inquit, *pontifex*, *ſeptem diaconis regiones diuiſit, qui a notariis martyrum res geſtas colligerent ad ceterorum exemplum, qui Chriſti fidem profitebantur*; in *Fabiano p. 30.* Et iterum de Caio verba faciens: *Idem quoque, vt quondam Fabianus, regiones diaconis diuiſit, qui res geſtas martyrum conſcriberent*; in *Caio pag. 37.* Hiſce *eccleſiae romanae notariis*, quorum mentionem fecimus, quiue deinde *protonotarii* dicti ſunt, in martyrologiis concinnandis, aut martyrum potius geſtis deſcribendis, primum tribuendum eſſe locum, contendit CAES. BARONIVS, in *praecapitulat. dicendorum ad martyrolog. roman. cap. VIII.* An vero quaedam, a notariis iſtis litteris conſignata, in martyrologiis, quae hodie adhuc exſtant, & in quibus, deprehendantur, viri docti inter ſe non conueniunt; vti MATTH. FRID. BECKIVS docet, in *commentario* eruditiſſimo, *ad martyrologium eccleſiae germanicae cap. II. §. IV. p. 7. ſeqq.*

A notariis hiſce ſi diſceſſeris, primus, qui martyrum geſta deſcripſerit, EVSEBIVS fuiſſe dicitur. Et exſtat ſane hodie eiusdem liber περὶ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ μαρτυρησάντων, *de martyribus Palaeſtinae*, qui in perſequutione ſcilicet Diocletiani & Maximini, ab anno Chriſti 303 ad 310 pro doctrinae chriſtianae veritate, eiusmodi adflictiones ſubiecerunt. Soletque iſte liber in quibusdam editionibus libro octauo *hiſtoriae eccleſiaſticae* ſubiici; in aliis autem pro parte libri octaui habetur. Inſertus idem eſt *actis primorum martyrum ſinceris & ſelectis* THEOD. RVINARTI, *p. 305. ſeqq.* editionis, quae Amſtelodami 1713. fol. prodiit. Sed praeter huncce *de martyribus Palaeſtinae* librum, etiam τῶν ἀρχαίων μαρτυρίων συναγωγὴν, *antiquorum martyriorum collectionem*, ſe ſcripſiſſe, EVSEBIVS ipſe teſtatur, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XV. p. 136.* & *lib. V. prooem. p. 153.* itemque *cap. XXI. p. 189.* Atque iſtam haud dubie collectionem intellexit EVLOGIVS, Alexandrinus epiſcopus, qui ſaeculo ſexto vixit, & GREGORIO magno ſcripſit, *vt* ſibi *cunctorum martyrum geſta*, *quae piae memoriae Conſtantini temporibus ab Euſebio Caeſarienſi collecta ſunt, transmitterentur*, vti ex *epiſtola reſponſoria* GREGORII *lib. VII. epiſt. XXIX.* intelligitur. Patet inſimul inde, iam eo tempore collectionem hanc, ſiue martyrologium EVSEBII, difficulter inueniri potuiſſe; ſiquidem EVLOGIVS fruſtra illud in oriente quaeſiuit, adeoque ab epiſcopo romano hoc ſibi transmitti, voluit;

ſunt; quemadmodum rurſus GREGORIVS teſtatur, ſe neque in archiuis eccleſiae ſuae, neque in aliis, quae Romae fuerunt, bibliothecis, illud inuenire potuiſſe, immo praeter paruam quamdam ſyllogen nec ſibi notum eſſe. Verba eius ſunt: *Sed haec, neque ſi collecta ſunt, neque ſi ſint, ante veſtrae beatitudinis ſcripta cognoui. Ago ergo gratias, quia ſanctiſſimae veſtrae doctrinae ſcriptis eruditus coepi ſcire, quod neſciebam. Praeter illa enim, quae in eiusdem Euſebii libris de geſtis ſanctorum martyrum continentur, nulla in archiuo huius noſtrae eccleſiae, vel in Romanae vrbis bibliothecis eſſe cognoui, niſi pauca quaedam in vnius codicis volumine collecta; l. c.* HILDVINVM, qui ſaeculo octauo vixit, hocce EVSEBII martyrologium vidiſſe, nonnulli memorant. Sed hodie nihil eius aliud ſupereſſe videtur, praeter fragmenta quaedam, & reliquias in vitis quibusdam patrum, itemque menologiis Graecorum, ſimilibusque ſcriptis. Qui, hocce opus integrum in bibliotheca Scorialenſi extare, contendunt, eos magnopere falli, obſeruatum eſt aliis. De codice ſyriaco, hiſtoriam martyrum occidentis, ab EVSEBIO compoſitam, complectente, an. 473, vt ferunt, ſcripto, & an. 1716 Romam adlato, videndus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXII. p. 34.* Habent vero & Graeci *menologia* ſua, in quibus acta vel paſſiones ſanctorum quolibet cuiusuis menſis die ſummatim exponuntur; quae adeo *martyrologiis* & *calendariis* Latinorum reſpondent. Non vero martyrum ſolum, ſed & aliorum ſanctorum nomina in hiſce menologiis continentur; quemadmodum & in martyrologiis occidentalis eccleſiae, ſi vox ita accipiatur, prout ſequiori aetate apud monachos vſurpari coepit, vti obſeruat CAROLVS DV FRESNE, in *gloſſario ad ſcriptores mediae & infimae latinitatis, p. 472.* Diuerſa a menologiis ſunt *menaea* μηναῖα, quae vaſtum aliquod opus, in duodecim menſes, totidemque βιβλία ſiue volumina diuiſum, quouis menſe ſuum ſibi μηναῖον vindicante, conſtituunt, in quo ſancti omnes, quorum memoria eo menſe colitur, ad proprios dies reuocati, recenſentur, ſingulorum officium ſubnectitur, vitae & res geſtae ſummatim deſcriptae, plerumque exhibentur, quandoque & imagines praefiguntur. Spectant huc etiam συναξάρια, quo nomine intelliguntur vitae ſanctorum, in compendium redactae, cum ſuccincta expoſitione ſollemnitatis, de qua agitur ex menaeis, & amplioribus Graecorum libris eccleſiaſticis, in anguſtiores terminos contracta. Legenda, quae de hiſce omnibus LEO ALLATIVS docet, *de libris eccleſiaſticis Graecorum, diſſertat. I. §. XI. XII. XV. p. 57. 61. 68.* & quae ad *haec loca* IO. ALB. FABRICIVS obſeruauit; addatur GVIL. CAVE, in *diſſertat. de libris & officiis eccleſiaſticis Graecorum, parti ſecundae hiſtoriae* eius *litterariae ſcriptor. eccleſiaſticor.* ſubnexa, *p. 26. 27. & 30.*

Inter occidentalis eccleſiae martyrologia illud primum ſe nobis offert, quod ſub HIERONYMI nomine circumfertur. Hic namque opus EVSEBII, antea memoratum, ex graeca in latinam linguam tranſtuliſſe dicitur; quod tamen CAES. BARONIVS cardinalis tantum de compendio accipiendum eſſe, exiſtimat, in quod grande illud EVSEBII volumen redegerit, quodue poſtea *martyrologium* adpellatum, ac HIERONYMO adſcriptum ſit; in *praecapitulat. dicend. ad martyrolog. rom. cap. VI.* Eo minus etiam videtur dubitari poſſe, martyrologium eiusmodi ab HIERONYMO conſcriptum, aut ex EVSEBII opere concinnatum, quod iſtud a WAL. STRABONE, *lib. de rebus eccleſiaſt. cap. XXVIII.* BEDA *venerabili, lib. II. expoſitionum in euangel. Marci cap. XXVI.* & in *retract. in acta apoſtol. cap. I.* aliisque laudetur. Editum quoque ſub HIERONY-

MI

MI nomine martyrologium aliquod eſt a IO. LVC. D'ACHERY, *tomo IV ſpicilegii* Pariſiis an. 1661. 4. aut ſecundum recentiorem *ſpicilegii* iſtius editionem, quae ibidem an. 1723 prodiit, *tomo ſecundo*, ſtatim ab initio. Idem etiam martyrologium, inſcriptum: *vetuſtius martyrologium occidentalis eccleſiae, diuo Hieronymo a Caſſiodoro, Beda, Walafrido, Notkero, aliisque ſcriptoribus tributum*, cum ampliſſimo commentario, & eruditis exercitationibus excudendum curauit FRANC. MAR. FLORENTINIVS, Lucae an. 1668. fol. Nec dubitant, quin illud reuera HIERONYMI ſit, IO. BOLLANDVS, GEO. HENSCHENIVS, DAN. PAPEBROCHIVS, in *praefat. tomo ſecundo actorum ſanctorum Martii* praemiſſa; quorum verba recitat MATTH. FRID. BECKIVS, in *commentar. ad martyrolog. eccleſiae germanicae, cap. II. §. VI. pag. 12.* In aliam tamen ſententiam conceſſit HENR. VALESIVS, falſo ſcilicet hocce martyrologium HIERONYMI nomen praeferre; licet fateatur, illud vetuſtiſſimum eſſe, & paullo poſt obitum Hieronymi, incertum a quonam, euulgatum; in *diſſertat. de martyrologio romano, quod edidit Rosweydus, adnotationibus* eius in EVSEBII *hiſtoriam eccleſiaſticam* ſubiecta, *p. m. 316.* Immo ipſe IO. LVC. D'ACHERY, quem primum hocce martyrologium edidiſſe, antea diximus, illud, ſaltem integrum, HIERONYMO tribuere non audet. *Vetuſtiſſimum*, inquit in *monito*, eidem praemiſſo, *martyrologium, ſancto Hieronymo attributum, reperi quidem in codice monaſterii Corbeienſis, ſcripto abhinc circiter annos 600 (quod Hugo Menardus praelo inferendum parauerat) at nae ego tanquam germanum foetum integrumue eidem doctori nolim adſerere, cum plures ipſo recentiores ſanctos conſtet diuerſis temporibus tam a clericis, quam a monachis pro libitu fuiſſe adiectos, potiſſime patronos aliosque, qui anniuerſario cultu cuiusque in eccleſiis celebrantur.* Deinceps vero & HENR. VALESII ſententiam calculo ſuo adprobat. Martyrologium quoque hocce cum eo, quod ſub HIERONYMI nomine laudat BEDA, non conuenire, luculenter oſtendit MATTH. FRID. BECKIVS, *l. c. p. 12. 13.* Addendus hiſce CASIM. OVDINVS, in *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom. I. ſaec. IV. p. 847. ſeqq.* vti itidem probat, opus hocce perperam HIEROMYMO tribui. Poſt HIERONYMI martyrologium commemorari a quibusdam ſolet *Gregorianum*; non quod GREGORIVS magnus ipſemet martyrologium aliquod concinnauerit, ſed tantum, quod eius mentionem faciat. *Nos autem*, inquit in *epiſtola ad Eulogium Alexandrinum*, cuius antea iam mentionem fecimus, *fere omnium martyrum, diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione miſſarum ſollemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter ſit paſſus, indicatur, ſed tantummodo nomen, locus & dies paſſionis ponitur. Vnde fit, vt multi ex diuerſis terris atque prouinciis, per dies, vt praedixi, ſingulos, cognoſcantur martyrio coronati, ſed haec habere vos beatiſſimos credimus.* Falluntur haud dubie, certe aut nullo, aut lubrico innituntur fundamento, qui, HIERONYMI hic innui martyrologium, putant; nec rectius ſentiunt, qui illud ſibi inueniſſe viſi ſunt, quod pro veteri romano venditauit HERIBERT. ROSWEIDVS, de quo mox dicemus. Nihil potius aliud de iſto martyrologio dici poteſt, quam quod ipſe GREGORIVS dixit. Sequenti aetate plures exſtiterunt, qui in martyrologiis concinnandis ſtudium, operamque ſuam collocarent; vt ſaeculo octauo BEDA, quem *venerabilem* vocant, ſaeculo nono FLORVS, *magiſter* dictus, Lugdunenſis eccleſiae diaconus, WANDELBERTVS monachus Prumienſis, RHAB. MAGN. MAVRVS, VSVARDVS, ADO archiepiſcopus Viennienſis, atque NOTKERVS,

RVS, cognomento *balbulus*, ſancti Galli monachus. Atque de hiſce, qui inter ſcriptores martyrologiorum, quos medium aeuum tulit, praecipui ſunt, legendus praeter alios MATTH. FRID. BECKIVS, in *commentar. ad martyrolog. eccleſ. germanic. cap. II. §. VIII. ſeqq. p. 16. ſeqq.* Prae reliquis tamen inter eos obſeruatu dignus VSVARDVS, cuius martyrologium ſaepe editum, & ex ipſo tandem auctoris, vti creditur, autographo euulgatum a monachis Benedictinis, Pariſiis an. 1718. 4. Praeter martyrologium, quod HIERONYMO tribuitur, in IO. LVC. D' ACHERY *ſpicilegio*, & quidem *tomo ſecundo* editionis nouiſſimae, exhibentur *martyrologium a venerabili* BEDA *heroicis verſibus ſcriptum; martyrologium Gellonenſe*, ſiue ſancti GVIL. DE DESERTO *peruetuſtum; martyrologium* WANDALBERTI diaconi, *cum variis adpendicibus*, & alia quaedam eiusdem generis.

Solent ſingulis quibusdam eccleſiis, ſiue per integram gentem diſperſis, ſiue in vrbibus illuſtrioribus conſtitutis, immo & monachorum quibusdam ordinibus, martyrologia tribui; vnde gallicanum, anglicanum, hiſpanicum, ordinis ſancti Benedicti, & alia, quibus enumerandis non immorabimur. Pleraque eius generis recenſet NICOL. PETR. SIBBERN, in *ſchediaſmate de libris Latinorum eccleſiaſticis, p. 83. & ſeqq.* Cumprimis autem obſeruatu dignum martyrologium romanum; quamquam, quae ſub hocce nomine exſtant, non vnius ſint generis. Quod HERIBERTVS ROSWEIDVS Antwerpiae an. 1613 cum ADONIS *martyrologio* edidit, etſi, vetus & genuinum illud eſſe, contendat, viris tamen eruditis perſuadere non potuit. Repugnat namque HENR. VALESIVS, in *diſſertat. de martyrologio romano, quod edidit Rosweydus*, antea iam laudata; repugnat FRANC. MARIA FLORENTINIVS, in *prolegom. ad martyrolog. Hieronymi, p. 17. ſeqq.* repugnant & alii. Illud etiam, quod ſub HIERONYMI nomine circumfertur, pro veteri romano haberi non poſſe, ex dictis, vt puto, abunde liquet. Inter reliqua autem, quae ita inſcribuntur, eminet illud, quod iuſſu Gregorii XIII pontificis, cum adnotationibus ſuis edidit, & Sixto V pontifici dicauit CAES. BARONIVS cardinalis, Romae 1586, quodue deinceps ſaepius recuſum eſt; ad quod & LVC. HOLSTENIVS *animaduerſiones* ſcripſit, editas Pariſiis 1664. 8. Sed ſi HENR. VALESIVM audimus, nec romana eccleſia, nec aliae, proprium aliquod ac peculiare martyrologium vmquam habuerunt. *Calendaria* nimirum maximopere a martyrologiis differre, contendit. *Singulae*, inquit, *eccleſiae ſua habuere calendaria, in quibus digeſta erant nomina epiſcoporum & martyrum, diesque notati, quibus memoria eorum anniuerſario cultu celebraretur. Martyrologia vero, non vnius loci propria, ſed totius eccleſiae fuere communia; quippe quae totius orbis martyres confeſſoresque generaliter continerent. Et in calendariis quidem nomen vrbis numquam adſcribitur, cum in vſum dumtaxat vnius eccleſiae comparata ſint. At in martyrologio nomina ſingularum vrbium & oppidorum adſcribuntur, verbi gratia Romae, Alexandriae, Antiochiae, & ſimilia; propterea quod ad vſum totius eccleſiae illud inſtitutum eſt &c.* Diſcrimen hoc inter *calendarium* & *martyrologium* cum fuſius ediſſeruiſſet, tandem concludit: *Ex his liquet, veriſſimum eſſe, quod initio dixi eccleſiam ſcilicet romanam proprium ac peculiare martyrologium numquam habuiſſe. Habuit quidem illa ſuos faſtos, ſuumque calendarium; ſed proprium ac priuatum eius martyrologium nullum vmquam fuit, niſi forte calendarium pro martyrologio accipiamus; diſſertat. cit. p. 315. 316.* Haec vero, quae vir doctiſſimus hunc in modum de diſcrimine *calendarii* & *martyrologii* diſſeruit, ſi locum inueniant; multa haud dubie martyrologia tantum pro calendariis erunt habenda.

Quid

Quidquid eius ſit, nobis hic praetermittendum non eſt *martyrologium eccleſiae germanicae peruetuſtum*, quod cum per ſeptingentos annos delituiſſet, in lucem tandem protraxit, & *libro commentario* illuſtrauit MATTH. FRID. BECKIVS, Auguſtae Vindelicorum 1687. 4. Obſeruationem prae ceteris meretur non tantum, quod ſpeciatim ad Germaniam ſpectat, ſed &, quod inter venerandae antiquitatis monumenta haud vltimum locum tenet. Rationibus enim haud ſpernendis innixus BECKIVS, contendit, ſaeculo poſt Chriſtum natum ſeptimo, ante mille annos, adeoque ante ipſius BEDAE martyrologium, hocce conditum, Gregoriano fere coaeuum fuiſſe, quocum & de ſimplicitate non ſolum certet, ſed & palmam ei praeripiat; *commentar. cap. III. §. IX. p. 27.* Idem etiam, eccleſiae, vel certe dioeceſis Argentoratenſis hocce martyrologium fuiſſe, coniicit; cumque illi obiici queat, quod de diſcrimine inter calendaria & martyrologia ex mente HENR. VALESII antea commemorauimus; ita ad hoc reſpondet: *Vtut vero martyrologium hoc certae cuidam, ſeu franciçae, ſeu, quod malo, germanicae eccleſiae peculiare fuerit, qua necrologium, & martyrologii quoque aliquam, minimam tamen partem, quod Valeſius calendarium vult vocari, in diſſertat. de martyrologio Rosweydiano, commune tamen idem fuit qua maximam martyrologii partem, totius eccleſiae ſeu franciçae, ſeu germanicae, immo vniuerſae latinae occidentalis; quae ideo adnotamus, ne quis forte nobis vitio vertat, martyrologium hoc in frontiſpicio libelli eccleſiae germanicae nobis dictum eſſe; l. c. cap. IV. §. V. p. 32.* Plura qui de martyrologiis ſcire auet, IO. ALB. FABRICII *bibliothecam* adeat *graecam*, *volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXII. §. XIX. ſeqq. p. 33. ſeqq.* vbi non tantum menologia eccleſiarum orientalium, ſed & martyrologia eccleſiarum occidentalium, itemque martyrologia ſpecialia, calendaria porro eccleſiaſtica, & martyrologia linguis vernaculis ſcripta, denique & proteſtantium martyrologia, ordine recenſet.

Magna in martyrologiis, actisque martyrum, opus eſſe circumſpectione, iam dudum viris eruditis obſeruatum eſt. Plurima enim & temporum iniuria, & haereticorum fraude, interpolata, mutata, mirumque in modum eſſe corrupta, ſubinde etiam falſa pro veris, pro genuinis ſpuria ac ſuppoſititia, venditari, fatentur omnes. Laudandum itaque maximopere illorum inſtitutum, qui non tantum in corruptis emendandis ac reſtituendis, ſed & in ſpuriis ac genuinis diſcernendis, operam, ſtudiumque ſuum collocarunt. Atque huc THEOD. RVINARTI, viri doctiſſimi, comparatus fuit labor, dum *acta primorum martyrum ſincera & ſelecta ex libris cum editis tum manuſcriptis collecta, eruta & emendata, notisque & obſeruationibus illuſtrata*, dedit Pariſiis 1689. 4. Editio altera, ab ipſo auctore recognita, emendata, & aucta, prodiit Amſtelodami 1713. fol. & quidem curante PETRO POIRETO; qui quid in ea praeſtiterit, in *addendis ad commentariolum de vita & ſcriptis Poireti*, quae in fine *praefationis generalis*, *poſthumis* eius praemiſſae, exſtant, hunc in modum condocemur; *Inter haec vero, dum D. Theodorici Ruinarti acta primorum martyrum ſincera & ſelecta, ab auctore recognita, & aucta, anno 1713. typis Wetſtenianis iterarentur, non tantum ſedulo curauit Poiretus, vt elegantiſſima haec editio quam emendatiſſime prodiret, ſed & operam dedit, vt ſanctorum martyrum de myſteriis ſacroſanctae trinitatis, vel deitatis Ieſu Chriſti aeternae, teſtimonia perſpicua, vbicumque occurrerent, in margine adnotarentur, quo facilius ſub conſpectum caderent; eo praecipue fine, vt vel inuiti cognoſcerent chriſtianae fidei hoſtes nouitii, ſanctiſſimos martyres myſteriorum illorum veritatem, non vocis modo, ſed*

Digitized by Google

ſed & fuſi ſanguinis teſtimonio obſignaſſe. Quod dicitur, ſanctorum martyrum pro myſteriis ſacroſanctae trinitatis, & aeternae deitatis Chriſti, teſtimonia, in hac editione in margine adnotata fuiſſe; id clarius adhuc explicatur, in *praefatione*, editioni huic praemiſſa, doceturque, id praecipue factum, vt auctori libri: *le Platoniſme devoilé*, obuiam iretur, qui *part. II. cap. II. p. 301. ſeqq.* ne ſine ratione myſterium trinitatis & aeternae deitatis Chriſti negaſſe videretur, ad priſcorum martyrum ſilentium prouocare auſus fuerat. In *praefatione generali in acta* haecce *martyrum quadripartita*, de ipſis actis, eorumque deſcriptionibus ac collectionibus, diſſeritur; tum ſententia HENR. DODWELLI, de paucitate martyrum, exploditur; tandemque de perſequutionum cauſſis, & effectis, martyrum fortitudine & honoribus, ac cautionibus circa eosdem adhibitis, agitur. Quantumuis autem diligentia RVINARTI ſummopere ſit laudanda; nondum tamen ita omnibus ſatisfecit, quin quosdam inter martyres retuliſſe cenſeatur, qui iſto honore digni non ſunt. SAM. BASNAG. FLOTTEMANVILLAEVS, cum in *praefat. tomo primo annalium politico-eccleſiaſticor.* praemiſſa, dixiſſet: *hic tamen ingenii ſolertia opus eſt, ne falſos martyres veris inſeramus, qui in annalibus Baronianis, martyrologioque romano immeritam ſedem inuenere*, idque cum exemplis comprobaſſet, addit: *innumeros & alios martyres, quos Baronius, Ruinartusque in caelites retulerunt, ſedibus pellimus ſuis.*

** Doctrinae ſacrae conſeruatio, ſucceſſio, propagatio, haud vltimam, immo praecipuam hiſtoriae eccleſiaſticae conſtituit partem, vti apud omnes harum rerum intelligentes in confeſſo eſt. Quo nomine centuriatores Magdeburgenſes laudauimus merito, quod hocce hiſtoriae eccleſiaſticae caput quam diligentiſſime tractauerint. Auctores autem, qui de eo ſeparatim egerunt, cum ad theologiam patriſticam retulerimus; de iis aliquid addere, neceſſe non eſt.

*** Poſt doctrinae ſacrae ſucceſſionem propagationemque, & eorum, quorum ea in re, vti & in ipſa eccleſia conſeruanda & amplificanda Deus eſt vſus miniſterio, virorum aut eruditionis, aut ſanctitatis laude florentium, ipſorumque martyrum conſiderationem; merito in cenſum veniunt *haeretici*, qui erroribus, prauisque dogmatibus pacem ac tranquillitatem eccleſiae turbarunt, effeceruntque, vt conflictus inter regnum lucis ac tenebrarum eo luculentius conſpiceretur. Haereſium autem hiſtoriam adcurate tradere, longe difficilius eſt, quam plerique exiſtimant; cum eo nemo rite fungi munere queat, niſi animum, a partium ſtudio prorſus alienum, ſecum adferat, & placita haereticorum pariter ac orthodoxorum exacte teneat, & fontes quoque errorum cognitos habeat atque perſpectos. Quare, licet ſcriptorum haereſiologicorum haud exiguus ſit numerus; pauci tamen inter eos ſuas rite expleuerunt partes. Antiquos, qui veterum haereſium hiſtoriam, haereticorumue catalogos dederunt, recenſet THOM. ITTIGIVS, in *praefatione diſſertationi de haereſiarchis aeui apoſtolici & apoſtolico proximi &c.* praemiſſa. Vlterius progreditur CASP. SAGITTARIVS, & antiquis recentiores iungit, in *introduct. in hiſtor. eccleſiaſticam, cap. XXXII. p. 782. ſeqq.* immo & *cap.* ſequenti *XXXIII.* ad ſpecialia deſcendit, & ſingularum haereſium ſcriptores laudat; quos autem praetermiſit, in *ſupplementis* ad *haec loca* addidit IO. ANDR. SCHMIDIVS. Exſtant etiam GEORG. HENR. GOETZII, binae *de ſcriptoribus haereſiologicis* diſſertationes, Wittebergae an. 1687. 4. Nonnullos quoque indicat IO. VOGT, in *praefatione*, quam *bibliothecae* ſuae *hiſtoriae haereſiologicae*, de qua deinceps dicemus, & qui-

quidem *tomi primi faſciculo primo*, praemiſit. Nos ſelectu vtentes, ex ſcriptoribus haereſiologicis vniuerſalibus eos dumtaxat indicabimus, quos hiſtoriae eccleſiaſticae cultorem ignorare non decet.

Inter veteres, quorum ad nos monumenta peruenerunt, primum nobis ſeſe offert IRENAEVS, Lugdunenſis epiſcopus, & ſancti Polycarpi diſcipulus, cuius exſtant *aduerſus haereſes libri quinque*; quos olim Ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως inſcriptos fuiſſe, ex EVSEBIO condiſcimus, *hiſt. eccleſ. lib. V, cap. VII.* & PHOTIO, *biblioth. cod. CXX.* Immo ipſemet hoc innuit IRENAEVS, quando in *prooemio libri ſecundi* ſcribit: *quapropter, quod ſit detectio & euerſio ſententiae ipſorum, operis huius conſcriptionem ita titulauimus.* Conſtat itaque haecce IRENAEI commentatio duabus veluti partibus; quarum prior Ἔλεγχος ſiue *detectio*, reſpicit librum primum, quo errores haereticorum, praeſertim Valentini & Valentinianorum, recenſuit; ἀνατροπὴ autem ſequentes quatuor, in quibus eos & ratiociniis, & ſcripturae ſacrae dictis refellit; vti IO. ERNEST. GRABIVS obſeruat, *prolegom. ad Irenaeum, ſect. II. §. IV. p. 15.* Quae ſi recte expendamus, non tam ad hiſtoricos, quam polemicos ſcriptores referendus erit IRENAEVS; vnde & rectius in theologia polemica ſuum illi tribuemus locum. Succedere itaque iuberemus Q. SEPTIMIVM FLORENTEM TERTVLLIANVM, ſi modo euictum eſſet, poſtrema libri eius *de praeſcriptionibus haereticorum* capita, quibus viginti quinque haereſes enumerantur, eum agnoſcere auctorem. Id vero eſt, de quo non tantum viri docti dubitant, ſed &, quod prorſus negant, repugnante licet HENR. DODWELLO, atque catalogum iſtum haereticorum, vel ipſi TERTVLLIANO, vel coaeuo ſaltem auctori tribuendum eſſe, contendente; in *diſſertat. de ſucceſſ. pontif. p. 216.* Rationes, quibus luculenter euinci poteſt, huncce catalogum TERTVLLIANI non eſſe, adfert PETRVS ALLIXIVS, in *diſſert. de Tertulliani vita & ſcriptis*, quae cum eiusdem diſſertationibus *de ſanguine domini noſtri Ieſu Chriſti ad epiſtolam CXLVI. Auguſtini*, & *de conciliorum quorumuis definitionibus expendendis*, Pariſiis 1680. 8. prodiit, *cap. VII. p. 63. ſeqq.* Stili nimirum differentiam inſignem vrget, itemque manuſcriptorum codicum fidem ac auctoritatem. Maximum praeterea habere pondus, obſeruat, clauſulam, quae ad finem capitis XLV legitur, qua, ſe non haereticorum nomina, aut haereſes ſic breuiter deſcripturum, qua ratione in adpendice de haereſibus factum; ſed operibus integris quosdam impugnaturum, ſignificat. Atque haec tanti momenti eſſe, vt NIC. RIGALTIVS, qui prius IAC. PAMELIVM ac CAES. BARONIVM, Tertulliano huncce catalogum tribuentes, ſequutus fuerat, deinceps non ſemel, eum Tertulliani eſſe, negauerit; quem & alii imitati ſint, vt CHRIST. LVPVS, qui, cum librum *de praeſcriptionibus haereticorum* commentario illuſtrauerit, catalogum hunc omiſerit, immo in *ſcholio* ad *cap. XLV.* variis rationibus confixerit, & adulterinum foetum oſtenderit; itemque NATAL. ALEXANDER in *hiſtor. eccleſiaſt. nou. teſt. ſaec. I. cap. IX. artic. VII.* De ipſo autem, quem TERTVLLIANVS *de praeſcriptionibus haereticorum* ſcripſit, libro, alibi erit dicendi locus.

Ad PHILASTRIVM itaque nos conuertimus, Brixienſis eccleſiae epiſcopum, cuius *de haereſibus librum* cum emendationibus & notis eruditiſſimis, recudi curauit IO. ALB. FABRICIVS, Hamburgi an. 1721. 8. Quae editio quin reliquis praeferenda ſit, nemo forte dubitauerit. Floruit PHILASTRIVS ſaeculo quarto; & licet certo non conſtet, quando ſit mortuus; probabilis tamen illorum eſt ſententia, qui, vltra annum 388 eum vitam non produxiſſe,

xiſſe, exiſtimant. Incipit ab Ophitis, quorum, vt & aliorum quorumdam haereticorum originem ex veteri teſtamento deriuare conatur, deſinitque *cap. CL.* in *haereſi de Iſaia propheta, labia tacta carbone.* Nimirum in multiplicandis haereticis & haereſibus ingenio ſuo mirum in modum habenas laxat; hinc & ſubinde inter haereſes refert, quae ne pro erroribus quidem habenda ſunt, aut certe talibus, quos in aliis tolerare fas eſt. Id vero, num ex intempeſtiuo numerum haereticorum augendi ſtudio, an vero ex ignorantia, an quod vocem haereſis aliter acciperet, quam vulgo fieri ſolet, fecerit, in medio relinquo. Reprehenditur autem hoc nomine & ab aliis, quos inter IO. DALLAEVS, *Philaſtrius,* inquit, *Brixienſis epiſcopus, quae ipſe non probat, ea in haereſeon cenſum, veluti a publica chriſtianorum omnium fide aliena retulit, adeo fallaci & futili interdum iudicio, vt quae ille iugulat, eccleſiam quoque damnaſſe, ab omni veri ſpecie abhorreat; de vſu patrum lib. II. cap. I.* Qui ſub HIERONYMI nomine exſtat *indiculus de haereſibus*, editus a CLAVDIO MENARDO Pariſiis 1617, perperam ei tribuitur, quod & ipſe tandem agnouit editor, & hodie apud omnes rerum iſtarum intelligentes poſitum eſt extra controuerſiam. Se eum iterum cum aliis veteribus, iisque breuibus *de haereticis* ſcriptoribus, editurum, pollicitus eſt IO. ALB. FABRICIVS, in *praefatione*, PHILASTRII libro *de haereſibus* praemiſſa. Sequitur EPIPHANIVS, Salaminiae, Cypri metropoleos, poſtea Conſtantia dictae, epiſcopus, isque inter eccleſiae veteris doctores, qui ſaeculum quartum nobilitarunt, haud poſtremus. ingens namque opus *de haereſibus* ſcripſit, πανάριον vel κιβώτιον *arcam* ſeu *capſulam medicam* dictum, cum in eo non ſolum *nefaria haereſeon flagitia, tamquam praeſentiſſima venena* patefecerit, & expoſuerit, ſed ſuarum etiam duxerit eſſe partium, σὺν ἀντιδόταις τοῖς δὲ ἅμα καὶ ἀντιδότους ἐΦαρμόσαι, ἀλεξητηρίους μὲν τῶν δεδηγμένων, προκαταληπτικοὺς δὲ τῶν μελλόντων εἰς τοῦτο ἐμπίπτειν *his velut antidota quaedam opponere, quae vel iis, qui morſu petiti ſunt, remedio eſſe poſſint, vel eos, quibus ne incidant periculum eſt, praemuniant ac conſeruent;* vti ipſemet inſcriptionis huius rationem reddit, in *anacephalaeoſi tom. II. oper. p. 126.* Quae ſi conſideremus, non hiſtoricum ſolum, ſed & diſputatorem in hoc opere agere EPIPHANIVM, cognoſcemus; quod & res ipſa docet; vnde & de eo ex inſtituto in theologia polemica verba faciemus. MART. CHEMNITIVS, *hiſtoriam haereſium* vtiliter ex hocce opere diſci poſſe, exiſtimat; ſed confutationes nonnumquam infirmiores eſſe frigidioresque; *orat. de lect. patrum p. 12.* Idque, ad poſterius quod attinet, ita ſe habere, ſuo loco pluribus confirmabimus. In priori autem capite non omnes prorſus ſecum conſentientes habebit vir ſummus; ſiquidem multa de haereticis EPIPHANIVS narrat, quae non ſine ratione ab aliis in dubium vocantur. Certe nimiam credulitatem illi exprobrat ISAACVS CASAVBONVS: *vir maximus Epiphanius, ſed quem res arguit ipſa, leuibus auditiunculis, neſcio vnde acceptis, facile nimis aliquando fidem habuiſſe; exercitat. XV. num. XXXIII.* Sed mitto reliqua, de quibus deinceps dicemus. Hiſtorici tantum munere, & quidem ſuccincte breuiterque functus eſt Hipponenſium praeſul AVRELIVS AVGVSTINVS, cuius *de haereſibus ad Quoduultdeum* liber, a Simonianis ad Pelagianos vsque progreſſus, LXXXVIII in vniuerſum haereſes enarrat, & inter opera eius tomo ſexto, in recentiori autem Benedictinorum editione tomo octauo exſtat. Iteratis nimirum Quoduultdei, diaconi Carthaginienſis, precibus, cum initio hunc laborem, ob eius difficultatem, declinare vellet, inductus AVGVSTINVS, eum concinnauit. Seorſim cum luculento commen-

mentario LAMBERTI DANAEI, qui & de ſuo haereſes ab orbe condito, vſque ad conſtitutum papiſmum ac Mohammedaniſmum, attextis etiam illis, quae ab AVGVSTINO praetermiſſae erant, addidit, prodiit Geneuae 1576, recuſus hac ratione cura GEBH. THEOD. MEIERI, Helmſtadii 1673. Deinceps vero LAVR. COZZA *commentarios hiſtorico-dogmaticos in librum ſancti Auguſtini de haereſibus ad Quoduultdeum* edere coepit, quorum *pars prima continens haereſes XXII. a Simone mago vſque ad Marcionem* Romae an. 1707. fol. lucem adſpexit. Vt alios labore, hocce opus laudandi, ſubleuaret, ipſemet auctor eo munere fungi voluit, dum in ipſa libri fronte illud tamquam omnigena eruditione refertum, & theologis, philoſophis, ſcripturalibus, quos vocat, hiſtoricis, concionatoribus, confeſſariis, curam animarum habentibus, nec non humanarum diuinarumque litterarum, atque rerum eccleſiaſticarum ſtudioſis, vtile commendat. Methodus, qua vſus eſt, cum ſpeciminibus quibusdam, exhibetur in *actis eruditor. Lipſ. anno 1708. p. 489.* ex quibus intelligitur, eum ſubinde ſententias, a viris eruditis, etiam romanae eccleſiae addictis, dudum exploſas, defendere, & commentis ineptiſſimis locum relinquere; vt cum, beatum Lutherum cum Simone mago comparans, illum familiaritatem cum diabolo licitam ſtatuiſſe, adſerit, idque inde probat, quod in libello *de miſſa priuata* ſuam cum diabolo de miſſa diſputationem commemoret, & quae alia ſunt eiusdem generis. Iungi adpendicis loco AVGVSTINI *de haereſibus* libro ſolent haereſes praedeſtinatiana, Neſtoriana, Eutychiana, & Timotheana, quae GENNADIO Maſſilienſi tribuuntur, ex cuius *libris octo aduerſus omnes haereſes*, qui perierunt, quatuor iſtae tantum ſupereſſe creduntur, quamquam IAC. SIRMONDVS exiſtimet, nihil amplius GENNADIVM de haereſibus ſcripſiſſe; in *hiſtor. praedeſtinat. cap. VI.* In nonnullis inſuper editionibus, etiam ea, quam LAMBERT. DANAEVS dedit, itemque operum AVGVSTINI, quam monachis Benedictinis debemus, haereſis praedeſtinatiana omittitur; atque hi quidem in *notis* ad finem libri iſtius *de haereſibus, tomo VIII. p. 22.* obſeruant, in plerisque codicibus manuſcriptis addi Neſtorianos & Eutychianos, in quibusdam etiam Timotheanos. Praedeſtinatianorum, qui tamen itidem in quibusdam codicibus adduntur, cur nullam mentionem faciant, aliis diiudicandum relinquo. GENNADII autem hocce *ſupplementum*, in *indiculo haereſium*, qui ſub HIERONYMI nomine circumfertur, exſtare, aliis iam obſeruatum eſt.

Deducimur vero nunc ad auctorem, qui ſub *praedeſtinati* nomine primum a IAC. SIRMONDO, deinde & a IO. AVBRAEO (quo nomine quidam ANT. ARNALDVM, alii DAVID. BLONDELLVM tegi putant) editus, inſertus eſt *bibliothecae maximae patrum* Lugdunenſi, *tomo XXVII. p. 543. ſeqq.* Seorſim rurſus ſtudio & opera SERAPH. PICCINARDI lucem adſpexit cum eiusdem *prolegomenis* & *adpendicibus* Patauii anno 1686. Tribus nimirum opus hocce abſoluitur libris, quorum primus haereſes nonaginta, incipiendo a Simone mago, & in praedeſtinatis deſinendo, recenſet; alter librum ſub Auguſtini nomine confictum exhibet, in quo ſententia praedeſtinatianorum, Dei praedeſtinatione peccata committi, defenditur; tertius vero libri iſtius, & ſententiae in eo propugnatae, refutationem continet. Praecipue itaque auctori conſtitutum fuit, pradeſtinatianorum impugnare haereſin. Cur autem recenſionem omnium haereticorum praemiſerit, eius rei hanc ipſe reddit rationem, dum hoc ſe feciſſe, ait, *vt ſciant nouae huius haereſis* (praedeſtinatianae) *inuentores*, *omnium nos haeretico-*

reticorum definitionibus aduerſari, & nullius eorum contra ſe vti conſenſu. Ceſſet, ita pergit, *omnis tergiuerſatio, & calliditas oblatrantium, in modum canis vomitus ſuos ipſe iterum ſorbeat. Omnes a Simone coeptas haereſes detegimus, arguimus, condemnamus, & tam ratione quam auctoritate ſuperatas oſtendimus. In detectione igitur falſitatis, & in defenſione veritatis catholicorum ſumus ſequuti veſtigia, & id geſſimus, vt in primo libro veterata haereſeos ſuperſtitio perpateſcat; in ſecundo vero, nouae adinuentionis venena non lateant; tertius vero liber haereſeos deuictae tumulum, fideique tropaeum cunctis eccleſiis tradat;* in *praefat.* & quidem in *biblioth. maxima patrum p. 544.* Similia dum & in *prologo libri III.* repetit, idque adeo omnibus viribus agit, vt orthodoxus videatur; colligi inde forte poſſet, auctorem, ſi nomen ſuum prodidiſſet, non ſine ratione ſuſpectum futurum fuiſſe. Certe in Pelagianorum eum militaſſe caſtris, diſerte oſtendit GILBERT. MAVGVINVS, in *vindiciarum praedeſtinationis & gratiae tomo poſteriori diſſertat. II. p. 500.* vbi probare adnititur, *auctorem illum Pelagianum fuiſſe, nec vllos praedeſtinatos haereticos, ſed catholicos gratiae defenſores, ineptiſſimo praedeſtinati libro impetitos.* Nimirum valde diſplicet hicce liber iis, qui praedeſtinatianorum errores poſtliminio reuocarunt; vti contra illis, qui a Pelagii non procul abſunt erroribus, mirifice probatur. Quis libri iſtius auctor ſit, incertum, licet variae de eo ſint virorum doctorum coniecturae. Ad aetatem quod attinet, eum poſt Auguſtinum, nondum exorta Eutychis haereſi, ſcripſiſſe, inde videtur colligi poſſe, quod octoginta octo haereſibus, ab Hipponenſium praeſule commemoratis, duas tantum addat, Neſtorianorum & praedeſtinatorum. VINCENTIVS Lerinenſis, quem nonnulli itidem inter ſaeculi quinti ſcriptores haereſiologicos referunt, ob *commonitorium aduerſus haereticos duplex,* rectius inter theologiae polemicae ſcriptores locum ſuum ſibi vindicat. Idem de THEODORETO cenſendum, qui equidem αἱρετικῆς κακομυθίας ἐπιτομὴν, *haereticarum fabularum compendium* ſcripſit, *quinque* conſtans *libris,* tum ſeorſim, tum & inter reliqua eius opera *tom. IV. p. 187. ſeqq.* editis; at in iis haereticos non tantum ita recenſet, vt ſimul indicet, quinam eccleſiae doctores hanc aut illam haereſin impugnauerint; ſed & in quinto libro ſacrae doctrinae compendium aliquod, θείων δογμάτων ἐπιτομὴν, haereticorum erroribus oppoſitam, exhibet. De vtroque itaque, & VINCENTIO, & THEODORETO, ex inſtituto *cap. ſequenti* agemus. Qui ſaeculo ſexto & ſequentibus, vſque ad decimum ſextum de haereſibus commentati ſunt, LEONTIVS Byzantinus, ISIDORVS Hiſpalenſis, ANASTASIVS, SOPHRONIVS Hieroſolymitanus, TIMOTHEVS presbyter Conſtantinopolitanus, IOAN. DAMASCENVS, RHAB. MAGNENT. MAVRVS, EVTHYMIVS ZIGABENVS, IO. ZONARAS, HONORIVS Auguſtodunenſis, CONSTANT. HARMENOPVLVS, NICET. ACOMIN. CHONIATES, MATTH. BLASTARES, GVIDO DE PERPINIANO, nobis tanti non videntur, vt iis recenſendis diu immorandum ſit; quamquam itidem nonnulli ex iis polemicis potius ſcriptoribus, quam hiſtoricis adnumerandi ſint. Legendi de iis, quos ſupra iam laudauimus, THOM. ITTIGIVS, & CASP. SAGITTARIVS, *locis citatis.*

Saeculo decimo ſexto, & ſequenti tempore, ad noſtram aetatem vſque, plurimi equidem fuerunt, qui generatim de haereſi & haereticis, itemque de haereticis puniendis, porro, an illis ſeruanda ſit fides? ſimiliaque ſcripſerunt; ſed iſti huius loci non ſunt, vbi de hiſtoria haereſeon ſumus ſolliciti. De hac qui commentati ſunt, non adeo ſunt multi; pauciores adhuc,

huc, qui id ea, qua decebat, fecerunt ratione. Ex BERNHARDI DE LVXEMBVRGO *catalogo haereticorum omnium*, & GABR. PRATEOLI *omnium haereticorum elencho*, quorum vterque ordine alphabetico haereticos enumerat, non multum lucis capias. Immo vterque commentis & figmentis ineptiſſimis ſcatet; praeſertim PRATEOLVS, qui ſaepe haereticos, qui nullibi, niſi in ipſius cerebro exſtiterunt, commemorat; quod exemplis luculentiſſimis demonſtrat PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Bezanitae*, ſiue *Bezaniani*, *p. 582.* it. *voc. Farellus p. 1221.* it. *voc. Ioan. Weſtphalus p. 3016.* ALPHONSVS A CASTRO, in *libris XIV. aduerſus omnes haereſes*, haereſes non tantum enumerat, ſed & refutat, locosque communes doctrinae ſacrae, ſecundum litterarum ordinem, ita exhibet, vt ſimul quoque haereſes illi repugnantes recenſeat, & theologi hoc ipſo, & hiſtorici, munere fungens. Editiones operis iſtius indicat NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. nou. tom. I. p. 12.* obſeruatque, illud etiam cum adpendice FRANC. FEVARDENTII, in tres libros diſtributa, quibus quadraginta haereſes ab ALPHONSO vel praetermiſſae, vel poſt eius obitum natae, refelluntur, duobus tomis, vna cum reliquis operibus prodiiſſe Pariſiis anno 1578. Subiungit iudicium ALPH. MATAMORI, de eo ita pronuntiantis; *Si, vt aliena, cum haereticis congreſſus, fortiter & literate nimis refutauit, ita ornate & copioſe confirmaret noſtra, ne quidem vererer cum veteris aetatis praecipuis auctoribus, multis quidem doctrinae partibus comparare.* Addit denique, ROBERT. BELLARMINVM cardinalem in eo quaedam reprehendere, cui tamen LVC. WADDINGVS, in *bibliotheca Franciſcana* ſatisfacere conatus ſit. Gallicam operis iſtius verſionem dedit HERMANTIVS, in qua & quaedam immutauit, dum haereſes non ſecundum materiarum, ſed perſonarum ordinem recenſet, ſimulque eas addidit, quarum ipſe auctor nullam mentionem fecerat. Prodiit Rothomagi an. 1712. 3. volum. in 12. vid. *iournal des ſçavans anno 1712. menſe Nouembr. p. 536. ſeqq.* Inter reliquos ſcriptores haereſiologicos, eccleſiae romanae addictos, qui vulgo commemorari ſolent, non prorſus praetermittendus eſt FLORIM. RAEMVNDVS, ob *hiſtoriam de ortu, progreſſu, & ruina haereſeon huius ſaeculi*; quamquam non omnium haereticorum, ſed eorum tantum, qui ab eccleſiae romanae communione diſceſſerunt, quosue ipſe promiſcue pro haereticis habet, hiſtoriam tradat. Conſtat hoc opus tribus voluminibus, quorum primum, quod RAEMVNDVM auctorem agnoſcit, gallice Pariſiis anno 1605 prodiit; reliqua duo autem a CLAVD. MALLINGRE addita, itidem Pariſiis an. 1624 lucem adſpexerunt, integrum autem opus non ſemel gallice & latine impreſſum eſt, obſeruante, qui hac de re omnino conſulendus eſt, PETRO BAELIO, *dictionar. hiſtor. & crit. voc. Remund. tom. III. p. 2569.* A LVDOV. RICHEOMO, ſocietatis Ieſu theologo, reuera profecta, tum alia, quae ſub ſuo nomine RAEMVNDVS edidit, tum & hoc ipſum de *ortu, progreſſu & ruina haereſeon* opus, nonnulli contendunt; quorum teſtimonia itidem, quem iam laudauimus, PETR. BAELIVS refert, qui & illud non abnuere videtur, *l. c.* Eoque forte ſpectat, quod de eo dicere ſolebant: *Raemundus iudicat ſine conſcientia, libros ſcribit ſine ſcientia, & aedificat ſine pecunia.* Ipſa autem RAEMVNDI huius *hiſtoria haereſeon* chaos aliquod fabularum, & abſurdiſſimorum mendaciorum eſt, atque ne ſpeciem quidem veri in plerisque locis habet, tantum abeſt, vt, auctori veritatem curae cordique fuiſſe, credendum ſit. Speciminis loco eſſe poſſunt, quae *lib. I. cap. V. p. m. 36.* de natiuitate Lutheri refert, vbi etiam in nomine eius, ſiue ebra-

ebraicis, ſiue graecis, ſiue latinis litteris exprimatur, numerum antichriſti, qui eſt 666 ſibi inueniſſe viſus eſt. Cumque multum aſtrologicae vanitati tribuat, thema genethliacum Lutheri ibidem refert; in quo cum Mars & Iupiter in tertia domo ſibi occurrant; apoſtaſiam Lutheri hoc ipſo ſignificatam, ridicule ſibi perſuadet. Ioannis Caluini quoque thema genethliacum exhibet *lib. VII. cap. VIII. p. 432.* Ex mendaciis itaque atque ineptiis cum hocce opus conflatum ſit; non dubitat tamen auctor miſerrimus, perſtringere IO. SLEIDANVM, hiſtoricum praeſtantiſſimum, atque impudenter ſcribere, in eius *commentario de ſtatu religionis ac imperii ſub Carolo V.* ab vno homine vndecim millia mendacia notata eſſe; *lib. I. cap. I. §. IV. p. 8.* Non melioris commatis eſt ANT. VARILLASIVS, cuius *hiſtoria haereſeos (hiſtoire de l' hereſie*, ſiue *hiſtoire des reuolutions arrivées dans l' Europe en matiere de religion)* ad exemplar Pariſienſe ſine loci mentione recuſa eſt anno 1686. *ſeqq.* ſex voluminibus in 8. Quo in opere licet aliquibus quaedam non diſpliceant, auctorique nec ingenium, nec eloquentia deſit; in eo tamen omnes conueniunt, eum haud raro pro hiſtoriis fabulas & mera nobis narrare commenta. Legenda, quae tum de ipſo VARILLASIO, tum de hacce eius *haereſeos hiſtoria*, differit DE VIGNEVL-MARVILLE, *dans les melanges d' hiſtoire & de litterature, tom. II. p. 394. ſeqq.* itemque PETR. DAN. HVETIVS, in *Huetianis, art. XVIII. p. 49.* vbi licentiam, qua non tam in ſcribenda, quam fingenda hiſtoria vſus eſt, improbat, diligentiam & ſtilum, etiamſi non omnis vitii expertem, laudat. Quemadmodum vero & RAEMVNDVS, & VARILLASIVS, eo ſolum temporis interuallo, quod ab eccleſiae emendatione initium ſumſit, labores ſuos circumſcribunt; VARILLASIO tamen a Wicleſo hiſtoriam ſuam exordiente; ita maius quid molitus eſt DOMINICVS BERNINVS, in *hiſtoria omnium haereſium*, italice ſcripta, & in quatuor tomos diuiſa, cuius primus Romae anno 1705 in fol. lucem adſpexit; quem an reliqui exceperint, mihi non conſtat. Omnium namque haereſium, a ſancto Petro apoſtolo vsque ad Innocentium XII pontificem ortarum, condere hiſtoriam, illi conſtitum fuit, adeo, vt acta pontificum cum haereticorum actis coniungeret, & quae ſub ſingulis pontificibus de haereticis obſeruatu digna occurrunt, exponeret. Tomus primus huius operis recenſetur in *actis eruditor. Lipſ. anno 1708. p. 495. ſeqq.* Nec aliena ab hoc loco eſt *collectio iudiciorum de nouis erroribus, qui ab initio duodecimi ſaeculi poſt incarnationem verbi vsque ad annum 1713 in eccleſia proſcripti ſunt & notati: cenſoria etiam iudicia inſignium academiarum inter alias Pariſienſis & Duacenſis &c. cum notis, obſeruationibus & variis monumentis ad theologicas res pertinentibus*, auctore DV PLESSIS D' ARGENTRE doctore Sorbonnico. Primus operis huius *tomus*, qui cenſuras continet, ab anno 1100 vsque ad an. 1542. Pariſiis lucem adſpexit an. 1724. fol. cui alter adhuc adiungetur. Licet vero auctor a ſaeculo demum duodecimo opus hocce inchoet; in praefatione tamen veteres ac recentiores quoſdam, qui de praecedentium ſaeculorum haereticis expoſuerunt, indicat; ipſemet autem non tantum, quae cum haereticis geſta ſunt, ſed & reliquas inter romanae eccleſiae theologos exortas controuerſias, enarrat; conf. *iournal des ſçavans an. 1725. menſ. Maio, p. 556. ſeqq.*

Ex reformatae eccleſiae doctoribus, qui ad ſcriptores haereſiologicos referri ſolent, vix quiſquam occurrit, qui aut huius loci ſit, aut eximii quid praeſtiterit. Ad noſtrates quod attinet, CONR. SCHLVSSELBVRGII *catalogus haereticorum* illuſtrandis controuerſiis eccleſiae noſtrae domeſticis praecipue inſeruit; nec hiſtorici ſolum, ſed & theologi & diſputatores partes in ſe ſuſcepit; diceturque adeo de eo alibi.

Digitized by Google

alibi. LEONH. HVTTERI *duae tabulae haereſiologicae*, HENR. ECKARDI *architecti turris babylonicae, hoc eſt, archiſynagogi ſcholae haereticorum &c.* DAN. CRAMERI *arbor haereticae conſanguinitatis &c.* ſimiliaque ſcripta, a CASP. SAGITTARIO, *introd. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XXXII. p. 814. ſeqq.* iam enumerata, laudanda quidem ſunt, ſed argumentum hoc non exhauriunt. Beati FRID. BECHMANNI noſtri *haereſiographia*, Ienae an. 1700. 4. edita, illis, qui primum ad hoc ſtudiorum genus animum adiungunt, quodammodo vſui eſſe poteſt. THOM. ITTIGII *diſſertatio de haereſiarchis aeui apoſtolici, & apoſtolico proximi, ſeu primi & ſecundi a Chriſto nato ſaeculi*, Lipſiae an. 1690. 4. cum *adpendice* iſtius diſſertationis, anno 1696 ibidem euulgata, oſtendit, conſummati quid ab eo viro exſpectari potuiſſe, ſi eadem ratione & reliquorum ſaeculorum haereſes ei pertractare aut libuiſſet, aut licuiſſet. EHREG. DAN. COLBERGII *ſpecimen hiſtoricum de origine & progreſſu haereſium & errorum in eccleſia*, anno 1694. 4. editum, vel hoc nomine nobis commemorandum eſt, quod haereſeon, in prioribus ſaeculis enatarum, originem ex philoſophia Platonica deriuare, hinc & eorum cum hodiernis fanaticis conſenſum demonſtrare, adnititur. Eadem namque etiam ratione in libro, *Hermetiſch-Platoniſches Chriſtenthum &c.* inſcripto, omnis fanaticiſmi fontem in philoſophia Platonica ſe inueniſſe putat. Sed caute hic incedendum, alibi iam monui, ne, dum vbique errores Platonicos quaerimus, aut Platoni, aut haereticis fanaticiſque, aliquid adfingamus, quod illis forte in mentem non venit. Nec praetermittendus hic eſt CASP. CALVOERIVS, cuius *fiſſurae Sionis, hoc eſt, de ſchiſmatibus ac controuerſiis praecipuis, quae eccleſiam domini ab adſcenſu eius ad decurſum vſque ſaeculi decimi ſeptimi agitarunt, tractatus theologico-hiſtoricus*, Lipſiae an. 1700. 4. lucem adſpexit publicam. Promiſit auctor in ipſa inſcriptione inter alia, ſe *ſyſtema ſiue theologiae, ſiue pſeudotheologiae ſecundum cuiusque partis placita ordine formaturum, operamque cumprimis daturum, vt ex centro veluti ac radice, monſtrato aut πρώτῳ ψεύδει, aut axiomate principe praecipua cardinalium, ceu vocant, ſiue religionum, ſiue haereſium capita ac poriſmata deducantur, quo diſcrimen fundamentalium a minus fundamentalibus, ipſiusque ſtructurae ac ædificii praecipui a fulcris, quibus moles ſuſtinetur, adeoque verum religionum eſſe ac intereſſe, eoque collimans δουλεία τῆς ὑποθέσεως ob oculos ponatur, ſubnexo breui antidoto ac* ἐπικρίσει. Plurimum vtique refert, verum ac genuinum cuiusque ſectae ſyſtema perſpectum habere; quod tamen non vbique aeque facile, in antiquioribus praeſertim haereſibus, inuenitur. In *mantiſſa*, ſiue *libro decimo octauo*, auctor de pontificiis, euangelicis, reformatis, Graecis ac anatolicis, Coptitis, Habaſſinis, ac Mohammedanis agit, ac conſenſum & diſſenſum trium Europae religionum cardinalium velut in tabula quadam demonſtrat. Agmen denique claudat PAVL. STOCKMANNVS, atque IO. HENR. FEVSTKINGIVS, quorum ille *elucidarium, ſeu lexicon haereſium, ſchiſmatum, aliarumque opinionum, & dogmatum, cum fide orthodoxa pugnantium, quae poſt natum Chriſtum potiſſimum ad haec noſtra vſque tempora, vel exorta ſunt & viguerunt, vel adhuc eccleſiam turbant, ordine alphabetico concinnatum*, edidit, excuſum tertium Lipſiae an. 1719. in quo ſi vir doctus maiorem rerum ſelectum adhibuiſſet, plurium haud dubie ſatisfeciſſet votis; hic autem mulieres haeretico-fanaticas in ſcenam prodire iuſſit, in *gynecaeo haeretico-fanatico, oder Hiſtorie vnd Beſchreibung der falſchen Prophetinnen, Quackerinnen, Schwaermerinnen vnd andern ſectiriſchen vnd begeiſterten Weibes-Perſonen &c.* Francofurti & Lipſiae an. 1704. 8. Singulare, ſed laudan-

dandum IO. VOGTI inſtitutum, qui *bibliothecam hiſtoriae haereſiologicae*, ſiue *ſelectiores, & rariſſime obuias doctiſſimorum virorum diſſertationes, haereticorum, haereſiumque hiſtoriam exponentes*, colligere & recenſere, easque *notis & ſupplementis illuſtratas* edere coepit, cuius hactenus *tomi I. faſciculus I. & II.* lucem adſpexerunt Hamburgi 1723. 8.

GOTTFR. ARNOLDI nullam hactenus ideo fecimus mentionem, quoniam de eo ex inſtituto hic dicere, animus eſt. Quantum enim *hiſtoria* eius *haereſiologica* in eccleſia noſtra dederit ſtrepitum, neminem fugit. Inſcribitur ea: *vnpartheyſche Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie, vom Anfang des neuen Teſtaments bis auff das Iahr Chriſti 1688.* primusque tomus, duabus conſtans partibus, Francofurti ad Moenum anno 1699. fol. alter, ſiue: *Fortſetzung vnd Erlaeuterung der vnpartheyſchen Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie, beſtehend in Beſchreibung der noch übrigen Streitigkeiten im ſiebzehenden Iahrhundert*, qui itidem duabus partibus abſoluitur, ibidem anno 1700 prodiit. Id enimuero cum agere videretur, vt haereticorum quorumuis in ſe ſuſciperet patrocinium, eosque, ſi non defenderet, certe excuſaret, & in mitiorem de illis pronuntiaret partem, catholicos autem, ſiue orthodoxos, acriter perſtringeret, malorumque omnium, quibuscum eccleſia conflictata eſt, in eos transferret culpam; varias virorum doctorum expertus eſt cenſuras. Primum praecipuumque inter eos, qui calamos contra illum ſtrinxerunt, locum tenet ERN. SAL. CYPRIANVS, vir doctiſſimus, in *dem allgemeinen Anmerckungen über Gottfried Arnolds Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie, worinnen beſcheidentlich vnd gründlich erwieſen wird, daß Arnold vermoege ſeiner vorgefaßten Meynungen nothwendig partheyiſch ſchreiben, ſeine Klagen wieder die Kirche auf ſchwache Gründe bauen, vnd einiger Scribenten Meynung ſo gar verdrehen müſſen, daß auch nur in einem halben paragrapho der Sinn vnd die Worte Auguſtini denen Donatiſten zum Behuff, über ſechsmahl verfaelſchet worden;* Helmſtadii 1700. 4. In editione tertia, quae Francofurti & Lipſiae 1701 lucem adſpexit, acceſſit *eine Antwort auf alle dagegen edirte Schrifften; ein Vorbericht von Arnolds Religion;* item *fernere Anmerckungen von deſſen hiſtoriſchen Verfaelſchungen vnd Fehlern.* Idem porro vir clariſſimus edidit: *fernere Proben von Gottfried Arnolds Partheylichkeit, vornehmlich die Geſchichte derer Quaecker, Browniſten, Dr. Krellens, vnd Iac. Boehmens betreffende*, cum praefatione ad EL. VEIELIVM, theologum Vlmenſem, Francof. & Lipſiae an. 1702. 4. Praeter CYPRIANVM anonymus quidam, qui ſe vocat *einen Liebhaber der Wahrheit*, euulgauit *auffrichtige Vorſtellung vieler von Herrn Gottfried Arnold verübter fürſaetzlicher Verfaelſchungen, an alten vnd neuen Scribenten, vnd aergerlicher Vertheidigung der boshafftigen Ketzer vnd Atheiſten &c.* Vlmae 1702. 4. Iungendae huic vlterius anonymi *obſervationes*, ſiue *Erinnerungen, die in Herrn Arnolds Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie befindlichen ſpecial vnd hiſtoriſchen Fehler betreffend*, in IO. GEO. ECKARDI *monathlichen Auszugen anno 1700 menſe Iunio num. VIII. pag. 296. ſeqq.* Sequitur TOB. PFANNERVS, in *dem vnpartheyſchen Bedencken über Herrn Gottfried Arnolds vnpartheyiſche Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie &c.* Gothae an. 1701. 4. item in *der fernerweit veranlaſſeten Erlaeuterung ſeines vnpartheyſchen Bedenckens über Arnolds Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie*, ibidem, eodemque anno; porro: IO. FRID. CORVINVS, in *der gründlichen Vnterſuchung der ſo genandten vnpartheyſchen Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie, vnd einiger andern Schrifften Gottfried Arnolds, in welcher klahr vnd deutlich gezeiget wird, daß er in derſelben nichts weniger als vnpartheyiſch ſich erwieſen &c.* Francofurti ad Moenum an. 1701.

1701. fol. Spectant huc etiam, qui ſpeciatim theologos quosdam a cenſuris ARNOLDI vindicarunt, vt ANDR. DAVID CAROLI, in *der Würtenbergiſchen Vnſchuld, durch chriſtliche Prüfung deſſen, was Herr Gottfried Arnold von des loeblichen Hertzogthums Würtenberg Regenten, Regierung vnd Lehrern, bevorab von dem ſel. D. Iacobo Andreae, aufgezeichnet &c.* Vlmae 1708. 4. DAVID SCVLTETVS, in *innocentia theologorum Hamburgenſium, contra Arnoldum adſerta*, Hamburgi 1706. 4. POLYC. LYSERVS, in *officio pietatis, ſeu ſcripto apologetico, quo proauum ſuum D. Polycarpum Lyſerum aduerſus Arnoldi hiſtorias vindicat*, Lipſiae 1704. 8. & ſi qui alii ſunt, qui ſimilia ſcripſerunt. Quae de chriſtianiſmo cimbrico & ſeptentrionali ſcripſerat ARNOLDVS, ſub examen reuocauit FRID. ARNKIEL, in *der Rettung des erſten nordiſchen Chriſtenthums, wider Herrn Gottfried Arnolds vielfaeltige Verſtell- vnd Verdrehungen*, Tychopoli & Lipſiae an. 1712. 4. Nec praetermittendum ſchediaſma, inſcriptum: *augenſcheinliche Erweiſung, daß der vermeſſene Ketzer-Patron Gottfried Arnold das Valentinianiſche Ketzer fragmentum Theodoti, weder verſtaendlich noch treulich überſetzet, vnd damit ſeine ſchlechte Wiſſenſchafft in der Griechiſchen Sprache ſelbſt verrathen habe, vorgeſtellet von H. G. W. E. M. vnd heraus gegeben von D. Elia Veielio, ſamt vorangeſetzter dienſtfreundlicher Bitte, an alle auffrichtige vnd orthodoxe theologos, ihr vernünfftiges Gutachten von denen Arnoldiſchen vnd andern dergleichen Beginnen, offenhertzig zu eroeffnen*, Vlmae 1701. 4. Atque eiusdem etiam EL. VEIELII, cuius cura haec commentatio lucem vidit, praeter alia quaedam, huc ſpectat *diſſertatio hiſtorico-theologica, de cura veterum circa haereſes*, Vlmae 1704. 4. Plurimi denique certa quaedam hiſtoriae haereſiologicae Arnoldinae capita peculiaribus diſſertationibus ſibi refutanda ſumſerunt, vt IO. FECHTIVS, IO. FRID. MAYERVS, IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, PHIL. LVDOV. HANNEKENIVS, aut ſi mauis FRIDER. CHRIST. FEVSTKINGIVS, qui reſpondentis munere functus eſt, GOTTL. WERNSDORFIVS, VAL. ERNEST. LOESCHERVS, MART. CHLADENIVS, SAM. SCHELGVIGIVS, aliique, quibus recenſendis vt immoremur, neceſſe non eſt. Quae nonnullis ex hiſce ARNOLDVS iterum oppoſuit, haec fere ſunt. *I) Erklaehrung ſeines Sinnes vom gemeinen Secten-Weſen, Kirchen- vnd Abendmahl-gehen*, cui annectitur, *eines Freundes Erinnerung gegen Cypriani Anmerckungen, &c.* Francofurti 1700. 4. *II) Erlaeuterung ſeines Sinnes vnd Verhaltens bey dem Kirchen- vnd Abendmahl-gehen, wider das Quedlimburgiſche miniſterium vnd Tobiam Pfannern gerichtet*, Francofurti 1701. 4. *III) endliche Vorſtellungen ſeiner Lehre vnd Bekaentnüs auf Herrn D. Veiels, ſeines cenſoris, vnd M. Coruini Anklagen, mit dem Entſchluß, niemanden mehr zu antworten, vnd die Kirchen-Hiſtorie ſelbſt zu emendiren*, Francofurti 1701. 4. *IV) Supplementa, illuſtrationes vnd emendationes zur Verbeſſerung der Kirchen-Hiſtorie heraus gegeben*, Francofurti 1703. 4. quibus ſubiunguntur *auffrichtige Anmerckungen über die bisher erregte Streitigkeiten, wegen der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie*; item *Herrn Volckmeyers Betrachtung der Anmerckungen über Herrn Arnolds Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie, von Zacharias Goetzen, Rector der Osnabrückiſchen Schule heraus gegeben &c. V) hiſtoriſch theologiſche Betrachtungen merckwürdiger Wahrheiten &c.* Francofurti 1709. 4. Sed de hiſce omnibus plura dabunt THOM. ITTIGIVS, in *praefatione, ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi primi* praemiſſa, *§. LXVIII. p. 76. ſeqq.* ADOLPH CLARMVNDVS, in *der Einleitung zur Wiſſenſchaft der vornehmſten vnd berühmteſten Scribenten, ſo*

die Kirchen-Hiſtorie des neuen Teſtaments mit Vorſatz beſchrieben &c. quaeſt. CXXVIII. p. 163. ſeqq. cumprimis autem IO. CHRISTOPH. COLERVS, in *hiſtoria Gothofredi Arnoldi*, *ſect. V. p. 131. ſeqq.* qui & *ſect. VI. pag. 175. ſeqq. variorum de Arnoldo eiusque haereſiologia iudicia* refert.

* Commemorandi hic eſſent, qui hiſtoriam conciliorum ſcripſerunt, aut illorum acta vel canones collegerunt; niſi hocce labore iam capite praecedenti functi eſſemus. Ad iurisprudentiam enim non minus, quam ad hiſtoriam eccleſiaſticam, conciliorum notitia ſpectat.

** Haud exigui momenti haec quoque hiſtoriae eccleſiaſticae pars eſt, minimeque adeo negligenda: quam tamen itidem iurisprudentia eccleſiaſtica quodammodo ſibi vindicat. Quae ergo de ea hic moneri poterant, iam capite praecedenti occupauimus; vbi & ſcriptores, qui de origine, progreſſu & fatis *hierarchiae*, quam vocant, *eccleſiaſticae*, agunt, indicauimus; ſpeciatim & praecipuos ex iis, qui pontificum romanorum vitas deſcripſerunt, aut hiſtoriam papatus concinnarunt, enarrauimus. Cum vero *ordinum religioſorum*, quorum magnus in eccleſia romana eſt numerus, nullam ibi mentionem fecerimus; non abs re fuerit, hic de illis pauca quaedam addere. Primum rei monaſticae initium atque progreſſum exponunt RVD. HOSPINIANVS, *de origine & progreſſu monachatus*, Geneuae 1669. fol. ANTON. DADINVS ALTESERRA, in *originibus rei monaſticae* Pariſiis an. 1674. 4. AVB. MIRAEVS, in *originibus monaſticis* Pariſiis 1674. 4. aliique laudati SEVER. WALTHERO SLVTERO, in *propylaeo hiſtoriae chriſtianae ſect. II. p. 130.* Addendus hiſce CLAVD. DELLE, in *hiſtoria aut antiquitatibus ſtatus monaſtici*, gallice ſcripta, editaque Pariſiis 1699. 12. cuius ipſemet recenſionem dedi in *actis eruditor. Lipſ. an. 1700. p. 64. ſeqq.* Atque is quidem tum apud Ebraeos, tum apud gentiles, varios typos & adumbrationes ſtatus monaſtici ſibi inueniſſe viſus eſt. Apud Ebraeos ſe illi offerunt Nazaraei, Rechabitae, prophetae, Eſſaei & Phariſaei, in quorum inſtitutis ſe aliquid deprehendere, putat, quod cum inſtitutis & diſciplina monachorum conueniat. Apud gentiles autem Pythagoram, eiusque ſectatores, Iſidis ſacerdotes, Socratem, Platonem, Antiſthenem, Menedemum, Epimenidem, Zenonem, Ariſtippum, Empedoclem, Hippiam, horumque diſcipulos & ſucceſſores, magos quoque & Druidas, & ſi qui praeterea ſapientiae & virtutis laude floruerunt, aut idolorum cultui peculiari ratione fuerunt conſecrati, feminas quoque ſacras, virginesque Veſtales, monachorum & monialium praecurſores fuiſſe, contendit. Quam forte non adeo multi illis inuidebunt gloriam. Nec inſolens quibusdam, monachos inter gentiles quaerere; ſiquidem non deſunt, qui, Pythagoram monachum, & quidem Carmelitam fuiſſe, contendunt, obſeruante IO. FRID. MAYERO, in diſſertatione *Pythagoras, vtrum fuerit Iudaeus, monachusque Carmelita?* Hamburgi 1700. 4. Sed hoc ἐς ἐν παρόδῳ. Antiquitatibus monaſticis illuſtrandis inſeruiunt regulae, quas patres, virique ſancti, aut ordinum religioſorum conditores, monachis aut ſanctimonialibus praeſcripſerunt; cuiusmodi *regularum codicem* collegit LVC. HOLSTENIVS, editque Romae an. 1661. 4. *Regulam ſancti Benedicti* ſpeciatim *commentario hiſtorico* illuſtrauit EDM. MARTENE, euulgato Pariſiis 1690. 4. cuius & de *antiquis monachorum ritibus* opus exſtat, Lugduni eodem anno editum. Ipſorum vero ordinum religioſorum notitiam dederunt PHIL. BONANI, in *catalogo ordinum religioſorum*, italice & latine Romae 1706. 4. & germanice Norimbergae 1711. 8. HERMANTIVS, in *hiſtoria ordinum religioſorum & congregationum regularium & ſaecularium eccle-*

Digitized by Google

eccleſiae, gallice, Pariſiis an. 1710. quatuor voluminibus in 12. aliique laudati IO. ALB. FABRICIO, in *bibliographia antiquaria*, *cap. XIII.* §. *XXV. p. 464.* vbi & eos, qui de canonicis, eorumque origine ſcripſerunt, indicat. Ex noſtratibus IOACH. HILDEBRANDVS *de religioſis, eorumque variis ordinibus tractatum* compoſuit, editum Helmſtadii an. 1701. 4. in quo ſummatim praecipuos ordines religioſos recenſet, & alia quaedam de iis obſeruatu digna attingit. Sunt porro, qui ſpeciatim huius aut illius ordinis hiſtoriam condiderunt; iique eo minus praetermittendi, quo maiorem ſubinde nonnulli rebus obſcuris in hiſtoria eccleſiaſtica adfundunt lucem; vt LVC. WADDINGVS, in *annalibus minorum*, IO. MABILLONIVS in *actis ſanctorum ordinis ſancti Benedicti*; itemque in *annalibus* eiusdem *ordinis*; aliique; quorum praecipuos commemorat SEVER. WALTH. SLVTERVS, in *propylaeo hiſtoriae chriſtianae ſect. II. pag. 131. ſeqq.* Nec alieni ab hoc loco, qui ordinis cuiusdam viros doctos & eruditionis laude florentes enumerant, quorum haud paucos ſupra, cum de hiſtoria litteraria verba faceremus, *libri prior. cap. IV.* ad *§. XIX.* nominauimus. Idem de illis cenſendum, qui certi cuiusdam monaſterii viros, ſi non ob eruditionem, certe ob vitae ſanctitatem, aut alias cauſſas memorabiles, poſteris commendare voluerunt, cuiusmodi quid IODOC. MEZLERVS coenobita San-Gallenſis fecit, in *libris duobus de viris illuſtribus monaſterii ſancti Galli*, itemque IOAN. EGO in *tractatu de viris illuſtribus monaſterii Augiae maioris ſeu diuitis.* Vtrumque opuſculum *theſauro* ſuo *anecdotorum nouiſſimo*, & quidem *tomi primi parti tertiae p. 555. ſeqq.* inſeruit BERN. PEZIVS. Illos, qui ipſorum monaſteriorum hiſtoriam condiderunt, aut chronica monaſtica conſcripſerunt, quorum nonnulli multa, hiſtoriae eccleſiaſticae pariter ac ciuili inſeruientia, admiſcent, recenſent CASP. SAGITTARIVS, in *introd. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XXII. p. 546. ſeqq.* & IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *ſupplementis* ad *h. l.* Cum autem pauciſſimis aut liceat, aut libeat, tot ſcriptores ſpeciales euoluere, nec omnibus hoc ſuadendum ſit; generalis tamen, ſaltem monaſteriorum Germaniae, notitia ipſi quoque patriae noſtrae hiſtoriae eccleſiaſticae lucem accendere queat; conſulere prae reliquis iuuabit GASP. BRVSCHII *chronologiam monaſteriorum Germaniae praecipuorum ac maxime illuſtrium, in qua origines, annales, ac celebriora cuiusque monumenta bona fide recenſentur;* Ingolſtadii primum an. 1651 editam, recuſam autem Sulzbaci 1682. 4.

*** *Antiquitatum eccleſiaſticarum* qui aut contemnunt, aut in minimis ponunt, ſtudium; eius ſe & vtilitatem & neceſſitatem ignorare, produnt. Vtramque contra agnoſcunt, ſummamque eſſe, vno ore fatentur, qui non hoſpitem plane ex hocce litterarum genere retulerunt animum; ne quid de iucunditate dicam, quam omnium rerum antiquarum inueſtigatio adferre ſolet. Nolo ea recitare, quae ad commendandam antiquitatum eccleſiaſticarum tractationem dici poterant; cum hoc iam ab aliis factum ſit, praeſertim a FRID. SPANHEMIO, peritiſſimo harum rerum arbitro, in *oratione de ſacrarum antiquitatum praeſtantia*, quae *miſcellaneorum* eius *ſacrae antiquitatis libro decimo* exſtat, *tom. II. oper. p. 1395. ſeqq.* Vnicum illud monere liceat, ſine antiquitatum iſtarum notitia nec veteres auctores recte intelligi poſſe, nec grauiſſimas de religione, doctrinaque chriſtiana controuerſias decidi; vtpote in quibus haud raro vtrimque ad veteris eccleſiae mores, ritus, inſtituta, conſuetudinem, prouocari ſolet.

Vt vero paucis oſtendamus, quam quis hic ingredi viam debeat; initio ad fontes reſpiciendum eſt; quo nomine ipſi

ſcriptores veteres nobis veniunt, qui plerumque aliud agendo ſuae, qua vixerunt, aetatis, aut a qua non nimis remoti fuerunt, ritus, inſtituta aut mores attingunt. Sic trium primorum ſaeculorum antiquitates non aliunde rectius, quam ex patrum, qui eo tempore vixerunt, ſcriptis hauries; vtpote in quibus haud raro de rebus moribusque ſui temporis loquuntur. Cumprimis autem, qui chriſtianorum cauſſam contra ethnicos egerunt, IVSTINVS martyr, ATHENAGORAS, TATIANVS, THEOPHILVS Antiochenus, MINVTIVS FELIX, TERTVLLIANVS, aliique, vberrimam meſſem obſeruationum, antiquitatis ſtudio inſeruientium, ſuppeditant. IVSTINVS martyr, atque TERTVLLIANVS, in aliis quoque ſcriptis ſuis hoc faciunt; cumprimis TERTVLLIANVS, cui principem fere in hocce genere tribuere locum non dubito, tam ſaepe & frequenter de rebus, moribusque & inſtitutis eccleſiae chriſtianae loquitur. Nec ſilentio hic praetermittendae *conſtitutiones*, quae vocantur, *apoſtolicae*, quippe quae, iudice LABBEO, non modo vniuerſi fere apud Graecos iuris canonici fontem, ſed & *diſciplinae eccleſiaſticae* (adeoque & antiquitatum) *theſaurum in pleriſque locupletiſſimum*, continent; *tomo I. concilior. p. 192.* prout haec verba *cap. praeced.* ad §. *III.* iam recitauimus. Enimuero, etſi de aetate iſtarum *conſtitutionum* mirifice viri docti diſſentiant; id tamen poſitum extra controuerſiam videtur, ſaeculo quarto *conſtitutiones* quasdam *apoſtolicas* innotuiſſe, quae deinceps ab homine quodam Ariano corruptae fuerint & interpolatae. Nec dubitare licet, quin plurima trium priorum ſaeculorum inſtituta, in orientali maxime eccleſia recepta, in iis inueniantur. Saeculi quarti ritus ac antiquitates tum ex aliis iſtius aetatis monumentis, tum vel maxime ex EVSEBII epiſcopi vulgo Alexandrini, *oratione de die dominico*, a IO. GVIL. IANO primum edita, in linguam latinam conuerſa, & adnotationibus, potiſſimum ad ſacra publica veteris eccleſiae ſpectantibus, illuſtrata, excuſaque Lipſiae 1720. 4. condiſcere licet. Ea enim dum auctor iſte enarrat, quae die dominico a chriſtianis eo tempore peragi ſolebant; non poteſt non praecipua quaedam antiquitatis eccleſiaſticae capita attingere. Similia & in CYRILLI Hieroſolymitani *catecheſibus*, de quibus iam alibi dictum, aliisque eiusdem generis ſcriptis, occurrunt. Conſulere vero ſimul iuuabit doctorum virorum in ſcriptores illos veteres obſeruationes adnotationesque; quippe in quibus haud raro id agunt, vt eccleſiae ritus ac inſtituta luce inſigni perfundant. Huiusmodi ſunt beati CHRIST. KORTHOLTI, aliorumque, *adnotationes in Iuſtini martyris apologiam vtramque*, itemque in *Athenagoram* & *Tatianum*; IAC. PAMELII, aliorumque in *Tertullianum*; FRANC. FEVARDENTII & IO. ERN. GRABII in *Irenaeum*; IO. BAPTIST. COTELERII in *conſtitutiones apoſtolicas*; THOM. MILLES in *Cyrillum Hieroſolymitanum*; HENR. VALESII in *Euſebium*, aliosque hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores; DIONYSII PETAVII in *Epiphanium*; vt eos nunc praeteream, quos iam laudauit IO. ANDR. BOSIVS, in *introd. in notit. ſcriptor. eccleſiaſticorum cap. IV. §. XXXVII. p. 138. ſeqq.* editionis IO. GEO. WALCHII, vbi & in *adnotationibus* plura, quae huius loci ſunt, adducta. Nec alienus ab hoc inſtituto eſt NICOL. LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum*, quippe in quo non tantum veterum auctorum ſcripta adcurate recenſet, eorumdemque analyſin exhibet, ſed & quae in iis notatu digna occurrunt, ſelectis obſeruationibus fuſius perſequitur; ea quidem ratione, vt interdum & ea, quae ad antiquitatem eccleſiaſticam ſpectant, indicet. In actis canonibusque conciliorum vberrimam eiusmodi rerum, quae ad veteris eccleſiae notitiam nos ducunt,

tunt, efflorefcere ſegetem; vel me non monente, quilibet facile intelligit. Vnde &c, quid illi huc conferant, qui conciliorum acta aut canones adnotationibus ſuis illuſtrarunt, perſpicitur. Vnicum mihi ſolum liceat laudare GVIL. BEVEREGIVM, in cuius *adnotationibus* ad *ſynodicon*, *ſeu pandectas canonum apoſtolorum & conciliorum eccleſiae graecae*, quae in fine *tomi ſecundi* exſtant, ſi theſaurum quemdam antiquitatum eccleſiaſticarum ſelectarum inueniri, dixerim, non errauero. Mitto reliquos, qui adhuc commemorari poterant; & id potius moneo, non vnius omnes eiusdemque eſſe generis; ſiquidem nonnulli, praeiudicatis opinionibus excaecati, in antiquis ſcriptoribus ea ſibi inuenire videntur, quae in iis non exſtant; quamquam hoc generatim de omnibus, qui recentiori aetate ad antiquitates eccleſiaſticas inueſtigandas eruendasque animum adiunxerunt ſuum, intelligendum ſit. Romanenſium hoc comprobari exemplo poteſt, qui ritus ſuos miſſaticos, & quidquid vanarum ſuperſtitioſarumque caerimoniarum illorum eccleſia habet, in ipſa eccleſia apoſtolica ſe inuenire ſibi perſuadent; in qua tamen nec vola nec veſtigium illarum adparet. Praeclare FRID. SPANHEMIVS: *O! quantum (dixit ille) Graecia mendax; ſed o! quantum Roma mendax audet in hiſtoria! Quas non contexere fabulas multo vigilatae labore, ſed ſeruire tantum natae, Turriani, Baronii, Bzouii, Rainaldi, Allatii, Labbei, & ſimilium paginae? Vt donare illi antiquo habitu heri & nudius tertius nata! Vt iidem Chriſti apoſtolos, vt ſanctiſſimos martyres ornare mitris, tiaris, apicibus, lituis, cucullis, birrhis, togis flammatis, immo radiis & aſtris! Vt Petri imaginibus tantum non ſubſcribere; quod olim iconi Alexandri: Deo caelum, illi terra; vel quod Choſrois alteri: inter homines Deus! Vt quidquid eſt Romae dignitatum, quidquid miſſatici adparatus, quidquid gentilis ſuperſtitionis, vel terriculorum, quibus populi continentur, adſcribere gnathones priſcis aetatibus! Simulque fingere pro libidine ac refingere facta antiqua, ſupponere adulterinos foetus, obſcurare apertiſſimos ſenſus, diſpungere, expurgare, eludere, torquere, pudore omni poſito, quidquid eſt aduerſum hodiernis moribus, & Tarpeiae dominationi, & iis quidem artibus, quae vel exercitatiſſimis in hac palaeſtra ingeniis fixere crucem, & laboris ac moleſtiae plurimum creauerunt*; in *orat. de ſacr. antiquit. praeſtantia, miſcellaneor. ſacr. antiquit. lib. X. tom. II. operum p. 1399.* Quod de quatuor primorum ſaeculorum ſcriptoribus diximus, id de quinti etiam ſextiue, ſequentiumue ſaeculorum intelligendum, manifeſtum eſt; ex iis ſcilicet tamquam ex genuinis fontibus, iſtius aeui antiquitates hauriri. Ad fontes iſtos vero etiam vel maxime referendi ſunt libri eccleſiaſtici & liturgici, tum orientalis, tum occidentalis eccleſiae; de quibus cum in *adpendice* ad caput proxime praecedens abunde dictum ſit, non eſt, quod nunc quidquam addamus. In occidentali eccleſia & illi accedunt, qui de *officiis eccleſiaſticis* ſcripſerunt, vt ISIDORVS Hiſpalenſis, BEDA, ALB. ALCVINVS, AMAL. FORTVNATVS, WALAFR. STRABO, RVPERTVS abbas Tuitienſis, aliique, quos ibidem iam commemorauimus.

Fontibus ita cognitis atque perſpectis, pergendum eſt ad eos, qui recentiori aetate viam nobis, ad eccleſiaſticas antiquitates adcuratius inueſtigandas, monſtrare, aut labore omnino hocce ſubleuare voluerunt. Quod non vna ab omnibus factum eſt ratione. Quidam enim ſecundum temporis ſeriem ritus & inſtituta eccleſiae per ſingula ſaecula exhibuerunt; alii ipſarum rerum ſequuti ſunt nexum; nonnulli denique, vt faciliorem adhuc, breuioremque hancce viam redderent, lexica antiquitatum, aut quae illarum notitiae inſeruire poſſent, condendo, ſecundum litterarum

diſpoſitionem, quae de iis obſeruatu digna ſunt, exhibuerunt. Ad primam claſſem illi ſpectant, qui cum ipſa hiſtoriae eccleſiaſticae tractatione, rituum quoque ac antiquitatum deſignationem coniungunt; vt centuriatores Magdeburgenſes, & ex recentioribus cumprimis FRID. SPANHEMIVS, in *hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti*, ſupra nobis iam laudata; aliique. Atque horum vel ideo commendandum eſt inſtitutum, quod hac ratione, quaenam ſucceſſu temporis in ritibus ac caerimoniis facta ſit mutatio, eo rectius perſpiciatur; quod haud perfunctorie obſeruandum eſſe, res ipſa docet. Nec contemnendi ideo, qui in ſecunda claſſe ſibi ſedem ſuam vindicant, vt IO. BAPT. CASALIVS, in *opere tripartito de profanis & ſacris veteribus ritibus*, cuius pars prima Aegyptiorum, altera Romanorum ritus profanos, tertia autem ſacros chriſtianorum, exhibet; & cuius editio poſt Romanam omnium prima in Germania Francofurti & Hannouerae prodiit anno 1681. 4. IO. STEPH. DVRANTVS, in *tribus de ritibus eccleſiae catholicae libris*, quorum, vt inſcriptio docet, *editio nouiſſima, plurimis, quibus ſuperiores ſcatebant, mendis perpurgata*, lucem adſpexit Lugduni 1675. 4. BARTH. GAVANTVS in *theſauro ſacrorum rituum* Lugduni 1669. duobus voluminibus in 4. EDM. MARTENE in *opere de antiquis eccleſiae ritibus, collectis ex variis inſigniorum eccleſiarum libris pontificalibus, ſacramentariis, miſſalibus, breuiariis, ritualibus, ſeu manualibus, ordinariis ſeu conſuetudinariis, cum manuſcriptis, tum editis; ex diuerſis conciliorum decretis, epiſcoporum ſtatutis, aliisque probatis auctoribus permultis*; quod quidem in tres tomos diuiſum, quorum primus libri primi partem primam, alter libri primi partem ſecundam, tertius librum ſecundum & tertium complectitur, Rothomagi 1700 & 1702. 4. euulgatum eſt. Primo tomo praemiſſus eſt *ſyllabus librorum ſacramentorum, miſſalium, pontificalium, ritualium ſeu manualium, ordinariorum tam manuſcriptorum quam editorum, ex quibus iſta ſacrorum rituum collectio compacta eſt*. His iungendi, qui de vita moribusque veterum chriſtianorum commentati ſint; quod itidem ex romanae eccleſiae addictis fecit IOAN. FRONTO, in *epiſtola ad Franciſcum Harlaeum, de moribus & vita chriſtianorum in primis eccleſiae ſaeculis*; quam cum aliis eiusdem auctoris *epiſtolis & diſſertationibus eccleſiaſticis*, quae ſimiliter huius loci ſunt, recudi curauit IO. ALB. FABRICIVS Hamburgi 1720. 8. itemque CLAVD. FLEVRY, in libro, gallicana lingua ſcripto, *de moribus chriſtianorum*, Pariſiis & Hagae Comitum an. 1682. 12. qui & in linguam latinam translatus, *tomo primo theſauri antiquitatum eccleſiaſticarum* inſeretur. Ex reformatae eccleſiae doctoribus MVSSARDVS librum gallicano idiomate edidit, quo demonſtrauit, plurimos veteris eccleſiae ritus, quos hodie adhuc romanenſes retinent, a gentilium ritibus originem ducere. Conuerſus idem liber in linguam germanicam, inſcriptusque: *gründliche Vorſtellung der vor Zeiten aus dem Heydenthum in die Kirche eingeführten Gebraeuche und Ceremonien*, cum *adnotationibus* & *praefatione, de prima origine ceremoniarum eccleſiaſticarum*, excuſus eſt Lipſiae an. 1695. 8. Nec in eo errat auctor, quod, ritus quosdam gentilium in eccleſiam chriſtianam receptos, contendit; quippe quod nonnulli ex ipſis romanenſibus fatentur; quamquam & hoc certum ſit, quosdam ritus veterem eccleſiam a Iudaeis potius accepiſſe, quod a me oſtenſum in duabus, *de ritibus eccleſiae latinae iudaicis*, diſſertationibus, quae in *parergis hiſtorico-theologicis* exſtant. Recuſus eſt iſte liber cum alio, itidem ex lingua gallica in germanicam translato, inſcriptoque: *eigentliche Abbildung des nach und nach verfallenen Chriſtenthums*, Lipſiae 1703. 8. Poſt

MVS-

MVSSARDVM inter reformatae eccleſiae doctores maxime hic commendandus GVIL. CAVEVS, cuius quippe *chriſtianiſmus primitiuus*, anglice, belgice, germanice, non ſemel euulgatus, magnaque virorum doctorum adprobatione exceptus eſt. Eumdem etiam in linguam latinam iam translatum *tomo primo theſauri antiquitatum eccleſiaſticarum* inſerere animus eſt. Nec praetermittendus, ſed cum inſigni potius laude commemorandus eſt IOS. BINGHAMVS, ob *origines ſiue antiquitates eccleſiaſticas*, anglice ſcriptas, quas in linguam latinam transferre coepit IO. HENR. GRISCHOVIVS, cuius verſionis volumen primum Halae an. 1724. 4. prodiit, cum praefatione mea, in qua copioſius, quid de iſto opere quisque ſibi polliceri queat, expoſui, volumen autem ſecundum an. 1725. Ex noſtratibus IO. ANDR. QVENSTEDIVS *antiquitates biblicas & eccleſiaſticas* edidit, Wittebergae 1688. 4. in quibus veteris pariter ac noui teſtamenti antiquitates, ordine ſatis concinno, ſimulque perſpicue, exhibet. Praeclare admodum etiam prae reliquis eccleſiae noſtrae theologis de hocce ſtudiorum genere meritus eſt IOACH. HILDEBRANDVS. Atque ſummatim quidem praecipua antiquitatum eccleſiaſticarum capita complexus eſt, in libello, *ſacra publica veteris eccleſiae in compendium redacta* inſcripto, Helmſtadii 1699. 4. itemque in *enchiridio de priſcae & primitiuae eccleſiae ſacris publicis, templis, & diebus feſtis*, Helmſtadii 1702. 4. vt & in *diſſertatione de ritibus ſacris*, Helmſtadii 1655 & 1695. 4. Deinde & ſpeciatim peculiaribus commentationibus quaedam argumenta pertractauit, ex quibus integrum fere antiquitatum eccleſiaſticarum ſyſtema confici poſſet. Praecipuae ex iis ſunt: *rituale orantium, vel compendium veterum orandi rituum ex ſacris priſcae praeſertim eccleſiae antiquitatibus collectum; ſacrarum antiquitatum de precibus veterum chriſtianorum libellus, in quo veterum oratoria & ſtata orandi tempora percenſentur; primitiuae eccleſiae offertorium pro defunctis, hoc eſt, de veterum oblationibus, miſſis, precibus, eleemoſynis pro defunctis, ſententia orthodoxa pontificiorum ſuffragiis pro defunctis oppoſita; de veterum concionibus diſſertatio; de nuptiis veterum chriſtianorum libellus; rituale baptiſmi veteris; rituale euchariſtiae veteris eccleſiae; tractatus de hierarchia veteris eccleſiae; de religioſis, eorumque variis ordinibus tractatus; de diebus feſtis libellus; de epiſcopis, exercitationes duae;* quarum altera, *de iuribus epiſcopalibus, ſeu de poteſtate eccleſiaſtica* tractat; *veteris eccleſiae, martyrum inprimis & ſanctorum patrum ars bene moriendi, variis circa aegrotos ſacris antiquitatibus, ex morientium dictis factisque memorabilibus, cum tota veterum circa moribundos, praxi expoſita; &c.* Quemadmodum autem antea iam obſeruauimus, eos quoque, qui de vita moribusque veterum chriſtianorum exponunt, ſuam merito hic ſibi vindicare ſedem; ita commemorandus adhuc eſt GOTTFR. ARNOLDVS, ob opus illud, quod inſcribitur: *die erſte Liebe der Gemeinen Ieſu Chriſti, das iſt, wahre Abbildung der erſten Chriſten, nach ihrem lebendigen Glauben, und heiligen Leben &c.* & Francofurti lucem adſpexit an. 1696. fol. Occaſionem eidem dedit GVIL. CAVEI *chriſtianiſmus primitiuus*, antea nobis laudatus, cuius & in ipſa inſcriptione mentio iniicitur. Huncce nimirum librum ARNOLDVS velut commentario quodam ampliſſimo illuſtrat, vt tamen in quibusdam ab eo diſcedere ſibi non ducat religioni. Et dum CAVEVS, aliique Angli, ex hierarchicorum & epiſcopalium numero, hierarchiae ſuae cultusque externi, apud ſuos recepti, vbique veſtigia quaerunt; non poſſunt non in antiquitatum eccleſiaſticarum inueſtigatione a recto quandoque aberrare tramite. Nec ſine ratione ARNOLDVS monet, caute in hocce

Digitized by Google

hocce doctrinae genere verſandum, ne promiſcue omnia probemus, quae ab antiquis chriſtianis facta legimus, ſed ad verbi diuini omnia diiudicanda eſſe normam. Dum vero, rei chriſtianae corruptionem *libro octauo*, a temporibus Conſtantini magni deriuandam eſſe, contendit; id non ſine grano ſalis accipiendum eſſe, dudum viri docti obſeruarunt. Sed vt ad tertiam tandem progrediamur claſſem, eorum ſcilicet, qui lexica antiquitatum eccleſiaſticarum condiderunt; primum hic occurrunt MACRI fratres, DOMINICVS & CAROLVS, in *hierolexico*, quod Romae an. 1677. fol. prodiit. Qui *gloſſarium* & *latinitatis* & *graecitatis mediae* ſcripſit CAR. DV FRESNE dominus DV CANGE, licet ex inſtituto hoc non agat; multa tamen, quae in hacce hiſtoriae eccleſiaſticae parte vſui eſſe queunt, ſuppeditat. Id quod & de IO. CASP. SVICERI *theſauro eccleſiaſtico* eſt cenſendum. Ex noſtratibus IOS. ARNDIVS *lexicon antiquitatum eccleſiaſticarum* concinnauit, editum Gryphiswaldiae an. 1669. 4. quod & deinceps IOAN. ANDR. SCHMIDIVS fecit, euulgato *lexico eccleſiaſtico minori*, Helmſtadii 1712. 8. in cuius *praefatione* etiam *lexici eccleſiaſtici maioris* ſpem nobis fecit. Tribus iſtis hactenus commemoratis claſſibus quarta adhuc addi poterat, eorum videlicet, qui ſine certo ordine *miſcellanea*, *obſeruationes*, *aduerſaria*, ſimiliaque ſcripta, ediderunt, certaque in iis eccleſiaſticarum antiquitatum pertractarunt capita; vt GABR. ALBASPINAEVS in *libris duobus obſeruationum eccleſiaſticarum*; CONR. RITTERSHVSIVS in *ſacrarum lectionum libris octo*; IO. LVDOV. DE LA CERDA in *aduerſariis ſacris*; TOB. PFANNERVS, in *obſeruationibus eccleſiaſticis*, & qui alia eiusdem generis in lucem emiſerunt, quorum nonnullos etiam IO. ANDR. BOSIVS laudat, in *introd. in notitiam ſcript. eccleſiaſt. cap. IV. §. XXVIII. XXIX.* Nec procul hinc diſcedunt, qui iunctim diſſertationes dederunt, in quibus quaedam, quae huius loci ſunt, attingunt, vt HENR. DODWELLVS, in *diſſertationibus Cyprianicis*, itemque in *diſſertationibus in Irenaeum*; WILH. ERN. TENZELIVS, in *exercitationibus ſelectis*, aliique. Ne quid denique huic tractationi deſit, conſulere & eos iuuabit, qui recentiores aut hodiernos ritus eccleſiaſticos deſcribunt; cum & hosce cognitos perſpectosque habere, plurimum interdum referat. Et romanae quidem eccleſiae ritus ſuccincte & eleganter delineauit IO. CHRIST. WAGENSEILIVS, in *analectis de doctrina & ritibus romanae eccleſiae*; quae exſtant in eiusdem *pera librorum iuuenilium, loculamento quinto, p. 915. ſeqq.* De graecae eccleſiae recentioribus ritibus legendus, qui omnium inſtar eſt, IO. MICH. HEINECCIVS, in *der eigentlichen und wahrhafften Abbildung der alten und neuen griechiſchen Kirche &c.* qui & in *adpendice, ſect. VII. p. 54. ſeqq. bibliothecam* ſeu *deſignationem praecipuorum de ſtatu hodiernae eccleſiae graecae ſcriptorum* exhibet. De noſtrae vero eccleſiae ritibus luculenter commentatus eſt CASP. CALVOERIVS, in *rituali eccleſiaſtico*, Ienae 1705 excuſo. Ad ſpecialia deſcendere, & eos, qui ſingula eccleſiaſticae antiquitatis capita peculiaribus ſcriptis illuſtrarunt, enarrare, noſtri non fert inſtituti ratio; omnium autem votis hic ſatisfaciet IO. ALB. FABRICIVS, vir ſummus, in *bibliographia antiquaria*, opere praeclaro, in quo vberrimam eiusmodi ſcriptorum notitiam ſuppeditat.

§. VI. Nec abs re fuerit, praecipua hiſtoriae eccleſiaſticae noui teſtamenti interualla ſpeciatim conſiderare, fonteſque ac documenta, ex quibus lux iis adfundi queat, perſpecta habere. Primum autem ex hiſce in-

Digitized by Google

interuallum erit, quod a Chriſto nato vsque ad tempora Caroli magni imperatoris progreditur. *

* Si a ſcriptoribus canonicis, quatuor euangeliſtis, & actuum etiam apoſtolorum conditore Luca, ex quibus res geſtas Chriſti ſeruatoris condiſcere licet, diſceſſeris; primum inter fontes, ex quibus hiſtoria eccleſiaſtica trium priorum ſaeculorum haurienda, locum EVSEBIVS tenet. Reliqui enim, qui hic in cenſum venire poterant, aut ſuppoſititii ſunt, vt PROCHORVS, ABDIAS Babylonicus, LINVS, aliique; aut partem ſolum quamdam hiſtoriae eccleſiaſticae attingunt, vel aliud agendo aliquid commemorant, quod ei inſeruire queat, vt IGNATIVS, IVSTINVS martyr, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, ORIGENES, CYPRIANVS, aliique. HEGESIPPVS equidem, qui ſaeculo ſecundo vixit, ὑπομνήματα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πράξεων, ſeu *commentariorum actorum eccleſiaſticorum libros quinque*, compoſuit; ſed ex iis nihil aliud ſupereſt, quam fragmenta quaedam inſignia, quae praeſertim EVSEBIVS nobis conſeruauit, vt *hiſtoria martyrii Iacobi, fratris domini, libro II. hiſtor. eccleſ. cap. XXIII. de perſequutione propinquorum ſeruatoris noſtri, lib. III. cap. XX.* & alia quaedam. IVLIVS africanus, qui ſaeculo tertio floruit, *de chronographia libros quinque* concinnauit; in quibus ab orbe condito incepit, & ad Chriſti vsque aduentum chronologiam ſuam perduxit, hinc vero ad Macrini vsque tempora, vel, vt aliis placet, Heliogabali, proceſſit, ſed vt magis ſuccincte, quae in hocce temporis interuallo contigerant, commemoraret. At vero, nec hocce opus integrum ad nos perueniſſe, conſtat. Nec tamen, ſi dicendum, quod res eſt, quisquam illorum plenum aliquod hiſtoriae eccleſiaſticae corpus exhibere, in animum induxit; quod primus feciſſe videtur EVSEBIVS, Caeſarienſis in Palaeſtina epiſcopus, propter intimam cum PAMPHILO martyre amicitiam *Pamphili* dictus, qui adeo hanc non ſine ratione ſibi vindicat gloriam, dum ἐπεὶ καὶ πρῶτοι νῦν, inquit, τῆς ὑποθέσεως ἐπιβάντες, οἷά τινα ἐρήμην καὶ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειροῦμεν· *primi enim hoc argumentum adgreſſi, nouam quamdam, nulliſque adhuc veſtigiis tritam viam incedere nunc tentamus; lib. I. hiſtor. eccleſ. cap. I.* Addit, nonnullos rerum, quae ſua aetate contigerunt, exiguas quasdam & peculiares narrationes ſparſim reliquiſſe, *tamquam faces quasdam*, inquit, *nobis eminus attollentes, & quaſi e ſpecula inclamantes, qua via incedere, & quomodo ſermonis noſtri curſum tuto dirigere debeamus.* Vniuerſalem nimirum quamdam totius eccleſiae hiſtoriam condere, EVSEBIO conſtitutum fuit, vt ipſemet *lib. VIII. cap. II.* profitetur, quod & ea ratione perfecit, vt a natiuitate ſeruatoris auſpicatus, perque tyrannorum tempora adcurate progreſſus, rerum in eccleſia geſtarum ſeriem, apoſtolorum & aliorum illuſtrium in eccleſia doctorum ſucceſſiones, doctrinam euangelicam, martyria, perſequutiones, haereticorum peruerſa dogmata, ad ſuam vsque aetatem diligentia ſingulari pertexeret, & decem libris complecteretur. Quo tempore EVSEBIVS *hiſtoriam* hancce *eccleſiaſticam* ad finem perduxerit, num ante concilium Nicaenum, an poſt illud, acriter viri docti inter ſe contendunt. Poſterius HENRICO VALESIO placet, *diſſertatione de vita & ſcriptis Euſebii*, quam *hiſtoriae* eius *eccleſiaſticae* a ſe editae, praemiſit; itemque DAVIDI BLONDELLO, in *apologia pro ſententia Hieronymi de epiſcopis & presbyteris, ſect. II. cap. XIX.* vt & IOAN. DALLAEO, *de pſeud-epigraphis apoſtolicis, lib. I. cap. IV.* Sed priorem ſententiam, ante concilium Nicaenum hancce hiſtoriam ab EVSE-

EVSEBIO compoſitam finitamque eſſe, rationibus ſolidiſſimis confirmauit MART. HANCKIVS, *de Byzantinarum rerum ſcriptoribus graecis, part. I. cap. I. §. CCXXVII. ſeqq. p. 102. ſeqq.* qui & ibidem de EVSEBIO quam copioſiſſime agit, & *§. CCCXI. ſeqq. p. 127. ſeqq.* aliorum, de hiſtoria eius eccleſiaſtica iudicia recenſet. Licet autem a plerisque hiſtoria haecce eccleſiaſtica EVSEBII laudetur, & merito quidem; non defuerunt tamen, qui, prorſus eam ſibi non placere, teſtati ſunt. Id mirum alicui videri poſſet, cur GELASIVS papa omnino hancce hiſtoriam eccleſiaſticam *apocrypham* vocet; *can. ſancta romana diſt. 15.* niſi viris doctis obſeruatum eſſet, in hocce GELASII decreto non modo ſcripta ſuppoſititia, aut corrupta & interpolata, ſed vera etiam ac genuina non haereticorum ſolum, verum & eorum, quorum doctrina non prorſus eccleſiae probatur, *apocrypha* adpellitari. Sunt tamen, qui dubitant, an decretum hocce GELASIVM auctorem agnoſcat. Legenda, quae ea de re diſputant IO. PEARSONIVS, in *vindiciis epiſtolarum Ignatii, part. I. cap. IV.* in *monumentis patrum apoſtolicorum* IO. BAPTISTAE COTELERII, *tom. II. p. 277.* & MATTH. LARROQVANVS, in *obſeruationibus ad Pearſonianas vindicias p. 35. ſeqq.* Quidquid eius ſit, cauſſa praecipua, cur non omnibus hiſtoria haecce eccleſiaſtica probetur, eſt, quod EVSEBIVS Arianiſmi ſuſpectus ſit; a quo tamen crimine eum praeter alios liberare voluit GVIL. CAVE, in *diſſertatione, de Euſebii Caeſarienſis Arianiſmo*, quam IO. CLERICO oppoſuit, *parti ſecundae hiſtoriae* eius *litterariae ſcriptor. eccleſiaſticor.* ſubnexa, *p. 34. ſeqq.* Romanenſium quosdam, ſpeciatim CAES. BARONIVM, iniquiori in EVSEBIVM animo eſſe, notum eſt; eiusque rei hanc rationem reddit ABRAHAM. SCVLTETVS, quod *hiſtoricus* (Euſebius) *qui laudes & donationes Conſtantini eccleſiaſticas fuſe perſequutus, donationis romanae non modo mentionem facit nullam, ſed eam etiam fictam eſſe innuit, dum Conſtantinum non a papa romano Romae, ſed Nicomediae baptizatum eſſe, ſcribit:* in *medulla theologiae patrum, part. III. p. 2.* Nec diſplicet mihi eiusdem SCVLTETI, de EVSEBII hiſtoria eccleſiaſtica ita pronuntiantis, iudicium: *Qui eccleſiae hiſtoriam continent libri, luculenter demonſtrant, hiſtoriam veteris eccleſiae illam veram eſſe demum, quae ex germanis patrum orthodoxorum libris eſt petita. Quam enim diu Iuſtinum, Irenaeum, Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, aliosque probatae fidei patres in hiſtoria ſua ſequitur Euſebius, hiſtoricum agit fide dignum; ſed ſimul atque ad traditiones, & non ad ſcripta, ſed audita prouocat, fabuloſa multa miſcet; l. c. p. 6.* Quae verba etiam repetit, & calculo ſuo adprobat DEGOR. WHEAR, in *relectionibus hyemalib. de rat. & methodo legendi hiſtorias ſect. XXXIV. p. 135.* RVFFINVS, Aquileienſis presbyter, hiſtoriam eccleſiaſticam EVSEBII in linguam latinam conuertit, ſed vt non tantum nimia in transferendo vteretur libertate, ſed varia paſſim, immo integrum fere librum decimum, omitteret, alia adderet & interpolaret, & duos denique libros a ſe compoſitos ſubnecteret, in quibus hiſtoriam vsque ad mortem Theodoſii imperatoris, annumque Chriſti 400 produxit. Quo nomine non minus, quam quod incertis narrationibus locum reliquerit, ſubinde viris doctis vapulat. Adiungi *hiſtoriae eccleſiaſticae* EVSEBII ſolent eiusdem *de vita Conſtantini magni imperatoris libri quatuor*; in quibus tamen non tam hiſtoriam, quam panegyricum de laudibus Conſtantini contineri, & res ipſa docet, & iam pridem viri docti iudicarunt. Vnde & PHOTIVS opus hocce ἐγκωμιαστικὸν τετράβιβλον adpellitauit. Diuerſa tamen rurſus ab eo eſt *oratio de laudibus Con-*

Digitized by Google

Conſtantini, in tricennalibus habita, quae, aeque ac ipſius CONSTANTINI *oratio ad ſanctorum coetum*, itidem *hiſtoriae eccleſiaſticae* adnecti ſolet. Verſiones editionesque hiſtoriae eccleſiaſticae EVSEBII recenſent THOM. ITTIGIVS, in *praefatione, ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi ſecundi* praemiſſa, §. *III. ſeqq. p. 3. ſeqq.* & IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VI.* ſiue *lib. V. cap. IV. p. 59. ſeqq.* Cumprimis de hocce EVSEBII opere praeclare meritus eſt HENR. VALESIVS, quippe qui non tantum textum graecum emendatius edidit, ſed nouam quoque adcuratioremque verſionem confecit, notasque eruditiſſimas cum diſſertationibus quibusdam ſubiunxit, praemiſſa etiam PETRI DE MARCA ad ſe de *origine chriſtianiſmi in Gallia*, ſcripta epiſtola. Atque ita *hiſtoria eccleſiaſtica* EVSEBII, cum eiusdem *libris quatuor de vita Conſtantini*, itemque *Conſtantini oratione ad ſanctos*, & *Euſebii in Conſtantinum panegyrico*, primum prodiit Pariſiis anno 1659. fol. & iterum cum acceſſionibus quibusdam an. 1677, non ſemel deinceps, ſed non ſemper aeque emendate, recuſa. Nouiſſima editio, eaque nouis acceſſionibus obſeruationibusque, praeſertim chronologicis auctior, ea eſt, quae cura GVIL. READING lucem adſpexit Cantabrigiae, an. 1720. fol. in qua quid obſeruatu dignum ſit, exponit IO. CLERICVS; *biblioth. anc. & mod. tom. XVI. part. I. artic. II. p. 75. ſeqq.*

EVSEBIVM excipit SOCRATES, patria Conſtantinopolitanus, *ſcholaſticus*, quoniam in foro cauſſas egit. Saeculo is quinto ad finem vergente hiſtoriam eccleſiae ſeptem libris complexus eſt, incipiens ab anno Chriſti 306, quo Conſtantinus imperator renuntiatus eſt, hinc per Conſtantii, Iuliani, Iouiani, Valentiniani & Valentis, Gratianique tempora decurrens, tandemque in conſulatu decimo ſeptimo Theodoſii iunioris, ſeu anno Chriſti 439 deſinens. Nouatianis eum fauiſſe partibus, iamdudum IAC. BILLIVS obſeruauit; *obſeruation. ſacrar. lib. I. cap XXVI.* ex quo id paſſim viri docti repetunt. Nec tamen inde ſtatim colligendum, eum ex Nouatianorum quoque numero fuiſſe, vti praeeunte NICEPHORO, CAES. BARONIVS, atque PHIL. LABBEVS cenſent, quos ideo refellit HENR. VALESIVS, in *diſſert. de vita & ſcriptis Socratis & Sozomeni*, vtriusque *hiſtoriae eccleſiaſticae* a ſe editae, praemiſſa. A SABINO Macedoniano, cui multum tribuit, SOCRATEM quandoque deceptum, nonnulli exiſtimant. Licet autem, iudice PHOTIO, *cod. XXX.* ſtilo non admodum ſplendido vtatur; in eo tamen conſentiunt omnes, iudicii & diligentiae laudem illi non eſſe denegandam. Eodem, quo SOCRATES, ſaeculo etiam HERMIAS SOZOMENVS vixit, *hiſtoriamque* ſuam *eccleſiaſticam* condidit, quam a tertio conſulatu Criſpi & Conſtantini caeſarum, ſeu anno Chriſti 323, auſpicatus eſt, &, aeque ac SOCRATES, vsque ad decimum ſeptimum conſulatum Theodoſii iunioris, ſeu annum Chriſti 439, continuauit. Nouem eam complexus eſt libris, quorum duo priores Conſtantini magni tempora repetunt, tertius & quartus, quae ſub tribus Conſtantini magni filiis geſta ſunt, exponunt; quintus & ſextus Iuliani, Iouiani, Valentiniani, & Valentis imperium exhibent; ſeptimus Gratiani & Theodoſii primi; octauus Arcadii, & Honorii; nonus denique Theodoſii ſecundi, ſeu iunioris tempora deſcribunt. Dum GREGORIVS magnus pontifex, *lib. VI. ep. XXXI.* hiſtoriam SOZOMENI ab apoſtolica ſede non recipi, dicit, *quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopſueſtiae nimium laudat, atque vsque ad diem obitus ſui magnum doctorem eccleſiae fuiſſe perhibet*; eum pro SOZOM. THEODORETVM dicere voluiſſe, dubio caret, recteque viris doctis obſeruatum eſt. Sed

 id

Digitized by Google

id quoque aliis iam animaduerſum, SOZOMENVM haud raro SOCRATIS veſtigia premere, & a Nouatianis haud adeo alienum videri. De fide eius nonnulli dubitant; ſed alii candorem in illo laudant; ipſe certe magnum prae ſe fert veritatis ſtudium; ἐπεὶ δὲ μάλιστα, inquit, τῆς ἀληθείας ἐπιμελεῖσθαι χρεὼν διὰ τὸ τῆς ἱστορίας ἀκίβδηλον, ἀναγκαῖον ἔφάνη μοι ὡς οἷόν τε ἦν, πολυπραγμονῆσαι καὶ τὰς τοιαύτας γραφάς· *ſed quoniam veritatis praecipuam curam habere oportet, vt ſincera ſit hiſtoriae fides; neceſſarium exiſtimaui, vt haec quoque monumenta, quanta fieri poſſet diligentia, perueſtigarem.* Cumque expoſuiſſet, cur eccleſiaſticorum virorum, vel de primatu, vel de ſectae ſuae praerogatiua contendentium, ſeditiones, quas vocat, praetermittere non potuerit; iterum addit: *Nam primum quidem, ſicut antea dixi, hiſtoriae ſcriptor cuncta veritati debet poſtponere &c. lib. I. cap. I. p. 402.* Idem temporis interuallum, quo SOCRATIS & SOZOMENI hiſtoria circumſcribitur, decurrendum ſibi ſumſit THEODORETVS, vt additurus veluti videatur, quae ab illis ſunt praetermiſſa. Ab haereſi enim Ariana exorſus, vsque ad mortem Theodori Mopſueſteni progreditur, quinque libris hiſtoriam eccleſiaſticam iſtius temporis deſcribens. GENNADIVS equidem Maſſilienſis decem librorum mentionem facit, quos a fine hiſtoriae EVSEBII & vicennalibus Conſtantini magni, vsque ad imperium Leonis ſenioris, ſub quo & mortuus ſit, perduxerit; *de ſcriptor. eccleſiaſt. cap. LXXXIX.* Sed aut erraſſe eum, aut quinque libros poſteriores, forte ab alio quodam Theodoreto ſcriptos, huic perperam tribuiſſe, poſitum eſt extra controuerſiam. Stilum THEODORETI magis hiſtoriae conuenire, quam quo SOCRATES, SOZOMENVS & EVAGRIVS vſi ſint, PHOTIVS iudicat, *cod. XXXI.* Eorumdem temporum, quae SOCRATES, SOZOMENVS, atque THEODORETVS deſcripſerunt, hiſtoriam eccleſiaſticam etiam PHILOSTORGIVS condidit, cuius adeo hic itidem iniicienda mentio. Ab Ariana enim haereſi exorſus, vsque ad annum 425 proceſſit. In duo eam diuiſerat volumina, quorum ſingula libris ſex abſoluerentur, vt adeo in vniuerſum libri eſſent duodecim, quorum primae litterae inter ſe iunctae auctoris nomen exprimebant. Et ipſum quidem iſtud opus temporum iniuria periit; ampla tamen ex omnibus eius libris ſuperſunt excerpta, a PHOTIO confecta, eaque a *bibliotheca* eius diuerſa, quae ex bibliotheca Bongarſiana primum graece, cum verſione latina, adnotationibusque eruditiſſimis in lucem emiſit IAC. GOTHOFREDVS, Geneuae 1642. 4. HENR. VALESIVS, quem emendatius, & cum verſione meliori haec excerpta edidiſſe, deinceps dicemus, ſubinde GOTHOFREDVM reprehendit atque caſtigat, & interdum quidem ſatis acerbe; quem tamen rurſus excuſandum cenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VI.* ſiue *lib. V. cap. IV. §. XXIX. p. 116.* Addidit idem VALESIVS, praeter fragmenta ex aliis auctoribus, quaeue in eclogis Photianis non comparent, a GOTHOFREDO iam producta, noua quaedam ex SVIDA a ſe collecta. Arianum fuiſſe PHILOSTORGIVM, & quidem Eunomianorum partibus addictum, notum eſt, ipſeque ſatis prodit, dum illorum cauſſam vbique agit, nec vllam occaſionem, orthodoxos pariter ac ſemi-Arianos perſtringendi, praetermittit. Vnde & PHOTIVS de eo ita pronuntiat: ἱστορεῖ δὲ τ'ἀναντία σχεδὸν ἅπασι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἱστορικοῖς· ἐξαίρει τοὺς ἀρειανίζοντας ἅπαντας, λοιδορίαις πλύνει τοὺς ὀρθοδόξους· ὡς εἶναι τὴν ἱστορίαν αὐτοῦ, μὴ ἱστορίαν μᾶλλον, ἀλλ' ἐγκώμιον μὲν τῶν αἱρετικῶν, ψόγον δὲ γυμνὸν καὶ κατηγορίαν τῶν ὀρθοδόξων· *narrat vero contraria omnibus eccleſiaſticis hiſtoricis, laudibus extollens, quos nouit Arianiſmo infectos, & conuiciis orthodoxos perfundens; vt eſſe hoc eius opus non tam hiſtoria videatur, quam haereticorum*

rum

rum laudatio, cum nuda & mera vituperatione atque adcuſatione catholicorum; *cod. XL.* Eo magis autem lectu dignum eſſe hocce opus, nonnulli cenſent; cum inde cognoſci queat, quid Ariani pro ſua cauſſa defendenda dixerint; vt adeo, ſi haec cum iis comparentur, quae reliqui narrant, veritas eo magis eluceat. Certe quaedam, quae obſeruationem merentur, in eo occurrere, negari nequit. In ſexto, ad quod nunc progredimur, ſaeculo, ſeſe nobis offert EVAGRIVS *ſcholaſticus*, hoc eſt, cauſſarum in foro patronus, quales & SOCRATES pariter & SOZOMENVS fuerunt. Hiſtoriam ſuam, quam ſex libris complexus eſt, incipit, vbi SOCRATES & THEODORETVS deſierunt, a ſynodo nimirum Epheſina, auctoritate Theodoſii iunioris an. 431 coacta, in qua, damnatus eſt Neſtorius, atque progreditur vsque ad annum duodecimum Mauritii, imperatoris, hoc eſt Chriſti 593. Quod ſi HENR. SPONDANI, in *epitome annal. Baronii*, *ad an. 565.* iudicio nobis ſtandum eſt, *inſignis eorum temporum* eſt *hiſtoricus, & ex Graecis primus eorum, quae leguntur, orthodoxus*; ſed ſi ISAAC. CASAVBONVM audiamus, *a fabuloſis narrationibus non nimis alienus eſt; exercitat. XIII. ad Baronium, num. XXXI. p. 258.* Eodem denique ſaeculo ſexto THEODORVS floruit, ἀναγνώστης ſiue *lector* adpellatus, quoniam eo munere Conſtantinopoli functus dicitur. Namque & is *hiſtoriam eccleſiaſticam* duobus conſtantem libris compoſuit, a temporibus, quibus SOCRATES, SOZOMENVS, & THEODORETVS deſinunt, ſeu extremis Theodoſii iunioris, vsque ad principatum Iuſtini ſenioris. Sed hodie ex hocce opere nihil aliud ſupereſt, quam excerpta, ſeu collectanea quaedam, quae NICEPHOR. CALLISTVS amanuenſi ſuo dictauit. Ea HENR. VALESIVS cum fragmentis ex aliis auctoribus collectis, THEODORETO, EVAGRIO & PHILOSTORGIO ſubiuncta, edidit. Idem THEODORVS etiam *compendium hiſtoriae eccleſiaſticae tripartitae ex libris Socratis, Sozomeni ac Theodoreti*, a vigeſimo anno Conſtantini magni, vsque ad obitum Conſtantii, continuauit: quod licet hucusque editum non ſit; manuſcriptum tamen in bibliothecis quibusdam exſtat. De editionibus omnium iſtorum, de quibus hactenus verba fecimus, auctorum, legendus THOM. ITTIGIVS, in *praefatione*, *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſ. ſaeculi ſecundi* praemiſſa, *§. V. ſeqq. p. 6. ſeqq.* cumprimis autem IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VI.* ſiue *lib. V. cap. IV. §. XXIX. ſeqq. p. 114. ſeqq.* Palmam reliquis ea hic praeripit, quam HENR. VALESIVS dedit, qui in omnibus hiſce ſcriptoribus, aeque ac in ipſo EVSEBIO, emendate & adcurate in lucem emittendis, notisque ſelectiſſimis illuſtrandis, ſummam diligentiam poſuit. Quae &, vti alias, ita & omnium nouiſſime Cantabrigiae an. 1720, opera & ſtudio GVIL. READING, repetita eſt, quippe qui itidem EVSEBIO reliquos hosce hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores adiunxit, tribus tomis in fol.

A graecis huius interualli hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus ad latinos vt transeamus; primum quidem RVFFINVS, Aquileienſis presbyter, ſe offert, qui non tantum EVSEBII *hiſtoriam eccleſiaſticam* in linguam latinam transtulit, ſed & duobus libris a ſe concinnatis auxit. At de hocce eius quid ſentiendum ſit inſtituto, iam antea, cum de EVSEBIO verba faceremus, expoſuimus. Eodem, quo RVFFINVS, ſaeculo quinto, SVLPITIVS quoque SEVERVS vixit, *libroſque duos hiſtoriae ſacrae* terſo & eleganti ſtilo compoſuit, in quibus cum ad exitum vsque ſaeculi quarti progrediatur, locum hic ſibi vindicat. Cum vero hiſtoria veteris teſtamenti maximam operis huius partem abſoluat; ſupra iam ad §. *III.* de eo ex inſti-

tuto diximus. Prouehimur itaque ad EPIPHANIVM *ſcholaſticum*, qui ſaeculo ſexto SOCRATIS, SOZOMENI & THEODORETI hiſtorias eccleſiaſticas, hortante CASSIODORO, latine vertit, & ex iis vnicum hiſtoriae corpus contexens, in XII libros diſtribuit, quibus, in compendium poſtea a ſe redactis, CASSIODORVS *hiſtoriae tripartitae* nomen indidit. Luci eam, cum *hiſtoria eccleſiaſtica* RVFFINI, antea memorata, expoſuit BEAT. RHENANVS, Baſileae an. 1523, ſaepiusque deinde recuſa fuit; IO. GARETIVS vero, monachus Benedictinus, eamdem cum codicibus manuſcriptis diligenter collatam, operibus Caſſiodori, Rothomagi an. 1679. fol. a ſe editis, inſeruit. Tandem & GREGORIVS, Turonenſis epiſcopus, qui itidem ſaeculo ſexto floruit, hic commemorari poterat, ob *decem*, quos reliquit, *hiſtoriarum libros*. Etſi enim res eccleſiaſticas Francorum inprimis ediſſerit; priusquam tamen ad horum imperium accedit, hiſtoriam ab orbe condito breuiter repetit. In codice etiam quodam manuſcripto hosce libros *hiſtoriae eccleſiaſticae* nomine venire, obſeruat THOM. ITTIGIVS, qui & varias operis huius editiones, in *praefatione, ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi ſecundi* praemiſſa, §. *XV. p. 20. ſeqq.* recenſet.

Hisce, quos enarrauimus, ſcriptoribus, qui fontium inſtar ſunt, addi adhuc poſſunt, qui ex recentioribus hocce ſpeciatim interuallum, aut partem eius quamdam, commentationibus ſuis illuſtrare adgreſſi ſunt; ſiue conſtitutum illis fuerit vlterius non progredi, ſiue fato prohibiti vlterius progredi non potuerint. Atque hic ſtatim nobis occurrit beatus THOM. ITTIGIVS, cuius non ſemel a nobis facta eſt mentio, & a quo in hocce ſtudiorum genere nihil niſi praeclari admodum atque eximii quid proficiſci potuit. Praeter alia namque, quibus hiſtoriam eccleſiaſticam ornauit, ſcripta, reliquit *hiſtoriae eccleſiaſticae primi a Chriſto nato ſaeculi ſelecta capita*, Lipſiae an. 1709. 4. excuſa, cum praefatione *de ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae recentioribus*; quae deinceps exceperunt *hiſtoriae eccleſiaſticae ſecundi a Chriſto nato ſaeculi ſelecta capita*, poſt auctoris obitum a viro clariſſimo CHRIST. LVDOVICI publicae luci expoſita, Lipſiae anno 1711. Quo minus reliqua ſaecula, eadem ratione pertractata, adiiceret, praematurus viri doctiſſimi obitus obſtitit; quod vehementer dolendum, quoniam perfecti quid ac conſummati in hiſtoria eccleſiaſtica haberemus, ſi huncce ad finem ei perducere licuiſſet laborem. Quantam autem duorum priorum ſaeculorum hiſtoria ex commentationibus antea laudatis lucem capiat, &, quod iure optimo *ſelecta capita* inſcribantur, intelliget, qui eas haud perfunctorie perluſtrauerit. In duobus hisce primis ſaeculis illuſtrandis etiam ſtudium ac diligentiam ſuam collocauit IO. CLERICVS, cuius *hiſtoria eccleſiaſtica duorum primorum a Chriſto nato ſaeculorum e veteribus monumentis deprompta* Amſtelodami euulgata eſt anno 1716. 4. Conſtitutum fuit viro doctiſſimo, ſex primorum a Chriſto nato ſaeculorum hiſtoriam pertexere, vt ipſemet in *praefatione* profitetur. Sed hactenus duo tantum iſta ſaecula, quantum mihi conſtat, lucem publicam adſpexerunt. Duabus autem potiſſimum rationibus ſe ad hancce hiſtoriam ſcribendam adductum fuiſſe, adſerit; quarum altera fuerit, quod in tanta eiusmodi librorum copia res ipſae tamen ſat bona fide, aut ſat adcurate in plerisque expoſitae non viderentur; altera, quod via & ratio, qua diſpoſitae erant, illi non placeret. Ampliſſima operi huic praemiſit *prolegomena*, quae tribus abſoluuntur ſectionibus; quarum *prima* de ſtatu Iudaeorum, ad religionem quod attinet; *altera* de ethnicorum ſtatu, eadem ratione conſiderato,

Digitized by Google

to, agit; *tertia* autem religionis chriſtianae delineationem continet. Quod quidem maximopere laudandum eſt inſtitutum; cum nemo initium & progreſſum religionis chriſtianae, & primorum ſaeculorum geſta recte intelligere queat, niſi tum Iudaeorum, tum ethnicorum, ad religionem quod attinet, ſtatum cognitum probe atque perſpectum habeat. Multa praeterea lectu digniſſima in hiſce *prolegomenis* ab auctore adferri, negari nequit, quae inſuper ob perſpicuam ac concinnam tractationem omnibus placebunt. Nonnulla tamen etiam in iis occurrunt, quae non omnibus probantur, aut cenſuram promereri videntur; vt cum *ſect. I. cap. VIII.* ethnicorum contra iudaicam aut Moſaicam potius religionem obiectiones ita proponit, vt ad eas nihil ſolidi reſponderi potuiſſe ſubinnuat, & quae alia ſunt eiusdem generis, de quibus copioſius dicendi hic locus non eſt. Quod IO. CLERICVS ſibi propoſuit, ſex primorum ſaeculorum hiſtoriam eccleſiaſticam condere; id etiam conſtitutum fuit SEBAST. NANO TILLEMONTIO, in *commentariis conſcribendae hiſtoriae eccleſiaſticae ſex priorum ſaeculorum inſeruientibus*; aut, vt gallice opus hocce inſcribitur: *memoires pour ſervir a l'hiſtoire eccleſiaſtique des ſix premiers ſiecles; iuſtifiez par les citations des auteurs originaux; avec vne chronologie, ou l'on fait un abregé de l'hiſtoire eccleſiaſtique; & auec des notes pour eclaircir les difficultez des faits & de la chronologie.* Prodiit hocce opus tum Pariſiis in 4. tum Bruxellis in 12, ita, vt in vltima hacce editione quilibet tomus tribus abſoluatur voluminibus. Secundum Pariſienſem editionem primus an. 1693, ſecundum Bruxellenſem an. 1694, vltimus autem, ſiue decimus ſextus ſecundum Pariſienſem an. 1712, at ſecundum Bruxellenſem octauus ſolum an. 1719 lucem adſpexerunt. Decimus tertius, vitam Auguſtini, & ſimul Donatiſtarum ac Pelagianorum iſtius temporis, hiſtoriam continens, eodem anno, quo octauus ſecundum Pariſienſem editionem, ſiue 1702, euulgatus eſt. Summam, & fere incredibilem, in opere hocce concinnando adhibitam diligentiam, fateatur neceſſe eſt, quisquis illud perluſtrauerit; ſiquidem nihil, etiam in minimis circumſtantiis, auctor adſerit, quod non teſtimonio veterum ſubiecto ſtatim comprobet; quemadmodum & animum praeiudicatarum opinionum immunem, & a partium ſtudio alienum, quantum a viro romanae eccleſiae ſacris addicto exſpectari poteſt, ſubinde oſtendit. Nec quidquam fere in eo deſiderari poteſt, quam quod interdum in minutiis, rebusque exigui momenti, nimis curioſus videatur. Vitam & ſcripta TILLEMONTII recenſet LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. des auteurs eccleſiaſtiques, tom. XVIII. pag. 270.* SAM. BASN. FLOTTEMANVILLAEVS in *annalibus politico-eccleſiaſticis*, itidem ſex priorum tantum ſaeculorum hiſtoriam complectitur; ſed de iis iam ſupra dictum.

§. VII. In altero interuallo a Carolo magno vsque ad eccleſiae emendationem, a beato MART. LVTHERO ſuſceptam, cum magna caligo, nec minor ſuperſtitio, orbem chriſtianum preſſerint, paucique, ſi modo vllus, exſtiterint, qui de rebus eccleſiaſticis ita ſcripſerint, vt hiſtoricorum nomen tueri queant; eo diligentius conquirenda, quae hiſce temporibus lucem conciliare poſſunt. Iuuabit etiam ſpeciatim ad ſtatum iſtorum regnorum reſpicere, in quibus eo tempore religio chriſtiana efforeſcere coepit; cumprimis autem Germaniae noſtrae habenda eſt ratio; cum turpe in-

inſuper ſit, in peregrinis verſatum eſſe, & ignorare domeſtica, ſeu quae religionis ac eccleſiae in patria noſtra fuerit ratio. *

* Licet a Carolo magno imperatore, qui circa finem ſaeculi octaui, & initium noni, ſummam rerum tenuit, hocce interuallum temporis, quoniam magna rerum ſub eo contigit mutatio, exordiamur; poſſumus tamen eodem & ſaeculum praecedens ſeptimum comprehendere; quippe quo iam ea rerum facies ſe exſerere coepit, quae deinceps magis magisque in eccleſia ſe conſpiciendam praebuit. Atque haec qualis in hocce, de quo nunc agere animus eſt, interuallo, etiam intuitu hiſtoriae eccleſiaſticae, fuerit, ſummatim hunc in modum in *prolegomenis, exercitationibus* ſuis *ad annales Baronii* praemiſſis, exprimit ISAACVS CASAVBONVS: *Poſt ſaeculum ſextum quam ſit paullatim vna cum temporum conditione immutata prior forma theologiae, nemo poteſt veteris memoriae peritus ignorare. Magni viri, quales priora ſaecula viderant, aut nulli, aut admodum rari adparent. Scripturae minus diligenter tractantur, minus ſimpliciter exponuntur. Res externae, miracula, imagines, reliquiae, ſanctorum cultus, ac tandem vnius papae dominatio, & monarchia prioris religionis inſtitutis ſuccedunt. Igitur qualis fuit iſtorum temporum theologia, talis & hiſtoria. Nam & in hiſtoricis monumentis, miracula vt plurimum vtramque paginam conficiebant, vel a ſanctis, vel ab imaginibus, vel a reliquiis edita: atque vt ſupremum eccleſiae monarcham theologi agnoſcebant; ita multi hiſtoriam ſcribere profeſſi, romanorum pontificum ſucceſſiones, antipaparum ſchiſmata, aut nouas artes a papis excogitatas, firmandae potentiae ſuae, litteris mandare; id vero erat hiſtoriam ſcribere eccleſiaſticam. Soleo dubitare, debeamne illa ſaecula* καιρὸς τερατολογίας *an* ἀγνοίας, *nominare: fuit ſane illorum temporum & imperitia meliorum litterarum magna, & miraculorum benigna copia; verorum ſine dubio multorum, ſed & falſorum nihilo pauciorum.* Inter Graecos exſtiterunt quidam chronographi generales, qui etiam res eccleſiae interdum attigerunt; ſed quoniam de iis iam alibi dictum, & huius inſuper loci non ſunt, nihil nunc addimus. Saeculo tandem decimo quarto NICEPHOR. CALLISTVS, XANTHOPVLI filius, floruit, cuius exſtant *hiſtoriae eccleſiaſticae libri XVIII.* tum alias, tum graece primum ac latine, Pariſiis an. 1630 duobus tomis in fol. editi. Verſionem latinam IO. LANGII, quae iam antea lucem adſpexerat, cum graecis contulit, atque recognouit FRONTO DVCAEVS, ſocietatis Ieſu theologus. Hiſtoriam hancce ex EVSEBIO, SOZOMENO, SOCRATE, THEODORETO, aliisque collectam, NICEPHORVS a nato Chriſto auſpicatur, atque ad interitum vsque Phocae, ſeu annum Chriſti 610 producit. Dum argumenta ſingulorum librorum, *lib. I. cap. I.* recenſentur, adduntur etiam argumenta libri XIX & ſequentium vsque ad XXIII, adeoque vsque ad mortem Leonis philoſophi, ſeu annum Chriſti 911. Vnde recte colligitur, exſtitiſſe olim continuationem quamdam iſtius operis, ſiue ab ipſo NICEPHORO, ſiue ab alio quodam confectam, quae temporum iniuria interciderit. Vnicum tantum operis iſtius exſtare manuſcriptum, & quidem in bibliotheca caeſarea Vindobonenſi, notum, paſſimque viris doctis obſeruatum eſt: qua de re & legendus PETR. LAMBECIVS, *biblioth. Vindobon. lib. I. p. 108. ſeqq.* alibique. Quantumuis autem ob ſtili elegantiam a nonnullis laudetur NICEPHORVS; cum tamen, ceu nullius fidei auctorem, contemnunt alii. *Nicephorum hunc*, inquit ISAAC. CASAVBONVS, *fabuloſiſſimum eſſe ſcriptorem, & iudicii in litteris nullius, ſatis notum eſt eruditis,*

ditis, *& nos ſupra monebamus; exercit. I. ad adparat. annal. Baronii*, *p.95*.

Ad Latinos quod attinet, ex ſaeculo nono hic occurrit HAYMO, epiſcopus Halberſtadienſis, ex Anglo-Saxonum gente oriundus, BEDAE *venerabilis* non quidem frater, ſed conſanguineus, qui *de rerum chriſtianarum memoria libros decem* ſcripſit, in quibus epitome quaedam hiſtoriae eccleſiaſticae, ex RVFFINO contracta, exhibetur; quae tum alias, tum & *hiſtoriae eccleſiaſticae* nomine inſcripta, a IOACH. IO. MADERO Helmſtadii edita eſt, anno 1671. 4. Sed deſinit HAYMO cum RVFFINO, adeoque ad illud temporis, quod nobis nunc decurrendum eſt, ſpatium non pertingit. BEDAE *venerabilis*, cuius facta eſt mentio, exſtant *hiſtoriae eccleſiaſticae gentis Anglorum libri quinque*, & ſeorſim non ſemel excuſi, & operum quoque eius iunctim editorum *tomo tertio* inſerti, a primo Iulii Caeſaris in Britanniam aduentu, vsque ad annum 731; qui licet ſpeciatim ad hiſtoriam eccleſiaſticam Angliae ſeſe referant; non pauca tamen, quae generatim in hiſtoria iſtorum temporum eccleſiaſtica vſui nobis eſſe poſſunt, continent. Eodem, quo HAYMO, ſaeculo nono, & quidem poſt medium eius, vixit ANASTASIVS bibliothecarius, cuius ob *hiſtoriam de vitis pontificum romanorum* haud ignotum nomen eſt; de qua tamen *capite praecedenti* iam diximus. Nunc vero nobis etiam commemorandus eſt ob *hiſtoriam eccleſiaſticam*, ſiue *chronographiam tripartitam*, ex NICEPHORI, patriarchae Conſtantinopolitani, GEO. SYNCELLI, & THEOPHANIS confeſſoris, chronicis, latine compoſitam, quam CAROL. ANNIBAL FABROTTVS cum adnotationibus ſuis Pariſiis an. 1649. edidit. Medio vero ſaeculo duodecimo anno 1141 OLDERICVS, ſiue ORDER. VITALIS, monachus Vticenſis in Normannia, *hiſtoriam eccleſiaſticam*, a Chriſto nato ad an. 1140 *libris XIII* litteris conſignauit; quam cum rerum normannicarum ſcriptoribus ANDR. DV CHESNE in lucem emiſit, Pariſiis an. 1619. Dein circa finem ſaeculi decimi quinti, & initium decimi ſexti, ALB. KRANTZIVS floruit, cuius inſignia prorſus in hiſtoriam eccleſiaſticam huius interualli ſunt merita. Licet enim ſpecialia tractet; vniuerſali tamen ſimul hiſtoriae eccleſiaſticae lucem ſubinde minime contemnendam conciliat. Nota ſunt inter ſcripta eius hiſtorica: *regnorum aquilonarium, Daniae, Succiae & Norwegiae chronicon*; itemque *Saxonia* eius & *Vandalia*. Sed hic cumprimis in cenſum venit eius *metropolis*, in qua hiſtoriam religionis chriſtianae, in Saxoniam, Weſtphaliam, & Cimbriam, introductae, & duodecim, qui in iisdem regionibus erecti ſunt, epiſcopatuum, eccleſiaſticam, praeſulum item qui per ſeptem ſaecula, & quod excurrit, epiſcopatibus hiſce praefuerunt, vitas ac res geſtas, ab anno Chriſti 780 ad annum 1504, libris duodecim exponit. Plura de KRANTZIO, eiusque ſcriptis, tradit IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricae, part. I. cap. VI. §. XIX. ſeqq. p. 94. ſeqq.* qui & *§. XXIII. p. 104.* editiones *metropoleos* Krantzianae indicat.

Atque hi quidem, quos commemorauimus, cum minimam eorum partem, quae in eccleſia per hocce temporis interuallum contigerunt, attingant; in ſubſidium vocandi & alii ſcriptores chronographi, praeſertim qui res imperii noſtri germanici deſcripſerunt; ſiquidem in eo atque in Galliae regno praecipua velut eccleſiae ſedes fuit, hinc & quae prae reliquis memoratu digna ſunt, ibi contigerunt; ſi ab iis diſcedas, quae a romanis pontificibus, vt imperium, quod ſibi in orbem chriſtianum vindicabant, firmarent, ſtabilirent, augerent, retinerent, geſta ſunt. Cumque praecipui ex iſtis ſcriptoribus in collectionibus rerum germanicarum, quas IO. PISTORIVS, IV-

IVSTVS REVBERVS, MARQV. FREHERVS, MELCH. GOLDASTVS, CHRIST. VRSTISIVS, SIM. SCHARDIVS, aliique dederunt, exhibeantur; haſce etiam conſulendas eſſe, nemo non perſpicit. Eos, qui vberiorem eiusmodi collectionum notitiam ſuppeditant, ſupra iam laudaui, *libri prioris cap. IV.* ad *§. XV. pag. 188.* vbi & MARQV. FREHERI merito commendaui *directorium in omnes fere, quos ſuperſtites habemus, chronologos, annalium ſcriptores, & hiſtoricos, potiſſimum romani germanicique imperii*; eo, quod praecipuos medii aeui hiſtoricos ordine temporis ita in illo diſpoſitos, conſpicere liceat, vt ſtatim, cuinam hiſtoriae parti quisque inſeruiat, pateat. Sunt vero in hiſce collectionibus quidam prae reliquis obſeruatu digni, quoniam inſignis eorum in hiſtoria eccleſiaſtica vſus eſt, euiusmodi in IO. PISTORII *tomo primo* ſunt: REGINONIS *annales*, ſiue *chronicorum libri duo*; HERMANNI contracti *chronicon*; LAMBERTVS Schafnaburgenſis, *de rebus geſtis Germanorum*; MARIANI Scoti *chronicorum libri tres*; SIGEBERTI Gemblacenſis *chronographia*, cum adpendice ROB. DE MONTE. In IVSTI REVBERI collectione notandi ſunt LVITRANDI *hiſtoriarum* ſiue *rerum ab Europae imperatoribus & regibus geſtarum libri ſex*; in MARQV. FREHERI *tomo primo: annales Fuldenſes* & *chronicon Laurisbamenſe*, in CHRIST. VRSTISII collectione, *chronicon* OTTONIS Friſingenſis, cum continuatione OTTON. DE S. BLASIO; in HENR. MEIBOMII collectione GOBEL. PERSONAE *cosmodromion*, ſeu *chronicon vniuerſale*. Nec praetermittendi hic ERP. LINDENBROGII *ſcriptores rerum germanicarum ſeptentrionalium, vicinorumque populorum*, in lucem iterum producti a IO. ALB. FABRICIO, Hamburgi an. 1706. fol. Exſtat enim in illis ADAMI, ſcholae Bremenſis magiſtri, ſiue moderatoris, & ab an. Chriſti 1077 eccleſiae illius canonici, *hiſtoria eccleſiaſtica*, Bremenſis maxime & Hamburgenſis, tum vicinorum locorum ſeptentrionalium, a Carolo magno vsque ad tempora Henrici IV imperatoris; inter antiquiſſima in hoc genere & praeſtantiſſima monumenta referenda. Enim vero licet naeuorum non ſit expers; multa tamen lectu ac obſeruatu digna continet, quae ab eo ſolo haurienda, & quae ſi neſciremus, luce in quamplurimis deſtitueremur. Legendus de hocce ADAMO, eiusque *hiſtoria eccleſiaſtica*, IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricae part. I. cap. VI. §. II. p. 64. ſeqq.* In *corpore hiſtoricorum medii aeui*, quod IO. GEO. ECCARDVS dedit Lipſiae 1723 duobus tomis in folio, plurima quoque exſtant, quae hiſtoriae eccleſiaſticae huius interualli inſeruire poſſunt; quae tamen recenſere non patitur noſtri inſtituti ratio. Idem de IO. LVC. D' ACHERY *ſpicilegio veterum aliquot ſcriptorum*; EDM. MARTENE, & VRSINI DVRANDI *theſauro nouo anecdotorum*, BERN. PEZII *theſauro anecdotorum nouiſſimo*, ſimilibusque monumentorum medii aeui collectionibus cenſendum; de quibus *libri* huius *poſterioris cap. III.* ad *§. XI.* plura diximus.

Illorum, qui de rebus germanicis ſcripſerunt, non tantum ideo hic habenda eſt ratio, quod ad hiſtoriam eccleſiaſticam medii aeui, generatim ſpectatam, plurimum conferant; ſed quod noſtra etiam maxime referat, res domeſticas potius cognitas perſpectasque habere, quam exoticas. Laudandi itaque nunc omnino eſſent, qui recentiori aetate hiſtoriam eccleſiaſticam Germaniae deſcripſerunt; ſi modo multi eſſent, quos laudare poſſem. Non deſunt vtique, qui ſpeciatim certorum epiſcopatuum, prouinciarum, vrbium Germaniae hiſtoriam eccleſiaſticam dederunt; quorum etiam ſummopere commendanda eſt induſtria; ſed de his nunc ſermo non eſt. Qui totius Germaniae hiſtoriam eccle-

cleſiaſticam condere adgreſſus ſit, non occurrit, praeter vnicum IO. HENR. VRSINVM, cuius *de eccleſiarum germanicarum origine & progreſſu ab adſcenſione domini, vsque ad Carolum magnum, compendium hiſtoricum, cum adpendicibus variarum quarumdam lectionum, & obſeruationum*, Norimbergae an. 1664 lucem adſpexit. Sed ieiunum nimis eſt hocce opuſculum, & grauitati huius argumenti non reſpondet; ne dicam, quod ad noſtrum, in quo verſamur, temporis interuallum non pertingat. Habent Galli FRANC. BOSQVETI *hiſtoriam eccleſiaſticam Galliae*; habent CAR. LE COINTE *annales eccleſiaſticos Francorum*; habent DION. SAMMARTHANI *Galliam chriſtianam*; praeclara vtique atque ſplendida opera, quae nobis, qui nihil eiusmodi oſtendere poſſumus, noſtram aut negligentiam exprobrare debebant, aut ſocordiam. IO. SCHILTERI *de libertate eccleſiae Germaniae* omni laude dignum opus eſt, in quo & varia, quae ad hiſtoriam eccleſiaſticam Germaniae ſpectant, delibat; ſed eam ex inſtituto non pertractat. Hinc & capite praecedenti, tamquam in proprio loco, de eodem iam diximus. PAVLVS HACHENBERGIVS, *Germaniae* ſuae *mediae* etiam diſſertationem *de religione chriſtiana veterum Germanorum* inſeruit, eleganter quidem, vt reliqua omnia huius viri, ſcriptam, ſed vix ſumma quaedam argumenti huius grauiſſimi capita complectentem. Nec omnia exhaurit, qui nuper lingua gallicana *hiſtoriam eccleſiaſticam Germaniae, continentem erectionem, progreſſum, & ſtatum antiquum & hodiernum archiepiſcopatuum & epiſcopatuum*, in lucem emiſit, Bruxellis an. 1724. duobus tomis in 8 cuius ſummam exhibet *iournal des ſçavans an. 1725. menſe Ianuar. pag. 20. ſeqq.* Partem quamdam labore haud ſpernendo exhibuit CASP. CALVOERIVS, in *Saxonia inferiori antiqua gentili & chriſtiana* ſiue in *dem alten heydniſchen und chriſtlichen Nieder-Sachſen &c.* Goslariae anno 1714. fol. Duabus nimirum partibus opus hocce abſoluitur, in quarum priori ſtatum veterum Germanorum in Saxonia inferiori, priusquam chriſtianorum ſacra reciperent, cumprimis autem religionem illorum deſcribit; in poſteriori autem de origine chriſtianae religionis, eiusdem propagatione, in Germania, praeſertim Saxonia inferiori, hinc & de Bonifacio, Germanorum, vt vocatur, apoſtolo, itemque de rerum, quae ſub Carolo magno contigit, mutatione, differit, epiſcopatus denique & monaſteria, ſaeculo octauo, nono & decimo in Saxonia inferiori condita, recenſet. Vnde, quousque hocce opus pertingat, intelligere licet. Bonifacii iſtius, cuius iam facta eſt mentio, omnino in hiſtoria huius aeui eccleſiaſtica habenda eſt ratio; ſiquidem ad propagandam in Germania religionem chriſtianam plurimum contulit; legendaque, vt alios taceam, de eo HENR. PHIL. GVDENII *diſſertatio hiſtorico-theologica, de Bonifacio Germanorum apoſtolo*, Helmſtadii eruditorum examini, moderatore conflictus IVSTO CHRIST. BOEHMERO, expoſita, an. 1720. Hiſtoriam eccleſiaſticam Germaniae, & quidem medii aeui, cum hiſtoria litteraria eiusdem temporis coniungit GOTTFR. HECHTIVS, in *Germania ſacra & litterata, ſiue de origine ac progreſſu rei ſacrae, atque politioris in Germania doctrinae, ex aeuo medio commentariis, quibus inſigniores in vtraque viciſſitudines, tum viri pariter ac ſcriptores linguis, eloquentia, poëtice, cumprimis hiſtoria in Germania clari illuſtrantur*; Wittebergae 1717. 8. Duabus & haec commentatio abſoluitur partibus, quarum prima *ſtatum religionis profanae atque eruditionis* ſiſtit, altera autem *de rebus chriſtianorum ſacris, atque doctrinae politioris*, a prima religionis chriſtianae origine vsque ad bonarum litterarum reſtitutionem, &, quae hanc ſequuta eſt, cultus ſacri emenda-

Digitized by Google

dationem, exponit; breuiter quidem ſed eleganter, vt facere nequeam, quin huncce libellum omnibus vehementer commendem. Nec errauit vir iſte doctus, quod rerum ſacrarum & litterarum fata coniunxit; cum ſeparari commode nequeant, nec altera ſine alteris recte intelligi. Ipſa quoque experientia docet, in viciſſitudinibus, quas eccleſia, ipſaque doctrina ſacra, ſubiit, eruditionis ac litterarum conditionem diuerſam haud vltimum tenuiſſe locum. Nemo itaque dubitabit, lucis aliquid hic ab iis quoque exſpectandum eſſe, qui rem litterariam Germaniae medii aeui exponunt; quod pauci ex inſtituto, quantum mihi conſtat, fecerunt. Eos enim, qui, generatim hiſtoriam litterariam proſequendo, hancce quoque partem praetermittere nequeunt, vt taceam; PAVLI HACHENBERGII equidem exſtat diſſertatio *de ſtudiis veterum Germanorum*, quae in *Germania* eius *media* ſexta eſt, *p. 189. ſeqq.* ſed pauca tantum, quae de iis dici poterant, delibat, & primas veluti lineas ducit. Referre autem huc etiam licebit IO. LAVNOII librum, *de ſcholis celebribus a Carolo magnò, & poſt Carolum magnum in occidente inſtauratis*, quem cum IO. MABILLONII *itinere germanico* recudendum curauit IO. ALB. FABRICIVS Hamburgi anno 1717. 8. Cumque inter eos, qui litterarum ſtudia in Germania propagarunt, illuſtre nomen adeptus ſit RHABAN. MAGN. MAVRVS; non abs re fuerit conſulere diſſertationem *de vita & doctrina Hrabani Magnentii Mauri*, quam vir clariſſimus IO. CHRIST. IVNG-IOHANN ſub meo moderamine publico examini ſubmiſit, ediditque Ienae 1724. 4. Atque haec, quae hactenus enarrauimus, praecipua ſunt monumenta, ex quibus in hiſtoria eccleſiaſtica Germaniae, medii praeſertim aeui, ſubſidium aliquod capere licet. Ampliora tamen, vberioraque nobis pollicemur, quando vir doctiſſimus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS acta publica eccleſiae germanicae luci publicae expoſuerit; quod vt propediem fiat, etiam atque etiam optamus. Deſignationem quamdam praeclari iſtius operis edidit, quae ita inſcribitur: *eccleſiae germanicae tum veteris, tum recentioris acta publica, inde a primis eiusdem initiis vsque ad noſtra tempora digeſta; concilia omnia, imperatorum germanicorum capitularia quaeuis & edicta eccleſiaſtica, pontificum romanorum bullae epiſtolaeque, eccleſiae germanicae res iuraque, ſpectantes, concordata, auiſamenta, & grauamina nationis germanicae, acta reformationis, ſciſſam in tres partes eccleſiam germanicam exhibentia, tum quae in comitiis imperii concluſa, tum quae in conuentibus colloquiisque publica auctoritate habitis diſceptata enataque fuere; confoederationes denique & pacificationes religioſae, omnia ex inſtrumentis authenticis, vbi dantur, fontibus ſaltem ſuis depromta; recenſebit, atque vbi opus quidem id videbitur, illuſtrata dabit, diſſertationemque praeliminarem adiiciet Chriſtophorus Matthaeus Pfaffius &c.* Ceterum iis, quae de hiſtoria eccleſiaſtica medii aeui hactenus diximus, lucem quamdam adfundet VAL. ERNEST. LOESCHERVS, in *introductione* ſiue *Einleitung zur hiſtoria medii aeui, vnd denen ſcriptoribus der barbariſchen Zeiten, worinnen die rechten Quellen der neuen Hiſtorie gezeiget werden*, quam adpendicis loco addidit *der Hiſtorie des Roemiſchen Huren-Regiments &c.* Lipſiae 1705. 4.

§. VIII. Tertium interuallum ab emendatione eccleſiae ad noſtra vsque tempora eo maiorem poſtulat curam, quo plura, obſeruatuque digniora contigerunt, quae ſcire omnium quidem, inprimis autem, qui doctorum in eccleſia fungi munere cupiunt, maximopere refert. Ipſa tamen eccle-

eccleſiae emendatio, & quae ad eius hiſtoriam ſpectant, praecipuum inter ea momentum trahunt. *

* Qui cogitauerit, quanta rerum omnium, cumprimis autem religionis, ſaeculo decimo ſexto facta ſit mutatio; qui expenderit, quae inde ad noſtram vsque aetatem conſequuta ſint, & quod ex iis ipſis, quae in eccleſiae emendatione geſta ſunt, haud raro argumenta ad ea, quibus eccleſia noſtra vtitur, ſacra, aut impugnanda, aut defendenda depromantur; non dubitabit, quin vltima haecce hiſtoriae eccleſiaſticae pars ſingularem quamdam curam ac diligentiam promereatur. Cum autem, qui eius adcuratiorem plenioremque ſuppeditant notitiam, non vnius generis ſint; ne ſine ordine hic incedamus, primum eos commemorabimus, qui ipſam reformationis hiſtoriam tradiderunt, aut quaedam, quae eo ſpectant, peculiaribus expoſuerunt commentationibus; tum eos, qui vitam, resque geſtas beati Martini Lutheri, aliorumque, quorum miniſterio Deus in eccleſia emendanda vſus eſt, deſcripſerunt; porro eos, qui generatim iſtorum, vt & ſequentium temporum, hiſtoriam ita condiderunt, vt ad res eccleſiae ſimul reſpicerent; quibus denique & eos adiungemus, qui hiſtoriam eccleſiaſticam ad noſtra vsque tempora deducere, adgreſſi ſunt.

Inter eos, qui primam claſſem occupant, praecipuus locus debetur viro immortalis memoriae VITO LVDOV. A SECKENDORF, ob *commentarium hiſtoricum & apologeticum de Lutheraniſmo, ſiue de reformatione religionis, ductu D. Martini Lutheri in magna Germaniae parte, aliisque regionibus, & ſpeciatim in Saxonia recepta & ſtabilita; in quo ex Ludouici Maimburgii, Ieſuitae, hiſtoria Lutheraniſmi anno 1680 Pariſiis gallice edita libri tres ab anno 1517 ad annum 1546 latine verſi, exhibentur, corriguntur, & ex manuſcriptis, aliisque rarioribus libris plurimis ſupplentur; ſimul & aliorum quorumdam ſcriptorum errores aut calumniae examinantur, auſpiciis sereniſſimi & potentiſſimi electoris & ſereniſſimorum ducum Saxoniae, eo ſine, vt ad veram exactioremque notitiam rei geſtae, & ad depulſionem calumniarum ex fide dignis monumentis, denuo via pateat*, Lipſiae 1694. fol. Occaſionem praeſtantiſſimo huic operi dedit LVDOV. MAIMBVRGIVS, de cuius vita, fatis, ſcriptis legendus PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. tom. II. voc. Maymburg. p. 2002.* Hic enim inter alia & *hiſtoriam Lutheraniſmi* dedit, in qua equidem a craſſioribus contumeliis, & conuiciis, quae alii ex eidem eccleſiae addictis in Lutherum, atque ſuſceptam ab eo ſacrorum emendationem euomunt, ſibi temperauit; ſed eum in finem, vt reliquis figmentis ſuis eo maiorem conciliaret veritatis ſpeciem. *In vno,* inquit in *praeloquio* SECKENDORFIVS, *maxime a veterum, quorum veſtigia tenebat, Luthero-maſtigum inſtituto diſceſſiſſe videbatur, quod honeſti viri ſpeciem adſumens, ab incredibilibus narrationibus & inſanis contumeliis quibusdam abſtinuiſſet, temperatis plerumque verborum delinimento, quos acerbiores alii indecenter erumpere fecerunt, adfectibus. Hoc ipſo tamen periculoſius cauſſae Lutheranae nociturum eſſe librum, coniiciebam &c.* Quo facilius itaque iſto libro nonnulli in errorem induci poterant; eo plures refutationem eius ſuadebant rationes, quam tandem SECKENDORFIVS ipſe in ſe ſuſcepit. Quod cum initio ſuccinctiori quadam commentatione, edendo an. 1688 librum primum, feciſſet, quem anno ſequenti ſpecimen aliquod, ſeu prodromus ſupplementi excepit; mox tamen cum ingentem praeſtantiſſimorum monumentorum adparatum accepiſſet, deſiderio ac votis plurimorum, amplius

aliquod opus exoptantium, impulſus, non tantum acceſſionibus variis librum primum auxit, ſed ſecundum quoque atque tertium addidit, manuſcriptorum aliorumque librorum rariorum excerptis locupletatum; qua quidem ratione tandem opus hocce prorſus egregium, eo, quo antea diximus, anno, prodiit. Germanice deinceps eamdem *Lutheraniſmi hiſtoriam*, non ſine mutatione quadam, dum quaedam omiſit, alia rurſus addidit, in lucem emiſit ELIAS FRICKIVS, inſcriptam: *ausführliche Hiſtorie des Lutherthums vnd der heilſamen Reformation*, Lipſiae an. 1714. 4. Quod licet conſilio non malo, ſed vt lectorum commodis conſuleret, a viro doctiſſimo factum ſit; non omnibus tamen hoc eius inſtitutum probatum, ſcio. Ad ſupplementum vero & illuſtrationem operis Seckendorfiani ſpectat WILH. ERNESTI TENZELII *hiſtoriſcher Bericht vom Anfange vnd erſten Fortgange der Reformation Lutheri, zur Erlaeuterung des Herrn von Seckendorf Hiſtorie des Lutherthums, mit groſſem Fleiß erſtattet, vnd nunmehro in dieſem andern euangeliſchen Iubel-Iahr, nebſt einer beſondern Vorrede, auch nützlichen noch niemahls publicirten Vhrkunden, mitgetheilet von D. Ernſt Salomon Cyprian*; Gothae 1717. 8. Atque vir iſte eruditiſſimus, cuius ſtudio rem eccleſiaſticam iuuandi huncce librum debemus, ERNEST. SAL. CYPRIANVS, non tantum luculentam praefationem praemiſit, in qua de neceſſitate reformationis copioſe differit, & documenta quaedam, hactenus nondum edita, ſubiecit; ſed & deinde alia, non minus lectu digna, in lucem produxit in altera parte, quae inſcribitur: *der andere vnd lezte Theil zu Wilhelm Ernſt Tenzels hiſtoriſchen Bericht vom Anfang vnd erſten Fortgang der Reformation Lutheri, in ſich haltende 1) den zweyten Theil nützlicher vnd noch niemahls publicirter Vhrkunden, zur Erlaeuterung der erſten Reformations-Geſchichte ſehr dienlich; 2) Georgii Spalatini annales reformationis, oder Iahr-Bücher von der Reformation Lutheri, ſo ebenfalls noch nie im Druck publicirt worden; 3) Friderici Myconii Reformations-Hiſtorie; alles aus denen autographis vnd originalien ans Licht geſtellet &c.* Lipſiae 1718. 8. Tres itaque libellos altera haecce pars complectitur, quorum ſingulis praefatio praemiſſa eſt. Et in primo quidem, ſeu altera rariorum documentorum collectione, cumprimis obſeruatu dignae vitae pontificum romanorum Iulii II, Leonis X, Hadriani VI, Clementis VII & Pauli III a GEORG. SPALATINO ſcriptae; quamquam & reliqua non ſine inſigni legantur voluptate. In hiſce autem ſcriptis vt ipſi fontes, ex quibus genuina reformationis hiſtoria haurienda, nobis recluduntur; ita eodem VALENT. ERN. LOESCHERI, viri celeberrimi, labor tendit, in opere quod inſcribitur: *vollſtaendige Reformations-Acta vnd Documenta, oder vmſtaendliche Vorſtellung des euangeliſchen Reformations-Wercks, mit Einrückung der dazu dienlichen, theils noch nie gedruckten Nachrichten, ſo das dieſes Werck zugleich vor theologiſche annales dienen kan*, & cuius duo hactenus prodierunt tomi; prior acta anni 1517 continens, Lipſiae 1720, poſterior acta anni 1518 exhibens ibidem anno 1723. 4. Vaſtum illud amplumque, ſi ita continuetur, erit opus (cum praeter alia documenta, ſcripta quoque Lutheri epiſtolaeque, eidem inſerendae ſint) plurimaque conficiet volumina; ſed eo maiora ex eo nobis promittere poſſumus commoda. Varia quoque documenta, ſcriptaque rariora, ad hiſtoriam reformationis ſpectantia, iunctim excudi curauit HERMANNVS VON DER HARDT, in *hiſtoria literaria reformationis in honorem iubilaei anno 1717.* Francofurti & Lipſiae an. 1717. fol. Quinque haecce *hiſtoria*, vt auctori eam vocare placuit, abſoluitur partibus, quarum

quarum *prima* de bonis litteris & ERASMO agit, num fuerint fons reformationis? *altera* de REVCHLINO, num fuerit anſa reformationis; *tertia* de publica corruptione, num cauſſa fuerit reformationis; vbi & *magnorum virorum, ſub concilio Baſileenſi opuſcula varia, de publica eccleſiae corruptione emendanda manuſcripta*, exhibentur; *quarta* de indulgentiis, num fuerint origo reformationis; *quinta* denique ABRAHAMI SCVLTETI *annales euangelicos ab anno 1516 ad annum 1536. libris duobus conſtantes*, recuſos, cum *introductione* ad eosdem, ſiſtit. Nec praetermittere hic decet beati IO. HENR. MAII *hiſtoriam reformationis ex beati D. Martini Lutheri, aliorumque fide dignorum ſcriptorum, monumentis erutam ac digeſtam &c.* Francofurti ad Moenum 1710. 4. vtpote ex genuinis fontibus hauſtam; & perſpicue cuncta enarrantem; quacum & comparare iuuabit eiusdem *hiſtoriam reformationis, per veteris nouique teſtamenti libros, ſecundum ſeriem ſaeculorum digeſtam & ad reformationem D. Lutheri applicatam, in memoriam ſecundi ſaecularis anni eiusdem*, Gieſſae anno 1717. 4. Reliquos, qui breuiores hic duxerunt lineas, nec tamen ideo laude ſua defraudandi ſunt, vnico complectemur faſce; cuiusmodi ſunt GOTTFR. HECHTII *gründliche Reformations-Hiſtorie*, Wittebergae anno 1717. 8. IO. CASP. FVNCKII *kurtzgefaſſte Reformations-Hiſtorie, ſamt beygefügter Augſpurgiſchen Confeſſion, Paſſauiſchen Vertrag, Religions-Frieden, vnd Vlmiſchen Reformations-Ausſchreiben, wie auch hierzu gehoeriger hiſtoriſcher Nachricht*, Vlmae 1717. 8. IO. BASILI FLEVTERI *hiſtoriſcher Catechiſmus von der Reformation Lutheri vnd den ſymboliſchen Büchern vnſerer Kirchen*, Wittebergae 1716. 8. LAMP. GEDICKII *kurtzer hiſtoriſcher Bericht von dem gantzen Reformations Wercke*, Berolini 1718. 8.

Illorum, qui partem quamdam hiſtoriae reformationis commentationibus peculiaribus illuſtrarunt, haud exiguus eſt numerus. Sufficiet, praecipuos ex iis indicare. Varia, quae huius generis ſunt, occurrunt, in *academiae Lipſienſis pietate in ſacro-ſanctam reformationis diui Lutheri memoriam, exhibita quinquaginta diſſertationibus ab ordinis theologici decanis ſeparatis temporibus publico nomine conſcriptis*, quas iunctim edidit vir doctiſſimus CHRIST. FRIDER. BOERNERVS, Lipſiae anno 1717. 8. In memoriam enim reformationis eccleſiae cum iſtae diſſertationes ſeu programmata conſcripta ſint; ſubinde in iis argumenta, ad hiſtoriam illius ſpectantia, pertractantur, vt: *de Luthero primo reformatore; num. V. de reformationis beneficio, condigne aeſtimando; num. VI. de Lutheri ad reformationem vocatione; num. VIII. de Luthero vero reformatore; num. XIII. & XXV. de fabula papiſtica de Luthero a diabolo edocto; num. XXII. de Germania euangelii luce primitus illuſtrata; num. XXIII. de Luthero aeque doctrinae ac vitae reformatore; num. XXVI. de prouidentia Dei circa reformationem Lutheri; num. XXXIV. de praeſtantia reformationis Lutheri; num. XXXVI. de iuſta Lutheri reformatione; num. XL. de corrupto eccleſiae ante reformationem ſtatu; num. XLVI.* Atque hoc, quod vltimo loco indicauimus, argumentum, *de corrupto eccleſiae ante reformationem ſtatu*, indeque exorta reformationis neceſſitate, ſubinde viri docti attingunt; laudauimusque iam antea hoc nomine ERN. SALOM. CYPRIANI *praefationem*, TENZELII *relationi hiſtoricae &c.* praemiſſam; quorſum & MATTH. FLACII illyrici *catalogus teſtium veritatis*, ſimiliaque ſcripta, alibi a nobis iam commemorata, ſpectant. Addenda iis ELIAE VEIELII *hiſtoria & neceſſitas reformationis euangelicae per beatum Lutherum feliciter inſtitutae ex ſcriptis Georgii principis Anhaltini &c.* Vlmae an. 1688. & 92. 4.

DI-

Diuinam, quae in hocce reformationis opere quam luculentiſſime ſeſe demonſtrauit, prouidentiam itidem alii & agnouerunt & celebrarunt; eoque etiam comparata eſt *diuinae prouidentiae circa eccleſiae reformationem a beato Martino Luthero ſuſceptam*, *adſertio*, ſeu diſſertatio, quam in memoriam ſecundi eccleſiae Lutheranae iubilaei ſub meo moderamine publicae luci, & eruditorum examini expoſuit vir praeſtantiſſimus IO. GEORG. OLDEKOP, Ienae 1717. 4. Iungenda CHRIST. AVG. HEVMANNI *diſſertatio*, *de prouidentia reformatrice*, quae cum aliis quibusdam ſubnexa eſt eiusdem *Luthero apocalyptico*, Hanouerae 1717. 8. euulgato. Primam reformationis occaſionem ex diſputatione de indulgentiis cum Tezelio enatam, neminem fugit. Inter eos autem, qui huic hiſtoriae iſtorum temporum parti lucem adfuderunt, eminet vir clariſſimus IO. ERH. KAPPIVS, qui praeter *theatrum* iſtarum de indulgentiis concertationum, ſiue *Schauplatz des Tezeliſchen Ablas-Krahms, vnd des dawieder ſtreitenden Lutheri &c.* inſignem, prorſusque egregiam monumentorum eo ſpectantium collectionem, ſiue *Sammlung einiger zum paebſtlichen Ablas überhaupt, ſonderlich aber zu der im Anfang der Reformation zwiſchen D. Martin Luther vnd Ioan. Tezel hiervon geführten Streitigkeit gehoerigen Schrifften, mit Einleitungen vnd Anmerckungen verſehen*, in lucem emiſit Lipſiae 1721. 8. Plurima hic deprehenduntur lectu digniſſima, hiſtoriaeque reformationis inſeruientia, cumprimis autem obſeruationem meretur ALBERTI, archiepiſcopi Moguntini & Magdeburgenſis, *inſtructio ſummaria*, *pro ſubcommiſſariis*, *poenitentiariis & confeſſoribus &c.* quam plurimi perditam prorſus exiſtimarunt, quamue poſt ducentorum annorum interuallum vir clariſſimus iterum in lucem produxit. Nec tacenda hic eiusdem, ſingulari quippe diligentia conſcripta, *diſſertatio hiſtorica de nonnullis indulgentiarum quaeſtoribus*, *ſaeculi decimi quinti & decimi ſexti*, Lipſiae 1720. 4. Addere porro, ad certamen de indulgentiis quod attinet, iuuabit GOTTFR. HECHTII *vitam Tezelii*, Wittebergae 1707. 4. & cum acceſſionibus quibusdam 1717. 8. quam & germanice dedit IO. IAC. VOGELIVS, Lipſiae 1717. 8. De *colloquio Auguſtano Lutheri cum Caietano romani pontificis legato*, exſtat diſſertatio CHRIST. FRIDER. BOERNERI, theologi Lipſienſis celeberrimi, aut ſi mauis, SAM. BRECHENMACHERI, qui reſpondentis munere functus eſt, Lipſiae 1722. 4. Eum, quem Leo X pontifex tenuit, agendi modum, contra Lutherum, nec omnibus ex ipſis romanenſibus probari, demonſtrauit IO. FRIED. MAYERVS, in *diſſertatione de pontificiis*, *Leonis X proceſſum aduerſus Lutherum improbantibus*, quae cum alia eiusdem auctoris, *quantum pontificiis reformatio beati Lutheri*, *ipſis non diffitentibus*, *profuerit*; recuſa fuit Lipſiae 1698. 4. & vtraque inſcripta; *eccleſia papaea Lutheranae reformationis patrona & cliens*. Nec ſane pontifices in hocce cum Luthero negotio ſecundum regulas prudentiae (cuncta tamen ſapienter ita diſpenſante Numine) ſe geſſiſſe, demonſtrauit GEORG. SAM. TREVERVS, in *denen politiſchen Fehlern des paebſtlichen Hofes*, *welche die Reformation Lutheri befoerdert haben*, Guelferbyti 1718. 8. Maximum praeterea in hiſtoria reformationis momentum trahit proteſtatio principum, ac ordinum euangelicorum contra decretum, in comitiis Spirenſibus anno 1529 conditum, vnde illis *proteſtantium* nomen haeſit; cuius adeo aeque ac ipſius Auguſtanae confeſſionis, quae anno ſequenti Carolo V imperatori exhibita fuit, rationem ex documentis fide dignis adcurate & diligenter deſcripſit IO. IOACH. MVLLERVS, in *der Hiſtorie von der euangeliſchen Staende proteſtation vnd adpellation*

lation wieder vnd von dem Reichs-Abſchied zu Speyer 1529, dann der darauf erfolgten Legation in Spanien an Kaiſerl. Mai. Karln V, wie auch ferner dem zu Augsburg auf dem Reichs-Tag 1530 übergebenen Glaubens-Bekaentnis die Augsburgiſche Confeſſion genannt, aus Fürſtl. Saechſiſchen Archivs-Actis vnd bewehrten hiſtoricis verfaſſet, vnd mit denen dazu gehoerigen documentis vnd Schrifften in forma dergeſtalt, das ſelbige auch ein ſupplementum in Seckendorffii hiſtoriam Lutheraniſmi darſtellen koennen, illuſtriret &c. Ienae 1705. 4. Iam vero & laudandi eſſent reliqui, qui Auguſtanae confeſſionis hiſtoriam condiderunt; quod tamen cum iam factum, quando de theologia ſymbolica verba fecimus, *libri* huius *poſterioris cap. II.* ad §. *VII.* hic de iis aliquid addere, neceſſe non eſt. Idem & de iis obſeruandum, qui hiſtoriam formulae *interim* illuſtrarunt, vtpote de quibus itidem iam dictum *l. c.* ad §. *VIII.* De bello autem Smalcaldico, per pacem tandem religioſam finito, quae ſecuritatem principibus ordinibusque proteſtantibus in imperio germanico peperit, legendi FRID. HORTLEDERVS, in *denen Handlungen vnd Vhrſachen von dem Smalcaldiſchen Kriege;* LAMB. HORTENSIVS, in *Beſchreibung des proteſtirenden Krieges vom Vhrſprung bis an. 1547.* aliique. Cumque in hocce bello duorum Saxoniae electorum, Ioannis Friderici, atque Mauritii, praecipuae partes fuerint; & vtriusque fata prorſus memorabilia in hacce hiſtoriae eccleſiaſticae parte merito in cenſum veniant; de illo quidem CASP. SAGITTARII *hiſtoriam Ioannis Friderici electoris Saxoniae,* Ienae 1678. 4. de hocce autem GEORG. ARNOLDI, cancellarii quondam epiſcopatus Numburgenſis, *gründliche Beſchreibung Lebens vnd Thaten des weyland durchlauchtigſten Fürſten vnd Herrn, Herrn Moritzens &c.* euoluere iuuabit. Et poſterius quidem ſcriptum, ab auctore latine concinnatum, a DAVIDE autem SCHIRMERO in linguam germanicam translatum, cum plurima haud vulgaria contineat, hinc & a rerum iſtarum curioſis auide expeteretur; tandem, cum adpendicibus quibusdam, in quibus praecipuae res geſtae Alberti, marchionis Brandenburgici, cognomine Alcibiadis, illuſtrantur, in lucem produxit IMMAN. WEBERVS, Gieſſae 1719. 8. Nec abs re fuerit, hic conſulere MATTHIAE RATZENBERGERI, archiatri electoralis, *Erzaehlung der Haendel ſo in Sachſen der Religion halber vnter Churfürſten Ioh. Friedrichen, Mauritio vnd Auguſto ergangen,* in GOTTFR. ARNOLDI *Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie tom. IV. p 82. ſeqq.* &, cum adnotationibus IO. GOTTFR. ZEITLERI, in *den Haelliſchen Anmerckungen, tom. II. obſeruat. XII.* Per ſuorum proditionem, vt ὡς ἐν παρόδῳ hoc moneam, Ioannem Fridericum electorem in manus imperatoris incidiſſe, oſtendit ERN. SAL. CYPRIANVS, in *praefatione Friderici Myconii hiſtoriae reformationis* praemiſſa, *p. 22. ſeqq.* De concilio Tridentino, ſcriptoribusque, qui hiſtoriam eius dederunt, iam dictum *cap. II.* huius libri ad §. *IX.* Cauſſas vero, quae vlteriores progreſſus reformationis Lutheri ſufflaminarunt, ediſſerit beatus ADAM. RECHENBERGIVS, in *diſſertat. de obſtaculis progreſſuum reformationis Lutheranae,* quae in *volumine diſſertationum hiſtorico-politicarum,* iunctim editarum, exſtat, *part. I. num. XV. p. 406. ſeqq.* Cumque vir iſte doctiſſimus inter obſtacula iſta §. *XXX. p. 429.* etiam Ieſuitarum ſectam, horumque artes referat; ſcriptores, qui de origine & progreſſu iſtius ſocietatis expoſuerunt, hic minime negligendos, patet, cuiusmodi ſunt: PETR. RIBADENEIRA, in *vita Ignatii Loiolae;* NICOL. ORLANDINVS, in *hiſtoria Societatis Ieſu;* RVD. HOSPINIANVS, in *hiſtoria;* LVDOV. LVCIVS, in *hiſtoria Ieſuitica, de Ieſuitarum ordinis origine, nomi-*

ne, regulis &c. ELIAS HASENMVLLERVS, in *hiſtoria Ieſuitici ordinis;* ALPHONSVS DE VARGAS, (aut potius CASP. SCIOPPIVS, qui hocce nomine tegi creditur) in *relatione de ſtrategematibus & ſophismatibus Ieſuitarum;* LVCIVS CORNELIVS Europaeus, hoc eſt, MELCHIOR INCHOFERVS, in *monarchia ſolipſorum;* aliique laudati in *praefatione*, praemiſſa editioni tertiae *der kurtzen vnd nachdrücklichen Abbildung der Ieſuiter Theologie durch Martinum Chemnitium*, quae anno 1719. ſine loci mentione prodiit, *§. II.* Addendus & PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Loiola.* Ex reformatae eccleſiae doctoribus, qui de reformationis hiſtoria commentati ſunt, ABRAH. SCVLTETVM, eiusque *annales euangelicos*, iam antea commemorauimus; reliqui ad ſpecialia deſcendunt, vt THEOD. BEZA, in *hiſtoria eccleſiaſtica eccleſiarum reformatarum in regno Franciae ab an. 1521. ad an. 1563.* GILB. BVRNETVS, in *hiſtoria reformationis eccleſiae anglicanae*, anglice ſcripta, ſed tum in gallicam, tum in latinam linguam translata; excepto volumine tertio, quod Londini 1715. fol. lucem adſpexit; aliique, quorum adeo hic mentionem facere, neceſſe non eſt. Multo minus aut conſultum, aut opere pretium fuerit, romanenſes hic adducere; qui, cum Lutherum inter haereticos numerent, deque eo, vti & proteſtantibus, in catalogis haereticorum agere ſoleant; oſtendunt, quid a ſe hac in re exſpectandum ſit. Interim hic locum inueniunt ſcriptores illorum haereſiologici, de quibus ſupra egimus. LVDOV. MAIMBVRGII *hiſtoriam Lutheraniſmi* ante iam commemorauimus. FLORIM. RAEMVNDVS, in *hiſtoria de ortu, progreſſu, & ruina haereſeon &c.* impudentia omnes vincit; ſed de eo itidem iam ad §. *V.* dictum. Legi autem etiam de eo meretur VALENT. ALBERTI *diſſertatio*, ſiue *programma*, quod in *academiae Lipſienſis pietate in ſacroſanctam reformationis diui Lutheri memoriam*, a CHRIST. FRID. BOERNERO edita, exſtat, *num. XXXI. p. 290. ſeqq.*

Progredimur nunc ad alteram claſſem ſcriptorum, ad hiſtoriam reformationis facientium, ſiue ad eos, qui vitam beati MART. LVTHERI, aliorumque virorum doctorum, quorum Deus in hocce opere vſus eſt miniſterio, deſcripſerunt. Et ad LVTHERVM quidem quod attinet, hic primo loco nominandus eſt PHIL. MELANCHTHON, ob *commentationem de vita & actis reuerendiſſimi viri D. Martini Lutheri*, Wittebergae 1546 & deinde ſaepius editam. Recudi namque eamdem curauit an. 1547 IO. POLLICARIVS, cum praefatione quadam; quod & deinde MATTH. DRESSERVS fecit, in *Martini Lutheri hiſtoria* an. 1598. 8. Lipſiae edita, in qua ſedecim commentationes, ad Lutheri vitam pertinentes, iunctim exhibet, quas ordine recenſet CHRIST. IVNCKERVS, in *praefatione, vitae Lutheri nummis illuſtratae* praemiſſa, §. *X.* PHILIPPVM MELANCHTHONEM ſequutus eſt IO. MATHESIVS, paſtor ille Vallis Ioachimicae ſatis notus, vir pius & doctus, idemque Lutheri auditor, qui ſeptemdecim concionibus vitam Lutheri enarrauit, Norimbergae an. 1570, & deinde ſaepius editis. Inſcribuntur: *Hiſtorien von des ehrwürdigen in Gott ſeeligen theuren Mannes Gottes D. Martini Luthers Anfang, Lehre vnd Leben &c.* Simili inſtituto & CYRIAC. SPANGENBERGIVM varias de Luthero conciones edidiſſe, conſtat, maximam partem Erfordiae anno 1564, & ſequentibus, ſeorſim excuſas. CONR. PORTAE *oratio, continens adhortationem ad aſſiduam lectionem ſcriptorum reuerendi patris & praeceptoris noſtri D. Martini Lutheri, vltimi Eliae & prophetae Germaniae*, in qua & de ipſo Luthero agit, cum MICH. NEANDRI *theologia megalandri Lutheri* lucem adſpexit Wittebergae 1584. 8. NIC. SEL-

SELNECCERI *vitam diui Lutheri*, ſiue *orationem hiſtoricam de initiis, cauſſis & progreſſu confeſſionis Auguſtanae, & de vita ac laboribus domini D. Martini Lutheri, poſtremae aetatis Eliae*, Ienae anno 1592 primum editam, cum *adnotationibus* ſiue *commentationibus* recudi curauit IO. FRID. MAYERVS, Wittebergae anno 1687. 4. quae hac ratione inter praecipua in hocce genere ſcripta merito refertur. Addendi his IO. CONR. DANHAVERVS, in diſſertatione: *memoria thaumaſiandri Lutheri renouata*; & THEOD. THVMMIVS, in diſſertatione, *de Luthero thaumaturgo, ſiue admiranda eius reformatione*, & alii, qui ſimilia ſcripſerunt. Cumprimis vero adhuc laudandus eſt CHRIST. IVNCKERVS, qui hiſtoriam Lutheri & reformationis ex nummis illuſtrare adgreſſus eſt; in *vita D. Martini Lutheri & ſucceſſuum euangelicae reformationis, iubilaeorumque euangelicorum, hiſtoria, nummis CXLV, atque iconibus aliquot rariſſimis confirmata & illuſtrata, ita vt, praeter initia progreſſusque reformationis, ſimul etiam notentur ſingularia multa curioſe de familia ipſius, iisque, quae paſſim de ipſo reliqua ſunt &c.* Francofurti & Lipſiae anno 1699. 8. In praefatione ſcriptores de vita Lutheri recenſet, quod longe plenius curatiusque deinde fecit IO. ABRAH. WIMMERVS, in ſchediaſmate, quo *commentationem hiſtorico-litterariam, de Luthero omnia in omnibus, poſt haec edendam, indicat, & de ſcriptoribus Lutheri vitam illuſtrantibus fuſius in limine tractat*, Wittebergae anno 1723. 4. euulgato. Atque ex hocce vti reliquos, qui vitam Lutheri expoſuerunt, a nobis praetermiſſos, condiſcere licet; ita inſtitutum, edendi eiusmodi commentationem, in qua ſpeciatim, qui virtutes Lutheri ſingulas laudarunt, aut certam vitae eius, vel rerum ab eo geſtarum partem peculiaribus ſcriptis proſequuti ſunt, enarrentur, omni laude dignum eſt, idque vt auctori perficere liceat, optamus. Hinc & labore, quaedam eiusmodi ſcripta recenſendi, quod facere animus erat, nunc ſuperſedemus. Non praetermittenda vero hic ſunt *hilaria euangelica, oder theologiſch-hiſtoriſcher Bericht vom andern euangeliſchen Jubel-Feſt &c.* ſiue acta & monumenta varia, ad hiſtoriam ſecundi eccleſiae euangelicae iubilaei facientia, ſummo ſtudio collecta editaque ab ERN. SAL. CYPRIANO, Gothae an. 1719. fol. quippe in quibus haud pauca, ad Lutheri pariter ac reformationis hiſtoriam facientia, inueniuntur. Speciatim adhuc obſeruandi ſunt, qui beatum Lutherum contra calumnias & obtrectationes romanenſium defenderant, quos inter eminet IO. MVLLERVS, in *Luthero defenſo, das iſt, gründlicher Wiederlegung deſſen, was die Paebſtler D. Lutheri Perſon furwerffen von ſeinen Eltern, Geburth, Beruff, Ordination &c.* Hamburgi anno 1658. 8. cui cum CAR. CREVZ, Ieſuita, libellum, *der vnvertheidigte Luther* inſcriptum, oppoſuiſſet; MVLLERVS iterum edidit *defenſionem Lutheri defenſi, das iſt, den wohlvertheidigten Luther &c.* Hamburgi anno 1659. 8. Ex reformatae eccleſiae theologis cauſam Lutheri contra iſtos obtrectatores praeclare egit IAC. LENFANT, in *preſeruatif contre la reunion avec le ſiege de Rome &c. tom. I. lett. XI. p. 277. ſeqq.* Inter reliquos reformationis promotores, Lutherique amicos, haud vltimus fuit GEORG. SPALATINVS, vir de eccleſia praeclare meritus, cuius memoriam ad poſteros propagauit CHR. SCHLEGELIVS, in *hiſtoria vitae Georgii Spalatini, theologi, politici, primique hiſtorici Saxonici &c.* Ienae an. 1693. in lucem emiſſa, in qua plurima diligenter collegit, quae ſcire illorum refert, qui de reformationis hiſtoria adcuratius erudiri cupiunt. Idemque dicendum de eiusdem viri doctiſſimi commentatione, in memoriam iubilaei eccleſiae noſtrae ſecundi edita, atque inſcripta:

ſcripta: *initia reformationis Coburgenſis in vita Ioannis Langeri, primi ſuperintendentis ac paſtoris huius vrbis euangelici, deſcripta, in qua ſimul de ſcriptis Lutheri in Pathmo ſua Coburgenſi ſub Comitiis Auguſtanis confectis, ex inſtituto agitur, plurimaeque tum Lutheri, tum Melanchthonis epiſtolae ad Balthaſarem Thuringum, Ioannem Langerum, & alios exaratae, ac hucusque nondum editae, ſubiiciuntur &c.* Gothae anno 1717. 4. Quaenam PHIL. MELANCHTHONIS in eccleſiae pariter ac litterarum emendatione fuerint partes, neminem fugit. Quis autem, qualisue fuerit, omnium optime intelligitur ex IOACH. CAMERARII *narratione diligenti & adcurata de Philippi Melanchthonis ortu, totius vitae curriculo & morte, implicata rerum memorabilium temporis illius, hominumque mentione & indicio, cum expoſitionis ſerie cohaerentium;* recuſa Lipſiae 1696. 8. Atque idem CAMERARIVS cum etiam *narrationem de reuerendiſſimo & illuſtriſſimo principe Georgio, principe Anhaltino &c.* conſcripſerit, Lipſiae itidem anno 1696 iterum euulgatam; eam & hic commemorandam putaui; eo quod, quantum optimo huic principi eccleſiae emendatio, puriorisque doctrinae amplificatio, debeat, nemo ignoret, ex cuius etiam ſcriptis ELIAM VEIELIVM commentationem iſtam, qua *hiſtoriam & neceſſitatem reformationis euangelicae* exhibuit, confeciſſe antea diximus. Cuius dum hic iterum mentionem facimus; ſimul commendanda & iſta commentatio ſiue diſſertatio, qua VRBANI RHEGII *memoriam & merita in eccleſiam Dei tempore ſalutaris reformationis* renouauit, delineauitque, Vlmae an. 1683 typis exſcripta. Namque & hunc inter fidos Lutheri paraſtatas, primosque euangelicae veritatis adſertores, haud vltimum tenere locum, conſtat; de quo & legendus IOAN. GEORG. BERTRAMVS, in *der Reformations-vnd Kirchen-Hiſtorie der Stadt Lüneburg, part. II. cap. II. p. 49. ſeqq.* Nec immemores hic nos eſſe decet IO. BVGENHAGII, Pomerani, qui & *αὐτόπτης* Lutheri ac Melanchthonis conſtantiſſimus fuit, &, vt in plurimis inferioris Saxoniae, Cimbriae, Pomeraniae, vrbibus, immo & in regno Daniae, euangelii doctrina reciperetur, eccleſiaque emendaretur, contulit plurimum. *Hiſtoria Bugenhagiana* Haffniae an. 1706 prodiit, ad cuius clariorem expoſitionem *epiſtolam* eius *apologeticam ad Chriſtianum III Daniae & Norwegiae regem contra ſcriptores adiaphoriſticos &c. vna cum apologia eius aduerſus Martinum Bucerum* recudi curauit CHRIST. FRID. LAEMMELIVS, Hamburgi 1709. 4. qui & exactam ſcriptorum Bugenhagianorum deſignationem ſubiecit. Conferendus & IO. MOLLERVS, in *hypomnematibus* ad ALB. BARTHOLINI librum *de ſcriptis Danorum, p. 261.* vbi & plures, qui de BVGENHAGIO agunt, laudat. DESIDER. ERASMVS, Roterodamenſis, inter aduerſarios equidem Lutheri nomen ſuum profeſſus eſt; ita tamen in rebus quam plurimis ſe geſſit, vt eccleſiae romanae nocuerit magis, quam profuerit; vnde & apud quosdam eius defenſores hodie adhuc male audit. Accedit & magna viri eruditio, celebritasque; eiusque omnino hic rationem habere iubet. Legenda itaque de eo IO. ALB. FABRICII *exercitatio critica de religione Eraſmi,* Hamburgi 1717 euulgata; in cuius *cap. I.* de ERASMI meritis in religionem, litterasque praeclaras religionis adminiſtras, diſſerit, ſimulque ſcriptores de eo enarrat; hinc vero *cap. II.* quantum ad eccleſiae contulerit reformationem? disquirit. Commemorandus quoque adhuc eſt IOAN. REVCHLINVS, qui, dum primus in Germania ebraicarum, graecarum, aliarumque bonarum litterarum reſtaurator exſtitit; viam quodammodo ad eccleſiae emendationem muniuit. Varia, ad eum ſpectan-

ſtantia, ab HERMANNO VON DER HARDT in *hiſtoria litteraria reformationis, part. II.* exhiberi, antea iam indicauimus. Summatim res eius ac controuerſias exponit IO. HENR. MAIVS, in *vita Ioannis Reuchlini, Phorcenſis &c. in qua multa ac varia ad hiſtoriam ſuperioris ſaeculi, cum ſacram, tum profanam, remque litterariam ſpectantia, memorantur &c.* Durlaci anno 1687. 8. Agmen denique hic claudat ſtrenuus ille atque fortiſſimus reformationis a Luthero ſuſceptae propugnator VLR. DE HVTTEN, cuius ne vmquam oblitterari memoria poſſet, effecit IAC. BVRCKARDVS, qui *epiſtolam* eius *ad Bilibaldum Pirckhaimerum, patricium Norimbergenſem, qua & vitae ſuae rationem, & temporum, in quae aetas ipſius incidit, conditionem luculenter deſcripſit*, non tantum in lucem denuo protulit, ſed & *commentarium, quo illuſtris huius equitis fata & merita exponuntur*, ſubiecit, Wolfenbütteli an. 1717. 8. Mox, & eodem quidem adhuc anno, idem vir erudititiſſimus *commentarii* iſtius *partem poſteriorem*, cui *complures integrae a fortiſſimo hocce equite ad ſummos viros ſcriptae epiſtolae, inter quas numquam antea editae, inſertae ſunt*, in lucem emiſit; quam denique *pars tertia*, eaque poſtrema, cum *diplomate Maximiliani I imperatoris, quo Huttenus poëtae ac oratoris inſignibus &c. decoratus eſt*, itemque *epiſtolis* quibusdam, atque *aliis ingenii eius monumentis*, excepit, Wolfenbütteli an. 1723. 8.

Sequitur tertia claſſis ſcriptorum huc facientium, ſiue eorum, qui generatim iſtorum, aut ſequentium temporum hiſtoriam ita condiderunt, vt ad res eccleſiae ſimul reſpiciant. Atque hic, ad initium huius interualli quod attinet, vtramque paginam facit IO. SLEIDANVS, a Sleida oppido, in quo natus eſt, ita dictus, ob praeclarum illud & prorſus memorabile opus, ſeu commentarios *de ſtatu religionis & reipublicae ſub Carolo quinto caeſare*, quorum etſi ſupra iam *lib. prior. c. IV.* ad §. *XV.* facta eſt mentio, hic tamen de iis quaedam addere, non abs re fuerit. Conſtat *libris XXVI*, quibus rerum eo tempore geſtarum ſeriem ita complexus eſt, vt ab an. 1517 inciperet & cum an. 1556 finiret. Caroli v equidem imperatoris, Ioachimi II electoris Brandenburgici, Wilhelmi ducis Iuliacenſis, IVLII PFLVGKII epiſcopi Numburgenſis, & CHRISTOPH. CARLEVICII, qui Mauritii Saxoniae electoris a conſiliis fuit, ſiniſtra de eo paſſim circumferuntur iudicia; at haec, ſi modo omnia ab iſtis auctoribus profecta ſunt, cum iuſtis rationibus deſtituantur, fidem SLEIDANI labefactare nequeunt. Quin ſi verum eſt, quod Carolum v imperatorem de eo dixiſſe ferunt: *aut proditores habemus conſiliorum, aut ſcriptor ille familiaris ſpiritus reuelatione iſta didicit*, fides eius inde potius confirmatur. FLORIMVNDI RAEMVNDI, cuius calumniam ſupra iam retulimus, IOAN. COCHLAEI, CASP. SCIOPPII, & qui his recentiores, ſed non multo meliores ſunt, LVD. MAIMBVRGII & ANT. VARILLASII criminationes non moramur; cum quantum illis tribuendum ſit, hodie nemo neſciat. Ipſe etiam SLEIDANVS tum in *apologia*, repetitae *commentariorum* eius editioni praefixa, tum in *praefatione* ad Auguſtum Saxoniae electorem, cauſſam ſuam ſatis egit; quod & prorſus egregrie FRID. HORTLEDERVS fecit, in *praefatione* operis *de bello germanico inter Carolum V imp. & Smalcaldici federis capita & ſocios geſto.* Omnibus SLEIDANI obtrectatoribus vel vnicum IAC. AVG. THVANVM, virum ſummum, & ab omni partium ſtudio remotum, opponere licet, quippe qui, eum, vt ſupra iam monuimus, *hiſtoriam exacta fide & diligentia pertexuiſſe*, teſtatur, *virumque* vocat *eruditione & rerum agendarum peritia clarum*; *hiſtoriar. lib. XVII.* ſiue ad *annum* 1556. circa *finem, p. m.* 542. Grauiter de SLEIDANO pronuntiat, in *praeloquio*, *hiſtoriae* ſuae *Lutheraniſmi*

praemiſſo, VITVS LVD. SECKENDORFIVS: *Multum, immo, quod aequa ſectantibus ſufficiat, praeſtitiſſe Ioannem Sleidanum, certum eſt, qui omnes ſui temporis, de eadem re ſcribentes, longe infra ſe reliquit. Huic tamen mendacis notam, Caroli quinti etiam imperatoris dicterio, neſcio quam vere allegato, inurere ſoliti ſunt, & adhuc ſolent, aduerſae partis fere omnes, ex mera, credo, inuidia. Si enim demonſtrandum ſumerent, quod iactant, nae! illi fruſtra forent, aut leuia, & relatu referrent indigna, immo pauci absque Sleidano, quod legi mereretur, vnquam ſcripſiſſent, ſcriberentque. Quid enim, quaeſo, mentiri ille potuit, qui maximam narrationum partem, de rebus ad religionem ſpectantibus, in adferendis prolixe actorum verbis, cum taedio multorum, qui ad euentuum varietatem percipiendam properant, conſumit, & ad acta & ſcripta vbique prouocat, quae etiam pleraque adhuc exſtant, fidemque viri indubitabilem faciunt? Nec vllum facile hiſtoricorum rarius cenſurae eorum, quae refert, indulſiſſe crediderim.* Copioſius haec idem vir illuſtris in *addit. I.* exſequitur, & fidem ſinceritatemque SLEIDANI contra eius obtrectatores adſerit. Prima *commentariorum* iſtorum editio ſuperſtite adhuc auctore Argentorati prodiit, an. 1555. fol. quam plures aliae, ſed non omnes eiusdem generis, ſequutae ſunt. Translati quoque ſunt in linguam germanicam, gallicam, italicam. Inter continuatores eorumdem, quorum varii exſtiterunt, eminet MICH. CASP. LVNDORPIVS, cuius *continuatio Ioan. Sleidani, de ſtatu religionis & reipublicae,* tribus conſtat tomis in 8. quorum primus ab an. 1555 incipit, cum an. 1569 deſinit, alter ad annum 1595 procurrit, tertius denique cum an. 1609 operi finem imponit. Primus tomus Francofurti 1614, anno ſequenti alter, & tertius denique 1619 lucem adſpexit. Nonnulla, quae ad rerum, eo tempore, quo eccleſiae emendatio contigit, geſtarum, hiſtoriam ſpectant, ſuppeditat quoque DAV. CHYTRAEVS, in *Saxonia*, & GEORG. FABRICIVS in *Saxonia illuſtrata, ſeu originibus ſaxonicis libro ſeptimo & octauo*; ſed cumprimis commemorandus eſt IAC. AVG. THVANVS, hiſtoricorum, quos recentior aetas tulit, facile princeps, qui res eccleſiae & religionis minime ſibi negligendas putauit & alterum ſaeculi decimi ſexti dimidium complexus eſt, filumque adeo hiſtoriarum vsque ad initium ſaeculi decimi ſeptimi deduxit. Incipit namque ab an. 1545, aut potius 46 atque in anno 1607 ſubſiſtit. Mentionem eius iam ſupra fecimus, *lib. prior. cap. IV.* ad *§. XV.* vbi & IO. ANDR. BOSII noſtri de eo elogium, veritati prorſus conſentaneum, recitauimus; cui & ſimilia HERM. CONRINGII, IO. HENR. BOECLERI aliorumque iudicia addi poſſent. In eo omnes conueniunt, fidem & candorem in eo ſummopere eſſe laudandum. Praeclare iterum in *praeloquio, hiſtoriae Lutheraniſmi* praemiſſo, VITVS LVDOV. SECKENDORFIVS: *Magnae tamen inter hos* (Gallos) *ingenuitatis & modeſtiae exemplum dedit vir immortali laude digniſſimus Iacobus Auguſtus Thuanus, exiguam licet gratiam a multis ex ſuis ciuibus, & ab importunis quibusdam ex Germanis, reportans. Hunc ſi potius ſequi voluiſſet Maimburgius, quam Cochleum, Surium, Raemundum, & paris maledicentiae alios, aut ſi ex manuſcriptis, de quibus gloriatur, aliquid incognitum antehac, verum tamen, attuliſſet; multum ille nobis in adnotandis erroribus ſuis laborem praecauiſſet.* De editionibus *hiſtoriarum* THVANI quid obſeruandum ſit, docebit IO. PETR. TITIVS, in *Iacobi Auguſti Thuani voluminum hiſtoricorum recenſione*, Gedani 1685. 4. itemque auctor libelli: *Thuanus reſtitutus, ſiue ſylloge locorum variorum in hiſtoria Thuani deſideratorum,* Amſtelodami 1663. 12. cumprimis autem & IO. BVRC. MENCKENIVS, in *pleniori deſignatione praecipuorum hiſtoricorum* ſiue *vollſtandigem Ver-*

Verzeignis der vornehmſten Geſchicht-Schreiber, addita LANGLETI DV FRESNOY *methodo ſtudii hiſtorici pag. 242. 243.* Quemadmodum autem THVANVS hiſtoriarum filum vſque ad initium ſaeculi decimi ſeptimi produxit; ita, quae ad eiusdem ſaeculi prius dimidium ſpectant ab an. 1629 vſque ad 1654, SAM. PVFENDORFIVS in *commentariorum de rebus ſuecicis libris XXVI. ab expeditione Guſtaui Adolphi regis in Germaniam, ad abdicationem vsque Chriſtinae*, Vltraiecti 1686. fol. editis, ita perſequutus eſt, vt nec ea, quae ad religionem ſpectant, praetermitteret; quod & eo minus fieri potuit, quoniam romanenſium, cumprimis Ieſuitarum, id vnice agentium, vt proteſtantes in Germania opprimerent, molimina, bello, quod vocatur, tricennali, occaſionem praebuerunt. Idem de MICH. LE VASSOR *hiſtoria Ludouici XIII. Galliae regis*, gallice ſcripta, & decem voluminibus in 8. Amſtelodami an. 1700 ad 1711 edita, in qua non modo quae in Gallia, ſed vniuerſa Europa ab an. 1610 vſque ad an. 1643 memoratu digna contigerunt, exponit, aliisque eiusdem generis hiſtoricis, iis etiam, qui propius ad noſtra tempora accedunt, cenſendum; quos tamen omnes recenſere, inſtituti noſtri nec poſtulat, nec permittit ratio.

Propius adhuc nos tangunt, de quibus vltimo loco dicendum, qui id, ſi non vnice, certe praecipue agunt, vt res eccleſiae, a pace religioſa in Germania ſtabilita, ad noſtram vsque aetatem, ediſſerant; quod tamen ſi ab iis, qui vniuerſam hiſtoriam eccleſiaſticam compendiis aut inſtitutionibus ſuis, ſimilibusque ſcriptis, quae ſupra iam commemorauimus, aut partem quamdam ſpeciatim perſequuti ſunt, diſcedas, non adeo multi fecerunt. Nimirum poſt finitum bellum Smalcaldicum, pacemque religioſam conſtitutam, noſtra eccleſia per domeſtica illa certamina maxime turbata fuit, quae tandem per *formulam concordiae* compoſita fuerunt, atque conſopita. Scriptores huc facientes iam laudauimus, cum de *formula concordiae* verba faceremus *c. II.* libri huius, ad §. *VII.* Ad ſaeculum autem decimum ſeptimum ſi progrediamur; primum quidem certamina ſyncretiſtica ſe nobis offerunt, quibus vix vtcumque ceſſantibus, pietiſtica, quae vocantur, exorta ſunt; de vtrisque autem cum alibi dicturi ſimus, nihil nunc de ſcriptoribus, ex quibus eorum notitia haurienda eſt, addimus. Sic &, qui ſpeciatim, quae aut ad romanenſes, aut reformatos, aut alios, a noſtra eccleſia diſſentientes, pertinent, expoſuerunt, etſi hic quoque in cenſum veniant; non minus tamen & in theologia polemica locum ſibi vindicant. Generatim vero res eccleſiaſticas ſaeculi decimi ſeptimi enarrauit ANDR. CAROLI, abbas San-Georgianus in ducatu Würtembergico, in *memorabilibus ſaeculi a Chriſto nato decimi ſeptimi*, quorum tomus prior Tubingae an. 1697. poſterior ibidem an. 1702. 4. lucem adſpexit. Idem deinceps praeſtitit IO. WOLFG. IAEGERVS, in *hiſtoria eccleſiaſtica cum parallelismo profanae*, quae duobus itidem tomis, ſed in folio, conſtat; quorum alter, dimidium ſaeculi decimi ſeptimi prius complectens, Hamburgi an. 1709, alter dimidium poſterius, cum initio decimi octaui ſaeculi, ſeu primo decennio exhibens, ibidem an. 1717 prodiit. Ex romanae autem eccleſiae addictis huius loci adhuc eſt auctor libri: *memoires chronologiques, & dogmatiques, pour ſervir à l'hiſtoire eccleſiaſtique, depuis 1600 iusqu' en 1716*, qui an. 1723 ſine loci mentione quatuor voluminibus 12. prodiit. Eum ex Ieſuitarum ſocietate eſſe, partiumque ſtudium vbique prodere, viris doctis obſeruatum eſt; conf. *acta erudit. Lipſ. 1725. menſ. Mart. p. 138. ſeqq.*

§. IX.

§. IX. Praeteritorum ita habenda eſt ratio, ne praeſentem eccleſiae ſtatum negligamus; immo illorum huc maxime referenda cognitio, vt de hocce eo rectius judicare queamus. Conquirenda itaque obſeruandaque omnia, quae vſui nobis eſſe poſſunt, vt adcuratiorem eorum omnium, quae ad hunc ſpectant, nobis comparemus notitiam. *

* Vt merito reprehenduntur, qui de exterorum rebus ſolliciti, hoſpites ſunt in patria, ſeu rerum domeſticarum ignari; ita nec illi excuſandi, qui in rebus antiquis admodum curioſi, ad ea, quae ſua aetate geruntur, non attendunt. Non minus enim, quae apud nos, quam quae eo, quo viuimus, tempore eueniunt, proxime nos attingunt. Quod ſi etiam in ea, quae in eccleſia conſpicitur, ſcena, non actores ſimus, ſed ſpectatores; plurimum tamen iſtarum rerum conſideratio confert, vt recte nobis conſulamus, ſciamusque, quid laudare, quid improbare, quorſumue & vota noſtra & preces ad Deum dirigere debeamus. Cumque Phariſaeos pariter ac Sadducaeos ſeruator reprehendat, quod ſigna ſui temporis non diiudicarint, *Matth. XVI. 3.* noſtrarum omnino partium eſſe, patet, ne noſtri negligamus temporis ſigna. Eſtque haec ipſa, qua viuimus, aetas, vel maxime obſeruatu digna, quippe qua conflictus ille inter regnum lucis & regnum tenebrarum, in cuius deſcriptione praecipuum hiſtoriae eccleſiaſticae momentum conſiſtit, luculentiſſima ratione ſeſe exſerit; doctrinaeque ſacrae capita, plurima, ſpeciatim & ea, quibus, ceu fundamentis, chriſtiana religio innititur, tam valide aut impugnata aut propugnata ſunt, vt in praeterlapſis vix ſimile quid deprehendatur; ne quid de variis rerum mutationibus conuerſionibusque, aliisque memoratu dignis dicam, quae Numinis in his omnibus curam prouidentiamque ſingularem, bonitatem item pariter ac iuſtitiam apertiſſime loquuntur. Vt autem in hiſce omnibus ordine progrediamur; iuuabit, cuncta ita diſponere, vt primum ad noſtram eccleſiam, controuerſiasque, quae in ea agitantur domeſticas, attendamus; tum vero, quae apud romanenſes, hinc & apud reformatae eccleſiae addictos, agantur, conſideremus; tandem & antitrinitariorum, remonſtrantium, fanaticorum, indifferentiſtarum, atheorum, ſimiliumque hominum habeamus rationem. Nec praetermittenda prorſus ſtatus, in quo orbis chriſtianus verſatur, ciuilis conſideratio, praeſertim prout cum eo eccleſiae fata coniuncta ſunt; cumprimis autem & ad litterarum ſtudia, eorumque conditionem reſpiciendum; cum experientia magiſtra conſtet, plurima inde in eccleſiam aut commoda redundare, aut damna. Atque hinc etiam quam inire viam debeamus, vt eam, quae hodie eſt, eccleſiae faciem rite cognoſcamus, haud difficulter intelligitur. Librorum, qui quotidie magno numero prodeunt, & in quibus noſtri temporis controuerſiae, aut alia, quae huic inſtituto inſeruiunt, tractantur, notitia, cum vtramque hic faciat paginam; ephemerides illae eruditorum, ſimiliaque ſcripta, in quibus eiusmodi libri recenſentur, aut indicantur, & de quibus ſupra *libr. prior. cap. IV.* ad *§. XX.* dictum, hic vel maxime in cenſum veniunt. Idem de variorum monumentorum, ad hiſtoriam ciuilem praecipue ſpectantium, collectionibus cenſendum, in quibus & quae ad res eccleſiaſticas ſpectant, ſimul comprehenduntur; qualia ſunt, ANTONII FABRI *Europaeiſche Staats-Cantzeley;* item *ſelecta iuris publici*, & alia eiusdem generis. Atque ex hiſce cumprimis, quae proteſtantium hodie in imperio noſtro romano germa-

manico ſit conditio, condiſcere licet; quam ne ignoremus, noſtra vel maxime refert. Sed cum, quae in eiusmodi collectionibus occurrunt, interdum recte nequeant intelligi, niſi eorum, de quibus diſceptatur, prima origo ſeriesque, ad noſtra vsque tempora, perſpecta nobis ſit; conſulere iuuabit eos, qui viam nobis ad haecce paullo adcuratius introſpicienda muniunt. Documento eſſe poſſunt, quae de grauaminibus proteſtantium contra romanenſes paſſim occurrunt, & quibus vt tandem ſerio medela adferatur, illi anxie optant. Horum vero grauaminum quae ſit ratio, quoue nitantur fundamento, quo iure eiusmodi effundantur querelae, is demum recte intelliget, qui BVRC. GOTTHELF STRVVII *ausführliche Hiſtorie der Religions-Beſchwerden zwiſchen denen roemiſch-catholiſchen vnd evangeliſchen im Teutſchen Reich, von deren Anfang, Fortgang, vnd wahren Beſchaffenheit &c.* Lipſiae an. 1722 duobus tomis 8. aut CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNI *gründliche Vorſtellung derer in dem heiligen roemiſchen Reich teutſcher Nation obſchwebenden Religions-Beſchwerden &c.* itidem Lipſiae an. 1722. 8. perluſtrauerit. Sed plura addere non lubet.

§. X. Qui eccleſiae cuiusdam particularis hiſtoriam deſcribunt, ſi ea, qua par eſt, ratione, in iſto inſtituto verſentur, vti omni laude digni, ita minime negligendi ſunt. Etſi enim fieri nequeat, vt omnia, quae in ſingulis eccleſiis contigerunt, memoria complectamur, nec etiam hoc neceſſe ſit; ſubinde tamen eiusmodi ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae vniuerſali lucem conciliant egregiam; interdum etiam contingere poteſt, vt notitia eorum, quae in eccleſia particulari contigerunt, nobis certas ob rationes ſit neceſſaria. *

* Sermo nimirum eſt de iis, qui non tantum gentis cuiusdam aut regni, ſed ſingularum prouinciarum aut vrbium hiſtoriam eccleſiaſticam deſcripſerunt. Diligenter eos enarrant CASP. SAGITTARIVS, in *introd. in hiſtoriam eccleſiaſticam c. XIX.* & *XXI.* & IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *ſupplementis* ad *h. l.* Dubitari etiam nequit, quin ſubinde in iis quaedam obſeruatu digna occurrant; praeſertim cum in facta nonnulla particularia, quae tamen ſcire omnium refert, maiori ſtudio & induſtria inquirere queant, quam qui, vniuerſalem hiſtoriam eccleſiaſticam ambitu ſcriptionis ſuae complectentes, ad plura animum intendere, opus habent. Nec tamen ideo neceſſe fuerit, vt quoslibet eiusmodi ſcriptores euoluamus. Vt enim propter illorum numerum commode hoc fieri nequit; ita & ſuperuacaneum foret; cum plurimi illorum talia tradant, quae aut nullius, aut paucorum, aut certe illorum ſolum, qui in eccleſia, cuius hiſtoriam enarrant, viuunt, ſcire intereſt. Forte etiam non errauero, ſi dixerim, haud exigua eiusmodi ſcriptorum parte nos carere poſſe; cum paucae admodum ſint eccleſiae, in quibus talia contigerunt, quae mereantur, vt eorum memoria ad poſteros publicis monumentis propagetur. Hiſtoriam rerum illuſtrium eſſe memoriam, alibi, praeeunte CICERONE, diximus; quod non ab omnibus, qui, cuiuslibet prouinciae aut vrbis hiſtoriam eccleſiaſticam condere, in animum inducunt ſuum, obſeruatur. Inter maxima hoc merito refertur incommoda, quibus hiſtoria tum eccleſiaſtica tum litteraria laborat; quamquam nec ciuilis eorumdem plane expers ſit. At non omnes vno eodemque habendi ſunt loco. Quidam enim dum prouinciae cuiusdam aut vrbis hiſtoriam eccleſiaſticam, ex monumen-

mentis fide dignis erutam, ſiſtunt, talia ſimul commemorant, quae, vt merito ab omnibus cognoſcuntur, ita alibi non temere obuia ſunt, aut ſi alibi iam occurrunt, noua luce ea perfundunt. Sic, quae CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS, in *hiſtoria eccleſiaſtica Pruſſica* germanice ſcripta, *lib. II. cap. II. & III.* de Andrea Oſiandro & controuerſiis Oſiandriſticis, *cap. V.* de Heshuſio & Wigando, & quae ſunt eiusdem generis longe plurima, refert, legiſſe, poenitebit neminem. Idem cenſendum de IO. GEO. BERTRAMI *Reformations - vnd Kirchen - Hiſtorie der Stadt Lüneburg*, & quae de Vrbano Rhegio, de Georgio Wicelio, de Caſp. Hermanno Sandhagenio, ceteris que lectu digna adfert, ne quid de iis dicam, quae ad formulam concordiae aliaque magni momenti eccleſiae noſtrae negotia ſpectant; item, de PHIL. IVLII RHETMEYERI *Kirchen - Hiſtorie der Stadt Braunſchweig*, & quae de Martino Chemnitio, de corpore doctrinae Iulio, aliisque hiſtoriae eccleſiaſticae capitibus, quae ignorare neminem decet, diſſerit. Atque hi quidem, atque reliqui, qui ſimilia dederunt, vt iure meritoque laudantur; ita de vniuerſali non minus, quam vrbium iſtarum aut prouinciarum, de quibus commentati ſunt, hiſtoria eccleſiaſtica praeclare meriti ſunt, minimeque ab iis negligendi, qui in hocce litterarum genere proficere cupiunt.

§. XI. Quemadmodum autem non deſunt, qui aut ignorantia excaecati, aut partium ſtudio abrepti, vel aliis adfectibus prauis in transuorſum acti, hiſtoriam eccleſiaſticam corrumpunt, efficiuntque, vt pro Iunone nubem, pro veritate figmenta amplectamur; ita caute & circumſpecte hic incedendum eſſe, quilibet intelligit; cumprimis vero & cauendum, ne praeiudicatis opinionibus locum relinquentes, ipſimet nos decipiamus, & in veritatis nos impediamus inueſtigatione. *

* Ad veritatis cognitionem vt in omni ſtudiorum genere, ita & in hiſtoria, praeſertim eccleſiaſtica, cuncta referenda eſſe, nemo, qui exoptatum inde reportare fructum cupit, dubitabit. Hoc autem vt priuemur, fineque adeo, quem nobis conſtituimus, excidamus, duplici maxime ratione contingere poteſt; primum, ſi eiusmodi ſequamur duces, qui figmenta nobis fabulasque narrantes, in deuia nos ſecum abripiunt; deinde, ſi ipſimet veritatem ſerio non quaeramus, nec eam vbi ſe offert, admittere aut parati, aut apti ſimus.

Ad prius quod attinet, hiſtoriam eccleſiaſticam fabulis atque commentis quam plurimis commaculatam eſſe, eosque ipſos auctores, qui, ſe viam ad veritatem monſtrare, profitentur, in grauiſſimis verſari erroribus, eaque, quae in lucem proferre volunt, nouis inuoluere tenebris, vt magna adeo hic opus ſit circumſpectione, neminem fugit. Eiusque rei non vna adferri poteſt ratio. Nonnullis enim ignorantia obſtat, quo minus, quae vera ſint, ſcribere potuerint; eaque iterum, aut ex defectu documentorum, ex quibus rerum geſtarum notitia haurienda, aut ex deſidia quadam atque negligentia, orta, dum ipſimet eo, quo par erat, ſtudio non elaborarunt, vt vera cognoſcerent. Et ad documenta quidem, quae primos hiſtoriarum fontes nobis aperiunt, quod attinet; maiores hic occurrere difficultates, quam vulgo putant, alibi iam obſeruatum eſt. Non procul hinc remoti ſunt, qui ex recentioribus, veteris eccleſiae hiſtoriam tradituri, ſcriptores, ex quibus ea depromenda, non recte intelligunt. Sic, cum graeci ſcriptores in ſex priorum ſaeculorum a Chriſto nato

interuallo vtramque faciant paginam; nihil certi nihilque eximii ab iis ſperare licet, qui iſtius temporis res eccleſiaſticas deſcribunt, nec tamen graecae linguae ſatis periti ſunt. CAES. BARONIO linguae iſtius ignorantiam obſtitiſſe, quo minus veritati ſemper litaret, ſupra iam obſeruauimus. Idem vero, cum graeca EVSEBII non intelligeret, verſionemque IOAN. CHRISTOPHORSONII parum exactam ſequeretur; fieri aliter non poterat, quam vt ſubinde a recto aberraret tramite. Alios rurſus praeiudicatae ita in transuorſum agunt atque excaecant opiniones, vt, etiamſi narrent nobis, non quae geſta ſint, ſed quae ipſi geſta vellent, veriſſima tamen eſſe, quae commemorant, ſibi perſuadeant. Tantam nimirum caliginem menti hominum eiusmodi opiniones offundunt, vt, licet in auctoribus, ex quibus ſua deriuant, longe alia exſtent; ea tamen in iis ſe inuenire, credant, quae inuenire cupiunt. Grauior adhuc illorum culpa eſt, qui, cum deſtinato animi conſilio falſa narrant, hinc ea ſolum ſeligunt, quae cauſſae ſuae inſeruire putant, reliqua praetermittunt, aut auctorum, quos ſequuntur, peruertunt ſenſum, aut eos, aliaque monumenta corrumpunt, aut ſcripta ſuppoſititia pro veris & genuinis venditant. Atque hoc illorum praecipue vitium eſt, qui, ſtudio partium abrepti, ea tantum, ceu vera, obtrudere lectoribus adlaborant, quae ſectae illi, quam ſequuntur, ſunt honorifica, & ad eam tuendam commendandamque faciunt. Accedit denique credulitas, cum ſuperſtitione plerumque coniuncta, qua inducti nonnulli quibusuis narratiunculis ſtatim fidem adhibent, easque in litteras referunt, propagandas ita ad poſteros, & aliorum ſubinde mendaciorum acceſſione mirum in modum augendas. Sed de cauſſis hiſce, quibus moti nonnulli hiſtoriam eccleſiaſticam corruperunt, copioſius differit IO. CHRISTOPH. COLERVS, in *diſſertat. critica de corruptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae*, eiusdem *hiſtoriae Gothofredi Arnoldi* praemiſſa.

Ex hiſce itaque fontibus fabulae iſtae atque commenta fere innumera exorta ſunt, quorum vt nulla pars hiſtoriae eccleſiaſticae expers eſt; ita in vitis ſanctorum, quae romanenſibus tanto in pretio ſunt, laetiſſima cumprimis ſeges effloreſcit. Hinc miracula iſta, aut potius *miraculorum monſtra*, vt ipſemet MELCH. CANVS vocat, *de locis theologicis lib. VI. c. XI. p. 231.* Lectu digna, quae de fictis eiusmodi miraculis diſſerit vir doctiſſimus GEORG. WALLINVS, in *diſquiſit. de ſancta Genoueſa, part. II. ſect. VIII. p. 208. ſeqq.* Varia nimirum cum hac de re obſeruaſſet, *num credibile*, inquit, *eſt, perdices aſſatas, facto ſigno crucis, viuas iterum euolaſſe, quod ſanctus Nicolaus Toletanus feciſſe dicitur? Num credibile eſt, vitulum iam mactatum, & ab hoſpitibus iam conſumtum, peracto prandio vitae reſtitutum eſſe, & integrum, vt de ſancto Germano epiſcopo Antiſſiodorenſi in vita eius legitur? Num credibile eſt, imagines & ſimulacra ſudare, ſanguinem emittere, mammas accipere carneas, ambulare, cantare, loqui, qualem ego ſtatuam Pariſiis in monaſterio quodam vidi, numquam vero audiui? &c.* Fuerunt equidem in ipſa eccleſia romana, praeſertim inter Gallos, qui vitas patrum a figmentis eiusmodi craſſioribus repurgare conarentur; ſed in quamcumque mutentur formam, ſemper tamen remanere, quae ſapientioribus probari nequeunt, recte viri docti pronuntiarunt. Repetenda, quae *libri* huius *cap. IV.* ad *§. II.* copioſius hac de re diximus. Idem vero & de reliquis hiſtoriae eccleſiaſticae partibus cenſendum. Exſtiterunt namque rurſus recentiori aetate inter ipſos romanenſes viri doctiſſimi, IO. MABILLONIVS, SEBAST. NANVS TILLEMONTIVS, LVD. ELL. DV PIN, NAT. ALEXANDER, IOAN. LAVNOIVS, aliique, qui in emendanda hiſtoria eccleſia-

ſiaſtica, fabuliſque & inanibus commentis inde proſcribendis, laudabilem poſuerunt operam, multaque longe rectius, quam CAES. BARONIVS, aliique, tradiderunt. Qui vero, ab iis hocce Augiae ſtabulum ita repurgatum, exiſtimauerit, vt nihil amplius agendum reſtet; nae is falletur turpiter. Nec etiam omnibus in romana eccleſia iſtorum placere ſtudium, vel HONORII DE SANCTA MARIA exemplo conſtat, qui in *animaduerſionibus ſuper regulas & vſum artis criticae, ſpectantibus ad hiſtoriam eccleſiaſticam, opera patrum, acta antiquorum martyrum, vitas ſanctorum &c.* gallice ſcriptis, & an. 1713 & 17 duobus tomis in 4. Pariſiis editis, id omni niſu agit, vt artis criticae vſum in hiſtoria eccleſiaſtica, pront per eam vera a falſis, genuina a ſuppoſititiis diſcernuntur, ſuſpectum reddat, traditionem contra ſtabiliat, vt per eam exploſas dudum, ineptas & ridiculas fabulas in priſtinum dignitatis reſtituat locum; vti ex iis patet, quae fuſe de hocce opere diximus *cap. III.* libri huius ad *§. XI.* Refert namque omnino romanenſium, vt fabulae, ſi non omnes, ſaltem quaedam retineantur, ne, quam lubricis plurima illorum inſtituta ſuperſtructa ſint fundamentis, mortales agnoſcant. Meliora hinc a proteſtantibus exſpectare licet, qui & vlterius in fabulis ex hiſtoria eccleſiaſtica eliminandis progrediuntur, & progredi etiam poſſunt, quam cordatiſſimi romanenſium; quamquam & hi non ſemper hic ſuo, vt decet, fungantur officio, nec omnium naeuorum ſint expertes. Laudandum interim magnopere inſtitutum viri doctiſſimi, & de hiſtoria eccleſiaſtica praeclare meriti, IOAN. ANDR. SCHMIDII, qui *hiſtoriam eccleſiaſticam fabulis variorum maculatam* dare coepit, ea quidem ratione, vt per ſingula iret ſaecula, fabulaſque inſigniores, in iis occurrentes, indicaret & exploderet. Saeculum primum prodiit Helmſtadii 1700. 4. quod deinceps reliqua ordine ſequuta ſunt, vsque ad octauum, quod vna cum ſeptimo ibidem an. 1715 lucem adſpexit. An vir doctiſſimus vlterius progreſſus ſit? mihi non conſtat. Recentior vero hiſtoria eccleſiaſtica non minus figmentis eiusmodi & mendaciis laborat, quam antiqua. Studium enim partium, cum praeiudicatis, quae inde oriuntur, opinionibus, ceu praecipua corruptae hiſtoriae eccleſiaſticae cauſſa, omnibus fere cuiuscumque aetatis, & cuiuscumque ſectae ſcriptoribus, commune eſt, eosque in transuorſum agit, ſed tum maxime, cum de rebus ad eos, quorum partes ſequuntur, ſpectantibus verba faciunt. Nihil itaque ſine adcurato admittendum examine, cogitandumque, neminem tam exploratae fidei aut induſtriae eſſe, quin quandoque fallere, aut falli queat; nec tamen committendum, vt in alterum ruamus extremum, fidemque ſine praegnanti ratione melioris notae ſcriptoribus denegemus, & ita omnia vocemus in dubium.

Non tantum autem adcurate diſpiciendum, quosnam in hiſtoria eccleſiaſtica eligamus duces; ſed vt ad nos quoque attendamus, neceſſe eſt, an animo, ad veritatem inueniendam aut admittendam apto, ad hocce ſtudiorum genus accedamus. Atque hoc alterum illud, quo de aliquid monere voluimus, caput eſt. Qui hiſtorias, ſpeciatim & eccleſiaſticam, ideo legunt, vt ex rerum varietate delectationem quamdam capiant, cunctaque adeo ad voluptatem, quam vbique quaerunt, referunt; mirari non debent, ſi pro theſauro carbones ibi inueniant. Cumque eiusmodi hominibus extraordinaria & admiranda quam maxime placeant; apti etiam prae reliquis ſunt, qui fabulis lepidiſſimis & commentis quibusuis quam facillime fidem adhibeant. Sic & quibus conſtitutum eſt, nihil prorſus aut credere, aut admittere, quod non ſectae illi, cuius placita ſequuntur, conducat, aut cum eius de-

cretis conueniat; non multum ſapientiores recedent ab hiſtoria eccleſiaſtica, quam ad eam acceſſerunt. Non enim rite ponderabunt, quid quisque dicat; ſed, caeco abrepti impetu, probabunt, quod placeat; quod diſpliceat, reiicient atque damnabunt. Nec feliciter hic procedent, qui antiquis ſcriptoribus, ipſisque veteris eccleſiae doctoribus, quos patres vocant, aut plus, aut minus, quam decet, tribuunt. Illud enim qui faciunt, omnia facile credent, quae a veteribus dicuntur, omnia itidem, quae ab iis geſta ſunt, aut laudabunt, aut excuſabunt. Ad alterum contra qui extremum procurrunt, nihil tandem credent, aut ſemper, contrarium verum eſſe, contendent, omniaque a patribus geſta vituperabunt, aut in malam interpretabuntur partem. Vtrosque autem falli, poſitum eſt extra controuerſiam. Idem de illis cenſendum, qui, ab haereticis nihil, niſi mali, ab orthodoxis nil, niſi boni proficiſci poſſe, arbitrantur, hinc &, omnia haereticorum geſta reprehenſionem, orthodoxorum autem acta laudem promereri, exiſtimant; cum tamen aliquis haereticus eſſe poſſit, vt nihiloſecius recte quaedam aut dicat, aut agat, & orthodoxus, vt quaedam perperam aut doceat, aut adminiſtret. Non minus contra & illi falluntur egregie, qui hocce vitium euitaturi, in contrarium procurrunt, haereticosque vbique defendunt, orthodoxos vbique adcuſant. De dogmatibus cum ſpeciatim ſermo eſt, cauendum, ne ſententiam de iis pronuntiemus, priusquam nobis ſatis perſpecta ſunt. Multa haereticis tribuuntur, quae iis in mentem non venerunt. Diſpiciendum itaque adcurate, an notiones, quas veteres ſiue patres, ſiue haeretici, de rebus diuinis animo conceperunt, cum noſtris notionibus conueniant; Non enim omnes eodem modo de rebus diuinis aut cogitant, aut loquuntur; indeque contingere poteſt, vt eos diſſentire a nobis credamus, qui reuera non diſſentiunt, aut viciſſim, vt perſuadeamus nobis, quosdam conſentire, qui longe aliam animo fouent ſententiam. Sed & iſti a recto veritatis tramite facile deflectunt, qui aut dogmatis veritatem, aut cauſſae iuſtitiam, ex multitudine, vel auctoritate eorum, qui eius defenſionem ſuſceperunt, aut ex euentu etiam, ſi in concilio quodam adprobetur, aeſtimant. Errantium enim multitudinem, addo & auctoritatem celebritatemque, non patrocinari errori, veriſſime dici ſolet. Et ad euentum quod attinet, erronea non minus, quam vera dogmata, in conciliis ſtabilita & firmata fuiſſe, experientia conſtat. Rurſus tamen & illi falluntur, qui penes partem, quae in certamine quodam inferior eſt, ſemper veritatem & innocentiam ſtare, arbitrantur. Contingere equidem id haud raro ſolet, ſed non ſemper id ita ſe habere, exempla quam plurima docent. Interim cum, qui inferiori loco in iſta ſcena ſunt, vt tales, qui pro veritate duriſſima quaeque patiantur, quiue a potentioribus, dominatum ſibi in alios vindicantibus, vel ad papatum, vt loqui ſolent, adſpirantibus, adfligantur, vexentur, opprimantur, nobis ſiſtantur; commiſeratio, quae inde in lectorum animis excitatur, cauſſam illorum meliorem facere videtur, tandemque patronos ac defenſores inueniunt, qui ab omni errore pariter ac culpa, iudicio tamen interdum praepoſtero, eos abſoluunt. Plura alia eiusdem generis addere poſſem; ſed haec ſufficere arbitror, vt intelligamus, quem quis ſecum adferre debeat animum, qui, euitatis tot errorum, qui vbique in hiſtoria eccleſiaſtica ſe offerunt, vorticibus, totque praecipitiis, recto itinere ad veritatis contendere arcem cupit.

LIBRI POSTERIORIS
CAPVT SEPTIMVM
DE
THEOLOGIA POLEMICA.

Σύνοψις.

Theologiae polemicae nomine nobis quid veniat; eius neceſſitas; §. *I.*
Vt omni tempore fuerunt, qui errores diſſeminarent, ita & ſemper exſtiterunt, qui illis ſe opponerent; quod & in veteri teſtamento a prophetis, in nouo a Chriſto & apoſtolis factum; §. *II.*
Theologia polemica patrum ſcriptorumque eccleſiaſticorum ſaeculi ſecundi & tertii; §. *III.*
quarti, quinti & ſexti; §. *IV.*
ſeptimi, octaui, & noni; §. *V.*
decimi, vndecimi, & duodecimi; §. *VI.*
decimi tertii, decimi quarti, & decimi quinti; §. *VII.*
Alia vt eccleſiae, orbisque litterati, ita & theologiae polemicae ſaeculo decimo ſexto orta eſt facies; quinam ex noſtratibus in hac theologiae parte laudem quamdam conſequuti ſint? §. *VIII.*
itemque ex romanae pariter ac reformatae eccleſiae addictis; §. *IX.*
Quinam ſpeciatim in certis controuerſiarum generibus, obſeruandi ſint? §. *X.*
Vt abuſus theologiae polemicae euitetur, caute in ea atque circumſpecte incedendum; §. *XI.*

§. I.

PEr theologiam *polemicam* eam intelligimus theologiae partem, quae veritatem doctrinae, ex ſcriptura ſacra hauſtae, in rebus praecipue ad ſalutem conſequendam neceſſariis, contra inſultus diſſentientium rite defendere, & errores refutare docet, vt puritas iſtius doctrinae conſeruetur, & ita aeternae hominum ſaluti conſulatur. Quem eius finem, vti & multitudinem eorum, qui erroribus ſuis, falſisque dogmatibus, clariſſimam veritatis obſcurare lucem adnituntur, qui rite ponderauerit; de eius, in hocce eccleſiae ſtatu, non dubitabit neceſſitate.*

* Polemicam theologiam ἀπὸ τοῦ πολέμου denominationem ſortitam, nemo, niſi graecae linguae ignarus, neſcit. Nec inepte ita dicitur; quoniam ea nos cum veritatis diuinitus nobis patefactae hoſtibus rite expugnare aut dimicare docet. Quamuis autem vox πόλεμος in ſcriptura ſacra in hocce ſenſu non occurrat; idem tamen, ſi rem ipſam ſpectes, ſignificant aliae, quibus vtitur, vt ἐλέγχειν, *Tit. I, 9.* διακατελέγχειν, *act. XVIII. 28.* ἐπιστομίζειν, *Tit. II, 11.* φιμοῦν, *Matt. XXII. 34.* Cumprimis huc perquam apte quadrat verbum ἐλέγχειν, quippe quo id, quod caput eſt, ipſeque ſimul modus, exprimitur; cum hoc vnice in controuerſiis theologicis agendum ſit, vt rationibus euidentiſſimis ſolidiſſimisque diſſentientes erroris conuincantur, & ita in rectum veritatis

tatis

Digitized by Google

tatis tramitem reducantur. Nec inſolens eſt, vt polemica theologia etiam *elenchtica* vocetur; ſiquidem, vt alios taceam, FRANC. TVRRETINVM *inſtitutiones theologiae elenchticae* ſcripſiſſe, conſtat. Quemadmodum autem polemica theologia circa veritatem, ex ſcriptura ſacra hauſtam, ſi ab iis, quae ex recta quoque ratione conſtant, quaeue ad theologiam naturalem potius ſpectant, diſcedas, verſatur; ita ex ſcriptura ſacra arma quoque ſua, quibus in profligandis erroribus vtitur, depromit, niſi κατ' ἄνθρωπον diſputando, alia interdum, vt patrum teſtimonia, adſumat. Cumque ea, ſuper quibus certari ſolet, non ſint vnius generis; hic tamen praecipue in cenſum veniunt, quae ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, quaeue adeo prae reliquis pondus aliquod atque momentum trahunt. Quae enim ita comparata non ſunt, aut praetermittit, aut pro re nata leuiter attingit. Ad *finem* quod attinet, is cum vnice in eo poſitus ſit, certe eſſe debeat, vt veritas conſeruetur, & ita noſtra pariter ac aliorum ſalus aeterna promoueatur; quam procul inde diſcedant, qui ideo pugnant, vt ſolum vincant, aut nominis celebritatem conſequantur, aut aliis omnino noceant, manifeſtum; ſed hac de re deinceps ad §. *XI.* plura dicemus. *Neceſſitatem* itaque theologiae polemicae, nemo temere, qui haec omnia rite penſitauerit, in dubium vocabit. Neceſſitatem nimirum non *abſolutam*, ſed *hypotheticam* intelligo, ſeu quae ex praeſenti eccleſiae ac generis humani ſtatu reſultat. Infinitas enim hominum de rebus ſcitu cognituque ad ſalutem neceſſariis eſſe diſſenſiones, & eiusmodi quidem diſſenſiones, vt quod vnus adfirmat, id alter neget, ecquis ignorat? Cum ergo vtrumque ſimul verum eſſe nequeat; alterutrum in errore, qui ſaluti eius noxius eſſe queat, verſari, oportet. Inquiſitione itaque ac diiudicatione opus eſt, vt verum a falſo diſcernatur, illudque ita in aprico ponatur, vt quilibet, quam ingredi viam debeat, certo cognoſcere queat. Id vero polemicae theologiae munus eſt, qua doctores eccleſiae eo minus carere poterunt, quo certius ſciunt, ſibi hoc datum atque iniunctum eſſe, vt aliis viam veritatis monſtrent, eosque, quae fugere, quaeue conſectari debeant, condoceant. Idque apoſtolus confirmat, dum, ipſam ſcripturam ſacram vtilem eſſe πρὸς ἔλεγχον, dicit, *II. Tim. III. 16*; quod adſerere non potuiſſet, niſi eadem ad refutandos errores aliorum, doctrinaeque ſacrae puritatem conſeruandam, vti deberemus. Quin immo idem gentium doctor, epiſcopi hoc munus eſſe, diſerte ait, ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας, *Tit. I. 9.* Eamque ob cauſſam & *paſtores* vocantur, quod non tantum paſcere gregem, ſed lupis etiam, ſeu pſeudo-doctoribus, ſe opponere debeant; *I. Petr. V. 2. Matth. VII. 15. act. XX. 28. 29.* Addere poſſem exemplum prophetarum in veteri teſtamento, & ipſius ſeruatoris noſtri, atque apoſtolorum, ſed de hoc mox plura dicemus. Ex inſtituto neceſſitatem theologiae polemicae euincendam ſibi ſumſit IO. FECHTIVS, in diſſertatione, *ſtudium theologiae polemicae contra fanaticos & nouatores, nominatim Gothofridum Arnoldum defenſum* inſcripta excuſaque Roſtochii 1704. 4. Patet ex ea, quinam theologiam polemicam reiecerint, aut non adeo praeclare de ea ſenſerint; quamquam nonnulli de abuſu potius, aut vitiis, culpa doctorum cum ea coniunctis, loqui videantur. Dictum etiam hac de re in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten*, *cap. I. §. XII. XIII.* Qui theologiae polemicae hiſtoriam ex inſtituto ſcripſerit, aut notitiam librorum eo pertinentium ſuppeditauerit, praeter eos, qui generatim de ſcriptoribus eccleſiaſticis aut theologicis commentati ſunt, mihi non innotuit. ADRIAN. BAILLETVS equidem

dem in libro: *des ſatyres perſonelles traité hiſtorique & critique de celles, qui portent le titre d' anti*, Pariſiis an. 1689 duobus tomis in 8 edito, dum libros, in quorum fronte *anti* conſpicitur, recenſet, variorum quoque ſcriptorum, ad theologiam polemicam ſpectantium, mentionem iniicit; ſiquidem illud *anti*, ad aduerſarios, quibuscum pugnam inimus, relatum, in ſcholis quoque theologorum, longe eſt frequentiſſimum; praeterquam vero, quod non ſolum theologica, ſed & alia, vocula *anti* notata, enumeret ſcripta; ea, quae ex illis attingit, vtpote particula hacce inſignita, vix minimam partem polemicorum conſtituunt. Nonnulla tamen, quae huius loci ſunt, eaque lectu non indigna, ſuppeditat.

§. II. Quemadmodum autem ſemper exſtitere homines, qui vitiis ſuis, variisque ingenii commentis indulgentes, a recto veritatis tramite & diſceſſerunt ipſi, & alios ſeducere adlaborarunt; ita numquam etiam non exſtiterunt, qui diuinitus excitati illorum ſe opponerent auſibus, veritatemque propugnarent fortiter. Idque iam in veteri teſtamento a prophetis, aliisque viris ſanctis, in nouo ab ipſo Chriſto atque apoſtolis ea ratione factum, vt exemplum, quod imitaremur, nobis reliquerint.*

* Pugnandum quidem veteris teſtamenti viris ſanctis atque prophetis praecipue fuit cum vitiis, profanisque mortalium moribus: non minus tamen id quoque eos egiſſe, vt errores, prauaque dogmata reprehenderent, & profligarent, exempla, in ſcriptura ſacra obuia, teſtantur. In *libro* namque *Iobi* refutantur, qui diuinam ideo in dubium vocabant prouidentiam, quod improbis cuncta ex voto ſuccederent, cum piis contra atque ſanctis viris cum variis confligandum eſſet calamitatum generibus. Idem argumentum contra eosdem homines, quos recentior aetas a celeberrimo erroris defenſore Epicureos vocauit, ſubinde tractatur in pſalmis, e. g. *pſalm XXXVII. XXXIX. XLIX. LII. LXIII. LXXIII. LXXVI.* alibique. Atheos, qui eiusdem cum iſtis hominibus commatis erant, refellit rex ſanctiſſimus Dauid *pſalm. XIV.* Rurſus vero & cum illis iis dimicandum fuit, qui ſuperſtitione abrepti idolorum cultui dediti erant, eumdemque defendebant; cui tot acerrime prophetarum oppoſitae fuerunt conciones. Nimirum atheiſmus ex rationaliſmo prognatus, & ſuperſtitio in idololatriam erumpens, duo ſunt iſti ſcopuli, quorum alterutri adhaereſcunt, qui a regia veritatis via diſcedunt. Atque in hiſce fontes praecipuos omnium errorum, quibus in transuorſum mortales aguntur, atque haereſium, conſpicere licet. Idque eundo per exempla facile demonſtrare poſſem, ſi hoc nunc agerem.

Cum poſt captiuitatem babylonicam Patriis ſedibus reddita eſſet gens iudaica, audita primum in ea ſunt ſectarum nomina; quemadmodum & eodem circiter tempore graecanica philoſophia caput tollebat, in diuerſas ſcholas atque ſectas ſucceſſu temporis diuidenda. Hinc Ionicorum, Eleaticorum, aliaque nomina; hinc Socrates cum ſophiſtis pugnabat, a Platone diſſentiebat Ariſtoteles, ab vtroque Cynici, & Stoici, ab his iterum alii, & ſic porro. Nec de Iudaeorum ſectis aliter loquitur FL. IOSEPHVS, quam de ſectis philoſophorum graecanicorum; *lib. II. de bello iudaico, cap. XII.* Vt autem in grauiſſimis maximique momenti capitibus a ſe inuicem diſſentiebant Phariſaei atque Sadducaei;

ducaei; ita, quin ſe inuicem ſubinde refutauerint, dubitare non licet. Eſſaeos, vitam practicam vnice ſectantes, a diſputationibus prorſus fuiſſe alienos, vt credamus, par eſt. Tandem autem ad doctrinae, in omnibus hiſce ſectis admodum corruptae, emendationem acceſſit ſeruator redemtorque hominum, Ieſus Chriſtus. Hic vitam equidem moreſque, non minus tamen & errores, Phariſaeorum, grauiter redarguit, *Matth. V. 20. ſeqq. XXIII. 1. ſeqq.* Sed & Sadducaeos conuicit, & ad ſilentium redegit, *Matth. XXII. 23.* Quod quemadmodum ita fecit, vt ſapientiam eius ſummam admiremur merito; ita exemplum reliquit, quod imitari omnes debent, conuincendo aduerſarios ſolide, vt non deſineret eſſe πραῢς καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. *Matth. XI. 29.*

Apoſtolis, qui magiſtri ſui ſequebantur veſtigia, cum variis hominum generibus, qui doctrinae euangelii ſe opponebant, dimicandum fuit. Nec errauerit, qui, totam illorum vitam velut perpetuum aliquod fuiſſe certamen, adſeruerit. Colluctandum namque iis fuit cum ethnicis, cumque Iudaeis, vtriſque nondum conuerſis; porro cum Iudaeis, qui doctrinam quidem euangelii amplexi erant, ſed iudaiſmum ſimul cupiebant retinere; ex quorum numero pſeudapoſtoli erant; tandem &, cum haereticis, qui chriſtianorum nomen ſibi vindicabant, quo prorſus indigni erant. Quatuor itaque eo tempore agitabantur controuerſiarum genera. Cum ethnicis diſputabatur, an felicitas quaedam aeterna ſperanda ſit; & ſi ſperanda, vtrum ethnici viam rectam ad eam perueniendi tenerent, an vero apoſtolorum eam panderet doctrina? conf. *actor. XIV. 17. Eph. II. I. Theſſal. I. 9. 10.* Inter Iudaeos nondum conuerſos, & apoſtolos, quaeſtio agitabatur: an Ieſus Nazarenus ſit verus ille, patribuſque promiſſus, Meſſias? & hinc porro, vtrum iuſtitia & ſalus aeterna ex obſeruatione legum Moſaicarum, an vero ex fide in Chriſtum, ſperanda? Cum autem nonnulli ex Iudaeis, qui conuerſi erant, iudaica inſtituta cum fide chriſtiana coniungere vellent; enata hinc eſt controuerſia, a Paulo maxime cum pſeud-apoſtolis agitata: vtrum ad conſequendam ſalutem aeternam iudaica inſtituta cum fide chriſtiana coniungenda ſint, an vero ſola fides chriſtiana ſufficiat? Quae cum haereticis iſtius aetatis diſceptabantur, quartam controuerſiarum claſſem conſtituunt; nec vnius erant generis; quemadmodum & quorumdam diſerte in ſcriptura ſacra mentio iniicitur, vt Hymenaei atque Phileti, *II. Tim. II. 17. 18.* itemque Nicolaitarum *apoc. II. 6. 15.* aliorum autem indicantur ſolum atque refelluntur errores. Atque ex horum numero Simonianos, Cerinthianos, gnoſticos eſſe, nonnulli exiſtimant, ad quorum errores ſpeciatim Paulus in epiſtolis ſuis hinc inde reſpiciat. Dubioque caret, quod apoſtoli, praeſertim Paulus, interdum eiusmodi hominum errores atque commenta perſtringant; quod cumprimis ex epiſtola *ad Coloſſenſes* liquet, quae tota fere eo comparata eſt; quosnam autem ſpeciatim ex iſtius aetatis haereticis haec feriant, certo adſeri nequit, & quidquid viri docti hac de re adfirmant, ad meras coniecturas redit, licet quaedam admodum ſint veroſimilia. Exempla ſuppeditat THOM. ITTIGIVS, *de haereſiarchis aeui apoſtolici & apoſtolico proximi, ſect. I. cap. V. §. V. p. 53.* & alibi. Summatim de controuerſiis, tempore apoſtolorum agitatis, verba feci in *diſſertat. de ſtatu eccleſiarum apoſtolic. §. VII. ſeqq.* Omnibus autem iſtis, qui doctrinae euangelii aduerſabantur, ita obuiam ibant apoſtoli, ſpeciatim Paulus, vt exemplo ſuo docerent, qua ratione in controuerſiis theologicis rite verſandum ſit. Obſeruare enim hic licebit ſeueritatem, ex zelo diuino profectam; verba, nihil aliud, quam animi ſanctitatem ſum-

ſummam ſpirantia; elenchum, & rationum pondere, & dictorum grauitate efficacem; ſimulque intelligitur, pro doctrinae puritate contra haereticos ita decertaſſe apoſtolos, vt de morum quoque innocentia conſeruanda non minus eſſent ſolliciti. Inter Pauli autem apoſtoli epiſtolas cumprimis ea, quam *ad Romanos* ſcripſit, conſummatum aliquod theologiae polemicae ſpecimen praebet.

Apoſtolorum preſſerunt veſtigia ſocii illorum atque diſcipuli, viri apoſtolici. Hos inter commemorandus praecipue eſſet BARNABAS, Pauli apoſtoli comes fideliſſimus, donec lite inter eos oborta ſepararentur, ſi genuina eſſet, quae ſub eius nomine circumfertur epiſtola. Diſputatum ea de re acriter fuit inter viros doctos: nec noſtrum nunc eſt, eam componere litem; quamquam probabilior illorum mihi videatur ſententia, qui, genuinam eſſe, negant. Occurrunt enim in ea quaedam BARNABAE nomine non digna; &, iam olim eam vt ſpuriam reiectam fuiſſe, EVSEBIVS nos condocet, *hiſt. eccleſ. lib. III. cap. XXV.* & HIERONYMVS, in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſt. cap. VI.* Quidquid huius ſit, inter polemica ſcripta eam referendam, concedet, qui intellexerit, gnoſticis eam maxime fuiſſe oppoſitam. Audire hac de re iuuabit HENR. HAMMONDVM: *apoſtoli Barnabae epiſtola ex hoc vno charactere gnoſticorum commode poterit explicari, alias certiſſimam lectori crucem factura. Iſti quippe Simonis adſeclae,* γνῶσιν, *id eſt, ſacrae ſcripturae myſticam interpretandi facultatem ſibi arrogantes, multa veteris teſtamenti myſteria ad impuros ſuos vſus accommodabant. Sic de illis Polycarpus epiſtola ad Philippenſes:* ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ· *& fuſe Epiphanius in haereſi Gnoſticorum. Hinc Barnabas hac fere epiſtola vniuerſa ſua veteris inſtrumenti loca quam plurima myſtice etiam & kabbaliſtice expoſita, Gnoſticorum doctrinis opponit; primo vt Chriſtum [illegible] & paſſum [illegible], quod a G[illegible] quit,* ἡ γνῶσις, [illegible] ελλοντα φανερῶσθαι ὑμῖν Ἰησοῦ, *diſcite, quid ſcienti i dicit, ſpem ſcilicet omnem in Ieſu in carne manifeſtando ponendam eſſe, & iſtiusmodi multa. Secundo vt circumciſionem, & ritus Moſaicos abolitos concluderet. Deum enim comparaſſe populum dilecto ſuo, qui in ſimplicitate eſſet crediturus, & oſtendiſſe omnibus, vt non incurrant, tamquam proſelyti ad illorum legem, quam Gnoſtici iudaizantes obſeruandam contenderunt. Tertio denique vt* πορνείαν, παιδοφθορίαν, ἀκαθαρσίαν *omnigenam, a leporis, hyaenae, muſtelaeque interdictione Moſaica fugiendas ſuaderet: quibus vbique* γνώσεως *mentionem immiſcet, eiusque duplex genus proponit; vnum* ὁδὸν τοῦ φωτός, *viam lucis; alterum* τὴν τοῦ μέλανος ὁδὸν σκολιὰν καὶ τῆς κατάρας μεστήν· *nigri ſeu tenebrarum viam, obliquam & execrationis plenam.* Haec HAMMONDVS, in *diſſertationibus quatuor, quibus epiſcopatus iura adſtruuntur &c. diſſertat. I. cap. VII. p. 22.* quae & ex eo repetit, vt ſimul adprobet, STEPH. LE MOYNE, in *notis & obſeruationibus ad varia ſacra p. 601. 602.* Nec negauerim, auctorem huius epiſtolae ſubinde gnoſticos perſtringere; eum autem BARNABAM, Pauli apoſtoli comitem, eſſe, ſupponit quidem HAMMONDVS, nondum euicit. Exiſtimat quoque HAMMONDVS, vt ex verbis eius adlatis patet, POLYCARPVM, in ſua *ad Philippenſes* epiſtola, gnoſticos ferire. Quod in meram iterum abit coniecturam; quamquam non negauerim, ad haereticos ſui temporis, quos inter & gnoſtici erant, Polycarpum reſpexiſſe. Sed de Polycarpo deinceps dicemus.

Quemadmodum autem apoſtoli, virique apoſtolici, iam ſaeculo primo, & viua voce, & ſcriptis, veritatem caeleſtem contra haereticos defendebant; ita nec hi intermittebant quidquam, quod ad propagan-

gandos & diſſeminandos errores facere poterat. Nec dubitandum, quin ſcriptis idem fecerint; etſi nihil eorum, niſi pauca quaedam fragmenta, ad nos peruenerit. Ab ipſo SIMONE mago libros quosdam ſcriptos, innuit auctor *recognitionum*, quae CLEMENTI Romano tribuuntur, *lib. II. §. XXXVIII.* itemque auctor *conſtitutionum apoſtolicarum*, ſub eiusdem CLEMENTIS nomine confictarum; *lib. I. cap. XVI. p.m. 345.* editionis IO. BAPTIST. COTELERII. Et in poſteriori quidem loco verba ita ſe habent: οἴδαμεν γὰρ ὅτι οἱ περὶ Σίμωνα καὶ Κλεόβιον, ἰώδη συντάξαντες βιβλία ἐπ' ὀνόματι Χριστοῦ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, περιφέρουσιν εἰς ἀπάτην ὑμῶν τῶν πεφιληκότων Χριστὸν καὶ ἡμᾶς τοὺς αὐτοῦ δούλους· *Scimus quippe, Simonem & Cleobium venenatos libros nomine Chriſti ac diſcipulorum eius compoſuiſſe, atque circumferre, ad decipiendos vos, qui Chriſtum, nosque ſeruos eius dilexiſtis.* Idem confirmat HIERONYMVS, *comment.* ad *cap. XXIV. Matthaei*, vbi de Simone; *haec quoque inter cetera in ſuis voluminibus ſcripta dimittens: ego ſum ſermo Dei &c.* Horum SIMONIS voluminum quodnam fuerit argumentum, ex verbis, quae in *conſtitutionibus apoſtolicis l.c.* ſequuntur, videtur colligi poſſe. Ita namque auctor iſte, quibusdam interiectis, pergit: τοιαῦτα καὶ νῦν ἐκδεδώκασιν οἱ δυσώνυμοι, διαβάλλοντες δημιουργίαν, γάμον, πρόνοιαν, τεκνογονίαν, νόμον, προφήτας· βάρβαρά τινα ὀνόματα ἐγγράψαντες, καὶ ὡς αὐτοί φασιν, ἀγγέλων, τὸ δ' ἀληθὲς εἰπεῖν, δαιμόνων, τῶν αὐτοῖς ὑπηχούντων· *Conſimiles libros nunc quoque ediderunt inauſpicati homines, calumniantes creationem, nuptias, prouidentiam, procreationem liberorum, legem, prophetas; adſcribentes barbara quaedam nomina, ſcilicet vt ipſi dicunt, angelorum, vt verum autem proferatur, daemonum, quorum adflatu loquuntur.* Ex hiſce priora ſolum ad libros SIMONIS pertinere, obſeruat IO. ERNEST. GRABIVS; vtpote quem contra creationem Dei varia in ſcriptis ſuis obieciſſe, fragmenta eorum in MOSIS BAR CEPHA, ſyri epiſcopi *part. III. commentar. de paradiſo cap. I.* obuia, ſatis oſtendant; in *ſpicilegio patrum vt & haereticorum ſaeculi I. p. 306.* vbi & integrum MOSIS BAR CEPHA locum exhibet. Recte porro idem vir doctus inde colligit, libros SIMONIS, ſaltem aliquos, formam diſputationum habuiſſe, quibus doctrinam Moſis, prophetarum, & apoſtolorum impugnauerit, adeoque ſpecimen *pſeudo-theologiae polemicae exhibuiſſe.* Hoc inde porro confirmat, quod apud pſeudo-DIONYSIVM areopagitam, *lib. de diuinis nominibus cap. VI. §. II.* commemorentur τῆς παρανοίας Σίμωνος ἀντιῤῥητικοὶ λόγοι *veſani Simonis confutatorii ſermones*, nimirum contra vitam aeternam, ſiue immortalitatem animarum, quam & in diſputatione cum Petro, *lib. III. recognit. §. XXIX. ſeqq.* in dubium vocauerit. Atque haec, licet ita comparata ſint, vt extra controuerſiam ponere videantur, SIMONEM libros quosdam polemicos ſcripſiſſe; poſſent tamen adhuc, ne quid diffitear, quaedam contra ea moueri dubia. Teſtimonium pſeudo-CLEMENTIS non magni eſt momenti. HIERONYMVS falli potuit, vt libros, ſub SIMONIS nomine editos, ab eo quoque profectos, crederet. Id quod multo magis de MOSE BAR CEPHA dicendum, ſaeculi decimi ſcriptore, cuius nulla in hocce negotio eſt auctoritas. Nec aliter de pſeudo-DIONYSIO exiſtimandum, cuius forte etiam verba de diſputatione Simonis cum Petro *lib. III. recognit. §. XXIX.* ſunt intelligenda. Ceterum de reliquorum primi ſaeculi haereticorum, vt Doſithei, Cerinthi, Nicolaitarum, libris, quorum ſola nomina, immo quorumdam ne nomina quidem, ad nos peruenerunt, legendus idem GRABIVS *l.c. p. 311.*

Digitized by Google

§. III. Varium etiam & multiplex certamen ſecundi tertiiue a Chriſto nato ſaeculi doctoribus ſubeundum fuit, dum modo cum Iudaeis, modo cum gentilibus, modo cum haereticis, magno numero tum erumpentibus, ſpeciatim gnoſticis, Valentinianis, Marcionitis, & Manichaeis, Sabellianis, Samoſatenianis, Nouatianis aliiſque, in arenam deſcendere, ſuarum duxerunt eſſe partium. Qua in re quo pacto ſe geſſerint, quamue diſputandi rationem ſequuti ſint, ex eorum, quae ſuperſunt, monumentis, vtcumque intelligere licet. *

* Ad ſecundum ſaeculum dum progredimur, primo ſe nobis loco offerunt IGNATIVS atque POLYCARPVS, viri ſanctiſſimi. IGNATIVM acriter cum haereticis conflictatum, auctor eſt EVSEBIVS, *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XXXVI. Cum per Aſiam*, inquit, *ſub adcuratiſſima ſatellitum cuſtodia, ductaretur, ſingularum nihilominus ciuitatum, quas ingrederetur, eccleſias, ſermonibus & cohortationibus ſuis confirmans, monebat imprimis, vt ſibi a prauis haereticorum opinionibus cauerent, quae tunc primum in lucem emergere cum coepiſſent, copioſius pullulabant.* Atque id etiam in epiſtolis ſuis, ſaltem iis, quas hodie plerique eruditorum pro genuinis agnoſcunt, abunde demonſtrauit, ſi IO. PEARSONIO credimus, in *vindiciis epiſtolarum Ignatii, part. II. cap. I. p. m. 344.* Duas hic potiſſimum haereſes de natura Chriſti ea tempeſtate obtinuiſſe, obſeruat, vt veritati catholicae, ita & ſibi ipſis prorſus contrarias, quarum altera *docetarum* fuerit, a Simonianis ortorum, humanae naturae veritatem in Chriſto deſtruentium, altera *Ebionitarum*, diuinam prorſus naturam, & aeternam generationem Chriſto denegantium, legiſque caerimonialis obſeruationem vrgentium. Has primi ſaeculi haereſes antiquos ſcriptores agnoſcere, eaſque Ignatiano aeuo floruiſſe, fateri. Hinc & THEODORETVM *haereticarum fabularum* libros ita partitum, vt primus eos, qui alterum creatorem confinxerunt δοκήσει δὲ φανῆναι τὸν κύριον ὡς ἀνθρώποις ἔφασαν, ſecundus autem illos, qui ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν κύριον προσηγόρευσαν, complecteretur. *Ignatius itaque*, ſic pergit, *cum a ſchiſmaticis & haereticis ſemper cauendum eſſe doceat, has praecipue haereſes petit, illas frequenter, ſedulo & aperte ferit; priorem docetarum a diſcipulis Menandri tunc temporis diſſeminatam, atque vt credibile eſt a Saturnilo apud Antiochiam iam tum defenſam, epiſtola ad Smyrnaeos atque Tralleſios iugulat; alteram ab Ebione profectam, lateque per orientem ſparſam, epiſtola ad Polycarpum, ad Epheſios, Magneſianos & Philadelphenos refellit. Praeter has duas haereſes nullam omnino attingit: quidquid in his epiſtolis de particulari aliaque haeretica doctrina ſcriptum eſt, ad earum vnam referri & poteſt, & debet.* Referendus itaque omnino IGNATIVS inter eos, qui theologiam polemicam tractarunt, quod & more fecit vere apoſtolico, ſumma grauitate, ſimplicitate, argumentorum pondere, ſophiſmatibus procul faceſſere iuſſis, vitaeque ſimul rationem habens. Valentinianam quoque IGNATIVM perſtrinxiſſe haereſin, in *epiſtola ad Magneſianos*, effato ſatis celebri, nonnulli contendunt; ex quo tamen alii colligunt, epiſtolam hancce non eſſe genuinam, eo quod Valentiniani iſto tempore nondum exſtiterint. Diſſentit tamen ab hiſce IO PEARSONIVS, qui valde operoſus eſt in hocce argumento remouendo, quod fidem epiſtolarum, quas defendendas ſuſcepit, plane labefactare poterat; in *vindic. epiſtol. Ignat. part. II. cap. III. ſeqq.* Quemadmodum vero

vero dubium adhuc eſt, an verba IGNATII Valentinianos reſpiciant; ita nec euictum, eo tempore Valentinianam haereſin nondum exſtitiſſe. Sed dictum hac de re in *diſſertat. de haereſi Valentiniana* §. *III. p. 414. ſeqq.* Obſeruatu porro dignum, quod IGNATIVS, in *epiſtola ad Smyrnaeos* §. *V.* profiteatur, ſe, cum refellat haereticos, nominibus tamen illorum parcere: τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι· ἀλλὰ μηδὲ γένοιτό μοι αὐτῶν μνημονεύειν, μέχρις οὗ μετανοήσωσιν κ. τ. λ. *Nomina autem ipſorum, cum ſint infidelia, non viſum eſt mihi inſcribere, ſed & abſit a me, vt eorum mentionem faciam, donec reſipiſcant &c.* Quod animi propoſitum religioſe etiam in reliquis epiſtolis obſeruauit, adeo, vt nullius vmquam haeretici hominis nomen ediderit. Indeque IO. PEARSONIVS contra DALLAEVM concludit, verba, quae in *epiſtola ad Trallianos* leguntur, quibus ſpeciatim Baſilidis, Theodoti & Cleobuli mentio iniicitur, non eſſe a manu IGNATII, ſed ab interpolatore quodam profecta. Imitatus autem hac in re IGNATIVS videtur apoſtolos, qui itidem non, niſi raro admodum, nominatim haereticorum meminerunt. Idque ſingularis moderationis argumentum eſt; quamquam IGNATIVS, alia ratione inductus, hoc fecerit, indignos videlicet eos cenſens, quorum nomina commemoraret, donec reſipiſcerent. Ad POLYCARPVM quod attinet, etſi in *epiſtola ad Philippenſes* ex inſtituto polemica non tractat, haereticos tamen ſui temporis perſtringit. Verba quae in ea §. *VII.* exſtant: πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστι· καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί· καὶ ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ κυρίου πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ μήτε ἀνάστασιν, μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ σατανᾶ· *Omnis enim qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, hic antichriſtus eſt; & qui non confitetur martyrium crucis, ex diabolo eſt; & qui eloquia domini traduxerit ad deſideria ſua, dixeritque, neque reſurrectionem, neque iudicium eſſe, hic primogenitus eſt ſatanae;* ab HENR. HAMMONDO ad gnoſticos trahi, antea iam obſeruauimus. At alii, cuncta fere errorum Simonis magi capita in iis contineri, exiſtimant, diſtinctius & latius expoſita apud IRENAEVM, EPIPHANIVM, ceteroſque, haereſium enarratores. Fuiſſe tempore POLYCARPI, qui talia docuerint, dubitari nequit; licet & ille nomina eorum indicare conſultum non duxerit.

Sequitur IVSTINVS, philoſophus ille atque martyr. Huius varia exſtant ſcripta polemica, gentilibus, Iudaeis, & haereticis oppoſita. Philoſophus enim cum eſſet, maiori etiam adparatu ad diſputationes & tractandas controuerſias acceſſit; ſimul tamen a ſimplicitate & grauitate apoſtolica paullisper diſceſſit. Ad gentilium ſuperſtitionem & errores confutandos ſpectant: *paraeneſis* eius *ad Graecos*; *oratio ad Graecos*; *apologia prima pro chriſtianis ad Antoninum pium imperatorem*; *apologia ſecunda pro chriſtianis ad ſenatum Romanum*; itemque liber *de monarchia Dei*, in quo poëtarum teſtimoniis comprobat, vnum ſolum eſſe Deum. Haecce IVSTINI ſcripta cum reliquis eius operibus ſaepius edita, ſed & ſeorſim, cum doctiſſimorum virorum emendationibus & adnotationibus, recuſa ſunt; *prima* quidem *apologia* Oxoniae 1700. 8. opera & ſtudio IOAN. ERN. GRABII; *altera* autem cum *paraeneſi ad Graecos* & *oratione ad Graecos*, itemque cum libro *de monarchia Dei*, cura H. HVTCHINI Oxoniae, an. 1703. 8. Et in hiſce quidem beatus martyr contra gentiles pugnauit. Iudaeos ex inſtituto refutauit in *dialogo cum Tryphone Iudaeo*, qui duo colloquia, per duos integros dies habita, complectitur. NICOL. LE NOVRRY, qui adcuratam librorum IVSTINI analyſin exhibet, de hocce dialogo ita pronuntiat;

 Quam-

Quamuis non inurbana prorſus fuerit Iuſtini cum Tryphone congreſſio; tantum tamen abeſt, vt martyr ſanctiſſimus ipſi, Iudaeisque blandiatur, aut eos adulatione aliqua vel aſſentatione deliniat, quin potius illis nullibi vel minime parcat, ac ſaepiſſime cum ipſis aſperius, ſeueriusque agere videatur. Nam duriſſimis non ſolum vtitur verbis, ſed Tryphoni quoque & ſociis eius caecitatem, pertinaciam, obſtinationem, aliaque eorum vitia exprobrat frequentius; in *adparatu ad biblioth. maximam patrum, tom. I. diſſert. II. de Iuſtini martyr. operibus p. 378. Dialogum* equidem huncce IVSTINI martyris eſſe, negare auſus eſt, idque peculiari commentatione, Kiloni 1700 edita, euincere voluit CHRIST. GOTTL. KOCHIVS; cui eius ſententiae cum alii ſe opponerent, eamdem iterum defendere adniſus eſt, in *cenſura iniquae cenſurae*, Lipſiae an. 1704. euulgata; ſed reſponſum ei eſt a viris doctis variis ſcriptis, quae THOM. ITTIGIVS recenſet in *ſelect. capitib. hiſtor. eccleſ. ſaec. II. cap. I. §. VII. p. 8.* Iungenda quae ipſemet hac de re diſputaui in *diſſertat. de haereſi Valentiniana*, ad *§. III. p. 569. ſeqq.* Seorſim *dialogus* hicce IVSTINI *cum Tryphone Iudaeo*, cum praeſtantiſſimorum virorum emendationibus & adnotationibus, luci expoſitus fuit a SAM. IEBB, Londini an. 1719. 8. itemque cum eiusdem IVSTINI *apologiis duabus*, cura & ſtudio STYANI THIRLEBII, Londini 1722. fol. qui itidem *notas* ac *emendationes* adiecit. TRYPHONEM huncce, quocum IVSTINVS diſputauit, eumdem eſſe ac R. TARPHONEM, cuius haud ignotum apud Iudaeos nomen eſt, a vero non abhorrere, putat IOAN. BENED. CARPZOVIVS, *introduct. in theolog. iud.* RAYM. MARTINI *pugioni fidei* praemiſſa, *cap. XI. §. II. p. 84.* Haereticis denique ſui temporis ſe oppoſuit IVSTINVS, in libro *contra omnes haereſes*, qui non amplius exſtat, ipſe tamen eius hiſce meminit verbis: ἔστι δὲ ἡμῖν καὶ σύνταγμα κατὰ πασῶν τῶν γεγενημένων αἱρέσεων συντεταγμένον· ᾧ εἰ βούλεσθε ἐντυχεῖν, δώσομεν· *Eſt autem nobis liber contra omnes enatas haereſes compoſitus; quem ſi legere volueritis, dabimus;* *apolog. I. pro chriſtianis §. XXXV. p. 54.* editionis IOAN. ERN. GRABII. Atque idem GRABIVS deperditi huius operis mentionem facit; in *ſpicilegio patrum vt & haereticorum, ſaec. II. p. 44.* itemque *p. 166. ſeqq.* nullumque dubium eſſe, putat, quin plura ex illo in ſuos aduerſus omnes haereſes libros tranſtulerit IRENAEVS, praeſertim cum &, Valentinum a IVSTINO refutatum, diſerte teſtetur TERTVLLIANVS, *lib. contra Valentinianos cap. V.* Qui a PHOTIO *cod. CXXV.* laudantur IVSTINI λόγοι κατὰ Μαρκίωνος, quos HIERONYMVS *inſignia contra Marcionem volumina* vocat, in *catalog. ſcriptor. eccleſiaſt. cap. XXIII. p. m. 45.* & ex quibus nonnulla adferunt IRENAEVS, *lib. IV. cap. XIV.* & *lib. V. cap. XXVI.* atque EVSEBIVS, *lib. IV. hiſtor. eccleſ. c. XI.* diſtincti quidem a priori opere fuerunt, vt tamen eius quoddam velut ſupplementum conſtituerent. IRENAEO συντάγματος nomine veniunt cuius partem librum *de reſurrectiones carnis*, quem iam laudauimus, IO. ERN. GRABIVS eſſe exiſtimat, eo quod, Marcionem vna cum infidelibus reſurrectionem carnis impugnaſſe, conſtet; ex quo & inſigne aliquod fragmentum exhibet; *l. c. p. 177. ſeqq.* Adparet itaque ex hactenus dictis, inter eos, qui pro veritate contra diſſentientium inſultus pugnarunt, adeoque & in theologiae polemicae ſcriptoribus iſtius ſaeculi, haud vltimum eum tenere locum. An vbique aeque praeclare rem geſſerit? disquiri adhuc poſſet. Id certum, dum aliorum errores redarguit, non leuiores fere & ipſum admiſiſſe, qui paſſim indicari ſolent, praeſertim ab auctoribus, qui generatim de naeuis patrum agunt, quos laudauimus *cap. III.* huius *libri* ad *§. VII.* Ratiocinandi leges, quod vel maxime a diſputatore, qui alios refellit, fieri

Digitized by Google

fieri oportebat, cum non ſemper obſeruaſſe, oſtendit vir celeberrimus NIC. HIER. GVNDLINGIVS, *obſeruation. ſelectar. ad rem litterar. ſpectant. tom. II. obſeru. VII. & IX. p. 89. & ſeqq.* vti itidem iam ſupra *l. c.* ad *§. VI.* monuimus. Mitto reliqua, quae illi cum aliis eiusdem ſaeculi & generis ſcriptoribus ſunt communia.

Cum autem IVSTINVS haud vltimus illorum fuerit, qui apologias pro chriſtianis ſcripſerunt; non abs re fuerit, de reliquis, qui idem fecerunt, etiam aliquid addere. Dum enim chriſtianorum doctrinam defenderunt, plerumque gentilium ſimul refutarunt errores. De QVADRATO, qui Hadriano imperatori anno 123 Athenis hiemem agenti orationem apologeticam obtulit, nihil dicemus, cum ea non amplius exſtet. Conferendus EVSEBIVS, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. III.* Eamdem ob cauſſam nec MELITO Sardenſis in Lycia, minoris Aſiae prouincia, epiſcopus, nos morabitur; ſiquidem *apologia* eius *pro chriſtianis*, Marco Aurelio Antonino imperatori exhibita, itidem cum aliis eiusdem auctoris ſcriptis, temporum iniuria intercidit. Mentionem eius EVSEBIVS facit, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XIII. & XXVI.* itemque HIERONYMVS, in *catal. ſcriptor. eccleſiaſtic. cap. XXIV.* Succedat itaque TATIANVS, Iuſtini martyris, teſte IRENAEO *lib. I. cap. XXXI.* & HIERONYMO in *catalog. ſcriptor. eccleſiaſt. cap. XXXIX.* auditor atque diſcipulus: at haereſeos poſtea poſtulatus, eoque nomine infamis. Namque & Valentini adprobaſſe dogmata dicitur, & cum continentiam, temperantiamque eo vsque vrgeret, vt vini quoque vſum omnem reiiceret, vt vulgo quidem perhibent, auctor nouae ſectae fuit, cui ideo encratitarum nomen haeſit. Dictum de eo in *diſſertat. de haereſi Valentiniana* ad *§. XVIII. p. 688. ſeqq.* Fuit ceteroquin vir eruditus, & inter reliqua ſcripta, quorum, teſte EVSEBIO, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XXIX.* maximum edidit numerum, *orationem ad Graecos* compoſuit, quae & ſola ex eius libris ad nos peruenit, ſi forte harmoniam euangeliſtarum, διὰ τεσσάρων dictam, (de qua alibi verba faciemus) excipias. In lucem producta eſt haecce *oratio* tum alias, tum & cum variis virorum doctorum adnotationibus, a WILH. WORTH, Oxoniae an. 1700. 8. In ea id cumprimis agit, vt Graecorum retundat ignorantiam. Hiſce enim, eruditionis opinione inflatis, cum ſorderet chriſtianae religionis ſimplicitas; TATIANVS contra, nullum eſſe artium aut ſcientiarum genus, quod non barbaris, quos vocabat, acceptum ferre deberent Graeci, demonſtrat. Eloquentiae etiam, poëſeos, philoſophiae, aliarumque artium abuſum apud Graecos cum perſtrinxiſſet; concludit tandem, his omnibus nuntium eſſe mittendum, ac chriſtianam potius amplectendam religionem. Quod dum porro exſequitur, varios gentilium in diuinis errores refellit, atque chriſtianorum dogmatum veritatem comprobat. Errorum, quos ex Valentini ſchola hauſit, non eſſe immunem hanc orationem, nonnulli contendunt: qua de re dictum in *diſſertat. de haereſi Valentiniana p. 700. ſeqq.* Cum TATIANI hacce *oratione*, HERMIAE διασυρμὸν τῶν ἔξω φιλοσόφων, *irriſionem gentilium philoſophorum*, edidit, quem antea laudauimus, WILH. WORTH, quae & alias cum IVSTINO, ATHENAGORA, aliisque ſcriptoribus apologeticis, excuſa ſaepius fuit. Philoſophus is fuit chriſtianus, de cuius neque patria, neque aetate, neque genere, neque vitae inſtituto, certi quid conſtat. MARGARIN. DE LA BIGNE, aliique *bibliothecae patrum* editores, eum ſaeculi quarti ſcriptoribus adnumerant, quos ſequitur ADAMVS RECHENBERGIVS, in *diſſertat. de apologiis doctor. vet. eccleſ. chriſt.* quae in *exercitationibus* eius, *ad hiſt. eccleſiaſtic. & litterar. ſpectant.*

p. 314.

p.314. exſtat. Immo PETR. LAMBECIVS, Hermiam hunc eumdem eſſe ac Hermiam Sozomenum, *hiſtoriae eccleſiaſticae* ſcriptorem, qui ſaeculo quinto ſub Theodoſio iuniore vixit, exiſtimat; *commentar. de bibliotheca Vindobon. lib. VII. p.54.* cui ſuffragatur WILH. ERN. TENZELIVS, *exercitat. ſelect. part. prior. exercit. V.* ſiue *de Iuſtino martyre, Athenagora &c. p.228.* & in *addendis pag. 456.* contra quem diſputat GVIL. CAVE, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. II. p. 21.* Noſtra id nunc parum refert, cum nobis ſufficiat, HERMIAM iſtum inter ſcriptores polemicos referendum eſſe. Id enim agit, vt diſſentientes philoſophorum ſententias, de Deo, de anima, aliisque capitibus inter ſe committat, atque omnium ludibrio exponat. Quod tamen diſputandi genus tum demum tuto adhibeas, cum tibi nihil eiusmodi aduerſarius exprobrare poteſt. Quid vero, ſi philoſophus gentilis non minores, nec pauciores theologorum chriſtianorum diſſenſiones opponat? Nec inde te expedies, ſi dicas, eos, qui diſſentiunt, a te non pro chriſtianis, ſed pro haereticis & pſeudotheologis haberi. In promtu namque erit reſponſio, nec philoſophum iſtos, qui a ſe diſſentiunt, pro veris philoſophis, ſed pro ſophiſtis, & pſeudo-philoſophis habere. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad ATHENAGORAM nos itaque conuertimus. Fuit is patria Athenienſis, philoſophus chriſtianus & presbyter, eruditione prae reliquis inſignis. Cum quarta contra chriſtianos excitaretur perſequutio, cuius apud EVSEBIVM fit mentio, *lib. IV. hiſt. eccleſ. cap. XV.* apologiam pro chriſtianis ad Marcum Aurelium Antoninum imperatorem, & imperii ſocium, Lucium Verum, aut, vt alii volunt, Lucium Aurelium Commodum, filium, adornauit. Edita eſt tum alias, tum & Lipſiae, opera & ſtudio ADAMI RECHENBERGII anno 1684. 8. & vna cum libello *de mortuorum reſurrectione* Oxoniae, cura EDVARDI DECHAIR an. 1706. 8. Nimirum cum atrociſſimis calumniis a gentilibus impeterentur chriſtiani; ATHENAGORAS horum vindicare innocentiam ſecum conſtituit. Triplex, ait, chriſtianis inferri crimen, impietatem, quae deos tolleret, Thyeſteas epulas, in quibus carne humana veſcerentur, ac tandem inceſtos concubitus. Tria itaque haecce crimina totidem orationis ſuae partibus ita purgat, & diluit, vt in primo tamen refellendo longe maiorem ponat operam. In libello *de reſurrectione mortuorum* itidem chriſtianorum cauſſam contra gentiles agit; idque ea ratione, vt primum demonſtret, reſurrectionem mortuorum nullam inuoluere repugnantiam; deinde autem, futuram omnino reſurrectionem, argumentis euincat. Hanc enim tractandi methodum ſatis concinnam ipſe praeſcripſerat. Naeuorum autem quorumdam licet non expers ſit ATHENAGORAS, de quibus ſupra *cap. IV.* huius libri ad §. *IV.* dictum; vir tamen eruditus fuit, & in chriſtiana non tantum ſed & gentilium theologia verſatus, quos armis domeſticis impugnat, argumentisque minime contemnendis fortiter ſtringit. Adiungunt nonnulli ſcriptoribus apologeticis THEOPHILVM Antiochenum, cuius noti ſatis ſunt *tres libri ad Autolycum*, περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως, de quibus tamen cum iam ſupra *cap. I.* huius *libri* ad §. *IV.* abunde dictum ſit, nunc nihil addimus. CLEMENS Alexandrinus locum hic ſibi vindicat, ob λόγον προτρεπτικὸν πρὸς Ἕλληνας, in quo gentiles redarguit, eosque ad chriſtianam philoſophiam amplectendam adhortatur. In *ſtromatum* quoque *libris*, haereſiarcharum dogmata explodit: in quibus tamen quaedam οὐχ ὑγιῆ dicta occurrere, iam PHOTIVS monuit, *cod. CXI.* Refertur & inter eius deperdita *canon eccleſiaſticus*, ſeu *aduerſus iudaizantes*, Alexandro Hieroſolymorum epiſcopo inſcriptus. Immo & librum *aduerſus haereſes*

reſes ſe ſcripturum, pollicitus eſt *ſtromat. lib. III. p. 431.* quem an vmquam cum aliis, quorum ſpem fecit, ediderit, incertum eſt. Sed de Alexandrino hocce CLEMENTE repetenda, quae fuſius diſputauimus *c. IV.* huius *libri* ad §. *IV.* Superſunt ex Latinis Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS & MINVTIVS FELIX. De illo deinceps ſeorſim dicemus. Hunc vero nonnulli TERTVLLIANO aequalem, alii ſupparem, CYPRIANO tamen antiquiorem, ſtatuunt; omnes tandem, nihil certi de eius aetate adfirmari poſſe, fatentur. Si NIC. RIGALTIO credimus, MINVTIVS & argumenta, & differendi ordinem, atque ipſa plerumque verba, a TERTVLLIANO ſumſit; *not. in Minut. p. 2.* Scripſit nimirum Romae dialogum *Octauii* nomine inſignem, inter Caecilium Natalem, gentilium ſuperſtitionis acerrimum propugnatorem, & Octauium Ianuarium, acutum chriſtianorum vindicem, ac patronum, quos inter medius ſedet arbiter MINVT. FELIX. *In quo ſane,* iudice GVIL. CAVEO, *totum gentilium cultum, deorumque proſapiam non minus erudite, quam venuſte & ingenioſe conuellit, & chriſtianos eorumque ſacra, ab omnibus Caecilii calumniis atque obiectionibus eleganter & neruoſe vindicat; hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. III. p. 48.* Laudat eumdem librum LACTANTIVS, ſed vt ſimul ſignificet, MINVTIVM in theologia polemica ad ἀκμὴν non perueniſſe. *Huius liber,* inquit, *cui Octauio titulus eſt, declarat, quam idoneus veritatis adſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet; inſtitut. diuin. lib. V, c. I.* Sunt vtique, qui inter alia hoc in eo deſiderant, quod felicius impugnauerit errores gentilium, quam doctrinam chriſtianorum explicauerit, atque probauerit. Vt adeo de eo vſurpari queat, quod de ipſo LACTANTIO pronuntiauit HIERONYMVS; *Vtinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit; epiſt. XIII. ad Paulin.* Errorum quoque non immunis fuit MINVTIVS, in quos non poſſunt non incidere, qui de aliorum potius placitis confutandis, quam de veritate recte intelligenda atque confirmanda, ſunt ſolliciti. Diu hicce MINVTII *dialogus,* octauus ARNOBII liber reputatus eſt, donec FR. BALDVINVS, iure conſultus clariſſimus, eum vero auctori reſtitueret, atque ſub eius nomine illum ederet Heidelbergae an. 1560. cum *praefatione* luculenta, in qua ſententiae ſuae rationem reddit, & de ipſo MINVTIO erudite diſſerit. Recuſus deinde ſaepius eſt, & cura quoque CHRISTOPH. CELLARII, cum CYPRIANI libro *de idolorum vanitate,* & BALDVINI *praefatione,* additis adnotationibus, Halae Saxonum, an. 1699. 8.

De Q. SEPTIMIO FLOR. TERTVLLIANO nunc paullo diligentius nobis diſſerendum eſt; quoniam non modo contra gentiles, ſed & alios, a veritate doctrinae chriſtianae diſſentientes, pugnando, non vnum theologiae polemicae ſpecimen reliquit. Et gentilibus quidem *apologeticum aduerſus gentes,* ſenatui Romano, aut, vt alii volunt, prouinciarum praeſidibus oblatum, oppoſuit. Carthagine ſcriptus eſt an. 196, vt nonnulli volunt, vel vt alii putant, an. 202, quo Seuerus imperator chriſtianam fidem amplecti, ſub graui poena vetuit. De tempore enim mirifice viri docti inter ſe diſſentiunt; qua de re conferenda IO. LAVR. MOSHEM, viri clariſſimi, diſquiſitio *chronologico-critica, de vera aetate apologetici a Tertulliano conſcripti, initioque perſecutionis Seueri,* Lugduni Batauor, anno 1720. 8. Inter editiones varias *apologetici* huius eminet, principemque locum tenet, quae ſtudio SIGEB. HAVERCAMPI Lugduni Batauorum an. 1718. 8. lucem adſpexit; in qua non ſolum textus *ad codices manuſcriptos & editiones veteres ſumma cura recognitus, caſtigatus, emendatus eſt,* ſed & *perpetuus commentarius*

rius additus, *in quo non modo variorum auctorum, ſed & plura ſacrae ſcripturae loca ſtrictius vel vberius explicantur, elucidantur, & illuſtrantur.* Idem quoque HAVERCAMPVS in *praefatione* ſpem fecit, ſe eadem ratione & reliquos TERTVLLIANI, quos aduerſus gentes ſcripſit, libros editurum. Namque & in aliis ſcriptis TERTVLLIANVS chriſtianorum cauſſam contra gentiles egit. Cumprimis id fecit in *libris duobus ad nationes*, in quibus iisdem non tantum rationibus, ſed & fere verbis, ac in *apologetico*, vtitur. Vnde nonnulli coniiciunt, eodem tempore opus vtrumque ſcriptum editumque, eo conſilio, vt *apologetico* iudices innocentiam chriſtianorum edoceret, libris autem, *ad nationes* ſcriptis, plebem de eadem certiorem faceret. Spectat vero huc etiam liber *ad Scapulam*, Africae proconſulem, in chriſtianos saeuientem, occaſione perſequutionis a Scapula iſto motae, an. 217 ſcriptus. Nec gentilibus tantum, ſed & Iudaeis, ſe oppoſuiſſe TERTVLLIANVM, liber eius *aduerſus Iudaeos* teſtatur; in quo primum probat, legem Moſaicam & caerimonias cultus Leuitici tantum ad certum tempus conſtitutas, non debuiſſe perpetuas eſſe, ſed cum aduentu Chriſti in carnem finiendas; deinde Meſſiam, quem Iudaei exſpectant, quemue prophetae praedixerunt, iam veniſſe; Iudaei autem, quod hoc non intellexerint, inde proueniſſe, quod vltimum Chriſti aduentum ad iudicium confuderint cum aduentu eius in carnem, qui humili atque abiecta contigerit ſpecie. Cumprimis vero & cum haereticis non ſemel TERTVLLIANVS certamen iniit; quos tum generatim, tum ſpeciatim adortus eſt. Generatim quidem in libro *de praeſcriptionibus contra haereticos*, de quo mox plura; ſpeciatim autem in *libris quinque aduerſus Marcionem*; item *aduerſus Praxeam*, patro-paſſianorum ducem; *aduerſus Hermogenem*, aliosque. Tandem contra ipſos catholicos ſeu orthodoxos, poſtquam ad Montaniſtarum caſtra tranſiit, arma conuertit, in libris *de pudicitia*; *de fuga in perſequutione*; *de ieiunio*; *de monogamia*; aliisque. Sed inter omnes hoſce foetus polemicos memoratu maxime dignus eſt liber, cuius iam mentionem fecimus, *de praeſcriptionibus contra haereticos*, quippe in quo nouam contra haereticos diſputandi rationem introduxiſſe videtur. *Praeſcriptionis* namque vocem, ipſi alias quoque non infrequentem, & ex iure conſultorum petitam ſcholis, adhibuit. In horum nimirum diſciplina haud perfunctorie verſatus fuit TERTVLLIANVS; quod & EVSEBIVS confirmat, vtpote cui τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκὼς ἀνὴρ, *legum romanarum peritiſſimus*, audit; *hiſtor. eccleſ. lib. II. cap. II.* An vero idem ſit, cuius in iure conſultorum ſcholis celebratur nomen, diſputat AEGID. MENAGIVS, in *amoenitatibus iuris ciuilis*, *cap. XII. p. 67. ſeqq.* Quemadmodum itaque iure conſulti iuſtam interdum eam bonorum poſſeſſionem iudicant, quae diuturno temporis interuallo ſe tuetur; ita & TERTVLLIANVS doctrinae catholicae antiquitatem haereticis opponit; hos ideo falſa & erronea docere, contendens, quod doceant noua. Quam argumentandi rationem cum grano ſalis accipiendam, res ipſa oſtendit. Veritatem antiquiorem eſſe mendacio, & errore, certum eſt. Fieri tamen interdum poteſt, vt apud quosdam error tam diu regnauerit, vt ſe aliquando veritatem habuiſſe, ignorent. Hi ergo, ſi ex diuturnitate poſſeſſionis argumentum contra veritatem capere vellent, fallerentur quam turpiſſime. Nec veritatis etiam eadem ratio eſt, ac bonorum, hominum dominio ſubiacentium, quae conſenſu aut expreſſo, aut tacito, ab vno domino ad alium transferuntur. Namque veritatem non perinde, ac res ſuas, alienare alicui fas eſt. Parum itaque commoda vocis huius ad dogmata ſacra eſt

trans-

translatio; licet non malo conſilio a TERTVLLIANO ſuſcepta; qui & in ipſa tractatione ita verſatur, vt haec diſputandi ratio, caute accepta, admitti tandem queat. Interim talia admiſcet, quae explicatione quadam aut correctione opus habent. Huc iſta referenda ſunt effata, quibus ſcripturae ſacrae derogare auctoritati videtur; cum tamen ea ſola ſit, ex qua & veritas & antiquitas dogmatis cuiusdam probari queat. Huiusmodi eſt, quando, *haeretici*, inquit, *ſcripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quosdam mouent; in ipſo vero congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendo eos ad vllam de ſcripturis diſputationem; ſi hae ſunt illae vires eorum, vti ne eas habere poſſint, diſpici debet, cui competat poſſeſſio ſcripturarum? ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit; cap. XV. p. 318.* Similia paſſim in hocce libro occurrunt; quae vt recte intelligantur, obſeruare nonnulli iubent, TERTVLLIANO negotium fuiſſe cum eiusmodi haereticis, qui, ſpreta ſcriptura ſacra, opiniones ex ſuo arbitratu, & ſapientiae, quam ſibi finxerint, ſaecularis dictamine, introduxerunt; de quibus ipſe TERTVLLIANVS: *Viderint, qui Stoicum, & Platonicum, & dialecticum chriſtianiſmum protulerunt. Nobis curioſitate opus non eſt, poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt euangelium; cap. VII. p. 195.* Hi ergo curioſitate quaeſtionum prurientes aures aluerunt, nec receperunt quasdam ſcripturas, & ſi receperunt, *adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuerterunt; & ſi receperunt, non receperunt integras;* & ſi aliquatenus integras praeſtant, *nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertunt;* immo ipſos apoſtolos ignorantiae ac infidelitatis adcuſarunt, dicentes, *non omnia apoſtolos ſciſſe*, & iterum, *omnia quidem apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe;* easdem ſcripturas alii manu, alii ſenſu interuerterunt; & denique antiquitatis praeconio criſtas extulerunt, *aut ſe interſerere aetati apoſtolicae, vt viderentur ab apoſtolis tradita, quae illi enictaſſent.* Ita haereticos iſtos ex ipſo TERTVLLIANO deſcribit IO. CONR. DANHAVERVS, in *chriſteide, p. 971. 972.* Obſeruat porro idem vir doctus, geminam a TERTVLLIANO proponi diſputandi rationem, quarum vna conſtet retractatione, ἀνατυπώσει, hoc eſt, tractatione adcurata, quae vocari ſoleat diſputatio πρὸς λόγον. TERTVLLIANO audiat *reſponſio ſpecialis;* altera *praeſcriptione* παραγραφῇ ὅταν τὶς μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι λέγῃ τὴν δίκην, quando quis neget, litem inferri poſſe, ſcilicet vel ob ius antiquius, vel propter legem ἀμνηστίας interpoſitam, vel alia aliqua exceptione. Iam ad rem ipſam quod attinet, conſtat, & ab eodem auctore recte docetur, totam TERTVLLIANI diſputationem eſſe *ad hominem.* Nam quia ab haereticis illis, quibus cum illi res erat, ſcriptura, obtentui ſolum ſumta, re ipſa in minimis ponebatur, ac deprauata erat; ideo & ſine ſcriptura probat, eos ad ſcripturam non pertinere. *An*, inquit DANHAVERVS, *quia Iudaei contemnunt nouum teſtamentum, ac ideo ſine ſcripturis nouis conuincendi ſunt, ac ducendi ad fidem, ideo in re ipſa nouum teſtamentum non eſt norma fidei?* Praeterea, quia iidem haeretici antiquitatem iactitarunt; merito ad origines eccleſiarum, & ſucceſſionum decurſum reuocati ſunt; quemadmodum & eosdem, quia ſuas maluerunt eccleſias praetexere, quam apoſtolicas, ad haſce recte reducit, eccleſias adeo deriuatas cum primitiuis, neutiquam autem eccleſiam cum ſcriptura contendens. Quae omnia ſi adcurate expendantur, & rectam in plurimis TERTVLLIANI fuiſſe mentem, &, quae ille contra haereticos ſui temporis diſputat, neutiquam proteſtantibus opponi poſſe, (quod tamen a romanenſibus fieri ſo-

ſolet) demonſtrabunt. Interim, nonnulla incommode & inconſiderate a TERTVLLIANO dicta eſſe, lubens fateor; quemadmodum & ipſe grauiſſimorum errorum non eſt immunis. Leges diſputandi, conuincendique haereticos, ſubinde migrauit, quae in polemica theologia cumprimis obſeruari debebant; viamque in noua hac ſua methodo ſalebroſam ingreſſus eſt, quam abſoluere non potuit, quin hinc inde impingeret. Sed vt plenius intelligamus, qualis in theologia polemica fuerit TERTVLLIANVS; audiamus LVDOV. ELL. DV PIN de eo hunc in modum ſententiam ferentem: *ingenii acris, ardentis & ſubtilis erat, ſed quod omnem illam concinnitatem, omnemque rectitudinem, quae optari poſſet, non habebat. Plus ſaepe fictorum luminum, quam verae ſoliditatis, ratiociniis eius ineſt; percutit & perſtringit potius audacibus ſuis enuntiationibus, quam rationum pondere conuincit. Eius ſententiae ſunt adfectatae; immo quandoque paullo inflatae; modo ſublimi eas exprimit, ſed parum natiuo. Mediocritatem in rebus ſaepius excedit, fere in omnibus exardeſcit, & concitatur; figuris & hyperbolis totus turget. Vbere ſcientia & eruditione pollebat, quibus opportune vti nouerat. In ſatyra excellebat; ioci eius arguti ſunt & mordaces*; (ſcilicet & hoc ſecundum nonnullos ad theologiam polemicam requiritur.) *Aduerſarios dextere adoriebatur, eosque turma rationum ſe inuicem ſubſequentium, & quaſi concatenatarum profligabat. Denique ſi ratiociniis ſuis non perſuadeat, adſenſum ſaltem verborum magnifica pompa extorquet.* Hiſce nonnulla de ſtylo TERTVLLIANI ſubiicit, & inter alia obſeruat, *in polemicis libris eum planiorem eſſe & terſiorem, ſed minus comtum*; *biblioth. noua ſcriptor. eccleſiaſticor. tom. I. p. 104.* Liber iſte *de praeſcriptionibus contra haereticos* ſeorſim quoque cum *ſcholiis & notis* CHRIST. LVPI prodiit Bruxellis an. 1675. 4. Eſtque de eo hoc obſeruandum, quaeri poſſe, num rectius: *liber praeſcriptionum aduerſus haereticos*, an vero: *liber de praeſcriptionibus haereticorum*, adpellitetur? Ad quod CHRIST. LVPVS reſpondet: *vtrumque titulum eſſe congruum, & neutri ſuos deeſſe patronos. Poſterior tamen*, inquit porro, *eſt congruentior, & videtur datus ab ipſo auctore. Etenim in primo aduerſus Marcionem libro Septimius adſeuerat, omne nouum dogma eſſe haereſin, & adiungit; ſed alius libellus hunc gradum ſuſtinebit aduerſus haereticos; etiam ſine retractatu doctrinarum reuincendos, quod hoc ſint de praeſcriptione nouitatis. Lucide dicit, in hoc libello haereticos de ſola nouitatis praeſcriptione reuinci, adeoque huic libello datum titulum de praeſcriptionibus*; in *praefat. p. 3.*

Inter eos, qui ſaeculo ſecundo haereticis ſe oppoſuerunt, eminet etiam IRENAEVS, Lugdunenſis epiſcopus, ſancti Polycarpi diſcipulus, idemque martyr ſanctiſſimus. Eum enim *aduerſus haereſes libros quinque* compoſuiſſe, conſtat, quos olim ἔλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως inſcriptos fuiſſe, ex EVSEBIO, *hiſt. eccleſ. lib. V. cap. VII.* & PHOTIO, *biblioth. cod. CXX.* ſupra iam, *cap. praeced.* ad §. *V.* docuimus. Cumque haecce IRENAEI commentatio duabus veluti partibus abſoluatur, quarum prior, ſiue ἔλεγχος *detectio* vel *traductio*, librum primum reſpicit, quo errores haereticorum recenſuit, ἀνατροπὴ autem ſequentes quatuor, in quibus eos & ratiociniis, & ſcripturae ſacrae dictis refellit; concluſimus inde ibidem, non tam ad hiſtoricos, quam polemicos ſcriptores Lugdunenſem huncce praeſulem referendum eſſe. Confirmatur haec ex eo quoque ſententia, quod iſti eius libri non modo ab EVSEBIO plurimis in locis, ad compendium verborum faciendum, *libri aduerſus haereſes*, & a CYRILLO Hieroſolymitano, *catecheſi XVI, inſtitutiones contra haereſes*, vocantur; ſed & in antiquis latinae verſionis codicibus, ita in-

inſcripti ſunt; obſeruante IO. ERNESTO GRABIO, in *prolegomenis ad Irenaeum, p. 15.* Methodo itaque theologiae polemicae conuenienti IRENAEVS vſus eſt; quippe quae & hac ratione rectiſſime tractatur, ſi primum ſententia diſſentientium plene & integre proponatur, & tum demum refutatio ſubiiciatur. Laude maxima dignum eſſe hocce IRENAEI opus, nemo negauerit, idque & teſtantur elogia, quibus ab eruditis paſſim ornatur. Nec defuit fere Lugdunenſi huic epiſcopo quidquam, quod ad theologiam polemicam rite tractandam requiritur. Non tantum enim in litteris ſacris, ſed & poëtarum atque philoſophorum ſcriptis verſatus fuit; in haereticorum etiam dogmata & argumenta ſummo ſtudio inquiſiuit. Naeuorum tamen non eſt expers. In ea, inter alia, eum fuiſſe ſententia, nonnulli obſeruant, animas hominum ex gratia demum diuina immortales eſſe, impiorum vero tandem interituras, poſtquam criminum ſuorum dederint poenas; quae & IVSTINO a quibusdam tribuitur opinio, & a qua non multum abludit, quam noſtra aetate in ſcenam produxit HENR. DODWELLVS, calamos SAM. CLARCKII, TH. MILLII, aliorumque in ſe prouocans; qua de re dictum in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. III.* ad *§. II. p. 267.* Ad modum controuerſias tractandi quod attinet, a ſimplicitate apoſtolica in confutandis haereticis, eum interdum diſceſſiſſe, negari nequit; dumque iisdem, quibus haeretici vtebantur, eos ſuperare voluit armis, ad eosdem etiam interdum impegit ſcopulos, vanasque ſubtilitates pro argumentis ſolidis attulit. Nec ratiocinandi leges vbique obſeruauit, quod in eo iam notauit PHOTIVS, cuius verba ſupra *c. III.* huius libri ad *§. VI.* recitaui, vbi & ad ea, quae ad excuſandum in hocce capite IRENAEVM excogitauit RENATVS MASSVETVS, reſpondi. Idem & exemplis quibusdam comprobaui, in *diſſertat. de haereſi Valentiniana* ad *§. XIX. p. 724. ſeqq.* quod tamen diſplicuit FRID. STRVNZIO, qui in *hiſtoria Bardeſanis ac Bardeſaniſtarum*, ad *§. XVII. p. 113. ſeqq.* IRENAEI cauſſam agere voluit: quo ſucceſſu, alii iudicent. Contigit etiam eidem Lugdunenſi praeſuli, quod aliis, qui contra veritatis hoſtes in aciem prodeunt, contingere ſolet, & facile, niſi caute admodum incedant, contingere poteſt, vt ex nimio contradicendi ſtudio in alterum extremum prolabantur atque in Scyllam incidant, dum vitare volunt Charybdin. Sic inter alia Chriſtum, cum Iudaeis euangelium adnuntiaret, non longe a quinquageſimo aetatis ſuae abfuiſſe anno, *lib. II. cap. XXXIX. XL.* docuit; errore manifeſto, quem partim ex nimio diſputandi aduerſus gnoſticos, qui Chriſtum, expleto anno aetatis ſuae triceſimo primo, terris exceſſiſſe, adfirmabant, feruore, partim ex male intellecto loco, *Ioan. VIII. 57.* accedente traditione quadam falſa, ortum, non ſine ratione viri docti exiſtimant. Recte FRANC. FEVARDENTIVS: *diſertis verbis adfirmat, Chriſtum vltra quadrageſimum aut etiam quinquageſimum annum docuiſſe; idque ſcripturis & rationibus, ſed imbecillis, confirmare nititur; quod communi eccleſiae indicio non eſt receptum. Candide autem de beatiſſimo martyre ſentiendum, quod impetu ſuo refellendi gnoſticos, qui annum trigeſimum primum illum non exceſſiſſe, dicebant, in partem contrariam delatus eſt. Sanctiſſimis enim & doctiſſimis hoc non raro contigiſſe, ipſa luce manifeſtius eſt;* in *adnotationibus* ad *Irenaei l. c.* Errorem huncce IRENAEI vt excuſet, omnem mouet lapidem HENR. DODWELLVS, *diſſert. I. ad Irenaeum th. 44. ſeqq.* ſed irrito plane conatu. CAES. BARONIVM, locum huncce corruptum eſſe, adeoque verba iſta non ab ipſo IRENAEO, ſed ab imperito quodam ſcriptore, profecta, pronuntiantem, ſolide refellit NICOLAVS LE

NOVRRY, in *adparatu ad biblioth. maxim. patrum, tom. I. lib. II. diſſertat. VI. cap. VII. p. 595. ſeqq.*

Priusquam vlterius prouehamur, de haereticorum etiam, qui ſaeculo ſecundo eccleſiam turbarunt, ſcriptis polemicis aliquid dicendum eſt. Hiſce enim non minus, quam viua voce, errores ſuos propagare, ſuarum duxerunt eſſe partium. De Valentino certe haereſiarcha id conſtat, eum ad placita ſua tuenda ac diſſeminanda varios compoſuiſſe libros. Librum, *ſophiae* nomine inſcriptum, ab eo editum, ex TERTVLLIANO colligas; *aduerſ. Valentinian. cap. II. Pſalmorum* Valentini idem TERTVLLIANVS meminit; *lib. I. de carne Chriſti cap. XX.* Vtriusque operis nullum ſupereſt fragmentum, niſi forte pars prioris cenſenda ſit diſſertatio Valentini, quae exſtat apud ORIGENEM, *dialog. contra Marcionitas ſect. IV.* quamue IOAN. ERNEST. GRABIVS *tomo II. ſpicilegii* ſui *p. 55. ſeqq.* inſeruit. Et idem quidem hicce vir longe eruditiſſimus, tum Valentini, quae ex reliquis eius ſcriptis ſuperſunt, tum & reliquorum haereticorum, Epiphanis, Iſidori, Ptolemaei, Heracleonis, aliorumque, quae hinc inde diſperſa fuerunt, in iſto *ſpicilegio* diligenter collegit, praefationibusque ad ſingula iſta ſiue monumenta, ſiue fragmenta, ac adnotationibus illuſtrauit. De Valentini atque ſectatorum eius ſcriptis ipſemet quoque varia obſeruaui, in *diſſertat. de haereſi Valentiniana*, ad §. *IV. p. 575. ſeqq.* alibique. Cumprimis vero ex Valentinianis memoratu dignus eſt THEODOTVS, ex cuius ſcriptis velut compendium aliquod theologiae Valentinianae confecit CLEMENS Alexandrinus, inſcriptum: ἐκ τῶν Θεοδότου καὶ τῆς ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας, κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομαί· *Excerpta ex ſcriptis Theodoti & doctrina, quae orientalis vocatur, ad Valentini tempora ſpectantia, epitome;* quod Alexandrini iſtius CLEMENTIS operibus addi ſolet, & hucusque tantum graece, donec cum verſione latina ROBERTI PEARSE, editioni omnium praeſtantiſſimae, quam curae & diligentiae IO. POTTERI debemus, quaeue Oxonii an. 1715. fol. prodiit, ſubiiceretur, *p. 966. ſeqq.* Iſta autem haereticorum illius temporis documenta, aut fragmenta, quae ad nos peruenerunt, ita comparata ſunt, vt aut omnino ad theologiam polemicam non ſpectent, aut a corpore integro abſciſſa, nec plene mentem eorum nobis exhibeant, nec quam tenuerint, diſputandi rationem, nos condoceant; quamuis, qualis haec fuerit, ex illius aetatis conditione coniici facile queat. Plurima namque in ea iure deſiderari, ipſorum patrum, ſeu doctorum orthodoxorum exemplo conſtat, quos naeuorum quorumdam non fuiſſe immunes, ex hactenus dictis conſtat. Idque copioſius adhuc, plurimisque exemplis demonſtrari poſſet; ſed hiſce nunc immorari non lubet.

Ex ſaeculi tertii patribus, qui cum variis eccleſiae chriſtianae aduerſariis conflixerunt, primum hic ſe nobis offert ORIGENES. Licet enim maxima eius ſint in theologiam exegeticam merita; ſubinde tamen & doctrinae ſacrae veritatem contra quosuis diſſentientes propugnauit. THEODORETVS in libris *haereticarum fabularum* ſaepe ad eum prouocat, & libros ipſius in teſtimonium adducit. Nimirum, *lib. I. cap. II.* ſcripſiſſe eum, ait, aduerſus Menandrum haereticum; & *cap. IV.* aduerſus Baſilidem & Iſidorum; *cap. VII.* aduerſus Helceſaitas; *cap. XIX.* aduerſus Hermogenem & Valentinum; *cap. XXI.* aduerſus Seuerum; & *cap. XXV.* aduerſus Apellem; porro *lib. II. cap. II.* aduerſus haereſin Nazaraeorum; & *lib. III. cap. I.* aduerſus Nicolaitas. Sed & *lib. II. cap. V.* auctor eſt, nonnullos ORIGENI tribuere *paruum labyrinthum*, aduerſus Theodotum haereticum ſcriptum.

NICEPHORVS quoque, ſcriptis libellis luculenter ORIGENEM refutaſſe, teſtatur, Marcellum Galatam, & Porphyrium, iisque id adſequi conatum eſſe, vt obſcuri & intricati ſcripturae loci, quibus abuti ſolebant haeretici, ad verum ſenſum deflecterentur; *hiſtor. eccleſ. lib. X. cap. XXXVI.* Non equidem, totidem libros confutandis haereticis emiſiſſe ORIGENEM, quot haereticos ab eo confutatos narrat THEODORETVS, ſed plurimos ex illis in alterius argumenti ſcriptionibus obiter ab ORIGENE perſtrictos, exiſtimat PETR. DAN. HVETIVS; qui ad hancce comprobandam ſententiam addit, in more hoc poſitum fuiſſe ORIGENI, hinc inde perſtringere haereticos, licet ex inſtituto illos non refellat; quemadmodum Heracleonem in *commentariis in Ioannem* ſaepe ſugillauerit, & vbique fere Valentinum, Baſilidem & Marcionem. Non tamen negat, aliquos eum aduerſus haereticos & ethnicos quosdam ex inſtituto edidiſſe libros, qualis ſit liber *contra Celſum* (de quo deinceps) & *paruus* ille *labyrinthus* aduerſus Theodotum, de quo tamen dubitat, an ORIGENES eius auctor ſit, & denique lucubratio *aduerſus Helceſaitas*, quos peculiari opere conuictos fuiſſe, veroſimile cenſet; *Origenianor. lib. III. cap. III. ſect. I. §. IX. X. p. 165.* At generatim contra ſectas & haereſes librum ſcripſiſſe ORIGENEM, condocet nos IOAN. MABILLONIVS, qui eum manuſcriptum, ſed mutilum ab ea parte, quae refutationem continebat, Florentiae in bibliotheca Medicaea exſtare, teſtatur: *itin. italic. p. 168.* Sed fallitur vir eruditiſſimus, cum haud dubie eum intelligat libellum, qui *Origenis philoſophumena* inſcriptus, hodie proſtat. Eum ſane operis grandioris, κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος dicti, quo auctor omnes ſibi haereſes confutandas ſumſit, eſſe partem, ſeu librum primum, conſtat. Cum enim auctor iſte exiſtimaret, ex philoſophorum placitis haereſes fere omnes enatas eſſe; illorum praemittere recenſionem, conſultum duxit. An vero libellus iſte recte ORIGENI tribuatur? id nimirum eſt, de quo diſputari ſolet. Adfirmant quidem illud praeter IAC. GRONOVIVM, qui eum primus ex codice Florentino edidit, verſionemque & notas, quibus illum ORIGENI vindicat, addidit; in *theſauro antiquitatum graecarum, tom. X. p. 257.* viri quidam longe doctiſſimi; negant contra alii, non minus ingenio & eruditione praeſtantes, interque eos PETR. DAN. HVETIVS, *Origenianor. lib. III.* in *adpend. §. XI. p. 277.* vbi eum contra EPIPHANIO tribuit. Sed nec ab ORIGENE iſtum profectum, nec rectius EPIPHANIVM eius auctorem adſeri, ſaltem ſolidis hanc ſententiam deſtitui fundamentis, euidenter demonſtrat, qui haecce *philoſophumena*, recognita, & notis vberioribus illuſtrata, paſſimque correcta Hamburgi anno 1706. 8. recudi curauit vir eruditiſſimus, IO. CHRIST. WOLFIVS, in *praefatione*, in qua copioſiſſime, diligentiſſimeque hac de re diſputat. Inter genuina ſcripta ORIGENIS, quae adhuc exſtant, quaeue huius loci ſunt, primum praecipuumque citra controuerſiam locum tenet inſigne illud prorſusque egregium *contra Celſum* opus. Celſus nimirum philoſophus Epicureus, chriſtianam religionem impugnauerat, libro, quem inſcripſerat: λόγος ἀληθής· Is cum ſummo plauſu ab aduerſariis chriſtianorum exceptus eſſet; AMBROSII Alexandrini rogatu eum confutandum ſuſcepit ORIGENES, ſexagenario iam maior, & CELSO iam e viuis ſublato, idque *libris octo* effecit. Opus hoc in quibusdam codicibus inſcribi: ὁ κατὰ τοῦ Κέλσου ἀληθὴς λόγος, viris doctis obſeruatum eſt. Magnam in eo ORIGENEM demonſtraſſe vim ingenii, & quidquid contra religionis chriſtianae veritatem excogitari poteſt, adcurate & diligenter diſcuſſiſſe, apud omnes in confeſſo eſt. EVSEBIVS, cum adſeruiſſet, quae ab Hierocle contra

Digitized by Google

contra religionem chriſtianam in medium prolata erant, iam ab ORIGENE in hocce *contra Celſum* opere refutata eſſe; addit: ὧ τὰς εὐθύνας ἀπαραλείπτως, ἐν ὅσοις εἰρήκαμεν, ὁ δεδηλωμένος παραγαγὼν ξυλλήβδην ὅσα εἰς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν, παντὶ τῳ, εἴρηταί τε, καὶ εἰρήσεται, προλαβὼν διαλύσατο· *Ibi enim rationes ille omnes abunde complexus, quidquid in eam rem cuiquam vel diſſertum eſt vnquam, vel diſſeretur omnino, quaſi praeoccupatione diſſoluit; lib. contr. Hieroclem, p. m. 511.* Pari ratione, qui ex recentioribus operis iſtius mentionem faciunt, illud omnes vno velut ore laudant; nec refragabitur quiſquam temere LVDOV. ELL. DV PIN, qui illud *excellentiſſimum, & magna eruditione refertum* vocat; in quo ORIGENES *ſolidiſſime ad obiectiones Celſi reſponderit; hiſtoriam Chriſti, eiusque miracula, diuinitatem item ac reſurrectionem, argumentis animum conuincere aptis probauerit; calumnias & impoſturas Celſi & aliorum gentilium refutauerit, veritatem denique & excellentiam doctrinae ac religionis chriſtianae, ante omnium oculos poſuerit;* additque *elegantiſſime, & magna cum attentione, ac exquiſita methodo huncce librum ſcriptum eſſe; nou. bibliotb. ſcriptor. eccleſ. tom. I. p. 242.* Non minus quoque HOVTTEVILLAEVS abbas, omnem eloquentiae, qua haud mediocriter pollet, vim in laudando hocce ORIGENIS opere, exhaurire videtur, in *diſcurſu hiſtorico & critico de methodo praecipuorum auctorum, qui pro & contra chriſtianiſmum a prima eius origine ſcripſerunt,* tractatui eius, *religio chriſtiana probata per facta*, gallice ſcripto, editoque Pariſiis an. 1722. 4. praemiſſo *p. 50.* Nec tamen rurſus deſunt, qui, ratiocinia ac argumenta ORIGENIS non ſemper aeque valida eſſe arbitrantur. Ita iam ipſe HIERONYMVS ſenſiſſe videtur, cuius verba eo lubentius hic recito, quoniam methodum diſputandi, qua veteris eccleſiae doctores aduerſus haereticos vſi ſunt, illuſtrant. *Legimus,* inquit, *eruditiſſime vir, in ſcholis pariter, & Ariſtotelea illa vel de Gorgiae fontibus manantia, ſimul didicimus, plura eſſe videlicet genera dicendi; & inter cetera, aliud eſſe* γυμναστικῶς *ſcribere; aliud* δογματικῶς. *In priori vagam eſſe diſputationem, & aduerſario reſpondentem, nunc haec nunc illa proponere; argumentari vt libet, aliud loqui, aliud agere, panem vt dicitur oſtendere, lapidem tenere. In ſequenti autem aperta frons; & vt ita dicam, ingenuitas neceſſaria eſt. Aliud eſt quaerere, aliud definire. In altero pugnandum, in altero docendum eſt. Tu me ſtantem in proelio, & de vita periclitantem ſtudioſus magiſter doceas. Noli ex obliquo, & vnde non putaris, vulnus inferre. Directe percute gladio. Turpe tibi eſt, hoſtem dolis ferire, non viribus. Quaſi non & haec ars ſumma pugnantium ſit, alibi minari, alibi percutere. Legite, obſecro vos, Demoſthenem; legite Tullium; ac ne forſitan rhetores vobis diſpliceant, (quorum artis eſt, veriſimilia magis quam vera dicere) legite Platonem, Theophraſtum, Xenophontem, Ariſtotelem, & reliquos, qui de Socratis fonte manantes, diuerſis cucurrere riuulis: quid in illis apertum, quid ſimplex eſt? Quae verba non ſenſuum? Qui ſenſus non victoriae? Origenes, Methodius, Euſebius, Apollinaris, multis verſuum millibus ſcribunt aduerſus Celſum & Porphyrium. Conſiderate, quibus argumentis, & quam lubricis problematibus, diaboli ſpiritu contexta ſubuertant; & quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt, dicunt aduerſus eos, qui dicuntur eſſe gentiles; epiſt. XXX. ad Pammachium pro libris aduerſus Iouinian. tom. IV. operum part. II. p. 235.* editionis IOAN. MARTIANAEI. Hic ergo cum de ORIGENE, aliisque religionis chriſtianae contra gentiles defenſoribus dicit: *conſiderate, quibus argumentis, & quam lubricis problematibus diaboli ſpiritu contexta ſubuertant,* innuere videtur, infirma eſſe, parumque roboris habere

habere argumenta, quibus tum alii, tum & ORIGENES contra gentiles pugnarunt. Verum hic ipſe, quem recitauimus, HIERONYMI locus, viro doctiſſimo IOAN. ANDR. SCHMIDIO occaſionem dedit, commentationem, ſiue *programma* edendi, *de doctorum primitiuae eccleſiae vario docendi diſputandique genere*, Helmſtadii an. 1701, vbi cum duplex illud, quod HIERONYMVS conſtituit, diſputandi genus, δογματικὸν, & γυμναστικὸν explicaſſet, ad ORIGENEM quod attinet, *verum enim* inquit, *nihil laudis derogat Hieronymus Origeni ſuo, quem his ipſis verbis haud proletarie commendare videtur. Scilicet pro duplici res tractandi modo collegit rationes demonſtratiuas, immo & communes ſiue dialecticas, quascumque conquirere poterat, vt ſua adſtrueret, gentilium vero obiectiones deſtrueret. Ea id felicitate ab eo peractum eſſe, ſcribit Hieronymus, vt etiam lubricis problematibus, id eſt, dialecticis argumentis, diaboli ſpiritu contexta ſubuerterit. Cogebatur interdum loqui, non quod ſentiebat, ſed quod ex Celſi adſertis aduerſus eum,* κατ᾽ ἄνθρωπον *diſputare id alias dicimus, inuertere poterat.* Atque hancce HIERONYMI fuiſſe mentem, lubens fateor: qua ratione autem, & quo iure, ad ORIGENEM haec applicari diſtinctio poſſit, & an vbique procedat, aliis iudicandum relinquo. Certe ORIGENEM in ſuis ad argumenta Celſi reſponſionibus non vbique rem acu tetigiſſe, nonnulli contendunt; exemplique loco ea proferunt, quae ad obiectionem Celſi, cur Chriſtus poſt reſurrectionem iudicibus, a quibus inique damnatus fuit, & aduerſariis ſuis non adparuerit; reponit, *lib. II. p. m. 98. ſeqq.* Sed haec non obſtant, quo minus libris in hocce genere praeſtantiſſimis hocce opus adnumeretur. Graece primum atque latine iſtud edidit DAV. HOESCHELIVS, Auguſtae Vindelicorum, an. 1605. 4. Deinde vero cura & ſtudio GVIL. SPENCERI, cum adnotationibus eiusdem doctiſſimis, addita etiam ORIGENIS *philocalia*, Cantabrigiae prodiit, an. 1658. quae ibidem repetita eſt editio an. 1677. 4. Verſio gallica ELIAE BOVHEREAV, ſiue BOHERELLI, quae Amſtelodami 1700 lucem adſpexit, multis quoque linguae iſtius peritis in pretio eſt. Referri denique inter ſcripta polemica ORIGENIS poſſet *dialogus de orthodoxa fide*, ſiue περὶ τῆς εἰς θεὸν ὀρθῆς πίστεως, qui & *contra Marcionitas* inſcribi ſolet; ſi modo certo conſtaret, ORIGENEM eius auctorem eſſe. ORIGENI equidem illum tribuunt BASILIVS, & GREGORIVS Nazianzenus; at EVSEBIVS, a MAXIMO eum profectum eſſe, adſerit, cuius potiorem hic eſſe auctoritatem, PETR. DAN. HVETIVS pronuntiat; *Origenianor. lib. III. adpend. §. IX.* Conſentiunt in eo plerique, eum non eſſe ORIGENIS; quod tamen contendit, & collatis ingenii viribus omnibus probare adnititur, IOAN. RVDOLPH. WETSTENIVS, qui primus eum graece & latine, notisque illuſtratum, edidit, Baſileae anno 1674. 4. Obtinere tamen non potuit, vt alii in ſuam concederent ſententiam. Interim ORIGENES, ſi vel maxime libri iſtius auctor non ſit, ſuum nihiloſecius inter ſcriptores polemicos tuetur locum, vt ex hactenus dictis liquet. Non tantum autem dum veritatis hoſtes impugnabat, ſed, dum ipſemet noua quaedam atque παράδοξα dogmata proponebat, aliorum in ſe prouocauit calamos, acerrimisque certaminibus occaſionem dedit. Cum adhuc in viuis eſſet, inuidiam ſenſit DEMETRII, Alexandrini epiſcopi, qui ipſum, prius a ſe catechetae munere ornatum, poſtea hoſtili inſectatus eſt animo, quod videret, ORIGENIS indies creſcente gloria, ſuam apud populum exiſtimationem minui. Nihil aliud autem, quod reprehenderet, inueniens, id ſolum, quod ſe ipſe exſecuiſſet, obiecit. At poſt obitum eius diuerſa doctorum eccle-

ſiae de eo eruperunt iudicia. Primus doctrinam eius impugnauit METHODIVS, Tyri epiſcopus, in libro *de reſurrectione*, cuius fragmenta apud EPIPHANIVM exſtant, *haereſi LXIV* & PHOTIVM, *cod. CCXXXIV*, itemque in commentatione *de pythoniſſa aduerſus Origenem*, ex qua nihil reliquum eſt. Cecineritne METHODIVS palinodiam in dialogo, quem *Xenonem* inſcripſit, quod adſerit SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap. XIII.* adhuc dubitatur, abnuuntque illud CAES. BARONIVS, DIONIS. PETAVIVS, NAT. ALEXANDER, aliique, a quibus tamen diſſentit PETR. DAN. HVETIVS, *loco* mox *citando*. METHODII interim parum ORIGENIS famae nocuit adcuſatio, cum longe plures eſſent, qui eam tuerentur, vniuerſo fere orbe chriſtiano ob ſummam viri eruditionem in eius laudes prono. At cum infelici ſidere enata eſſet Ariana haereſis, orbemque inundaret; ORIGENIS demum doctrina acriter impugnari coepit ab orthodoxis, cum Ariani, ad praeſidium cauſſae ſuae conciliandum, varia ex ſcriptis eius colligerent, immo erroris ſui virus ſcriptis eius paſſim adfunderent, vt totum ORIGENEM ſuum facerent. Hinc quot vel fautores Ariana haereſis habuit, vel oppugnatores; totidem fere Origenianam vel amplexi, vel deteſtati ſunt doctrinam. Cuius rei illuſtre in EVSEBIO Caeſarienſi, & EVSTATHIO Antiocheno, patuit exemplum; quorum ille, Arianae quippe haereſeos fautor, amicum ſuum & familiarem PAMPHILVM, presbyterum, ad ſcribendam pro ORIGENE apologiam, induxit, quam cum, martyrio exſtinctus, abſoluere non potuiſſet, ſupremam ipſe EVSEBIVS adiecit manum, qui & in *hiſtoria* ſua *eccleſiaſtica* ORIGENIS cauſſam ſtrenue egit. Conſtabat ille PAMPHILI pro ORIGENE apologeticus *libris quinque*, ex quibus primus dogmatibus ORIGENIS vel defendendis vel excuſandis deſtinatus, & a RVFFINO in latinum ſermonem translatus, hodie adhuc inter opera ORIGENIS exſtat; ex reliquis, qui circa vitam, mores, & eruditionem eius verſabantur, excerpta quaedam habentur apud PHOTIVM *cod. CXVIII.* Sunt quidem, qui omnino, a PAMPHILO aliquid ſcriptum, negant, adeoque &, eum apologetici iſtius auctorem eſſe, inficiantur, quibus & NAT. ALEXANDER ſuffragatur, *hiſtor. eccleſ. ſaec. III. cap. III. artic. III. §. III.* & *part. II. diſſertat. XVI.* ſed his iam ſatisfactum eſt ab aliis. EVSTATHIVS contra Antiochenus, qui a partibus ſtabat orthodoxorum, ORIGENEM adortus eſt, eiusque ſententiam de engaſtrimytho peculiari opere explodendam ſuſcepit. Sed & alii magno impetu eumdem damnabant, licet eorum, quae aut ſcripſerat, aut docuerat, plane rudes eſſent. Hoc enim saepiſſime in controuerſiis theologicis contingere ſolet, vt magni clamores ab iis excitentur, qui ipſimet, de quo diſceptetur, & quidnam demum tanto feruore reiiciant, damnentue, neſciunt. Nonnulli tamen ex orthodoxis, iique magni nominis viri, moderatius de ORIGENE ſentiebant, & inconcinne ab eo dicta, benignius interpretari maluerunt, vt ATHANASIVS, BASILIVS, GREGORIVS Nazianzenus, itemque HILARIVS, EVZOIVS, TITVS Boſtrenſis, aliique; immo ipſe etiam HIERONYMVS, qui deinceps, mutata ſententia, vt erat violenti vir ingenii, ORIGENEM acriter oppugnauit, quod THEODORVS etiam Mopſueſtenus, & APOLLINARIS fecerunt. Recte autem nonnulli obſeruant, ORIGENIS defenſores, quos *Origeniſtas* vocant, non vnius fuiſſe generis. Nonnullos namque ita eum aut laudaſſe, aut excuſaſſe, vt tamen errores eius non defenderent; quod tamen fecerint alii. Namque & hoc ſaepiſſime in certaminibus theologicis contingit, vt, ſi quid in iis, aut odio, aut amori detur, faciliima inde ad errores

Digitized by Google

grauiſſimos prolapſio exſiſtat. Quantum vero mali praui adfectus, in eiusmodi controuerſiis, adferant, exemplo IOANNIS Hieroſolymitani, & EPIPHANII in eadem cauſſa Origeniana patuit. IOANNI enim cum Origenianos errores EPIPHANIVS exprobraſſet; ille rurſus huic haereſin obiecit anthropomorphitarum. Irritatis ita animis, cum Paulinianum Hieronymi fratrem EPIPHANIVS in Palaeſtina extra ditionem ſuam ordinaſſet; tum demum in acerrimas contentiones odium, vtrimque animis conceptum erupit. Origenianam itaque haereſin, dolori ſuo ſatisfacturus, quantis maxime viribus poterat, impugnauit EPIPHANIVS, ſuppetias mox laturo HIERONYMO, & more ſuo acriter in ORIGENEM inuecturo, ob fratris ſui Pauliniani cauſſam itidem ad iram concitato. RVFFINVM tamen rurſus defenſorem nactus eſt ORIGENES, qui non aliam ob cauſſam ab inita iam inde a multis annis cum HIERONYMO amicitia defecit. Sed de vtroque, & RVFFINO & HIERONYMO, deinceps erit dicendi locus. Nobis haec commemorare viſum fuit, quoniam exinde, quaenam certaminum theologicorum plerumque ſit ratio, luculenter cognoſcere licet; quod obſeruare, illorum, qui ad theologiam polemicam animum adiiciunt, intereſt. Plura autem de controuerſiis iſtis Origenianis dabunt IO. HENR. HORBIVS, in *hiſtoria Origeniana*; PETR. HALLOIXIVS, in *Origene defenſo*; ſiue *quatuor Origenianarum vindiciarum libris*; &, qui omnium diligentiam ſuperauit, PETR. DAN. HVETIVS, in *Origenianis*, *commentariis Origenis*, *quae graece reperiri potuerunt*, praemiſſis, praeſertim *lib. II. cap. IV. p. 195. ſqq.* quibus adhuc iungendus LVD. DOVCIN, in *hiſtoria Origeniſmi, ſiue motuum, qui in eccleſia occaſione Origenis & eius doctrinae contigerunt*; gallice ſcripta, editaque Pariſiis anno 1700. 12.

CELSI dum antea mentionem iniecimus; facere nequeo, quin de philoſophis, qui chriſtianae religionis veritatem impugnarunt, aliquid dicam. Primus inter eos CRESCENS nobis occurrit, philoſophus Cynicus, qui IVSTINO martyri bellum indixit, cumque alia ratione eum vincere non poſſet, mortis illius cauſſa exſtitit. Ex ipſo IVSTINO intelligimus, hominem fuiſſe vanum & ineptum, moribusque impuris, & philoſopho indignis, praeditum. Fuſe de eo verba facit *apolog. II. pro chriſtianis*, *p. 21.* editionis H. HVTCHINI. Nec credibile, eum talia ad ethnicos ſcribere auſurum fuiſſe, niſi veritati fuiſſent conſona. Confirmat ea TATIANVS, *orat. ad Graecos*, *p. m. 72.* editionis WILH. WORTH. Scripſiſſe quidquam CRESCENTEM, non conſtat, viuaque adeo ſolum voce, ac ſermonibus ſuis, chriſtianos traduxit, inuidiamque iis creare adniſus eſt. Nec tam rationibus, quod philoſophum decebat, quam calumniis ac obtrectationibus eos impugnauit, atheiſmum, impietatem, ſimiliaque obiiciendo. Qua de re recte IVSTINVS: οὐ γὰρ φιλόσοφον εἰπεῖν ἄξιον τὸν ἄνδρα, ὅς γε περὶ ἡμῶν, ἃ μὴ ἐπίσταται, δημοσίᾳ καταμαρτυρεῖ, ὡς ἀθέων καὶ ἀσεβῶν χριστιανῶν ὄντων, πρὸς χάριν καὶ ἡδονὴν τῶν πολλῶν τῶν πεπλανημένων ταῦτα πράττων· *Indignus namque eſt, qui philoſophus dicatur; propterea, quod publice de nobis, quae ignorat, videlicet, quod chriſtiani athei, prorſusque ſine Deo & impii ſint, aſſeuerat; ad gratiam & libidinem errantis multitudinis haec faciens; l. c.* Id vero agebat CRESCENS mendaciis ſuis atque conuiciis, vt magiſtratum in IVSTINVM concitaret, euentu quidem, quem ipſe martyr ſanctiſſimus proſpexerat, quemue praeter alios EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. XVI.* confirmat. Ab eiusmodi autem quid exſpectandum ſit diſputatore, quilibet facile perſpicit. Excipiat itaque eum CELSVS, cuius inter chriſtianorum hoſtes longe notiſſimum eſt nomen. Duo

 autem

autem cum fuerint CELSI philoſophi, & quidem Epicurei, vt ipſemet ORIGENES obſeruat, *lib. I. contra Celſum p. 8.* hic iuniorem illum intelligimus, quem circa tempora Marci Aurelii Antonini floruiſſe, ex LVCIANO colligit HENR. VALESIVS, in *epiſtola ad Claudium Sarrauium*, quam integram exhibet GVIL. SPENCERVS, in *adnotationibus* ad *lib. VII. Origenis contra Celſum p. 85. 86.* Secta Epicureum fuiſſe, poſitum eſt extra controuerſiam. Hoc enim ex ORIGENE atque LVCIANO conſtat, quorum ille paſſim ei obiicit Epicuri dogmata, & errores, hic vero *pſeudomantem* ideo ſe ſcripſiſſe profitetur, vt propenſum erga CELSVM teſtaretur animum, & Epicurum illi chariſſimum vindicaret. A Platone tamen quoque non alieno fuiſſe animo CELSVM, eumque interdum ſequutum eſſe, idem ORIGENES auctor eſt; ex quo etiam diſcimus, in opere, quod aduerſus chriſtianos ſcripſit, eum Epicureiſmum diſſimulaſſe; *lib. I. contra Celſum p. 163.* Vnde fere colligas, ſuorum dogmatum non ſatis certum fuiſſe CELSVM; ſaltem non auſum iis inſiſtere, cum in certamen prodiret cum chriſtianis. Sectae ceteroquin Epicureae prae reliquis plurima propria erant, quae doctrinae ac diſciplinae chriſtianorum e diametro aduerſabantur. LVCIANVS qui ψευδόμαντιν ſuam CELSO inſcripſit, dum magnificis eum extollit laudibus, inter alia eum ſe ſuſcipere, ait, ἐπί τε σοφίᾳ καὶ τῷ πρὸς ἀλήθειαν ἔρωτι *propter ſapientiam, veritatisque ſtudium; tom. I. oper. p. 783.* At veritatis ſtudium, ſaltem in diſputatione contra chriſtianos, non demonſtrauit. A vero autem non abhorret, reſpexiſſe LVCIANVM hiſce verbis ad librum, quo CELSVS chriſtianos impugnauit, ab ORIGENE refutatum, quemue ἀληθὴς λόγος inſcriptum fuiſſe, ſupra iam obſeruauimus. Ita HENR. VALESIVS non ſine ratione exiſtimat, in *epiſtola citata*, apud GVIL. SPENCERVM, *l. c. p. 86.* Variis ſcriptis nominis quamdam celebritatem CELSVS conſequutus eſt, de quibus GVIL. SPENCERVS, *ſcripta quod attinet*, inquit, *cum ex aequo impietatem & eruditionem redolere videantur, ſi vituperio, laudeque digna iudicarem, quis (modo Lucianum illi amiciſſimum excipias) aegre feret?* Primum vero principemque inter ea locum tenet, quod, vt iam diximus, λόγον ἀληθῆ nomine inſcripſit, ad exemplum ANTIPHONTIS, vt viris doctis obſeruatum, idque Iudaeis pariter ac chriſtianis oppoſitum. GVIL. SPENCERVS, opus hocce in duos tomos diſtinctum fuiſſe, docet, vocatque *lectu iucundiſſimum, ſiue philoſophorum & chriſtianorum vetuſtiſſimorum lites cognoſcere cupias, ſeu proprias vires experiri, aut Origenem ſtrenue refutantem, tuis laudibus cohoneſtare velis.* LVCIANVS libros CELSI κατὰ μάγων extollit, eosdem haud dubie innuens, quos ORIGENES vocat βιβλία πλείονα κατὰ μαγείας, quamuis dubitanter loquatur: ὁρᾷς δὲ διὰ τούτων ὅτι οὐ παραδέχεται μαγείαν εἶναι· οὐκ οἶδα δὲ εἰ ὁ αὐτὸς ὢν τῷ γράψαντι κατὰ μαγείας βιβλία πλείονα· *Vides, his verbis eum pene concedere, eſſe magiam, cum fortaſſe is ſit, qui multis libris ſcripſit contra magiam; lib. I. p. 53.* Sed dubitandi cauſſa ceſſat, cum LVCIANVS diſerte, vti dictum, CELSI huius libros κατὰ μάγων laudet. Vnde rectiſſime hoc CELSO obiecit ORIGENES, & eum velut conſtrictum tenet, quod Chriſto, eiusque ſectatoribus artes magicas exprobret, cum tamen ipſemet magiam inficietur. Praeter illum, quem commemorauimus, adhuc alios duos libros contra chriſtianos compoſuiſſe videtur; certe a CELSO quodam compoſiti fuere; num vero ab hocce? dubitanter iterum adſerit ORIGENES. Cum enim dixiſſet, Platonem poëtas non habuiſſe pro ἐνθέους, ſeu diuinitus adflatis, addit: ὁ δὲ κρίνειν μᾶλλον Πλάτωνος δυνάμενος, ὁ Ἐπικούρειος Κέλσος (εἴγε οὗτός ἐστι καὶ ὁ κατὰ Χριστιανῶν ἄλλα δύο βιβλία συντάξας) τάχα φησὶ φιλονεικῶν, ὅτι μὴ ἐνθέ-

ους

ὡς ἔνθεος, ἔνθεος ἄνθρωπος at cenſor Platone magis idoneus Epicureus, (ſi tamen is eſt, qui & alios duos libros contra chriſtianos compoſuit) pronuntiat adflatos Deo, nimirum per contentionem, in noſtramque contumeliam, quos adflatos non exiſtimat; lib. IV. p. 186. Denique & librum de *bene viuendi praeceptis* dare voluit CELSVS; quem an fecerit; an vero confectus perierit; non conſtat. Certe cum ORIGENES refutationi operis, λόγος ἀληθὴς inſcripti, finem imponeret, eum nondum viderat; ſiquidem AMBROSIVM ſuum rogat, vt eum, ſi forte prodiiſſet, ad ſe mitteret, pollicerurque, ſe eum refutaturum. Quidquid autem de reliquis CELSI libris ſit; ex eo, quem ORIGENES ſibi refutandum ſumſit, abunde conſtat, nec ingenium, nec doctrinam ei defuiſſe. *Vides lector*, inquit GVIL. SPENCERVS, *qualem & quantum religionis chriſtianae aduerſarium ardor gloriae, & daemonum maleuolentia ſuſcitauit, aduerſarium ingenio praeditum, diſciplinis excultum, inſtructum philoſophia, eloquentia ornatum, hiſtoricis verſatiſſimum, & omnigena rei litterariae copia locupletatum; quibus omnibus acceſſit liuor, qui linguam exacuit, & totas ingenii vires veneno infecit, velut effluentem Neſſi cruorem ebibiſſet; ad lib. I. Origen. contra Celſum p. 4.* Non ſine Numinis itaque prouidentia contigit, vt eidem ſe opponeret ORIGENES, iis ingenii viribus, ea doctrinae copia ac vbertate, inſtructus, quae illum non tantum parem huic aduerſario, ſed & ſuperiorem redderent. Accedebat, quod non tantum cauſſae, quam ORIGENES defendendam ſuſceperat, iuſtitia, doctrinaeque veritas, viam ad victoriam faciliorem faceret, ſed ipſe quoque CELSVS haud raro meris calumniis ac obtrectationibus, aut miſeris pugnaret ſophiſticationibus.

Neſcio, an LVCIANVM hic commemorare quoque debeam, CELSI, vti ex dictis conſtat, amicum, chriſtianorum vero hoſtem infenſiſſimum. Etſi enim ex inſtituto contra chriſtianos non ſcripſit; vbi tamen occaſio tulit, omnem in eos effudit furorem, calamoque maledico habenas laxauit; vti vel ex dialogo eius περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς, *tom. II. oper. p. 558. ſeqq.* patet. At, cum ſarcasmis potius & ſcommatibus, quam rationibus pugnauerit; dignus non eſt, cuius hic habeatur ratio. Rectius enim eiusmodi homines, quantumuis ab imperitis harum rerum ingenii laudem referant, contemnuntur, quam refutantur. Mitto nunc etiam eos, qui, aliud velut agendo, religionem chriſtianam perſtrinxerunt, ſimul tamen alienum ab ea demonſtrarunt animum; quod & ARRIANVS fecit, Epicteti diſcipulus, qui inuiſo Galilaeorum nomine eos traducit, & quod ad pericula quaeuis, immo cruciatus grauiſſimos & mortem ipſam ſubeundam tam promti ſint, ὑπὸ μανίας ἢ ὑπὸ ἔθους *ex inſania aut conſuetudine eos facere*, autumat; *diſſertat. in Epictet. lib. IV. cap. VII.* itemque MARC. AVREL. ANTONINVS philoſophus ac imperator, dum, chriſtianorum in ſubeundo martyrio fortitudinem ψιλὴν παράταξιν *meram animi obſtinationem* fuiſſe, adſerit, nec ἀπὸ τῆς ἰδίας κρίσεως *a iudicio particulari* prouenire; *de ſe ipſo ad ſe ipſum lib. XI. §. III.* Ad PORPHYRIVM potius progredimur, quem haud immerito *rabidum aduerſus Chriſtum canem* vocauit HIERONYMVS. Sunt, qui tradunt, eum primo quidem fuiſſe chriſtianum; ſed cum a chriſtianis quibusdam Caeſareae verberatus eſſet, nec iniuriam illam bene concoquere poſſet; atra bile percitum, eiurato chriſtianiſmo, ad eumdem conuiciis atrociſſimis proſcindendum, animum adpuliſſe. Legendi hac de re SOCRATES, *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XXIII.* AVGVSTINVS, *de ciuit. Dei lib. X. cap. XXVIII.* NICEPHORVS, *hiſtor. eccleſ. lib. X. cap. XXXVI.* Quidquid eius ſit, animum chriſtianis infenſiſſimum ſatis prodidit ſcriptis

κατὰ χριστιανῶν, *aduerſus chriſtianos*, *libris quindecim*, quos nemo antiquorum non memorat & deteſtatur. In Sicilia eum foetum hunc nefandum in lucem edidiſſe, contra CAES. BARONIVM, qui in Bithynia id factum putat, inuictis argumentis monſtrat LVCAS HOLSTENIVS, in *diſſertat. de vita & ſcriptis Porphyrii philoſophi*, quam integram *bibliothecae* ſuae *graecae* inſeruit IOAN. ALBERT. FABRICIVS, *lib. IV. pag. 207. ſeqq.* qui & *pag. 181.* reliquos, qui de vita Porphyrii conſuli poſſint, indicat. Mirum vero non eſt, ſaeculo, quo PORPHYRIVS vixit, tertio, gentilium philoſophos magnam animo contra chriſtianos concepiſſe iram. Videbant enim, chriſtianorum in dies latius ſe diffundere doctrinam, nec vllis artibus, vlloue crudelitatis genere opprimi poſſe; ethnicorum contra res in dies decreſcere; id quod hoſce ethniciſmi promachos, qui &, ſuam hac ratione euileſcere auctoritatem, facile intelligebant, male habebat. Hinc, quidquid poterant calumniarum, in chriſtianos conuectabant, hisque calamitates omnes, quibuscum eo tempore mortalibus confligendum erat, impudenter imputabant, eas ab irato Numine immitti, clamitantes, ob veterem ac auitam religionem ſpretam atque repudiatam. Ad haſce, quae philoſophis gentilium omnibus communes erant, cauſſas, ſpecialis accedere poterat, quam antea commemorauimus, quae PORPHYRIVM contra chriſtianos irritaret. Nec defuerunt ſibi eccleſiae chriſtianae doctores, ſed hoſce PORPHYRII inſultus ſtrenue exceperunt; quos inter eminent METHODIVS, EVSEBIVS Caeſarienſis, & APOLLINARIS. Meminit eorum paſſim HIERONYMVS, vt eos inter ſe coniungat, ſpeciatim & *epiſtola XXX ad Pammachium, pro libris aduerſus Iouinianum, tom. IV. oper. part. II. p. 231.* editionis IO. MARTIANAEI; vbi quae exſtant verba, ſupra iam recitauimus, cum de ORIGENE loqueremur. Atque ad METHODIVM quidem, Tyri in Palaeſtina epiſcopum, quod attinet, quem & inter eos, qui ORIGENEM impugnarunt, antea commemorauimus; eum libros quosdam contra PORPHYRIVM, in quibus vsque ad decem millia verſuum proceſſerit, ſcripſiſſe notum eſt; ex quibus tamen, praeter fragmenta quaedam, ex DAMASCENO & NICETA a FR. COMBEFISIO collecta, nihil ad nos peruenit. De argumentis itaque, quibus contra PORPHYRIVM vſus eſt, deque ratione, quam tenuit, diſputandi, nihil certi pronuntiare licet. HIERONYMVS quoque in ſua de eo ſententia non ſatis ſibi conſtat. Mox enim, *nitidum compoſitumque ſermonem* in eo laudat. *Methodius*, inquit, *Olympi Lyciae & poſtea Tyri epiſcopus, nitidi compoſitique ſermonis aduerſum Porphyrium confecit libros*; *de ſcriptorib. eccleſiaſtic. cap. LXXXIII.* Immo eum *fortiſſime* PORPHYRIO *reſpondiſſe*, adſerit in *epiſt. LXXXIII. ad Magnum oratorem Romanum, tom. IV. oper. part. II. p. m. 655.* *Scripſerunt*, inquit, *contra nos, Celſus atque Porphyrius; priori Origenes, alteri Methodius, Euſebius & Apollinaris fortiſſime reſponderunt.* Alibi autem, cum METHODIVM itidem, EVSEBIVM atque APOLLINAREM commemoraſſet, *qui*, inquit, *multis verſuum millibus eius* (Porphyrii) *veſaniae reſpondentes, neſcio an curioſo lectori ſatisfecerint*; in *praefat.* verſioni latinae Danielis praemiſſa, *tom. I. oper. p. m. 900.* editionis IO. MARTIANAEI. Sed & eosdem hoſce triumuiros, aeque ac ORIGENEM, *lubricis* pugnare *problematibus*, dixit *loco* ſupra iam *citato*, ſiue *ep. XXX. ad Pammachium, pro libris aduerſus Iouinian. tom. IV. oper. part. II. p. 231.* Putantque nonnulli, contingere facile potuiſſe, vt METHODIVS non adeo ſolidis vbique argumentis pugnaret, eo, quod poëtarum more ſcripſerit. EVSEBIVM itidem contra PORPHYRIVM calamum ſtrinxiſſe, ex adlatis hucusque HIERO-

RO-

RONYMI teſtimoniis liquet. Dumque idem *de ſcriptorib. eccleſiaſtic. cap. LXXXI.* confirmat: *& contra Porphyrium, qui eodem tempore ſcribebat in Sicilia, vt quidam putant, libros triginta, de quibus ad me viginti tantum peruenerunt;* indicat, triginta eum contra PORPHYRIVM libros compoſuiſſe, quamquam ex aliorum relatione hoc adſerere videatur, ex quibus viginti tantum ad ſe peruenerint. Hodie autem ex iſtis EVSEBII libris nihil amplius exſtat; eumque alibi idem HIERONYMVS, PORPHYRIVM, decimo octauo, decimo nono, & vigeſimo libro, tribus voluminibus, *ſolertiſſime* reſpondiſſe, adſerat; colligunt inde nonnulli, cum tot volumina contra PORPHYRIVM ſcripſerit EVSEBIVS, facile contingere potuiſſe, vt quaedam, quae non magni ponderis eſſent, admiſceret, & ad quae facili negotio reſpondere potuerit PORPHYRIVS. Certe & PHILOSTORGIVS, qui & ipſe, aduerſus PORPHYRIVM ſe ſcripſiſſe, teſtatur, & METHODIO & EVSEBIO multum praefert APOLLINARIVM: ὅτι φησὶ Ἀπολινάριος κατὰ Πορφυρίου γράψας, ἐπὶ πολὺ κρατεῖν τῶν ἠγωνισμένων Εὐσεβίῳ κατ᾽ αὐτοῦ· ἀλλὰ καὶ τῶν Μεθοδίου κατὰ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως σπουδασμάτων. *Ait, Apollinarium ſcribentem aduerſus Porphyrium ſuperiorem ferme eſſe iis, quae Euſebius aduerſus eumdem ſcripſit, ſed & iis, quae Methodius ſuper eodem argumento edidit; hiſtor. eccleſiaſt. lib. VIII. cap. XIV. p. m. 117.* Maximopere etiam hocce APOLLINARII aduerſus PORPHYRIVM opus commendat VINCENTIVS Lerinenſis. *Quid illo,* inquit, *praeſtantius acumine, exercitatione, doctrina? quam multas ille haereſes multis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutauerit errores, indicio eſt, opus illud triginta non minus librorum, nobiliſſimum ac maximum, quo inſanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit; commonitor. cap. XVI. p. 228.* Vbi, quod VINCENTIVS dicit, APOLLINARIVM triginta aduerſus PORPHYRIVM ſcripſiſſe libros confirmat etiam HIERONYMVS, qui & addit, *eos inter cetera eius opera vel maxime probari;* in *catalog. ſcriptor. eccleſiaſt. cap. CIV.* Quod ſi GVIL. CAVEO credimus, idem hocce opus fuit, ὑπὲρ ἀληθείας ſeu *de veritate,* cuius SOZOMENVS meminit, *hiſtor. eccleſ. lib. V. cap. XVIII.* quod aduerſus Iulianum & gentilium philoſophos compoſuit, & in quo ſine vllo ſacrorum librorum teſtimonio oſtendit, eos vano errore deceptos, ſecus quam oportet, de Deo ſenſiſſe; *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. IV. p. m. 142.* Hodie opus iſtud non amplius exſtat; vnde &, cuiusmodi argumenta, quibus diſputauit, fuerint, diiudicare non licet. Etiamſi vero, vti ex dictis patet, a quibusdam, ipſo etiam HIERONYMO, valde laudetur; non minus tamen ex eiusdem HIERONYMI locis, antea indicatis, patet, APOLLINARIVM inter illos ab eo referri, de quibus dubitat, *an curioſo lectori ſatisfecerint?* immo inter eos, qui *lubricis* pugnarunt *problematibus.* Cumque, ſi hoc opus eius idem ac illud eſt, cuius SOZOMENVS meminit, ſine vllo ſacrorum librorum teſtimonio oſtendere voluerit, gentiles vano errore deceptos, ſecus, quam oportet, de Deo ſenſiſſe; eumque in finem philoſophorum ac poëtarum, qui gentilibus in pretio fuerunt, haud dubie vſus ſit principiis; fieri aliter vix potuiſſe, nonnulli putant, quam vt non adeo firmis ſolidisque vbique pugnaret argumentis; praeſertim cum & ex HIERONYMI *locis citatis* colligi queat, eum etiam carmine ſua expreſſiſſe, in quo ſcribendi genere ἀκρίβειαν in diſputando obſeruare non liceat. Atque hi quidem ſunt, qui PORPHYRII inſaniam fortiter retuderunt. Quod enim auctor ψευδώνυμος, qui ſe LVC. DEXTRVM vocat, in *chronico ad annum Chriſti 310.* memorat, triginta circiter ſcriptores catholicos, & in his nonnullos Hiſpanos, aduerſus PORPHYRII blaſphemias ſcripſiſſe, falſum

ſum eſt haud dubie, atque commentitium; vt recte quoque obſeruat IAC. GOTHOFREDVS, in *diſſertationibus in Philoſtorgii biſtor. eccleſiaſt. p. 349. 350.* Error inde forte natus, quod HIERONYMVS tum de EVSEBIO, tum de APOLLINARIO referat, vtrumque triginta libros aduerſus PORPHYRIVM ſcripſiſſe. Ceterum, cum PORPHYRII opus, quo chriſtianos impugnauit, non minus ac patrum, qui illi reſponderunt, ſcripta perierint, vt ex dictis liquet; difficile equidem erit, argumentum eius diſtincte & per partes indicare: ex fragmentis tamen, quae hinc inde apud EVSEBIVM, HIERONYMVM, aliosque occurrunt, intelligere licet, id praecipue eum egiſſe, vt ſcripturae ſacrae auctoritatem penitus euerteret. Hac enim labefactata, non poterat non chriſtianae religionis, quae ei innitebatur, corruere veritas. Collegit ea fragmenta, & in certum ordinem, quantum licuit, diſpoſuit LVC. HOLSTENIVS, *de vita & ſcriptis Porphyrii cap. XI. p. 274. ſeqq.* Poſſentque ad ea varia ſcitu haud indigna obſeruari, ſi noſtri inſtituti hoc pateretur ratio.

Cum autem gentilium philoſophi non vnam ingrederentur viam, chriſtianorum religionem labefactandi; nonnullis placuit, quosdam inter ſuos conquirere heroës, eosque mendaciis & figmentis exornare, miracula quoque de iis comminiſci, & tantum non diuinitatem tribuere, vt haberent, quos Chriſto ſeruatori opponerent. Et quibusdam quidem, ſpeciatim IAMBLICHO, viſum fuit, de ipſo Pythagora talia prodere, quae ſupra humanam ſortem eum eueherent, Chriſtoque, ſi non ſuperiorem, certe aequalem redderent. Eo namque librum eius *de vita Pythagorae* comparatum eſſe, viris doctis obſeruatum eſt, in quo non hiſtoria, ſed integra ſeries ineptiſſimarum impudentiſſimarumque fabularum, inueniatur. Copioſius hoc ediſſerit HOVTTEVILLAEVS, in *diſcurſu biſtorico & critico, de methodo praecipuorum auctorum, qui ſcripſerunt pro & contra chriſtianiſmum, a prima eius origine*; eiusdem tractatui, *religio chriſtiana probata per facta*, praemiſſo, *p. 124. ſeqq.* vbi & de PORPHYRIO pariter ac EVNAPIO verba facit. Idem inſtitutum ſequutus eſt PHILOSTRATVS, qui non Pythagoram, ſed philoſophum tamen Pythagoraeum, APOLLONIVM Tyanenſem, elegit, in quo fingendi & mentiendi vires experiretur. Nec audiendi ſunt, qui, vt PHILOSTRATVM vera ſcripſiſſe euincant, Apollonium aut magum, aut impoſtorem fuiſſe, contendunt. Talia enim de eo narrat, quae, vt naturae vires longiſſime ſuperant, & a mago quodam perfici nequeunt; ita nulla ratione, aut arti, aut impoſturae, aut caſui tribui poſſunt. Conſtitutum vero PHILOSTRATO fuiſſe, hac ratione, quae de Chriſto ſeruatore, eiusque ſapientia ſumma, ſanctitate & miraculis credebant chriſtiani, imminuere, facile deprehendere licet, pluribusque iam eſt obſernatum. Hinc EVNAPIVS, homo ſuperſtitionibus ad delirium vsque deditus, & chriſtiano nomini infenſiſſimus, vt PETRO DAN. HVETIO audit, *demonſtrat. euangel. prop. IX. cap. CXLVII. p. 974.* non *Apollonii vitam*, ſed ἐπιδημίαν εἰς ἀνθρώπους θεοῦ, *Dei aduentum ad homines*, hocce opus inſcribi debuiſſe, pronuntiat; *prooem. ad vitas ſophiſtarum p. 11.* Eamdemque ex recentioribus calculo ſuo adprobarunt ſententiam GABR. NAVDAEVS, PETRVS DAN. HVETIVS, GVIL. NICHOLS, & ROB. IENKINVS, laudati GOTTFR. OLEARIO, in *praefatione Philoſtratorum operibus* praemiſſa, *p. 39.* Refutauit autem haec PHILOSTRATI commenta ex veteribus EVSEBIVS, contra HIEROCLEM diſputans; itemque ex recentioribus fecerunt PETR. DAN. HVETIVS, *l. c.* atque HENR. MORVS, in *myſterio pietatis c. II.* Exſtat *vita Apollonii*, a PHILOSTRATO ſcripta, inter *opera Philoſtratorum* a GOTTFR.

FR. OLEARIO Lipſiae 1709. fol. ſummo ſtudio edita, & exquiſitiſſimis adnotationibus illuſtrata, qui & in *praefatione* plura tum ad Apollonium, tum ad Philoſtratum ſpectantia, ſuppeditat. Quod PHILOSTRATVS paullo occultius intendit, id apertius exſequutus eſt HIEROCLES, comparationem inter Chriſtum & Apollonium inſtituendo. Claruit is circa initium ſaeculi quarti, Bithyniae primum ex vicario praeſes, deinde Alexandriae praefectus. Eum cum HIEROCLE, philoſopho illo Platonico Alexandrino, auctore libri *de fato*, cuius SVIDAS & PHOTIVS mentionem fecerunt, non confundendum eſſe, recte viri docti monuerunt. Hic itaque, de quo nobis ſermo eſt, acerrimus chriſtianorum fuit hoſtis, auctorque praecipuus grauiſſimae adflictionis, quam ſub Domitiano imperatore ſuſtinuerunt. Nec ſatis illi fuit, omnem, quam habuit, poteſtatem auctoritatemque, ad chriſtianorum perniciem conuertere, ſed ſcriptis etiam eos confutare adgreſſus eſt. Audire hac de re iuuabit LACTANTIVM. *Ego*, inquit, *cum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem, contigiſſetque, vt eodem tempore Dei templum euerteretur; duo exſtiterunt ibidem, qui iacenti atque abiectae veritati, neſcio vtrum ſuperbius, an importunius inſultarent, quorum alter antiſtitem ſe philoſophiae profitebatur, verum ita vitioſus, vt continentiae magiſter, non minus auaritia, quam libidine arderet &c.* De hocce philoſopho cum porro verba feciſſet, cauſſasque, quas prae ſe tulit, ſuſceptae aduerſus chriſtianos dimicationis, ediſſeruiſſet, ita pergit: *alius eamdem materiam mordacius ſcripſit, qui erat tum e numero iudicum, & qui auctor inprimis faciendae perſequutionis fuit: quo ſcelere non contentus, etiam ſcriptis eos, quos adflixerat, inſequutus eſt. Compoſuit enim libellos duos, non contra chriſtianos, ne inimice inſectari videretur, ſed ad chriſtianos, vt humane & benigne conſulere putaretur, in quibus ita falſitatem ſcripturae ſacrae arguere conatus eſt, tamquam ſibi eſſet tota contraria &c. diuin. inſtitut. lib. III. cap. II. p. m. 334.* Duorum hic philoſophorum meminit LACTANTIVS, qui infenſum hoſtilemque erga chriſtianos prodiderint animum. Quis prior ille fuerit, non conſtat. PORPHYRIVM A LACTANTIO deſignari, exiſtimat CAES. BARONIVS, in *annalib. ad annum LXVIII. num. 31.* Quod quam parum veroſimile ſit, luculenter oſtendit PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & critic. voc. Hierocles p. m. 1554.* Quidquid eius ſit, obſeruatu dignum, cum philoſophus hicce turpe eſſet foediſſimorum vitiorum mancipium; ſuarum tamen partium eſſe putauit, errantes in viam, & ad verum deorum cultum, reuocare. Quod licet reuera ridiculum atque ineptum ſit; idem tamen inter eos, qui chriſtianorum nomine veniunt, ab illis, qui controuerſias tractant, & magnam in theologia polemica celebritatem conſequuntur, haud raro fieri, experientia docet; adeoque hoc loco praetermittendum non fuit. Atque ab his obtentui quoque ea ſumi ſolent, quibus philoſophus ille ſe inductum ferebat, vt cum chriſtianis pugnam iniret. *Profeſſus, ante omnia*, inquit LACTANTIVS, *philoſophi officium eſſe, erroribus hominum ſubuenire, atque eos ad veram viam reuocare, id eſt, ad cultus deorum, quorum numine ac maieſtate (vt ille dicebat) mundus gubernetur; nec pati homines imperitos quorumdam fraudibus illici, ne ſimplicitas illorum praedae ac pabulo ſit hominibus aſtutis. Itaque ſe ſuſcepiſſe hoc munus, philoſophia dignum, vt praeferret non videntibus lumen ſapientiae, non modo, vt ſuſceptis deorum cultibus reſaneſcant, ſed etiam, vt pertinaci obſtinatione depoſita, corporis cruciamenta deuitent, neu ſaeuas membrorum laterationes fruſtra perpeti velint &c.* Hi ſunt iſti colores, quibus furor, aut inconſultus animi impetus, magnam interdum pietatis ſibi conciliat

liat ſpeciem. Conferenda, quae hac de re diſſerit PETR. BAELIVS, *l. c.* Per alterum illum philoſophum, de quo deinceps LACTANTIVS verba facit, & cuius itidem non exprimit nomen, non alium, quam HIEROCLEM intelligi, res ipſa docet, & ex alio eiusdem auctoris loco manifeſtum eſt, vbi infenſiſſimum iſtum chriſtiani nominis hoſtem, iisdem, quae hic indicantur, dignitatibus & muneribus deſignatum, diſerte HIEROCLEM adpellitat. Immo libros, quos iudex ille, de quo loquitur, contra chriſtianos ſcripſerit, Φιλαλήθεις dictos, adſerit; quo nomine opus, contra chriſtianos edidit HIEROCLES, inſcriptum fuiſſe, ex EVSEBIO conſtat. Et iſtud quoque opus eſt, cuius partem, in qua de comparatione Chriſti & Apollonii egit, refutandam ſibi ſumſit EVSEBIVS; quod, vt nonnulli obſeruant, ſatis ieiune praeſtitit, cum potius PHILOSTRATI libros *de vita Apollonii* breuiter percurrat atque refellat. Conferendus GVIL. CAVEVS, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. IV. pag. 94.* & *198.* Potuiſſe nimirum integri operis refutatione ſe ſuperſedere, exiſtimauit EVSEBIVS, quod reliqua fere non diſcrepent ab illis, quae iam CELSVS chriſtianis obiecerat, quaeue abunde profligauerat ORIGENES. Edi hicce EVSEBII *contra Hieroclem* liber ſolet cum eiusdem *libris de praeparatione euangelica*; ſed eumdem quoque *vitae Apollonii*, a PHILOSTRATO ſcriptae, ſubiunxit GOTTFR. OLEARIVS, in *operibus Philoſtratorum, pag. 413. ſeqq.* Ipſum autem HIEROCLIS opus duobus conſtabat libris, quos λόγους Φιλαλήθεις πρὸς χριστιανοὺς adpellauit, *ad chriſtianos*, non *contra chriſtianos*, vt iam ex LACTANTIO obſeruauimus, *ne inimice inſectari videretur, ſed vt humane & benigne conſulere putaretur.* Vnde callidum hominis ingenium intelligere licet. Vnicum dumtaxat operis iſtius exſtat fragmentum, apud EVSEBIVM, *aduerſus Hieroclem*, non longe ab initio. At ſummam eius exhibet LACTANTIVS, *l. c.*

Ad reliquos, qui chriſtianos impugnarunt, vt progrediamur; circa medium ſaeculi quarti LIBANIVS floruit, patria Antiochenus, profeſſione ſophiſta, religione ethnicus, vir doctrina, ingenio & eloquentia praeſtans, ſed infenſo admodum in chriſtianos animo, quem paſſim in ſcriptis ſuis prodidit, praeſertim in *oratione funebri ſuper Iuliani imperatoris caede*, ſiue μονῳδίᾳ ἐπ' Ἰουλιανῷ, *tomo II. operum* eius, Pariſiis anno 1627 editorum, *p. 253.* itemque in altera *oratione funebri* ſuper eiusdem *Iuliani caede*, quae graece inſcribitur: ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ, *tom. II. operum p. 324.* alibique. Vltimam hancce cum aliis quibusdam LIBANII orationibus exhibet IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. cap. IX. pag. 145. ſeqq.* Spectat huc etiam oratio eius ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, quam graece & latine notis illuſtratam edidit IAC. GOTHOFREDVS. Addenda, quae ex LIBANIO refert atque refellit SOCRATES, *hiſt. eccleſiaſt. lib. III. cap. XXIII.* Sed cum LIBANIVS ex inſtituto contra chriſtianos non ſcripſerit, & quaecumque iis obiecit, ad meras fere calumnias redeant, non eſt, quod nos diutius moretur. Ipſeque ſuccedat IVLIANVS, non magis imperatoria dignitate, quam doctrina & ingenio conſpicuus; qui chriſtianorum primum ſacris innutritus, ad gentilium caſtra iterum tranſiit; immo imperator factus, ad exſtirpandam religionem chriſtianam, & gentiliſmum poſtliminio reducendum, omnes ingenii vires contulit. Neque tantum variis in chriſtianos artibus graſſatus eſt, ſed in ſcriptis quoque ſuis paſſim acerbe eos perſtrinxit; tandemque, cum in expeditione Parthica adhuc haereret, *libris*, quos ſcripſit, *ſeptem*, VT HIERONYMVS auctor eſt, *epiſt. LXXXIII. ad Magnum oratorem Romanum, tomo IV. oper. part. II. p. m. 655.* acerrime eorum fidem impugnauit. Ex his dum tres ſtudioſe refutauit CYRILLVS Alexandrinus, magnam ſimul eorum partem

tem nobis conſeruauit; vnde, cuiusmodi ea ſint, quae IVLIANVS contra chriſtianos protulit, intelligere licet. Inſcribitur hocce CYRILLI opus, *ὑπὲρ τῆς τῶν χριστιανῶν εὐαγοῦς θρησκείας, πρὸς τὰ τοῦ ἐν ἀθέοις Ἰουλιανοῦ, pro ſancta chriſtianorum religione, aduerſus impii Iuliani libros*; conſtatque libris decem, qui & inter reliqua CYRILLI opera exſtant, & cum ipſius quoque IVLIANI operibus, a viro ſummo EZECH. SPANHEMIO editi ſunt, Lipſiae an. 1696. fol. De THEODORETO, qui ſuos *de curandis Graecorum adfectionibus libros duodecim* Iuliano itidem oppoſuit, deinceps dicemus. Scripſerunt equidem & alii contra IVLIANVM, vt GREGORIVS Nazianzenus, atque CHRYSOSTOMVS; at non ita, vt argumenta eius refutarent, ſed vt oratorum more acriter in eum inueherentur, quod in *orationibus* ſeu *ſermonibus* quibusdam fecerunt. Qua in re cum adfectibus ſuis plus, quam par erat, indulſerint; diſſimulare id non potuit PETR. CVNAEVS, in *praefatione Iuliani caeſaribus*, a ſe in linguam latinam translatis, praemiſſa. *Nimirum*, inquit, *ſic exiſtimat vulgus, magnum in ſe nefas eum admittere, qui pietati, cuius titulis atque imperio chriſtiana ſtat religio, defuiſſe interdum candorem, credat. Ego, ſicut plurimis maximisque argumentis, eſſe illos excellenti & diuina virtute viros, iudico; ita & prae ſtudio peccaſſe non ignoro, & memini fuiſſe perquam acerbos.* Aegre hoc tulit DIONYSIVS PETAVIVS, qui in *praefatione in Iuliani opera* CVNAEVM iterum hunc in modum pungit: *Quo in genere poſtremus editor Iuliani caeſarum nimis temere; ne quid adſperius dicam, quod dici profecto poteſt; qui ſic ornare Iulianum laudibus eſt auſus, vt non ſolum ſupra meritum efferret, ſed eam laudationem cum ſanctorum patrum vituperatione, ac chriſtiani nominis iniuria coniungeret. Nam in praefatione, quam initio libelli de Iuliano bene longam explicat, veteres illos ait ſtudio partium occoecatos, & perquam acerbos fuiſſe.* Sed PETAVIVM iterum notat EZECH. SPANHEMIVS, in *praefatione, operibus Iuliani* praemiſſa, quod in ipſa iſta praefatione ſcripſerit, duos eſſe omnino graecos patres, quorum exſtent contra Iulianum orationes, GREGORIVM Nazianzenum, & CYRILLVM; *quum tamen*, inquit SPANHEMIVS, *aliae adhuc exſtent, quod illum non fugit, qui earum etiam obiter alibi meminit, illorum graecorum patrum, ſicut Chryſoſtomi in ſanctum Babylam, & vna in duos ſub Iuliano martyres, Iubentium & Maximinum, orationes ſeu ſermones; quibus multis & acerbe quidem, nec immerito tamen, in eum principem, eius impietatem, ſuperſtitionem, nefandas artes, in chriſtianos ſaeuitiam, inuehitur ὁ χρυσορρήμων. Adde, quod diſpar eſſet haud parum Nazianzeni theologi & Alexandrini antiſtitis ſcriptorum contra Iulianum ratio; cum a poſtremo, ſeu Cyrillo non orationes adeo ſiue in eum στηλιτευτικαὶ, ſicut ab altero, quae etiamnum leguntur, ſint conſcriptae, quam hi decem libri, & quidem ὑπὲρ τῆς τῶν χριστιανῶν εὐαγοῦς θρησκείας, πρὸς τὰ τοῦ ἐν ἀθέοις Ἰουλιανοῦ, pro ſancta chriſtianorum religione, aduerſus impii Iuliani libros, quibus eos velut, vt vulgo aiunt, κατὰ πόδα, grauiſſima diſputatione ſibi confutandos propoſuit.* Eodem ſaeculo quarto, quo LIBANIVS & IVLIANVS vixerunt, etiam HIMERIVS floruit, ex Bithynia oriundus, Aminii rhetoris filius, ipſe quoque rhetor, ſiue ſophiſta, qui declamationes varias edidit, quibus, vt auctor eſt PHOTIVS, *cod. CLXV. p. 355.* latenter mordentes imitatus canes, chriſtianos adlatrauit. AMMIANVS MARCELLINVS in ſuis *hiſtoriarum libris*, de religione chriſtianorum ſatis candide loquitur; eorum autem mores, qui iam tum hinc inde valde corrupti erant, interdum non ſine ratione carpit. EVNAP. SARDIANVS, cuius & ſupra iam facta eſt mentio, animum chriſtianis infenſum paſſim prodit, & Conſtantinum magnum im-

Digitized by Google

peratorem ob deſtructa gentilium ſacra vituperat, vt Iulianum contra ob eadem reſtituta, maximopere laudat; ſed, quod refutatione dignum ſit, non profert. Patet hoc ex iis, quae de *vita Aedeſii p. 33.* alibique diſſerit. Q. AVRELIVS SYMMACHVS acerrimum chriſtianorum hoſtem ſe paſſim profitetur, cumprimis in relatione *pro ara victoriae*, quam Valentino imperatori obtulit, & in qua gentilium cauſſam ex inſtituto agit; quae & inter AMBROSII opera, & inter ipſius SYMMACHI epiſtolas, itemque inter opera PRVDENTII, a CHRISTOPH. CELLARIO edita, *pag. 398. ſeqq.* exſtat. Praeter AMBROSIVM, hancce SYMMACHI relationem *libris duobus* refutauit atque exploſit AVREL. PRVDENTIVS. Saeculo quinto OLYMPIODORVS atque ZOSIMVS claruere, vterque hiſtoricus, ille inſuper poëta. Et OLYMPIODORVS quidem ſcripſit *hiſtoriarum libros* XXII, ad Theodoſium minorem imperatorem, in quibus gentilium ſuperſtitionem commendauit, & in chriſtianos clam inuectus eſt; ex quibus ampliſſima excerpta exhibet PHOTIVS, *cod. LXXX. p. 178. ſqq.* ZOSIMVS autem *hiſtoriarum libros ſex* reliquit, in quibus itidem nullam occaſionem, chriſtianorum religionem perſtringendi, praetermittit. Cumprimis erga chriſtianos imperatores, eosque rerum chriſtianarum promotores praecipuos, Conſtantinum magnum, & Theodoſium ſeniorem, ſe iniquiſſimum praebet. Apologiam equidem pro eo ſcripſit IO. LEVNCLAVIVS, quam & in editione ZOSIMI, quae cura CHRISTOPH. CELLARII an. 1679 prodiit, legere licet; ſed eum, dum gentilem, nominisque chriſtiani infenſiſſimum hoſtem, purgat, laterem lauare, & dealbare Aethiopem GVIL. CAVEVS pronuntiat, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. ſaec. V. p. 269.* Quidquid eius ſit, etiamſi imperatores iſti non vbique, ita, vt decebat, ſe geſſerint; nihil tamen inde contra chriſtianae religionis veritatem colligi poteſt. Sexto ſaeculo PROCLVS, philoſophus Platonicus, magnam nominis celebritatem conſequutus eſt, & praeter alia, octodecim ἐπιχειρήματα κατὰ χριστιανῶν reliquit: cuius operis SVIDAS meminit, voce *Proclus*, qui & addit, reſpondiſſe ad haecce *argumenta* IO. PHILOPONVM, eaque ſolide confutaſſe. Quod quidem PHILOPONI opus, aeque ac ἐπιχειρήματα PROCLI, intercidiſſe, viri quidam docti exiſtimant, in eam haud dubie inducti ſententiam, quod ſibi perſuaſerint, vniuerſam chriſtianorum religionem octodecim hiſce argumentis a PROCLO impugnatam. Verum recte IO. ALB. FABRICIVS, vir eruditiſſimus, obſeruat, haecce PROCLI ἐπιχειρήματα directa potiſſimum fuiſſe aduerſus vnum dogma chriſtianorum, de mundo non aeterno, adeoque etiamnum exſtare in IO. PHILOPONI *libris duodeuiginti de aeternitate mundi contra Proclum*, quod illud ipſum opus ſit, tantis a SVIDA celebratum laudibus, quodue, ſuppreſſo PHILOPONI nomine, oppugnet SIMPLICIVS; ad *Marini Neapolitani Proclum p. m. 80.* editionis Londinenſis. Eodem tandem ſaeculo ſexto DAMASCIVS, patria Damaſcenus, ſecta Stoicus, vel, vt nonnulli volunt, peripateticus, floruit, qui praeter alia vitam Iſidori philoſophi, praeceptoris ſui, ſcripſit, in qua, vt & alias, chriſtianorum doctrinam adlatrat; cum vero tecte ac timide hoc faciat; vix meretur, vt eius habeatur ratio. Atque haec fuere philoſophorum gentilium, & veteris eccleſiae doctorum certamina, quae vna hic exhibere ſerie, conſultum duximus. Ea autem ſi paullo adcuratius conſiderentur, intelligemus, patres, ſiue veteris eccleſiae doctores, ſuo hic non ſemper ſatisfeciſſe muneri, eamque, quam tenuerunt, diſputandi rationem, non omnium interdum naeuorum fuiſſe expertem, ſiue argumentis aut reſponſionibus non adeo ſolidis vſi ſint, ſiue adfectibus nimis il-

indulſerint, ſiue alia ratione, quod reprehenſionem incurrat, admiſerint; ſed longe grauius tamen peccaſſe philoſophos iſtos, dum raro admodum rationibus, ſed plerumque calumniis, mendaciis, obtrectationibus, aut etiam miſeris pugnarunt ſophiſmatibus. Non ergo eſt, quod profani homines veritatis defenſoribus naeuos quosdam atque vitia in diſputando obiiciant; cum longe maiora in illis, quorum veſtigia premunt, quibusue ipſi plane ſimiles ſunt, ſi vellent, deprehendere poſſent. Diſcere vero exinde licet, quam parum iſta per calumnias, & obtrectationes diſputandi ratio veritati noceat. Tantum enim abeſt, vt chriſtiana religio per iſtas gentilium philoſophorum criminationes labefactari potuerit, aut damnum aliquod acceperit, vt mirifice potius per eas fuerit confirmata, & hodie adhuc confirmari queat. Id vero eſt, quod peculiari diſſertatione, *de veritate chriſtianae religionis, philoſophorum gentilium obtrectationibus confirmata,* demonſtraui; quae in *ſyntagmate diſſertationum theologicarum* exſtat, *p. 453. ſeqq.* ex qua & nonnulla, quae huius loci erant, repetere viſum fuit.

Ad tertium nunc tandem reuertimur ſaeculum, in quo poſt ORIGENEM ſeſe offert THASCIVS CAECIL. CYPRIANVS, Carthaginienſis, doctor pariter ac martyr ſanctiſſimus. Hic, licet & de vitae ſanctitate, & diſciplina eccleſiaſtica conſeruanda, valde eſſet ſollicitus; non ſemel tamen etiam contra chriſtianae veritatis hoſtes in aciem prodiit. Gentiles proſtrauit in libro *de idolorum vanitate;* quem, cum MINVTII FELICIS *Octauio* a CHRISTOPH. CELLARIO ſeorſim editum, ſupra iam commemorauimus. Laudat eum HIERONYMVS: *Cyprianus quod idola dii non ſint, qua breuitate, qua hiſtoriarum omnium ſcientia, quorum verborum & ſenſuum ſplendore perſtrinxit? epiſt. LXXXIII. ad Magnum oratorem Romanum tom. IV. oper. part. II, p. m. 655.* Maximam partem librum huncce ex MINVTIO FELICE atque TERTVLLIANO deſumtum, alii obſeruant. Spectat vero huc etiam *liber ad Demetrianum,* in quo hoc egit, vt gentilium calumnias: chriſtianis omnium calamitatum, quae eo tempore imperium romanum premebant, cauſſam tribuendam eſſe, repelleret. Hanc inſtituti ſui ipſemet ita exprimit ſummam: *Sed enim cum dicas, plurimos conqueri, quod bella crebrius ſurgant, quod fames ſaeuiant, quod imbres & pluuias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari; tacere vltra non oportet; ne iam non verecundiae, ſed diffidentiae eſſe incipiat, quod tacemus; & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere; pag. 129. operum* eius Amſtelodami 1700. fol. editorum. Fuiſſe tamen iam olim, qui in hocce opere, quod reprehendi poſſit, ſibi inueniſſe viſi ſunt, patet ex iis, quae ex LACTANTIO refert HIERONYMVS: *Cyprianus vir eloquentia pollens & martyrio, Firmiano narrante, mordetur, cur aduerſus Demetrianum ſcribens, teſtimoniis vſus ſit prophetarum & apoſtolorum, quae ille ficta & commentitia eſſe dicebat; & non potius philoſophorum & poëtarum, quorum auctoritati vt ethnicus contraire non poterat; loco* antea *citato, p. 655.* Ipſe ceteroquin LACTANTIVS valde laudat Cyprianum. Cum enim dixiſſet, quae in MINVTIO FELICE & TERTVLLIANO deſiderari poſſint: *vnus igitur,* inquit, *praecipuus & clarus Cyprianus exſtitit, quoniam & magnam ſibi gloriam ex artis oratoriae profeſſione quaeſierat, & admodum multa conſcripſerat, in ſuo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuaui, & (quae ſermonis maxima eſt virtus) aperto, vt diſcernere nequeas, vtrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit. Hic tamen placere vltra verba ſacramentum ignorantibus non poteſt,* quo-

quoniam myſtica ſunt, quae loquutus eſt, & ad id praeparata, vt a ſolis fidelibus audiantur. Addit vero: *Denique a doctis huius ſaeculi, quibus forte ſcripta eius innotuerunt, derideri ſolet &c. inſtitut. diuin. lib. V. cap. I. p. 534.* Iudaeis idem hic ſanctiſſimus martyr oppoſuit *libros III. teſtimoniorum*, qui tamen ſolum collectionem quamdam plurium locorum, praecipue veteris teſtamenti, continent.

Ceterum plurimum eo tempore eccleſiae faceſſiuerunt negotii *Nouatiani*, inter quorum oppugnatores primum praecipuumque locum tenet CYPRIANVS, vt ex *epiſtolis* eius liquet, cumprimis ad Cornelium & Antonianum. An autem liber *ad Nouatianum, quod ſpes veniae lapſis non ſit deneganda*, CYPRIANVM auctorem agnoſcat; de eo inter eruditos non conuenit. Multi illum CYPRIANO non indignum eſſe, cenſent; quem propter ſtili diſſimilitudinem illi abiudicat DESIDER. ERASMVS Roterodamenſis. LVDOVICVS etiam ELL. DV PIN obſeruat, in codicibus manuſcriptis hunc librum CYPRIANO non tribui. Hinc & in praeſtantiſſima illa operum CYPRIANI editione, quam IO. FELLVS dedit, quaeue cum *annalibus Cyprianicis*, IO. PEARSONII, & *diſſertationibus Cyprianicis* HENR. DODWELLI iterum prodiit Amſtelodami 1700. fol. inter *opuſcula vulgo Cypriano adſcripta* refertur, exſtatque *p. 15. ſeqq.* Ceterum, licet naeuorum non fuerit expers CYPRIANVS; mira tamen in ſcriptis eius elucet grauitas, ſanctitasque; quae polemicos quoque ſcriptores longe rectius decet, quam petulantia, & aduerſariis inſultandi pruritus. *Non alium*, inquit ERASMVS, *video inter eos, qui latine ſcripſerunt, qui ad apoſtolici pectoris vigorem propius accedat; vbique ſentias, paſtorem loqui, & martyrem deſtinatum; lib. II. ep. XVIII.* Rurſus, cum HIERONYMO eum contendens: *magis vbique ſerius, & minus adfectans, cum Hieronymus, quemadmodum & Tertullianus, in riſu pene ſit immodicus: lib. XXVIII. ep. VI.* Habent itaque, quod inde diſcant, qui ſarcaſmis potius, quam rationibus, aduerſarios vincere, ſibi gloriae ducunt. Praeter CYPRIANVM autem, alii quoque in arenam contra Nouatianos deſcenderunt; cumprimis CORNELIVS, epiſcopus romanus, in *epiſtolis* tum *ad Cyprianum*, tum *ad Fabium Antiochenum epiſcopum.* Ad CYPRIANVM ſcilicet duas ſcripſit, quae inter eius epiſtolas exſtant; ad FABIVM quatuor, ſi HIERONYMO credimus, *de ſcriptoribus eccleſiaſt. cap. LXVI.* EVSEBIVS namque tres tantum recenſet, *hiſtor. eccleſ. lib. VI. cap. XLIII.* ex quibus primam & tertiam graeco ſermone a CORNELIO compoſitas, docet HENR. VALESIVS, in *notis* ad *h. l.* Pugnauit quoque contra Nouatianorum errorem DIONYSIVS Alexandrinus, in *epiſtola ad Nouatianum de ſchiſmate*, quae integra exſtat apud EVSEBIVM, *hiſtor. eccleſ. lib. VI. cap. XLV.* quod & RHETICIVS Auguſtodunenſis epiſcopus fecit in *grandi volumine aduerſus Nouatianum*, teſte HIERONYMO, *de ſcriptoribus eccleſ. cap. LXIX.* itemque EVSEBIVS Emiſenus, in libro *ad Nouatianos*; & PACIANVS, Barcinonenſis epiſcopus, in *epiſtolis tribus contra Nouatianos*; porro AMBROSIVS Mediolanenſis, *libris duobus de poenitentia contra Nouatianos*, qui adhuc inter reliqua eius opera exſtant; & denique EVLOGIVS, patriarcha Alexandrinus, in *libris VI contra Nouatum haereſiarcham de adminiſtratione eccleſiaſtica*, quorum excerpta PHOTIVS exhibet *cod. CLXXXII. & CCVIII.* Ad eos vero quod attinet, qui cauſſam Nouatianam defenderunt, nihil eorum, quae ediderunt, ad nos peruenit. Scripſit vero NOVATIANVS plures litteras ad diuerſas eccleſias, CORNELIVM eiusque ordinationem in illis laceſſens, teſte CYPRIANO, *epiſt. XLIV. & LII.* Immo

mo, vt SOCRATES auctor eſt, ad omnes vbique eccleſias ſcripſit, ne eos, qui daemonibus immolauerant, ad ſacra myſteria admitterent; *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XXVIII.* Praeterea ante ſchisma, nomine cleri romani, *epiſtolam ad Cyprianum* ſcripſit; poſt ſchiſma vero *librum de trinitate, epiſtolam de cibis iudaicis, de paſcha, & ſabbatho*, & alia; ex quibus maxime ad controuerſias, quae illi cum aliis interceſſerunt, pertinet *liber contra Cornelium*, qui tamen cum reliquis eius libris intercidit. Ad CYPRIANVM vt redeamus; controuerſiae, quae illi cum STEPHANO, romano epiſcopo, interceſſit, exemplo itidem patuit, quam facile, qui ab vno extremo ſe remouere adnituntur, in alterum procurrant. Enim vero, dum CYPRIANVS, auctoritate haud dubie TERTVLLIANI aliorumque patrum africanorum inductus, in eam ingrediebatur ſententiam, omnes ſine diſcrimine haereticos, qui ad eccleſiam catholicam iterum accedebant, rebaptizandos eſſe; STEPHANVS, qui ei ſe opponebat, eousque progreſſus eſt, vt, nullum haereticum rebaptizandum eſſe, contenderet; cum tamen vterque diſcrimen inter haereticos obſeruare debuiſſet, num baptiſmum in iis, quae ad eſſentiam eius ſpectant, rite adminiſtrent, an vero talia admittant, quae eſſentiam eius euertunt; vti deinceps recte in ſynodis Nicaena, Laodicena, & Conſtantinopolitana, conſtitutum fuit. Qua de re legenda, quae diligenter GERH. IOAN. VOSSIVS diſſerit, *de baptiſmo, diſput. XVIII. XIX. XX. p. 320. ſeqq.* & quae ipſimet diximus *inſtitut. theolog. dogm. lib. V. cap. I.* ad §. *XXI. p. 1543.*

Cum inter eos, qui Nouatianis ſe oppoſuerunt, etiam DIONYSII Alexandrini facta ſit mentio; non abs re fuerit, de eo adhuc quaedam addere. Magnam enim is nominis conſequutus eſt celebritatem, & inter ſcriptores ſaeculi tertii polemicos haud vltimum promeretur locum. Scripta quoque quam plurima reliquit, quorum tamen praeter fragmenta, EVSEBII praecipue beneficio conſeruata, pauca admodum ad nos peruenerunt. Memorabile cumprimis eſt certamen, quod cum NEPOTE, epiſcopo quodam Aegypti, ſubiit, & in quo ita ſe geſſit, vt velut exemplum aliquod, imitandum omnibus, qui errantes in viam veritatis reducere cupiunt, reliquiſſe cenſeatur. Chiliaſtarum namque, quos vocant, placita, iudaicosque, de regno quodam Chriſti externo adhuc exſpectando, errores in ſcenam produxerat, editaque *confutatione allegoriſtarum*, promiſſiones, in ſacris litteris occurrentes, in ſuum pertraxerat ſenſum. Cumque vir iſte pietatis pariter ac eruditionis laude floreret; eamdem plurimis perſuaſit ſententiam. Eccleſiae itaque ne deeſſet DIONYSIVS, *duobus de promiſſionibus libris* NEPOTEM acriter impugnauit; ex quorum ſecundo fragmentum aliquod amplum exhibet EVSEBIVS, *hiſtor. eccleſ. lib. VII. cap. XXIV.* & *XXV.* & aliud *lib. III. cap. XXVIII.* In priori libro cum ſuam de hac quaeſtione ſententiam proponere, in poſteriori de Ioannis apocalypſi diſputare, itidem EVSEBIVS, *l. c. lib. VII. cap. XXIV.* nos condocet. Idem praeterea DIONYSIVS, inſtituta apud Arſinoiticam praefecturam tridui diſputatione, CORACIONEM, cum aliis NEPOTIS ſectatoribus, ad meliorem mentem reuocauit, ea quidem ratione, vt diſputatio haec, & omnium inter ſe reconciliatio, cunctis, qui aderant, non mediocrem adferret voluptatem; vt iterum EVSEBIVS auctor eſt, *l. c.* Commendat itaque hanc DIONYSII cum diſſentientibus agendi rationem, optatque, vt omnes, qui in aliorum confutandis erroribus occupati ſunt, eamdem ſequantur, ſimulque de ipſo DIONYSIO diligenter diſſerit, IOAN. GOTTFR. SCHVPARTVS, theologus Gieſſenſis clariſſimus,

riſſimus, in peculiari commentatione, quam inſcripſit: *Chiliaſmus Nepotis, elencho Dionyſii Alexandrini confectus, & e puriori eccleſia ſaeculo tertio eiectus, exemplo huius modus de diuinis ſ. briæ diſſertandi oſtenſus &c.* Gieſſae 1724. 4. Plurimum negotii ſaeculo tertio orthodoxis faceſſebant *Sabelliani*, ad quos confutandos DIONYSIVS quoque noſter omnes ingenii vires conuertit. Quatuor aduerſus Sabellianos ab eo ſcriptas epiſtolas, totidemque libros, memorat EVSEBIVS; ἐπὶ ταύταις τοῦ Διονυσίου φέρονται καὶ ἄλλαι πλείους ἐπιστολαί· ὥσπερ αἱ κατὰ Σαβελλίου πρὸς Ἄμμωνα τῆς κατὰ Βερενίκην ἐκκλησίας ἐπίσκοπον· καὶ ἡ πρὸς Τελεσφόρον· καὶ ἡ πρὸς Εὐφράνορα· καὶ πάλιν Ἄμμωνα καὶ Εὔπορον· συντάττει δὲ περὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως καὶ ἄλλα τέσσαρα συγγράμματα· ἃ τῷ κατὰ Ῥώμην ὁμωνύμῳ Διονυσίῳ προσφωνεῖ. *Praeter has exſtant aliae complures Dionyſii epiſtolae. Inter quas ſunt illae contra Sabellium ſcriptae ad Ammonem Berenicenſem epiſcopum; alia item ad Teleſphorum; & ad Euphranorem altera; alia rurſus ad Ammonem & Euporum. Quatuor etiam libros de eodem argumento compoſuit, quos cognomini ſuo Dionyſio Romanorum epiſcopo nuncupauit; hiſt. eccleſ. lib. VII. cap. XXVI. p. 277.* Cum mortuo Stephano epiſcopo romano, quocum ob controuerſiam de rebaptizandis haereticis inimicitia DIONYSIO interceſſerat, Sixtus ſucceſſiſſet; hunc ille de certamine hocce cum Sabellianis certiorem facere, conſultum duxit, quod & ea ratione fecit, vt epiſtolas ſimul, quas iam ad alios hac de re ſcripſerat, mitteret; vt ex EVSEBIO conſtat, *hiſtor. eccleſ. lib. VII. cap. VI. p. 252.* Hinc vero dum CAES. BARONIVS, in *annalib.* ad *annum Chriſti 260.* concludit, in more poſitum fuiſſe, vt, cum haereſis aliqua enata eſſet, id ſtatim a cuiusque regionis epiſcopis romano pontifici ſignificaretur, huiusque porro inde ſtabilire primatum, conatur; maximopere fallitur. Namque iam ad alios de haereſi Sabelliana ſcripſerat DIONYSIVS, priusquam romanum de ea certiorem faceret epiſcopum. Copioſius hoc exequitur CHRIST. WORMIVS, in *hiſtoria Sabelliana cap. III. §. V. p. 123. ſeqq.* Parum autem abfuit, quin DIONYSIO contingeret, quod polemicis ſcriptoribus ſaepe contingere ſolet, vt, dum vnum extremum euitare volunt, in alterum procurrant. Sunt ſibi maxime oppoſita Sabellianismus & Arianismus, cum ille reale perſonarum in diuinitate diſcrimen tollat, hic eousque extendat, vt omnino inaequalitatem inferat. Sabelliana itaque dogmata acriter impugnans DIONYSIVS, in ſuſpicionem Arianiſmi adductus eſt. Hinc iſtud HIERONYMI, aut RVFFINI potius apud HIERONYMVM: *Dionyſium Alexandrinae vrbis epiſcopum, virum erudítiſſimum, contra Sabellium quatuor voluminibus diſputantem, in Arianum dogma delabi; lib. II. aduerſus Ruffinum tomo IV. oper. part. II. p. 409.* edit. IO. MARTIANAEI. Immo *fons Arii* dicitur GENNADIO Maſſilienſi; *de dogmatib. eccleſiaſt. cap. IV. p. 4.* Ariani etiam ipſi eum prorſus ſuum eſſe iactitabant, quod & ex recentioribus fecit CHRIST. SANDIVS, in *nucleo hiſt. eccleſiaſt. lib. I. p. 122.* Quantumuis autem facile credam, ſententiam viri huius de Chriſto ſanam fuiſſe; quod & pluribus demonſtrant GEORG. BVLLVS, in *defenſione fidei Nicaenae, ſect. II. cap. XI. p. m. 142.* itemque STEPH. LE MOYNE, in *notis ad varia ſacra p. 235. ſeqq.* aliique; negari tamen nequit, diſputationis eum abreptum aeſtu, talia protuliſſe, quae benigna quadam interpretatione opus habent. Qua quidem ratione ipſemet eum excuſat ATHANASIVS, cuius peculiaris exſtat de DIONYSIO hocce epiſtola, ὅτι καὶ αὐτὸς κατὰ τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως ἐφρόνει, ὡς ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος, καὶ μάτην αὐτὸν συκοφαντοῦσιν οἱ Ἀρειομανῖται, ὡς ὁμόδοξον αὐτῶν. *quod vna cum Nicaena ſynodo aduerſus Arianos conſpirauit, & quod falſo eum Ariani ſibi adſi-*

Digitized by Google

adſtipulatorem haereſeos fingant; *tom. I. oper. p. m. 548. ſeqq.* Nimirum ſcripſiſſe talia DIONYSIVM, ait, οὐχ᾽ ἁπλῶς εἰς πίστιν ἐκτιθέμενον, *non ſimpliciter, quaſi fidem expoſiturum*, ſed quod καιρὸς καὶ προσώπου πρόφασις εἵλκυσεν αὐτὸν τοιαῦτα γράψαι· *temporis & perſonae ratio eum ad talia ſcribenda traxerit*; additque; καὶ γὰρ γεωργὸς τῶν αὐτῶν δένδρων ἄλλο τε ἄλλως ἐπιμελεῖται διὰ τὴν ὑποκειμένην τῆς γῆς ποιότητα· καὶ οὐ διὰ τοῦτο μέμψαιτο ἄν τις αὐτὸν, ὅτι τοῦτο μὲν τέμνει, ἐκεῖνο δὲ ἐγκεντρίζει· καὶ τοῦτο μὲν φυτεύει, ἕτερον δὲ ἐκτίλλει· ἀλλὰ καὶ μᾶλλον μαθὼν τὴν αἰτίαν, θαυμάσει τὸ ποικίλον αὐτοῦ τῆς ἐπιστήμης· *Agricola certe, qui alias atque alias arbores aliter pro ſubiecti ſoli ratione curat, minime culpari debet, quod hanc amputet, illam inſerat, iſtam plantet, aliam rurſus euellat, ſed potius ob multiplicem ſolertiam in admiratione eſſe*; *l. c. p. 551.* Et ita quoque IOAN. DALLAEVS hocce DIONYSII exemplo comprobat, quod ſibi probandum ſumſit, fieri nonnumquam, vt, *dum* (patres) *totis viribus errorem quempiam oppugnant, in contrarium, eique oppoſitum, impingere videantur; de vſu patrum lib. I. cap. V. p. m. 146.* vbi & eleganti THEODORETI teſtimonio idem confirmat. Non vero hic praetermittendum, ipſum DIONYSIVM Alexandrinum ſe ab imputata Arianiſmi labe purgaſſe, ſuamque demonſtraſſe innocentiam, vt tamen acrius adhuc, licet cautius, Sabellianos impugnaret, in *libris* iſtis *quatuor aduerſus Sabellianos*; quos, ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας nomine inſcriptos, eum ad Dionyſium romanum, Sixti ſucceſſorem, miſiſſe, aut potius ei nuncupaſſe, ex EVSEBIO antea commemorauimus, Idque ab eo factum, non quod epiſcopum iſtum romanum vt iudicem ſpectaret, ſed quod ſua intereſſet, vt reliqui epiſcopi, praeſertim illi, quorum magna erat auctoritas, innocentiam ipſius edocerentur, demonſtrat CHRIST. WORMIVS, in *hiſtoria Sabelliana cap. III. §. VI. p. 127. ſeqq.* Praeter Sabellianos, & Paulus Samoſatenus eccleſiam eo tempore turbare coepit; contra quem DIONYSIVS calamum ſtrinxit, in *epiſtola ad ſynodum Antiochenam aduerſus Paulum Samoſatenum.* Etenim cum ad ſynodum Antiochenam, 1663 contra Paulum congregatam, DIONYSIVS quoque noſter inuitaretur, eidemque per aetatem intereſſe non poſſet; epiſtolam miſit ad eam, in qua Samoſatenianus error profligabatur. Refert hoc EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. lib. VII. cap. XXVII. p. 277.* Sed & aliam ad ipſum *Paulum Samoſatenum* ſcripſit *epiſtolam*, quam, vna cum *reſponſione ad decem* eius *propoſitiones*, ceu ſpuriam reiiciunt HENR. VALESIVS, ad *Euſebii hiſt. eccleſ. lib. VII. cap. XXX. p. 155.* LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcript. eccleſiaſt. tom. I. p. 516.* aliique; refragante SEB. NANO TILLEMONTIO, *memoires pour ſervir a l' hiſtoire eccleſiaſtique &c. tom. IV. part. II. p. 606.* editionis Bruxellenſis. Exſtat haecce *epiſtola*, cum *reſponſione ad decem propoſitiones Pauli Samoſateni* latine in *bibliothecis* quibusdam *patrum*, graece autem atque latine in *auctario* FRONTONIS DVCAEI, *tom. I.* & in *conciliis* PHIL. LABBEI, *tom. I. p. 849.*

Cum DIONYSIVS inter praecipuos fuerit, qui tum Sabellianam, tum Samoſatenianam impugnarunt haereſin; non alienum ab hoc loco erit, de reliquis, qui vtramque refutare adgreſſi ſunt, aliquid ſubiungere. Et ad *Sabellianos* quidem quod attinet, CHRIST. WORMIVS, qui *hiſtoriam Sabellianam* haud vulgari ſtudio concinnauit, dum *cap. X.* eos enumerat, qui contra Sabellium ſcripſerunt, primum inter eos locum IVSTINO, philoſopho & martyri, tribuit, & hac occaſione de aetate, qua vixerit, & ordine, quo ſcripta ſua ediderit, adcurate disquirit. Per *Sabellianos*, autem vir doctiſſimus eos intelligit, qui iam ante Sabellium ſimiles errores diſſeminarunt; hinc & *cap. II. de Sabellianis ante Sabellium* agit, primumque erroris

toris huius auctorem ipſum Simonem magum conſtituit. Profert ibidem *§. IV.* locum IVSTINI ex *dialogo* eius *cum Tryphone iudaeo*, quo haud obſcure errorem iſtum, quem poſtea Sabelliani defenderunt, perſtringit. Cumque IVSTINVS eos, quos ferit, haereticos non nominet; WORMIVS in iſtos inquirens, in eam tandem ingreditur ſententiam, ad Valentinianos illa verba referenda eſſe, qui talia docuerint, quae ad Sabellianum errorem proxime accedant. Quae an ita ſe habeant? nunc diſquirere non lubet; interim temporum rationes non obſtare, fateor, quo minus Valentinianos reſpicere potuerit IVSTINVS; id quod iam obſeruatum in *differtat. de haereſi Valentiniana §. III.* De TERTVLLIANO, quem itidem auctor inter Sabellianorum antagoniſtas refert, idem cenſendum. Non Sabellium, ſed Praxeam, refutauit TERTVLLIANVS, qui ante Sabellium eumdem errorem propugnabat, qui a Sabellio tandem nomen ſortitus eſt, eo, quod longe maiori celebritate & fama, quam a quoquam hactenus factum, ab illo in ſcenam produceretur. Contra ipſum itaque Sabellium qui in aciem prodiret, primus fuiſſe videtur LVCIANVS, patria Samoſatenus, qui Nicomediae martyrio vitam finiit. Scripſit is libellos de fide, in quibus forte exſtitit breuis illa *fidei expoſitio*, quam ATHANASIVS exhibet *de ſynod. Arimin. & Seleuc. tom. I. oper. p. 693.* & SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. II. cap. X.* Haec ex quatuor illis fidei formulis, in ſynodo Antiochena anno 341 prolatis, de quibus *cap. II.* huius libri ad *§. V.* dictum, ſecunda fuit, quam ipſius LVCIANI manu ſcriptam, patres iſtius concilii, qui eam producebant, adfirmarunt. Dubitat quidem, an ea LVCIANI fuerit, SOZOMENVS, *hiſt. eccleſ. lib. III. cap. V.* ſed ſine ratione id fieri, oſtendit EMMAN. SCHELSTRATENVS, *de concilio Antiocheno, diſſertat. III. cap. II.* ſuffragante ANT. PAGI, in *critica hiſtorico-chronologica in annales Baronii ad annum 341. num. XVII. p. 451.* Quidquid eius ſit, cum haecce formula in concilio iſto Antiocheno adhibita fuerit; eam Sabellianis praecipue oppoſitam fuiſſe, inde concludit CHRIST. WORMIVS, *hiſtor. Sabell. cap. X. §. VII.* Idque ex inſatiabili etiam Sabellianorum erga LVCIANVM martyrem odio euinci poſſe, exiſtimat. Ad minimum hinc colligas, LVCIANVM praecipue, aut ſaltem publicis diſputationibus, illis reſtitiſſe. Interim de ipſa LVCIANI orthodoxia non ſatis inter viros doctos conuenit. Quo ipſo iterum condocemur, nihil frequentius eſſe, quam vt in haereſeos ſuſpicionem adducantur, qui quam acerrime haereticis ſeſe opponunt. CAES. BARONIVS equidem, eum ſemper orthodoxum fuiſſe, credit, in *martyrol.* ad *diem VII. Ian.* & in *annalibus ad annum Chriſti 311.* quem & EMMANVEL SCHELSTRATENVS ſequitur, *de concilio Antiocheno, diſſertat. II. cap. II.* At, haereſeos nota infamem fuiſſe, contendit ANTON. PAGI, in *critica hiſtorico-chronolog. in annal. Baronii ad ann. 311. num. XI. p. 354.* cui exemplum praeiuit HENR. VALESIVS, ad EVSEBII *lib. VIII. hiſt. eccleſ. cap. IX.* Alii rurſus rem iſtam in medio relinquunt, ſaltem, vt orthodoxum mortuum, arbitrantur. Id negari nequit, ALEXANDRVM, Alexandriae epiſcopum, LVCIANVM, tamquam Pauli Samoſateni erroribus fauentem, adcuſaſſe; apud THEODORETVM *hiſtor. eccleſ. lib. I. cap. IV.* Innocentiam tamen eius acriter tuetur CHRIST. WORMIVS, *l. c. §. IX.* De reliquis, qui ſuas contra Sabellianos in aciem adduxere copias, EVSEBIO, BASILIO magno, GREGORIO Nazianzeno, aliisque, deinceps erit dicendi locus, cum iſti & alio nomine nobis commendandi veniant. Non minus vero eodem tempore, vti dictum, eccleſiam vexabant *Samoſateniani*, ſeu *Pauliani*, auctore Paulo Samoſate-

moſate-

Digitized by Google

moſateno. Quorum pernicioſiſſimae haereſi, etſi in conciliis, aliaque ratione, ſtrenue obuiam iuerint veteris eccleſiae doctores; paucorum tamen, qui ſcriptis eam confutare adgreſſi ſint, notitia ad nos peruenit. De DIONYSIO Alexandrino iam antea dictum. In vltima ſynodo Antiochena MALCHION, vir diſertiſſimus, idemque presbyter, qui antea rhetoricen apud Antiochenos docuerat, ſuſcepta aduerſus Paulum diſputatione, excipientibus cuncta notariis, occultos hominis ſenſus fraudesque detexiſſe, dicitur. Hanc diſputationem ſua adhuc aetate exſtitiſſe, teſtatur EVSEBIVS, *hiſtor. eccleſ. lib. VII. cap. XXIX. p. 279.* Immo ſaeculo nono adhuc exſtitiſſe, nonnulli ex HAYMONIS *hiſt. eccleſiaſt. lib. VII. cap. X.* colligunt. De *decem* PAVLI Samoſateni *quaeſtionibus*, & DIONYSII Alexandrini ad eas *reſponſione*, iam antea dictum. Epiſtola vero PAVLI iſtius, quam ad ſe ſcriptam DIONYSIVS memorat, vna cum aliis eius ſcriptis, temporum iniuria periit. Immo ipſe iam ATHANASIVS, ſe epiſtolam PAVLI ad patres concilii Antiocheni conſequi potuiſſe, negat, de *ſynod. Arimin. & Seleuc. tom. I. oper. p. m. 922.*

Dum in haereticis ſaeculi tertii verſamur, neutiquam praetermittendi ſunt *Manichaei;* quorum eſt tanta celebritas, tamque late diffuſus error, vt eorum hic omnino habenda ſit ratio. A Chaldaeis namque & Perſis ad Graecos haecce de duplici principio independenti opinio propagata, & ab horum philoſophis plurimis adprobata, in eccleſiam tandem chriſtianam tranſiit. De Chaldaeis inſigne legitur teſtimonium in *philoſophumenis*, quae ſub ORIGENIS nomine exſtant, *p. 39.* ex quo etiam patet, a Chaldaeis hancce accepiſſe ſententiam Pythagoram. Cumprimis autem ZOROASTER, Perſarum philoſophus, hoc nomine celebratur, adeo vt a nonnullis auctor quoque iſtius ſententiae credatur; a qua tamen veteres Perſarum magos alienos fuiſſe, THOM. HYDEVS contendit; quippe qui duplex equidem principium, ſed alterum, ſcilicet boni, aeternum & increatum, alterum, ſiue mali, creatum, admiſerint; *hiſtor. relig. veter. Perſar. cap. IX. p. 161.* De Graecorum tum poëtis, tum philoſophis, hoc teſtatur PLVTARCHVS, *de Iſide & Oſiride p. 370. ſeqq.* Et ex philoſophis quidem illos, qui praeter materiam, quam omnes aeternam ſtatuebant, etiam νοῦν *mentem* ſiue Deum admittebant, & ex materia originem mali deriuabant, ab hac ſententia non fuiſſe alienos, manifeſtum eſt. Inter eos, qui chriſtianorum nomine veniunt, ipſum SIMONEM magum, haereſiarcharum omnium principem, duplicem itidem Deum, ſeu duplex principium independens, adſeruiſſe, ex EPIPHANIO condiſcimus; *haereſi XXI. p. 58.* cuius hac in re minime ſpernendam auctoritatem, aliis rationibus comprobari poteſt. MENANDRVM, BASILIDEM, SATVRNINVM, CARPOCRATEM, aliosque, talia defendiſſe placita, quae ad eamdem quodammodo ſententiam accederent, viris doctis obſeruatum eſt. CERDONEM hic locum inuenire, dubio caret, cum id diſerte teſtentur EPIPHANIVS, *haereſi XLI.* & TERTVLLIANVS, *de praeſcript. cap. XXI.* Idem multo magis de MARCIONE dicendum; ſiquidem haereſeos, qua multorum animos corrupit, hoc praecipuum caput fuit; vti ex IVSTINO liquet, *apol. I. pro chriſtian. p. 53.* atque IRENAEO, *lib. III. cap. XLIII.* aliisque. Legenda, quae de hiſce omnibus copioſius diſſerit IO. CHRIST. WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. II. p. 33. ſeqq.* & quae ipſemet dixi in *inſtitutionibus theologiae dogmat. lib. III. cap. II.* ad *§. XXXV. p. 865. ſeqq.* Nos, miſſis reliquis, ad Manichaeos accedimus, quorum a MANETE repetenda eſt origo, qui antea dictus eſt CVBRICVS, & ſaeculo tertio circa annum 277 haereſin ſuam diſſe-

diſſeminare coepit. Cumque Perſa natione fuerit; a vero non abhorret, ex magorum ſcholis huncce eum, de duplici principio retuliſſe errorem. Sunt, qui SCYTHIANVM quemdam, a Saracenis oriundum, hic primo loco nominandum, putant; cuius libros, quibus doctrinam ſuam complexus eſt, TEREBINTHVS ſibi vindicauerit, qui deinceps BVDDAM (quo nomine apud Indos ſapientem notari, viris doctis obſeruatum eſt) ſe dici voluerit, a quo MANES eos acceperit, impia illa, quae ex iis didicerat, dogmata, maiori ſtrepitu propagaturus. Haec ſumma illorum eſt, quae fuſius EPIPHANIVS diſſerit, *haereſi LXVI. p. 618.* Dici autem non poteſt, quam breui temporis ſpatio propagata ſit haecce haereſis, & quam multorum occupauerit animos. Cuius rei non aliam temere reddi cauſſam poſſe, alibi iam obſeruauimus, quam, quod homines facillime ſibi perſuadeant, neceſſitate veluti quadam ad peccandum ſe adduci; cumque eius rei cauſſam Deo tribuere nolint; nihil commodius illis ſe offert, quam iſta de duplici principio ſententia; in quam gentiles eo promtius ire poterant, quod forte de diabolo, hominum ſeductore, aliquid acceperant, verum tamen rerum omnium, prout a Moſe deſcriptum eſt, hinc & peccati per angelorum quorumdam hominumque lapſum, ignorauerint initium; quamquam & in nonnullis perſuaſio de materiae aeternitate acceſſerit. Gentilium autem iſtorum philoſophorum auctoritate haud difficulter abripi potuerunt haeretici, atque ita excaecari, vt ad ea adſerenda, quae & rectae rationis lumini, & euidentiſſimis ſcripturae ſacrae oraculis, e diametro repugnant, animum obſirmarent, immo ſcripturam ſacram, impudentiſſime eam peruertendo, in ſuam torquere ſententiam adniterentur. Cumque hominum, cauſſam peccatorum a ſe quauis ratione amoliri cupientium, ſtultitiae & philautiae error hicce blandiatur; immo tandem vitiis quibusuis atque prauis cupiditatibus frena laxet; mirandum non eſt, licet longe ſit abſurdiſſimus, & cum primis rectae rationis principiis pugnet, tot tamen eum nactum eſſe fautores defenſoreſque. Vtrimque vero etiam ſcriptis pugnatum eſt. Et SCYTHIANVS quidem, ex cuius fontibus MANETEM ſua irrigaſſe arua, antea diximus, quatuor compoſuiſſe libros perhibetur, quorum vnum *myſteria* inſcripſit, alterum *euangelium*, tertium *capita*, & quartum denique *theſaurum*. Ita CYRILLVS Hieroſolymitanus, *catecheſi VI. p. m. 92. 93.* editionis THOMAE MILLES; EPIPHANIVS, *haereſi LXVI.* SOCRATES, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. I. cap. XXII.* Atque EPIPHANIVS quidem addit: ἐν αἷς τὰ ἰσόζυγα καὶ τὰ ἰσόῤῥοπα δύο ἀρχῶν συζεύξας πρόσωπα καθ' ἑκάστην ὑπόθεσιν, οὕτως ὑπολαβὼν ὁ τάλας, καὶ οὕτως κατὰ τοῦτο τὸ μέρος ἐφαντάζετο, ὥς τι μέγα εὑρὼν τῷ βίῳ. *In iis paria atque aequalia duo principia, perſonaſque in vnoquoque argumento copulans, ita ſibi perſuaſerat miſer, itaque hac in parte ſomniabat, magnum a ſe quiddam in vita repertum; l. c. p. 619.* Ipſe quoque MANES varia ſcripſit, quorum mentio fit ab EPIPHANIO, *haereſi LXVI. num. XIII. p. 629.* itemque in τάξει γινομένῃ ἐπὶ τῆς ἀπὸ Μανιχαίων καὶ Παυλικιανῶν ἐπιστρέφουσι πρὸς τὴν καθαρὰν καὶ ἀληθῆ πίστιν ἡμῶν τῶν χριστιανῶν. *formula recipiendi eorum, qui a Manichaeorum & Paulicianorum haereſi ad puram & veram noſtram fidem chriſtianorum conuertuntur*, quae in IAC. TOLLII *inſignibus itinerarii italici*, Traiecti ad Rhenum an. 1696. 4. editis, exſtat *p. 126. ſeqq.* Sunt autem inter ea: λόγος περὶ πίστεως; *ſermo de ſide*; μυστήρια, qui *liber XXXII.* conſtitit ſectionibus, & in quo id egit, vt legem ac prophetas euerteret; θησαυρὸς ζωῆς, *theſaurus vitae*; μικρὸς θησαυρός, *paruus theſaurus*; περὶ ἀστρολογίας, *de aſtrologia*; *epiſtola ad Marcellum*, quae cum Marcelli reſponſione apud EPIPHANIVM exſtat, *l. c. p. 623.* *epiſtola*

Digitized by Google

epiſtola fundamenti, quam ſingulari libro confutauit AVGVSTINVS; *liber epiſtolarum*; itemque liber τῶ ἀποκρύφων καὶ τῶν ἀπομνημονευμάτων, *apocryphorum & apomnemoneumatum*, ſiue dictorum MANETIS factorumque memorabilium commentarius. Fragmenta quaedam ex epiſtolis MANETIS, ſiue MANICHAEI (namque & ita dici ſolet) exhibet I. A. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V. cap. I. pag. 284.* qui & *p. 287.* Manichaeos nonnullos, quorum apud veteres fit mentio, & quorumdam ex iis ſcripta recenſet. Atque idem vir eruditiſſimus ibidem *p. 289.* eos quoque commemorat, qui ex veteribus de Manichaeis, aut aduerſus illorum haereſin, ſcripſerunt; ex quorum poſterioribus nos illos ſolum, qui hoc ex inſtituto egerunt, indicabimus, quorumue ad nos peruenerunt monumenta. Atque inter hos primum praecipuumque locum tenet ARCHELAVS, Carrharum Meſopotamiae epiſcopus, in qua vrbe & deinde in Diodoride vico circa annum Chriſti 277 diſputationem cum MANETE habuit. Diſputationem hancce, & quam ab hocce aduerſario ſuo retulerit ARCHELAVS victoriam, referunt CYRILLVS Hieroſolymitanus, *catecheſi VI. §. XV. p. m. 95.* EPIPHANIVS, *haereſi LXVI. num. IX. p. 627.* SOCRATES, *hiſtor. eccleſ. lib. I. cap. XXII.* HIERONYMVS, *de ſcriptor. eccleſiaſt. cap. LXXII.* PHOTIVS, *lib. I. contra Manichaeos, cap. XIII. p. m. 49. ſeqq.* add. THOMAS MILLES, ad *Cyrilli l. c.* Voluiſſe ARCHELAVM, vt gentilium philoſophi iudices in hac controuerſia eſſent, praeter alios CYRILLVS nos condocet. Cum enim e carcere elapſum MANETEM in Meſopotamiam veniſſe, dixiſſet, addit: ἀλλ' ἐπεστράτευσεν αὐτῷ ὅπλῳ δικαιοσύνης Ἀρχέλαος ἐπίσκοπος, καὶ ἐπὶ φιλοσόφων κριτῶν ἐλέγξας, ἀκροατήριον ἑλληνικὸν συναγαγόμενος, ἵνα μὴ χριστιανῶν κρινόντων δόξωσιν οἱ κριταὶ χαρίζεσθαι. *Verum obſtitit ei armis iuſtitiae Archelaus epiſcopus, & ſub philoſophis cum iudicibus reprehendens, collecto gentilium auditorio, ne ſi chriſtiani iudices eſſent, viderentur fauiſſe; l. c. p. 95.* Quod ARCHELAVS gentilium philoſophos iudices in hac controuerſia eſſe voluit, reprehendi hactenus nequit, ſi ex principiis rationis, vtpote ſecundum quae philoſophi iſti tantum iudicare poterant, diſputatio fuiſſet inſtituta; quemadmodum & omnino inſtitui poſſet. Cum vero praecipue ſcripturae ſacrae dictis vtrimque pugnatum ſit; quo pacto gentilium philoſophi iudicum hic fungi munere potuerint, me non ſatis capere, lubens fateor. Nimirum initium diſputationis ſecundum CYRILLVM *l. c.* eiusmodi fuit: veteris teſtamenti Deum, malorum inuentorem eſſe, MANES inde probabat, quod de ſe ipſo dixiſſet: *ego ignis conſumens, Deut. IV. 24.* At huic ARCHELAVS ita occurrebat: Si veteris Deus teſtamenti, vt ais, ignem ſe dicit, cuius eſt ille filius, qui ait: *ignem veni mittere in terram? Luc. XII. 49.* Item: ſi culpas eum, qui dicit, *dominus mortificat & viuificat I. Reg. II. 6.* quamobrem Petrum colis, qui Tabitham a mortuis excitauit, & Sapphiram morti tradidit? *Actor. IX. 40. V. 10.* Conferenda hic IO. CHRISTOPH. FRIDERICI, viri doctiſſimi, *diſſertatio de philoſophis gentilibus controuerſiarum fidei in veteri Chriſti eccleſia arbitris*, Lipſiae an. 1723. qui & ſpeciatim *§. XXVI. ſeqq.* de hocce ARCHELAI cum MANETE coram philoſophis gentilium certamine diſſerit. Ceterum, ARCHELAVM praeferuidi & calidioris animi fuiſſe virum, nonnulli obſeruant, idque ex iis, quae in hacce diſputatione contigerunt, colligunt. Quod & confirmare videtur EPIPHANIVS. Cum enim dixiſſet, eodem die, quo MARCELLVS epiſtolam a MANETE accepiſſet, adfuiſſe etiam ARCHELAVM, addit: ὁ δὲ Ἀρχέλαος γνοὺς τὴν αἰτίαν, καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἀναγνούς, ἔβρυχε τοὺς ὀδόντας, ὥσπερ λέων ὠρυόμενος, καὶ ζῆλον θεοῦ ἀναλαβών, ἐπυρᾶτο ἐμμανῶς μᾶλλον ἕως αὐτοῦ, καὶ χειρώσασθαι τὸν τοιοῦτον, ὡς ἐπήλυτον

ἐκ βαρβάρων, ὅθεν καὶ ὡρμᾶτο πρὸς ἀφανισμὸν τῶν ὑμῶν τῶν ἀνθρώπων ἐπαναστάντα. *Archelaus autem, re omni perſpecta, lectaque epiſtola, dentibus fremens, rugientis leonis inſtar, ac diuino quodam ardore percitus, ad Manichaeum potius proficiſci cupiebat, hominemque e barbaris, vnde is ortus erat, aduenientem, & ad humani generis perniciem inſurgentem, capere; l. c. pag. 624.* Ipſe praeterea ARCHELAVS *acta diſputationis* huius ſyro ſermone conſignauerat; quae & haud dubie EPIPHANIVS intelligit, quando, eum *duos libros contra Manetem*, a ſe conſcriptos, ad TRYPHONEM, Diodoridis presbyterum, miſiſſe, refert, *l. c. p. 628.* Erraſſe tamen EPIPHANIVM in eo, quod ſcripſerit, ARCHELAVM *duos libros contra Manetem* ad Tryphonem miſiſſe, alii obſeruant; cum ex ipſis *diſputationis* huius *actis*, & quae in iis refertur, ARCHELAI ad *Tryphonem* (qui in actis iſtis Diodorus vocatur) *epiſtola* conſtet, voluiſſe quidem ARCHELAVM omnia, de quibus cum Manete coram delectis iudicibus diſputauerat, perſcribere; ſed propterea iis mittendis ſuperſediſſe, quod deinceps per otium de tota diſputatione eumdem certiorem facere voluerit. In graecam linguam haecce *acta* iam ſua aetate translata fuiſſe, teſtatur HIERONYMVS, *de ſcriptor. eccleſiaſt. cap. LXXII.* Cuius verſionis auctor nonnullis HEGEMONIVS fuiſſe videtur, ὁ τὰς Ἀρχελάου πρὸς τὸν Μανιχαῖον ἀντιλογίας γράψας, auctore PHOTIO, *cod. LXXXV.* quamquam hoc ita intelligi queat, quod *acta* iſta *diſputationis* ARCHELAI in epitomen redegerit, cuius ſit verſio iſta latina, quae ad nos peruenit; ſiquidem in hac ea non leguntur, quae CYRILLVS Hieroſolymitanus, *loco ſupra citato*, ex *diſputationis* iſtius *actis* commemorat. Rurſus tamen non deſunt, qui inde potius colligunt, acta iſta integra ad nos non perueniſſe; quod & fatetur, qui verſionem iſtam eorum latinam edidit, vt graeca ex EPIPHANIO ſuis locis inſereret, LAVR. ALEXANDER ZACAGNIVS. In *collectaneis* namque *monumentorum veterum eccleſiae graecae ac latinae, quae hactenus in Vaticana bibliotheca delituerunt*, a viro iſto eruditiſſimo Romae an. 1698. 4. euulgatis, *acta* haecce *diſputationis Archelai epiſcopi Meſopotamiae, & Manetis haereſiarchae*, primum locum tenent. Sed & in *praefatione ad lectorem*, §. *IV. ſeqq.* ZACAGNIVS de ARCHELAO hocce, eiusque cum Manete diſputatione, ſpeciatim de loco, de tempore, aliisque huc ſpectantibus, multa copioſe & erudite differit; quae legiſſe poenitebit neminem. Sed vt ad reliquos, qui contra Manichaeos pugnarunt, quorumue ad nos peruenerunt monumenta, pergamus; poſt ARCHELAVM ſeſe nobis offert ALEXANDER Lycopolita, qui ex ethnico Manichaeus factus, tandem ad eccleſiam orthodoxam tranſiit; ſcripſitque librum πρὸς τὰς Μανιχαίου δόξας *de Manichaeorum placitis*, a FR. COMBEFISIO editum in *bibliothecae graecorum patrum auctario nouiſſimo, part. II. p. 3. ſeqq.* Nimirum cum ipſe, aeque ac AVGVSTINVS, Manichaeorum partibus antea addictus fuiſſet; eo adcuratius illorum perſpectos cognitosque habebat errores, quos rationibus, ex philoſophia petitis, confodere atque euertere adnititur. Aetas eius licet incerta ſit; antiquiſſimum tamen eſſe ſcriptorem, qui non ſine ratione ad ſaeculum quartum referatur, nec ab ipſius MANETIS temporibus forte adeo remotus fuerit, viri docti conſentiunt. Eodem ſaeculo quarto vixit DIDYMVS Alexandrinus, Origenis quidem defenſor, ſed aliorum haereticorum, praeſertim Arianorum, ſtrenuus oppugnator; qui inter alia & *librum aduerſus Manichaeos* ſcripſit, a FRANCISCO COMBEFISIO, in *auctario nouiſſimo* antea memorato, graece & latine itidem editum, *part. II. p. 21. ſeqq.* Eidem COMBEFISIO, in *proluſione*, audit *vir cumprimis argutus & acer*, (ἐπιχειρηματικός) *ſolersque diſpu-*

putator; cumque a DAMASCENO, in *parallelis*, quaedam ex DIDYMO *contra Manichaeos* adlegentur, quae in hoc opuſculo non exſtant; concludit inde, vel non integrum hocce eſſe, vel aliud eum contra Manichaeos ſcripſiſſe. Exſtat etiam liber hicce DIDYMI graece & latine in HENR. CANISII *lectionibus antiquis*, ex editione IAC. BASNAGII, *tom. I. pag. 204. ſeqq.* Eumdem quoque recte DIDYMO tribui, contra COMBEFISIVM probat BASNAGIVS *p. 203.* Non tantum autem rationibus philoſophicis, ſed praecipue ſcripturae dictis DIDYMVS contra Manichaeos dimicat, aut ad ea, quae ex ſcriptura ab iis proferebantur, reſpondet. Inter quarti praeterea ſaeculi ſcriptores eccleſiaſticos haud obſcurum nomen eſt TITI Boſtrenſis, ſiue Boſtrorum, ciuitatis in Phoenicia, epiſcopi, qui *libros IV. contra Manichaeos* compoſuit, ex quibus tertii libri maior pars, & quartus totus intercidit; reliqui, ſcilicet duo priores integri, cum tertii initio, antea latine tantum ex verſione FRANC. TVRRIANI in HENR. CANISII *lectionibus antiquis* exſtabant, nunc autem graece quoque in iisdem ex editione IAC. BASNAGII exhibentur, *tom. I. p. 59. ſeqq.* SERAPIONIS, epiſcopi Thmueos *liber aduerſus Manichaeos* itidem graece & latine ibidem conſpicitur *p. 43. ſeqq.* Cumprimis adhuc commemorandus eſt Hipponenſium ille praeſul AVGVSTINVS, qui, cum ipſemet initio Manichaeorum ſordibus inuolutus fuiſſet; non ſolum feliciter inde emerſit, & ad catholicam eccleſiam tranſiit, ſed ſcriptis quam plurimis quoque deinde eos confutauit, vt quoddam velut Manichaeorum flagellum euaderet. Iunctim, quae in hacce cauſſa ſcripſit, exhibentur a Benedictinis *tomo octauo operum* eius *pag. 33. ſeqq.* quae deinceps enarrabimus, cum de ipſo AVGVSTINO verba facienda fuerint. Quod ſi ingenium praeſulis huius praeſtantiſſimum, & ad controuerſias tractandas aptiſſimum conſideremus; ſi porro expendamus, placita Manichaeorum ipſi intime perſpecta ac explorata fuiſſe, vtpote quibus innutritus erat; haud difficulter equidem illis ſubſcribo, qui, catholicos ſeu orthodoxos pro inſigni felicitate reputare debere, putant, quod ipſorum partes amplexus fuerit AVGVSTINVS. Nequetamen, ſi etiam hoc factum non fuiſſet, cauſſam Manichaeorum ideo ſtatim ſuperiorem futuram fuiſſe, vt de victoria ſibi gratulari potuiſſent, exiſtimo; cum eius abſurditas, quacumque ratione exornetur, aut defendatur, tandem non poſſit non ab omnibus deprehendi. Ceterum, cum ſaeculo ſeptimo PAVLVS quidam Manichaeorum haereſin iterum in Armenia excitaret; noua incrementa ſumſit; & licet non deeſſent, qui eidem reſiſterent, longe tamen lateque ſe diffudit, factumque ſimul, vt Manichaei *Paulicianorum* etiam nomine venirent. Legenda, quae hac de re PETR. BAELIVS differit, in *dictionar. hiſtor. & crit. voc. Pauliciens p. m. 2322. ſeqq.* *Hiſtoriam* iſtorum *Manichaeorum*, ſeu *Paulicianorum*, ſaeculo nono ſcripſit PETR. SICVLVS, quam graece & latine edidit MATTH. RADERVS, ſocietati Ieſu addictus, Ingolſtadii an. 1604. 4. quae latine inſerta eſt *bibliothecae maximae patrum Lugdunenſi tomo XVI. p. 753. ſeqq.* Paulicianos autem eosdem ac Manichaeos eſſe, ſtatim ab initio hunc in modum teſtatur: *Iidem vero ſunt, nec quidquam diuertunt a Manichaeis Pauliciani, qui haſce recens a ſe procuſas haereſes prioribus adſuerunt, & ex ſempiterno exitii barathro effoderunt. Qui tametſi ſe a Manichaeorum impuritatibus alienos dictitant, ſunt tamen dogmatum ipſorum vigilantiſſimi cuſtodes & propugnatores.* Sex deinceps Manichaeorum ſectae capita, ſeu paradoxa, proponit, & eorum refutationem promittit, ſed in hocce libro non exhibet. Praeſtitit vero id eodem ſaeculo nono PHOTIVS, patriarcha Conſtantinopolitanus longe notiſſimus.

Digitized by Google

ſimus. Huius namque exſtant *libri quatuor, contra Manichaeos*, quorum primum cum verſione latina *bibliothecae* ſuae *Coisliniane* inſeruit BERNH. DE MONTFAVCON, *p. 349. ſeqq.* integrum vero tandem opus ex codice manuſcripto Holſteiniano, qui in bibliotheca Ioannea Hamburgenſi exſtat, in lucem protraxit, verſionem latinam tribus poſterioribus libris, omnibus autem adnotationes addidit IO. CHRIST. WOLFIVS, in *anecdotorum graecorum, ſacrorum & profanorum tomo I.* qui Hamburgi 1722. prodiit. Ex quatuor autem iſtis PHOTII libris primus ad hiſtoriam Manichaeiſmi ſpectat, tres vero reliqui dogmatum confutationem continent. Cumque inter ea, quae PHOTIVS, & quae PETR. SICVLVS de Manichaeis ſcripſerunt, magna intercedat affinitas; vterque etiam eodem circiter tempore vixerit; vter alterius veſtigia preſſerit, viri docti dubitant. Legenda, quae in *praefatione* vir clariſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS hac de re diſputat. Videtur denique hic ſibi locum vindicare MICH. PSELLI *dialogus de operationibus daemonum*, quippe qui & inſcribitur: *contra Manetum & Euchitas.* Et ſane Manetis mentionem facit, dum ab eo Euchitarum deriuare errores adnititur. Ἔχει μὲν, inquit, τὸ παλαμναῖον τοῦτο δόγμα, παρὰ Μανέντος τοῦ μάνεντος τὰς ἀφορμάς. ἐκεῖ μὲν γὰρ αὐτοῖς αἱ πλείους ἀρχαὶ, καθάπερ ἐκ πηγῆς τινος δυσώδους ἐῤῥύηκασι. *Execrando huic dogmati, ſeu haereſi, veſanus ille Manes anſam praebuit. Inde enim ipſis* (Euchitis) *tanquam ex faeculento quopiam fonte principiorum multitudo profluxit*; *p. 7.* editionis GILBERTI GAVLMINI. Verum ipſam tractationem ſi ſpectes, nihil minus agit, quam vt Manichaeos refutet; quin potius de variis daemonum generibus, ex mente veterum Chaldaeorum, cumprimis & Platonicorum, diſſerit, vt haud obſcure eorum adprobet placita; vti iam ſupra *lib. prior, cap. IV.* ad *§. XXX. p. 277.* obſeruauimus. Quae recentiori aetate contra Manichaeos diſputata ſunt, cum MATTH. FLACIVS illyricus illorum errorem reuocare videretur, itemque cum PETR. BAELIVS eorumdem in ſe ſuſpiceret patrocinium; alibi ex inſtituto ediſſeremus.

§. IV. Vt ſaeculo quarto, quinto & ſexto praeter alios haereticos cumprimis Ariani, hinc cum Pelagianis Neſtoriani, tum & Eutychiani eccleſiam mirum in modum turbarunt, multumque negotii catholicis ſeu orthodoxis faceſſiuerunt; ita & controuerſiarum librorumque polemicorum inſigniter auctus eſt numerus; in quibus tametſi, ſi methodum diſputandi ſpectes, ἀκρίβεια interdum deſiderari queat, vſu tamen ſuo, ob ſimiles recentiori aetate reſuſcitatas controuerſias, non deſtituuntur. *

* Inter quarti ſaeculi ſcriptores polemicos primum merito locum damus magno ATHANASIO, tot certaminibus tum contra alios, tum maxime contra Arianos illuſtri. Gentiles adgreſſus eſt in *oratione contra gentes*, itemque in *oratione de incarnatione verbi, eiusque corporali ad nos aduentu*, quam nonnulli operis *contra gentes*, librum ſecundum eſſe, credunt, cuius & HIERONYMVS meminit, *de ſcriptoribus eccleſiaſt. cap. LXXXVII.* Qui, duarum iſtarum orationum auctorem ATHANASIO antiquiorem eſſe, ſtatuunt, & ad ſaeculum ſecundum eas referunt; non ſolidis admodum nituntur rationibus. Exſtat praeterea inter opera eius, & quidem *tomo I. p. 1077. ſeqq.* editionis quae Coloniae an. 1686 prodiit, *oratio* κατὰ πασῶν αἱρέσεων *contra omnes hae-*

haereſes; at hanc ab ATHANASIO profe-ctam, abnuit LVD. ELL. DV PIN, quod & confuſione laboret, & ſtilo humili ſcripta ſit, & praeter morem ATHANASII paucis ſolum verbis haereſes perſtringat; in *bibliothec. nou. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom. II. p. 42. ſeqq.* Qua in re & alios ſecum conſentientes habet. *Epiſtola* ATHANASII ad EPICTETVM, Corinthiorum epiſcopum, κατὰ τῶν αἱρετικῶν, *contra haereticos*, *tomo I. pag. 581. ſeqq.* quae etiam apud EPIPHANIVM legitur, *haereſi LXXVII.* Apollinariſtas praecipue ferit; ad quos etiam ſpectat eiusdem commentatio *de incarnatione Chriſti contra Apollinarium ibidem p. 614. ſeqq.* item *de ſalutari aduentu Ieſu Chriſti, aduerſus Apollinarium*, *p. 633.* denique περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ λόγου καὶ κατὰ Ἀρειανῶν καὶ Ἀπολλιναρίου· *de humana natura ſuſcepta ab vnigenito verbo, contra Arianos & Apollinarium*, *p. 595. ſeqq.* Ad controuerſias cum Samoſatenianis ſpectat epiſtola περὶ τῆς σαρκώσεως τοῦ Θεοῦ λόγου, *de incarnatione verbi Dei contra Paulum Samoſatenſem*, *p. 591. ſqq.* Sed dubitant nonnulli, an recte haec ATHANASIO tribuatur, putantque, auctorem Neſtorianam potius haereſin, vtpote cum Samoſateniana, in eo, quod caput cauſſae eſt, conſentientem, perſtringere voluiſſe. Idem cenſendum de oratione περὶ τῆς ἀϊδίου ὑπάρξεως τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος σὺν Θεῷ καὶ πρὸς τοὺς Σαβελλίζοντας. *de aeterna ſubſtantia filii & ſpritus ſancti cum Deo contra gregales Sabellici*; quae *p. 650. ſeqq.* exſtat. Eam enim ex BASILII *homilia XXVII contra Sabellianos, Arium & anomoeos*, magnam partem deſcriptam eſſe, viri docti obſeruant. Pari ratione & ἔλεγχος τῆς ὑποκρίσεως, *refutatio hypocriſeos Meletii, & Euſebii Samoſatenſis, de conſubſtantialitate*, quae *p. 572. ſeqq.* legitur, inter ea referenda, de quibus viri docti, num genuina ſint? dubitant. Reſpondetur autem in hac *refutatione* ad epiſtolam, quam MELETIVS, EVSEBIVS Samoſatenſis, aliique Acaciani Iouiano imperatori obtulerunt, quaue ſe τὸ ὁμοούσιον recipere, ſidemque Nicaenam amplecti, ſignificarunt, quam SOCRATES exhibet, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. III. cap. XXV. p. 203.* Sed, miſſis iſtius generis reliquis, ad Arianos accedimus, in quorum profliganda haereſi ATHANASIVS, inuitante temporis illius conditione, praecipuum ſtudium poſuit. His namque bellum perpetuum indixit; in hos odio exarſit inexpiabili; magnaque ſcriptorum eius pars ad horum confutandos errores comparata eſt. Primum locum tenent *orationes*, ſeu *diſputationes contra Arianos quinque*; quae itidem, vti reliqua hactenus commemorata, *tomo primo operum* eius exſtant, *p. 283. ſeqq.* Πεντάβιβλον vocat PHOTIVS, easque *ſolas ad Arianiſmum vniuerſum refellendum ſufficere*, pronuntiat, vel vt graeca ſe habent: καὶ ἁπλῶς ἀρκεῖ τὸ βιβλίον τοῦτο κατὰ πάσης ἀρειανικῆς παρατάξεως, additque, non aberraturum a ſcopo, qui dixerit, GREGORIVM theologum, atque BASILIVM magnum, ex hocce fonte ſua contra Arii errores hauſiſſe; *cod. CXL. p. m. 315.* Eodem ſpectat commentatio in dictum illud: *omnia mihi tradita ſunt a patre &c.* ibidem, *p. 149.* item: *epiſtolae quatuor ad Serapionem*; Thmueos in Aegypto epiſcopum, quarum prima, tertia, & quarta diuinitatem ſpiritus ſancti, ſecunda autem filii diuinitatem adſerit; inueniunturque prima & ſecunda *tom. I. p. 173. 166.* tertia *tomo II. p. 10.* quarta ibidem *p. 16.* porro, *de ſynodi Nicaenae contra haereſin Arianam decretis*, ſiue ὅτι ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος ἑωρακυῖα τὴν πανουργίαν τῶν περὶ Εὐσέβιον, ἐξέθετο πρεπόντως καὶ εὐσεβῶς κατὰ τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως τὰ ὁρισθέντα. *quod Nicaena ſynodus, animaduerſa Euſebianorum calliditate, congruis & piis verbis decreta ſua ſuper Ariana haereſi expoſuerit*; *tom. I. pag. 248. ſeqq.* *epiſtola de ſententia Dionyſii Alexandrini*, ſeu, ὅτι καὶ αὐτὸς κατὰ τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως ἐφρόνει, ὡς ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος· καὶ μάτην αὐτὸν συκοφαντοῦσιν οἱ Ἀρειομανῖται, ὡς ὁμόδοξον αὐτῶν. *quod & is cum Nicaena ſynodo aduerſus Arianos*

conſpirauerit, & quod falſo eum Ariani ſibi adſtipulatorem haereſeos fingunt; ibidem p. 548. ſeqq. epiſtola ad Adelphium epiſcopum contra Arianos; ibidem p. 155. ſeqq. denique *epiſtola ad Maximum philoſophum, p. 1620. ſeqq.* & quae alia ſunt eiusdem generis. Atque ex hiſce abunde conſtare poteſt, quantus in theologia polemica fuerit ATHANASIVS; vnde & paſſim *malleus haereticorum* audit; THEODORETVS autem πρόβλαλον τῆς ἀληθείας *propugnaculum veritatis* vocat, GREGORIVS Nazianzenus *tubam ingentem & columnam eccleſiae*, EPIPHANIVS *patrem rectae fidei*; vt plurima aliorum, fortitudinem eius in certaminibus cum Arianis praecipue euehentium, elogia taceam. Peritiam eius ac dexteritatem in tractandis controuerſiis ita laudat PHOTIVS, vt eius iudicio nihil illi hac in parte defuiſſe videatur. Laudat namque primum in eo dictionem, huic inſtituto perquam adcommodatam: τὴν μὲν οὖν φράσιν σαφής τέ ἐστιν, ὡς καὶ ἐν πᾶσιν, καὶ ἀπέριττος καὶ ἀφελής, δριμὺς καὶ βαθὺς, καὶ λίαν τοῖς ἐπιχειρήμασιν εὔτονος· καὶ τὸ γόνιμον δὲ αὐτοῦ ἐν τούτοις ἡλίκον, ὅσον καὶ θαυμάσιον. *Huius dictio perſpicua, vt & in ceteris eius omnibus, ſobria item & candida, vehemensque ac profunda, & argumenta valide torquens; eius vero vbertas in his ac foecunditas admodum ſane fuit mirabilis; cod. CXL. p. 315.* Deinde eum laudat a peritia artis dialecticae, cuius iam eo tempore vſum frequentem in theologia polemica fuiſſe, inde intelligas. Λογικαῖς τε, inquit, μεθόδοις, οὔτε γυμνῶς καὶ ἀπὸ ἐκεῖθεν λέξεων, ὥσπερ οἱ παῖδες καὶ ἀρτιμαθεῖς μειρακιώδη φιλοτιμίαν ἐπιδεικνύμενοι πράττουσιν· ἀλλ' ἐμφιλοσόφως τε καὶ μεγαλοπρεπῶς, καὶ ταῖς ἐννοίαις μόναις καὶ ταύταις διεσχηματισμέναις ἀποκέχρηται. *Dialecticis adhaec vſus eſt argumentis, non illis nude propoſitis, & ipſismet ex ea arte petitis vocibus (quod pueri, recentioresque diſcipuli, iuueniliter ſeſe ac glorioſe oſtentantes, ſolent) verum philoſophorum more, magnificeque prolatis, ac per nudas duntaxat notiones, & has quidem bene ornatas.* Recte vtique PHOTIVS pueriles in illis notat ineptias, qui dialecticam artem oſtentant, quando cum hoſtibus veritatis congrediuntur. Vnde, quo loco habendi ſint, patet, qui, non, niſi ſyllogiſmis in forma propoſitis, recte feliciterque cum aduerſariis ſe diſputare, putant. Tandem quoque addit: γραφικαῖς τε μαρτυρίαις καὶ ἀποδείξεσιν εἰς τὸ καρτερὸν κατωχύρωται. *Sacrae quoque ſcripturae teſtimoniis ac demonſtrationibus valide communitur &c.* Magnum vtique in theologia polemica momentum, immo maximum trahit, demonſtratio ſcripturae, ſiue contra hoſtium inſultus veritas defendenda & munienda ſit, ſiue profligandae, quas ipſi in aciem educunt, copiae. Nec ego ſcripturae cognitionem inſignem ATHANASIO denegauero; an vero in dictorum, quae Arianis opponebat, explicatione, aeque feliciter verſatus ſit, ex iis, quae mox dicemus, perſpicietur. Nunc ea ſolum recitare iuuabit, quae RICHARDVS SIMON de methodo diſputandi, qua Athanaſius atque Ariani vſi ſint, obſeruauit. Patebit enim inde mutationem quamdam, in ratione controuerſias tractandi eo tempore contigiſſe. *Nouitates*, inquit, *Arii, occaſionem dabant Athanaſio, maiori cura, quam antea factum, examinandi, tum veteris, tum noui teſtamenti loca, quae filium Dei reſpiciebant. Theologia eo tempore nouum aliquod recipiebat lumen, cumque concertationes iſtae Alexandriae exortae eſſent, vbi dialectica admodum vſitata erat, teſtimoniis ſcripturae iungebant ratiocinationes. Hinc vero magnae deinceps enatae ſunt controuerſiae, ſiquidem quaelibet pars, conſequentias, quas ex ſcriptis euangeliſtarum & apoſtolorum deducebant, pro puro Dei verbo venditabant. Ariani imputabant catholicis, quod voces in religionem introduxiſſent, quae in ſcriptura ſacra non exſtabant. Athanaſius contra probabat, Arianos longe plures eiusmodi voces excogitaſſe; vt adeo pars vtraque non ſolum teſtimoniis manifeſtis ſcriptu-*

pturae ſacrae niteretur, ſed conſequentias inde deriuaret; non minus tamen & traditio apud eos in cenſum veniebat, hoc eſt, interpretatio ſcriptorum, qui eos praeceſſerunt. Et, paucis quibuſdam interiectis: *Oſtendit* (ATHANASIVS) *in ſermonibus ſuis multum ingenii & iudicii; ſiquidem nec nimis longus, nec nimis breuis eſt, neque in ſubtilitatibus dialecticis modum excedit; hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. cap. VI. p. 91.* Melius adhuc haud dubie res proceſſiſſet, niſi ebraeae linguae ignorantia obſtitiſſet, quo minus ATHANASIVS, in dictorum ſcripturae, quae Arianis opponebat, explicatione, ſemper ſatis feliciter verſaretur. Id vero eo tempore illi cum aliis eccleſiae doctoribus commune fuit. Potuiſſetque illis maius inde creari periculum, niſi & Ariani eadem ignorantia laboraſſent. Documentum praebet locus ille admodum illuſtris, & in hiſce certaminibus ſaepiſſime prolatus, de *ſapientia increata* ſeu *filio Dei, prouerb. VIII. 22.* Cum enim ſeptuaginta interpretes ibi verbum קנני reddidiſſent per ἔκτισέ με *creauit me*, indeque Ariani inferrent, Chriſtum eſſe creaturam, adeoque patri neutiquam ὁμοούσιον dici non poteſt, quantopere in variis reſponſionibus excogitandis deſudauerint patres, linguae ebraeae ignari. Reſponſiones eorum congeſſit, exhibetque EPIPHANIVS, *haereſi LXIX. p. m. 748. ſqq.* Nimirum, modo locum iſtum non agere de Chriſto, contenderunt, cum ab apoſtolis non adducatur, ingens hoc ipſo pro diuinitate & aeternitate filii Dei demonſtranda, praeſidium deſerentes; modo, locum eſſe parabolicum, adſerebant, ex quo nihil probari poſſet; modo aliud quid in medium proferebant. Ipſe ATHANASIVS, vt hocce Arianorum telum repellat, mirifice ſe torquet; tandemque eo deuenit, vt dicat, verborum ſignificationem ex rebus ipſis eſſe aeſtimandam. Ita namque haecce eius verba capio: οὐ γὰρ αἱ λέξεις τὴν φύσιν παραιροῦνται· ἀλλὰ μᾶλλον ἡ φύσις τὰς λέξεις εἰς ἑαυτὴν ἕλκουσα μεταβάλλει· καὶ γὰρ οὐ προτέραι τῶν οὐσιῶν αἱ λέξεις· ἀλλ' αἱ οὐσίαι πρῶται, καὶ δεύτεραι τούτων αἱ λέξεις· διὸ καὶ ὅταν ἡ οὐσία ποίημα ᾖ, ἢ κτίσμα, τότε τὸ, ἐποίησε, καὶ τὸ, ἐγένετο, καὶ τὸ, ἔκτισε, κυρίως ἐπ' αὐτῶν λέγεται καὶ σημαίνει τὸ ποίημα· ὅταν δὲ ἡ οὐσία γέννημα ᾖ, καὶ υἱὸς, τότε τὸ, ἐποίησε, καὶ τὸ, ἐγένετο, καὶ τὸ, ἔκτισεν, οὐκ ἔτι κυρίως ἐπ' αὐτοῦ κεῖται, οὐδὲ ποίημα σημαίνει, ἀλλ' ἀντὶ ἐγέννησε, τῷ ἐποίησεν, ἀδιαφόρως τις κέχρηται ῥήματι. *Non enim dictiones naturam perimunt, ſed potius natura dictiones ad ſe trahit, & commutat; ſiquidem verba ſubſtantiis non priora ſunt, ſed primum exiſtunt ſubſtantiae, deinde dictiones ſuperueniunt. Quapropter cum ſubſtantia vel opus fuerit, vel creatura, tunc voces illae* ἐποίησε, ἐγένετο, ἔκτισε, *proprie de illis vſurpantur, & ſignificant, eſſe creaturam; cum autem ſubſtantia genitum quid fuerit, aut filius, de quo mentio habetur, tum (voces iſtae* ἐποίησε, ἐγένετο, ἔκτισε*) impropric de ea re pronuntiantur; neque iam hoc poſito opus ſignificant, ſed indifferenter pro verbo (genuit) vſurpatum eſt verbum (fecit;) orat. III. contra Arianos, tom. I. oper. pag. 373.* Haec operoſe admodum deducit, ſuo exemplo demonſtrans, ſolidioris doctrinae defectum ingenio quandoque compenſari, eoque interdum feliciter contra hoſtem, non melioribus armis inſtructum, pugnari. Neque viris ingenio praeditis temere quidquam deeſt, quod aduerſariis reponant, etſi rem ipſam acu non tangant; quod, licet ſeuerioribus theologiae polemicae legibus repugnet; tolerandum tamen interdum eſt, cum vincendus & repellendus hoſtis ſit, quacumque demum id fiat ratione. EPIPHANIVS tandem rectiorem viam ingreſſus eſt, ad fontes ebraeos recurrens, obſeruanſque, vocem ebraeam dupliciter exponi poſſe; vel κύριος ἐκτήσατό με, *dominus poſſedit me*, vel: κύριος ἐνεόσσευσέ με, *dominus inſtar pulli excluſit me*, quaſi in ebraeo eſſet קנני vt ſit verbum a voce קן quae *nidum* denotat. Sed cum priorem eligere debuiſſet expoſitionem,

nem, infelici iterum caſu poſteriorem praetulit, & ad eam exornandam, & contra Arianos acuendam, omnes ingenii contulit vires; *haereſi LXIX. p. 750.* Qui quidem naeui, vt EPIPHANIO aliisque facile condonari poſſunt; ita nollem, vt Arianis linguae ebraeae ignorantiam exprobraſſet, cum iſti hic habeant, quod in patres orthodoxos, ipſumque EPIPHANIVM retorqueant. Ita vero de Arianis: Ὅμως δὲ καὶ οὔτε τὰς λέξεις τὰς ἑβραϊκὰς οὔτε ψηλαφήσαντες, οὔτε γνόντες, οὔτε πῶς ἔχει ἡ τούτων δύναμις, προάλλως καὶ προπετῶς ἀνέκυψαν δεινοὶ ἐχθροὶ, ζητοῦντες πρόφασιν, πόθεν τὴν πίστιν λωβήσωσι, μᾶλλον δὲ ἑαυτούς· οὐ γὰρ τὴν ἀλήθειαν. *At iſti cum ebraicas voces ne attigerint quidem, aut vlla earum cognitione perfuſi ſint, neque quid ſibi velint, intelligant; temere ac petulanter vehementes hoſtes inſurgunt, occaſionem vndique captantes, qua fidem noſtram, vel ſe ipſos potius (nihil enim aduerſus veritatem poſſunt) quacumque ratione labefactent; l. c. p. 749.* Caute vtique in vitiis aduerſariorum exaggerandis verſandum, praeſertim cum ſimile quid & nobis exprobrari queat. Quam prudentiae regulam, in polemica theologia vel maxime obſeruandam, multi magno ſuo damno negligunt. Ad ATHANASIVM vt reuertamur, exiſtimare quis prima fronte poſſet, adfectuum vehementia eum interdum abreptum, nimis acerbe in Arianos inuectum, cum tamen nec a theologicis certaminibus moderatio abeſſe debeat, & rationum potius momentis, quam verbis contumelioſis pugnandum eſſe, viri ſapientiſſimi iam pridem monuerint. Ex plurimis exemplis vnicum ſaltem adferam. Tertiam ſuam *contra Arianos* orationem ATHANASIVS ita orditur: Ἐγὼ μὲν ᾤμην τοὺς τῆς Ἀρειομανίας ὑποκριτὰς, ἐπὶ τοῖς προειρημένοις πρὸ τούτου κατ᾽ αὐτῶν ἐλέγχοις, καὶ ταῖς περὶ τῆς ἀληθείας ἀποδείξεσιν ἀρκεῖσθαι· καὶ παυομένους λοιπὸν, μεταγινώσκειν ἐφ᾽ οἷς ἐφρόνησάν τε καὶ ἐλάλησαν κακῶς περὶ τοῦ σωτῆρος· αὐτοὶ δὲ οὐκ οἶδ᾽ ὅπως, οὐδὲ οὕτως καταδύονται· ἀλλ᾽ ὡς χοῖροι καὶ κύνες περὶ τὰ ἴδια ἐξεράματα τὸν ἑαυτῶν βόρβορον κυλιόμενοι, μᾶλλον ἐφευρίσκουσιν ἑαυτοῖς ἐπινοίας εἰς ἀσέβειαν. *Ego exiſtimabam Arianicae vecordiae hiſtriones ſuperioribus illis aduerſus ipſos refutationibus, documentisque veritatis contentos fore, ac quietos in poſterum poenitentiam acturos, ſuper iis, quae de ſaluatore noſtro praue vel cogitarunt, vel eloquuti ſunt; verum illi, neſcio quo pacto, ne ita quidem cohibentur, ſed veluti ſues & canes in vomitus ſui volutabra ſeſe verſantes, alia atque alia adinueniunt commenta impietatis; tomo I. oper. p. 371.* Excuſationem tamen promerebitur, ſi quis erroris, quem impugnauit, grauitatem; ſi quis periculi, quod inde eccleſiae imminebat, magnitudinem; ſi quis denique Arianorum impudentiam, quae tanta fuit, vt non potuerit non in ſanctiſſimorum etiam virorum animis indignationem quamdam excitare, cogitauerit, riteque expenderit. Exſtat inter ſcripta ATHANASII quoque *diſputatio contra Arium in ſynodo Nicaena tomo I. p. 111. ſeqq.* quae exemplum aliquod diſputationis ineptiſſimae praebet, vt, quae in aliis ſingulatim conſpiciuntur vitia, in controuerſiis theologicis euitanda, in hac iunctim fere deprehendantur. Sed bene eſt, quod iam pridem viri eruditi obſeruarunt, perperam hanc diſputationem ATHANASIO tribui, quippe quae figmentum potius ſit monachi cuiusdam delirantis, qui ſequiori aeuo vixerit.

Arii cum ſemel facta ſit mentio, reliqua quoque ad eumdem ſpectantia perſequi, iuuabit; vt eo rectius, quae polemicae theologiae hoc tempore fuerit facies, intelligatur. Commemorandus autem hic iam ante ATHANASIVM fuiſſet ALEXANDER, epiſcopus Alexandrinus. Sub eo namque Arius haereſin ſuam diſſeminare coepit. Hicce itaque ALEXANDER, cum de ſacro-ſanctae trinitatis myſterio, ingenii oſtentaturus acumen, ambitioſius diſputaret: Arius, Sabellii cum inducere dogma

Digitized by Google

dogma ratus, in contrariam opinionem contentionis ſtudio deflexit. Teſtatur hoc SOCRATES, *hiſtor. eccleſ. lib. I. cap. V.* Conſtantinus vtique magnus reprehendit hoc nomine tum ALEXANDRVM, quod inutiles quaeſtiones presbyteris ſuis propoſuiſſet, tum ARIVM, quod in reſpondendo, id quod vel numquam cogitare, vel certe cogitatum ſilentio premere debuerat, imprudenter protuliſſet; vt idem SOCRATES auctor eſt *l. c. lib. I. cap. VII.* Quae ſi ita ſe habeant, vti dubitare nefas; luculenter iterum nos condocent, quae haud raro funeſtorum in theologia certaminum ſint exordia, quaeue in controuerſiis theologicis ſedulo ſint euitanda. Scylla ſcilicet illa theologica, in quam non poſſunt non incidere, qui Charybdim euitaturi, in alterum, vltra quam par eſt, declinant extremum. Plures ALEXANDRVM iſtum de Ario, eiusque dogmatibus ſcripſiſſe epiſtolas, ex eodem condiſcimus SOCRATE, *l. c. lib. I. cap. VI.* ex quibus non niſi duae hodie ſuperſunt, vna apud THEODORETVM *lib. I. hiſtor. eccleſ. cap. IV.* altera apud SOCRATEM *l. c.* Addenda his καθαίρεσις Ἀρείου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας· *depoſitio Arii & eorum, qui cum illo, per Alexandrum archiepiſcopum Alexandriae*, quam exhibet IO. BAPT. COTELERIVS, ad *conſtitut. apoſtol. lib. VIII. cap. XXVIII. p. 410.* ex quo eam repetit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXIV. p. 341.* Ceterum SOCRATES dum de certaminibus iſtis loquitur, inter alia hoc addit: εἰς τοσοῦτον δὲ ἀτοπίας προέβη τὸ πρᾶγμα, ὥστε δημοσίᾳ καὶ ἐν αὐτοῖς θεάτροις τὸν χριστιανισμὸν γελᾶσθαι. *Eo indignitatis res proceſſit, vt publice in ipſis etiam theatris chriſtiana religio derideretur, l. c. p. 14.* Poſt ATHANASIVM in hocce cum Arianis certamine maxime enituit HILARIVS, Pictauienſis epiſcopus, qui & variis ſcriptis eosdem haereticos impugnauit, inter quae eminent *libri duodecim de trinitate*, qui in operibus eius, ſtudio & labore monachorum ordinis ſancti Benedicti e congregatione ſancti Mauri Pariſiis anno 1693. fol. editis, *p. 765. ſeqq.* exſtant. Spectat vero huc etiam *liber* eius *de ſynodis ſeu de fide orientalium, p. 1150. ſeqq.* quem alias perperam *de ſynodis fidei catholicae contra Arianos & praeuaricatores Arianis acquieſcentes* inſcribi, auctores editionis iam laudatae, *p. 1145.* monent. Synodi enim, quarum expoſitiones complectitur, non a catholicis contra Arianos, ſed maximam partem ab Arianis aut ſemi-Arianis contra catholicos, fuerunt congregatae. Denique & *liber contra Arianos vel Auxentium* huius loci eſt, qui *p. 1263. ſeqq.* legitur. Re ipſa epiſtola eſt ad catholicos contra Arianos, ſpeciatim contra Alexium Mediolanenſem, de cuius ſecum geſtis HILARIVS catholicos admonet. Ad methodum diſputandi contra haereticos, ſpeciatim Arianos, quod attinet, qua HILARIVS vſus eſt; de ea RICH. SIMON ita pronuntiat: *Cum haereticis reſpondendum erat, quorum praecipuum fundamentum erat ſcriptura ſacra, quam literaliter explicandam contendebant, propriis eos impugnat principiis, immo & ipſa eorum vtitur methodo. Plurima illis opponit noui teſtamenti loca, vt nec ad allegorias, nec ad interpretationes longe nimis petitas, recurrat. Immo nec traditionibus nititur, aut teſtimoniis doctorum veteris eccleſiae, ſed tantum ſcriptura ſacra. Senſum ſimpliciſſimum & maxime naturalem ſequendum, putat, ſiquidem in ea verſatur opinione, pleraſque haereſes ex nimis ſubtilibus ſcripturae interpretationibus originem ſuam trahere, dum quisque libertatem minutias, prout lubet, & opinioni, quam ſemel animo concepit, conuenit, captandi, ſibi ſumit.* Recitat hinc ſequentia HILARII verba: *Exſtiterunt plures, qui caeleſtium verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuae ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent, aliter interpretantes, quam dictorum virtus poſtularet;*

lib. II. de trinitate p. 789. Tum vero ita pergit: *Supponit* (HILARIVS) *Arianos in principio conſentire cum catholicis, cum vtrique ſcripturam admittant, omniſque ad ſolum ſenſum eius redeat diſputatio.* Confirmat hoc hiſce HILARII, quae *l.c.* exſtant, verbis: *De intelligentia etiam haereſis, non de ſcriptura eſt, & ſenſus non ſermo fit crimen;* atque tum porro haec ſubiicit: *Dicit ſtatim ab initio, verba haecce Chriſti: euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti, ſuffeciſſe fidelibus, vt diſcerent myſterium trinitatis, priusquam improbi homines confuſionem inuexiſſent, vtpote quae ſimplicia ſint, & per ſe clara;* vel vt ipſe iterum HILARIVS loquitur: *Sed homines mente peruerſi omnia confundunt, & implicant &c.* Haec RICH. SIMON *hiſt. critic. commentator. noui teſtam. cap. IX. p. 132.* Eſtque omnino hac in re laudandus HILARIVS, quod iſta methodo vſus eſt; vtpote quae optima eſt, immo tantum vera & genuina. Nihil enim aut ad veritatem defendendam, aut ad errores diſſentientium profligandos, efficacius, quam ſcriptura ſacra ſimpliciter & recte intellecta. Hac via qui incedit, nec traditione, nec patrum teſtimoniis, nec auctoritate eccleſiae opus habet. Nec obſtat, quod, vt idem RICH. SIMON contendit, haeretici eadem vſi ſint methodo. Hoc enim nomine minime culpandi ſunt; quod vero nihiloſecius manſerint haeretici, inde ortum, quod non recte eadem vſi ſint. HILARIVM hic excipit merito PHOEBADIVS, ſiue PHOEGADIVS, genere Gallus, prouincia, vt videtur, Aquitanus, Agenni Aquitaniae ſecundae oppidi, epiſcopus, cuius quippe exſtat *liber contra Arianos,* in quo Sirmienſem formulam, anno 358 ad Gallos miſſam, ſub examen reuocat atque refellit. Prodiit primum cum aliis quibusdam cura THEOD. BEZAE, prelo HENR. STEPHANI, anno 1570, deinde ſtudio PETRI PITHOEI, Pariſiis anno 1586; porro a CASP. BARTHIO illuſtratus Francofurti anno 1623. 8. tandemque *bibliothecae maximae patrum tomo IV. p. 300. ſeqq.* inſertus eſt. In eadem *bibliotheca maxima patrum tomo IV. p. 253. ſeqq.* exſtant FABII MARII VICTORINI *de ſanctiſſima trinitate aduerſus Arianos libri IV.* itemque *p. 294. ſeqq. hymni tres* cum tractatu *de homouſio recipiendo.* De priori iſto opere ita pronuntiat HIERONYMVS: *Scripſit aduerſus Arium more dialectico libros valde obſcuros, qui niſi ab eruditis non intelliguntur; de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. CI.* Obſeruant quoque alii, VICTORINVM non adcurate ſatis fidei dogmata percepiſſe, quod prouecta iam aetate ad chriſtianorum ſacra acceſſiſſet, & hucusque in gentilium philoſophia tempus tranſegiſſet; adeoque non aeque feliciter vbique dogmata ſacra exponere. Idem quoque VICTORINVS contra CANDIDVM, hominem Arianum, *de generatione verbi diuini,* peculiarem librum ſcripſit, quem cum CANDIDI epiſtola de hocce argumento primus edidit IAC. ZIEGLERVS, cum ſuis in *geneſin & exodum commentariis* Baſileae 1548. fol. deinde cum aliis VICTORINI Petauionenſis reliquiis ANDREAS RIVINVS Lipſiae 1652. 8. obſeruante IO. ALB. FABRICIO, *bibliothec. lat. vol. III. lib. IV. cap. III. p. 422.* GREGORIVS quoque Nazianzenus Arianos adgreſſus eſt, oratoris tamen potius, quam diſputatoris munere fungens, in *oratione ad Arianos & de ſe ipſo; tomo I. operum,* editionis, quae Coloniae 1690 lucem adſpexit, *p. 431. ſeqq.* itemque in *oratione in laudem martyrum & aduerſus Arianos,* vel eius ſolum fragmento, quod in editione antea memorata latine tantum exſtat *tom. I. p. 725.* quamquam & graece editum ſit a RICHARDO MONTACVTIO an. 1610. Alii autem ἀποσπασμάτιον ex oratione quadam CHRYSOSTOMI eſſe exiſtimant. Quae idem GREGORIVS, aeque ac CHRYSOSTO-

SOSTOMVS, contra Eunomium, peculiaris Arianorum ſectae principem, eiusque haereſin, ſcripſerunt, deinceps commemorabimus. De EVSTATHIO Antiocheno itidem in ſequentibus dicemus. BASILII magni *rationes ſyllogiſticae contra Arianos, quod filius in diuinis ſit Deus*, exſtant in HENRICI CANISII *lectionibus antiquis*, ex editione IACOBI BASNAGII *tomo I. p. 169. ſeqq.* Inter AMBROSII ſcripta Arianis oppoſita eminent *de fide*, vel vt alii codices habent, *de fide & trinitate ad Gratianum libri quinque.* Gratiani namque imperatoris rogatu duos priores operis huius libros compoſuerat: cum vero Ariani eum ſuccincte nimis hoc argumentum tractaſſe, iactitarent, ſignificarentque adeo, nondum plene ſibi ſatisfactum; tres poſteriores ſubiecit. Quod ſi LVDOV. ELL. DV PIN iudicio ſtandum, inter plurima veterum de hocce argumento compoſita ſcripta, nullum exſtat, in quo difficultates theologicae in doctrina de myſterio trinitatis melius diſcuſſae, aut clariori luce perfuſae ſint, quam in hocce; in quo & ſubtiliſſimas obiectiones ſumma perſpicuitate proponat, non minus tamen ſolide & adcurate ad eas reſpondeat; *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. II. part. II. p. 276.* Huius quoque loci eſt *ſermo* AMBROSII *de incarnationis dominicae ſacramento*, quippe in quo Arianos praecipue & Apollinariſtas perſtringit. Ad *librum* vero, ſiue *tractatum de filii Dei diuinitate & conſubſtantialitate*, ſeu *de fide orthodoxa contra Arianos*, quod attinet, eum perperam AMBROSIO tribui, viri docti hodie conſentiunt; putantque nonnulli, GREGORIVM potius Baeticum, qui itidem ſaeculo quarto vixit, eius auctorem eſſe. De AVGVSTINI & HIERONYMI ſcriptis, quibus Arianorum profligarunt errores, dicemus, cum & reliqua eorum monumenta polemica recenſebimus. Supereſt itaque ex quarti ſaeculi ſcriptoribus FAVSTINVS, Luciferiani ſchiſmatis presbyter, qui *de trinitate*, ſiue *de fide contra Arianos*, opuſculum ſcripſit, ſeptem libris ſeu potius capitibus conſtans, a IAC. SIRMONDO primum ſub FAVSTINI nomine editum Pariſiis 1650. 8. deinde *bibliothecae maximae patrum tomo V. p. 637. ſeqq.* inſertum. Seorſim etiam cum notis prodiit Oxoniae 1678. 8. Ex quinti ſaeculi ſcriptoribus maxime commemorandus eſt VIGILIVS, gente Afer, Tapſenſis, ſiue Tapſitanus in prouincia Byzacena epiſcopus, qui varia ingenii monumenta, Arianis oppoſita, reliquit. Cum enim Vandali eo tempore in Africa regnarent, ſimulque Arianorum haereſi addicti eſſent, hinc & in catholicos ſaeuirent; neceſſitatem, horum cauſſam ſcriptis quibusdam agendi, ſibi impoſitam VIGILIVS credidit. Huc ergo ſpectant: *altercatio ſub nomine Athanaſii aduerſus Arium*, ſiue dialogi II in concilio Nicaeno inter Athanaſium & Arium habiti, Probo iudice; quibuscum in pleriſque conueniunt *dialogi ſiue altercationes III.* ab Athanaſio contra Arium, Sabellium, & Photinum coram Probo iudice inſtitutae; *de trinitate, ſiue de vnita trinitate Deitatis contra Mariuadum, Arianum, libri XII; liber de vnitate trinitatis ad Optatum*, ſiue *dialogus inter Auguſtinum & Felicianum Arianum*, qui & inter AVGVSTINI opera referri ſolet; *de trinitate aduerſus Varimadum* ſiue tranſpoſitis litteris Mariuadum, ſectae Arianae diaconum, *libri III.* ſub IDACII CLARI nomine a VIGILIO editi; *liber contra Palladium, Arianum epiſcopum*, & quae alia ſunt eiusdem generis, quae iunctim cum reliquis VIGILII ſcriptis edidit PETR. FRANC. CHIFFLETIVS Diuione an. 1665. Eodem ſaeculo quinto CEREALIS, epiſcopus caſtulenſis in Africa; itemque ALCIMVS ECDICIVS AVITVS, archiepiſcopus Vienenſis, & ſaeculo ſequenti ſexto FVLGENTIVS, Ruſpenſis epiſcopus, nonnulla contra

tra

Digitized by Google

tra Arianos ſcripſerunt; quibus tamen recenſendis non immorabimur. Accedendum enim nobis potius ad ea eſt, quae Ariani pro cauſſa ſua defendenda ediderunt; quamquam pauca admodum ſint, quorum ad nos notitia peruenit. Et ipſe quidem ARIVS varias epiſtolas ſcripſit, ex quibus duae ſolum adhuc exſtant; altera, *ad Euſebium Nicomedienſem*; apud EPIPHANIVM, *haereſi LXIX* & THEODORETVM, *hiſtor. eccleſ. lib. I. cap. V.* altera quam ſuo & ſuorum nomine *ad Alexandrum epiſcopum Alexandrinum* ſcripſit, apud EPIPHANIVM, *l. c.* & ATHANASIVM, *de ſynod. Arimin. & Seleuc. tom. I. operum p. 885.* Libellum porro poenitentiae, ſeu fidei quamdam confeſſionem, Conſtantino imperatori oblatam, qua, Nicaenam ſe amplecti fidem, ſimulauit, exhibent SOCRATES, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. I. cap. XXVI.* & SOZOMENVS, *hiſtor. eccleſ. lib. II. cap. XXVII.* Prae ceteris autem notus eſt liber eius, cui *Thaliae* nomen fecit, ad exemplum SOTADIS, iambographi turpiſſimi, ab eo compoſitus, in quo de rebus grauiſſimis, venerandisque religionis chriſtianae myſteriis, leuiſſimis futiliſſimisque numeris, diſſeruiſſe dicitur. Ad eum ſubinde prouocat ATHANASIVS, qui & auctor eſt, conſcriptum ab eo huncce librum, cum ab ALEXANDRO Alexandrino eiectus, apud EVSEBIVM Nicomedienſem verſaretur; *de ſynod. Arimin. & Seleuc. tom. I. oper. p. 883.* vbi & dicit, quod haereſin ſuam ſcripto complexus ſit, ζηλώσας οὐδένα τῶν φρονίμων, ἀλλὰ τὸν Αἰγύπτιον Σωτάδην ἐν τῷ ἤθει καὶ ἐκλύσει τοῦ μέλους· *neminem prudentum imitatus, niſi ſolum Aegyptium Sotadem, qua indolem & mollitiem numerorum.* Recitat ibidem ATHANASIVS longum ex hocce ARII ſcripto locum, in quo tamen nullum metrum deprehendi, viris doctis obſeruatum eſt. Quidquid eius ſit, carmina pangendi facultate polluiſſe ARIVM, variaque ᾄσματα ſeu *cantica* ad dogmata ſua propaganda, compoſuiſſe, ex PHILOSTORGIO conſtat, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. II. cap. II.* Hoc enim cum aliis haereticis & ARIO in more poſitum fuiſſe, ex inſtituto docet ERN. SAL. CYPRIANVS, in *diſſertat. de propagatione haereſium per cantilenas*, quam ſupra iam laudauimus *lib. I. cap. IV.* ad *§. XII.*

Ex ſectatoribus ARII praecipue hic occurrit EVNOMIVS, quem ſectae anomoeorum poſt AETIVM exſtitiſſe principem, notum eſt. Hunc vero plurima contra fidem noſtram ſcripſiſſe, & diſputandi leges ſuis dediſſe ſectatoribus, RVFFINVS nos condocet, *hiſt. eccleſ. lib. I. cap. XXV.* HIERONYMVS, libros eius adſeclis ipſius tanto in pretio fuiſſe, auctor eſt, *vt maioris eos auctoritatis arbitrarentur, quam euangelia, & in ipſo crederent eſſe lumen veritatis; aduerſus Vigilantium tomo IV. oper. part. II. p. 285.* edit. IO. MARTIANAEI. Praeter *commentarium* autem *in epiſtolam ad Romanos*, qui huius loci non eſt, itemque *epiſtolas*, tum PHILOSTORGIO *l. c.* tum PHOTIO *cod. CXXXVIII.* memoratas; ἔκθεσιν πίστεως, *fidei libellum*, Theodoſio imperatori oblatum, ſcripſit, quem poſt HENR. VALESIVM, in *adnotationibus* ad SOCRATIS *hiſt. eccleſ. lib. V. cap. X.* & STEPH. BALVZIVM, in *noua collect. conciliorum tom. I. p. 89.* exhibere IO. ALB. FABRICIVM, *bibliotb. graec. volum. VIII.* ſeu *lib. V. cap. XXIII. p. 253.* ſupra iam *cap. II.* huius libri ad *§. V.* obſeruauimus. Atque idem vir eruditiſſimus EVNOMII ἀπολογητικὸν *defenſionem doctrinae ſuae*, cuius exordium & epilogum graece cum verſione latina HENR. WHARTONI in *hiſtoria* ſua *litteraria ſcriptorum eccleſiaſticorum* GVIL. CAVEVS promulgauerat, integram autem, ſed in linguam anglicanam conuerſam *tomo primo chriſtianiſmi primitiui rediuiui* ediderat GVIL. WHISTONVS; non tantum integram, ſed & graece cum latina verſione IAC. FABRICII, paſſim a ſe

a ſe emendata, eidem *bibliothecae* ſuae *graecae* inſeruit *l. c. p. 262. ſeqq.* Exſtat vero etiam EVNOMII ἔκθεσις πίστεως, ſiue *fidei libellus vel confeſſio*, vna cum *exordio & epilogo apologiae* eius, itemque *confeſſione fidei* eidem *apologiae* ſubiecta, in HENR. CANISII *lectionibus antiquis* ex editione IAC. BASNAGII, *tom. I. p. 178. ſeqq.* Porro CAPPERONNIERII *animaduerſiones* in IAC. FABRICII verſionem latinam *apologiae* EVNOMII, ibidem exhibentur *p. 767. ſeqq.* Denique & *ſcholion* EVNOMII, *& diſputationem orthodoxi contra eum*, interprete FRANC. TVRRIANO, ibi legere licet, *p. 185. ſeqq.* EVNOMII autem *apologetico* BASILIVS magnus oppoſuit ἀντιρρητικὸν κατὰ δυσσεβοῦς Εὐνομίου, *antirrheticum aduerſus impium Eunomium*, *libris quinque*, qui *tomo I. operum* eius *p. m. 695. ſeqq.* exſtant, quosue HIERONYMVS *egregios libros* vocat; *de ſcriptoribus eccleſiaſtic. cap. CXVI.* In quarto quintoue libro tantam tractationis ἀκρίβειαν ac in tribus prioribus non conſpici, viris doctis obſeruatum eſt; quod inde forte prouenit, quod ſolum velut ſupplementum aliquod trium priorum librorum contineant. Neque enim ſtatim inde colligere licet, quod nonnulli faciunt, eos BASILIVM auctorem non agnoſcere. Non defuit autem ſibi in hocce certamine EVNOMIVS, ſed poſt aliquod temporis interuallum ſuam aduerſus BASILIVM, qui interea iam vitam cum morte commutauerat, reſponſionem, ſiue ἀπολογίας ἀπολογίαν, in lucem prodire iuſſit, quam confutandam ſibi ſumſit GREGORIVS Nyſſenus, in *orationibus* ſiue *libris XIII contra Eunomium* (λόγους ἀντιρρητικοὺς vocat) quorum primum IAC. GRETSERVS protulit in *adpendice Nyſſeni* Pariſiis 1518 adeoque in editione operum Nyſſeni, quae ibidem 1515 duobus tomis in fol. prodiit, nondum exſtat. In quibusdam equidem codicibus integris non niſi XII libri inueniuntur; ſed hoc inde prouenit, quod liber quintus in iis bifariam diuidatur. Hoc itaque GREGORII Nyſſeni opus, cum iſto BASILII antea laudato, inter praeſtantiſſima, quae Arianis oppoſita ſunt, quaeue hodie adhuc exſtant, merito refertur. EVNOMII ἀπολογίας ἀπολογίαν praeter GREGORIVM Nyſſenum etiam SOPHRONIVS atque THEODORVS Mopſueſtenus refutarunt; ſed horum ſcripta, vna cum EVNOMII iſto opere, temporum iniuria perierunt. Idem de ANDRONICIANI, APOLLINARIS, aliorumque libris, quibus Eunomianam profligare haereſin adgreſſi ſunt, obſeruandum; de quibus conſulere iuuabit IO. ALB. FABRICIVM, *biblioth. graec. vol. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXIII. p. 250.* Inter eos, qui exſtant, commemorandae cumprimis adhuc ſunt GREGORII Nazianzeni *orationes quinque* (aut ſi prima praefationis inſtar in reliquas eſſe cenſeatur, *quatuor) de theologia*; *operum* eius *tomo I. p. 529.* vtpote in quibus contra Eunomianos&Macedonianos, diſputat; vti iam a nobis obſeruatum *l. I. c. I.* ad §. *II. p. 4.* itemque IO. CHRYSOSTOMI *homiliae quinque de incomprehenſibili Dei natura contra anomoeos*, quae *operum* eius *tomo I.* inueniuntur, *p. 291. ſeqq.* editionis, quae Francofurti anno 1698 lucem adſpexit. Ex anomoeorum etiam numero, immo ipſius EVNOMII magiſter AETIVS Antiochenus fuit, qui trecenta κεφάλαια, ſeu *capita, de fide* ſcripſit, ex quibus opuſculum, ſeptem & quadraginta capitulis conſtans, exhibet atque refellit EPIPHANIVS, *haereſi LXXVI. p. 924. ſeqq.* Cum vlterius, quam reliqui Ariani, progrederetur, non tantum adſerendo, filium eſſe κτιστὸν καὶ ἐξ οὐκ ὄντων, ſed & per omnia ἀνόμοιον τῷ πατρί, ac proinde ἑτερούσιον, *ſubſtantia plane diuerſum*; cognomen inde *athei* retulit. Obſeruatu autem dignum, quod SOCRATES refert, errorem AETII, pariter ac diſputandi pruritum, ex abuſu *categoriarum* Ariſtotelis profluxiſſe; hinc enim eum intelligen-

tia adſequi non potuiſſe πῶς ἐστιν ἀγέννητος γέννησις, καὶ ὅπως τὸ γεννώμενον συναΐδιόν ἐστι τῷ γεννήσαντι· *quomodo eſſet ingenita generatio, & qua ratione id, quod genitum eſt, coaeternum eſſet illi, qui genuit.* Addit, mediocri doctrina praeditum fuiſſe AETIVM, & ſacrarum litterarum imperitum, ac in contendendi ſeu diſputandi tantum ſtudio exercitatum. Auctor denique eſt, epiſtolas, tum ad Conſtantium imperatorem, tum ad alios quosdam, AETIVM compoſuiſſe ἐρεσχελίας inquit, συμπλέκων καὶ σοφίσματα μελετῶν· *in quibus longas texit diſputationes & argumenta ſophiſtica proponit; hiſtor. eccleſ. lib. II. cap. XXXV. p. m. 130.* AETIO iungimus ACACIVM, μονόφθαλμον dictum, quoniam luſcus erat, EVSEBII diſcipulum, & in epiſcopatu Caeſarienſi ſucceſſorem, qui *audax in diſputationibus, in dignoſcendis negotiis acutiſſimus, ad exponendos animi ſenſus diſertus, habebatur*, vti ex PHILOSTORGII *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XII.* SAM. BASN. FLOTTEMANVILLAEVS de eo pronuntiat, *annal. politico-eccleſiaſt. tomo II ad annum 360. p. 858.* vbi de eo ex inſtituto agit. Longe autem in fide fuit inconſtantiſſimus, dum modo ſemi-Arianorum, modo anomoeorum ſententiam propugnauit, tandem ad catholicorum iterum caſtra tranſiit, & fidem Nicaenam amplexus eſt; teſte SOCRATE *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XXV.* Praeter *ſeptemdecim volumina in eccleſiaſten* & συμμίκτων ζητημάτων *ſex*, HIERONYMO memorata, *de ſcriptorib. eccleſiaſticis cap. XCVIII. fidei formulam* in ſynodo Seleucienſi, an. 359. exhibitam, compoſuit, quam ATHANASIVS exhibet, *de ſynodis Arim. & Seleuc. tom. I. oper. p. 904.* itemque SOCRATES, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. II. cap. XL.* vt & EPIPHANIVS, *haereſi LXXIII. p. 872.* de qua & ſupra diximus *cap. II.* huius *libri* ad §. V. Scripſit quoque ἀντιλογίαν *aduerſus Marcellum Ancyranum*, cuius inſigne exſtat fragmentum apud EPIPHANIVM, *haereſi LXXII. p. m. 838. ſeqq. Epiſtolarum*, nomine concilii Conſtantinopolitani, anno 360 congregati, ſcriptarum, eum auctorem eſſe, ex PHILOSTORGIO condiſcimus, *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. XII.* Inter ſemi-Arianos deinde & Macedonianos haud vltimo loco fuit BASILIVS, Ancyranus epiſcopus, cuius & ſociorum, ſiue aliorum ſemi-Arianorum, *profeſſio fidei* apud EPIPHANIVM legitur, *haereſi LXXIII. p. 859.* HIERONYMVS, eum *contra Marcellum Ancyranum, & de virginitate librum, & nonnulla alia*, ſcripſiſſe, auctor eſt; *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LXXXIX*, quorum nihil ad nos peruenit. Denique & ASTERIVS, *Arianae factionis philoſophus*, vt HIERONYMO audit, hic commemorandus eſt, quippe qui *in epiſtolam ad Romanos & in euangelia, & pſalmos, commentarios, & multa alia ſcripſit, quae a ſuae partis hominibus ſtudioſiſſime leguntur*; vt idem HIERONYMVS loquitur *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. XCIV.* Praeterquam vero, quod iſta non amplius exſtent; non tam huius quoque loci ſunt, quam *ſyntagma*, ſeu συνταγμάτιον, cuius ſubinde ATHANASIVS meminit, in quo palam adſeruit, praeter Chriſtum aliam in Deo eſſe ſapientiam, ipſius Chriſti & mundi conditricem, filium eſſe ἓν τῶν πάντων, πρῶτον δὲ γεννητῶν, *vnum ex rerum vniuerſitate, rerum licet conditarum primum.* Quaedam ex hocce opere adfert ATHANASIVS, *de ſynodis Arim. & Seleuc. tom. I. oper. p. m. 887. orat. III. contra Arianos p. 410.* alibique, item ACACIVS, apud EPIPHANIVM, *haereſi LXXII. p. 858.* & MARCELLVS, apud EVSEBIVM, *lib. I. contra Marcellum cap. IV.* Contra MARCELLVM huncce Ancyranum etiam ASTERIVM ſcripſiſſe, ex HIERONYMO condiſcimus, *de ſcriptor. eccleſiaſt. cap. LXXXVI.*

Pleraque autem licet perierint Arianorum ſcripta; ex iis tamen, quae ſuperſunt, vti & ex hiſtoricorum, qui de iis agunt, monumentis, colligere licet, eos, cum, ſe rationibus parum proficere, viderent,

Digitized by Google

ad alias ſeſe recepiſſe artes. Pro argumentis namque ſophiſmata adhibebant, pro rationibus contumelias, pro reſponſionibus ſolidis ſarcaſmos & irriſiones. Principum quoque abuti auctoritate didicerant, vt vi compellerent ad adſenſum placitis ſuis praebendum, quos ſcripturae oraculis eo perducere non poterant. Hac methodo tum contra alios, tum maxime contra ATHANASIVM vſi ſunt; qui, cum inuictus ſemper perſtaret, teſtimoniisque ſcripturae & aliis argumentis grauiſſimis pugnaret; non vna ratione iram illorum & indignationem expertus eſt. Nec vllum fere criminum genus eſt, in cuius eum non adducere voluerunt ſuſpicionem; inſignem tum demum ſe relaturos victoriam, exiſtimantes, ſi inuiſus omnibus redditus, & velut infamia adſperſus, fidem dictorum minime amplius facere poſſet. Hae ſophiſtarum artes ſunt; haec breuiſſima ad victoriam via; de qua illis deſperandum eſſet, ſi res ipſa, ſepoſitis calumniis, ſecundum veritatis regulam examinaretur. Quam diſputandi rationem a maioribus ſuis didiciſſe videtur CHRIST. SANDIVS, dum magno ſtudio Arianorum in ATHANASIVM conuicia & calumnias repetit, in *nucleo hiſtor. eccleſiaſt. p. 176. ſeqq.* Iis, quae de Arianis diximus, praeter veteres hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores, lucem adfundent GOTTFR. HERMANTIVS, in *vita Athanaſii*, gallice ſcripta, item LVDOV. MAIMBVRGIVS, in *hiſtoria Arianiſmi*, itidem gallicano idiomate compoſita. Nec tamen, quod minime negandum, & antea quoque iam obſeruatum, catholici ſemper in hoc certamine ita, vt decebat, & recta controuerſias theologicas tractandi ratio requirere videbatur, ſeſe geſſerunt. Adfectuum vehementia abrepti interdum, nec ab iis ſibi temperarunt artibus, quas in Arianis deteſtamur merito; cumprimis, quando occaſio tulit, & ſummos imperantes ad dura quaeuis ac atrocia in Arianos ſtatuenda irritare, non dubitarunt. Huc nonnulli & illud referunt, quod ſcripta ARII flammis addicta ſint, capitis inſuper poena in occultantes conſtituta. Epiſtola Conſtantini, qua hoc ſanciuit, apud SOCRATEM legitur, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. I. cap. IX. p. 32.* & GELASIVM Cyzicenum, *de actis concilii Nicaeni lib. II. cap. XXXVI.* EVNOMII ſcripta itidem δημοσίοις γράμμασιν *publicis edictis* abolita, PHILOSTORGIVS refert; *hiſtor. eccleſiaſt. lib. XI. cap. V. p. 150*; atque ex lege etiam Arcadii imperatoris, hac de re lata, conſtat. Violentum nimis interdum & noxium hoc videtur nonnullis, cum, qui hac via incedunt, cauſſae ſuae diffidere cenſeantur. Alii contra conſultum omnino putant, hac ratione libros, quibus alii ad errores impios ſeduci poſſunt, lectorum oculis ſubmouere. Qua de re iam alibi me diſputaſſe, memini. Quidquid eius ſit, cauſſa hinc arceſſenda, quod pauca Arianorum ad nos peruenerint monumenta.

Haec de Arianis diſſerendi occaſionem nobis praebuit ATHANASIVS, cuius in hiſce certaminibus maxime enituit & zelus, & induſtria. Atque is, vt praecipuum inter ſcriptores polemicos ſaeculi quarti merito ſibi vindicat locum; ita recte nunc illi adiungimus EPIPHANIVM, Salaminae in Cypro epiſcopum. Ex inſtituto enim opus *de haereſibus* ſcripſit, cui nomen dedit, πανάριον vel κιβώτιον, hoc eſt, *arca* ſeu *capſula medica*, cum in eo non ſolum haereticorum ſententias exponat, quod hiſtorici eſt, verum etiam contra venenatos eorumdem morſus ſaluberrima remedia ſuppeditet, vt ipſemet inſcriptionis iſtius rationem exponit, in *anacephalaeoſi tom. II. oper. p. 126.* Vnde &, non tam ad hiſtoricos, quam polemicos potius, eum referendum eſſe ſcriptores, iam obſeruauimus *cap. praecedenti* ad §. *V.* Diuiditur opus hocce in tres partes, ſeu libros, continetque haereſes octoginta, ſecundum calculum

culum ipſius EPIPHANII, cui tamen ratio non conſtat; docente DIONYSIO PETAVIO in *animaduerſionibus de operis inſcriptione ac viginti priorum haereſeon partitione p. 2.* Honorifice admodum de EPIPHANIO ſentit HIERONYMVS, quippe ad *Pammachium* ſcribens, *habes*, inquit, *papam Epiphanium, qui te aperte miſſis litteris haereticum vocat. Certe nec aetate, nec ſcientia, nec vitae merito, nec totius orbis teſtimonio, maior illo es &c.* Et paucis interiectis: *Eo tempore, quo totum orientem (excepto papa Athanaſio atque Paulino) Arianorum & Eunomianorum haereſis poſſidebat, quando tu occidentalibus & in medio exilio confeſſoribus non communicabas; ille vel presbyter monaſterii ab Eutychio audiebatur, vel poſtea epiſcopus Cypri a Valente non tangebatur. Tantae enim venerationis ſemper fuit, vt regnantes haeretici, ignominiam ſuam putarent, ſi talem virum perſequerentur; epiſt. XXXVIII. ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani, tom. IV. part. II. p. 308.* edit. IO. MARTIANAEI. Deinde etiam eumdem *patrem pene omnium epiſcoporum, & antiquae reliquias ſanctitatis*, adpellitat; *l. c. p. 313.* Non inuidemus haſce ſimilesque laudes EPIPHANIO; quamuis ex amore nimio eas profectas, facile aliquis ſuſpicari poſſit. Ad opus *de haereſibus* quod attinet, recte atque cordate de eo mihi pronuntiaſſe videtur PHOTIVS: Πάντων δὲ τῶν πρὸ αὐτοῦ κατὰ αἱρέσεων καταβεβλημένων πόνων πλατύτερός τε καὶ χρησιμώτερος· ὅτι ἅπερ τε ἐκείνοις ἐῤῥήθη τὸ χρήσιμον ἔχοντα, τοῦτο οὐ παραλέλοιπε· καὶ εἴ τι προσεξευρεῖν ἠδυνήθη, προσέθηκε· τὴν δὲ φράσιν ταπεινός τε καὶ οἷα εἰκὸς ἀττικῆς παιδείας ἀμελέτητον τυγχάνειν· ἀσθενὴς δὲ ὡς τὰ ἐπὶ πλεῖστον ἐν ταῖς κατὰ τῶν δυσσεβῶν αἱρέσεων συμπλοκαῖς· ἐνιαχοῦ μέν τοι ἐῤῥωμένος ταῖς ἐπιβολαῖς, εἰ καὶ τῶν ῥημάτων αὐτοῦ καὶ τῆς συντάξεως οὐδὲν τὸ ἰδίωμα συμβάλλεται· *ceteris, qui ante ipſum contra haereſes ſcripſerunt, copioſior & vtilior; propterea quod quae reliqui vtilia continebant, hic nequaquam praetermiſit; ſed quaecumque praeter illa ſtudioſe reperire potuit, adiunxit. Dictio eius humilis, ac plane talis, qualem eius eſſe oportuit, qui atticae elegantiae rationem nullam duceret. Infirmus vero vt plurimum eſt in conflictibus, aduerſus impias haereſes ſuſceptis. Eſt tamen vbi fortiter adgreditur, atque irruit, quamuis neque verborum ipſius, neque constructionis proprietas vlla ex parte praeſtantior efficiatur; cod. CXXII. p. 303.* Hoc enimuero perinde tandem eſt, ac ſi dixiſſet, EPIPHANIVM muneri iſti, refutandi haereticos, non fuiſſe prorſus parem, nec feliciter vbique in eo verſatum. Huic PHOTII iudicio ſuffragatur ex noſtratibus MART. CHEMNITIVS. Cum enim adſeruiſſet, hocce EPIPHANII opus valde bonum & vtile eſſe, propter hiſtoriam, (qua de re quid ſentiendum ſit *cap. praeced.* ad §. *V.* demonſtrauimus) ſubiungit: *nam quas ipſe opponit refutationes & confirmationes aliquando ſunt frigidiores; orat. de lectione patrum p. m. 768.* Copioſius adhuc, nec minori libertate, quae in EPIPHANIO reprehendenda ſint, exponit LVD. ELL. DV PIN: *ſtilus Epiphanii omnis elegantiae & ſublimitatis expers eſt, immo contra ſimplex, humilis & abiectus eſt: aſper atque ruſticus eſt abſque ſerie, & connexione; multae lectionis & eruditionis vir fuit, ſed in diſcernendis rebus omni ſagacitate & ingenii elegantia deſtitutus. Falſis plerumque rationibus ad haereticos refutandos vtitur. Admodum credulus, & minime adcuratus erat. Paſſim hallucinatur in hiſtoriae factis notatu digniſſimis, & falſis monumentis rumoribusque incertis nimis temere fidem adhibet. Zelo & pietate abundabat, ſed conſilio prudentiaque ciuili deſtituebatur; nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. II. p. 762.* Quae cum ita ſe habeant, plurima vtique vitia, quae ab illis, qui theologiam polemicam rite tractare cupiunt, abeſſe debebant, in EPIPHANIO deprehendere licet.

Digitized by Google

licet. Credulitas nimia, zelus inconſultus, negligentia, & defectus τῆς ἀκριβείας in ſententiis aliorum referendis, efficiunt, vt andabatarum more pugnemus. Qui infirmis argumentis hoſtes adoriuntur, quod itidem omnium iudicio EPIPHANIVS facit, nihil aliud agunt, quam vt veritatem prodant, quam egregie ſe tueri exiſtimant. Ad haec ſi accedat ſtilus incultus, abiectus, aſper, confuſus; vix amplius, quod in tali tractatione laudari queat, ſupereſſe videtur. Quam infeliciter EPIPHANIVS interdum rationes ſubducat, luculento demonſtrauimus exemplo *cap. III.* huius *libri*, ad *§. V.* Quod autem huic veteris eccleſiae doctori contigit, id ſubinde & illis non poteſt non contingere, qui, eius exemplum ſequuti, plures haereſes ſimul impugnant; vt a locorum communium ſcriptoribus fieri adſolet. In his enim cum PHOTIO copiam ſaepius & vbertatem magis admireris, quam ἀκρίβειαν aut iudicium laudes. Immo fieri vix poteſt, vt in tanta rerum multitudine, & ſententiarum varietate, in cuiusque auctoris mentem adcurate inquiratur, ſelectusque adhibeatur argumentorum, quibus quilibet error reiiciendus eſt aut impugnandus. Praeter πανάριον, de quo hucusque verba fecimus, commemorandus hic etiam eiusdem EPIPHANII ἀγκυρωτὸς *ancoratus*, ancora quaedam fidei, ſiue ſermo de fide. Scriptus autem eſt iſte ſermo, ſeu potius ἀντεπιστολὴ *epiſtola reſponſoria*, rogatu presbyterorum quorumdam Suedris Pamphiliae degentium, itemque Palladii & Seuerini, qui in eadem vrbe magiſtratus munere fungebantur, quorum etiam ad EPIPHANIVM epiſtolae praemittuntur. Id vero EPIPHANIVS in hac epiſtola agit, vt praeſertim doctrinam de ſacro-ſancta trinitate exponat atque confirmet, & diuinitatem Chriſti contra Arianos, ſpiritus autem ſancti contra Macedonianos, ſtabiliat, & ab aduerſariorum obiectionibus vindicet; quamquam & contra alios haereticos diſputet. *Ancorati* nomine huncce librum venire, in *ſynopſi*, ei praemiſſa, dicitur, ὅτι ἀγκύρας δίκην τὸν περὶ τῆς ζωῆς καὶ σωτηρίας ἐρευνῶντα νοῦν ἄγει *propterea quod animum de vita ac ſalute ſollicitum inſtar ancorae moderatur.* Eumdem octoginta haereſeon nomina complecti, & varias de ſcripturis ſacris quaeſtiones exponere, ibidem adſeritur. Exſtat ancoratus iſte *tomo II.* operum EPIPHANII *p. 1. ſeqq.* editionis, quae Coloniae anno 1682 prodiit. Quod de *ancorato* PHOTIVS dicit, eum σύνοψιν quamdam eſſe τῶν παναρίων, *cod. CXXIII. p. 303.* id rectius de ἀνακεφαλαιώσει, quae itidem *tomo II. p. 126. ſeqq.* legitur, intelligere licet. In ea enim ſummatim, quae in *panario* EPIPHANIVS fuſius dixerat, repetuntur. *Ancoratum* EPIPHANII, itemque *anacephalaeoſin*, vna cum eiusdem *expoſitione fidei*, in *inſtitutionibus theologicis antiquorum patrum*, tomo tertio, recudi curauit IOSEPH. MARIA TOMMASI cardinalis, Romae an. 1712. 8. de quo eius inſtituto iam alibi me dixiſſe memini.

EVSEBII Caeſarienſis epiſcopi illuſtre equidem, maxime ob *hiſtoriam eccleſiaſticam*, nomen eſt, de qua & fuſe *cap. praeced.* ad *§. VI.* egimus. Non minus tamen & polemicis adnumerandus eſt ſcriptoribus, ob varia, quae reliquit, monumenta, ex quibus quaedam ſunt prorſus egregia. Cumprimis laudandi εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς *euangelicae praeparationis libri XV.* ad THEODOTVM, epiſcopum Laodicenum, in quibus chriſtianae religionis veritatem contra gentilium philoſophos vindicauit. Duabus veluti haec tractatio conſtat partibus; ſiquidem EVSEBIVS primum theologiam gentilium perſtringit, quamue inepta ſit, demonſtrat; idque ſex prioribus operis huius libris agit; deinde in nouem ſequentibus theologiae Ebraeorum veritatem euincit, ſimulque oſtendit, laudandos omnino chriſtianos, quod eam

fuerint amplexi. Dumque ita eo in argumento verſatus eſt, vt plurima veterum ſcriptorum gentilium monumenta & teſtimonia colligeret; effecit, vt hac ratione non pauca ad nos peruenirent, quibus ceteroquin ob illorum libros deperditos deſtitueremur. Eſtque adeo vel hoc nomine hocce opus omnibus in pretio. Inter editiones eminet, quam FRANC. VIGERVS Rothomagenſis, ſocietati Ieſu adſcriptus, cum verſione ſua & notis dedit, Pariſiis 1628, quae recuſa fuit Coloniae, aut potius Lipſiae an. 1688. fol. Quemadmodum autem in hocce opere EVSEBIVS contra ethnicos diſputauit, animumque hac ratione, ad veritatem religionis chriſtianae, diuinam theologiae & librorum, quos ab Ebraeis accepimus, auctoritatem adſerendo, recipiendam, praeparauit; ita vlterius progreſſus eſt in opere, quod εὐαγγελικὴν ἀπόδειξιν *demonſtrationem euangelicam*, vocauit, & contra ipſos Iudaeos chriſtianae religionis veritatem euicit. Hanc namq; ex ſacris litteris, veteris praeſertim teſtamenti teſtimoniis, cumprimis ex vaticiniis de Chriſto, quam luculentiſſime demonſtrat. Ex viginti autem libris, quibus opus hocce conſtabat, decem tantum priores ſuperſunt; & hactenus quidem primus initio mutilus, vltimusque itidem extrema parte truncus, donec viro ſummo IO. ALB. FABRICIO noſtra aetate ea felicitas obtigit, vt benignitate celſiſſimi Walachiae principis MAVROCORDATI, quae in primo vltimoque libro deerant, ad illum peruenirent, qui & ea cum verſione latina & *delectu argumentorum, & ſyllabo ſcriptorum, qui veritatem religionis chriſtianae aduerſus atheos, Epicureos, deiſtas, ſeu naturaliſtas, idololatras, Iudaeos & Muhammedanos, lucubrationibus ſuis adſeruerunt*, publicae luci expoſuit, Hamburgi hoc ipſo, quo haec ſcribo, an. 1725. 4. Prodiit ceteroquin *demonſtratio* haecce *euangelica* EVSEBII cum eiusdem *libro contra Hieroclem, duobus contra Marcellum Ancyranum, & tribus de eccleſiaſtica theologia*, Pariſiis an. 1628; quae editio repetita eſt Coloniae, aut potius Lipſiae 1688. fol. De EVSEBII *contra Hieroclem* libro, qui itidem ad religionis chriſtianae defenſionem ſpectat, itemque de opere eius *contra Porphyrium*, quod non amplius exſtat, ſed cuius HIERONYMVS meminit, *de ſcriptor. eccleſiaſt. cap. LXXXI.* ſupra iam ad *§. III.* copioſe verba fecimus. Diuerſi ab vltimo hocce fuerunt eiusdem ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας, *confutationis & apologiae* pro chriſtiana religione aduerſus ethnicorum obiectiones *libri duo*; qui tamen itidem temporum iniuria nobis erepti ſunt. Ad doctrinae autem ſacrae veritatem contra haereticos adſerendam comparati fuerunt *libri* eius *duo contra Marcellum* Ancyrae epiſcopum, eiusque σύγγραμμα, quo Arianos, ſpeciatim ASTERIVM ſophiſtam, antea nobis memoratum, impugnando, in alterum extremum prolapſus erat, adeo, vt cum Sabellio & Paulo Samoſateno facere videretur. Cum ergo MARCELLVS hicce in ſynodo Conſtantinopolitana, an. 336 congregata, damnaretur; EVSEBIO in mandatis datum fuit, vt illum confutaret. Atque in hiſce duobus libris cum id praecipue egiſſet, vt veram ac genuinam MARCELLI ſententiam detegeret, ac in lucem proferret; eamdem fuſius deinceps refutauit in *tribus* περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς θεολογίας *de eccleſiaſtica theologia, libris.* Prodierunt primum quinque iſti libri, latina verſione donati, & notis illuſtrati a RICH. MONTACVTIO, cum *demonſtratione euangelica*, Pariſiis an. 1628, & cum eadem, vt antea iam monuimus, denuo editi, Lipſiae an. 1688. fol. Ex iisdem veram EVSEBII de diuinitate filii Dei nos condiſcere ſententiam poſſe, viris doctis obſeruatum eſt. Non vno in loco declarat, τὸν λόγον eſſe Deum & filium Dei, immo diſerte profitetur, ſe reiicere eos, qui τὸν λόγον κτίσμα, vel ἐξ οὐκ ὄντων, dicere auſi ſint; *lib. I. de eccleſiaſt.*

ſiaſt. theolog. c. IX. & *lib. III. c. II.* Vnde merito colligas, eum a propria Arii ſententia alienum fuiſſe. Alibi tamen iterum, quod non diffitendum, paullo durius loquitur, praeſertim *lib. II. cap. VII.* vbi inaequalitatem quamdam patris & filii admittit: *οὐδὲ γὰρ ἰσοτίμους αὐτὰς ὁριζόμεθα· nam neque illas* (hypoſtaſes patris & filii) *honore pares ponimus:* eadem quoque ratione filium adorandum, qua pater adoratur, ibidem negat; conf. LVD. ELL. DV PIN, *nou. bibl. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. II. p. 7.* De PAMPHILI *apologia pro Origene*, cui vltimam manum EVSEBIVS, addendo librum ſextum (quamquam, & in reliquis eum PAMPHILI adiutorem exſtitiſſe, nonnulli contendant) impoſuit, iam ſupra ad §. *III.* diximus. *Liber* EVSEBII *aduerſus Sabellium*, ſeu *homiliae* potius *duae*, latine tantum exſtant, & cum aliis eius monumentis editae ſunt a IAC. SIRMONDO Pariſiis an. 1643. 8. Sed, an recte EVSEBIO Caeſarienſi tribuantur, ſunt, qui dubitant. BASILIVS magnus atque GREGORIVS Nyſſenus, oratoribus potius, quam ſcriptoribus polemicis, ſaeculi quarti adnumerandi ſunt; hinc & pauca tantum quaedam, quae huius ſunt loci, reliquerunt. Quae vterque contra Eunomium ſcripſit, iam antea commemorauimus. Addenda tantum, quae de vtriusque, in hac contra Eunomium diſputatione, methodo obſeruat RICH. SIMON, *hiſtor. crit. commentar. noui teſtam. cap. VII. p. 103. ſeqq.* Reliqua illorum ſcripta polemica deinceps indicabimus. Quod de BASILIO atque GREGORIO Nyſſeno diximus, idem & de GREGORIO Nazianzeno repetendum; cuius, quae Arianis oppoſuit, ſcripta, itidem iam laudauimus; de reliquis deinceps verba facturi. RICH. SIMON in GREGORIO hocce, eiusque ſcriptis polemicis, eumdem ſe deprehendiſſe characterem putat, quem in BASILIO obſeruauit. *Non enim tam ſcripturae teſtimoniis eum niti, quam vi ratiocinationum, modorumque loquendi eius. Supponere eum, illos, qui ante ipſum idem argumentum tractarunt, iſtud iam exhauſiſſe, ſuperuacaneumque eſſe, repetere interpretationes plurimorum noui teſtamenti locorum, quas illi iam dederant ad ſtabiliendam eccleſiae fidem. Satis illi eſſe plerumque, obſeruationes quasdam addere; poſſeque adfirmari, eum artem perſuadendi probe tenere. Cum hacce methodo quoniam lenitatem & humanitatem ſingularem coniunxerit, plus eum effeciſſe, quam ſi κατὰ πόδα teſtimoniis ſcripturae inhaeſiſſet, quae Ariani, & qui diuinitatem ſpiritus ſancti eo tempore impugnabant, catholicis opponebant; hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. cap. VIII. p. 119.* Quibus verbis num laudare GREGORIVM Nazianzenum voluerit, an vituperare, me non ſatis capere, lubens fateor. Quae IO. CHRYSOSTOMVS contra Eunomium ſcripſit, non minus ac alia, eidem haeretico oppoſita, iam laudauimus; reliqua, quae non adeo multa ſunt, deinceps itidem in cenſum venient. EVSTATHII Antiocheni iam mentionem fecimus, cum de ORIGENE loqueremur, cuius quippe ſententiam de engaſtrimytho peculiari libro refutauit. Inter eos vero etiam illum referendum, qui Arianis ſe oppoſuerunt, patet ex *fragmentis*, quae ex libris eius deperditis collegit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXI. p. 170. ſeqq.* Dici porro poſſet de AMPHILOCHIO Iconienſi, de DIDYMO Alexandrino, de DIODORO Tarſenſi, aliisque quarti ſaeculi doctoribus; ſed horum cum aut perierint ſcripta polemica, aut non magni ſint momenti, aut etiam alibi a nobis commemorentur; ad duas iſtas eccleſiae columnas, fortiſſimosque veritatis diuinae contra quosuis aduerſarios defenſores AVGVSTINVM atque HIERONYMVM nos conuertimus. Hi enim ex hocce ſaeculo adhuc ſuperſunt, digniſſimi, quorum hic habeamus rationem.

Digitized by Google

Et Hipponenſium quidem iſte praeſul AVGVSTINVS, vt foecundiſſimi vir fuit ingenii, & inſigni zelo pro veritatis defenſione flagrabat; ita cum variis religionis chriſtianae doctrinaeque catholicae hoſtibus in arenam deſcendit; cumque diſciplinis philoſophicis probe inſtructus eſſet, praeſertim dialectica arte multum valeret, prae reliquis ad hoc idoneus erat. Contra gentiles pugnauit in *libris XXII. de ciuitate Dei*; quamquam & ad alia in iis ſe diffundat, etiam ea, quae vitam moresque inſtruunt; vnde etiam *cap. IV.* huius libri ad *§. V.* de hocce opere quaedam monuimus. Cum Iudaeis congreſſus eſt in *tractatu aduerſus Iudaeos*, qui *tomo octauo operum* eius, ex editione monachorum Benedictinorum Antwerpiae an. 1700 (quam deinceps ſemper ſequemur) exſtat, *p. 22.* *Sermo* autem *contra Iudaeos, paganos & Arianos*, qui AVGVSTINI nomen praefert, perperam illi tribuitur: hinc & in *adpendicem* eiusdem *tomi octaui* reiectus fuit; vbi legitur *p. 11. ſeqq.* Idem obſeruandum de *tractatu contra quinque haereſes, ſeu contra quinque hoſtium genera*, ſcilicet paganos, Iudaeos, Manichaeos, Sabellianos, & Arianos, qui in eadem *adpendice* primum locum tenet, *p. 1. ſqq.* itemque, de dialogo: *altercatio eccleſiae & ſynagogae* inſcripto, qui ibidem *p. 19.* inuenitur. Inter eos, qui contra Manichaeos pugnarunt, AVGVSTINVM primum praecipuumque tenere locum, eoque felicius in hiſce eum verſatum controuerſiis, quo adcuratius eorum placita illi cognita fuerunt; ſupra iam pronuntiauimus. Scripta autem, quae iis oppoſuit, quaeue *tomo octauo operum* eius exhibentur, ſunt: *de vtilitate credendi, ad Honoratum, liber vnus; de duabus animabus contra Manichaeos, liber vnus; acta, ſeu diſputatio contra Fortunatum Manichaeum, liber vnus; contra Adimantium Manichaei diſcipulum, liber vnus; contra epiſtolam Manichaei, quam vocant, fundamenti, liber vnus; contra Fauſtum Manichaeum libri triginta tres; de actis cum Felice Manichaeo libri duo; de natura boni contra Manichaeos liber vnus; contra Secundinum Manichaeum liber vnus.* Subnectuntur hiſce *contra aduerſarium legis & prophetarum libri duo*; in quibus AVGVSTINVS librum quemdam *cuiusdam haeretici, ſiue Marcioniſtae, ſiue cuiuslibet eorum, quorum error opinatur, quod iſtum mundum non Deus fecerit, nec Deus legis, quae data eſt per Moſen, & prophetarum, ad eamdem legem pertinentium, verus ſit Deus, ſed peſſimus daemon*, vt ipſemet *lib. II. retractat. cap. LVIII.* loquitur, refellit. Nimirum licet ſententia iſtius auctoris cum errore Manichaeorum conuenire videatur; diſcrimen tamen aliquod intercedere, ipſemet iterum Hipponenſium praeſul nos condocet: *Non enim ſoli Manichaei legem prophetasque condemnant, ſed & Marcioniſtae, & alii nonnulli, quorum ſectae non ita innotuerint populis chriſtianis. Iſte autem, cuius nomen in eodem libro non comperi, deteſtatur Deum, mundi fabricatorem; cum Manichaei, quamuis librum geneſeos non accipiant, atque blaſphement, Deum tamen bonum fabricaſſe mundum, etſi ex aliena natura atque materia, confiteantur; lib. I. c. I. pag. 390.* *Liber de fide contra Manichaeos*, itemque *commonitorium de recipiendis Manichaeis, qui conuertuntur*, perperam AVGVSTINO tribuuntur; hinc & in *adpendice* comparent, *p. 25. ſeqq.* Non minus vero & in Arianorum erroribus profligandis ſtudium ſuum atque induſtriam AVGVSTINVS demonſtrauit. Id ſcripta ſequentia teſtantur, quae itidem in *nono operum* eius *tomo* continentur: *contra ſermonem Arianorum liber vnus*, cui ipſe iſte Arianorum ſermo, quem AVGVSTINVS refellit, praemittitur; *collatio cum Maximino Arianorum epiſcopo; contra eumdem Maximinum Arianum libri duo; de trinitate libri quindecim.* De methodo diſputandi, qua in hiſce contra Arianos vſus eſt libris AVGVSTINVS, non-

nonnulla more ſuo obſeruat RICH. SIMON, *hiſt. critic. commentat. noui teſtam. cap. XIX. p. 268. ſeqq.* quae hic non ſunt praetermittenda. In ſcripturae ſacrae enim interpretatione eum non ſequutum auctoritatem illorum, qui eum praeceſſerunt, vt illam haereticis opponeret; ſed crediſſe potius, veritatem ex ipſa ſcriptura (per legitimam interpretationem) eſſe eruendam, cum alii interpretes falli atque errare potuerint. Nec veritatem huius principii in dubium vocare audet SIMON; monet ſolum, caute eodem vtendum, cum omnes nouatores eodem contra antiquam eccleſiae fidem abuſi ſint; immo nec ipſum AVGVSTINVM euitare potuiſſe, quo minus illi exprobraretur, hocce obtentu, nouas eum introducere opiniones; quem in finem & ad VINCENTII Lerinenſis *commonitoria* prouocat, qui traditiones eccleſiae fortiter defendat. Sed de VINCENTII hocce inſtituto, ſuo loco dicemus. AVGVSTINVS quod ſcripturam ſecundum traditionem interpretari noluerit, in eo maximopere eſt laudandus: ambabusque acceptamus manibus, quod SIMON largitur, principium hocce, veritatem ex ipſa ſcriptura eruendam, in dubium vocari non poſſe. Abuſus euitari facile poteſt, ſi modo rectam & genuinam interpretandi ſcripturam rationem ſemper ſequamur; quo quidem pacto nulla nobis opus fuerit traditione. Cum vero id, quod de AVGVSTINO dixerat, teſtimonio CORN. IANSENII comprobet; ipſum huncce Yprenſem epiſcopum audire iuuabit, inde vt conſtet, quantopere methodus, qua AVGVSTINVS contra Arianos vſus, reiecta traditione, ex ſola ſcriptura diſputandi, illi fuerit probata. De AVGVSTINO nimirum ita pronuntiat, eum eſſe, *qui primus patrum, ſaluo iudicio ſaniore, diuinitatem filii Dei, aduerſus Arii machinas ita ſtabiliuit, vt primus mirabili quodam ratiocinationis acumine primarium ſubuerterit fundamentum, quo totus Arianiſmus natus creuerat, adultusque nitebatur. Quamuis enim Nicaenae ſynodi auctoritate proſtratus, multorumque patrum vulneribus confoſſus, Auguſtini aetate ſemimortuus palpitaret; nemo tamen radicem erroris exciderat, nec ſententiam illius exhauſerat obiectionis, quae totius haereſeos virus exhalabat. Nihil enim perinde haereſiarcham Arium, doctiſſimosque, qui eum ſectabantur, antiſtites feſellit, quam quod in eccleſiae naſcentis exordiis patres trium ſaeculorum antegreſſi Iuſtinus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus & poſtea paſſim alii, Athanaſius, Euſebius, Hilarius, Baſilius, Chryſoſtomus, Epiphanius, Ambroſius, Theodoretus, vnanimiter docerent, apparitiones illas Dei crebras, quae in veteri narrantur teſtamento, non de patre, quod eſſet inuiſibilis, ſed de Dei filio intelligendas eſſe. Itaque concilium quoddam orientalium epiſcoporum Sirmienſe, quod aduerſus Photini errores congregatum fuit, anathema dixit iis, qui dicerent, non filium Abrahae viſum, vel cum Iacob luctatum eſſe, ſed Deum innaſcibilem, ſiue patrem, quemadmodum apud ſanctum Hilarium videre licet. Hinc ergo continuo ſectarii inferebant, ex iſtorum patrum auctoritate filium patre minorem eſſe, quod viſibilis factus, internuntii vice ad homines pro patre per tot ſaecula functus eſſet. Haec, inquit ſanctus Ambroſius, eſt cauſſa erroris, haec origo haereſis Arianae. Quod & Athanaſio, & Gregorio Nazianzeno, vel iis certe, qui librorum ad Theophilum, & orationis quadrageſimae nonae apud Nazianzenum auctores ſunt, tantopere placuit, vt haec eadem verba, vel Ambroſio praeformauerint, vel ex Ambroſio in ſua ſcripta transtulerint. Cum igitur iſtud ex Ambroſio praeceptore ſuo didiciſſet Auguſtinus, aduerſus conſtantem praecedentium ſententiam, magno auſu, maiore conſtantia ſubnixus, ſcripturarum pondere, & rationum grauiſſimarum acumine ac textura, primus panſis velis in libris de trinitate demonſtrauit,*

uit, omnes apparitiones illas veteris teſtamenti non Deo, ſed angelo eſſe tribuendas. Quae cauſſa fortaſſis fuit, cur libros illos tot annis ſuppreſſerit, ne forte nimis praecipiti audacia illam tot patrum antiquorum ſententiam, atque vna praecipuum Arianorum praeſidium ſubuertiſſe videretur; Auguſtini tom. II. lib. prooemial. c. XII. p. 30. Recte vtique & cordate fecit AVGVSTINVS, quod aliorum auctoritate a ſententia, de cuius veritate ipſemet, perſuaſus fuit, defendenda ſe deterreri paſſus non eſt. Haud poſtrema haec eorum laus eſt, qui aut ſcripturam ſacram interpretari, aut controuerſias theologicas rite tractare cupiunt. Eamdemque ſi hodie romanenſes ingrederentur viam, felicius a plurimis, quibus inuoluti ſunt, ſe expedire erroribus poſſent. Exiſtimo tamen, Arianis obuiam iri potuiſſe, ſi vel maxime ſtatuatur, vti omnino ſtatuendum eſt, adparitiones illas Dei in veteri teſtamento, non de angelo quodam creato, ſed increato, ſeu filio Dei intelligendas. Neque enim inde ſequitur, filium patre minorem eſſe; cum ſolum demonſtrare voluerit, ſe non tantum filium Dei, ſed & redemtorem hominum, caputque eccleſiae, ex pacto cum patre conſtitutum eſſe, cui adeo eccleſiae ſalus ac conſeruatio peculiari quadam ratione curae cordique ſit. RICH. SIMON, cum iſta IANSENII verba recitaſſet; addit, magnum quid omnino hac in re auſum AVGVSTINVM, nec temere eiusmodi in omni antiquitate reperiri exemplum. Subiicit etiam, methodum iſtam, qua AVGVSTINVS vſus eſt, non placuiſſe GEO. BVLLO, qui, fidem concilii Nicaeni, teſtimoniis patrum, qui ante iſtud concilium vixerunt, defendere, conſultum duxerit; immo diſerte profiteatur: *Religio mihi eſt, eritque contra torrentem omnium patrum ac veterum doctorum ſacras ſcripturas interpretari, niſi quando me argumenta cogunt euidentiſſima, quod numquam euenturum credo. Multis enim certe probabilitatum ac veriſimilium rationum momentis praeponderare debet conſentiens (primaeuae praeſertim) antiquitatis iudicium; defenſ. fid. Nic. ſect. I. cap. I. §. IX.* Verum ſi vel maxime GEORG. BVLLVS, aut alii quidam anglicanae eccleſiae theologi, patrum auctoritati plus, quam decet, tribuant; id reliquis proteſtantium doctoribu, fraudi eſſe nequit; quamquam patrum auctoritati tum demum locum relinquat, ſi alia argumenta non obſtent. Nec in eo errauit, quod, cum praeſtantiſſimis veteris eccleſiae doctoribus, adparitiones Dei de filio Dei, ſeu angelo increato intellexit; ſiquidem eas omnino ita intelligendas, nec vllum Arianos inde cauſſae ſuae accipere praeſidium, antea iam obſeruauimus. Recte praeterea patrum teſtimoniis κατ' ἄνθρωπον vtimur; cumque diuinitatis Chriſti hoſtes conſenſum patrum ante-Nicaenorum iactitent; veritati, quam eccleſia noſtra profitetur, non rectius conſuli poteſt, quam ſi & haec iis eripiantur arma, &, quantopere hac in re fallantur, oſtendatur. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Inter ſcripta polemica AVGVSTINI nunc porro commemoranda eſſent, quae Pelagianis & Donatiſtis oppoſuit; ſed de iis deinceps verba facere animus eſt. Supereſt itaque ſolum *liber ad Oroſium contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas*, qui *tomo octauo operum* eius *pag. 434. ſeqq.* exſtat; in quo Priſcillianiſtas breuiter perſtringit, eo, quod, dum Manichaeos refutauerat, ſimul iam Priſcillianiſtarum quaedam profligauerat commenta: contra Origeniſtas autem paullo copioſius diſputat, & inter alia ſententiam quoque illorum, quod poenae infernales finem habiturae ſint, refellit. Iam ſi generatim de AVGVSTINI in theologiam polemicam meritis aliquid dicendum ſit; plurima in eo occurrere commendatione digna, nemo, niſi cenſor iniquiſſimus, negauerit. Nec ingenium ad tractandas controuerſias aptum, nec eruditionem ei defuiſſe; diſciplinis

plinis quoque philoſophicis, cumprimis artis dialecticae praeceptis eum imbutum fuiſſe, antea iam obſeruauimus. Addenda nunc hiſce eſt modeſtia, qua aduerſarios ſuos excepit, quamue non ſine ratione DESID. ERASMVS Roterodamenſis praedicat. *Linguam*, inquit, *habebat, in tantum ab omni petulantia puram, vt etiam, cum procaciſſimis haereticis vel ſcripto, vel ſermone diſputans, mire temperet a conuiciis, ſed ſcripturarum modo teſtimoniis, & argumentis veritatem adſerit, impietatem refellit, adeo vt ne laceſſitus quidem regerat maledicta; lib. XXVIII. epiſt. I.* Quae laus in theologia polemica tanta eſt, vt maior excogitari nequeat. Videtur autem optimus hicce Hipponenſium praeſul ſui ipſius eſſe oblitus, quando, cum antea vim omnem in religionis cauſſa damnaſſet, deinde, cum acres illi ac diuturnae cum Donatiſtis contentiones interceſſiſſent, ſuam ita mutauit ſententiam, vt poenas, quae religionis cauſſa infliguntur, quaſcumque, ſola morte excepta, non improbaret. Sed hac de re iam ſupra dictum *cap. IV.* huius libri ad *§. V.* & in *inſtitutionib. theolog. dogm. lib. V. cap. IV.* ad *§. XLVII. p. 1806.* Nec eſt, quod credas, omnium naeuorum in theologia polemica expertem fuiſſe AVGVSTINVM. Speciatim id nonnulli reprehendunt, quod haud raro diſputationis feruore abreptus, dum vnum euitare extremum adnititur, in alterum procurrere videatur. Sic cum Arianos refutauit, credas eum fauere Sabellio, cum Sabellium, Ario, cum Pelagium, Manichaeis, cum Manichaeos, Pelagio. Nec ipſe hoc diſſimulat; vt tamen, quae incautius dicta erant, emendare laboret, exemplo prorſus laudabili, omnibusque, qui ad certamina theologica accedunt, imitando. Intelligere quod diximus, licet ex *lib. I. retractat. c. IX. X. XV. XXII. tom. I. operum p. 8. 9. ſeqq.* item ex *libro de praedeſtinat. ſanctor. cap. III. tom. X. oper. p. 524.* Licet vero AVGVSTINVS, contra haereticos quoſdam diſputans, in alteram quodammodo partem inclinare videatur, parumque commode interdum ſit loquutus; mentem tamen ſententiamque ſanam integramque retinuit. Hoc, quod ad iſtam adcuſationem attinet, qua contra Arianos diſputando, ad Sabellium, & contra Sabellianos ad Arium declinaſſe dicitur, luculenter oſtendit HENR. NORISIVS, in *vindiciis Auguſtinianis, cap. V. §. V. p. m. 101.* An autem in certamine contra Pelagianos modum exceſſerit? deinceps disquiremus. Conferre iuuabit IO. FABRICII *diſſertat. de Scylla theologica*, quae in *amoenitatibus* eius *theologicis* exſtat, *cap. IX.* Nimis autem noſtri inſtituti eſſemus immemores, niſi de *methodo* conuincendi haereticos *Auguſtiniana*, quam nonnulli romanenſium iactitant, aliquid adderemus. HADRIANVS nimirum atque PETRVS, fratres DE WALENBVRCH, Roterodamo-Batau i, vt eccleſiae romanae, cuius ſacra, eiurata religione reformata, amplexi erant, fidem ſuam probarent; nouam conuertendi, conuincendique haereticos, quos vocant, inueniſſe rationem, ſibi viſi ſunt, quam, ne ἰσχύματι auctoritas deeſſet, *Auguſtinianam* vocarunt, ac ſi AVGVSTINO magiſtro eamdem didiciſſent, ideoque & libro ſuo, quem hac de re an. 1645 ediderunt, *methodi Auguſtinianae* nomen impoſuerunt. Egregium ſcilicet illud inuentum eo redit, deligendam primum viam defenſionis, negantiumque ſumendas partes, quoties cum aduerſariis congrediendum; cuius rei rationem partim ex iure & titulo praeſcriptionis petunt, partim ex eo, quod romanenſes, vt putant, a proteſtantibus adcuſentur, habeantque conditionem & iura reorum; deinde, viam probationis, quam vocant, ſedulo diligenterque declinandam, cum facilius ſit defendere, quam recte probare; tandem vt breuiſſimis cuncta conficiant, conſequentiarum vſum haereticis prorſus denegandum. Sapienter quidem ſatis,

 modo

modo non improbe. Quod ſi verum eſſet, AVGVSTINVM eadem methodo vſum, parum hoc ei eſſet honorificum; cum ea ſe non ingenuum diſputatorem, ſed iniquiſſimum ſophiſtam demonſtraſſet. Bene autem eſt, quod iam dudum viri doctiſſimi probarunt, non AVGVSTINI, ſed Donatiſtarum has artes, hasque μεθόδους fuiſſe. Ante WALENBVRCHIOS, RENATVM BENEDICTVM Andegauenſem, IO. CONTIERIVM, FRANC. VERONIVM, BARTHOLD. NIHVSIVM, hac arte, homines deludendi, vſos eſſe, conſtat, quos cum WALENBVRCHIIS IAC. MASENIVS aliique ſequuti ſunt. Sed iam pridem hoc negotium confecerunt ex noſtratibus BALTHAS. BEBELIVS, GEO. CALIXTVS, IO. CONR. DANHAVERVS, IOAN. MVSAEVS, & alii, de quibus alibi erit dicendi locus. IO. GEO. NEVMANNI diſſertationem, *de methodo Auguſtiniana* Wittebergae an. 1689 editam, ſupra iam laudauimus ad *c. III.* libri huius §. *XI.* vbi itidem de AVGVSTINO verba fecimus.

AVGVSTINO nunc iungimus HIERONYMVM, cuius varia exſtant ſcripta polemica, & apologetica, quae in *operum* eius *tomo quarto, parte ſecunda*, ex editione IO. MARTIANAEI, iunctim exhibentur. Suntque ex eorum numero: *de virginitate aduerſus Iouinianum libri duo; aduerſus eumdem Iouinianum ad Pammachium apologia; aduerſus defenſorem Iouiniani ad Domnionem; velitatio in errores Vigilantii ad Riparium presbyterum;* quae velut proludium aliquod fuit libri *aduerſus Vigilantium de vigiliis ad ſepulchra martyrum.* Huius porro loci eſt *liber de perpetua virginitate Mariae aduerſus Heluidium; ad Damaſum papam aduerſus Arianos, epiſtolae duae*, & *ad Marcum presbyterum aduerſus eosdem Arianos epiſtola;* vbi in priori *ad Damaſum* de voce ὑπόστασις differit, quam, cum non recte ab omnibus intelligeretur, ferre non potuit; *dialogus aduerſus Luciferianos, ſiue altercatio Luciferiani & orthodoxi; aduerſus haereſes Ioannis epiſcopi Hieroſolymitani ad Pammachium; aduerſus eumdem Ioannem Hieroſolymitanum ad Theophilum; de erroribus Origenis ad Pammachium, & Oceanum; apologiae aduerſus Ruffinum libri tres;* quibus adhuc ſcripta eius anti-Pelagiana accedunt; de quibus deinceps dicemus. In hiſce non magis ac reliquis HIERONYMI ſcriptis, nec ingenium, nec eruditionem deſideres; omnino autem animum moderatum atque manſuetum, & iuſtos adfectibus ponentem limites. Dum autem inconſulto feruori ſuo habenas laxat, atque naturae impetum ſequitur; ob cauſſas leuiſſimas maximos ſaepe excitat motus, conuiciis potius & ſarcaſmis non raro, quam rationibus pugnat, &, ad alterum procurrendo extremum, non minus a recto veritatis tramite deflectit, quam illi, quos refutandos ſibi ſumſit. Non male ingenium HIERONYMI, prout ex ſcriptis eius polemicis illud cognoſcitur, depinxiſſe mihi videtur IO. CLERICVS: *Primum igitur cauere ſibi debent, qui Hieronymum legere adgrediuntur, a declamatorio eius ſtilo, quo, quae vult laudare, ſine modo extollit; quae vero vituperare inſtituit, ita infamat, quaſi intoleranda plane eſſent. Ii, quibus fauet, nullas mediocres virtutes, quibus aduerſatus eſt, nulla modica vitia habuerunt. Opiniones, quas probauit, non tantum vera, ſed & maximi momenti dogmata fuere, quas vero reiecit, non quaſi hallucinationes duntaxat humano ingenio ignoſcendas, ſed vt grauiſſimas haereſes damnauit. Videre hoc licet in iis, quae ſcripſit in laudem Nepotiani, Aſellae, Marcellae, Bleſillae, Paullae, Euſtochii, Lucini, Fabiolae, Bonoſi & aliorum, in primo tomo editionum Eraſmi & Victorii. Omnes & viros & foeminas ita laudat, vt quamuis eorum virtutem in dubium minime reuocare velimus, attamen praeter modum laudatos facile ſentiamus. Contra, mihi lege, quae ſcripſit in Heluidium, Iouinianum, Vigilantium,*

tium, Pelagium & Ruffinum, atque alios, & facile intelliges, non maiorem modum in conuiciis, quam in laudibus ab eo eſſe ſeruatum. In tres praeſertim priores, qui coelibatum, aut abſtinentiam ab vſu matrimonii non magni faciebant, ita inuehitur, quaſi deterrima haereſi fuiſſent inquinati; itaque vrget neceſſitatem eorum, quae apud illos in pretio non fuiſſe, dixi, vt, ſi argumenta eius valeant, ſoli coelibes, aut in matrimonio inſtar coelibum viuentes, Deo grati eſſe poſſint. DESID. ERASMI Roterodamenſis, eadem ratione de HIERONYMO pronuntiantis, teſtimonio cum idem confirmaſſet, ita pergit: *At hoc eſt perpetuum fere incommodum in ratiocinationibus illis Hieronymianis; quod nimium probent; ac proinde ex legibus dialecticorum prorſus inanes ſint. Itaque argumenta, quae ſi firma eſſent, oſtenderent, illicitas eſſe nuptias, non demonſtrant, coelibem & caſtam vitam eſſe iis praeferendam; ſed vitioſa cum ſint, fruſtra proferuntur, & hoc vnum probant, cum, qui iis vtitur, aut imprudentem, aut data opera male ratiocinari; in quaeſtionib. Hieronymianis, quaeſt. VIII. §. XI. p. 233. ſeqq.* vbi & plura hunc in modum diſſerit, lectu non indigna. Si quis vero CLERICVM, ceu nimis rigidum patrum cenſorem, hac in re iudicem repudiet; ille GVIL. CAVEVM audiat, ad naeuos patrum excuſandos, eorumque decantandas laudes, longe proniſſimum. De HIERONYMO namque verba faciens, *praeferuidi*, inquit, *& impotentis erat animi, qui adfectibus ſuis nimis indulgebat; ſemel laceſſitus aduerſarios aſperrime tractauit, & ab inuectiua ac ſatyrica ſcribendi vena vix ac ne vix temperauit. Teſtes ſunt nobis ſatis luculenti, inimicitiae, quas cum Rufino olim ſibi neceſſario, Ioanne Hieroſolymitano, Iouiniano, Vigilantio, aliisque habuit. In hos arrepta leui quauis occaſione, & remota omni pene grauitate, tota conuiciorum plauſtra euomit; nulla perſonae, dignitatis, eruditionis habita ratione; hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. IV. p. m. 154.* Legiſſe quoque poenitebit neminem, quae PETR. DAN. HVETIVS de altercatione HIERONYMI & RVFFINI diſſerit; *Origenianor. lib. II. c. IV. ſect. I. §. X. ſeqq. p. 202. ſeqq.*

Vt reliqua, ad hiſtoriam theologiae polemicae huius aetatis ſpectantia, ſummatim complectamur; eundo per praecipuas haereſes, qui eas aut impugnarunt, aut propagando diſſeminarunt, paucis indicabimus. Atque de Arianis quidem iam antea dictum. Poſt eos cumprimis *Photiniani* commemorandi ſunt, cum Arianis ad diuinitatem Chriſti impugnandam conſpirantes, ſed iis adhuc deteriores, negantes quippe, ante Mariam exſtitiſſe Chriſtum, adeoque cum Samoſatenianis, ceterisque, qui Chriſtum nudum eſſe hominem cenſebant, paria facientes. Inter eos itaque, qui impium iſtum errorem ſcriptis conficere adgreſſi ſunt, DIODORVS Tarſenſis fuit, qui, vt auctor eſt THEODORETVS, *lib. II. de haeret. fab. cap. XI.* quatuor libris, aduerſus Photinum compoſitis, oſtendit, Chriſtum Deum ante ſaecula in vltimis diebus hominem factum eſſe, hominumque procuraſſe ſalutem. Non minus & AVDENTIVS, epiſcopus hiſpanus, Photini haereſin confutauit, quippe de quo GENNADIVS Maſſilienſis refert, ſcripſiſſe eum aduerſus Manichaeos, Sabellianos & Arianos, maxime vero contra Photinianos, *librum de fide aduerſum haereticos*, in quo oſtenderit, *antiquitatem filii Dei coaeternalem patri fuiſſe, nec initium deitatis tunc a Deo patre accepiſſe, cum de Maria virgine homo, Deo fabricante, conceptus & natus eſt; de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. XIV. p. m. 89.* Hiſce THOM. ITTIGIVS adiungit auctorem *quaeſtionum veteris & noui teſtamenti*, inter opera AVGVSTINI exſtantium, qui Photini argumenta ſubtiliter refutauerit, & Photinum tamquam adhuc viuentem adloquatur; vnde & de auctoris iſtius aetate iudicium ferri queat; in *hiſtoria Photini epi-*

ſcopi Sirmienſis & haereſiarchae, in *heptade diſſertationum*, *adpendici diſſertationis de haereſiarchis aeui apoſtolici &c.* ſubiuncta *§. XLVIII. p. 462.* Ipſe contra PHOTINVS, non ore ſolum, ſed calamo etiam, haereſin ſuam propagare conatus eſt. HIERONYMVS, praecipua inter eius ſcripta eſſe, dicit, *libros quos contra gentes & ad Valentinianum* ſcripſit; *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. CVII.* Graeci autem pariter ac latini ſermonis cum PHOTINVS peritus eſſet; vtroque in diſputando ac ſcribendo vſus eſt. Hoc VINCENTIVS Lerinenſis nos condocet, cui *vir* audit *& ingenii viribus valens, & doctrinae opibus excellens, & eloquio praepotens, quippe qui vtroque ſermone copioſe & grauiter diſputaret & ſcriberet*; *commonit. cap. XVI.* SOCRATES auctor eſt, ne in exilio quidem libros componere eum ceſſaſſe, & inter alia κατὰ πασῶν αἱρέσεων *contra omnes haereſes* ſcripſiſſe, & ſuum tantum dogma propoſuiſſe; *hiſtor. eccleſ. lib. II. cap. XXX. p. m. 126.* add. SOZOMENVS, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. VI. p. m. 544.* Scripta autem iſta Photini, eadem, quae pleraque haereticorum, experta ſunt fata, vt nihil eorum ad nos perueniret. Succedant itaque *Macedoniani*, ex ſemi-Arianis praecipue prognati, & ob impugnatam ſpeciatim ſpiritus ſancti diuinitatem in haereticorum claſſem relati. Contra eos ipſe in aciem prodiit ATHANASIVS, cuius *quatuor* exſtant *ad Serapionem*, Thmueos in Aegypto epiſcopum, epiſtolae, in quarum *prima*, *tertia* & *quarta* eum diuinitatem ſpiritus ſancti adſeruiſſe, ſupra iam obſeruauimus, cum de praeſtantiſſimo hocce veteris eccleſiae doctore ex inſtituto loqueremur. Primae, quae incipit: τὰ γράμματα τῆς σῆς ἱερᾶς διαθέσεως, γνησιώτατε, praeeunte DESID. ERASMO, in dubium vocat ANDR. RIVETVS *crit. ſacr. lib. III. cap. V. p. 267.* repugnantibus hodie viris doctiſſimis. Rectius inter ſpuria ATHANASII ſcripta referuntur *dialogi duo contra Macedonianos*, qui *tomo II.* operum eius *p. 261. ſqq.* exſtant, editionis, quae Coloniae an. 1686 prodiit. Sunt, qui eos, vti & alia quaedam, quae ſub ATHANASII nomine circumferuntur, MAXIMO confeſſori, qui ſaeculo ſeptimo vixit, tribuunt. ATHANASIO iungimus BASILIVM magnum, ob librum *de ſpiritu ſancto ad Amphilochium*, Iconii in Lycaonia epiſcopum, quem licet nonnulli, aut integrum, aut ſaltem poſtremam eius partem, praeeunte DESIDER. ERASMO Roterodamenſi, ab eo profectum, negent; renititur tamen, & quidem cum integro fere criticorum choro, IS. CASAVBONVS, *exercitat. XVI. ad annales Baronii num. XXXIII. & XLIII. pag. 459. & 490.* ſuffragantibus & praeter alios NAT. ALEXANDRO, *hiſt. eccleſiaſt. noui teſtament. ſaec. IV. cap. VI. artic. XIX.* & IO. ALB. FABRICIO *biblioth. graec. vol. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XIX. p. 50.* qui inter pulcherrima Baſilii monumenta eum referre non dubitat. Impugnauit etiam Macedonianos ipſe AMPHILOCHIVS, haud vltimis ſaeculi quarti ſcriptoribus adnumerandus, cuius tamen plurima perierunt ſcripta; inter quae etiam liber eſt *de ſpiritu ſancto, quod Deus, & quod adorandus, quodque omnipotens ſit*; quem AMPHILOCHIVM ſibi legiſſe, teſtatur HIERONYMVS, *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. CXXXIII.*

Praeter alios ſaeculi quarti haereticos, *Apollinariſtae* quoque eccleſiam turbarunt, ab APOLLINARIO, vel, vt alii vocant, APOLLINARI iuniori, viro ceteroquin ingenio & eruditione florente, & doctrinae orthodoxae, ſi ab iſta, in quam ipſe prolapſus eſt, haereſi diſcedas, ſtrenuo propugnatore, cuius inſigne etiam aduerſus PORPHYRIVM pro religionis chriſtianae veritate opus ſupra commendauimus, nomen adepti. Varii autem licet APOLLINARI tribuantur errores; praecipuus tamen eſt, quod, ſolum corpus ſine mente a Chriſto

Digitized by Google

Chriſto adſumtum, docuit. Certe hocce illud dogma eſt, cui genuini eius diſcipuli, VITALIS, IOBIVS, & VALENTINVS epiſcopi, adhaeſerunt. Huncce vero eorum errorem, praeter GREGORIVM Nazianzenum, in *orationibus ſeu epiſtolis duabus, ad Cledonium presbyterum aduerſus Apollinarium,* quae *tomo I. operum* eius *p. m. 737. ſeqq.* exſtant, cumprimis ſibi refutandum ſumſit GREGORIVS Nyſſenus, in libro *contra Apollinarium ad Theophilum,* epiſcopum Alexandrinum, qui & inter opera eius legitur, Pariſiis an. 1615 edita, *tomo II. p. 693. ſeqq.* & in *lectionibus antiquis* HENR. CANISII ex editione IAC. BASNAGII, *tomo I. pag. 190. ſeqq.* & cum aliis quibusdam eiusdem auctoris publicae luci expoſitus eſt a DAV. HOESCHELIO, Lugduni Batauorum 1593. 8. Sed idem GREGORIVS etiam ἀντιῤῥητικὸν πρὸς τὰ Ἀπολλιναρίου *antirrheticum aduerſus Apollinarium* ſcripſit, inſigne prorſus opus, quod primus e codice Vaticano antiquiſſimo euulgauit, cum verſione & notis, LAVR. ALEX. ZACAGNIVS, in *collectaneis monumentorum veterum eccleſiae graecae ac latinae &c. p. 123. ſeqq.* Licet autem GREGORIVS hicce Nyſſenus adcurate & erudite contra Apollinarem diſputet; ſubinde tamen ita loquitur, vt ipſemet a recto tramite, ac recepta eccleſiae doctrina, deflectere videatur. Hypoſtaticam namque diuinae & humanae naturae in Chriſto vnitionem μῖξιν *mixtionem,* σύμμιξιν *commixtionem,* σύγκρασιν *temperationem,* non modo in hocce opere, ſed paſſim in aliis ſcriptis ſuis vocat; praeterea cum de vtriusque naturae copulatione loquitur, humanam, vilem, abiectamque naturam, ita a diuina adſumtam dicit, vt ab huius immenſitate illam abſorptam, abolitam, atque exſtinctam fuiſſe, adfirmare videatur. Pari ratione & de Chriſti gloria poſt adſcenſionem in caelos adeo magnifice Nyſſenus alicubi loquitur, vt quiſpiam ſuſpicari poſſit, ipſum nullam humanae carnis ſubſtantiam, atque proprietatem in glorificato Chriſti corpore agnouiſſe. Sed haec omnia in mitiorem interpretari partem, & eximium huncce eccleſiae graecae doctorem ab erroris illius ſuſpicione, in quem poſtea lapſus eſt Eutyches, liberare adnititur, quem iam laudauimus ZACAGNIVS, in *praefatione, collectaneis monumentorum veterum &c.* praemiſſa, §. *XX. ſeqq.* Ad Apollinariſtas vt redeam, profligauit etiam eorum haereſin IOAN. CHRYSOSTOMVS, in notiſſima illa *ad Caeſarium monachum epiſtola,* cuius tantum exſtat verſio latina, quam praeter alios cum fragmentis graecis, & *diſſertatione de Apollinaris haereſi* edidit IAC. BASNAGIVS, Traiecti ad Rhenum an. 1687. 8. Multa equidem de fatis iſtius epiſtolae, & acerrimis virorum doctorum de illa exortis contentionibus, dici poſſent; ſed ſummatim ea iam expoſui in *inſtitutionib. theolog. dogmat. lib. V. cap. I.* ad §. *XXIII. p. 1587. ſeqq.* Recudi hancce *epiſtolam* CHRYSOSTOMI curauit IAC. BASNAGIVS, in *theſauro monumentor. eccleſiaſt. & hiſtoricor. ſiue Henrici Caniſii lectionibus antiqu. tomo I. pag. 233.* cum obſeruationibus ac notis SCIP. MAFFEII, & IO. HARDVINI; qui & *p. 229.* ad rationes MAFFEII reſpondit, quibus probare voluit, hanc epiſtolam non eſſe CHRYSOSTOMI. Addenda IO. ERH. KAPPII *diſſertatio de celeberrima ſancti Ioannis Chryſoſtomi epiſtola ad Caeſarium monachum, veritatis euangelicae contra pontificiorum transſubſtantiationem inſigni teſte,* quam occaſione nouiſſimae eius editionis, ab illuſtriſſimo marchione Veronenſi SCIP. MAFFEIO e codice Florentino euulgatae, conſcripſit, Lipſiae an. 1723. Denique & LEONTIVS Byzantinus, qui ſaeculo ſexto vixit, illis adhuc iungendus eſt, qui contra Apollinariſtas ſcripſerunt, ob *librum aduerſus fraudes Apollinariſtarum,* qui cum aliis eius opuſculis in HENR. CANISII *lectionibus antiquis* exhibetur, & quidem ex editione IAC. BASNAGII, *tom. I. p. 600.*

& in

Digitized by Google

& in *bibliotheca maxima patrum tomo IX. p. 707.* Scripta APOLLINARIS, ex quibus pauca admodum ad nos peruenerunt, enarrat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VII.* ſiue *lib. V. cap. XVI. p. 659. ſqq.* qui & fragmenta ſcriptorum, tum ipſius APOLLINARIS, tum ſectatorum eius, quae hinc inde exſtant, indicat, *volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXIII. p. 332.*

Nec praetermittendi hic ſunt *Maſſaliani*, quorum inter ſaeculi quarti haereticos haud ignotum nomen eſt; quos etiam *euchetas*, a continua oratione, *enthuſiaſtas*, & a praecipuo quodam huius ſectae doctore *Adelphianos*, aliisque nominibus adpellitatos, conſtat. Grauiſſimi illis tribuuntur errores, & facta turpia ac indecora; num eodem omnia iure? nonnulli dubitant. Quidquid eius ſit, zelum ingentem contra eos demonſtrauit LETOIVS, eccleſiae Melitinenſis epiſcopus, arma carnalia cum ſpiritualibus coniungens. Non tantum enim *epiſtolas* aduerſus eos ſcripſit; ſed cum multa monaſteria erroris illius labe infecta, cerneret, iniecto igne ea incendit. Quae, quin multis placeat tractandi theologiam polemicam ratio, non eſt, quod dubitemus. Namque & romanenſes hoc ſciunt, ferro & igne facilius interdum debellari haereticos, quam rationum momentis. Compoſuit & AMPHILOCHIVS Iconienſis, antea nobis iam commemoratus, librum *contra Maſſalianos*, quem THEODORETVS, *haeretic. fab. lib. IV. cap. XI.* laudat, quod hanc haereſin ἀκριβέστερον *accuratius* confoderit, (quam LETOIVS;) additque; ταῖς ὑπ' ἐκείνου πραχθεῖσιν ὑπομνήμασιν ἐντεθεικὼς αὐτῶν τὰς φωνάς, ἐναργῶς δηλούσας τοῦ δόγματος τὴν διαφοράν· *ipſa illorum verba actis a ſe confectis inſerens, quae dogmatis differentiam aperte declarant.* Id quidem recte: cum prima laus ſit theologi, contra haereticos pugnaturi, in mentem illorum adcurate inquirere, ideoque eorum verba integra, quantum fieri poteſt, non manca, non mutilata, proferre. De ſynodorum decretis & epiſtolis, quibus eadem haereſis condemnata fuit, nunc nihil dicam. Legendus de iis PHOTIVS, *cod. LII. pag. 38. 39.* vbi diligenter, quae ad hancce haereſin ſpectant, enarrat, ARCHELAVM, Caeſarcenſem in Cappadocia epiſcopum, *viginti quatuor* contra Maſſalianorum capita *anathematiſmos* ſcripſiſſe; HERACLIDAM autem Nyſſenum *duas* aduerſus illos compoſuiſſe *epiſtolas*, ibidem commemorat. EVTHYMII contra ZIGABENI adhuc equidem exſtat ἔλεγχος καὶ θρίαμβος, *victoria & triumphus de impia & multiplici execrabilium Maſſalianorum ſecta, qui & Phundaitae, & Bogomili, nec non euchitae, enthuſiaſtae, encratitae & Marcionitae adpellantur*, editus a IAC. TOLLIO in *inſignibus itinerarii italici pag. 106. ſeqq.* cum vero auctor iſte initio ſaeculi duodecimi ſub Alexio Comneno floruerit, & haecce *victoria* adpendix *panopliae* eius *dogmaticae* eſſe, a quibusdam credatur; de ea in ſequentibus plura dicemus. Scriptorum a Maſſalianis, aut pro iis editorum, vix memoria ſupereſt. ADELPHIVS tamen, quem ex praecipuis ſectae iſtius doctoribus fuiſſe, obſeruauimus, librum ediſſe fertur, *aſceticum* dictum, quem ſynodus Epheſina, vtpote haereſi iſta pollutum, anathemate percuſſit.

Superſunt in hocce ſaeculo *Donatiſtae*, de quibus adhuc agendum; ſchiſmaticis tamen potius, quam haereticis adnumerandi. Calamum contra eos praecipue ſtrinxit OPTATVS, Mileuitanae vrbis in Numidia epiſcopus, cuius hodie adhuc exſtant *de ſchiſmate Donatiſtarum libri VII.* oppoſiti Parmeniano, ſectae Donatiſtarum apud Carthaginem epiſcopo. In hocce opere totius ſchiſmatis originem & progreſſum exponit, Donatiſtarum mores depingit, & quae catholicis ab illis obiiciebantur, diluere adnititur. Anceps vtique, multisque periculis obnoxium eſt illud diſputationis ge-

genus, cum de moribus vtrimque aut prauis, aut honeſtis, diſquiritur. Et eiusmodi erat, quod inter Donatiſtas & orthodoxos feruebat certamen. Illi enim ſuam ſolum eccleſiam, *ſanctam* illam, quam credere oportet, labisque omnis ac maculae expertem, contendebant; eam, quae catholicorum ſeu orthodoxorum erat, ceu impuram & conſpurcatam reiicientes. Atrociſſima hinc non poterant non oriri odia, cum quiduis ſibi potius perſuaderi mortales patiantur, quam improbos eſſe mores ſuos. Eam itaque exprobrationem vt a ſe amoliantur, hanc demum promtiſſimam eſſe viam putant, ſi aduerſarios ſuos ſimilium aut grauiorum poſtulent vitiorum. Hinc ad crimina, flagitia, ſceleraque ſibi inuicem obiicienda, tota tandem conuertitur diſputatio, eo pernicioſior, quo difficilius tum adfectibus frenum iniicere poſſunt, qui in iſtud certamen deſcendunt; immo quo facilius mendacia & obtrectationes quaeuis adripiuntur, cum iis ad aliorum inſultus repellendos nobis indigere videmur. Iam ad ipſum OPTATI quod attinet opus, ſeptem quidem iſtud hodie conſtat libris; ſed de ſeptimo dubitant viri docti, an eiusdem ſit auctoris, praeſertim cum in reliquis non modo maior ſit ſtyli elegantia, ſed in eo contraria nonnumquam dogmata adferantur. Accedit, quod HIERONYMVS non niſi ſex libros ab OPTATO ſcriptos memoret, *de ſcriptor. eccleſiaſtic. cap. CX.* Editi ſaepius ſunt iſti OPTATI libri, ſed adcuratiſſime a LVD. ELL. DV PIN, qui & ſuas, & GABR. ALBASPINAEI, & MERICI CASAVBONI, & C. BARTHII, & aliorum notas adiecit, Antwerpiae an. 1702. fol. OPTATVM hic merito excipit AVGVSTINVS, cui perpetuum ferecum Donatiſtis fuit certamen. Scripta autem, quæ Hipponenſium iſte præſul Donatiſtis oppoſuit, quaeue a monachis Benedictinis *tomo nono* operum eius iunctim exhibentur, haec ſunt: *pſalmus contra partem Donati*, ordine alphabetico diſpoſitus, cuius initium:

Abundantia peccatorum ſolet fratres conturbare;
Propter hoc dominus noſter voluit nos praemonere &c.

contra epiſtolam Parmeniani libri tres; de baptiſmo contra Donatiſtas libri ſeptem; contra litteras Petiliani libri tres; quorum primo partem epiſtolae Petiliani, cum integram nactus nondum fuiſſet, & ſecundo integram Petiliani epiſtolam inſeruit, & reſponſione ſua interſertis ipſius Petiliani verbis, confutauit, tertio autem, quae Petilianus ad librum primum regeſſerat, diſcuſſit; *epiſtola ad catholicos contra Donatiſtas, vulgo de vnitate eccleſiae liber vnus*, de quo tamen libro, an recte AVGVSTINO tribuatur, viri docti dubitant, idque non ſine ratione fieri, monachi Benedictini in *admonitione* ei praemiſſa *pag. 227.* oſtendunt; *contra Creſconium grammaticum Donatiſtam libri quatuor; de vnico baptiſmo contra Petilianum; breuiculus collationis cum Donatiſtis; poſt collationem ad Donatiſtas liber vnus; ſermo ad Caeſareenſis eccleſiae plebem, Emerito praeſente, dictus; de geſtis cum Emerito liber vnus; contra Gaudentium Donatiſtam epiſcopum libri duo*, quorum priori duas Gaudentii epiſtolas ad Dulcitium ita refutat, vt ipſis Gaudentii verbis adpoſitis ſuam ſtatim ſubiungat reſponſionem, poſteriori autem, quae Gaudentius contra hanc AVGVSTINI lucubrationem exceperat, refellit; *ſermo de Ruſticiano ſubdiacono a Donatiſtis rebaptizato, & in diaconum ordinato*, de quo tamen iterum Benedictini, an AVGVSTINI ſit? dubitant, *pag. 459.* Librum *contra Fulgentium Donatiſtam*, quem in *adpendicem* reiecerunt, ſpurium eſſe, & AVGVSTINVM auctorem non agnoſcere, poſitum hodie eſt extra controuerſiam. Scripta AVGVSTINI Donatiſtis oppoſita, quae perierunt, itemque epiſtolas huc ſpectantes, diligenter recenſet THOM. ITTIGIVS, in *hiſtoria ſchiſmatis Donatiſtarum*, quae exſtat in *heptade diſſertationum*,

num, *adpendici diſſertationis de haereſiarchis aeui apoſtolici* ſubiuncta, *§. CXIV.* & *CXVI. pag. 324. ſeqq.* Nec defuerunt ſibi Donatiſtae, quin potius variis ſcriptis cauſſam ſuam egerunt, quae tamen eadem, quae aliorum haereticorum, experta ſunt fata. Ipſe DONATVS, vt HIERONYMVS auctor eſt, *de ſcriptorib. eccleſiaſt. c. XCIII.* non ſolum librum *de ſpiritu ſancto*, Ariano dogmati fauentem, ſed multa alia, ad ſua placita propaganda ſpectantia, concinnauit, quae tamen iam pridem interciderunt. TICHONII, qui in quibusdam ab aliis Donatiſtis diſſentit, & ad quem PARMENIANVS epiſtolam ſcripſit, vt eum a ſententia ſua reuocaret, meminit GENNADIVS, ita vt eius in diuinis pariter ac ſaecularibus litteris peritiam commendet, & ſcripta eius recenſeat; de *ſcriptorib. eccleſiaſt. c. XVIII.* Ex his hodie ſolum ſuperſunt *regulae pro inueſtiganda ſcripturarum intelligentia*, quae in *bibliothecis patrum* exſtant quasue AVGVSTINVS ſub examen reuocat, *lib. III. de doctrina chriſtiana cap. XXX.* Sunt &, qui putant, commentarium in *apocalypſin* ſub AVGVSTINI nomine inter huius opera editum, illi tribuendem eſſe. Conferenda, quae de vtroque & DONATO & TICHONIO, itemque de reliquis Donatiſtis, MACROBIO, VITELLIO, PARMENIANO, PETILIANO, CRESCONIO, GAVDENTIO obſeruat THOM. ITTIGIVS, *l. c. §. LXXIII. XCVI. CVI. ſeqq. p. 295. 312. 319. ſeqq.*

Non tantum autem aduerſus haereticos huius ſaeculi, ſed & aduerſus gentiles atque Iudaeos, variis ſcriptis pugnatum fuit. ATHANASII, EVSEBII ac AVGVSTINI quae huc comparata ſunt, iam commemorauimus. Quae GREGORIVS Nazianzenus atque IO. CHRYSOSTOMVS contra Iulianum ſcripſerunt, ſupra itidem iam attigimus, cum de illis, qui philoſophorum gentilium contra chriſtianos calumnias repulerunt, verba faceremus. Exſtat vero etiam eiusdem CHRYSOSTOMI ἀπόδειξις, ſiue *demonſtratio aduerſus Iudaeos & gentiles, quod Chriſtus ſit Deus, ex iis, quae multis in locis de eo dicta ſunt apud prophetas, tom. V. operum p. 735. ſeqq.* itemque *liber ad eos, qui ſcandalizati ſunt ob aduerſitates, quae contigerunt, populique & multorum ſacerdotum perſequutionem ac peruerſionem, & de incomprehenſibili, & aduerſus Iudaeos ibid. p. 766. ſeqq.* Nec praetermittendae eiusdem *homiliae*, ſiue *orationes ſex, aduerſus Iudaeos, tom. I.* operum *p. 383. ſeqq.* Addendus his GREGORIVS Nyſſenus, in *tractatu aduerſus Graecos* ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν *ex communibus notionibus tom. I. oper. p. 914. ſeqq.* itemque BASILIVS Seleucienſis in *demonſtratione contra Iudaeos de ſaluatoris aduentu*, in *operibus* eius cum GREGORII thaumaturgi, & MACARII operibus iunctim Pariſiis an. 1622. fol. editis, *p. 194. ſeqq.* vt & in HENR. CANISII *lectionibus antiquis tomo I. p. 240. ſeqq.* ex editione IAC. BASNAGII, qui & in *animaduerſione*, eidem praemiſſa, *mirum*, inquit, *nobis videtur, talem virum, Iudaeorum conuerſioni laborantem, argumentorum theologicorum loco fabulas propinare, vt de cranio Adami &c. p. 239.* Cumprimis autem hic locum ſibi vindicat ARNOBIVS, cuius *libri ſeptem aduerſus gentes* tum alias, tum & *cum recenſione viri celeberrimi* (CLAVDII SALMASII) *& integris omnium commentariis*, Lugduni Batauorum anno 1651. 4. prodierunt. Adcuratam operis huius analyſin, cum variis in illud obſeruationibus, tradit NICOL. LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, tomo II. diſſertat. II. p. 257. ſeqq.* Summam quoque eius exhibet HOVTTEVILLAEVS abbas, in *diſcurſu hiſtorico & critico de methodo praecipuorum auctorum, qui pro & contra chriſtianiſmum ſcripſerunt*, praemiſſo eiusdem libro: *la religion chretienne prouvée par les faits, p. 56. ſeqq.* L. CAECILII LACTANTII FIR-

MIANI

MIANI *diuinarum inſtitutionum libros ſeptem* rectius huc referri, quam ad ſcripta dogmatica, iam ad *cap. praeced. §. VII.* obſeruauimus, vbi de iis ex inſtituto verba fecimus. Analyſin eorum, cum variis in eos obſeruationibus, itidem apud NIC. LE NOVRRY legere licet, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, diſſert. III. p. 571. ſeqq.* Conferendus & HOVTTEVILLAEVS, *l. c. p. 62. ſeqq.* IVLII porro FIRMICI MATERNI liber *de errore profanarum religionum* non ignotus eſt, ſaepiusque cum alias, tum & cum eruditis IO. WOWERII notis editus. Magno zelo chriſtianorum cauſſam contra gentiles agit, & imperatores, vt prorſus gentilium ſacra exſtirpent, adhortatur. Inter poëtas huius ſaeculi chriſtianos, iis, qui pro chriſtianis contra gentiles pugnarunt, acceſſit COMMODIANVS, cuius *inſtructiones aduerſus gentium deos, pro chriſtiana diſciplina, primum in Germania editae, recognitae & auctae acceſſione diſſertationis Henrici Dodwelli de aetate Commodiani*, cum praefatione HENR. LEONH. SCHVRTZFLEISCHII prodierunt Wittebergae an. 1705. 4. Sed & PAVLINVS Nolanus inter chriſtianos huius ſaeculi poëtas celebre nomen conſequutus eſt, cuius itidem exſtat *poëma*, in quo primum in Iudaeos, tum in gentiles fertur, horumque numina, variam philoſophiam, erroresque plurimos, notat, cum notis erudititſſimis editum a LVDOV. ANT. MVRATORIO, *anecdot. tomo I. p. 113. ſeqq.* Denique & inter ſcriptores ſaeculi quarti referri ſolet HIERONYMVS quidam, theologus graecus, etſi de aetate, qua vixerit, dubitetur, cuius ad nos peruenit *colloquium cum Iudaeo*, quod integrum exhibet IO. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXIV. p. 384. ſeqq.* Et hi quidem, ni fallor, praecipui ſunt, quorum hic a nobis mentionem faciendam exiſtimaui.

In quinto poſt Chriſtum natum ſaeculo, ſi ab AVGVSTINO & HIERONYMO, qui & finem quarti illuſtrarunt, & de quibus adeo iam dictum, diſcedas, primo loco inter ſcriptores polemicos nobis occurrit VINCENTIVS Lerinenſis, quippe qui *pro catholicae fidei antiquitate & vniuerſalitate aduerſus profanas omnium haereſeon nouationes commonitoria duo* edidit, quae velut compendium aliquod theologiae polemicae exhibent. Scripſit ea tertio, vt ipſe ait, poſt concilium Epheſinum anno, aerae videlicet chriſtianae 434, hoc eſt, quarto poſt AVGVSTINI obitum. Subinde duplex hocce commonitorium a FILESACO, STEPH. BALVZIO, GEORG. CALIXTO editum eſt, & ab hoc quidem cum AVGVSTINI *libris quatuor de doctrina chriſtiana, & de fide & ſymbolo libro vno*, primum an. 1639, & deinde iterum 1655. GENNADIVS Maſſilienſis praeclare admodum de VINCENTIO ſentit. *Vincentius*, inquit, *natione Gallus, apud monaſterium Lerinenſis inſulae presbyter, vir in ſcripturis ſanctis doctus, & notitia eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus, compoſuit ad euitanda haereticorum collegia, nitido ſatis & aperto ſermone, validiſſimam diſputationem, quam abſconſo nomine ſuo titulauit; Peregrini aduerſus haereticos. Cuius operis quia ſecundi libri maximam in ſchedulis partem a quibusdam furatam perdidit, recapitulato eius paucis ſermonibus ſenſu priſtino compegit, & vno in libro edidit; de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LXIV.* Eadem fere repetit HONORIVS Auguſtodunenſis, de *ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LXIII.* Quod autem GENNADIVS dixit, VINCENTIVM, cum maximam ſecundi commonitorii partem furto amiſiſſet, eius loco recapitulationem inſtituiſſe; in eo illum falli, contendit GEORG. CALIXTVS in *prooem. ad lector. p. 25.* Poſterius namque *commonitorium*, quod multa, ad hiſtoriam concilii Epheſini facientia, continuerit, omnino periiſſe; tria autem, quae

 ſuper-

ſuperſunt, capita, ſummam & primi & ſecundi commonitorii complexa, non poſt factam demum iacturam adiecta eſſe, ſed reliquis interlapſis, ſola remanſiſſe; quod ex adcurata libri lectione ſtatim pateat. Ceterum, quod ad rem ipſam attinet, in eo totus eſt VINCENTIVS, vt traditionem eccleſiae catholicae, ceu certiſſimam controuerſiarum normam, rationemque tutiſſimam, haereticos refellendi, commendet. Hinc ſtatim *cap. I. commonitorii primi* docet, fidei integritatem auctoritate ſcripturae & eccleſiae catholicae traditione, conſeruari; & *cap. II.* ad retundendam haereticorum in torquendis ſcripturis peruerſitatem, conducere traditionem; porro *cap. III.* traditionem vniuerſitate, antiquitate & conſenſione niti. Quae doctrina cum romanenſibus, nihil niſi traditiones crepantibus, non poſſit non longe eſſe gratiſſima; mirum non eſt, quod VINCENTIVM, atque huncce eius librum, laudibus in caelum euehant. Ita namque CAES. BARONIVS, ad *martyrologium romanum*, de eo pronuntiat: *Vincentius aureo plane opuſculo fidem catholicam egregie teſtatam reliquit, quo cum omnes haereſes, tum maxime haereſin Pelagianam cum auctoribus ſuis impugnat.* Et alibi: *Quam mira fuerit Vincentii eruditio, libellus ipſius oſtendit, vt vix ſit reperire, qui paucioribus chartis maiora & feliciori tractatu concluſerit &c.* in *annalib. ad annum 434.* Sic & FRANCISCVS SIXTVS Senenſis, cum in eos, qui antiquitatem contemnunt, inuectus eſſet, *quam miſere*, inquit, *fallantur, luculentiſſime demonſtrauit, ſanctiſſimus atque inter patres, qui ante mille ac ducentos fere annos floruerunt, doctiſſimus ac diſertiſſimus Vincentius Lerinenſis, edito libello vere aureo, quem omnes catholicae veritatis amatores aſſidua verſare manu deberent, ceu enchiridion, ſeu militarem pugiunculum aduerſus profanas omnium haereſeon nouationes; bibliotb. ſanct. lib. VI. annotat. CIV.* His, ſi neceſſe eſſet, & alia adhuc addi poſſent. Nec negandum, eruditionem minime contemnendam in hocce VINCENTII ſcripto deprehendi. Quo nomine & a noſtrae eccleſiae doctoribus interdum laudatur. Centuriatores Magdeburgenſes magnifice admodum de eo ſentiunt: *Quod ſi quis diligentius penſitabit, dicet, ſcriptum eſſe eruditum, & acutum, quodque haereticorum fraudes clare in apertum producat, detegat atque egregie impugnet; quin & praeſens valde remedium, & antidotum quaſi contra eorumdem venena, miniſtret; in quo ipſius ſcriptoris vis ingenii elucet, & doctrinae ipſius magnitudo; centur. V. cap. X. p.m. 776.* Quam eruditionis & ingenii laudem VINCENTIO neutiquam inuidemus. Ea vero, quam nobis proponit, conuincendi haereticos ex traditione ratio, impedita nimis, incerta, dubia, ſalebroſa eſt. Et cur ad traditiones, in quibus inueſtigandis poſt infinitos labores non tamen inuenies, vbi pedem figas, nos recipiamus, cum breuiori tutiorique via idem efficere liceat, ſcripturae ſcilicet ſacrae auctoritate ac teſtimoniis? Hanc ſolam, vt indubiam, ita ad controuerſias quaſuis ſufficere, agnouere patres, VINCENTIO multum antiquiores. Cum inter AVGVSTINVM & HIERONYMVM controuerſia circa expoſitionem capitis ſecundi *epiſtolae ad Galatas*, exorta eſſet, & HIERONYMVS graecorum quorumdam ſcriptorum auctoritatem AVGVSTINO obiiceret; hic ita reſpondet: *Ego fateor caritati tuae, ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam canonici adpellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid errasſe, firmiſſime credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non adſequutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrinaque prae-*

praepolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliud exiſtimo &c. epiſt. ad Hieronymum, quae eſt *XIX.* aut, ſecundum recentiorem diſpoſitionem monachorum Benedictinorum, *LXXXII. tom. II. p. 143.* Recte omnino atque praeclare. Si vero nullum cuiusdam ſcriptum occurrit, quod omnis erroris expers credendum; quae tandem vis aut efficacia erit traditionis; Idem & iam antea obſeruauimus, cum de AVGVSTINO verba faceremus, conſtitutum huic Hipponenſium praeſuli prorſus fuiſſe, ſcripturae potius auctoritatem, quam traditionem ſequi. Ad VINCENTIVM noſtrum vt redeamus, recte de eo IO. DALLAEVS pronuntiat, eum id inprimis optaſſe, vt apud patrum tribunal omnes de religione controuerſiae iudicarentur, idque vt impetraret, omnibus modis contendiſſe, quo eorum de rebus diuinis iudicium infallibile cenſeretur. *Atqui tota*, inquit, *iſtius in hoc argumento oratio ſic aeſtuat, ſic anxia, ſic perplexa eſt, vt ſatis adpareat, hominem id, quod cupiebat, ſenſiſſe ac vidiſſe, ipſum a vero alienum eſſe. Tam ſollicite enim propoſitionem ſuam circumſcripſit, vt ſi in patrum ſententiis vere inueniantur conditiones, quaſcumque iſte requirit, vix putem quemquam fore adeo cautum ac ſuſpicacem, qui in eorum ſententia, his quidem legibus, non conquieſcat. Sed ex alia parte, quas Vincentius iſte ad hoc, vt patribus tuto credamus, exigit conditiones eas in vnum concurrere, vſque adeo difficile eſt, vt nulla ſpes ſit, haec vmquam, quae ipſe fingit, exempla, in rebus humanis repertum iri.* Quae omnia copioſe ediſſerit DALLAEVS, atque ante oculos ponit, *de vero vſu patrum lib. II. cap. II. p. m. 227.* Et ſane, quando VINCENTIVS illorum tantum vult adhiberi, ad decidendas controuerſias, teſtimonia, qui non ſolum vixerint, ſed etiam docuerint, & quod maius eſt, permanſerint in fide, atque adeo in communione catholica, immo qui vixerint & docuerint *ſancte, ſapienter, conſtanter*; manifeſtum eſt, ex omni antiquitate ne vnicum quidem doctorem proferri poſſe, de quo non quamplurima ſtatim ſuboriantur dubia, an is ad teſtimonium perhibendum hac ratione aptus ſit? Iam, cum porro aut omnium, aut plerorumque, qui ita comparati fuerint, conſenſum ad traditionem requirat; quis non videt, ponere eum aliquid, quod ſit ἀδύνατον? Cum enim vix de vno alteroue hoc conſtare queat; quis certus erit, omnes aut pleroſque, quorum conſenſus requiritur, ad teſtimonium dicendum eſſe idoneos? *Sic ſolent*, inquit iterum DALLAEVS, *pueri ludere, dum te negant moriturum, ſi modo cibum ſemper ſumſeris, l. c. p. 228.* GEORGIVS equidem CALIXTVS, vir cetera longe doctiſſimus, operoſe id agit, in *prooemio ad lectorem p. 28. ſeqq.* vt ſententiam VINCENTII explicet ac defendat. At valde vereor, ne irritus ac ſuperuacaneus ſit omnis iſte labor. Inſuperabiles enim ſunt, quae traditiones premunt, difficultates. Sed id nunc non agimus. Indicare potius iuuat, qua demum ductus cauſſa VINCENTIVS hanc viam, haereticos conuincendi, propoſuerit? Obſeruatum iam pridem viris doctis eſt, VINCENTIVM ſemi-Pelagianis, qui eo tempore in Galliis AVGVSTINI memoriam proſcindebant, haud obſcure fauere. Adparet id ex *commonitor. II. cap. vlt. p. 268* vbi, tacitis licet nominibus, innuit, quae PROSPER & HILARIVS apud COELESTINVM, de Gallorum Maſſilienſium nouitatibus criminati fuiſſent, ea falſa fuiſſe, & Gallis per calumniam afficta. Haud dubie etiam earum aduerſus AVGVSTINVM obiectionum auctor fuit, quas PROSPER Aquitanus refutat, & ab eo *Vincentianas* vocat. Augent ſuſpicionem laudes, qui-

Digitized by Google

bus VINCENTIVS noſter cumulatur a GENNADIO Maſſilienſi, antea iam a nobis relatae; quem in eadem fuiſſe ſecta, conſtat, & vel ex eo patet, quod RVFFINVM, haud vltimum ex Pelagianae haereſeos propagatoribus, tanti fecerit, vt eum *non minimam partem doctorum eccleſiae* vocet, & HIERONYMVM contra, eius aduerſarium, tamquam inuidum & calumniatorem criminetur; ne quid de eo dicam, quod animum iniquiſſimum erga AVGVSTINVM prodat, dum illud Salomonis: *in multiloquio non effugies peccatum*, illi adcommodat, polygraphiam eius ſugillans. Legi iſta poſſunt apud GENNADIVM, de *ſcriptorib. eccleſiaſtic. cap. XVII. & XXXIX.* Sed quid multis hic opus eſt verbis; cum hodie viri doctiſſimi in eo conſentiant, in ſemi-Pelagianorum numerum VINCENTIVM referendum eſſe, & maximopere falli CAES. BARONIVM, dum ex eo illum eximere voluit, in *annalib. ad an. 326.* Horum enim cohorti diſerte eum adſcribunt NAT. ALEXANDER, atque HENR. NORISIVS, ille *hiſtor. eccleſ. noui teſtam. ſaec. III. p. 52.* hic autem *hiſtor. Pelag. lib. II. cap. XI. p. 155. ſeqq.* Ipſum hocce, de quo loquimur, commonitorium in odium AVGVSTINI ſub ficto nomine *Peregrini*, in gratiam ſemi-Pelagianorum ſcriptum eſſe, docet GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. X.* & agnoſcit CORNEL. IANSENIVS, epiſcopus Iprenſis, de *haereſi Pelagiana cap. XVII.* atque ANDR. RIVETVS, *crit. ſacr. lib. IV. cap. XXIV.* Is ergo cum fuerit VINCENTIVS; non eſt mirandum, quod tanti faciat patrum iudicia, quorum quippe auctoritate vel maxime Pelagiani ac ſemi-Pelagiani nitebantur. Qui enim ante haec certamina ſcripſerunt, eccleſiae praeſertim graecae doctores, incaute multa de viribus liberi arbitrii dixerant, quae deinceps in rem ſuam vertentes Pelagiani, patrum iſtorum auctoritate compeſcere aut obruere omnino orthodoxos adnitebantur. Vnde &, quam ſollemne ſit methodum theologiae polemicae, cauſſae, quam quisque defendendam ſuſcepit, adcommodare, patet quam luculentiſſime. Ceterum inter latinos theologiae polemicae ſcriptores VINCENTIO iungendus eſt ipſe GENNADIVS Maſſilienſis, iam antea nobis memoratus. Hic namque de ſe ipſo pronuntiat: *Ego Gennadius Maſſiliae presbyter ſcripſi aduerſus omnes haereſes libros octo, & aduerſus Neſtorem* (Neſtorium) *libros ſex, & aduerſus Pelagium libros tres, & tractatus de mille annis, & de apocalypſi beati Ioannis, & hoc opus, & epiſtolam de fide mea miſi ad beatum Gelaſium, vrbis Romae epiſcopum; de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. C.* Ex hiſce libris *octo* iſti *aduerſus haereſes*, item quos *contra Neſtorium & Pelagium* ſcripſit, vt & reliqui perierunt, excepto libro *de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, itemque *epiſtola*, quam vocat, *de fide*, ſeu *de dogmatibus eccleſiaſticis libro*, *ad Gelaſium papam miſſo*. Et huncce quidem, qui omnino GENNADII eſt, falſo AVGVSTINO tribui, iam ante octingentos, & quod excedit, annos, monuit clerus Lugdunenſis, & hodie omnes agnoſcunt; conferendus AVBERTVS MIRAEVS, ad *Gennadii l. c.* Licet autem ſupra iam *cap. praeced.* ad *§. VII.* de hocce libro ex inſtituto dictum ſit; inter ſcripta tamen polemica eum quoque quodammodo referendum, inde colligas, quod dogmatibus eccleſiae catholicae, errores & nomina diſſentientium ſubiiciantur. Semi-Pelagianum fuiſſe GENNADIVM, ex rationibus antea adlatis patet; quod & pluribus confirmat HENR. NORISIVS, *hiſtor. Pelagian. lib. II. cap. XVI. p. 187. ſeqq.* & in *adpendice diſſertationis de ſynodo quinta cap. IV. p. 118.* Et iſti quidem inter Latinos praecipui ſunt, qui hocce ſaeculo polemica tractarunt; niſi adhuc PAVLVM OROSIVM, gente Hiſpanum, presbyterum Tarraconenſem, addere velis, cuius quippe exſtant

ſtant *hiſtoriarum aduerſus paganos libri VII.* quibus gentilium calumniam, Romae vrbis direptionem, ab Alarico factam, chriſtianae imputantium religioni, refellit, itemque *apologeticus contra Pelagianos de arbitrii libertate*; & denique *commonitorium ſiue conſultatio ad ſanctum Auguſtinum de errore Priſcillianiſtarum & Origeniſtarum.* Reliquos, qui minoris momenti ſunt, mitto.

Inter Graecos cumprimis occurrit THEODORETVS, vir magni inter veteris eccleſiae doctores nominis, qui non ſine ratione nonnullis *haereticorum impugnator acerrimus* audit. Nec in vno theologiae genere eum eminuiſſe, ſcripta eius docent. Ad noſtrum inſtitutum praecipue ſpectant *haereticarum fabularum libri quinque*, tum ſeorſim, tum & cum reliquis THEODORETI ſcriptis, ſaepius editi. In horum namque quatuor prioribus non tantum recenſet haereſes, ſed & breuiter refutat, immo indicat, quinam eccleſiae doctores hanc vel illam haereſin confutauerint; in quinto autem θείων δογμάτων ἐπιτομὴν ſiue compendium aliquod ſacrae doctrinae, haereticorum erroribus oppoſitum, exhibet. Rectius itaque ad theologiam polemicam, quam hiſtoriam eccleſiaſticam, opus hoc referri, ad *capitis praecedentis §. V.* obſeruauimus. *Libri quarti caput duodecimum*, in quo THEODORETVS de Neſtorio agit, neutiquam ſpurium ac ſuppoſititium eſſe, vt IO. GARNERIO ac GVIL. CAVEO viſum, cum LVD. ELL. DV PIN, & THOMA ITTIGIO, pronuntiat, probatque IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. cap. XI. p. 437.* Singularis eſt obſeruatio IOAN. GARNERII, e ſocietate Ieſu theologi, cuius curae & ſtudio quintum THEODORETI operum tomum, quem poſt eius obitum IO. HARDVINVS anno 1684 publicae luci expoſuit, debemus, in libris *haereticarum fabularum* id agere THEODORETVM, vt occulte & callide fontes oſtendat, ex quibus CYRILLI capitula, Neſtorio oppoſita, ortum ſuum traxiſſe, cenſuit, iisque adeo pro more ſuo inuidiam faciat. Idem namque & in *hiſtoria eccleſiaſtica* conſtitutum fuiſſe THEODORETO, putat, vt in Ario, Eunomio, Apollinari, & Macedonio, CYRILLVM eiusque adſeclas traduceret, in Athanaſio & Chryſoſtomo Neſtorium commendaret, & vbique ſub alienis nominum inuolucris mera quaſi myſteria artificioſe occultaret, idque non incertis indiciis deprehendi poſſe, opinatur; in *hiſtoria Theodoreti cap. XII. §. III. p. 143.* item *de libris Theodoreti*, ſiue *diſſertat. II. §. II. num. XX. p. 193.* & *cap. VI. §. II. num. X. p. 245.* Sane Neſtorii partibus addictum fuiſſe THEODORETVM, conſtat, quamquam deinceps in concilio Chalcedonenſi mentem mutaſſe credatur, niſi hoc ita capere velis, quod nonnulli faciunt, eum errorem, qui Neſtorio tribuebatur, non adprobaſſe, exiſtimaſſe autem, eius perperam Neſtorium adcuſari; adeoque hunc plane innocentem eſſe. Neſtorium ſane ab eo defenſum, tum *reprehenſio* eius *duodecim anathematiſmorum*, *ſeu capitum Cyrilli*, tum alia ſcripta, ab eo in hac cauſſa edita, teſtantur. Suſpicio quoque, ac ſi ipſemet erroribus Neſtorii imbutus fuerit, apud multos permanſit, grauiſſimosque in eccleſia motus excitauit. Interim coniectura GARNERII infirmo admodum, aut potius nullo fundamento nititur, quod & recte THOM. ITTIGIO obſeruatum, in *praefat. ad ſelect. capita hiſtor. eccleſ. ſaeculi ſecundi p. 8. ſeqq.* Sed commemorandi hic porro *de curandis Graecorum adfectionibus libri duodecim*, ſiue θεραπεία ἑλληνικῶν παθῶν, Iuliano imperatori oppoſiti. Cum vero & CYRILLVS Alexandrinus contra Iulianum ſcripſerit; IO. GARNERIVS vtriusque & THEODORETI & CYRILLI comparationem hunc in modum inſtituit: *Quis cui praeſtet e duobus tractatoribus, le-*

ctorum

ctorum eſto iudicium. Artis certe minus habet Cyrillus, plus Theodoretus: ille enim ad ſingulas Iulianaei libri περικοπὰς *reſponſionem ſubiungens, hominem preſſis veſtigiis etiam euagantem ſequitur: iſte collectis in concinnum ordinem Iuliani obiectionibus, ſingulas ita repellit, vt corpus inde duodecim partibus efflorefcens conficiat.* Addit: *Tantum porro doctrinae, praeſertim externae, aduerſus hominem, qui inſcitiae chriſtianos adcuſabat, a Theodoreto adducitur, vt Sylburgius recenſitis curioſe auctoribus, qui nominatim adpellantur, centum & nouem praeter ſacros enumrauerit;* de *libris Theodoreti* ſiue *diſſertat. II. cap. VI. §. IV. num. XVII. XVIII. p. 248.* Gallice verſos hoſce THEODORETI *de curandis Graecorum adfectionibus* libros exhibet MICH. MOVRGVES, in opere alias nobis iam laudato, inſcriptoque: *plan theologique du Pythagoriſme &c. tomo II.* ROBERT. COCVM, atque ANDR. RIVETVM, qui opus hoc pulcherrimum THEODORETO adiudicatum iuere, nullo modo audiendos, recte IO. ALB. FABRICIVS pronuntiat, qui & *Theodoreti eruditione digniſſimum* illud vocat; *bibliothec. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. cap. XI. p. 438.* Praeter haec & alia, quae huius loci ſunt, THEODORETVS ſcripſit, & in cauſſa Neſtoriana quidem ἀνατροπὴν illam τῶν δώδεκα κεφαλαίων ἢ ἀναθεματισμῶν Κυρίλλου *reprehenſionem duodecim capitum ſiue anathematiſmorum Cyrilli*, antea nobis memoratam, quae *tomo IV. operum* eius *p. 706. ſeqq.* exhibetur; item πενταλόγιον ἐνανθρωπήσεως ſiue *libros de incarnatione*, aduerſus concilium Epheſinum & CYRILLVM, quorum tantum fragmenta quaedam exſtant, *tomo V. operum,* ſiue in *auctario* IO. GARNERII, *p. 40. ſeqq.* & alia quaedam. Pari ratione & *aduerſus Marcionem*, item *aduerſus Origenem*, rurſus *aduerſus Iudaeos*, ſcripta quaedam compoſuit, quae cum aliis eiusdem generis perierunt. *Dialogi* autem iſti *ſeptem, aduerſus Arianos, Macedonianos, & Apollinariſtas*, quos IO. GARNERIVS *p. 273. ſeqq.* ſiſtit, & THEODORETO in diſſertatione, iis praemiſſa, vindicat, alias inter ATHANASII opera edi ſolent, & a quibusdam MAXIMO confeſſori tribuuntur, vt ſupra iam obſeruauimus. Generatim de THEODORETO, eiusque ſcriptis, praeſertim polemicis, ita ſentit IO. GARNERIVS, vt in eo pietatem, & morum innocentiam, opum, aliarumque rerum humanarum contemtum, ingenium porro capax, felicem memoriam, indefeſſum litterarum ſtudium, ſtupendam eruditionem, & dicendi facultatem, zelum aduerſus Marcionitas, Apollinariſtas, & alios haereticos, aliaque domi & foris praeclare geſta, laudet; reprehendat contra philautiam, nimium gloriae amorem, & pertinaciſſimum partium ſtudium. Arguit eumdem, quod non tam ex modeſtia, quam prae ſe tulerit, quam nobilioris eccleſiae deſiderio, Cyrenſem epiſcopatum inuitus ſuſceperit. Dolet, quod, cum magiſtrum ſcientiae THEODORVM, eloquentiae CHRYSOSTOMVM habuiſſet; CHRYSOSTOMI eloquentia ad tuendos THEODORI errores abuſus ſit. Notat, ipſum, dum ad perſpiciendos haereticorum errores omnem animi aciem intenderet, id fuiſſe paſſum, quod oculi vehementer adfecti ſolent, vt nonnumquam totam haereſin videre ſibi videretur, vbi minima eius ſpecies vel vmbra adpareret; in *hiſtoria Theodoreti tomo V.* operum eius *p. 109. ſeqq.* Aut magnopere fallor, aut multis polemica tractantibus haec vitia communia ſunt, quae in THEODORETO notauit GARNERIVS, praeſertim vltimum illud, vt interdum haereſes ſibi deprehendere videantur, vbi alii nullas vident.

THEODORETO iungatur hoſtis eius, & Neſtorianorum ἄσπονδος CYRILLVS Alexandrinus, quem ad certamina natum, nullam prorſus haereſin graſſari paſſum

fuiſſe,

fuiſſe, pronuntiat NICEPHORVS, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. XIV. cap. XIV.* Eminet autem inter ſcripta eius polemica ἡ βίβλος τῶν θησαυρῶν περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος *theſaurus de ſancta & conſubſtantiali trinitate*, qui *tomo V. operum* eius exſtat *p. 1. ſeqq.* Quod ſi PHOTIO credimus, perfectum aliquod in eo theologiae polemicae exhibetur ſpecimen. Ἐπιχειρηματικὸν δέ ἐστι, inquit, τὸ βιβλίον καὶ κατὰ τῆς Ἀρείου καὶ Εὐνομίου λύσσης γεννάιως καὶ πολυτρόπως ἀγωνιζόμενον· καὶ γὰρ καὶ λογικαῖς ἐφόδοις ἐπιστημόνως αὐτῶν ἀπελέγχει τὴν ἄνοιαν, καὶ γραφικὰς αὐταῖς συμπλέκων καὶ συνυφαίνων χρήσεις, πανταχόθεν τὸ σαθρὸν αὐτῶν στηλιτεύει τοῦ δόγματος· τίθησι δὲ καὶ μαρτυρίας ἁπλῶς τῆς γραφῆς ὁ θεσπέσιος Κύριλλος, εἰς ἀμηχανίαν αὐτῶν, διὰ πάντων συγκλείων τὸ φρύαγμα· ἔστι δὲ τῶν ἑαυτοῦ λόγων ἐνταῦθα, καὶ μάλιστα τοῖς ἔννοιαν λαβοῦσι τῶν λογικῶν ἐφόδων, σαφέστατος· *Epicherematis refertus eſt liber, pugnatque valide ac varie cum Arii & Eunomii furibunda rabie. Etenim & logicis argumentis ſapienter illorum deſtruit amentiam, quibus dum ſacrae ſcripturae adnectit adtexitque teſtimonia, quam ſit illa doctrina futilis, omni ex parte diuulgat. Adhibet idem nuda quoque ſacrae ſcripturae teſtimonia, vt quo ſe faſtuoſi vertant, obſepti vndique atque concluſi, non habeant. Eſt autem omnia inter eius ſcripta liber hic maxime perſpicuus, iis potiſſimum, qui logicorum argumentorum ſenſum capere poſſunt; cod. CXXXVI. p. 314.* Librum huncce omnium ſcriptorum CYRILLI optimum eſſe, NICEPHORVS adfirmat, *hiſtor. eccleſ. lib. XIV. c. XIV.* At an omnino CYRILLI ſit; in dubium vocare auſus eſt auctor diſſertationis *de ſuppoſito*, quae Arauſicae anno 1644 prodiit. Qua de re ita THEOPH. RAYNAVDVS: *Eidem ſancto Cyrillo ſuppoſitum eſſe opus, quod inſcribitur, theſaurus, contendit ſpurcus haereticus, auctor diſputationis de ſuppoſito, quam nuperrime ementito nomine loci, ſuoque ſuppreſſo, homo male teres atque rotundus edidit Arauſicae. In ea diſputatione, quae eſt vna iugis haereſeon & atrociſſimarum calumniarum lepra, nebulo, qui in ſanctum Cyrillum maxime rabit, abiudicat ei opus theſauri, contenditque, ei perperam fuiſſe ſuppoſitum.* Hinc vero ad rationes iſtius auctoris, quibus probare voluit, hoc opus perperam CYRILLO tribui, reſpondet, in *erotemat. de malis ac bonis libr. partit. I. erotem. X. p. 134.* quod & DIONYSIVS PETAVIVS fecit, *dogm. theol. tom. V.* ſiue *de incarnatione lib. VI. cap. XIII. §. V. p. 308.* Auctorem autem iſtius *de ſuppoſito* diſſertationis DAV. DERODONEM fuiſſe, conſtat, de quo omnino legendus PETR. BAELIVS, *dictìon. hiſtorico & crit. voc. Rodon, p. m. 2585. ſeqq.* Quae THOMAS DE AQVINO ex *libris theſaurorum* CYRILLI, ad ſummam in eccleſia poteſtatem romano pontifici adſerendam, profert, & ad quae alii quoque ex romanenſibus prouocant, ſuppoſititia eſſe, obſeruat IO. ALB. FABRICIVS, qui &, SEB. NAN. TILLEMONTIVM, LVD. ELL. DV PIN, atque IOAN. LAVNOIVM idem agnoſcere, docet *biblioth. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXVII. p. 561. 564.* Sequuntur inter ſcripta polemica CYRILLI *dialogi nouem*, ex quibus ſeptem priores *de ſancta trinitate* agunt, & Arianis ac Macedonianis ſunt oppoſiti, duo autem vltimi *de incarnatione vnigeniti, & quod vnus ſit Chriſtus.* Et hoſce quidem non omni ſuppoſitionis carere ſuſpicione, IO. GARNERIVS putat, in *notis ad Marium Mercatorem tom. II. p. 43.* a quo tamen merito diſſentit, quem iam laudauimus, IO. ALB. FABRICIVS *l. c. p. 564.* Exſtant dialogi iſti *tomo V. operum* CYRILLI *p. 383. ſeqq.* Ad cauſſam Neſtorianam, quae cumprimis CYRILLO multum negotii faceſſiuit, tum alia, tum maxime κατὰ τῶν Νεστορίου δυσφημιῶν πεντάβιβλος ἀντίρρησις *aduerſus Neſtorii blaſphemias contradictionum libri quinque* ſpectant, qui operum eius *tomo vltimo*, ſiue *ſexto*, exhibentur, *p. 1. ſeqq.* Cuiusmodi autem ea diſputatio CYRILLI

cum Neſtorio fuerit, & an ille huius mentem adſequutus ſit, aut recte propoſuerit, qua de re nonnulli dubitant, vt disquiramus, huius loci non eſt. Dixi hac de re nonnulla in *inſtitutionibus theolog. dogm. lib. IV. cap. II.* ad §. *XLIV. p. 1148. ſeqq.* Addenda, quae non ita pridem pro Neſtorio contra CYRILLVM diſputauit C. A. SALIG in *Eutychianiſmo ante Eutychen, ſeu tractatu hiſtorico & theologico de Eutychianis vere ac falſo ſuſpectis cap. XXIV. p. 212. ſeqq.* qui & *cap. XXXI. p. 307. ſqq.* illis ſuffragari non dubitat, qui CYRILLVM in Eutychianiſmi inducunt ſuſpicionem. Nihil ſane frequentius, quam vt ad alterum extremum, ſi non prolabantur, certe prolabi videantur, qui ſententiam quamdam paullo acrius impugnant. Eodem etiam ſequentia CYRILLI comparata ſunt ſcripta; ἐπίλυσις τῶν δώδεκα κεφαλαίων, *explanatio duodecim capitulorum*, ſiue anathematiſmorum, aduerſus Neſtorium in ſynodo Epheſina compoſita; ἀπολογητικὸς ὑπὲρ τῶν δώδεκα κεφαλαίων πρὸς τοὺς τῆς ἀνατολῆς ἐπισκόπους, *apologeticus pro duodecim capitibus aduerſus orientales epiſcopos;* πρὸς τὴν παρὰ Θεοδωρήτου κατὰ τῶν δώδεκα κεφαλαίων ἀντίρρησιν, *aduerſus impugnationem duodecim capitulorum a Theodoreto editam;* λόγος ἀπολογητικός, *apologeticus ad imperatorem Theodoſium.* Quae omnia *tomo ſexto operum* eius *p. 145. ſeqq.* exſtant. Sed & *contra anthropomorphitas* librum ſcripſit, qui in eodem *tomo* inuenitur, *p. 363. ſeqq.* Cumprimis autem adhuc commemorandum inſigne illud CYRILLI opus, quod ὑπὲρ τῆς τῶν χριστιανῶν εὐαγοῦς θρησκείας, πρὸς τὰ τοῦ ἐν ἀθέοις Ἰουλιανοῦ, *pro ſancta chriſtianorum religione, aduerſus libros impii Iuliani*, ſcripſit, quodue decem libris abſoluitur. Exſtat tum inter reliqua CYRILLI opera, tum cum IVLIANI operibus editum eſt, ab EZECH. SPANHEMIO, Lipſiae anno 1696. fol. Tres tantum IVLIANI libros refutauit CYRILLVS, & totidem etiam ſolum memorat, cum tamen HIERONYMVS, *epiſt. LXXXIII. ad Magnum oratorem Romanum tom. IV. oper. part. II. p. m. 655.* ſeptem ab apoſtata iſto aduerſus chriſtianos libros ſcriptos eſſe, auctor ſit; vt ſupra, cum eiusdem operis mentionem faceremus, monuimus; vnde de numero librorum, a IVLIANO ſcriptorum, obſeruante in *praefatione* EZECH. SPANHEMIO, oritur dubium. Sed ſuas CYRILLVS habere potuit cauſſas, cur tres tantum, etiamſi ſeptem eſſent, ſibi refellendos ſumeret. CYRILLVM, dum κατὰ πόδα IVLIANVM ſequitur, ipſaque eius verba refert, quibus reſponſionem ſuam ſubiungit, magnam librorum iſtorum nobis conſeruaſſe partem, itidem ſupra iam docuimus. Nunc ſolum addere iuuat, quae hac de re EZECH. SPANHEMIVS in *praefatione* diſſerit. *Neque enim refugit ille*, inquit, *aperto velut marte cum eo in arenam deſcendere; virium palam & lacertorum aleam ſubire; non vero eumdem ex occulto velut aggredi, aut quem debellaret, ſibi aduerſarium fingere, vel armis a ſemet ſuppeditatis, inſtruere, aut vim eorum ac robur eludere, vel diſſimulare.* Merito hoc laudatur, cum apud polemicos ſcriptores nulla in re frequentius peccetur, quam eiusmodi fallaciis, dum aduerſariorum mentem non recte exponunt, argumenta illorum fortiſſima diſſimulant, ſententias alienas, aut quas omnino deteſtantur, illis adfingunt. A quibus ſe alienos vitiis oſtendunt, qui integra illorum, quibuscum pugnant, verba adferunt. Sed pergit SPANHEMIVS: *Quo equidem inſtituto eo minus dubiam, ſed illuſtriorem, de illo acerrimo religionis chriſtianae hoſte, a ſe inuictis veritatis euangelicae telis confoſſo & proſtrato, victoriam conſequuturum, haud immerito cenſuit. Adeo vt Cyrillum inde ab illo conſilio, ipſos nempe Iuliani libros ſuis contra eum diſſertationibus inſerendi, neutiquam reuocaſſe potuerit ea, quae paucis demum ab eius morte annis, nempe 449 a Theodoſio iuniore prodiit,*

ſit, quaeque ab initio ferme Iuſtinianaei codicis legitur, conſtitutio, qua ſancitur, vt omnia, quaecumque Porphyrius ſua pulſus inſania, aut QVIVIS ALIVS, *contra religioſum chriſtianorum cultum, conſcripſit, apud quemcumque inuenta fuerint, igni mancipentur; ac ſimiliter a Iuſtiniano nouell. XLII. cap. I. qua ſicut Neſtorii, ita Seueri ſcripta, ne penes aliquem chriſtianum maneant, prohibentur; & quidem addita eius rei ratione, quia praedeceſſoribus noſtris imperatoribus, in ſuis conſtitutionibus viſum eſt ſtatuere ſimilia his, quae dicta ſunt & ſcripta a Porphyrio in chriſtianos.* Exinde recte idem vir doctiſſimus colligit, haud mirandum, quod gentilium, qui contra chriſtianos ſcripſerunt, addo & haereticorum, qui orthodoxos impugnarunt, monumenta ad nos non peruenerint. Hanc namque veriſſimam eius rei cauſſam eſſe, arbitror, veriorem ſaltem ea, quam deinceps ex CHRYSOSTOMO adfert, philoſophos & rhetores, alias magni nominis, vbi contra chriſtianos ſcripſerint, tam turpiter ſe dediſſe, omniumque ſe expoſuiſſe ludibrio, vt ipſi libri eorum inde euanuerint, & non niſi forte ab ipſis chriſtianis ſeruati ſint.

Vt nunc ad haereticos huius ſaeculi, & eos, qui ex inſtituto contra illos ſcripſerunt, progrediamur, ordinis atque inſtituti noſtri ratio poſtulat. Hic vero primo loco *Pelagiani* occurrunt, a PELAGIO, monacho ex Britannia oriundo, dicti, qui circa an. 413 haereſin ſuam ſpargere coepit. Naturae ſcilicet viribus dum plus, quam par erat, tribuebant, gratiae diuinae hoc ipſo detrahebant. Inter primos atque praecipuos, qui ſe iis oppoſuerunt, HIERONYMVS fuit, qui conſultus a CTESIPHONTE ſuper quaeſtione, ſub cuius & aliarum ſimilium velamine Pelagius Romae, Coeleſtinus in Sicilia, ſuam diſſeminare doctrinam tentabant: *vtrum peccatorum radicem ita quisquam valeat euellere, vt reliquiae nullae ſuperſint?* reſpondit litteris, quae etiamnum ſcriptae ad eum leguntur; in quibus ſimul praecipuos Pelagii errores perſtringit. Hancce ad CTESIPHONTEM *epiſtolam* excepit *dialogus aduerſus Pelagianos*, tribus conſtans libris, in quo HIERONYMVS rem fictis nominibus agit, quo pariter & minus laederet PELAGIVM, cuius magna erat auctoritas, virtutisque & eruditionis exiſtimatio, & anſam daret reſipiſcendi. Sub ATTICI namque nomine catholicus, & ſub CRITOBVLI haereticus ſiue Pelagianus loquitur. Atque haec quidem ſcripta HIERONYMI anti-Pelagiana exſtant *tomo IV. operum* eius *part. II. pag. 474. ſeqq.* editionis IO. MARTIANAEI. Non minus vero & in *praefationibus quatuor ad libros commentariorum in Ieremiam*, Pelagianos inſectatur; quamquam eorum parcat nomini. Iungenda, quae de HIERONYMI aduerſus Pelagium & Coeleſtinum ſcriptis diſſerit GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. XII. pag. 570.* Sed addendum hic eſt aliquid, quod nec VOSSIO, nec ceteris hiſtoriae Pelagianae ſcriptoribus ante HENR. NORISIVM & IO. GARNERIVM eſt obſeruatum. PHOTIVS nimirum in *bibliotheca* ſua *cod. CLXXVII.* THEODORI Antiocheni *libros quinque* πρὸς τοὺς λέγοντας φύσει καὶ οὐ γνώμῃ πταίειν τοὺς ἀνθρώπους recenſens, THEODORVM iſtum contra ARAMVM quemdam diſputare, memorat, qui in occidente natus, poſtea in oriente verſatus ſit, libroſque, de noua ſua haereſi a ſe compoſitos, ad populares ſuos in patriam transmiſerit, quintum euangelium confinxerit, illudque ſe in EVSEBII Palaeſtini bibliotheca reperiſſe, gloriatus ſit, reiecta praeterea veteris teſtamenti verſione, quam LXX interpretes ediderunt, repudiatisque SYMMACHI & AQVILAE & aliorum interpretationibus, propriam quamdam, nouamque verſionem conficere auſus ſit, cum neque ebraicae linguae a puero adſueuiſſet, neque mentem ſcripturae didiciſſet, ſed Ebraeis tantum quibusdam abiectae

iectae ſortis in diſciplinam ſe tradidiſſet. His enim coloribus antagoniſtam ſuum THEODORVS ille Antiochenus delineauit. Hinc quaeſtio inter eruditos enata fuit, quis ille ARAMVS ſit? cuius non aliunde, quam ex PHOTIO, habere poterant notitiam. Sed bene nonnulli obſeruant, THEODORVM huncce, cuius librum PHOTIVS recenſet, non alium eſſe, quam *Mopſueſtenum* iſtum, ſeu qui tandem ex presbytero Antiocheno Mopſueſtiae in ſecunda Cilicia factus eſt epiſcopus, & exeunte quarto & ineunte quinto ſaeculo floruit, cuiusue in hiſtoria eccleſiaſtica ſatis notum eſt nomen. Hic vero licet contra Arianos, Eunomianos, aliosque haereticos ſtrenue certaret; ipſemet tamen grauiſſimorum errorum non immunis fuit, tandemque Pelagianorum pariter ac Neſtorianorum praecipuus magiſter exſtitit. Obſeruatum hoc nobis iam alibi eſt, cum non ſemel de THEODORO hocce loquendi nobis oblata ſit occaſio, pluribusque euincit HENR. NORISIVS, *hiſt. Pelag. lib. I. cap. IX. p. 35. ſeqq.* Quando igitur THEODORVS hicce contra illos ſcripſit, qui adſeuerarunt, homines natura, non voluntate peccare; non Manichaeos, aliosque haereticos, ſed catholicos, peccati originalis adſertores, impugnauit, in quorum numero etiam dubio procul fuit, quem ARAMVM nominauit, ſeu potius cognominauit. Quae cum ita ſe habeant, nihil pronius eſt, quam vt in eam ingrediamur ſententiam, ſub nomine ARAMI ipſum perſtringi atque refutari HIERONYMVM. In hunc ſane omnia mirifice quadrant, quae de ARAMO PHOTIVS refert. Conſtat HIERONYMVM in Dalmatia ſeu occidente natum, in oriente ſeu Palaeſtina maxime commoratum, dialogos, aduerſus Pelagium latino ſermone compoſitos, diuulgaſſe, quod THEODORVS innuit, quando dicit, eum *libros de noua ſua haereſi* (ita doctrinam orthodoxam Pelagianis oppoſitam adpellitat) *ad populares ſuos miſiſſe.* Cumque HIERONYMVS frequenter in ſcriptis ſuis ebraici Nazaraeorum euangelii meminerit; adcuſatur a THEODORO, quod quintum euangelium finxerit, idque in EVSEBII bibliotheca ſe reperiſſe gloriatus ſit. Praeterea ARAMVM reprehendit THEODORVS, quod, repudiatis reliquis veteris teſtamenti verſionibus, propriam conficere auſus fuerit. Scilicet, nouam veteris teſtamenti verſionem, ad fontes ebraicae veritatis conformatam, edidit HIERONYMVS, quam non omnibus initio placuiſſe, conſtat. Sed & illud mirifice in HIERONYMVM quadrat, quod ARAMO obiicit THEODORVS, eum ebraeis quibusdam abiectae ſortis in diſciplinam ſeſe tradidiſſe. Ecquis enim neſcit, HIERONYMVM per Ebraeos quosdam, quibuscum conuerſatus eſt, in linguae huius ſtudio profeciſſe? Quod ſi autem quaeras, cur HIERONYMVS dicatur ARAMVS? variae quidem eruditorum ea de re exſtant ſententiae; ex quibus illorum proxime ad veritatem accedere videtur, qui eum a THEOD. ARAMVM, id eſt, Syrum, vocatum putant, quia maximam vitae ſuae partem in Syria tranſegit. Praeter HENR. NORISIVM, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. IX. p. 35. ſeqq.* & IO. GARNERIVM, *tomo I. oper. Marii Mercatoris p. 101.* plura dabit THOM. ITTIGIVS, in *diſſertat. de Aramo ſcriptore eccleſiaſtico anti-Pelagiano obſcuriſſimo pariter ac celeberrimo &c.* quae in *heptade diſſertationum, adpendici diſſertationis de haereſiarchis aeui apoſtolici &c.* ſubiuncta, exſtat *num. VII. p. 466. ſeqq.*

Poſt HIERONYMVM Hipponenſium ille praeſul AVGVSTINVS nobis commemorandus eſt, cuius in profliganda Pelagianorum haereſi vel maxime enituit induſtria. Et initio quidem *de peccatorum meritis & remiſſione, & de baptiſmo paruulorum ad Marcellinum libros tres* ſcripſit. Hancce enim commentationem, quam an.

412 concinnauit, primam earum eſſe, quas in cauſſa Pelagiana compoſuit, ipſemet nos condocet *lib. II. retract. c. XXXIII. tom. I. oper. p. 39.* ex editione monachorum Benedictinorum, Antwerpiae an. 1700, quam hic ſemper ſequemur. Nullam autem in ea Pelagii mentionem facit, eo, quod adhuc inter catholicos lateret, & AVGVSTINVS, cum ſic facilius corrigi poſſe, ſperaret. In *primo* autem *libro* eos refellit, qui dicebant, Adamum, etiamſi non peccaſſet, fuiſſe moriturum; in *ſecundo* contra eos diſputat, qui adſerebant, eſſe in hac vita, fuiſſe, & futuros eſſe homines, nullum omnino habentes peccatum; in *tertio* denique Pelagii de peccatorum meritis, & de paruulorum baptiſmo errores redarguit. Eodem tempore, quo contra Pelagianos ſcriptis certare AVGVSTINVS coeperat, HONORATO, ſolutionem quinque quaeſtionum petenti, reſpondit, ſextam addens quaeſtionem, *de gratia noui teſtamenti contra Pelagianos errores*, vt ipſemet iterum refert *lib. II. retractat. cap. XXXVI. p. 40.* Exſtat *liber* iſte *de gratia noui teſtamenti* inter *epiſtolas* AVGVSTINI *tomo II. operum num. CXL. p. 320. ſeqq.* Cum autem in prioribus *ad Marcellinum* libris docuiſſet, hominem ope diuina ſine peccato in hac vita viuere poſſe, vtut nemo ad eam perfectionem vmquam pertigerit, vel peruenturus ſit; mirumque videretur Marcellino, fieri poſſe, cuius rei deeſſet exemplum; librum *de ſpiritu & littera* compoſuit, quo illud apoſtoli *littera occidit, ſpiritus viuificat*, pertractans, gratiam diuinam ſtrenue adſerit, & ab aduerſariorum eius inſultibus vindicat. Pelagium ipſum hinc adgreſſus eſt in *libro de natura & gratia contra Pelagium, ad Timaſium & Iacobum*, qui ſecundum monachos Benedictinos an. 415 ſcriptus eſt. Oppoſitus nimirum eſt libro Pelagii, quem a Timaſio & Iacobo, qui AVGVSTINI partes amplexi erant, acceperat. Eumdem quoque Romam ad Innocentium miſit, & Hieroſolymam ad Ioannem epiſcopum, a quo acta Dioſpolitanae ſynodi poſcebat, ſimulque, quia Pelagio nimium quantum fauebat, vt ab eo ſibi caueret, ſedulo commonebat. Patet hoc ex epiſtola AVGVSTINI ad *Ioannem Hieroſolymitanum*, quae ſecundum recentiorem diſpoſitionem eſt *CLXXXIX tomo II. operum p. 479. ſeqq.* Eodem anno, quo *librum de natura & gratia contra Pelagium* ſcripſit, ſcilicet 415, & quidem circa finem, Caeleſtii *definitiones* confutauit, in *epiſtola* ſiue *libro de perfectione iuſtitiae hominis*, in quo docet, eiusmodi iuſtitiae perfectionem, qua homo ſine vllo prorſus peccato ſit, nec per naturae vires ſine gratia poſſibilem, nec vmquam in hacce vita dari. Opuſculi huius in *retractationum* libris nullam mentionem fecit, eo, quod ad ſeriem epiſtolarum pertineret, de quibus ſeorſim agere illi animus erat. Sequitur liber *de geſtis Pelagii ad Aurelium*, circa initium anni 417 concinnatus, in quo ſynodi Dioſpolitanae in Palaeſtina, in cauſſa Pelagii, acta refert; vnde eum potius *de geſtis Palaeſtinis* inſcribendum contendit GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. XIII. p. m. 370.* refragantibus Benedictinis, in *admonitione*, libro huic praemiſſa, *p. 127.* Poſtquam Pelagiana haereſis iam ab epiſcopis eccleſiae romanae, Innocentio primum, deinde & Zoſimo damnata eſſet; an. 418 *duos libros de gratia Chriſti & de peccato originali ad Albinam, Pinianum, & Melaniam* ſcripſit; quos eodem adhuc anno, aut ſequenti, excepit *liber primus de nuptiis & concupiſcentia ad Valerium comitem*, in quo Pelagianorum calumniam, ac ſi, adſerendo peccatum originale, nuptias damnaret, repellit, quem anno, vt videtur, 420 contra excerpta ex primo librorum quatuor, quos Iulianus contra librum iſtum priorem ediderat, *libro ſecundo* defendit. Ad finem anni 419, aut initium 420, referendi ſunt *libri quatuor de anima, eiusque origine*, in quibus ſententiam ſuam, qua ſe

neſcire profeſſus erat, num anima hominis ex parentibus propagetur, an ſine vlla propagatione ſingulae ſingulis dentur, contra Vincentium Victorem propugnat. Eodem etiam circiter tempore *libros quatuor contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium, romanae eccleſiae epiſcopum*, elucubrauit; Iuliano, qui Pelagii atque Caeleſtii defenſionem in ſe ſuſceperat, editis duabus epiſtolis, Zoſimum, clerumque romanum ob damnatum Pelagium exagitanti, oppoſitos. Poſterior ex hiſce epiſtolis non a ſolo Iuliano, ſed ab aliis etiam Pelagianis, aut eorum nomine, ſcripta eſt. Interea vero quatuor iſti libri, quos Iulianus contra priorem AVGVSTINI *de nuptiis & concupiſcentia*, ediderat, ex quorum primo hactenus ſolum excerpta quaedam nactus erat, a ſe in libro poſteriori *de nuptiis & concupiſcentia* refutata, ad manus eius peruenerant; ex quibus cum intellexiſſet, excerpta iſta, antea memorata, mentem Iuliani non in omnibus ſatis adcurate expreſſiſſe; operae eſſe pretium, duxit, quatuor iſtos Iuliani libros integros ſub examen reuocare, vnde *libri* iſti *ſex contra Iulianum, haereſis Pelagianae defenſorem*, enati ſunt; quos an. 421 ſcriptos, ex variis rationibus colligere licet. Contra hoſce cum Iulianus *octo* nouos *libros* edidiſſet: AVGVSTINVS, reſponſionem ad illos parans, immortuus eſt operi; quod adeo imperfectum, *ſex libros* complectens, ad nos peruenit. Occurrunt vero & inter *ſermones* pariter ac *epiſtolas* AVGVSTINI, in quibus contra Pelagianos pugnat. Et inter *ſermones* quidem huc ſpectat, quem in *baſilica maiorum*, rogatu Aurelii, *de baptiſmo paruulorum contra Pelagianos* habuit, qui ſecundum recentiorem diſpoſitionem eſt *CCXCIV. tomo V. operum pag. 825.* item *CXXXI*, alias *ſecundus de verbis apoſtoli*, ibidem *p. 446. ſeqq.* inter epiſtolas autem huc comparata eſt *CLVII*, qua ad quaeſtiones quaſdam, quas Pelagiani Hilario propoſuerant, an homo poſſit eſſe ſine peccato? an mandata Dei facile cuſtodire poſſit, ſi velit? & quae eiuſdem generis erant aliae, reſpondet, *tomo II. operum p. 412. ſqq.* Mitto reliqua. Ceterum ſcripta haecce AVGVSTINI anti-Pelagiana, hactenus enumerata, exceptis iis, quae alibi exſtare iam indicauimus, iunctim *tomo decimo operum* eius exhibentur. Addenda, quae de iisdem, GERH. IO. VOSSIVS diſſerit, *hiſt. Pelag. lib. I. cap. XIII. ſeqq. p. 570 ſeqq.* Accidit autem, quod in pleriſque controuerſiis theologicis contingere ſolet, vt hocce quoque tempore quidam, Charybdin euitaturi, in Scyllam inciderent. Nonnulli namque apud Adrumetum, Africae ciuitatem, monachi, in contrarium prolapſi, ſic omnia gratiae diuinae tribuebant, vt liberum arbitrium tollerent. Quibus vt occurreret AVGVSTINVS, duas commentationes edidit, alteram *de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & cum illo monachos Adrumetinos*, alteram *de correptione & gratia* ad eoſdem; vtraque *tomo decimo operum* eius exſtat, *p. 474. ſeqq.* Ad eoſdem etiam in eadem cauſſa ſcripta eſt epiſtola *CCXIV* & *CCXV* ſecundum recentiorem diſpoſitionem, *tomo II. oper. p. 600. ſqq.* Ipſe interim AVGVSTINVS non potuit omnem euitare ſuſpicionem, quo minus, gratiam aduerſus Pelagianos adſerendo, in contrarium quodammodo prolapſus errorem, & abſolutae, quam vocant, praedeſtinationi, plus quam decet, tribuere, cenſeretur. Duo namque ſunt iſti ſcopuli, Pelagianiſmus & praedeſtinatianiſmus, ad quorum alterutrum facile naufragium veritatis faciunt, qui huic mari ſe committunt. Idem contingere & AVGVSTINO potuit, de quo ideo, cum magna eius ſemper in eccleſia fuerit auctoritas, diſputatum acriter ad noſtram vſque aetatem fuit, aliis eum adcuſantibus, defendentibus aliis. Sane opinionem AVGVSTINI, de gratia peculiari electis deſtinata, non omnibus iſtius aetatis eccleſiae docto-

Digitized by Google

doctoribus probatam, fuſe oſtendit GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. VI. theſi XIV. p. 757. ſeqq.* Teſtantur quoque hoc inter alia *epiſtolae* PROSPERI & HILARII, ad quas AVGVSTINVS in libro *de praedeſtinatione ſanctorum*, itemque *de dono perſeuerantiae* reſpondit, qui vna cum PROSPERI & HILARII epiſtolis, quae iis praemiſſae ſunt, *tomo decimo operum* eius itidem exhibentur, *p. 523. ſeqq.* In his Hipponenſium iſte praeſul ſententiam ſuam ea, qua poteſt, ratione explicat, emollit, defendit, docetque, gratiae diuinae efficaciam miſericordiae diuinae vnice eſſe tribuendam, cuius tamen modus circumſcribi nequeat. Interim haud obſcure innuit, quaedam paullo durius a ſe dicta, ad quae retractanda paratus ſit. Quae deinceps de gratia Dei, capitibusque connexis, agitatae ſunt in eccleſia controuerſiae, effecerunt, vt ſententia AVGVSTINI diuerſa ratione acciperetur. Qui enim praedeſtinationem, ex abſoluto Numinis decreto profectam, defendunt, AVGVSTINVM in certaminibus cum Pelagianis adeo modum non exceſſiſſe, putant, vt ea, quae aliis duriora videntur, prorſus veritati conſentanea eſſe contendant. Ita ex recentioribus Dominicani, vtpote praedeterminationis diuinae defenſores; qui &, ſententiam iſtam, quam AVGVSTINO tribuunt, eo minus reiiciendam, putant, quod ipſis pontificibus placuerit; id quod inde conſtet, quoniam AVGVSTINI libros *de praedeſtinatione ſanctorum*, & *de dono perſeuerantiae*, adprobauerint. Hunc in modum DOMIN. BANNESIVS, DIDAC. ALVAREZ, aliique, AVGVSTINI cauſſam agunt, quorum loca indicat IO. HVLSEMANNVS, *de auxiliis gratiae*, *p. 294.* At FRANC. SVAREZIVS, ANTON. POSSEVINVS, aliique ex Ieſuitis, aut qui cum iis praedeterminationem phyſicam negant, non dubitant adſerere, AVGVSTINVM in diſputationibus contra Pelagianos omnino modum exceſſiſſe, quod & diſerte adfirmat CAES. BARONIVS, in *annalib.* ad *annum 494 num. XXXVI.* Qui vero ex his AVGVSTINVM excuſant, in ſententia eius explicanda mirifice deſudant. Reformatae eccleſiae doctoribus, quin haec AVGVSTINI ſententia, quam duriorem alii putant, maximopere placeat, non eſt, quod dubitemus. Tantum itaque abeſt, vt, diſputando contra Pelagianos, in alterum extremum prolapſum, fateantur, vt potius, veram & genuinam veteris eccleſiae ſententiam eum propugnaſſe, ſibi perſuadeant. Hoc ſolum diſplicet, quod Hipponenſium praeſul non ſatis ſibi hac in re conſtare videatur. *Auguſtinum contra liberum arbitrium argutiſſime diſputaſſe*, pronuntiat DAV. PAREVS, ſed addit: *in quibus, vtrum ſemper ſibi conſtet, aliorum eſto iudicium. Aduerſus Manichaeos liberum arbitrium altius extulit, aduerſus Pelagianos illud depreſſit;* in *refutat. lib. I. cap. XII. Bellarmini de gratia p. 174.* Accedat nunc hiſce CORNEL. IANSENIVS, Iprenſis ille epiſcopus, qui omnium adcuratiſſime AVGVSTINI veſtigia ſequi ſibi viſus eſt, vnde & operi ſuo, quod de *oeconomia gratiae conuerſionis* ſcripſit, *Auguſtini* nomen dedit; de quo copioſiſſime iam diximus *cap. III.* huius *libri* ad §. *IX.* In quo vti multa praeclare atque egregie contra ſcholaſticos Pelagianizantes monuit; ita, ex nimio erga AVGVSTINVM amore cum eo illum errare, & de gratia irreſiſtibili, nec ſufficiente, niſi quando actu ſecundo beatitudinem efficit, deque voluntatis praedeterminatione aliiſque capitibus, talia docere, quae, a ſententia reformatorum non procul eum abeſſe, demonſtrant, ibidem iam obſeruauimus. Idque & ab aduerſariis eius illi obiectum fuit, ſpeciatim a MARTINEZ DE RIPALDA, *aduerſus articulos a Pio V, Gregorio XIII & Vrbano VIII damnatos lib. II. diſputat. XIV. num. XCVIII. ſeqq.* & ANTON. RICARDO, in *diſputat. theolog. de libero arbitr. lib. I. cap. I. II.* quos ex noſtratibus prae-

praeter alios ſequitur IO. HVLSEMANNVS, *de auxiliis gratiae p. 311.* & ANT. REISERVS, in *Auguſtino veritatis euangelico catholicae teſte & confeſſore p.m. 872.* Ex reformatis idem oſtendit MELCH. LEYDECKERVS, in *hiſtoria Ianſeniſmi, part. II. de dogmatibus Ianſeniſmi cap. X. & XI. pag. 262.* vbi & refert, quid IANSENIVS egerit, vt hanc ſuſpicionem a ſe amoliretur; antea vero, ſiue *capite VIII. p. 251. ſeqq.* euincere voluit, IANSENII theologiam de natura & gratia eſſe ipſius AVGVSTINI. Haec vero cum ita ſe habeant, & IANSENIVM neutiquam crediddiſſe, palam eſt, AVGVSTINVM, pugnando contra Pelagianos, ad alterum deflexiſſe extremum, cum potius, quae hac ratione docuit, veritati prorſus conſentanea exiſtimauerit. Atque haec eſt etiam ſententia HENR. NORISII, cardinalis, in *vindiciis Auguſtinianis*, vbi praeſertim *cap. III. p. 13. ſeqq.* contra eos diſputat, qui *doctrinam Auguſtini contra Pelagianos exceſſus inſimulant.* Conſtat vero, ipſum huncce virum doctiſſimum Ianſeniſmi ſuſpicionem incurriſſe, hasque eius *vindicias Auguſtinianas* variorum cenſuras expertas; qua de re diximus *cap. III.* huius *libri* ad *§. IX.* Quod autem antea de illis obſeruauimus, qui Dominicanis ſe oppoſuerunt; id nunc de illis quoque, qui aut contra reformatos, aut contra Ianſeniſtas pugnant, dicendum eſt. Nonnulli namque rurſus ingenue agnoſcunt, AVGVSTINVM in certaminibus cum Pelagianis a recto deflexiſſe tramite; adeoque eius auctoritatem nec Dominicanis, nec Ianſeniſtis, nec CALVINI ſectatoribus praeſidio eſſe poſſe, vtpote qui ipſemet in hocce capite aberrauerit. Alii contra defendere AVGVSTINVM adnituntur, negantque, eum modum exceſſiſſe, mentem vero eius nec a IANSENIO, nec a reliquis recte capi contendunt. Ex horum numero DIONYS. PETAVIVS eſt, *dogmat. theologic. tom. V. lib. XIII. cap. III. ſeqq. p. m. 159. ſeqq.* Eadem ſententia & quibusdam noſtrae eccleſiae theologis placet, ſpeciatim & ANT. REISERO, *loco* antea *citato pag. 979.* vbi & IGNATIVM DER-KENNIS, ſocietati Ieſu adſcriptum, laudat, qui in *diſputationibus de Deo vno trino creatore diſp. XII. de prouidentia Dei cap. III.* vt AVGVSTINVM contra IANSENIVM & eius adſeclas defendat, hanc obſeruationem tradat: *Auguſtinum negare ſenſum, quo Pelagiani volebant Deum velle omnes homines fieri ſaluos, non ipſam adſertionem ſane intellectam.* Sed dubitant alii, an doctrina AVGVSTINI anti-Pelagiana in omnibus mitiorem interpretationem aut excuſationem admittat. Nec ſine ratione illud fieri, intelliget, qui genuinum AVGVSTINI ſyſtema recte conſiderauerit; quod in compendio, ſed ſatis adcurate exhibet IAC. BASNAGIVS, in *hiſtoria eccleſiae*, gallice ſcripta, *lib. XI. cap. IX. §. XIX. p. 683. ſeqq.* cui omnino iungendus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *ſpecimine hiſtor. dogmat. de gratia & praedeſtinat. §. IV. p. 95. ſqq.* Id quoque dubio caret, non vbique ſibi conſtare AVGVSTINVM, nec eadem ſemper ratione mentem ſuam exprimere. Conferenda, quae ipſemet monui in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. IV. cap. III.* ad *§. XLV. p. 1286. ſeqq.* & *lib. V. cap. II.* ad *§. XIII. p. 1631.* Ad reliquos ſcriptores anti-Pelagianos vt progrediamur: ſuum etiam inter eos locum tuetur PAVL. OROSIVS presbyter Tarraconenſis, qui itidem circa initium ſaeculi quinti claruit, & inter alia *apologeticum* ſcripſit *contra Pelagianos de arbitrii libertate*, vti ſupra iam, cum eius mentionem faceremus, obſeruatum. Sed conferenda, quae de hocce ſcripto, eiusque occaſione, vti & reliquis ſcriptoribus anti-Pelagianis diſſerunt GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. XVII. p. m. 573.* & IO. GARNERIVS, in *diſſertat. de ſcriptis aduerſus haereſin Pelagianam;* quae inter *diſſertationes* eius *ad haereſin Pelagianam pertinentes*, ſexta eſt, *tomo XII. operum* AVGVSTINI *p. 234.*

p. 234. ſeqq. Cumprimis autem in hocce contra Pelagianos certamine pontificum romanorum enituit induſtria, qui decretis, nomine cleri romani editis, ſcriptisque variis, hanc confodere haereſin adgreſſi ſunt. Primus inter eos eſt INNOCENTIVS I, cuius triplices exſtant aduerſus Pelagium litterae, primo, ad patres concilii Carthaginienſis, tum ad eos, qui concilio Mileuitano interfuerunt, & tandem ad Aurelium, Alypium, Auguſtinum, aliosque; de quibus tamen non ſine ratione, an genuinae ſint, dubitatur. ZOSIMVS, qui Innocentium excepit, initio non alieno a Pelagio & Coeleſtio fuit animo; cum vero tandem nullam tuendi Coeleſtii rationem videret, vna cum africanis patribus eum damnauit, omnesque hac de re epiſcopos per *epiſtolam* certiores fecit. Succeſſit ei BONIFACIVS, qui nihil equidem contra Pelagium ſcripſit; eius tamen rogatu *duabus Pelagianorum epiſtolis* AVGVSTINVS *libris quatuor* reſpondit; vt antea diximus. Sub COELESTINO, qui cum Coeleſtio non confundendus eſt, profligatus quidem pene erat Pelagianus error, vt ipſemet in *epiſtola ad Neſtorium* teſtatur; alieno tamen prorſus ab eo ſe fuiſſe animo, in *epiſtolis* ſuis ſignificat. SIXTVS III initio, cum adhuc presbyter eſſet, inimicis chriſtianae gratiae fauere iactabatur; primus tamen deinceps *anathema eis in populo frequentiſſime pronuntiauit, & litteris apoſtolicae ſedis de illorum damnatione ad Africam miſſis, breues litteras addidit, rigorem aduerſus eorum errorem indicantes;* vt ex AVGVSTINI epiſtola *CIV. & CV.* aut ſecundum recentiorem diſpoſitionem *CXCI. & CXCIV. tom. II. operum p. 539. & 544.* quarum vtraque ad eum ſcripta eſt, patet. Longiori quoque ſcripto *pulchram*, vt Auguſtinus loquitur, *defenſionem aduerſus inimicos gratiae* edidit. Eumdem auctorem eſſe *librorum ſex, hypomneſticon* dictorum, ſiue vt alias vocantur, ὑπογνωστικῶν, qui *tomo X. oper.* AVGVSTINI in *adpendice part. I. p. 3. ſeqq.* exſtant, refert IO. GARNERIVS, qui &, SIXTVM antea reuera erroribus Pelagianis imbutum fuiſſe, putat, hinc & alia quaedam ei tribuit, quae alii pro ſuppoſititiis habent *l. c. p. 251. ſeqq.* In LEONIS magni, quem διαπύρῳ ζήλῳ, *feruentiori ze'o*, contra hanc impietatem pugnaſſe, PHOTIVS auctor eſt, *cod. LIV.* ſcriptis, haud pauca quoque contra Pelagianos loquuntur. De GELASII & HORMISDAE, qui tamen iam ſaeculo ſexto vixit, huc ſpectantibus ſcriptis conferendus GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. XXXIII. & XXXIV. p. 583.*

A Pelagianis orti ſunt *ſemi-Pelagiani*, quos PROSPER in *epiſtola ad Auguſtinum*, *Pelagii reliquias* adpellat; qui etiam *Galli & Maſſilienſes* dici ſolent, quod plurimi ſemi-Pelagianorum errorem in Gallia ſequerentur, Maſſiliae inprimis, teſtantibus PROSPERO & HILARIO, in *epiſtolis ad Auguſtinum*, quas *tomo X. operum* AVGVSTINI *p. 518.* exſtare, ſupra diximus. Et ipſe quidem PROSPER, ſcilicet Aquitanus ille, cum HILARIO Arelatenſi (quem ab epiſcopo huius nominis diſtinguendum deinceps monebibus) fortiter illis ſe oppoſuit; hic quidem in *epiſtola* antea memorata, ille autem in variis opuſculis, quae iunctim exhibentur *tomo X. operum* AVGVSTINI *adpend. part. III. p. 110.* Addendus auctor operis, quod inſcribitur, *de vocatione omnium gentium*, quod inter Ambroſiana olim exſtitit ſcripta; perperam quidem, cum Pelagiani exorti ſint, poſtquam AMBROSIVS iam ad vitam meliorem transierat. Hinc & hodie a quibusdam PROSPERO Aquitano, ab aliis HILARIO Arelatenſi, a nonnullis PROSPERO Aurelianenſi epiſcopo, tribuitur. HENR. NORISIVS auctorem huius operis *medium quid ſapere*, putat, *inter ſemi-Pelagianos & ſanctum Auguſtinum; hiſtor. Pelag. lib. II. cap. XIV. p. 176.* PASCHAS. QVESN. LEONI magno hosce *de vocatione omnium gentium* libros vindicat, in peculiari *diſ-*

Digitized by Google

diſſertat. de auctore libror. de vocatione omn. gent. quae inter *diſſertationes* eius ad *opera Leonis magni, ſecunda eſt, p. 191. ſeqq.* Eminet inter ſemi-Pelagianos FAVSTVS, Reiienſis epiſcopus, aduerſus quem FVLGENTIVS, Ruſpenſis in Africa epiſcopus, *libros ſeptem de gratia Dei & libero arbitrio* ſcripſit, qui non amplius exſtant. DE PETRO diacono, MAXENTIO, CAESARIO Arelatenſi, ceteriſque, quorum non adeo magna eſt celebritas, legendus GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. c. XXII. ſeqq. p. 576. ſeqq.*

Quemadmodum autem nec Pelagianis, ſemi-Pelagianiſque, aut induſtria, aut animus defuit, errores ſuos ſcriptis etiam propagandi, aut contra catholicos defendendi; ita, de hiſce quoque vt aliquid addamus, inſtituti noſtri ratio poſtulat. Et ipſe quidem PELAGIVS praeter alia *libros tres de fide trinitatis* ſcripſit, vt GENNADIVS Maſſilienſis auctor eſt; qui &, licet Pelagium in haereticorum numerum referat, hoſce tamen libros *ſtudioſis viris neceſſarios* eſſe, ait; *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. XLII. p. 116.* Et ſane, Pelagium de trinitate recte ſenſiſſe, patet ex eius *libello fidei*, quem deinceps memorabimus. Praeterea & librum εὐλογιῶν, ſeu *honeſtorum ſermonum de actuali conuerſione*, ſiue *librum teſtimoniorum*, compoſuit, in quo, ad CYPRIANI exemplum, ſententiarum capitula, e ſacris ſcripturis collegit. Mentionem eius itidem facit GENNADIVS Maſſilienſis, *l. c.* Vtrumque hocce opus PELAGII periit: ex poſteriori autem varia ei obiecta fuiſſe, conſtat ex HIERONYMI *dialogis aduerſus Pelagianos*, & AVGVSTINI libro *de geſtis Pelagii c. III. ſeqq.* Superſunt adhuc *commentarii* PELAGII *in omnes epiſtolas Pauli apoſtoli*, qui & in *operum* AVGVSTINI *tomo XII. p. 317.* leguntur. Hoſce commentarios eos ipſos eſſe, qui olim HIERONYMO tributi, eiusque operibus inſerti ſunt, recte viris doctis obſeruatum eſt, ſpeciatim & IO. GARNERIO, in *adpendice ad diſſertationem VI.* (earum ſcilicet, *quae ad hiſtoriam Pelagianam pertinent*, quaeue itidem *tomo XII. operum* AVGVSTINI inueniuntur) *cap. II. p. 258.* Idem vero GARNERIVS monet, lectum atque emendatum hocce opus eſſe a CASSIODORO, ea nimirum ratione, vt tolleret, quae cum fide catholica pugnare putabat. *Deditque*, ita pergit GARNERIVS, *ſuis exemplum & pene mandatum, id ipſum in aliis aliarum epiſtolarum expoſitionibus praeſtandi, quo ſecurius legi poſſet opus ſubtiliſſimum pariter ac breuiſſimum.* Quod CASSIODORI inſtitutum, aliorum libros corrumpendi, quantumuis pietatis ſpeciem habeat, an laudem promereatur, valde dubito. Hinc porro GARNERIVS credibile putat, eos, quos habemus, ſiue in editis, ſiue in manuſcriptis codicibus PELAGII, commentarios, ex correctione, aut potius corruptione, CASSIODORI atque diſcipulorum exſcriptos eſſe; mirumque adeo non eſt, quod in hiſce commentariis aut nulla, aut pauca Pelagiani erroris veſtigia occurrant. Scripſit praeterea *epiſtolam de virginitate ad Demetriadem*, an. 413, qua haereſis eius maxime innotuit, quamue AVGVSTINVS aliique ſub PELAGII nomine refutarunt, cuius etiam eam eſſe, hodie poſitum eſt extra controuerſiam. Sub HIERONYMI tamen nomine iam olim circumferri & legi coepit; vnde factum, vt nonnulli per eam, praeter opinionem ſuam & veluti inſcii, ad Pelagianos errores imbibendos, inducerentur. Exſtat hodie inter *opera* AVGVSTINI, & quidem in *adpendice tomi II.* ex editione Benedictinorum, *p. 3. ſeqq.* itemque inter *opera* HIERONYMI *tomo V. pag. 11. ſeqq.* ex editione IO. MARTIANAEI. De *libello fidei ad Innocentium papam*, quem PELAGIVS anno 417 edidit, quiue olim itidem HIERONYMO adſcriptus, pro eius etiam confeſſione a patribus concilii Francofurtani, ſub Carolo magno imperatore congre-

gregati, agnitus eſt, copioſiſſime ſupra egimus, cum de theologia ſymbolica verba faceremus. Reliqua PELAGII ſcripta, vt *liber de natura*, in quo ſubinde illud SALLVSTII: *Falſo queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla, atque aeui breuis forte potius, quam virtute regatur &c.* vſurpauit, itemque *libri quatuor de libero arbitrio*, & alia quaedam non amplius exſtant. Sed de hiſce, vti & de Pelagianorum, cumprimis COELESTII & IVLIANI, ſcriptis conferendi GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. IV. ſeqq. p. 556. ſeqq.* & IO. GARNERIVS, in *diſſertationibus* antea laudatis *adpend. ad diſſertat. VI. cap. II. & ſqq. p. 258. ſeqq.* qui & *cap. I. p. 257.* de THEODORI Mopſueſteni, & RVFFINI, qui praecurſores aut magiſtri PELAGII fuerunt, ſcriptis diſſerit. Inter ſemi-Pelagianos agmen ducit IO. CASSIANVS, cuius cum magna ob eruditionem pariter ac eloquentiam, vt & ob vitae integritatem, eſſet auctoritas; per eum praecipue ſemi-Pelagianiſmus in eccleſia romana propagatus fuit. Vt autem iniquiori in AVGVSTINVM fuit animo; quod vel inde intelligitur, quod operoſas eius de gratia diſputationes ſugillat; ita & de gratia diuina ea ratione diſſerit, vt a ſententia eius haud obſcure diſcedat. In *libris* namque *XII. de inſtitutis coenobiorum* ita ſubinde hac de re verba facit, vt diſerte contendat, poſſe nos bona opera humanis quidem viribus inchoare, at non ſine diuina gratia eadem perficere. Idem ex opere, quod *de collationibus patrum* ſcripſit, & *libris XXIV.* complexus eſt, praeſertim ex ſeptem illis, quos ad HONORATVM atque EVCHERIVM miſit, patet; quippe in quibus itidem initialem fidem liberi arbitrii viribus quandoque tribuit. Exſtant haec in *operibus* CASSIANI, cum commentariis AL. GAZAEI denuo editis Francofurti 1722. fol. Oppoſuit autem ſe CASSIANO PROSPER Aquitanus, qui & in *libro contra collatorem*, quae is in *collatione decima tertia* de gratia & libero arbitrio ſcripſerat, refellit. Exhibetur iſte liber cum reliquis opuſculis, quae PROSPER pro AVGVSTINO compoſuit, *tomo X. operum* AVGVSTINI, *adpend. part. III. p. 115. ſeqq.* Sed & inter CASSIANI opera exſtat, *p. 631. ſqq.* editionis, quam Francofurti 1722 iterum prodiiſſe, antea diximus. CASSIANVM, praeter reliquos Lerinenſes monachos, quorum magna eo tempore fuit celebritas, cum inter eos eſſent viri eruditione praeſtantes, ſpeciatim ſequuti ſunt FAVSTVS, HILARIVS, VINCENTIVS Lerinenſis, GENNADIVS Maſſilienſis, quibus nonnulli SVLPITIVM SEVERVM, atque HONORATVM, Maſſilienſium epiſcopum, addunt. Et ad FAVSTVM quidem quod attinet, is MAXIMI in abbatia Lerinenſi primum, ac poſtea in epiſcopatu Reienſi, ſucceſſor fuit; cumque in refellendo praedeſtinatianorum errore ingenium & doctrinam recte ſentientibus probaſſet; dignus iudicatus fuit, qui ſynodi Lugdunenſis, contra illos congregatae, ſententiam ſcripto conſignaret, idque & in *duobus de gratia & libero arbitrio libris* praeſtitit, ſed ita, vt muneris ſibi demandati limites excedens, ad alterum extremum deflecteret, & CASSIANI iis inſereret errores. Opuſcula FAVSTI huius exhibentur in *bibliotheca maxima patrum tomo VIII. p. 523. ſeqq.* HILARIVS non tantum, quamdiu in monaſterio Lerinenſi vixit, eamdem cum reliquis monachis inflauit tibiam; ſed ad Arelatenſem cathedram an. 429 promotus, praecipuus inter illos habebatur, qui in doctrina de gratia & praedeſtinatione ab AVGVSTINO diſcedentes, CASSIANI partibus fauebant. Epiſcopum huncce Arelatenſem, ab alio HILARIO Arelatenſi, qui AVGVSTINI diſcipulus fuit, & ſemi-Pelagianis ſe oppoſuit, probe diſtinguendum eſſe, recte docet HENR. NORISIVS, *hiſtor. Pelag. lib. II. cap. II. p. 108.* Sunt equidem, qui Arelatenſem iſtum epiſcopum a ſemi-Pelagia-

niſmi liberare ſuſpicione adnituntur; idque praeter alios agit CAES. BARONIVS, in *annalib. ad annum 426.* Sed hoſce oleum, quod aiunt, operamque perdere, praeter HENR. NORISIVM *l. c.* oſtendit NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. V. cap. III. p. 52.* Opuſcula HILARII iſtius, vna cum eius vita, ab HONORATO epiſcopo Maſſilienſi ſcripta, LEONIS magni *operibus* ſubiunxit PASCH. QVESNELLVS, *tom. I. p. 361. ſeqq.* De VINCENTIO Lerinenſi, & GENNADIO Maſſilienſi, iam ſupra dictum. De reliquis ſemi-Pelagianis, aut erroris iſtius ſuſpectis, conferendus GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. cap. VII. ſeqq. p. 561. ſeqq.* de hactenus autem commemoratis addatur HENR. NORISIVS, *hiſtor. Pelag. lib. II. cap. II. p. 107. ſeqq.* & in *adpendice diſſertationis de ſynodo quinta cap. II. p. 110. ſeqq.*

Ceterum quae theologiam polemicam numquam fere non comitari ſolent incommoda, etiam in hiſce certaminibus, quae orthodoxis cum Pelagianis interceſſerunt, abunde deprehenduntur. Adfectus modum excedentes, contumelias, ſcommata, nomina ad inuidiam faciendam vtrimque impoſita, hinc inde videas. Ingenii vehementiam in HIERONYMO iam ſupra notauimus. Ea & in hiſce controuerſiis ſeſe prodidit. PELAGIVM *ſtolidiſſimum, & Scotorum pultibus praegrauatum*, vocat, quod PELAGIVS gente Scotus eſt; in *prologo in libr. I. commentar. in Ierem. tom. III. oper. p. m. 527.* RVFFINVM vero, qui itidem Pelagianis adnumeratur, ibidem & alibi paſſim *Grunnium* adpellitat, alludens ad M. Grunnii Corocottae Porcelli teſtamentum, quod a cirratis pueris olim cum riſu multo excipiebatur in ſcholis. Et alibi: *ipſe mutus latrat per alpinum canem, grandem & corpulentum, & qui calcibus magis poſſit ſaeuire, quam dentibus. Habet enim progeniem Scoticae gentis, de Britannorum vicinia; qui iuxta fabulas poëtarum inſtar cerberi ſpirituali percutiendus eſt claua, vt aeterno cum ſuo magiſtro Plutone ſilentio conticeſcat; proleg. in lib. III. commentar. in Ierem. tom. III. oper. p. 586.* Similia & alibi occurrunt. Ad ſcripta polemica acceſſerunt conciliorum decreta, & imperatorum Honorii & Theodoſii edicta, vnde alii epiſcopatu deiecti, alii ad catholicae eccleſiae ſententiam redire compulſi. Pelagiani rurſus dictis acerbiſſimis & obtrectationibus catholicos inſectati ſunt. Inter alia obiiciebant, eos adſerendo peccatum originale damnare nuptias, atque ex opere Dei facere opus diaboli. Hac ratione enim eorum ſententiam omnibus inuiſam reddere adnitebantur. Quam adeo calumniam ſtrenue AVGVSTINVS repulit, vt ſupra obſeruauimus. Cumprimis ſollemne fuit Pelagianis, Manichaeorum haereſin exprobrare catholicis, immo ipſos non alio, quam Manichaeorum, nomine adpellare. Cui Pelagianorum calumniae paſſim obuiam eunt HIERONYMVS, in *prooem. dialogor. aduerſus Pelagianos*; item in *epiſtola ad Cteſiphontem*, & AVGVSTINVS, *lib. IV. contra duas Pelagianor. epiſtolas c. III.* alibique. Nec contenti erant catholici, a Manichaeis ſe ſeparare; ſed, Pelagianos viciſſim cum Manichaeis & Priſcillianiſtis ſapere, contendebant, nec cum his ſolum, ſed etiam cum Origene, Iouiniano, & Ruffino. Ita HIERONYMVS: *exponam breuiter principium & ſociorum tuorum nomina, vt animaduertas, qualium conſortio glorieris. Manichaeos electos ſuos, quos inter ἰδέας Platonis in caeleſtibus collocat, dicit omni carere peccato, nec, ſi velint, poſſe peccare. Ad tanta enim eos virtutum culmina transcendiſſe, vt carnis operibus illudant. Priſcillianus in Hiſpania pars Manichaei (de turpitudine cuius te diſcipuli diligunt plurimum) verbum perfectionis & ſcientiae ſibi temere vindicantes, ſoli cum ſolis clauduntur mulierculis &c. Vnde & vos adſeritis, eos, qui abſque legis ſcientia ſunt, peccata*

Digitized by Google

cata vitare non poſſe. Quid loquor de Priſcilliano, qui & ſaeculi gladio, & totius orbis auctoritate damnatus eſt? Euagrius Ponticus Iberita, qui ſcribit ad virgines, ſcribit ad monachos, ſcribit ad eam, cuius nomen nigredinis teſtatur perfidiae tenebras, edidit librum & ſententias περὶ ἀπαθείας, *quam nos impaſſibilitatem vel imperturbationem poſſumus dicere; quando numquam animus vllo perturbationis vitio commouetur, &, vt ſimpliciter dicam, vel ſaxum vel Deus eſt. Huius libros per orientem, graecos, & interpretante diſcipulo eius Rufino, latinos plerique in occidente lectitant &c. epiſt. ad Cteſiphontem, tom. IV. operum part. II. pag. 476.* edit. IO. MARTIANAEI. Nonnulli inter voces, quibus ſemi-Pelagiani orthodoxis inuidiam creare voluerunt, referunt nomen *praedeſtinatianorum*; quippe quod ad hoſce traducendos ab illis excogitatum ſit. Indeque porro inferunt, nullam vmquam exſtitiſſe haereſin *praedeſtinatianorum*, cum hocce nomine ipſi venerint AVGVSTINI ſectatores catholici atque orthodoxi. Ita IAC. VSSERIVS, *hiſtor Godeſchalci cap. II.* IO. FORBESIVS, *inſtruct. hiſtorico theolog. lib. VIII. cap. XXIX. p. 439. ſeqq.* IO. HENR. HOTTINGERVS, *hiſtor. eccleſ. part. I. cap. IX. ſect. V. p. 668.* & alii ex reformatae eccleſiae doctoribus quamplurimi, quibus ex romanae eccleſiae addictis illi quoque ſuffragantur, qui in doctrina de praedeſtinatione non procul a reformatorum ſcitis diſcedunt, ſpeciatim CORN. IANSENIVS, *Auguſtin. tom. I. lib. VIII. cap. XXIII.* GILB. MAVGVINVS, in *vindiciis praedeſtinationis & gratiae*, quas Pariſiis anno 1650 duobus voluminibus in 4. edidit; IO. CABASSVTIVS, in *notitia eccleſiaſtica hiſtoriarum, concilior. &c. ſaec. IV. p. 226. ſeqq.* HENR. NORISIVS, *hiſtor. Pelag. lib. II. cap. XV. p. 278.* item *p. 288. ſeqq.* At vero alii obſeruant, contigiſſe hic omnino, quod in controuerſiis theologicis contingere ſolet, vt nonnulli, alterum extremum euitaturi, in alterum prolabantur. Ipſum hic non prorſus eximendum eſſe AVGVSTINVM, patet ex iis, quae antea de eo diſputauimus. Diximus etiam, quo pacto ille monachos Adrumetinos, huic ſcopulo allidendos, ſcriptis ad eos duobus libris, altero *de gratia & libero arbitrio*; altero *de correptione & gratia*; in viam reuocauerit, certe reuocare voluerit. An enim ab AVGVSTINO moniti reſipuerint, quod nonnullis veroſimile videtur, alii adhuc dubitant, qui ab iis potius haereſin praedeſtinatianorum deriuant. Et licet ipſi nondum praedeſtinatiani dicti ſint; fieri tamen potuit, vt error, ab illis ortus, longius deinde in Gallia ſerperet, pluresque nanciſceretur propugnatores, AVGVSTINI auctoritate abutentes, & ab errore ipſo *praedeſtinatianos* dictos. Repugnat tamen NAT. ALEXANDER, qui monachos hoſce Adrumetinos *praedeſtinatianos* fuiſſe, negat, *hiſtor. eccleſ. ſaec. V. diſſertat. V. p. 212.* Sed id tamen exemplo monachorum iſtorum euidenter conſtat, ex AVGVSTINI adſertis facile potuiſſe aliquem eiuſmodi ſententiam haurire, quae praedeſtinatianis tribuitur. Luculentius adhuc idem patet exemplo LVCIDI presbyteri, quem eiuſmodi errores fouiſſe, negari nequit, & ipſemet NAT. ALEXANDER pluribus comprobat, *l. c. p. 216. ſeqq.* FAVSTVS, Reienſis epiſcopus, cuius antea iam facta mentio, epiſtolam ad eum dedit, qua ad veritatis catholicae profeſſionem illum reuocare voluit; ex qua ſimul, quaenam haereſeos praedeſtinatianae, cuius LVCIDVS reus peragebatur, fuerint capita, intelligitur. Exſtat ea, cum aliis FAVSTI opuſculis, in *bibliotheca maxima patrum tom. VIII. p. 524.* itemque in HENR. CANISII *lectionibus antiquis, tom. I. p. 352.* ex editione IAC. BASNAGII, qui & in *animaduerſionibus criticis*, eidem praemiſſis, contra GILBERT. MAVGVINVM, probat,

epiſtolas Fauſti & Lucidi, tamquam hominis perſonati, & ſubſcriptiones duodecim epiſcoporum, quas *epiſtolae* ſuae *ad Lucidum* adpoſuit FAVSTVS, itemque *Arelatenſe* & *Lugdunenſe concilium*, quorum ſententiam interpretari iuſſus erat, neutiquam fictitia aut ab homine haeretico ſuppoſita fuiſſe. Qua in re viri iſtius candor maximopere laudandus. Nimirum qui, omnino ſaeculo quinto haereſin quamdam praedeſtinatianorum exſtitiſſe, contendunt, id, quod de LVCIDO presbytero diximus, & quod duobus conciliis, Arelatenſi & Lugdunenſi, praedeſtinatianorum error damnatus ſit, vrgent. Maximum praeterea cauſſae ſuae praeſidium in auctore libri iſtius ponunt, quem ſub *praedeſtinati* nomine IAC. SIRMONDVS Pariſiis an. 1643 edidit; quippe qui praedeſtinatianam ex inſtituto impugnat haereſin; quem tamen vel hoc nomine reiiciunt alii, quod haud obſcure in ſemi-Pelagianorum aut omnino Pelagianorum militet caſtris. Conferenda, quae de eo diximus *cap. VI.* huius *libri* ad §. *V.* Reliqua, quae pro illorum ſententia adferri ſolent, qui, reuera praedeſtinatianam quamdam exſtitiſſe haereſin, exiſtimant, legi poſſunt apud IACOB. SIRMONDVM, in *hiſtoria praedeſtinatiana*, Pariſiis 1647 edita; cuius defenſionem poſt auctoris obitum, contra GILB. MAVGVINVM in ſe ſuſcepit LVD. CELLOTIVS, in *hiſtoria Godeſchalci*, itidem Pariſiis 1655 luci expoſita publicae; itemque apud DION. PETAVIVM, *dogmat. theolog. tom. I. lib. IX. cap. II.* & *tom. IV. lib. XIII. cap. VI.* vt & NAT. ALEXANDRVM *l. c. p. 216. & ſeqq.* Prodiit etiam non ita pridem *le predeſtinatianiſme, ou les hereſies ſur la praedeſtination, & la reprobation*, auctore I. B. DVCHESNE, ex ſocietate Ieſu, Pariſiis an. 1724. 4. Quo in tractatu hiſtorico & theologico eadem ſententia defenditur. Summa eius exhibetur *dans le iournal des ſçavans an. 1725. menſ. Octobr. p. 378. ſeqq.* Addenda, quae hac de re diſſeruit CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *ſpecimine hiſtoriae dogmat. de gratia & praedeſtinat.* ad §. *IV. p. 99. ſeqq.* & quae ipſemet dixi in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. IV. cap. II.* ad §. *XII. p. 1622. ſeqq.*

Ad *Neſtorianas Eutychianasque* nunc accedimus controuerſias, per quas haud vulgare theologia polemica accepit incrementum. Conſtat namque, NESTORIVM, Conſtantinopolitanum epiſcopum, negando Mariam Θεοτόκον dici poſſe, multis naturarum in Chriſto ſoluiſſe vnionem viſum, vnde acerrimae & funeſtiſſimae in eccleſia exortae ſunt contentiones. Primus, qui ei ſe vehementer oppoſuit, PROCLVS fuit, deſignatus eo tempore epiſcopus Cyzicenus, ſed a Cyzicenis reprobatus, adeoque Conſtantinopoli degens. Hic anno 429 praeſente Neſtorio homiliam *de Maria virgine* recitauit, in qua errores, quos illi tribuebat, refutauit. Inſcribitur ea: ἐγκώμιον εἰς τὴν παναγίαν Θεοτόκον Μαρίαν, *laudatio in ſanctiſſimam Dei genetricem Mariam*, & tum alibi, tum & cum aliis eiusdem homiliis, in FRANC. COMBEFISII *auctario nouo bibliothecae graeco-latinae patrum* exſtat, *tom. I. p. 302. ſeqq.* Comparatae huc ſunt & aliae quaedam ex eius homiliis, maxime autem, quae priorem apud COMBEFISIVM ſtatim excipit, atque inſcribitur: εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὰς ἐπαρυστρίδας· *de incarnatione domini noſtri Ieſu Chriſti & de infuſoriis*; in qua Arium, Eunomium, Macedonium, & Neſtorium, *quadriiugem diaboli currum*, adpellitat. Αἰσχυνέσθωσαν, inquit, Ἄρειος καὶ Εὐνόμιος, Μακεδόνιός τε καὶ Νεστόριος· τὸ τετράπωλον τοῦ διαβόλου ἅρμα· *Confundantur Arius & Eunomius, Macedoniusque & Neſtorius, quadriiugis diaboli currus; p. 315.* Idem PROCLVS etiam *epiſtolam* ſcripſit περὶ πίστεως *de fide ad Armeniae presbyteros & archimandritas*, qua Neſtorii & Theodori Mopſueſteni, quo Neſtorius praeceptore vſus fuerat,

erat, errores damnauit, Theodori tamen nulla facta mentione, ne Armenos, quibus cara erat eius memoria, offenderet. Inuenitur haecce *epiſtola* & in quibusdam *bibliothecis patrum*, & in *operibus* quoque PROCLI, tum a GEVERHARTO ELMENHORSTIO Lugduni Batauorum an. 1617. 8. tum a VINCENTIO RICCARDO Romae 1630. 4. iunctim editis. Sed de ſcriptis PROCLI, eorumque editionibus, legendus IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. vol. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXVIII. p. 601. ſeqq.* Si vera ſunt, quae de PROCLO hocce SOCRATES tradit, nemo temere eo ad theologiam polemicam fuit aptior. Non enim auctoritate & potentia ſummorum imperantium oppreſſit haereticos; ſed ſumma potius manſuetudine in rectam eos reducere viam allaborauit. Ἦν δὲ ἀνὴρ, inquit, ἀγαθὸς τὸ ἦθος, εἰ καί τις ἄλλος· ὑπὸ γὰρ τῷ Ἀττικῷ παιδευθεὶς, πάντα αὐτοῦ τὰ χρηστὰ ἐμιμήσατο· τὴν δὲ ἀνεξικακίαν πλέον ἢν ἐκεῖνος, ἐξήσκησεν· ὁ μὴν γὰρ τοῖς αἱρεσιώταις φοβερὸν ἐν καιρῷ ἑαυτὸν ἐπεδείκνυσεν· οὗτος δὲ προσηνὴς τοῖς πᾶσιν ἐγίνετο. τούτῳ δὲ μᾶλλον αὐτοὺς ἢ βίᾳ προσάγεσθαι προνοῶν· αἵρεσιν γὰρ οὐδεμίαν σκύλλειν αἱρούμενος, τὸ ἀξίωμα τῆς πρᾳότητος τῇ ἐκκλησίᾳ φυλάξας ἀπέδωκε· *Erat autem vir optimis moribus, ſi quisquam alius, praeditus; quippe ab Attico eruditus, cunctas eius virtutes ſtudioſe imitatus eſt. Patientiam vero magis etiam quam Atticus excoluit. Nam hic quidem interdum terribilem ſe haereticis exhibebat; Proclus vero placidus erga omnes fuit, dum haereticos hac ratione potius, quam vi, ad rectam fidem adducere ſtuderet. Cum enim nullam omnino haereſin exagitare inſtituiſſet, manſuetudinis dignitatem integram conſeruauit, ac veluti depoſitum quoddam eccleſiae reſtituit; hiſtor. eccleſ. lib. VII. cap. XLI. p. 386.* A qua manſuetudinis laude nimis multi illorum, qui polemica tractant, quam longiſſime ſunt remoti. Interim in verbis PROCLI commendatam adeo a SOCRATE lenitatem non ſemper deprehendi, ex antea adlato patet exemplo. Quidquid eius ſit; magno feruore in hoc cum Neſtorio certamen deſcendit CYRILLVS Alexandrinus, cuius in haecce cauſſa edita ſcripta, cum ſupra iam indicata ſint, ea vt hic repetamus, neceſſe non eſt. Gradus tamen admonitionis obſeruaſſe nonnullis videtur. Cum enim primum ad monachos Aegypti epiſtolam hac de re, Neſtorii nulla facta mentione, ſcripſiſſet, eaque Conſtantinopolin perlata, bilem mouiſſet Neſtorio; ipſe ad hunc ſcripſit CYRILLVS, &, vt ſententiam mutaret, admonuit. Cui cum Neſtorius reſpondiſſet, & quidem ita, vt magnam animi moderationem prae ſe ferret; CYRILLVS mox alteram ad eum miſit epiſtolam, quae, cum myſterium incarnationis & vnionis perſonalis luculenter in ea explicaſſet, laudata & adprobata fuit in concilio Epheſino. Recte autem monitis cum locum non relinqueret Neſtorius; re cum Coeleſtino epiſcopo romano communicata, concilia more ſaeculi tum Romae, tum Alexandriae congregata, & ex Alexandrino iterum litterae ad Neſtorium CYRILLI pariter ac concilii nomine miſſae, ſubiunctis duodecim anathematiſmis CYRILLI, quibus totidem contrarios NESTORIVS oppoſuit. Epiſtolae iſtae CYRILLI atque NESTORII, hactenus memoratae, exſtant inter *epiſtolas Cyrilli tomo V. operum* eius *part. II. p. 1. ſeqq.* Poſt CYRILLVM in hocce certamine comparuit MARIVS MERCATOR, de cuius nec patria, nec dignitate ſatis inter eruditos conuenit. Hoc tamen certum, eum ab anno 418 & ſequentibus claruiſſe, ſtrenuumque contra Pelagianos pariter ac Neſtorianos veritatis fuiſſe vindicem; quo nomine & haud vltimum locum inter ſcriptores huius ſaeculi polemicos promeretur. Opera eius ſtudio IO. GARNERII, cum eiusdem commentariis eruditiſſimis, prodierunt Pariſiis an. 1673. fol. Quaedam itidem notis illuſtrata luci

ci

ci publicae expoſuit GABR. GERBERONIVS, ſub RIGBERII nomine latitans, Bruxellis, an. 1673. 12. Sed & a STEPH. BALVZIO edita ſunt MERCATORIS opera, Pariſiis anno 1684. 8. Inter ea ad controuerſias Neſtorianas ſpectant: *comparatio dogmatum Pauli Samoſateni & Neſtorii*, ſiue, vt alii vocant, *epiſtola de diſcrimine inter haereſin Neſtorii & dogmata Pauli Samoſateni, Ebionis, Photini, & Marcelli*, in editione BALVCII *p. 50. ſeqq. contradictiones aduerſus anathematiſmos Neſtorii*, ſiue *Neſtorii anathematiſmi duodecim totidem anathematiſmis Cyrilli oppoſiti, a Mario latine verſi, addita ſingulis refutatione ſiue contradictione, p. 142. ſeqq. praefatio in varios Neſtorii ſermones latine a ſe verſos, p. 52.* quibus ipſi ſermones Neſtorii, itemque epiſtolae quaedam ad Cyrillum, & Cyrilli ad Neſtorium ſubiiciuntur; & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Recte autem de MARIO hocce MERCATORE pronuntiat GVIL. CAVEVS: *Haud ita multa proprio Marte compoſuit. Quae enim ab eo ſcripta ſuperſunt opera, non niſi farrago fere quaedam ſunt excerptorum, aliunde, praeſertim ex haereticorum ſcriptis deſumtorum. Certe longe plura ſunt, quae ex graecis latina fecit, quam quae proprio labore elucubrata nobis dedit: licet ipſe verſionibus ſuis praefationes plerumque adiungat, ad rei eccleſiaſticae ſcientiam ſane vtiliſſimas; hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. ſaec. V. p. 218.* Iungendus hiſce eſt IO. CASSIANVS, cuius antea inter ſemi-Pelagianos facta eſt mentio. A Leone namque, Romanae eccleſiae eo tempore archidiacono, poſtea epiſcopo, rogatus, *libros ſeptem de incarnatione Chriſti* aduerſus Neſtorium ſcripſit; vt GENNADIVS quoque Maſſilienſis docet, *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LXI. p. 137.* Scilicet, cum CHRYSOSTOMI diſcipulus eſſet CASSIANVS; haud exiguum haec ſcriptio momentum habitura credebatur. Exſtant autem *libri* iſti *ſeptem de incarnatione Chriſti* cum commentariis ALARDI GAZAEI inter opera eius Francofurti an. 1722. recuſa *p. 679. ſeqq.* Concludit CASSIANVS eos graui adhortatione ad Conſtantinopolitanos, vt partes Neſtorii deſerant. *Vnde obſecro*, inquit, *ac deprecor omnes vos, qui intra Conſtantinopoleos vrbis ambitum ſiti, & per affectum patriae ciues mei, & per vnitatem fidei fratres mei eſtis, vt ſeparetis vos ab illo, vt ſcriptum eſt, lupo rapaci, qui deuorat Dei populum, ſicut cibum panis. Ne tetigeritis, neque guſtaueritis quidquam illius; quia ſunt omnia in interitum, Exite de medio eius, ac ſeparamini, & immundum ne tetigeritis &c. lib. VIII. cap. XXXI. p. 808.* Conſtat hinc etiam, ſcriptos a CASSIANO hosce libros, cum Neſtorius adhuc Conſtantinopoli degeret; quod & pluribus confirmat HENR. NORISIVS, *hiſt. Pelag. lib. II. cap. XII. p. 167.* De reliquis, qui Neſtorianam impugnarunt haereſin, atque aut eodem, quo NESTORIVS, ſaeculo, aut deinceps vixerunt, THEODOTO Ancyrano, CAPREOLO Carthaginienſi epiſcopo, PROSPERO Aquitano, FAVSTO Reienſi, VIGILIO Tapſitano, GELASIO papa, SEVER. BOETHIO, LEONTIO Byzantino, IO. MAXENTIO, LIBERATO, aliisque, vt aliquid addamus, inſtituti noſtri non permittit ratio. Legendus de iis CASP. SAGITTARIVS, in *introd. ad hiſtor. eccleſ. cap. XXXIII. ſect. LIII. p. 1094.* cumprimis autem IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXIV. p. 256. ſeqq.* vbi tum veteres tum recentiores, qui de Neſtorio, eiusque haereſi ſcripſerunt, diligenter recenſet.

Vt autem iſti, quos commemorauimus, haereſin Neſtorianam oppugnarunt; ita alii rurſus eamdem defendere conati ſunt. Et ipſe quidem NESTORIVS *infinitos*, vt GENNADIVS Maſſilienſis auctor eſt; *compoſuit tractatus diuerſarum hypothe-*

theſeon; in quibus, ita pergit, *etiam cum ſubtili nequitia infudit poſtea proditae impietatis venena, quae moralis interdum occultabat ſuadela; de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LIII. p. 126.* Pauca tamen admodum ex eius ſcriptis, ea nimirum, quae in aduerſariorum eius commentationibus & actis conciliorum ſeruata ſunt, ad nos peruenerunt. Idque mirum non eſt, cum Theodoſii atque Valentiniani imperatorum legibus non tantum ſancitum ſit, ne quis Neſtorii ſcripta, quae cum ſcriptis Porphyrii coniunguntur, legat, aut ſeruet, ſed & mandatum, vt igni tradantur, vel vt verba conſtitutionis ſe habent, *vt comburantur, & perfectiſſimo interitui, mancipentur, ita vt in nullius cognitionem venire poſſint.* Exhibet haſce imperatorum, itemque praeſidum, qui prouinciis praeerant, ſanctiones, quibus Neſtorii & Neſtorianorum ſcripta prohibebantur, IAC. GRETSERVS *de iure & more prohibendi, expurgandi & abolendi libros haereticos &c. lib. I. cap. IX. p. 47. ſeqq.* Sermones quosdam atque epiſtolas Neſtorii a MARIO MERCATORE in linguam latinam translatas, in operibus eius legi, antea iam obſeruauimus. Quae alibi ex eius ſcriptis, praeſertim in *actis concilii Epheſini & Chalcedonenſis*, exſtant, diligenter recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXIV. p. 284. ſeqq.* GENNADIVS, Maſſilienſis, NESTORIVM *apertum ſe hoſtem eccleſiae, quem diu celarat, oſtendiſſe*, ait, dum *librum* ſcripſit *quaſi de incarnatione domini, ſexaginta & duobus diuinae ſcripturae teſtimoniis, prauo ſenſu conſtructum; de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LIII. p. 126.* Hunc eumdem eſſe, quem CYRILLVS Alexandrinus in *libris quinque contradictionum aduerſus Neſtorii blaſphemias*, qui *tom. VI. operum* eius *p. 1. ſeqq.* exſtant, oppugnat, & ex quo varia loca repetit, IO. GARNERIVS exiſtimat, *ad Mar. Mercat. tom. II. p. 322.* obſeruante, quem iam laudauimus, IO. ALB. FABRICIO, *l. c. p. 284.* Inter ſectatores Neſtorii licet primum forte locum obtineat IOANNES Antiochenus; ſcriptis tamen editis cauſſam illius non egit, niſi quod eius mandato vel inſtinctu ANDREAS, Samoſatenſium epiſcopus, CYRILLI *capitula* oppugnauit, idque leniori quadam ratione. Deinde vero, acri reſponſione CYRILLI aduerſus THEODORETVM offenſus, alium libellum compoſuit, in quo irae ſuae aut feruori plenas laxauit habenas. Sed praeter *epiſtolas* quasdam & *fragmenta* nihil eorum ad nos peruenit. Eodem tempore circa annum 431 RABBVLAS, epiſcopus Edeſſenus, floruit, qui initio inter acerrimos CYRILLI aduerſarios fuit, idque in concilio Epheſino ſatis demonſtrauit; deinde vero, mutata ſententia, tanta animi vehementia cauſſam eius defendendam ſuſcepit, vt ſynodo Edeſſae congregata omnia THEODORI, THEODORETI & ANDREAE Samoſatenſis ſcripta, contra CYRILLI *capitula* edita, non tantum anathemate percuſſerit, ſed & comburenda decreuerit. Interim nec ex eius ſcriptis quidquam ad nos peruenit, praeter *epiſtolam* quamdam, non prorſus integram. De vtroque, & ANDREA & RABBVLA, conferatur GVIL. CAVE, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. V. p. 235.* itemque LVD. DOVCINVS, in *hiſtoria Neſtorianiſmi lib. I. p. 115. ſeqq. lib. II. p. 223. lib. III. p. 282. ſeqq.* De THEODORETO, eiusque in cauſſa Neſtoriana ſcriptis, ſupra iam ex inſtituto diximus. Addendus autem adhuc IBAS Edeſſenus, qui famoſam illam *ad Marin Perſam* ſcripſit *epiſtolam*, in qua animum in CYRILLVM Alexandrinum iniquum prodidit, laudatoque THEODORO Mopſueſteno, cauſſae Neſtorianae haud obſcure patrocinatus eſt. Haec nimirum eſt illa *epiſtola*, quae cum *excerptis* ex THEODORI Mopſueſteni *ſcriptis*, & THEODORETI aduerſus CYRILLVM, *trium capitulorum* nomine venit,

nit, quae, in concilio oecumenico quinto, Conſtantinopoli anno 503 congregato, damnata, multis magniſque in eccleſia motibus occaſionem dederunt. Legendi hac de re LIBERATVS, *trium* iſtorum *capitulorum* defenſor acerrimus, in *breuiario*, praeſertim *cap. XXIV.* EVAGRIVS, *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. XXXI.* & ex recentioribus IO. GARNERIVS, in *diſſertat. critic. de quinta ſynodo generali*, quae inter eas, quae de THEODORETO agunt, *quarta* eſt, *tomo V. operum* THEODORETI, *p. 493. ſeqq.* HENR. NORISIVS, itidem in *diſſertat. de ſynodo quinta oecumenica*, quae *hiſtoriae* eius *Pelagianae* ſubiuncta eſt; & NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſiaſt. ſaec. VI. cap. III. artic. I. p. 391. ſeqq.* item in *diſſertat. IV.* huius *ſaeculi p. 507. ſeqq.* Addatur IO. LA PLACETTE, in *obſeruationib. hiſtorico-eccleſiaſticis part. poſt. obſeruat. X. p. 190. ſeqq.* vbi ex iis, quae in hacce cauſſa geſta ſunt, concludit, neminem ea aetate crediſſe, pontificem errare non poſſe. THEODORVM Mopſueſtenum, cuius hic iterum facta eſt mentio, Pelagianorum pariter ac Neſtorianorum fuiſſe praecurſorem, ſupra iam obſeruauimus. De ſcriptis eius conferendus IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. vol. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXIII. p. 153. ſeqq.*

Quae cum theologia polemica coniuncta ſunt incommoda, in hocce certamine luculentiſſima quadam ratione conſpicere licet. NESTORIVS namque, iungendo ignorantiae ambitionem, controuerſiae originem dedit, exemplo ſuo comprobaturus, communem hunc eſſe haereſium & controuerſiarum theologicarum fontem. SOCRATES, cum obſeruaſſet, Neſtorium vocem *deiparae* velut *laruam quamdam reformidaſſe*, idque illi ὑπὸ ἀμαθίας πολλῆς *ex grauiſſima imperitia* contigiſſe, addit: Φυσικῶς γὰρ εὔλαλος ὤν, πεπαιδεῦσθαι μὲν ἐνομίζετο· τῇ δὲ ἀληθείᾳ, ἀνάγωγος ἦν καὶ τὰς τῶν παλαιῶν ἑρμηνέων βίβλους, ἀπηξίου μανθάνειν· τυφούμενος γὰρ ὑπὸ τῆς εὐγλωττίας, οὐκ ἀκριβῶς προσεῖχε τοῖς παλαιοῖς, ἀλλὰ πάντων κρείττονα ἐνόμιζεν ἑαυτόν· *Cum enim naturali facundia eſſet praeditus, eruditus quidem videbatur, reuera tamen erat indoctus. Libros etiam veterum interpretum haud quaquam legere dignabatur. Arrogantia enim elatus ob dicendi facultatem, non ſatis adcurate vetuſtioribus legendis operam dabat, ſed ſe ipſum reliquis omnibus praeſtare arbitrabatur; hiſt. eccleſiaſt. lib. VII. cap. XXXII. p. 374.* Eiusmodi vtique homines ad res nouas moliendas, & certamina excitanda, prae reliquis apti ſunt. Quantis autem animorum motibus haec controuerſia, praeſertim inter CYRILLVM & NESTORIVM, agitata fuerit, ex hiſtoria eccleſiaſtica conſtat, nec, vt id repetamus, huius loci eſt. Sunt, qui putant, initio NESTORIVM CYRILLI mentem non intellexiſſe, & forte nec CYRILLVM NESTORII. Lectu digna, quae hac de re obſeruauit beatus CHRIST. KORTHOLTVS, *hiſtor. eccleſ. ſaec. V. p. m. 168.* Idque & SOCRATES innuit, quando dicit: καὶ ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ καθεστῶτες, νῦν μὲν ταῦτα ἔλεγον, νῦν δὲ τὰ ἕτερα· συγκατετίθεντό τε ἐν ταυτῷ, καὶ ἠρνοῦντο· *Ac veluti in nocturna quadam pugna temere dimicantes, modo haec, modo illa dicebant, idem adfirmantes pariter ac negantes; hiſt. eccleſ. lib. VII. cap. XXXII. p. 373.* Accedebat, quod vtraque pars, more in theologia polemica non inuſitato, nominibus vteretur ad inuidiam alteri conflandam comparatis. NESTORIVS enim doctrinam CYRILLI vt *ſycophantiam, paganiſmum, Apollinariſmum, Arianiſmum* traducebat. NESTORIVS contra *Samoſatenianiſmi & Photinianiſmi* arguebatur. Νεστόριος μὲν, inquit SOCRATES, δόξαν παρὰ τοῖς πολλοῖς εἶχεν, ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον λέγων τὸν κύριον, καὶ ὡς Παύλου τοῦ Σαμοσατέως καὶ Φωτεινοῦ τὸ δόγμα εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἄγων· *Neſtorium vero plerique in ea ſententia eſſe exiſtimabant, vt dominum nudum*

Digitized by Google

dum eſſe hominem adſereret, & Pauli Samoſatenſis ac Photini dogma in eccleſiam inueheret, l. c. p. 374. Nec tamen aut Samoſatenianum, aut Photinianum fuiſſe Neſtorium, SOCRATES ibidem contendit. Initio equidem tantum de voce θεοτόκος certabatur, an beata virgo Maria ita dici poſſet? quod negabat Neſtorius, eam potius χριστοτόκον vocandam, adſerens. Cum vero tam pertinaciter ſuam ſententiam defenderet, vt nulla ratione ab ea dimoueri poſſet; ipſa, quae inde deduci poterant, eum ſimul inſinuare dogmata, exiſtimabant, qui illi ſe opponebant, quae deinceps in progreſſu controuerſiae apertius prodidiſſe, creditur. Quaenam autem iſta dogmata ſint, indicaui *inſtitut. theolog. dogmat. lib. IV. cap. II.* ad *§. XLIV. p. 1147.* CYRILLI facta multis veterum diſplicuiſſe, conſtat. Nomina illorum indicat IOAN. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXIV. p. 295.* Ex recentioribus LVDOVICVS ELL. DVPIN, CYRILLVM aequitatis ac moderationis limites in hoc negotio tranſiliiſſe, iudicat; *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. III. part. II. p. 267.* Idem vero vir doctus Neſtorii cauſſam ita egit, vt ipſemet apud ſuos in ſuſpicionem Neſtorianiſmi veniret; vnde &, quae hac de re ſcripſit, cum aliis quibusdam reuocare coactus eſt, vt iam alibi nobis obſeruatum eſt; conf. LVDOVICVS DOVCINVS, in *hiſtoria Neſtorianiſmi lib. VI. p. 552.* Fuerunt vero & alii, qui, licet Neſtorianiſmum, hoc eſt, doctrinam, quae vulgo Neſtorio tribuitur, iure damnatam faterentur; ipſum tamen Neſtorium defenderent, aut excuſarent, eumque ea, quae a Cyrillo aliisque illi vulgo adſcribuntur, reuera ſtatuiſſe, ſibi perſuadere nequirent. DAV. DERODONEM, in libro *de ſuppoſito*, iuſſu ſupremae curiae Tholoſanae flammis tradito, EL. SAVRINVM, PETR. BAELIVM, aliosque, hoc feciſſe, conſtat, de quibus & ex inſtituto iam dixi in *inſtitut. theologiae dogmat. lib. IV. cap. II.* ad *§. XLIV. p. 1148. ſeqq.* CHRIST. AVGVST. SALIG in eamdem conceſſiſſe ſententiam, cauſſamque Neſtorii acriter agere, in *Eutychianiſmo ante Eutychen, ſeu tractatu hiſtorico & theologico de Eutychianis vere & falſo ſuſpectis, cap. XXIII. p. 200. ſeqq.* & *cap. XXIV. p. 212. ſeqq.* ſupra iam nobis obſeruatum eſt, cum de CYRILLO verba faceremus. Addendi adhuc MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROZE, in *hiſtoria chriſtianiſmi Indorum*, gallice ſcripta, *lib. I. p. 8. ſeqq.* & PAVL. ERNEST. IABLONSKI, in *exercitat. hiſtorico-theologica de Neſtorianiſmo, & illa inprimis Neſtorianorum phraſi, qua humanam Chriſti naturam templum diuinitatis vocare ſolebant*, Berolini anno 1724. 8. edita, praeſertim *§. I. & II.*

Ad reliqua incommoda, ex controuerſiis Neſtorianis exorta, & hoc acceſſit, vt EVTYCHES, Neſtorianum errorem euitaturus, in contrarium prolaberetur, naturasque, quas Neſtorius ſeiunxit, aut certe ſeiunxiſſe credebatur, inter ſe confunderet. Hanc enim Eutychianae haereſeos originem eſſe, conuenit fere inter omnes; conf. IO. FABRICII diſſertatio: *Scylla theologica*, in *amoenitatibus* eius *theologicis cap. XII.* Loquutiones tamen etiam quasdam CYRILLI, perperam intellectas, Eutychi errandi occaſionem praebuiſſe, fatetur DION. PETAVIVS, *dogmat. theolog. tom. V. de incarnat. lib. I. cap. XIII. p. 31.* Res in hac controuerſia violentis potius conſiliis, & ſynodorum decretis, immo latrociniis, quam ſcriptis acta; hinc non adeo multa theologiae polemicae monumenta. Tam foeda iam eo tempore eccleſiae chriſtianae erat facies, EVSEBII tamen Dorylaeenſis, qui Eutychi non minus, quam Neſtorio, acriter ſe oppoſuit, *libellus accuſationis aduerſus Eutychen*, quem ſynodo Conſtantinopolitanae obtulit, & alia quaedam in conciliorum collectionibus exſtant. Idem de ATHANASII, presbyteri Alexandrini, *libello*

bello aduerſus Dioſcorum, patribus concilii Chalcedonenſis oblato, item ISCHYRIONIS & THEODORI, eccleſiae Alexandrinae diaconorum, & tandem SOPHRONII, hominis laici, eiusdem argumenti libellis obſeruandum. LEO quoque I, ſeu magnus, epiſcopus romanus, ſermonem in *baſilica ſanctae Anaſtaſiae contra haereſin Eutychis* habuit, qui nonageſimus tertius eſt, legiturque inter opera eius, a PASCH. QVESNELLO edita, *p. 178. ſeqq.* Circumfertur & ſub LEONIS nomine *tractatus aduerſus errores Eutychetis, & aliorum haereticorum*, quem PASCHAS. QVESNELLVS in *adpendice ſermonum* LEONIS exhibet, *p. 190.* quem tamen perperam eidem tribui, viri docti euicerunt. PETRVS porro CHRYSOLOGVS *epiſtolam* ad *Eutychen* ſcripſit, qua ad fidem catholicam eum reducere adlaborauit. Exſtat tum alibi, tum & inter *miſcellanea ſanctorum aliquot patrum graecorum & latinorum*, quae GREGORII thaumaturgi *operibus* Moguntiae anno 1604 a ſe editis, adiunxit GERH. VOSSIVS, *p. 405.* De iis, quae LEONTIVS Byzantinus aduerſus Neſtorianos pariter ac Eutychianos ſcripſit, deinceps dicemus. Fuiſſe itidem nonnullos, qui Eutychen, ſi non defenderent, certe excuſarent, eiusque ſententiam ita explicari poſſe, cenſerent, vt a vera & orthodoxa non differat doctrina, idque cumprimis MICHAELEM LEQVIEN egiſſe, a me iam obſeruatum in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. IV. cap. II.* ad §. *XLIV. p. 1156.*

Domeſticae illae chriſtianorum in hocce ſaeculo dimicationes cum plerorumque animos calamosque occupatos tenerent; mirum non eſt, paucos exſtitiſſe, qui chriſtianam religionem contra Iudaeos aut ethnicos defenderent; quamquam & ab haereticis eo tempore maius eccleſiae chriſtianae imminuerit periculum, quam aut ab ethnicis, aut a Iudaeis. THEODORETI *de curandis Graecorum adfectionibus libros duodecim*, Iuliano imperatori oppoſitos, itemque iſtud, quod contra eumdem imperatorem pro chriſtiana religione CYRILLVS Alexandrinus ſcripſit, opus, ſupra iam commemorauimus. Referri huc etiam poſſunt THEODORETI *de prouidentia orationes decem*, quae *tomo IV. operum* eius exſtant, *p. 319. ſeqq.* De PAVL. OROSII *hiſtoriarum aduerſus paganos libris VII.* itidem iam ſupra dictum. Sed cumprimis hic laudandus eſt AVREL. PRVD. CLEMENS, haud vltimi ordinis inter chriſtianos poëta, ob *libros duos aduerſus Q. Symmachum*. SYMMACHI namque relationem ad Valentinianum II imperatorem, *pro ara victoriae*, in qua deorum reſtaurandum cultum ſuadebat, dum refellit; chriſtianae ſimul religionis cauſſam contra ethnicos egit. Scripſit autem & AMBROSIVS contra hancce SYMMACHI *relationem*, quae & inter *opera* AMBROSII, & in *epiſtolis* eius exſtat, & *duobus* hiſce PRVDENTII *libris* praemiſſa eſt in editione CHRIST. CELLARII, *p. 398. ſeqq.* Eiusdem PRVDENTII quoque hic non praetermittenda eſt *apotheoſis.* Etſi enim in ea contra haereticos agat, alium ſibi Deum fingentes, quam qui reuelatus in ſcripturis eſt; ſimul tamen & contra Iudaeos diſputat, *p. 279.* editionis CHRISTOPH. CELLARII, & quaedam etiam, quae ethnicos feriunt, admiſcet. Nec alienus ab hoc loco eſt AEN. GAZAEVS, ex philoſopho Platonico chriſtianus, quippe qui *dialogum* ſcripſit, *Theophraſtum* dictum, *de animarum immortalitate, & corporis reſurrectione.* Inter praecipua enim capita haec erant, ſuper quibus chriſtianis cum gentilium philoſophis pugnandum erat. Prodiit autem dialogus iſte tum alias, tum & cum verſione & notis CASP. BARTHII, Lipſiae an. 1658. 4. De GREGENTII, quem nonnulli ad ſaeculum quintum referunt, cum tamen rectius in ſequenti ſaeculo ſexto ponatur, *diſputatione cum Herbano Iudaeo*, deinceps dicemus.

De

Digitized by Google

De reliquis, qui minoris momenti ſunt, vt ſimus ſolliciti, neceſſe non eſt.

In ſexto ſaeculo primum ſe nobis offert ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETHIVS, generis dignitate, & eruditionis, pro temporis iſtius ratione, gloria illuſtris. Locum vero is vel hoc nomine hic ſibi depoſcit, quod ARISTOTELIS ſcripta varia in linguam latinam transferendo, Ariſtotelicamque philoſophiam cum theologia coniungendo, occaſionem aliis dederit, non dogmaticae ſolum, ſed & polemicae theologiae nouam faciem conciliandi. Repetenda, quae *libri* huius *cap. I. §. VIII.* de eo diximus. Ipſe etiam ſcriptis polemicis innotuit, libro ſcilicet *aduerſus Eutychen & Neſtorium de duabus naturis & vna perſona Chriſti;* item: *quod trinitas ſit vnus Deus & non tres dii, ad Symmachum ſocerum:* porro: *vtrum pater, filius & ſpiritus ſanctus de diuinitate ſubſtantialiter praedicentur, ad Ioannem diaconum.* Conferenda, quae tum de his, tum de reliquis BOETHII ſcriptis IO. CLERICVS diſſerit, in *biblioth. ſelect. tom. XVI. artic. IV. p. 192. ſeqq.* Hunc excipit FACVNDVS, Hermianenſis in Africa epiſcopus, *haereticorum penetrabili ſubtilitate deſtructor*, vt CASSIODORO in *pſalm. CXXXVIII.* audit. *Trium*, quae vocant, *capitulorum*, de quibus ante dictum, propugnator ſtrenuus atque acerrimus fuit, pro quorum defenſione *libros XII.* ad Iuſtinianum imperatorem ſcripſit, in quibus cumprimis THEODORI Mopſueſteni cauſſam egit, quem vt haereticorum eximeret numero, omnes ingenii vires intendit; conf. HENR. NORISIVS, in *diſſertat. hiſtorica de ſynodo quinta oecumenica, cap. III. p. 15.* alibique, & NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. VI. cap. IV. artic. VII. p. 408.* Scripſit porro contra *Mutianum* ſeu *Mocianum ſcholaſticum*, qui Africanos epiſcopos, quod ſe a Vigilio, epiſcopo romano, trium capitulorum cauſſa, poſt illius *indicatum* ſegregauerant, reprehenderat; immo ipſum potius Vigilium in hocce libro impugnat. Acceſſit hiſce *epiſtola catholicae fidei pro defenſione trium capitulorum*, quam in lucem primum protraxit, ediditque IO. LVC. D'ACHERY, in *ſpicilegio* ſuo, ſiue *collectione veterum aliquot ſcriptorum, tom. III. p. 307.* editionis nouiſſimae, quae opera & ſtudio LVD. FRANC. IOS. DE LA BARRE prodiit. NAT. ALEXANDER ex hacce *epiſtola* colligit, FACVNDVM *ſchiſmaticum fuiſſe, & in ſchiſmate occubuiſſe, l. c. p. 408.* Iunctim haecce FACVNDI opera, OPTATO Mileuitano ſubiecta, edidit PHIL. PRIORIVS, Pariſiis 1675. fol. Priora autem duo ſcripta, iam antea 1629 notis illuſtrata, publicae luci expoſuit IAC. SIRMONDVS, quae & cum eiuſdem SIRMONDI notis exſtant in *bibliotheca maxima patrum tomo X. p. 1. ſeqq. & pag. 109.* Referri ad hocce ſaeculum etiam ſolet ANASTASIVS Sinaita, auctor, vt putatur, libri: ὁδηγὸς, *dux viae*, in quo contra Acephalos, Seuerianos, aliosue, qui vnam tantum in Chriſto naturam ſtatuebant, diſputat, eosque tum ſcripturae ſacrae, tum veterum patrum effatis ac teſtimoniis, parum tamen adcurate, ad patres quod attinet, indicatis, refutare adnititur. Sed ANASTASIVM, presbyterum & monachum Palaeſtinum in monte Sina, qui ſaeculo ſeptimo floruit, vulgo cum ANASTASIO epiſcopo Antiocheno, qui ſaeculo ſexto vixit, & aphthartodocetarum de incorruptibilitate corporis Chriſti commenta ſtrenue impugnauit, confundi, & tum ab hocce, tum ab alio ANASTASIO iuniori, qui priori in epiſcopatu Antiocheno, circa finem ſaeculi ſexti ſucceſſit, adcurate diſtinguendum, eumque ὁδηγοῦ iſtius, aliorumque ſcriptorum auctorem eſſe, docet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXV. pag. 312.* qui & ibidem EDM. ALBERTINVM, IO. DALLAEVM, MATTH. LARROQVANVM, aliosque laudat, qui id itidem iam mo-

monuerint, ab vtroque ANASTASIO Antiocheno, Sinaitam iſtum probe diſcernendum. Suffragatur etiam hactenus viro huic doctiſſimo IAC. BASNAGIVS, dum non tantum, ab vtroque Antiocheno, Sinaitam illum diuerſum fuiſſe, fatetur, ſed &, ſi ὁδηγὸς iſte vni ex ANASTASIIS hiſce tribuendus ſit, eum omnium rectiſſime Sinaitae iſti vindicari; magis tamen adprobat ſententiam RICH. SIMONIS, *biblioth. choiſie lib. II. pag. 25.* adſerentis; ὁδηγὸν iſtum eſſe opus *incogniti* cuiusdam *compilatoris*; ſiquidem nihil aliud ſit, quam *collectio variorum auctorum & argumentorum aduerſus acephalos, inter quae ſubiiciantur aliqua ex Anaſtaſio elicita*; in *obſeruatione*, ſcriptis quibusdam ANASTASII Antiocheni praemiſſa, *tomo I. lection. antiquar.* HENR. CANISII *p. 434.* Idem BASNAGIVS, cum antea monuiſſet, auctori ὁδηγῦ non credendum, quoties patrum ſcripta indicet, cum ipſemet fateatur, ſe cum iſta ſcriberet, *inopia librorum* laboraſſe; de ipſomet hocce libro hancce pronuntiat ſententiam: *de trinitate & incarnatione prudenter loquitur; multa tamen habet, quae theologiam ſcholaſticam ſapiunt, & nimis ſubtilia nobis videntur; pag. 433.* Primus graece & latine ὁδηγὸν iſtum edidit IAC. GRETSERVS, Ingolſtadii 1606. 4. in qua tamen editione viri docti multa deſiderant, optantque, vt textus graecus adcuratius recudatur; latine exſtat in *bibliotheca maxima patrum tom. IX. p. 810.* Antiocheni iſtius ANASTASII commemorandi adhuc περὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ὀρθῶν τῆς ἀληθείας δογμάτων λόγοι ε. *de noſtris rectis dogmatibus veritatis, orationes quinque*; prima ſcilicet *de ſacra trinitate*, ſecunda *de incircumſcripto*, tertia *de diuina oeconomia, id eſt incarnatione*, quarta *de paſſione & impaſſibilitate Chriſti*, & quinta denique *de reſurrectione Chriſti*, quae latine tantum exhibentur in HENR. CANISII *lectionibus antiquis tom. I. p. 436. ſeqq.* Graece equidem adhuc exſtant, ſed nondum ſunt editae. In iisdem *lectionibus antiquis* CANISII legitur etiam *oratio* ANASTASII *de ſacra ſynaxi, & de non iudicando, deque obliuione iniuriarum*, graece & latine, quam adcuratius emendatiusque edidit FR. COMBEFISIVS, in *auctario nouo biblioth. patrum tom. I. p. 882. ſeqq.* ſecundum quam editionem eam deinceps exhibuit IAC. BASNAGIVS, *l. c. p. 465. ſeqq.* id quod & de *homiliis duabus in pſalmum ſextum* obſeruandum, quas COMBEFISIVS, *l. c. p. 907. ſqq.* ſiſtit, quarum prior tantum apud CANISIVM exſtat, *p. 480. ſeqq.* Haſce autem *homilias*, vti & *orationem de ſacra ſynaxi*, non Antiocheno, ſed Sinaitae illi ANASTASIO, tribuit IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 330.* qui & de reliquis vtriusque ANASTASII ſcriptis legendus eſt. Ex haereticis Eutychiani maxime hocce, vti & ſequenti ſeptimo ſaeculo, eccleſiae tranquillitatem turbabant; quorum certaminum quae fuerit ratio, iam antea dictum eſt. In varias autem Eutychianos iterum abiiſſe ſectas, notum eſt, de quibus praeter alios diligenter differit IAC. BASNAGIVS, in *praefatione, antiquis lectionibus* HENR. CANISII a ſe editis praemiſſa, *cap. III. p. 23. ſeqq.* Harum quibusdam vt nonnulla ex hactenus commemoratis ſcriptis fuere oppoſita; ita de reliquis ad *§. ſequentem* dicemus.

Ab ethnicis cum nullum amplius eccleſiae chriſtianae immineret periculum; mirum non eſt, non exſtitiſſe, certe non occurrere memoratu dignos, qui chriſtianae religionis contra eos vindicauerint veritatem. Ad Iudaeos autem quod attinet, praetermittenda non eſt illuſtris illa diſputatio, quam GREGENTIVS Taphrenſis archiepiſcopus, per dies quinque coram Abramio rege Homeritarum chriſtiano, & epiſcopis, magnaque chriſtianorum ac Iudaeorum multitudine, in vrbe Taphar, ſeu Saphar, Homeritarum in Arabia felici metropoli, circa annum 540 cum HERBANO, Iudaeorum eo tempore doctiſſimo, inſtituiſſe

tuiſſe perhibetur. *Acta* huius *diſputationis*, graece, cum verſione latina a ſe concinnata, & notis, edidit NIC. GVLONIVS, Pariſiis an. 1586. Hinc in vtraque lingua in quibusdam patrum collectionibus recuſa, latine autem in *bibliotheca maxima patrum* ſeu *Lugdunenſi* exſtant, *tomo VI. p. 1014. ſeqq.* Summam illorum exhibet CAROLIOS. IMBONATVS, in *bibliotheca latino-hebraica p. m. 58. ſeqq.* Auctorem iſtorum *actorum* CASP. BARTHIVS, *lib. V. aduerſar. c. III.* PALLADIVM Alexandrinum eſſe, putat, non repugnante IO. ALB. FABRICIO, *biblioth. graec. vol. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXII. p. 14.* Lectu ea non indigna ſunt, nec contemnenda argumenta, quibus GREGENTIVS contra HERBANVM pugnat; etſi a fabulis prope abeſſe, totamque rem ſuſpectam reddere videantur, quae de miraculis, terrae ſcilicet motu, & Chriſto in nubibus adparente, & Iudaeos ita alloquente: *propter magnam archiepiſcopi inuocationem, appareo vobis in oculis veſtris, ego crucifixus a patribus veſtris*, Iudaeis tum omnibus oculorum vſu ademto, nec niſi baptizatis reſtituendo, conuerſis autem hac ratione, & lauacro ſpirituali tinctis, quinquies mille quingentis millibus, narrantur.

§. V. Cum ſaeculo ſeptimo, octauo atque nono, controuerſiae hactenus agitatae, nondum prorſus conſopitae eſſent, aut ſubinde recrudeſcerent, nouae etiam inſuper de imaginum cultu ac veneratione, itemque cum Mohammedanis, de praedeſtinatione porro ac ſacra euchariſtia accederent; fieri aliter non poterat, quam vt & in hocce temporis interuallo ſcriptorum polemicorum numerus augeretur. Immutata inſuper & philoſophia, & ſtudiorum ratio, ſenſim quoque methodo tractandi, vt reliquis theologiae partibus, ita & polemicae, mutationem quamdam adferre coepit. *

* Ad ſaeculum ſeptimum dum nos conuertimus, LEONTIVS Byzantinus ſtatim ſeſe nobis offert, ob varia ingenii, quae ad theologiam polemicam ſpectant, monumenta. Ad hocce enim eum recte referri ſaeculum, vel inde patet, quod viris doctis obſeruatum eſt, ex ipſo eius *de ſectis* opere conſtare, illud poſt mortem IO. PHILOPONI, de quo mox dicemus, ſcriptum eſſe. Iſtud autem *de ſectis* opus, quod ex ore THEODORI abbatis excepit, in decem, πράξεις ſeu *actiones* diſtributum eſt; quarum prima ſummatim hiſtoriam fidei noſtrae, cum obſeruationibus in haereſin Arii, Sabellii, Neſtorii, & Eutychis, & expoſitione doctrinae de trinitate, & incarnatione, itemque de diſtinctione naturae & hypoſtaſeos, exhibet; *ſecunda* libros canonicos veteris teſtamenti eosdem, quos & nos cum Iudaeis recipimus, itemque noui teſtamenti, recenſet, & Iudaeos quibusdam argumentis refutat; *tertia* veteris eccleſiae doctores ſeu patres, qui a Chriſto nato vsque ad Conſtantinum magnum vixerunt, enumerat, haereticorum etiam, qui iſto temporis interuallo vixerunt, facta mentione; *quarta* originem haereſeos Macedonii, Apollinaris, Neſtorii, & Eutychis exponit, & huius hiſtoriam vsque ad Dioſcori condemnationem proſequitur; *quinta* certamina, occaſione concilii Chalcedonenſis in eccleſia exorta, & auctoritate imperatoris compoſita, per quaeſtionem autem de corruptibilitate & incorruptibilitate corporis Chriſti, hinc per agnoëtas & tritheitas continuata, refert; quae ſequuntur, *quatuor actiones* continent reſponſionem ad obiectiones contra concilium Chalcedonenſe; *prima* ſcilicet, ſeu *ſexta*, ad difficultates hiſtoricas reſpondet, *altera*, ſeu *ſeptima*, ad ra-

Digitized by Google

ratiocinia, *tertia*, ſeu *octaua*, ad teſtimonia patrum, *quarta*, ſeu *nona*, ad verba quaedam concilii Chalcedonenſis, quae haereſi Neſtorii fauere videbantur; *decima* denique Gaianitis, corpus Chriſti corruptibile eſſe, negantibus, itemque agnoëtis & Origeniſtis, eſt oppoſita. Edidit huncce LEONTII *de ſectis* librum cum aliis quibusdam opuſculis graece & latine IO. LEVNCLAVIVS Baſileae anno 1578. 8. Latine ex verſione LEVNCLAVII exſtat in *bibliotheca maxima patrum, tom. IX. p. 661. ſeqq.* Scripſit porro LEONTIVS hicce *libros tres contra Neſtorianos & Eutychianos*, quorum primus *confutationem vtriusque fictionis inter ſe contrariae, Neſtorii & Eutychis, circa diuinitatem Chriſti & humanitatem*, continet, cui & plurima veteris eccleſiae doctorum ſiue patrum teſtimonia ſubiunxit; alter *dialogum contra aphthardocetas, hoc eſt, eos, qui, corpus Chriſti ante reſurrectionem fuiſſe incorruptibile, adſerebant*; tertius denique *de Neſtorianorum impietate ſecreto tradita principio, & de eius parentibus (Theodoro Mopſueſteno, & Paulo Samoſateno) triumphum.* Apollinariſtarum erroribus, vt ſupra iam indicatum, ſe oppoſuit in *libro aduerſus eos, qui proferunt nobis quaedam Apollinarii, falſo inſcripta nomine ſanctorum patrum*, ſiue, vt alias vocatur, in *libro aduerſus fraudes Apollinariſtarum*; Eutychianorum, ſpeciatim acephalorum, in *ſolutionibus argumentationum Seueri*; ſed & ad easdem cum Eutychianis controuerſias ſpectant eiusdem *dubitationes hypotheticae & definientes contra eos, qui negant eſſe in Chriſto poſt vnionem duas veras naturas.* Atque haecce omnia latine, ex interpretatione FRANC. TVRRIANI, exhibentur in *lectionibus antiquis* HENR. CANISII, *tomo I. p. 527. ſeqq.* ex editione IAC. BASNAGII. Lectu prorſus digna, quae in *obſeruationibus*, hiſce opuſculis praemiſſis, BASNAGIVS de LEONTIO diſſerit; vbi & de ſcriptis eius hunc in modum pronuntiat: *Eruditiſſimum credidit Leontium Caniſius, ea ratione, quod ſemper illis in argumentis occupetur, quae exerceant ſcholaſticae theologiae profeſſores. Iudicabunt forſan aliter alii, eumque tanto ingenii & doctrinae adparatu volumina ſua exaraſſe ſunt negaturi. Nihil enim ſublime in eis ſcriptis occurrit. Subtilis eſt more Graecorum; ſed leuibus parumque firmis gaudet argumentis. Ita vt merito ſe non theologum fuiſſe confiteatur. Patres indicat ſaepius, ſed prorſus oſcitanter; Iuſtino martyri librum de trinitate; Petro Alexandrino homiliam de aduentu Chriſti tribuit; quae tantorum virorum numquam fuere. Idem benedictiones Balaam Hippolyto, tamquam genuino parenti, immo Athanaſio tractatum de trinitate vindicat; p. 533. 534.*

Celebris etiam ſaeculo hocce ſeptimo fuit IOANNES grammaticus, qui a multitudine ſcriptorum, ſummaque in litterarum ſtudiis aſſiduitate ac laborum tolerantia, *philoponi* nomen ſortitus eſt; qui tamen haereticis potius, quam catholicis doctoribus, adnumerandus eſt, etſi quaedam pro religionis chriſtianae veritate ſcripſerit. Mentem nimirum malam PHILOPONVS prodidit in *libro aduerſus ſynodum Chalcedonenſem*, qui non amplius exſtat. PHOTIVS tamen, qui eius mentionem facit, ſimulque, auctorem non tam φιλόπονον quam ματαιόπονον dicendum, contendit, nos condocet, quod impudenter ſynodo huic Neſtorii impingere ſectam conatus ſit; *cod. LV. p. 47.* Nimirum, cum ſecundum philoſophiae Ariſtotelicae, qua imbutum fuiſſe PHILOPONVM, conſtat, ſcita, fixum animo eius maneret, hypoſtaſin & naturam eſſe vnum idemque; vnicam in Chriſto naturam, reiecto concilio Chalcedonenſi, adſeruit; cumque illi obiiceretur, tres tamen in diuinitate eſſe ὑποστάσεις, tres in ea naturas admittere, quam mutare ſententiam maluit, atque ita in tritheiſmum prolapſus eſt, immo tritheita-

rum

rum auctor exſtitit. Iſtum vero errorem ſuum in *libro aduerſus ea, quae de ſacro-ſancta trinitate docuit Ioannes ſcholaſticus*, (patriarcha Conſtantinopolitanus) propugnare auſus eſt, qui itidem non amplius exſtat. PHOTIVS autem de eo ita pronuntiat: ἔστι δὲ τὴν φράσιν ὅμοιος ἑαυτῷ· σαφής τε γὰρ καὶ οὐδὲν μετέχων τόνου ἢ σεμνότητος· τοῖς ἐπιχειρήμασι δὲ οὐ μόνον ἀσεβὴς, ἀλλὰ καὶ λίαν σαθρὸς καὶ ἀνίσχυρος, καὶ μηδ' ἐπιπολαίῳ φαντασίᾳ τῆς ἀληθείας, τὰ οἰκεῖα δυνηθεὶς ἐπιχρῶσαι κατὰ τῆς εὐσεβείας σοφίσματα· φύσεις γὰρ καὶ οὐσίας, καὶ θεοὺς πλασάμενος, ἀνέδην ἀθυροστόμως πᾶσαν βλασφημίαν τῆς χριστιανῶν καταχέεται πίστεως, τὸ ἓν πόσα σημαίνει, σμικρολογῶν. *Dictionis genere ſui ſimilis eſt, perſpicuus videlicet, nihilque intenſum habens, aut graue; verum argumentationis forma non impius modo, ſed & putidus atque imbecillus eſt, vt ne vmbratili quidem veritatis ſpecie, propria potuerit colorare aduerſus pios ſophiſmata. Naturas etenim atque eſſentias, deosque commentus, nullas inde non ore infroenato in chriſtianam fidem blaſphemias vomit, iſtud identidem* VNVM QVAM MVLTA SIGNIFICAT? *anxie nimis, nimiumque minute conſectans.* Et quibusdam interiectis: οὐ μόνον δὲ τούτοις τοῖς ἐπιχειρήμασιν ἐστιν ἀσθενὴς καὶ ἀνόητος, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν αὐτοῦ συντάγμασιν, ὧν ἐστιν αὐτὸς πατὴρ, ἀλλὰ μὴ ἀλλαχόθεν ἀναλέξας τὰς ἑτέρων ὑπεβάλλετο· λίαν δέ ἐστιν ἀπεμακρυσμένος τῶν συνιδεῖν ἐχόντων τὸ ψεῦδος ἢ τ' ἀληθὲς, καὶ τῶν δι' ὀξύτητα τοιούτων νοημάτων ἐφάψασθαι· *At non in hoc ſolum argumentandi genere infirmus eſt, ac demens, ſed & in aliis omnibus ſuis, quorum quidem auctor eſt, ſcriptis; excipio illa, quae aliorum inuenta compilans, ſibi vindicauit. Longiſſime enim infra eos auctores eſt, qui falſum norunt a vero diiudicare, & ad ipſa ſenſorum acumina pertingere; cod. LXXV. pag. 166.* Aliter de PHILOPONO pronuntiat NICEPHORVS, cui in *diſputationibus, argumentorumque & demonſtrationum probationibus*, πάνυ θαυμασιώτατος audit; *hiſtor. eccleſiaſt. lib. XVIII. c. XLVII. pag. 872.* Praecipua tamen erroris cauſſa PHILOPONO fuiſſe videtur philoſophia Ariſtotelica, cui eum addictum fuiſſe, conſtat, & antea quoque iam obſeruauimus. Diſerte hoc confirmat LEONTIVS Byzantinus. Cum enim retuliſſet, quo pacto, concilium Chalcedonenſe oppugnando, in tritheiſmum incidiſſet, addit: *Haec autem dicebat, occaſionem ex Ariſtotele nactus. Tradit enim Ariſtoteles indiuiduorum & particulares eſſe ſubſtantias, & vnam communem. Sic igitur & Philoponus aiebat, eſſe tres particulares in ſancta trinitate ſubſtantias & vnam communem. Haec conſideranda veniebant;* de *ſectis art. VI.* in *bibliothec. maxima patrum tom. IX. p. 668.* Atque ita hocce exemplo patuit, quinam deinceps ex philoſophia Ariſtotelica exſpectandi eſſent fructus. Legenda, quae hac de re diſſerui in *obſeruatione de haereſibus ex philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica ortis, tom. I. obſeruat. ſelect. ad rem litterar. ſpectant. obſeruat. XV. §. V. p. 178. ſqq.* Scripſit PHILOPONVS & alia, ad controuerſias Eutychianas ſpectantia, vt διαιτητὴν ſiue *arbitrum* ſententiarum, *de vnione naturarum in Chriſto*, itemque *contra Seuerum Antiochenum*; ſed, cum ex hiſce itidem nihil praeter fragmenta quaedam ad nos peruenerint; iis non immorabimur. Ad ea potius accedimus ſcripta, quibus laudem promeruit; cuiusmodi illud eſt, quo *Procli pro aeternitate mundi argumenta duodeuiginti ſoluit*, quod initio licet atque fine mutilum, adhuc exſtat, & non ſemel eſt editum. Idem hocce opus eſſe, cuius SVIDAS meminit, adſerens, PHILOPONVM *octodecim* PROCLI *argumenta contra chriſtianos* πάνυ θαυμασίως *admirabili dexteritate*, refutaſſe, *voc.* Πρόκλος *pag. 186.* editionis KVSTERI, ſupra iam ad §. *III.* obſeruauimus. Eiusdem generis eſt, quod contra IAMBLICHI librum περὶ τῶν ἀγαλμάτων, *de ſimulacris* compoſuit, in quo probauit, ſimulacra gentilium nec diuina, nec praeſentia Numinis referta eſſe. Periit iſtud cum aliis: memoratur tamen a PHOTIO,

TIO, qui &, nec in hocce PHILOPONVM vbique aeque valide pugnare, monet; *cod. CCXV. p.555.* Reprehendendus rurſus eſt PHILOPONVS ob librum περὶ ἀναστάσεως *de reſurrectione* in plures τόμους diſtributum. Tametſi enim is non amplius exſtet; PHOTIVS tamen auctor eſt, illum corporum reieciſſe in eo reſurrectionem, additque: πολλά τε ἀπερισκέπτως λέγει, ἐπιχλευάζει καὶ τοὺς μακαρίους καὶ ἁγίους πατέρας ἡμῶν· *& multa inconſiderate iactat, ſanctorum etiam patrum auctoritatem riſu inſectari auſus; cod. XXI. p.14.* Ex verbis PHILOPONI, quae NICEPHORVS refert, videtur colligi poſſe, eum eiusdem corporis ſolum reſurrectionem negaſſe; ſiquidem, pro corporibus hiſce, corpora alia, viſibilibus hiſce longe praeſtantiora, incorruptibilia, & ſempiterna, a Deo creanda, adſerit. Statim tamen addit: ὁρίζεται δὲ καὶ νεκρῶν ἀνάστασιν εἶναι, τὴν τῶν λογικῶν ψυχῶν πρὸς τὸ φθαρτὸν σῶμα ἕνωσιν ἀδιάλυτον· *ſtatuit etiam mortuorum reſurrectionem eſſe, rationalium videlicet animarum cum corruptibili corpore indiſſolubilem vnionem; hiſtor. eccleſiaſt. lib. XVIII. cap. XLVII. p. 873.* Refutarunt PHILOPONI de reſurrectione ſententiam THEODOSIVS monachus, CONON, EVGENIVS & THEMISTIVS, de quibus PHOTIVS, *cod. XXII. XXIII. p. 14. 15.* Reliquos PHILOPONI errores, ſpeciatim tritheiſmum eius, oppugnarunt LEONTIVS Byzantinus, in *libro triginta capitum*, itemque GEO. PISIDES ἐν ἰάμβων μέτροις ἀρίστοις *iambis pulcherrimis*, vt NICEPHORVS loquitur, qui vtriusque mentionem facit; *hiſtor. eccleſiaſt. lib. XVIII. cap. XLVIII. p. 874.* Mitto ceteros, quorum, aeque ac priorum, aut nihil omnino, aut pauca admodum ad nos peruenerunt.

Succedat MAXIMVS Conſtantinopolitanus, ex proto-ſecretario Heraclii imperatoris monachus, & monaſterii Chryſopolitani, prope Conſtantinopolin, abbas, quippe qui ſtrenuus fuit veritatis vindex contra haereſin *monotheletarum*, quae ſaeculo hocce ſeptimo eccleſiam mirum in modum adflixit, atque turbauit. Ab hiſce duriſſima quaeuis paſſus ὁμολογητοῦ *confeſſoris* retulit nomen; alias & *theologus* dicitur. Varia ſcripſit etiam aſcetica; ſed huius loci ſunt: *epiſtola ad Marinum presbyterum, de duabus in Chriſto voluntatibus; ad eundem Marinum ex tractatione de operationibus & voluntatibus caput vigeſimum & vigeſimum primum; aduerſus eos, qui dicunt, vnam Chriſti dicendam operationem, quod diuina natura prae humana praeualeat; aduerſus eos, qui dicunt, quod ſicut inſtrumenti & mouentis vna eſt operatio, ſic quoque diuinitatis & humanitatis vna ſit; aduerſus eos, qui dicunt, vnam Chriſti operationem compoſitam;* πνευματικὸς τόμος καὶ δογματικὸς *aduerſus* ἔκθεσιν *Heraclii imperatoris; diuerſae ſanctorum patrum de duabus operationibus domini ac Dei, ſaluatorisque noſtri Ieſu Chriſti, definitiones; acta diſputationis de duabus Chriſti voluntatibus, cum Pyrrho habitae;* & quae alia ſunt eiusdem generis longe plura. Nonnulla ex MAXIMI ſcriptis recenſet PHOTIVS, *cod. CXCII. ſeqq. p. 495. ſeqq.* Quae indicauimus, cum reliquis exſtant in *operibus* eius, a FR. COMBEFISIO editis, Pariſiis anno 1675 duobus tomis in fol. Non minus vero in certaminibus cum monotheletis enituit SOPHRONIVS, ortu Damaſcenus, ex ſophiſta monachus, tandemque patriarcha Hieroſolymitanus. Inter reliqua enim eius ſcripta, quae tamen huius loci non ſunt, exſtat eius *epiſtola ſynodica ad Sergium patriarcham Conſtantinopolitanum*, quae graece & latine in *actis ſextae ſynodi*, Conſtantinopoli anno 680 contra monotheletarum haereſin habitae, legitur *act. III. tom. III. p. 132. ſeqq.* editionis SEV. BINII. Eamdem hanc eſſe epiſtolam, quam ad Honorium, epiſcopum romanum, miſit, quamue PHOTIVS, *cod. CCXXXI. pag. 887.* recenſet, viris doctis obſeruatum eſt. Et

PHO-

PHOTIVS quidem de ea ita pronuntiat: αὕτη ἡ ἐπιστολὴ πλήρης μὲν ἐστιν εὐσεβείας, ἐννεωτερίζει δὲ πανταχοῦ τοῖς ῥήμασι, καθάπερ τις πῶλος ἐνσγαυρούμενος τοῖς σκιρτήμασι· πλὴν τήν τε ὀρθόδοξον ὡς μάλιστα γνώμην ἐξακριβοῖ, καὶ τῶν ἱερῶν δογμάτων οὐ τὴν τυχοῦσαν μάθησιν ἐνδείκνυται· *Haec epiſtola plena eſt pietate, nouis paſſim verbis, vt equi pullus ſaltibus gaudens, niſi quod rectam opinionem diligenter examinet, & ſacrorum dogmatum non fortuitam eſſe cognitionem, oſtendat.* Conferendus de SOPHRONIO, & *epiſtola* eius hacce *ſynodica*, IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXI. pag. 199.* & *volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXVIII. p. 484.* Immo cum in hac ipſa *epiſtola ſynodica* SOPHRONII enumeratio quaedam haereticorum legatur; eam integram *volumini ſeptimo bibliothecae* ſuae *graecae* inſeruit, ſiue *lib. V. cap. XI. p. 483. ſeqq.* Atque hi quidem praecipui fuere, qui ſcriptis monotheletarum ſe oppoſuerunt haereſi. Alia adhuc quaedam, ad controuerſias haſce ſpectantia, exhibet FR. COMBEFISIVS, in *auctario bibliothecae patrum graeco-latinae tomo II.* cui & *hiſtoriam haereſeos monotheletarum* praemiſit. Notitiam autem auctorum, tum veterum, qui monotheletarum haereſin aut propugnarunt, aut oppugnarunt, tum qui ex recentioribus de ea ſcripſerunt, ſuppeditat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLI. pag. 202. ſeqq.* Ceterum cum in ſaeculo hocce ſeptimo Mohammedana exorta ſit impietas, contra hanc non minus, quam contra haereſes, ſequenti aetate eccleſiae orthodoxae doctoribus pugnandum fuit.

Inter ſaeculi octaui doctores primum praecipuumque locum IO. DAMASCENO iure meritoque tribuimus. Eum exemplum iis, qui theologiam methodo ſcholaſtica tractant, praeiuiſſe, ſupra iam obſeruauimus. Cumque dialectica arte imbutus fuerit; mirum non eſt, quod in haereticis debellandis ingenii vires periclitari voluerit. Non vnius autem generis ſunt, quae reliquit, ſcripta polemica. Generatim praecipuas haereſes ad ſuam vsque aetatem reiicit, ſuamque ſimul fidei confeſſionem edit, ac ſex ſynodorum doctrinam comprobat, in *libello* περὶ ὀρθοῦ φρονήματος, *de recta ſententia*, *tomo I. operum* eius *pag. 390.* ex editione MICH. LEQVIEN. Contra Iacobitas, ſeu monophyſitas, hoc eſt Eutychianos, diſputat in *libello velut ex perſona Petri epiſcopi Damaſci ad epiſcopum Tudaraeae Iacobitam*, ibidem *p. 397.* Ad easdem controuerſias ſpectat εἰσαγωγὴ δογμάτων στοιχειώδης *inſtitutio elementaris ad dogmata*, acephalis ſcilicet, & Neſtorianis oppoſita; *ibid. pag. 513.* item: λόγος περὶ συνθέτου φύσεως, *diſſertatio de natura compoſita contra acephalos, p. 521.* vt & περὶ τῶν ἐν τῷ Χριστῷ δύο θελημάτων καὶ ἐνεργειῶν καὶ λοιπῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων *de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus, deque naturalibus reliquis proprietatibus, p. 529.* Cum Neſtorianis ſpeciatim congreditur in commentatione, inſcripta: ἔπος ἀκριβέστατον, κατὰ τῆς θεοστυγοῦς αἱρέσεως τῶν Νεστοριανῶν, *diſſertatio adcuratiſſima aduerſus exoſam Deo Neſtorianorum haereſin; p. 555.* Nec procul hinc diſcedit eiusdem *de trinitate* libellus, *p. 474.* in quo itidem de incarnatione Chriſti, & vnione naturarum, diſſerit; quemadmodum in *epiſtola ad Iordanem archimandritam* περὶ τοῦ τρισαγίου ὕμνου, *de hymno triſagio p. 480*, aduerſus illorum ſententiam, qui hymnum illum non ad ſacro-ſanctam trinitatem, ſed ad ſolum Chriſtum referebant, itemque aduerſus additamentum Petri Fullonis, Iacobitis & Maronitis probatum, pugnat. Porro & contra Manichaeos diſputauit IO. DAMASCENVS, in *dialogo contra Manichaeos tomo I. oper. p. 429. ſqq.* Saeculo enim praecedenti ſeptimo iſti ſub Paulicianorum nomine repullulauerant, idque agebant, vt Chaliphas ſeu principes Arabum Mohammedanorum, orientis ea aetate dominos, contra catholicos ſeu orthodoxos, exſtimu-

Digitized by Google

mularent; vnde DAMASCENVS, vt dialogum huncce ſcriberet, inductus fuit. Quod qua ratione fecerit, MICH. LEQVIEN ita exponit: *Ne igitur Manichaei aſtu ſuo atque vafritie fidelibus illuderent, eorum impia deliria profanaque dogmata praecipua exponit; variis eos argumentis exagitat, innumeras ex principiis eorum concluſiones deducendo, quibus perſentiſcant omnes, haereſin hanc talem eſſe, quae non fidei ſolum, verum etiam probis moribus pernicioſiſſima ſit, & rerum publicarum ſtatui & regimini inſidietur. Seueritatem legum memorat, quae cum haereticos alios leuibus poenis adficerent, iſtos capite atque etiam flammis punirent*; in *admonit. dialogo* huic praemiſſa, *p. 429.* Pugnandum hocce & ſequentibus ſaeculis eccleſiae catholicae doctoribus cum Mohammedis impietate, ſaeculo praecedenti exorta, fuiſſe, antea diximus. Id vero & IO. DAMASCENI exemplo patet, cuius διάλεξις ſiue *diſceptatio chriſtiani & Saraceni, tomo I. p. 166.* exſtat, qua breuiter oſtendit, quid ad praecipuas Mohammedanorum obiectiones reſpondendum ſit. Eoque etiam ſpectat THEOD. ABVCARAE, Carorum epiſcopi, *dialogus*, ex ore IO. DAMASCENI exceptus, *p. 470.* Sed BARTHOLOMAEVS quoque Edeſſenus, eodem hocce ſaeculo octauo, contra Mohammedanos pugnauit, in *elencho & confutatione Hagareni*, quam *variis* ſuis *ſacris* inſeruit STEPH. LE MOYNE, *p. 302. ſeqq.* qui & eidem anonymi *confutationem Muhammedis* ſubiecit, *p. 429. ſeqq.* De BARTHOLOMAEO illo Edeſſeno conferendus CASIM. OVDINVS, *comment. de ſcriptor. eccleſiaſt. tom. I. ſaec. VIII. p. 1783.* Licet autem eo tempore eccleſiae orientalis ſtatus ſatis adflictus eſſet; acceſſerunt tamen funeſtae illae acerrimaeque de imaginibus contentiones, quae miſeriam eius mirum in modum auxerunt. In hiſce IO. DAMASCENVS illorum, qui pro imaginibus pugnarunt, addictus fuit partibus, immo praecipuum fere inter eos tenuit locum. Spectant huc eiuſdem *orationes tres apologeticae*, πρὸς τοὺς διαβάλλοντας ἁγίας εἰκόνας, *aduerſus eos, qui ſacras imagines abiiciunt, tom. I, p. 307. ſeqq.* At vero λόγος ἀποδεικτικὸς περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων, *oratio demonſtratiua de ſacris & venerandis imaginibus ad chriſtianos omnes, aduerſusque imperatorem Conſtantinum cabalinum ac haereticos vniuerſos, pag. 613. ſeqq.* alium, quam IO. DAMASCENVM noſtrum, agnoſcere videtur auctorem. Idem cenſendum de *epiſtola ad Theophilum imperatorem* περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων· *de ſanctis & venerandis imaginibus, p. 629. ſeqq.* de qua hodie viri eruditi conſentiunt, eam IO. DAMASCENI non eſſe, ſed ab alio quodam, trium orientis patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani nomine ſcriptam. Quod ad primum ex hiſce libris, ſeu *orationes tres aduerſus eos, qui ſacras imagines abiiciunt*, attinet, MICH. LEQVIEN, *puram & ſinceram eccleſiaſticae, de Chriſti, ſanctorumque imaginibus venerandis, diſciplinae enarrationem, & firmiſſimum aduerſus eorum impugnatores praeſidium, quo vniuerſa haereticorum tela, elidas*, in iis contineri, exiſtimat; diffiteri tamen nequit, ſcripta patrum ſpuria & ſuppoſititia pro genuinis in iisdem venditari. *Nonnulla quidem*, inquit, *teſtimonia profert auctor, ex iis operibus deprompta, quae veterum auctorum patrumque nominibus falſo inſcribuntur, atque ab eruditis hodie tanquam ſuppoſititia exploduntur; verum ſummo viro condonandum, qui ea floreret aetate, qua theologi criticae artis ſtudioſi non erant; ſed omnia admittebant & complectebantur, quibus tum ſincera fides erudiretur, tum etiam chriſtianorum mores informarentur*; in *admonitione* hiſce *orationibus* praemiſſa, *pag. 306.* Longe cordatius adhuc de hocce opere iudicat LVD. ELLIES DV PIN, dum fatetur, multa equidem IO. DAMASCENVM proferre patrum teſtimonia, vt probet, imagi-

gines ſanctorum honore eſſe proſequendas; verum in omnibus iſtis ne verbum quidem exſtare, quo directe hoc euincatur; ad ſcripturam autem ſacram quod attinet, agnoſcere eum, imaginum cultum ex ea demonſtrari non poſſe; in *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom VI. p. 102.* Quale itaque praeſidium iſtud ſit, quod imaginum defenſores ex hocce opere, quod nec ſcripturae, nec patrum auctoritate nititur, ſibi pollicentur, patet. Diſtinctione autem inter varias cultus & adorationis ſpecies parum ad rei ſummam proficit; cum ab ea, quam imaginibus tribuit, facili negotio tranſitus fiat ad eam, quae ſoli Deo debetur; quod experientia nimis luculenter comprobauit. FRID. SPANHEMIVS de *orationibus* iſtis, & aliis quibusdam IO. DAMASCENI ſcriptis, ita pronuntiat; *Ceterum ſi Damaſceni forent, quae illi tribuuntur, orationes de imaginibus, aut vita Stephani iunioris, aut ſermo de defunctis, aut hiſtoria Barlaami & Ioſaphati, uti non eſſe certo perſuademur, colligendum cum Baronio fuerit, ſcatere mendaciis & fabulis ſcripta viri tanti, ex apocryphis narratiunculis; hiſtor. eccleſiaſt. noui teſtam. ſaec. VIII. num. X. p. 1320.* Dubitat itaque vir eruditiſſimus de hiſce ſcriptis, & de ipſis etiam *orationibus de imaginibus*, an recte IO. DAMASCENO tribuantur. Et ſane ad *vitam Stephani iunioris*, itemque *hiſtoriam Barlaami & Ioſaphati*, quod attinet, iuſtas omnino praegnantesque dubitandi habet rationes; immo neutram a IO. DAMASCENO profectam, multi harum rerum periti inter ſe conſentiunt; vnde & haud dubie *adpendici operum* DAMASCENI vtramque inſerere voluit MICH. LEQVIEN, quae tamen, quantum mihi conſtat, lucem non adſpexit; certe in duobus iſtis, quos dedit, tomis, neutra exſtat. De *ſermone de defunctis*, ſiue περὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων ὅπως αἱ ὑπὲρ αὐτῶν γινόμεναι λειτουργίαι καὶ εὐποιΐαι τούτους ὀνίνησιν, *de iis qui in fide dormierunt, quomodo miſſis & eleemoſynis & beneficentiis, quae pro illis fiunt, adiuuentur*, qui *tomo I. p. 584. ſeqq.* exſtat, non una virorum doctorum eſt ſententia. Eum IO. DAMASCENI non eſſe, ROB. BELLARMINVS, PETR. ARCVDIVS, LEO ALLATIVS, aliique contendunt, quibus & MICH. LEQVIEN ſuffragatur, in diſſertatione *de oratione, de iis, qui in fide obdormierunt, & de purgatorio, ſecundum orientalis eccleſiae ſenſum*, quae inter *Damaſcenicas*, ſeu operibus IO. DAMASCENI praemiſſas, *quinta* eſt, *p. 63. ſeqq.* repugnante praeter alios, & *ſermonem* huncce ſeu *orationem* IO. DAMASCENO vindicante, IO. ALB. FABRICIO, *biblioth. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXX. p. 800.* De *orationibus* autem tribus *pro imaginibus*, quemquam, an IO. DAMASCENI ſint, dubitaſſe, haud ſcio, niſi quod tertiam eidem abiudicare auſus eſt HVMFRED. HODY, in *prolegom. ad chronographiam Ioannis Malalae* §. XXXII. ſed ſine praegnanti ratione, vt MICH. LEQVIEN oſtendit, in *admonitione*, hiſce *orationibus* praemiſſa, *p. 306.* Facilius autem aliquis conceſſerit, fabulis ac commentis indulgere IO. DAMASCENVM, quam eum *orationum* iſtarum auctorem non eſſe; quippe quod recte de eo adſerit BARONIVS, ad *annum XXX. num. LXXV.* pluribusque confirmat IS. CASAVBONVS, *exercitat. XIII. ad annal. Baron. num. XXXVIII. p. 270.* vt ſupra quoque iam obſeruatum *c. I.* huius *libri* ad *§. VIII.* Ceterum, ex *vita Stephani iunioris* MICH. LEQVIEN refert, IO. DAMASCENVM Conſtantinum copronymum *epiſtolis* quoque quibusdam impugnaſſe, quibus eum νέον Μωάμεθ, χριστόμαχον, *Mohamedem iuniorem, Chriſti hoſtem* ac *ſanctorum oſorem*, adpellitet, eiusque adſentatores epiſcopos ἐπισκότους *tenebricoſos*, item κοιλιοδούλους *ventri ſeruientes, l. c. p. 306.* Quae ſi vera ſunt, intra modeſtiae eum ſe non continuiſſe limites, certum eſt. Nec tacendum hic,

totam hanc de imaginibus controuerſiam tanta animorum vehementia, immo tanto furore vtrimque agitatam, vt vix ſimile quid in omni hiſtoria eccleſiaſtica occurrat; praeſertim ſi cogitemus, leuiſſimo eam componi potuiſſe negotio, ſi vel minimum rectae rationi locum relinquere voluiſſent. Haec enim, tolerari imagines poſſe, ſed cultum earum aut crimine, aut certe periculo non vacare, euidentiſſime docet. Peccabant, qui nimio impetu imagines reiiciebant: in eo non errabant, quod, per eas ſuperſtitioni & idololatriae feneſtram aperiri, contendebant. Non tantum autem omni fere armorum genere, quae furor ſubminiſtrabat, in hoc certamine pugnatum eſt, vi, fraude, mendaciis, calumniis; ſed cumprimis etiam falſis fictisque miraculis, quae adeo in theologia polemica non ſunt praetermittenda. Memorabile cumprimis eſt, quod de ipſo IO. DAMASCENO noſtro narratur; Leonem Iſauricum ſcilicet imperatorem, IO. DAMASCENI pro adſerendis imaginibus molimina vlturum, confictis ſub eius nomine litteris, apud Chalipham Damaſci dominum, in perfidiae ſuſpicionem eum adduxiſſe, eo quidem euentu, vt IOANNI mandato Chaliphae dextra praeciſa fuerit, qua principem ſuum prodidiſſe credebatur. Sed non longa interpoſita mora, poſt adoratam a IOANNE noſtro imaginem virginis, fuſasque ad eam preces, vt eius interceſſione ſua ſibi dextra redderetur, irrepſiſſe ei placidum ſomnum, auditasque illi ſubridentis imaginis voces, quibus dextrae vſum benigne concederet, ea lege, vt promiſſis ſtaret, ac ſcriptis deinceps ſuis impietatem iconoclaſtarum debellaret; & ita manum ei reſtitutam. Ita IOANNES, patriarcha Hieroſolymitanus, in *vita Ioannis Damaſceni*, operibus huius a MICH. LEQVIEN praefixa, §. *XIV. ſeqq. p. 9. ſeqq.* quem alii quamplurimi ſequuntur, etiam ex recentioribus LVD. MAIMBVRGIVS, in *hiſtor. icon. lib. II. p. 153. ſeqq.* At inter fabulas inaniaque hoc referendum eſſe commenta, ſolide demonſtrat FRID. SPANHEMIVS, in *hiſtoria imaginum reſtituta, ſect. II. §. XIII. tomo II. operum p. 740.*

Non abs re fuerit, cum controuerſiae de imaginibus iniecta ſit mentio, reliqua etiam, quae ad eam pertinent, paucis perſequi. Nimirum cum vtraque pars id ageret, vt alteram aut imperatorum, aut conciliorum auctoritate opprimeret; plurima hinc & imperatorum reſcripta, & conciliorum enata ſunt decreta, quae MELCH. GOLDASTVS Haimensfeldius diligenter collegit, ediditque. Opus hoc, quod Francofurti anno 1608 lucem adſpexit, inſcribitur: *imperialia decreta de cultu imaginum in vtroque imperio, tam orientis, quam occidentis, promulgata, ac notis illuſtrata.* Quae in eo continentur, ordine recenſet CASP. SAGITTARIVS, in *introduct. ad hiſt. eccleſ. cap. XXXIII. ſect. XXXIX. p. 1025. ſeqq.* Memorabile in his quam maxime eſt *capitulare*, vt vocatur, CAROLI magni imperatoris, ſiue *libri quatuor de imaginibus*, in concilio Francofordienſi, in quo itidem imaginum cultus damnatus eſt, adeoque cum eiusdem adprobatione, anno 794 editi, & Romam ad Hadrianum I pontificem miſſi. In his enim imaginum cultus diſerte reiicitur, & quae in eccleſia orientali, pro eo introducendo ſtabiliendoue acta erant, improbantur. Quod cum romanae eccleſiae addictis magnopere diſpliceat; nonnulli quidem, eos Caroli magni non eſſe, nec eius iuſſu compoſitos, ſed ab haeretico quodam conſcriptos, & ab imperatore hocce ad Hadrianum pontificem miſſos, contenderunt; alii autem alia hic ſe expedire ratione adgreſſi ſunt. Verum, eos omnino Caroli eſſe, licet forte ALCVINI, aut aliorum in iis conficiendis vſus ſit opera, certe ab eo omnino adprobatos, vt genuinam eius in hacce cauſſa

Digitized by Google

cauſſa mentem ſententiamque referant, hodie apud omnes iſtarum rerum peritos poſitum eſt extra controuerſiam. Rationibus luculentiſſimis eos Carolo vindicat, ſimulque ad ea, quae ROB. BELLARMINVS in contrarium attulit, ſolide reſpondet IO. DALLAEVS *de imaginibus, lib. IV. cap. III. p. 380. ſeqq.* Praeter alios ex recentioribus ipſe quoque NAT. ALEXANDER agnoſcit, Carolum magnum iſtorum librorum auctorem eſſe; licet ſimul (perperam quidem) contendat, in iſtis libris cultum ſolum latriae, qui Deo tantum debeatur, imaginibus denegari; *hiſtor. eccleſ. saec. VIII. diſſertat. VI. §. VII. p. 784.* Conferenda, quae copioſe & erudite de *libris* hiſce *Carolinis* differunt, vt omnibus ſimul romanenſium exceptionibus occurrant, IO. GEORG. DORSCHEVS, in *collat. ad concilium Francofurdienſe, cap. VI. p. 41. ſeqq.* & CHRIST. NIFANIVS, in *oſtenſione hiſtorico-theologica, quod Carolus magnus in quamplurimis articulis formaliter non fuerit papiſta, p. 85. ſeqq.* Quemadmodum autem controuerſia haecce de imaginibus ſaeculo nono continuata; ita & ſcriptis quibusdam inter CLAVDIVM Taurinenſem, & IONAM Aurelianenſem, agitata fuit. CLAVDIVS namque, ſuperſtitioſo imaginum cultu offenſus, non modo eum damnauit, ſed ex nimio feruore in alterum extremum prolapſus, omnes imagines ex cunctis parochiae ſuae baſilicis eiiciendas, omniaque crucis ſimulacra delenda, euertenda & penitus abdicanda eſſe, contendit; quod & factum eſt. Hoc aegre tulit THEODEMIRVS, ordinis Benedictini abbas, qui acrem aduerſus CLAVDIVM epiſtolam ſcripſit. Huic vero CLAVDIVS iterum oppoſuit *apologeticum & reſcriptum aduerſus Theodemirum abbatem de cultu imaginum & ſanctorum.* Excerpta quaedam ex hocce opere, quae libris ſuis IONAS Aurelianenſis inſeruit, diligenter congeſta exhibet MELCH. GOLDASTVS, in collectione antea memorata *p. 764.* Nimirum IONAS Aurelianenſis excerpta illa ex CLAVDII opere, iuſſu Ludouici imperatoris facta, ſibi refutanda ſumſit, *libris III. aduerſus Claudii Taurinenſis apologeticum,* idque ea ratione, vt violentam imaginum ex templis eiectionem improbet, easque ad ornatum, memoriam, & imitationem fidelium tolerari poſſe, contendat, colendas autem atque adorandas prorſus abnuat. Media itaque via, quod rariſſime ab illis, qui ad controuerſias deſcendunt, fieri ſolet, incedit; mirumque adeo non eſt, quod romanae eccleſiae addictis non magnopere probetur, qui & ideo, eum caute legendum eſſe, monere ſolent. Extant iſti IONAE *libri* tum alibi, tum & in *monumentis patrum orthodoxographis, tomo II. p. 1526. ſeqq.* Eodem ſaeculo nono NICEPHORVS patriarcha Conſtantinopolitanus imaginum cauſſam ſcriptis variis egit. *Quatuor* eius *opuſcula contra iconomachos,* ſcilicet: *duodecim capita contra principes apoſtaſiae de incarnatione Chriſti; decem ſyllogiſticae demonſtrationes, de differentia imaginis Chriſti & crucis; de cherubinis a Moſe factis; ex libro Nicephori de imaginibus;* latine, interprete FRANC. TVRRIANO, exhibentur in HENR. CANISII *lectionibus antiquis tom. II. part. II. p. 4. ſeqq.* ex editione IAC. BASNAGII. De hiſce autem NICEPHORI *opuſculis,* in *obſeruatione* iis praemiſſa, *p. 3.* BASNAGIVS ita pronuntiat: *Hic aduerſus eosdem iconomachos inſurgit, quam vehementer & quam inique, indicare poſſis ex eo, quod ipſos incarnationem negare contendat: quod a veritate quam alienum ſit, neminem latet. Machinas adhibet, vt illud eliciat, ab ipſo operis initio. Euſebium Arianis multo peiorem eſſe, adſerit, ob incircumſcriptum: quis ſanae mentis hoc ferat;* Atque hinc intelligitur, cur in primo hoc opuſculo NICEPHORVS *contra principes apoſtaſiae de incarnatione Chriſti* diſputet. Iconomachos enim

enim in ſuſpicionem adducit, ac ſi incarnationem Chriſti, aut veram eius humanitatem negauerint; quoniam EVSEBIVS ſecundum dogma Arianorum adſeruerit, naturam humanam in diuinam mutatam, adeoque nulla imagine exprimi poſſe. Quae quam longe petita ſint, nemo non perſpicit. Sed eiusmodi ineptis rationibus ſubinde in hacce controuerſia pugnatum fuit; quarum exempla quaedam apud IO. DALLAEVM legi poſſunt, *de imaginib. lib. IV. cap. I. p. m. 362. 363.* Sed ad NICEPHORVM vt reuertamur; quatuor iſta, quae commemorauimus opuſcula, ex tribus eius ἀντιῤῥητικῶν *aduerſus Mamonam & iconomachos*, deſumta ſunt. Ex eodem hocce opere, & quidem *libro II. & III.* FRANC. COMBEFISIVS duo fragmenta produxit, quorum altero NICEPHORVS probare voluit, ASTERIVM in *tractatu in diuitem & Lazarum* nihil dixiſſe, quod imaginum cultui ac venerationi aduerſetur; altero diſcutere conatur, quae ASTERIVS de ſtatua, a muliere ſyro-phoeniſſa, ſeu hoemorrhouſa, a Chriſto ſanata, in miraculi iſtius memoriam poſita, dixit, eaque confirmare non dubitauit; in *biblioth. patrum graecolat. auctario nouo, tom. I. p. 267. ſeqq.* Exhibet nimirum COMBEFISIVS ibi homilias quasdam ASTERII, & nonnullarum excerpta ex PHOTIO, interque haecce etiam ex ea, quae *de Iairo, & muliere ſanguinis profluuio laborante*, agit, & in qua teſtimonium illud de ſtatua a muliere iſta poſita, continetur *p. 235.* Ex *ſecundo* eiusdem operis *libro* fragmentum aliquod, *de ſex ſynodis*, profert COMBEFISIVS, *tomo II. auctarii* iſtius *noui p. 603. ſeqq.* Huic & alia, ad eamdem de imaginibus cauſſam ſpectantia, ibidem ſubiicit; vt: *ſalubrem piamque narrationem* (immo fabuloſam & plane commentitiam) *de dominica imagine in Chalcoprataeis, quamobrem dicta ſit* ἀντιφωνητής, *velut dicas ſponſor ac fideiubens, deque Theodoro nauclero, & Ambramio hebraeo; p. 611.* item *de maximo miraculo in ſacro magnae eccleſiae puteo, ad ſanctam & reuerendam domini noſtri Ieſu Chriſti imaginem facto, deque patricio ac Dei amante notario, p. 647.* quae narratio eiusdem generis, ac prior illa, eſt, fabula ſcilicet ad fallendos homines ſuperſtitioſos excogitata; porro IO. DAMASCENI *orationem demonſtratiuam de ſacris & venerandis imaginibus, p. 663.* de qua iam ante diximus; & denique: *narrationem, complectentem, quae ſpectant ad ſacras & venerabiles imagines, ac quamobrem ſancta Dei eccleſia in mores receperit, quotannis celebrare, quam vocant* ὀρθοδοξίαν, *id eſt, reſtitutionem ſacrarum imaginum, dominica prima ieiuniorum; p. 716.* Alia adhuc quaedam, quae huius loci ſunt, idem FRANC. COMBEFISIVS exhibet in *manipulo originum Conſtantinopolitanarum*, Pariſiis an. 1664 edito. Exſtant enim in eo CONSTANTINI porphyrogennetae *de imagine Chriſti Edeſſena, eiusque Conſtantinopolin translatione, narratio*; *orientalium epiſtola ſynodica ad Theophilum imperatorem de cultu ſanctarum imaginum*; *Nicephori patriarchae Conſtantinopolitani diſſertatio cum Leone Armeno in cauſſa imaginum.* Hanc nimirum NICEPHORI *diſputationem*, quam cum Leone Armeno imperatore habuit, de imaginum cultu, litteris conſignauit THEOD. GRAPTVS, acerrimus eodem ſaeculo nono imaginum defenſor; cuius adeo *vita*, itemque fragmentum ex *libro* eius *de inculpata chriſtianorum fide*, vt & THEOPHANIS, THEODORI huius fratris germani, *canon*, in eodem hocce *manipulo* continentur. NICEPHORVS autem iſte Conſtantinopolitanus, praeter hactenus memorata, alia adhuc in iſta de imaginibus controuerſia ſcripſit; vti patet ex *conſpectu operum* eius, quem ANSELMVS BANDVRIVS, eorum editionem, quam molitus eſt, indicaturus, in lucem emiſit, quemue IO. ALB. FABRICIVS *bibli-*

bliothecae ſuae *graecae vol. VI.* ſiue *lib. V. cap. V. p. 640. ſeqq.* inſeruit, qui & in eodem volumine *p. 296. ſeqq.* de NICEPHORO hocce, eiusque ſcriptis, diſſerit. De THEODORO ſtudite, impudentiſſimo imaginum defenſore, eiusque ſcriptis conferendus idem vir doctus, *biblioth. graec. vol. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXIII. p. 234. ſeqq.* Plura nunc addere non lubet.

Regrediendum nobis paullisper eſt ad ſaeculum octauum, quo etiam controuerſia cum Felice & Elipando, illo quidem Vrgelitano, hoc autem Toletano epiſcopo, haud leuem in eccleſia ſtrepitum dedit. Hi namque adſerebant, Chriſtum ſecundum humanam naturam non eſſe proprium Dei filium, ſed *adoptiuum*; vnde & *adoptianorum* nomine veniebant. Error iſte non tantum in concilio Francofurdienſi, a Carolo magno congregato, damnatus, ſed & ſcriptis aliorum confutatus eſt. In hiſce PAVLINVS fuit patriarcha Aquileienſis, qui anno 793 *libellum de ſanctiſſima trinitate*, aduerſus Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum epiſcopos, *ſacroſyllabum* dictum, edidit. Extat in *actis ſynodi Francofurdienſis*, ſummamque eius refert IO. GEORG. DORSCHEVS, in *collatione ad concilium Francofurdienſe ſect. II. cap. III. p. 23. ſeqq.* qui & eadem ratione ſummam *epiſtolae Hadriani papae ad epiſcopos Galliciae & Hiſpaniarum, de errore Elipandi, Toletanae ſedis epiſcopi*; itemque *epiſtolae ſynodi Francofurdienſis ad praeſules Hiſpaniarum*, vt & *epiſtolae Caroli imperatoris ad Elipandum & epiſcopos Hiſpaniae, cap. II. IV. & V. exhibet.* Praeter *ſacroſyllabum* PAVLINVS iſte & alios *libros tres aduerſus Felicem Vrgelitanum* ſcripſit, quos vna cum *ſacroſyllabo* ad calcem *operum* ALCVINI edidit ANDREAS DV CHESNE, Pariſiis an. 1617. Et ipſe ſane FLACCVS ALCVINVS, ſeu ALBINVS, in hocce vel maxime eminuit certamine, ſiquidem an. 798 *libros ſeptem contra Felicem Vrgelitanum* conſcripſit, qui perperam PAVLINO Aquileienſi a quibusdam tribuuntur; quemadmodum & *epiſtola* quadam *cohortatoria* Elipandum in rectam reducere viam adniſus eſt. Cum vero ELIPANDVS anno 799 *epiſtolam*, acerbiſſime ſcriptam, contra illum emiſiſſet; ALCVINVS eidem iterum anno 800 *libellos duos* oppoſuit, immo & totidem eodem anno *de incarnatione Chriſti, & de duabus in eo naturis, ac de vnitate perſonae*, ad profligandum iſtum errorem compoſuit. Mitto reliqua, huc ſpectantia, quae inter ALCVINI opera exſtant. De tota autem hacce controuerſia omnium adcuratiſſime ſolidiſſimeque diſſerit IO. GEORG. DORSCHEVS, in *collatione ad concilium Francofurdienſe, ſect. III. cap. II. p. 100. ſeqq.*

Dum ad ſaeculum nonum iterum pergimus, AGOBARDVS ſeſe nobis offert, Lugdunenſis ille archiepiſcopus, multis ingenii monumentis, pro ſaeculi conditione, clarus, idemque doctrinae orthodoxae, qualis eo tempore erat, ſtrenuus vindex. Cum controuerſia iſta, cuius antea mentionem fecimus, nondum compoſita eſſet, *aduerſus dogma Felicis ad Ludouicum imperatorem* ſcripſit. Eodem tempore FREDEGISVS abbas erroneas quasdam de Chriſto aliisque fidei capitibus fouebat opiniones, quas, edito *contra obiectiones Fredegiſi abbatis* libro, confutauit. Exercebat etiam adhuc eccleſiam controuerſia de imaginibus. Hinc AGOBARDVS *de picturis & imaginibus librum* compoſuit, in quo, damnato earum abuſu, vſum legitimum laudat, ſaepiusque adſerit, imagines nulla veneratione, nullo cultu eſſe proſequendas. In omnem ſe vertit partem NAT. ALEXANDER, vt contra IO. DALLAEVM euincat, AGOBARDVM non omnem plane cultum imaginibus denegaſſe; *hiſt. eccleſ. ſaec. VIII. diſſertat. VI. §. XII. p. 796.* Cumprimis autem Lugdunenſi huic praeſuli multum negotii cum Iudaeis interceſſit.

ſit. Hi enim, iam eo tempore hinc inde per Europam diſperſi, magnam primum in Caroli, deinde in Ludouici pii, imperatorum, aula potentiam conſequuti erant. Fauore itaque Ludouici imperatoris & procerum freti, cum Lugduni inſolentius ſeſe gererent; AGOBARDVS, vt iis ſe opponeret, ſuarum duxit eſſe partium; ideoque non tantum ſuos admonuit, ne mancipia Iudaeis venderent, ab iis in Hiſpaniam transferenda, & quae alia erant eiusdem generis; ſed, cum Iudaei contra iſtos epiſcopi conatus praeſidium in aula imperatoris inuenirent; librum *de inſolentia Iudaeorum ad Ludouicum imperatorem* ſcripſit; quo cum parum proficeret, nec imperatoris, procerumque animos a Iudaeis auertere poſſet; alium ad eumdem imperatorem miſit, *de iudaicis ſuperſtitionibus*, in quo, qua ratione antiqui eccleſiae patres Iudaeos abominati ſint, exponit, canones, in ſynodis contra eos conditos, ſubiicit, &, conſortia Iudaeorum magis, quam reliquorum haereticorum, euitanda eſſe, oſtendit. Dogmata quoque abſurda, impia, & blaſphema Iudaeis tribuit, quod Deum corporeum, & corporeis lineamentis per membra diſtinctum, adſerant, niſi quod digitos manuum habeat inflexibiles, & rigentes, vtpote qui nihil manibus operetur; ſedere autem more terreni alicuius regis in ſolio, quod a quatuor beſtiis circumferatur; cogitare etiam multa ſuperflua & vana, quae quia ad effectum venire cuncta nequeant, vertantur in daemones; porro quod litteras alphabeti ſui ſempiternas credant, & ante mundi principium impetraſſe diuerſa miniſteria, quibus eas oporteat in ſaeculo praeſidere; & quae alia erant eiusdem generis plura. Omnia autem haecce abunde oſtendunt, AGOBARDVM nihil eorum, quae inuidiam Iudaeis creare poterant, praetermiſiſſe. Nec tamen hocce amplius quid, quam priori, obtinuit ſcripto. Interim quaeſtio de ſeruis Iudaeorum, qui ethnici erant, & ad chriſtianorum tranſire volebant ſacra, oriebatur, an inuitis dominis poſſent baptizari? Baptizandos omnino putabat AGOBARDVS, ſed vt pretium, quo primum emti erant, ab eccleſia dominis reſtitueretur. Sed renuebant Iudaei, pretiumque acceptare nolebant, adeoque ſeruorum prohibebant baptiſmum: eaque in re fauentes ſibi iterum habebant aulae proceres: vnde AGOBARDO enata eſt occaſio, *conſultationem & ſupplicationem ad proceres palatii de Iudaeorum mancipiorum baptiſmo* componendi. Spectat etiam ad hancce cum Iudaeis controuerſiam eiusdem AGOBARDI *epiſtola exhortatoria ad Nibridium, epiſcopum Narbonenſem, de cauendo conuictu & ſocietate iudaica;* itemque *epiſtola ad proceres palatii contra praeceptum impium de baptiſmo iudaicorum mancipiorum.* Hiſtoriam huius controuerſiae adcurate ediſſerit, ſimulque, in quibus AGOBARDVS modum exceſſerit, aut quae in quibusdam eius in hacce cauſa editis ſcriptis reprehenſione digna occurrant, indicat IAC. BASNAGIVS, *hiſt. des Iuifs tom. V.* ſiue *lib. VII. cap. III. §. XII. ſqq. p. 1492. ſeqq.* Quae autem commemorauimus AGOBARDI ſcripta, cum reliquis, quae eumdem auctorem agnoſcunt, edita, primum ſunt a PAPIRIO MASSONO, Pariſiis 1605. 8. & deinceps emendatius & cum notis a STEPH. BALVZIO Pariſiis anno 1666. 2. volum. in 8. ſecundum quam editionem inſerta ſunt *bibliothecae maximae patrum tomo XIV. p. 234. ſeqq.* Quae AGOBARDVM impulit cauſſa, vt cum Iudaeis congrederetur; haud dubie eodem ſaeculo & alios induxit, vt contra eos ſcriberent. Paſſim namque chriſtianis in occidente pariter ac oriente Iudaei negotium faceſſebant. Inter reliquos autem & ANASTASIVS quidam abbas *librum librum contra Iudaeos* compoſuit, qui latine, interprete FRANC. TVRRIANO, in

HENR.

HENR. CANISII *lectionibus antiquis* exſtat, *tomo II. part. III. p. 12. & ſeqq.* Non ſatis equidem, quis ANASTASIVS iſte fuerit, conſtat; & licet a nonnullis ad ſaeculum octauum referatur; rectius tamen alii, eum ſaeculo nono vixiſſe, contendunt. Ita & IAC. BASNAGIVS, qui & de ipſo hocce ſcripto ſequentem in modum pronuntiat: *Variis vtitur argumentis ad confutandos Iudaeos, quae ſane firma ſunt; occurrunt tamen aliqua, quibus ne chriſtianus quidem adſenſum facile praeberet. Quis enim concludat, chriſtianam religionem diuinitus inſtitutam, ea ratione, quod nullus chriſtianorum imperator traditus eſt in manus barbarorum, ab iisque occiſus; Non meminerat auctor vel Valentis, vel Nicephori a Bulgaris occiſi? Quid ſi verum foret; an valeret aduerſus Iudaeos conſequentia, quam inde elicit? Mirare, quod addit, immo ſaepius inculcat, ethnicos neque imaginem ac ſignum crucis ex numiſmate chriſtianorum delere potuiſſe, quamquam id non pauci tyranni conati ſint, idque maximum argumentum eſſe veritatis noſtrae, quam tenemus &c.* in *obſeruatione*, libro huic praemiſſa, *p. 10. 11.* Nec praetermittendum, quod idem vir doctus obſeruat, ANASTASIVM huncce, locum iſtum FLAVII IOSEPHI, de quo tantopere critici inter ſe contendunt, vt genuinum adducere. Apud eumdem CANISIVM *l. c. p. 41. ſeqq.* exſtant etiam *collectanea contra Iudaeos*; quae ſaeculo nono, incertum a quonam, congeſta, IAC. BASNAGIVS, in *obſeruatione* iis praemiſſa, *p. 40.* coniicit. Non magni ſunt momenti, ſed tantum dicta quaedam de trinitate perſonarum, de diuinitate & incarnatione Chriſti, ceterisque capitibus, ſuper quibus cum Iudaeis diſputari ſolet, recitantur. Cumprimis vero inter eos, qui ſaeculo nono contra Iudaeos pugnarunt, commemorandus eſt RHABANVS MAGNENTIVS MAVRVS, Moguntinus ille archiepiſcopus longe celeberrimus. Certe ſub eius nomine *librum de variis quaeſtionibus aduerſus Iudaeos, ſeu ceteros infideles, vel plerosque haereticos iudaizantes ex vtroque teſtamento collectis* ediderunt EDM. MARTENE, & VRSIN. DVRANDVS, in *theſauro nouo anecdotor. tom. V. p. 402. ſeqq.* qui & in *admonitione praeuia* variis argumentis librum huncce RHABANO vindicant; quae tamen ita comparata ſunt, vt non deſint, quae ad ea reſponderi queant, vti oſtendit IO. CHR. IVNGIOHANN, in *diſſertatione* ſub meo moderamine habita, *de vita & doctrina Rhabani Magnentii Mauri, part. II. §. X.* PETRVS equidem FRANC. CHIFFLETIVS *librum* ſeu *epiſtolam contra Iudaeos* ſub RHABANI nomine cum ALCVINI *confeſſione* aliisque opuſculis Diuione anno 1656 euulgauit; hunc autem non tantum diuerſum eſſe a libro iſto, a ſe in lucem protracto, ſed perperam omnino RHABANO tribui, monent, diligenterque inculcant EDM. MARTENE & VRSIN. DVRANDVS, in *admonitione praeuia, p. 402.* Nimirum is, quem CHIFFLETIVS edidit *librum contra Iudaeos*, in codice quodam optimae notae, & quo forte CHIFFLETIVS vſus eſt, vt iidem obſeruant, non RHABANI, ſed RHATGANI nomen praefert; quamquam non deſint, qui eum AMOLONI, epiſcopo Lugdunenſi, vindicare malint, quem itidem contra Iudaeos ad Carolum caluum ſcripſiſſe conſtat. Atque haec quidem de ſcriptoribus ſaeculi noni anti-iudaicis commentandi occaſionem AGOBARDVS nobis praebuit.

Inter Graecos maxime in hocce ſaeculo eminuit PHOTIVS, patriarcha Conſtantinopolitanus, tum ingenio & eruditione conſpicuus, tum ob varia, quae ſubiit, fata notus. Sed de eo deinceps dicemus, cum certaminum inter eccleſiam orientalem & occidentalem iniicienda fuerit mentio; vbi & reliqua eius ſcripta polemica ſimul indicabimus. Succedere itaque

Digitized by Google

que illi iuberem THEOD. ABVCARAM, hoc eſt, *patrem*, ſiue *epiſcopum Carae*, ſi modo certo conſtaret, hunc eumdem ac THEODORVM, Cariae in Thracia & Laodiceae poſtea epiſcopum, eſſe, qui PHOTII primum amicus, poſtea deſertor, in ſynodo octaua anno 869 Ignatii partes ſequutus eſt. Licet enim non deſint, qui, THEOD. ABVCARAM, ob varia ingenii monumenta celebrem, eumdem cum eo, qui PHOTII aetate vixit, eſſe, exiſtiment; alii tamen contra, eos adcurate a ſe inuicem diſcernendos eſſe, contendunt. Inter hos etiam THOM. ITTIGIVS eſt, qui, cum varias virorum eruditorum de THEOD. ABVCARA ſententias retuliſſet, illis tandem ſuffragatur, qui, ABVCARAM Carrharum in Meſopotamia fuiſſe epiſcopum, & octauo floruiſſe ſaeculo, ſtatuunt; in *exercitat. theologica ad Theodori Abucarae opuſculum de baptiſmo fidelium ante Chriſti aduentum defunctorum, per aquam, quae ex eius latere profluxit*, quae exſtat in eius *enneade exercitationum theologicarum varii argumenti*, *§. V. p. 67. ſeqq.* Quidquid eius ſit, inter ſcriptores theologiae polemicae THEODORVM huncce ABVCARAM referendum eſſe, certum eſt; cum varia contra Iudaeos, Mohammedanos, Neſtorianos, Iacobitas, Origeniſtas, ſcripta compoſuerit; de quibus vti & ipſo hocce THEODORO, more ſuo diligenter diſſerit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXIII. p. 176. ſeqq.*

Quantum ſaeculo nono ſtrepitum controuerſia de praedeſtinatione, a GOTTESCHALCO excitata, in eccleſia occidentali, dederit, neminem fugit. Et is quidem initio de modo videndi Deum in vita futura quaeſtiones non neceſſarias mouiſſe dicitur, fruſtra ob id a LVPO SERVATO Ferrarienſi admonitus; mox, verbis ſcripturae & Auguſtini male intellectis, de praedeſtinatione, & abſoluto reprobationis decreto, deque gratia diuina, aliisque eo ſpectantibus capitibus, nimis curioſe diſputaſſe. Cumque & hoſtes & defenſores nanciſceretur; acriter vtrimque certatum. Interim GOTTESCHALCVS ipſe, ſecundum decretum in conuentu epiſcoporum, apud Cariſiacum habito, conditum, ſacerdotali dignitate ſpoliatus, ergaſtuloque incluſus eſt, & verberibus duriſſimis caſtigatus, donec librum, quo errores ſuos complexus erat, ipſemet flammis traderet. Nec tamen diffitendum, GOTTESCHALCVM ambitione ſua & pertinacia, diſſentientium valde irritaſſe animos, & cauſſam quodammodo calamitatum, quibuscum illi conflictandum fuit, exſtitiſſe. Vtrimque itaque, ſi modum agendi ſpectes, peccatum eſt; quod in theologia polemica longe frequentiſſimum eſſe, experientia docet. Variis vero etiam ſcriptis in hacce controuerſia pugnatum fuit. Et ad ipſum quidem GOTTESCHALCVM quod attinet, *duae* eius adhuc exſtant *confeſſiones*, breuior altera, altera multum longior, quas primum in lucem protraxit, & *hiſtoriae* ſuae *Gottſchalcianae* ſubiecit, IAC. VSSERIVS; deinde easdem quoque exhibuit GILB. MAVGVINVS, in *veterum auctorum, qui nono ſaeculo de praedeſtinatione & gratia ſcripſerunt, operibus & fragmentis; tomo I. p. 7. ſeqq.* Ab vtraque hacce confeſſione diuerſos eſſe *binos* GOTTESCHALCI *libellos*, quos ad AMOLONEM ſcripſit, contendit IO. MABILLONIVS, *annal Benedict. tom. III.* ad *an. 852. §. XLIV. p. 20. ſeqq.* Fragmenta *libelli*, quem RHAB. MAGNENTIO MAVRO in concilio Moguntino an. 848 obtulit, quaeue in HINCMARI *de praedeſtinatione* opere conſeruata ſunt, ſiſtit GILB. MAVGVINVS, *operis* iam laudati *tomo I. part. II. p. 3. ſeqq.* *Epiſtola* GOTTESCHALCI *ad Ratramnum*, metrice ſcripta, apud LVDOV. CELLOTIVM legitur, in *hiſtoria Godeſchalci praedeſtinatiani p. 415. ſeqq.* Inter eos, qui cauſſam GOTTESCHALCI defenden-

fendendam ſuſceperunt, praecipuus fere eſt PRVDENTIVS, gente Hiſpanus, Tricaſſinus in Gallia epiſcopus. Id namque egit in *tractatu de praedeſtinatione contra Ioannem Scotum Erigenam ad Wenilonem archiepiſcopum Senonenſem*, quem GILB. MAVGVINVS exhibet *tomo I. part. I. p. 195. ſeqq.* item in *tractatoria epiſtola aduerſus quatuor capitula conuentus Cariſiatenſis*, apud eumdem *part. II. p. 176. ſeqq.* item in *epiſtola & collectaneo ad Hincmarum & Pardulum*, apud LVD. CELLOTIVM *l. c. p. 420. ſeqq.* Iungendus PRVDENTIO eſt SERVATVS LVPVS, presbyter initio Moguntinenſis, deinde abbas Ferrarienſis, cuius huc ſpectat *liber de tribus quaeſtionibus*, videlicet de libero arbitrio, de praedeſtinatione bonorum & malorum, & de ſanguinis Chriſti ſuperflua taxatione, ſeu redemtione vsque ad ſalutem impiorum; porro, *collectaneum de iisdem quaeſtionibus*, & denique *epiſtolae duae*, altera *ad Carolum caluum Regem*, altera *ad Hincmarum Rhemenſem*. Exſtant haec omnia inter ſcripta SERV. LVPI, opera ſtudioque STEPH. BALVZII edita, iterumque impreſſa Antwerpiae an. 1710. 8. & *liber* quidem *de tribus quaeſtionibus* vt & *collectaneum p. 207. ſqq. epiſtolae* autem iſtae *p. 184. ſqq.* Exhibet eadem GILB. MAVGVINVS, *libellum* nimirum *de tribus quaeſtionibus, epiſtolam ad Carolum caluum regem, & collectaneum*; *tomo I. part. II. p. 20. ſeqq. epiſtolam* vero *ad Hincmarum, part. I. p. 19.* Idem praeterea vir doctus LVPVM SERVATVM presbyterum Moguntinenſem diuerſum facit a LVPO abbate Ferrarienſi, & illi *libellum de tribus quaeſtionibus*, reliqua huic tribuit. Sed Moguntinenſem illum presbyterum, & abbatem Ferrarienſem, vnum eumdemque eſſe, hodie ſatis inter eruditos conſtat, luculenterque euincit STEPH. BALVZIVS, in *notis ad Seruati Lupi opera p. 479. ſeqq.* RATRAMNVS quoque Corbeienſis monachus, qui & ob alias controuerſias notus eſt, hic locum ſibi vindicat, ob *libros duos de praedeſtinatione Dei ad Carolum caluum regem*, quos GILB. MAVGVINVS exhibet *tomo I. part. I. p. 29. ſeqq.* AMVLONEM, ſiue AMOLONEM, archiepiſcopum Lugdunenſem, inter eos, qui cum GOTTESCHALCO fecerunt, refert GILB. MAVGVINVS, in *vindiciarum praedeſtinationis & gratiae tomo poſteriori cap. XXII. ſeqq. p. 169. ſeqq.* vbi & de AMVLONIS huc ſpectantibus ſcriptis diſſerit, & *cap. XXIII. p. 194. ſeqq. epiſtolam* eius *ad Gotteſchalcum, notis aliquot illuſtratam*, ſiſtit. Verum AMVLONEM huncce inter aduerſarios potius GOTTESCHALCI referendum eſſe, contendunt alii; licet magno animi candore, & lenitate ſingulari cum eo agat. Succeſſor AMVLONIS in archiepiſcopatu Lugdunenſi fuit REMIGIVS, cuius exſtat *liber de tribus epiſcoporum epiſtolis*, ſeu reſponſio eccleſiae Lugdunenſis nomine facta, aduerſus Hincmari, Rhabani & anonymi epiſcopi epiſtolas, apud MAVGVINVM *tom. I. part. II. p. 62. ſeqq.* ſubiectis eidem *notis* ANDR. DVVALLII *p. 165. ſqq.* itemque *libri* iſtius *adpendix*, ſeu *abſolutio quaeſtionis, de generali per Adam damnatione & ſpeciali per Chriſtum ex eadem ereptione electorum*, ibidem *p. 118. ſeqq.* porro, *liber de tenenda immobiliter ſcripturae ſanctae veritate, & ſanctorum orthodoxorum patrum auctoritate fideliter ſectanda*, ſeu *cenſura eccleſiae Lugdunenſis capitulis quatuor ſynodi Cariſiacae oppoſita*, ibidem *p. 178. ſeqq.* Verum non prorſus REMIGIVM cum GOTTESCHALCO facere, nonnulli obſeruant, quippe qui id praecipue agat, vt oſtendat, RHABANVM a ſcopo & ſtatu controuerſiae receſſiſſe, & defendere magis GOTTESCHALCVM, eiusque ſententiam explicare, quam adprobare adnitatur. Addendus denique hiſce eſt FLORVS magiſter & diaconus eccleſiae Lugdunenſis, quippe qui, totius eccleſiae Lugdunenſis nomine, *librum aduerſus Ioannis*

Scoti Erigenae erroneas definitiones compoſuit. IOANNEM enim huncce SCOTVM inter aduerſarios GOTTESCHALCI fuiſſe, deinceps dicemus. Librum vero iſtum FLORI exhibet GILB. MAVGVINVS, operis ſaepe iam laudati *tomo I. part. I. p. 575. ſeqq.* Ad eos autem, qui ſe GOTTESCHALCO oppoſuerunt, vt progrediamur, commemorandus cumprimis eſt HINCMARVS, archiepiſcopus Rhemenſis, qui praeter varias epiſtolas, *tomo II. operum* IAC. SIRMONDO inſertas, geminum *de praedeſtinatione* tractatum edidit. Prior, contra Gotteſchalcum & Ratramnum ſcriptus, *tribus* conſtitit *libris*, quibus canones IV in concilio Valentino III, an. 855 congregato, quatuor capitulis ſuis oppoſitos, refutauit; ex quibus ſola hodie ſupereſt praefatio, ſeu epiſtola ad Carolum regem ſcripta, quam a FLODOARDO ſeruatam, *tomo I. operum praefat.* IAC. SIRMONDVS exhibet. Deinde, cum in concilio Tullenſi apud Saponarias, praedeſtinatianorum & GOTTESCHALCI errores damnati eſſent; poſteriorem tractatum, ſeu *diſſertationem de praedeſtinatione Dei & libero arbitrio*, compoſuit, quam integram *tomo I.* operum eius *p. 1. ſeqq.* IAC. SIRMONDVS edidit. Nec praetermittenda hic eſt eiusdem *contra Gotteſchalcum collectio ex ſacris ſcripturis & orthodoxorum dictis de vna & non trina deitate, ſanctae & inſeparabilis trinitatis vnitate*; quae ibidem exſtat. Nimirum, vt, quid vltimum hocce ſcriptum ſibi velit, conſtet, obſeruandum, HINCMARVM improbaſſe hymnum martyrum: *ſanctorum meritis &c.* in cuius fine tres perſonae diuinitatis vocabantur; *trina deitas.* GOTTESCHALCVS itaque edito ſcripto hanc loquendi rationem defendere voluit, contendens *diuinitatem* eſſe *perſonaliter trinam*, cum vnaquaeque perſona trinitatis diuinitatem perfectam & integram habeat, & *naturaliter vnam.* HINCMARVS contra adſeruit, *diuinitatem* eſſe nomen naturae, non autem perſonae, adeoque non poſſe dici *trina deitas*, quemadmodum dicitur *tres perſonae*; ſiquidem vna tantum ſit diuinitas in tribus perſonis. Totam hancce controuerſiam in meram abiiſſe λογομαχίαν, prudentiores recte iudicant. Conferendus LVD. ELL. DV PIN, *biblioth. noua ſcriptor. eccleſiaſt, tom. VII. cap. II. p. 27.* Ad reliquos vt redeamus, qui contra GOTTESCHALCVM ſcripſerunt; HINCMARO vel maxime iungendus RHAB. MAGN. MAVRVS, cuius praecipuas fere in hocce certamine fuiſſe partes, neminem fugit. Tres autem in hacce cauſſa, *de praedeſtinatione Dei*, aduerſus GOTTESCHALCVM ſcripſit epiſtolas, ad *Notingum Veronenſem*, ad *Heberardum comitem*, & ad *Hincmarum Rhemenſem*, quas IACOB. SIRMONDVS luci publicae expoſuit, Pariſiis an. 1647. 8. fragmenta vero ex iis exhibet GILB. MAVGVINVS, *tom. I. part. I. p. 3. ſeqq.* AMVLONEM, Lugdunenſem archi-praeſulem, aduerſariis potius, quam defenſoribus GOTTESCHALCI adnumerandum eſſe, antea iam obſeruauimus. Nunc ſolum addimus, AMVLONIS opuſcula huc ſpectantia, notis illuſtrata, STEPH. BALVZIVM ad calcem *Agobardi* ediſiſſe, *tomo II. p. 135. ſeqq.* Miſſo autem PARDVLO, epiſcopo Laudunenſi, cuius vnica tantum *ad Hincmarum* inter huius *opera* exſtat epiſtola; agmen claudere iubemus IO. SCOTVM ERIGENAM, ob translata in linguam latinam DIONYSII, quem areopagitam vocant, opera, aliaque ingenii monumenta memorabilem. De *diuina* namque *praedeſtinatione contra Gotteſchalcum monachum librum*, ſiue *capitula nouemdecim* ſcripſit, exhibita a GILB. MAVGVINO, *tomo I. part. I. p. 109. ſeqq.* Sunt, qui contendunt, eum praedeſtinatianorum errorem ita impugnaſſe, vt ad Pelagianorum caſtra prope accederet; quod in eiusmodi certaminibus longe eſt frequentiſſimum. Excuſare eum rurſus volunt alii; quamuis ne-

negare nequeant, eum incaute interdum loquutum eſſe.

RATRAMNVS ille, quem & alii BERTRAMVM vocant, cuius inter defenſores GOTTESCHALCI facta eſt mentio, ob alias quoque controuerſias, ſaeculo hocce nono agitatas, iterum nobis in ſcenam producendus eſt. Diſputatum namque inter eum & PASCH. RADBERTVM fuit de partu virginis, ſiue de natiuitate Chriſti. Nimirum, cum RATRAMNVS intellexiſſet, eſſe nonnullos in Germania, qui contenderent, Chriſtum non eſſe natum *per virginalis ianuam vuluae, ſed monſtroſe de ſecreto ventris incerto tramite*; hanc opinionem eo comparatam, ratus, vt tandem negaretur, Chriſtum vere ex Maria virgine natum, librum *de natiuitate Chriſti*, ſiue *de eo, quod Chriſtus ex virgine natus eſt*, ſcripſit, quem in IO. LVC. D' ACHERII *ſpicilegio* legere licet, *tomo I. p. 52. ſeqq.* editionis, quae curante LVD. FR. IOS. DE LA BARRE lucem adſpexit. Sed RATRAMNO ſe oppoſuit PASCH. RADBERTVS, in libro *de partu virginis*, in quo contra RATRAMNVM diſputat, ac ſi adſeruiſſet, Chriſtum aperta vulua a Maria in lucem editum, adeoque in perpetuam beatae virginis virginitatem eum iniurium eſſe, inde concludit, quamquam ſimul diſſentiat ab iis, quos RATRAMNVS ſibi refutandos ſumſerat, quiue Chriſtum ex Maria virgine non eſſe natum, adſerere videbantur. Tota hac ſuperſedere quaeſtione poterant; niſi ſolemne admodum viris doctis eſſet, ex iis, quae tuto ignorantur, vel maxime litigandi ac altercandi occaſionem captare. Neue diſputandi vmquam finis ſit, neue ſine cauſſa diſputaſſe videantur, aliis rurſus tribuunt, quae illis numquam forte in mentem venerunt; quod PASCH. RADBERTI exemplo patet. Cumque illi, qui cum RATRAMNO faciebant, ſibi nondum perſuadere poſſent, eum erraſſe, aut in virginitatem beatae Mariae iniurium fuiſſe; denuo illud alio ſcripto euincere voluit, cuius tantum fragmentum supereſt, quod aeque ac prior ille liber itidem in D' ACHERII *ſpicilegio* exſtat, *tom. I. p. 43. ſeqq.* Eſt autem ὡς ἐν παρόδῳ obſeruandum, opus hocce *de partu virginis*, ſiue, vt alii vocant, *de virginitate Mariae*, a IO. GER. VOSSIO, ROB. BELLARMINO, IO. BONA cardinali, aliiſque, ILDEPHONSO Toletano tribui; ſed vero auctori hoc vindicauit IO. LVC. D' ACHERIVS; quod & P. COLOMESIO obſeruatum, *biblioth. choiſie p. 98.* De ipſa controuerſia hacce legendus LVD. ELL. DV PIN *biblioth. nou. ſcriptor. eccleſ. tom. VII. cap. VIII. p. 76.*

Maioris momenti eſt controuerſia, quae PASCH. RADBERTO, tum cum aliis, tum maxime cum RATRAMNO de euchariſtia interceſſit, & in qua iterum theologiae polemicae, ſi prudentia & moderatio abſit, incommoda luculentiſſima quadam ratione conſpiciuntur. PASCH. namque RADBERTVS veram atque realem praeſentiam corporis atque ſanguinis Chriſti in ſacra coena ita adſeruit, vt illis, qui iam tum ſemina *trans-elementationis*, vt nonnulli eo tempore loquebantur, ſeu transſubſtantiationis, ſpargebant, fauere videretur. Nihil plane noui, aut quod a recepta eccleſiae ſententia diſcederet, protuliſſe PASCHASIVM, romanenſes contendunt; ſpeciatim NAT. ALEXANDER id omnibus perſuadere adnititur, *hiſtor. eccleſ. ſaec. IX. & X. diſſertat. X. §. II. p. 339.* At qui inter eos cordatiores ſunt, diffiteri nequeunt, inſoliti quid eum propoſuiſſe, ſaltem qua loquendi modum formamque; quamquam in quo iſtud conſtiterit, inter ſe non conueniant; conf. LVD. ELL. DV PIN *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. VII. c. VII. p. 65.* Scripſit autem PASCHASIVS *librum de corpore & ſanguine Chriſti ad Placidum*, quem nonnulli equidem RHAB. MAGN. MAVRO vindicant, at, PASCHA-

SIO

Digitized by Google

SIO potius tribuendum, rectius contendunt alii; conf. GVIL. CAVE *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. IX. pag. 376.* Librum huncce eumdem eſſe, qui *de ſacramentis* inſcribitur, quemue intercidiſſe nonnulli putant, contra LVD. CELLOTIVM probat IO. MABILLONIVS, in *praefat. ſecundae partis ſaeculi IV. Benedictini cap. I. §. XI.* quem & ſequitur NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. ſaec. IX. & X. diſſertat. X. §. I. p. 338.* Subiecta ſunt huic libro loca patrum *de euchariſtia*, ab eodem PASCHASIO collecta. Praeterea & *epiſtola* eius *ad Frudegardum de corpore & ſanguine domini* exſtat, cui ſubiungitur *expoſitio in illud Matthaei: coenantibus autem eis accepit Ieſus panem &c.* ex *commentariis* eius *in Matthaeum* excerpta. Haecce omnia, cum aliis PASCH. RADBERTI ſcriptis, edidit IAC. SIRMONDVS, Pariſiis an. 1618. fol. inde vero inſerta ſunt *bibliothecae maximae patrum tomo XIV. pag. 356. ſeqq.* Sententiae PASCH. RADBERTI de ſacra euchariſtia ſeſe oppoſuit RHAB. MAVRVS. Huic certe litem de ſacra euchariſtia cum illo interceſſiſſe, negari nequit; licet, in quo controuerſia iſta conſtiterit, non inter omnes conueniat. Non tantum transſubſtantiationem impugnaſſe RHABANVM, ſed omnino praeſentiam realem corporis ſanguinisque Chriſti reiecisse, reformatae eccleſiae doctores contendunt, interque eos EDM. ALBERTINVS, *de ſacramento euchariſtiae lib. III. p. 922. ſeqq.* At negant hoc romanenſes, & RHAB. cum PASCHASIO in praeſentia reali & transſubſtantiatione pulchre conſenſiſſe, nobis perſuadere adnituntur. Si quaeras, cur ergo RHAB. impugnauit PASCHASIVM? reſpondet NAT. ALEXANDER, nihil aliud illum in hoc reprehendiſſe, quam modum quemdam loquendi, qui nouus ſibi viſus ſit, dum PASCHASIVS dixit, euchariſtiam eſſe carnem Chriſti datam pro mundi vita, *non aliam plane, quam quae nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulchro; hiſtor. eccleſ. ſaec. IX. & X. diſſertat. XI. p. 351.* Mentem ſuam ſententiamque de euchariſtia RHABANVS ex inſtituto exponit in *epiſtola ad Egilonem abbatem Fuldenſem*, quam *graui eccleſiae diſpendio periiſſe*, putauit GVIL. CAVE, ſiquidem & *veram*, inquit, *& orthodoxam de euchariſtia doctrinam adſeruit, & nouam Paſchaſii ſententiam refutauit; hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. IX. p. 381.* Verum deinceps vir doctus, non prorſus reiiciendam, putauit, ſententiam IO. MABILLONII, opuſculum anonymi, quod inſcribitur: *dicta cuiusdam ſapientis de corpore & ſanguine domini aduerſus Radbertum*, quodue ex codice Gemblacenſi MABILLONIVS *ſaec. Benedict. IV. part. II. p. 591.* exhibuit, hanc ipſam RHABANI *ad Egilonem* eſſe epiſtolam, quamquam rem omnem in medio relinquat, eruditorum iudicio expendendam; *part. II. hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. IX. p. 161.* LVD. ELL. DV PIN, opuſculum illud anonymi diuerſum eſſe ab *epiſtola* RHABANI *ad Egilonem* exiſtimat, *nou. bibli. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. VII. p. 66.* *Librum* autem *de corpore & ſanguine Chriſti*, ſiue, vt alii vocant, *de euchariſtiae ſacramento*, quem nonnulli RHAB. MAGN. MAVRO tribuunt, ſub cuius etiam nomine editus eſt, rectius PASCH. RADBERTO vindicari, antea iam obſeruauimus. Praeter RHABANVM & AMALARIVS, qui eodem ſaeculo nono floruit, & ob *libros IV de officiis eccleſiaſticis*, notus eſt, inter PASCHASII aduerſarios referri ſolet. Immo eousque eum proceſſiſſe, vt in ſacra coena praeter ſignum & figuram corporis Chriſti nihil admitteret, EDM. ALBERTINVS probare adnititur, *de ſacramento euchariſtiae lib. III. p. 925.* item M. LARROQVANVS, *hiſtoire de l' euchariſtie, part. II. cap. XIII. p. 589.* reclamante iterum magnopere & repugnante NAT. ALEXANDRO, *hiſtor. eccleſ. ſaec. IX. & X. diſſertat. XI. pag. 353.* conf.

conf. & LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. VII. p. 74.* Sententia autem AMALARII haurienda ex *epiſtola* eius *ad Guntardum*, quae in *ſpicilegio* IO. LVC. D'ACHERII exhibetur, *tomo III. p. 331.* nouiſſimae editionis. Cumprimis vero PASCHASIO ſe oppoſuit RATRAMNVS, ſupra nobis iam memoratus; quippe qui, edito *de corpore & ſanguine domini* libro, transſubſtantiationis commentum funditus euertit, vt tamen ſimul ad alterum extremum prolaberetur, adſereretque, panem & vinum figuratum tantum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, itemque corpus, quod in ſacra coena exhibetur, differre a corpore, quod ex Maria natum, cruci adfixum, mortuum & ſepultum, nunc ſedet ad dextram patris in caelis. Hoc vero cum romanenſibus vehementer diſpliceat, qui nollent, exſtitiſſe eo tempore quemquam, qui tam aperte transſubſtantiationis commentum impugnaret; vt hinc ſe expediant, non vnam ingrediuntur viam. Fuerunt, qui, librum iſtum ſuppoſititium eſſe, contenderent, nec ab ipſo RATRAMNO ſcriptum: quibus cum codices manuſcripti aperte refragentur, nullo hos niti fundamento, ipſemet agnoſcit LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcript. eccleſ. tom. VII. c. VII. p. 67.* Nonnulli huncce, qui ſub RATRAMNI nomine exſtat, IO. SCOTO ERIGENAE potius tribuendum cenſent, vt PETR. DE MARCA, in *epiſtola ad Io. Luc. Dacherium*, & anonymus quidam in peculiari diſſertatione edita ad finem *tomi I. de perpetua eccleſiae fide circa euchariſtiam.* Verum & iſtos falli, ex ſtili diuerſitate, aliiſque argumentis, euidentiſſime viri docti demonſtrarunt, quod & ex ipſis romanenſibus IO. MABILLONIVS fecit, *ſaec. Benedict. IV. praefat. p. 45.* cui & NAT. ALEXANDER ſuffragatur, *hiſtor. eccleſ. ſaec. IX & X. diſſert. XIII. §. I. p. 354.* conf. & IAC. BASNAGIVS, *hiſtor. eccleſiae lib. XVI. cap. VII. §. II. pag. 933.* Alii rurſus, librum huncce corruptum & interpolatum eſſe, clamitarunt; alii auctorem, ſiue RATRAMNVM, tamquam haereticum, & nouandi cupidum, aut tamquam monachum aduerſus ſuperiores ſuos recalcitrantem, traduxerunt; alii aliud quid commenti ſunt. N. ALEXANDER totus in eo eſt, vt ſibi aliiſque perſuadeat, RATRAMNVM in eo, quod caput cauſſae eſt, a PASCHASIO non diſſentire, adeoque nec transſubſtantiationem impugnaſſe; quin immo illorum tantum eum refutaſſe errorem, qui exiſtimauerint, *corpus Chriſti in euchariſtia velatum non eſſe, nullumque in eo eſſe myſterium*, hoc eſt, corpus Chriſti in ſacra coena ita adeſſe, vt oculis adſpici, ſenſibusque externis deprehendi queat; cumque nec P. RADBERTVS, nec alius quispiam, eiusmodi quid docuerit; RATRAMNVM errorem impugnaſſe, quem nemo fuerit amplexus, quiue nuſpiam exſtiterit, & adeo cum ſpectris & laruis dimicaſſe; *l. c. §. II. p. 355.* Id vero parum credibile videtur; praeſertim ſi cogitamus, RATRAMNVM iuſſu Caroli calui, Galliae regis, contra homines, qui errores in doctrina de ſacra coena fouerent, ſcripſiſſe. Reuera itaque eiusmodi homines, qui non recte hac in re ſenſerint, exſtitiſſe, neceſſe eſt. Eousque autem abſurditatis quemquam progreſſum, vt ſibi perſuaſerit, corpus Chriſti in ſacra coena oculis conſpici, ſenſibusque externis percipi poſſe, ab omni prorſus fide abhorret. Alii itaque ex romanae eccleſiae addictis agnoſcunt, auctorem libri iſtius, de quo nobis ſermo eſt, a transſubſtantiationis dogmate alienum eſſe, quos inter & IO. HARDVINVS eſt, qui tamen illis ſimul ſuffragatur, qui, eum non RATRAMNVM, ſed IO. SCOTVM ERIGENAM eſſe, contendunt, in *diſſert. de ſacramento altaris*, in *ſelectis* eius *operibus p. 288. ſeqq.* At eum rurſus oppugnandum ſibi ſumſit IAC. BOILEAV, omni conatu id agens, vt euincat, RATRAMNO transſubſtantiationis dogma proba-

tum fuiſſe, tum in *apologia Ratramni*, gallicano idiomate ſcripta, tum in *praefatione*, RATRAMNI libro, a ſe edito, praemiſſa. Quae omnia, quam parum romanae eccleſiae addicti ſibi conſtent, luculenter demonſtrant. Addenda, quae IAC. BASNAGIVS hac de re diſputat, in *hiſtor. eccleſiae lib. XVI. cap. VII. p. 933. ſeqq.* itemque EDM. ALBERTINVS, *de ſacramento euchariſtiae lib. III. pag. 929. ſeqq.* Prodiit RATRAMNI hicce liber *de corpore & ſanguine domini* primum Coloniae, an. 1532, ſaepiusque deinceps recuſus eſt. Ceterum, licet hicce, de quo hucusque verba fecimus, RATRAMNI liber, perperam IO. SCOTO ERIGENAE tribuatur; hunc tamen itidem librum *de corpore & ſanguine Ieſu Chriſti*, in quo transſubſtantiationis commentum impugnauit, quiue non amplius reperitur, ſcripſiſſe, certum eſt. Non minus vero & dubio caret, eum transſubſtantiationem ita reieciſſe, vt ſimul praeſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti negaret. Docuit nimirum, *quod ſacramentum altaris non verum corpus, nec verus ſanguis ſit domini, ſed tantum memoria veri corporis & veri ſanguinis*; vt HINCMARVS diſerte loquitur *de praedeſtinatione cap. XXXI.* Nec abnuere hoc audent romanenſes, quin potius ipſemet NAT. ALEXANDER pluribus hoc confirmat, *l. c. diſſertat. XIV. §. IV. p. 361.* ſimul tamen eum, vt hominem haereticum, & erroribus ſcatentem, traducunt, & quaecumque poſſunt, congerunt, vt exiſtimationem eius, ac auctoritatem imminuant; quod parum ad rem facere, nemo non intelligit. De reliquis, quorum adhuc mentio fieri poterat, conferendi IAC. BASNAGIVS, in *hiſtoria eccleſiae lib. XVI. cap. VIII. & IX. pag. 937. ſeqq.* & LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. VII. c. VII. p. 63. ſeqq.* Addenda, quae ipſemet dixi *inſtitut. theolog. dogm. lib. V. c. I.* ad *§. XXII. p. 1549. ſeqq.*

Supereſt in nono hocce ſaeculo controuerſia, quae ſub PHOTIO, patriarcha Conſtantinopolitano, inter graecam atque latinam eccleſiam exorta, & deinceps vtrimque magnis animorum motibus continuata fuit; quamquam & ob alia ſcripta, quibus praeſul iſte doctiſſimus theologiam polemicam locupletauit, locum hic ſibi vindicet. Et *quatuor* quidem eius *libros contra Manichaeos* a IO. CHRIST. WOLFIO, viro doctiſſimo, in *anecdotorum graecorum, ſacrorum & profanorum, tomo I.* graece & latine editos, ſupra iam ad *§. III.* commemorauimus, cum de Manichaeis verba faceremus. Ad controuerſias etiam theologicas ſpectant *diſſertationes* eius *ſex*, quarum prima eſt: *quomodo dicatur eſſe Deus in omni re, & quomodo diſſolui poſſint dubitationes, quae a quibusdam contra hoc obiiciuntur*: ſecunda: *theologiae hypotypoſes, id eſt, informationes notionis fidei*; tertia: *quare vsque ad trinitatem procedat Deus & nec intra trinitatem circumſcribatur, nec vlterius extendatur*; quarta: *quomodo dicamus Deum vnum & tria*; quinta: *quomodo omnino cogitari poſſit, Deum eſſe incarnatum*; ſexta denique, *quare Deus carnem adſumſerit.* Haſce diſſertationes latine tantum, FR. TVRRIANO interprete, ediderat in *lectionibus antiquis* HENR. CANISIVS; ſed hodie graece etiam, excepta prima diſſertatione, in qua graeca deſiderantur, cum inſigni ſupplemento diſſertationis tertiae, ibidem exhibentur a IAC. BASNAGIO, *tomo II. part. II. p. 420. ſeqq.* Praemiſſa ibidem eſt eiusdem PHOTII *epiſtola ad Michaelem Bulgariae principem de officio principis pag. 382. ſeqq.* ſubiunctum vero opuſculum itidem graece ac latine: ποῖα δεῖ λέγειν ἐπὶ Χριστοῦ γνωμικὰ θελήματα, καὶ ποῖον δεῖ λέγειν ἐπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ἀνθρώπινον θέλημα, ὑποστατικὸν καὶ ἕτερον· *Quales debeant dici in Chriſto voluntates gnomicae, & qualis debeat in eodem Chriſto dici voluntas humana, hypoſtatica aut alia; p. 439. ſeqq.* Ad vltimum hocce opuſculum illuſtrandum com-

comparata eſt *diſſertatiuncula Stewartiana de ſcriptione Photiana, & quanti ponderis ſint argumenta, quae adfert pro ſua ſententia ſtabilienda*, quae eidem ſubiungitur, *p. 459. ſeqq.* Per *voluntatem* nimirum *gnomicam*, quam a *naturali* ſeu *eſſentiali* diſtinguunt, Graeci quidam ipſam deliberationem ac electionem intelligunt, eamque in Chriſto locum habere negant, quoniam omnia perfecte cognoſcit, & voluntas humana in eo ſemper cum voluntate diuina conſentit. IAC. BASNAGIVS de hacce PHOTII commentatione ita pronuntiat: *Tractatum de voluntatibus gnomicis nimia cum ſubtilitate Graecorum more ſcriptum, reperient lectores, niſi ſint ipſi ſubtiliores. Hoc obſeruauit Stewartius, in diſſertatiuncula hic appoſita*; in *obſeruatione* opuſculis hiſce PHOTII praemiſſa *p. 378.*

Sed vt ad eas, quae inter eccleſiam graecam & latinam ſub PHOTIO exortae ſunt, & de quibus dicere incepimus, controuerſias, accedamus; non temere quemquam fugit, qua ratione PHOTIVS anno 858 in locum Ignatii, patriarchae Conſtantinopolitani, ſede iſta deiecti, inuito Nicolao I pontifice romano, ſubſtitutus, & poſt obitum Ignatii denuo confirmatus, praeſules romanos maxime ſibi aduerſantes expertus ſit. Hinc odium plus quam Vatinianum, inter vtriusque eccleſiae epiſcopos continuandum, & in apertum tandem ſchiſma erupturum; cuius tamen iam antea veluti ſemina quaedam ſparſa ſunt. Nimirum initio de dignitate, honore, iuribus, contentio erat; mox, vti fieri ſolet, dogmata in controuerſiam adducta, aut obtentui ſumta. PHOTIVS namque inter alia de proceſſione ſpiritus ſancti a patre & filio litem mouebat, & additionem ad ſymbolum: FILIOQVE, ὥσπερ κακῶν κορωνίδα Latinis exprobrabat, in *epiſtola encyclica ad patriarchas orientales*, quae latine apud CAES. BARONIVM ad *annum 863. num. XLI.* graece vero & latine inter reliquas PHOTII epiſtolas, cum verſione & notis RICH. MONTACVTII Londini an. 1651. fol. editas, ſecundo loco exſtat, quamue RATRAMNVS aliique, vt deinceps dicemus, integris ſcriptis impugnarunt. Alia adhuc PHOTII contra Latinos, ſeu romanam eccleſiam, compoſita ſcripta recenſet LEO ALLATIVS, *de eccleſiae occidentalis & orientalis perpetua conſenſione, lib. II. cap. VI. §. IV. p. 575.* Sed & ex his lucem tantum adſpexit *liber aduerſus Latinos de proceſſione ſpiritus ſancti*, ſiue: κατὰ τῶν τῆς παλαιᾶς Ῥώμης, ὅτι ἐκ πατρὸς μόνου ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ᾽ οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ. Legitur namque in EVTHYMII *panoplia*, graece, Tergobyſti in Walachia an. 1710. fol. edita, vt IO. ALB. FABRICIO obſeruatum, *biblioth. graec. volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXVIII. p. 561.* Ad obiectiones PHOTII reſpondet IO. VECCVS, patriarcha Conſtantinopolitanus, περὶ τῆς ἑνώσεως καὶ εἰρήνης τῶν τῆς παλαιᾶς καὶ νέας Ῥώμης ἐκκλησιῶν *de vnione eccleſiarum veteris & nouae Romae, orat. I.* in LEON. ALLATII *Graecia orthodoxa, tomo I. p. 154. ſeqq.* Inedita PHOTII ſcripta, inter quae reliqua ſunt, quae Latinis oppoſuit, recenſet equidem CASIM. OVDINVS, in *commentar. de ſcriptorib. & ſcriptis eccleſiaſticis, tomo II. p. 202. ſeqq.* ſed longe adcuratius pleniusque, quem iam laudauimus, vir doctiſſimus IO. ALB. FABRICIVS *l. c. p. 362. ſeqq.* Eminet inter ea περὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος μυσταγωγίας, καὶ ὅτι ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς ἱερολογεῖται γεννᾶσθαι, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου καὶ τοῦ αὐτοῦ αἰτίου θεολογεῖται ἐκπορεύεσθαι, λέγεται δὲ τοῦ υἱοῦ εἶναι, ὡς ὁμοούσιον, καὶ ἀποστελλόμενον δι᾽ αὐτοῦ· *De ſpiritu ſancto diſciplina arcana, & quemadmodum filius ex ſolo patre, ita & ſpiritus ſanctus ex ſola eademque cauſſa procedit; dicitur tamen filii eſſe, tamquam qui illi conſubſtantialis eſt, & ab eo mittitur.* Opus hocce *luculentiſſimum* vocat LEO ALLATIVS, acerrimus PHOTII cenſor; ſimul tamen monet, illud in codice palatino METROPHANI, epi-

epiſcopo Smyrnenſi, tribui; *de eccleſ. occident. & oriental. perpetua conſenſ. lib. II. cap. VI. §. IV. p.575.* Sed haec, aliaque, in lucem protrahentur a CLAVD. CAPPERONIERIO, quem omnium PHOTII operum editionem moliri, GEO. WALLINVS nos condocet, in *Lutetia Pariſiorum erudita ſui temporis cap. I. p. 8.* Plura de PHOTIO dabit M. HANCKIVS, *de Byzantinarum rerum ſcriptoribus, part. I. c. XVIII. p. 269. ſeqq.* Scriptores de cauſſa Photiana, tum infeſtos PHOTIO, tum ei aequiores, recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 372.* Breuiter, ſed neruoſe, contra C. BARONII obtrectationes eum defendit I. BASNAGIVS, in *obſeruatione*, opuſculis eius praemiſſa, *lectionum antiquar.* HENR. CANISII *tom. I. part. II. p. 375.* Ex ſcriptis autem iſtis PHOTII, in hacce cauſſa editis, patet, praecipue de proceſſione ſpiritus ſancti a patre filioque inter vtramque eccleſiam diſputatum fuiſſe. Cuius controuerſiae quaenam fuerit origo, a me expoſitum in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. II. cap. I.* ad *§. LII. p. 396. ſeqq.* Exacerbata maximopere haec controuerſia fuit, per vocis *filioque* in ſymbolo Conſtantinopolitano additionem; quae quando, quaue ratione in eccleſia occidentali facta ſit, de eo iam abunde & ex inſtituto dictum ad *cap. II. libri* huius *§. V.* Licet autem iam circa initium ſaeculi ſeptimi, immo finem ſexti, in variis conciliis, ſpeciatim Toletanis, ſymbolum iſtud Conſtantinopolitanum cum additione *filioque* repetitum fuerit; res tamen ſilentio fere transmiſſa, vsque ad ſaeculum nonum, quo, lite grauiſſima inter vtramque eccleſiam, orientalem & occidentalem, oborta, cum errore, falſi crimen a PHOTIO occidentalibus acerbiſſime exprobrabatur. Accedebant equidem & alia contentionis huius capita, ſed minoris momenti, ſi illud de primatu pontificis romani excipias, vtpote ad ritus, conſuetudines, diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantia, ſuper quibus, ſequentibus praeſertim ſaeculis, acriter concertatum fuit. Immo eousque proceſſit litigandi pruritus, vt etiam de barbae tonſione inter ſe diſputarent; memorabile exemplum relicturi, quam facile ad minutias, immo ineptias, prolabantur, qui in controuerſiis theologicis adfectum potius, quam rectam rationem, ducem ſequuntur. Meminit iſtius quaeſtionis RATRAMNVS, recteque iudicat, operae non eſſe pretium, vt de ea diſputetur. *Iam videamus*, inquit, *quod de barbae tonſione clericos culpare non tantum Romanorum, verum omnium occidentalium Chriſti eccleſiarum non verentur. Quae tam leuis agnoſcitur, vt nihil ei reſponderi merito decerneretur, ne forſitan talium leuitate pares, vel certe leuiores aeſtimentur, qui nullam habenti rationem obiecto reſpondere potius quam contemnere delegere. Quid enim refert ad iuſtitiae non tantum perfectionem, verum etiam inchoationem barbae detonſio, vel conſeruatio? lib. IV. contra Graecorum oppoſita cap. V. p. 102.* Vt autem orientalium cauſſam variis ſcriptis ſaeculo nono egit PHOTIVS; ita eodem tempore nec occidentales ſibi deerant. Nicolaus namque primus pontifex, cum ſe ſolum PHOTII inſultibus repellendis parem non crederet; alios quoque, praeſertim Galliae epiſcopos, ad belli ſocietatem inuitauit. Hinc varia iſtorum epiſcoporum ad PHOTII obiectiones enata ſunt reſponſa. ODO nimirum, epiſcopus Bellouacenſis, iudicia epiſcoporum prouinciae Remenſis colligere iuſſus, Graecorum obiectionibus, quae e re eccleſiae romanae eſſe videbantur, oppoſuit. Periit autem iſte ODONIS liber; nec audiendi ſunt, qui illi tribuunt, quem RATRAMNVS contra Graecos ſcripſit. Namque & hunc epiſcoporum iuſſu contra Graecos in aciem prodiiſſe, non eſt, quod dubitemus. Certe ſub RATRAMNI nomine exſtant *contra Graecorum oppoſita, romanam eccleſiam infamantium, libri quatuor*, a IO. LVC. D'ACHERIO

RIO editi, *ſpicilegii tomo I. p. 63. ſeqq.* editionis nouiſſimae LVD. FR. IOS. DE LA BARRE. RATRAMNO hic iungendus AENEAS epiſcopus Pariſienſis, cuius *liber Aduerſus Graecos* itidem in *ſpicilegio* D' ACHERII exhibetur, *tomo I. p. 113.* eiusdem editionis. Vterque & RATRAMNVS & AENEAS, de eo, quod caput cauſſae erat proceſſione ſpiritus ſancti ex patre filioque, maxime ſunt ſolliciti; adeo vt RATRAMNVS ex quatuor iſtis, quos contra Graecos ſcripſit, libris, tres priores huic argumento impendat, & in primo quidem ex ſcriptura ſacra, in duobus ſequentibus patrum teſtimoniis, latinae eccleſiae ſententiam comprobare adnitatur; in quarto autem ad alias quaeſtiones progreditur. AENEAS patrum tantum nititur teſtimoniis. Conferendus LVD. ELL. DV PIN *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. VII. cap. X. p. 109. ſeqq.* De iis, qui veritatem chriſtianae religionis aut contra Iudaeos, aut contra Mohammedanos, in hocce temporis interuallo defenderunt, cum iam oblata occaſione dictum ſit: aliquid de iis addere, neceſſe non eſt. De reliquis, qui ſpeciatim contra Iudaeos, ſaeculo ſeptimo, octauo & nono, diſputarunt, quosue praetermiſimus, vt ISIDORO Hiſpalenſi, & IVL. POMERIO Toletano, quorum vterque ſaeculo ſeptimo vixit, ceteriſque; praeſertim anonymis quibusdam ſaeculi noni, conferendus IO. BENED. CARPZOVIVS, *introd. in theolog. iud.* RAYMVNDI MARTINI *pugioni fidei* praemiſſa, *cap. XI. §. II. III. pag. 84. 85.*

§. VI. Quod ſequitur ſaeculum decimum, ob controuerſiarum ac ſcriptorum polemicorum ſterilitatem felix cenſeri poſſet, niſi haec ex ſupina ignorantia atque ignauia orta eſſet. * Idemque de ſaeculo vndecimo cenſendum, quo tamen rurſus de ſacra euchariſtia diſputatum fuit. Acceſſere contentiones Graecorum Latinorumque, documentum praebentes, quantis animorum motibus ſaepe de rebus prorſus friuolis diſputetur. ** Scholaſtica theologia ſaeculo duodecimo caput tollens, rationemque, de rebus nullius momenti rixandi, docens, ad corrumpendam theologiam polemicam plurimum contulit. Waldenſium denique, aliorumque exemplo, patuit, haud inſolens eſſe in controuerſiis theologicis, vt confeſſores veritatis, ceu haereticorum peſſimi, impugnentur. ***

* Saeculum hocce decimum viris doctis merito *obſcurum* audit, ob caliginem, ſeu profundam rerum omnium, quae orbi chriſtiano eo tempore incubuit, ignorantiam. Turpiſſima clericorum vita, ipſorumque pontificum foediſſimi mores, miſerrimam hoc tempore eccleſiae fuiſſe faciem, teſtantur. Poteratque infernalis genius labore, excitandi haereſes ad eccleſiam turbandam, doctrinamque chriſtianam labefactandam, ſuperſedere; cum omnes, gulae & ventri dediti, veritatis nullam haberent rationem. Contentio inter occidentalem & orientalem eccleſiam continuata fuit, odio magis ac liuore, quam ſcriptis. Sub SISINNIO, patriarcha Conſtantinopolitano, transmiſſa rurſus fuit ad patriarchas orientales PHOTII *epiſtola encyclica contra Latinos*, cuius antea mentionem fecimus; & anathematiſmi quoque actis ſynodalibus decreti, aduerſus ea, quae contra PHOTIVM promulgata fuiſſent, itemque aduerſus calumniantes *ſanctam eccleſiam*, ſcilicet orientalem, quaſi illi-

Digitized by Google

illibatam puritatem ſanctimoniae ſuae non retineret, non diffitente ipſo CAES. BARONIO ad annum 595 ſub *finem.* LEO ALLATIVS acriter in Siſinnium inuehitur, quod PHOTII *epiſtolam encyclicam* ſuo nomine, & tamquam a ſe ſcriptam, ad reliquos patriarchas miſerit. *Siſinnius*, inquit, *(ob quam id egerit cauſſam, ipſe neſtio) Photii epiſtolam encyclicam, quam in Latinos ille temeritatis ac audaciae plenam exarauerat, titulo tantummodo immutato, & ſuo nomine ſuppoſito, ad reliquos patriarchas ipſiſſimis verbis transmiſit, homo nequiſſimus; licet multa in ea continentur, quae ad Photium & Photiana tempora pertineant; quae ipſe non immutauerat; adeo importune iſte, verborum magiſtri obſeruator religioſus, ineptit; de eccleſiae occidentalis ac orientalis perpetua conſenſione lib. II. cap. VIII. pag. 606.* Sed bene eſt, quod ſtatim addit: *Niſi etiam dicamus, nomen Siſinnii ab aliis illi epiſtolae adpoſitum fuiſſe.* Hiſce enim verbis fatetur, nondum euictum eſſe, quod Siſinnius ſuo nomine epiſtolam hancce ad reliquos patriarchas miſerit.

** Non multo melior ſaeculi vndecimi, quam praecedentis, praeſertim ſi litterarum ſtudia ſpectes, fuit facies; niſi quod ſcholaſtica theologia ſe magis magisque exſerere coeperit. Nec occurrit, qui erroribus profligandis operam impenderit, certe qui dignus ſit, cuius hic iniiciatur mentio; plerisque, quibus vlla ingenii aut eruditionis laus erat, ad hiſtorias, pro temporis iſtius ratione ſcribendas, aut ſermones ſacros componendos, aut ritus eccleſiaſticos explicandos, ſtudium ſuum laboremque conferentibus. Certamina tamen quaedam mota ſunt. Et in occidentali quidem eccleſia BERENGARIVS archidiaconus Andegauenſis turbas excitauit. Namque circa annum 1035 ſuam de ſacra euchariſtia ſententiam ſpargere coepit, quod in ea, etiam poſt conſecrationem, non ſit verum corpus verusque ſanguis domini, ſed eorum tantum figura. Multos ſtatim nactus eſt aduerſarios, resque eo deuenit, vt non vna contra eum congregaretur ſynodus, nec ſemel hicce eius error condemnaretur. Cum autem BERENGARIVS ſententiam ſuam, quam in ſynodo Turonenſi anno 1055 abiurauerat, nihiloſecius defendere pergeret; Nicolaus II pontifex an. 1059 ſynodum Romanam congregauit, in qua BERENGARIVS fortiter equidem placita ſua propugnauit; at minis territus, IO. SCOTI ERIGENAE librum, ex quo ſua hauſerat, combuſſit, & formula, ab HVMBERTO cardinali praeſcripta, ſententiam iterum abiurauit, vt nihiloſecius ad eamdem rediret, monendus hinc ab Alexandro II pontifice, vt ab haereſi diſcederet. Poſtea denuo in ſynodo Romana V ſub Gregorio VII auditus, ſecundam fidei profeſſionem edidit, (primam in ſynodo Romana, anno 1059 ſub Nicolao II pontifice congregata, protulerat) quam mox in ſynodo Romana VI anno 1079 tertia excepit; quamuis nec id ſerio fecerit, priſtinamque reſumſerit ſententiam, quam tamen tandem ante mortem reuera dimiſiſſe dicitur; quod praeter alios IO. MABILLONIVS euincere adnititur, in *obſeruationibus de multiplici Berengarii damnatione, fidei profeſſione, & relapſu, deque eius poenitentia*, quae in *analectis* eius *veteribus* exſtant, *p. 513. ſeqq.* editionis nouiſſimae, quae Pariſiis anno 1723 lucem adſpexit; idemque GVILIELMI Malmsburienſis & HILDEBERTI, Cenomanenſis epiſcopi, teſtimoniis confirmat FRANC. PAGI, in *breuiario geſtorum pontif. roman. tomo II. ſaec. XI. p. 452.* qui & reliqua, quae ad cauſſam Berengarii ſpectant, luculenter ediſſerit. De ſcriptis BERENG. SIGEBERTVS Gemblacenſis, cum monuiſſet, eum *liberalium artium & amplius dialecticae peritia inſignem fuiſſe*, ita pronuntiat: *ſcripſit*

Digitized by Google

ſcripſit faſtuoſo ſtilo contra Almannum grammaticum & epiſcopum, non agnoſcens amici corrigentis beneuolentiam, ſed defendens ſuam de myſteriis Chriſti ſententiam. Et quia multi ad eum vel contra eum ſuper hac re ſcripſerunt; ſcripſit & ipſe ad vel contra eos, & dum dialecticis ſophiſmatibus contra ſimplicitatem apoſtolicae fidei abutitur, nec ſe excuſare, nec alios aedificare videtur; quia magis interpolat clara, quam dilucidat obſcura; de ſcriptor. eccleſiaſt. cap. CLIV. p. m. III. Exſtant BERENGARII *epiſtolae duae ad Aſcellinum & Richardum*, vna cum ASCELLINI litteris primum inter LANFRANCI opera a IO. LVCA D' ACHERIO editae, qui & aliam ad *Richardum* exhibet, *ſpicilegii tomo III. p. 400.* editionis nouiſſimae DE LA BARRE. *Tres* eius *fidei formulas* ſeu *profeſſiones* ſiſtit IO. MABILLONIVS, in *obſeruationibus de multiplici Berengarii damnatione &c.* in *analectis p. 515.* editionis antea memoratae. Inter eos, qui BERENGARIVM refutarunt, LANFRANCVS fuit, archiepiſcopus Cantuarienſis, cuius *de corpore & ſanguine domini in euchariſtia contra Berengarium* exſtat libellus, in operibus LANFRANCI a IO. LVCA D' ACHERIO Pariſiis anno 1648 editus. Fuit & GVITMVNDVS, Auerſanus in Italia archiepiſcopus, &, vt quidam volunt, cardinalis. *Tres* namque *libros de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia*; itemque *confeſſionem de trinitate, & humanitate Chriſti, corporisque ac ſanguinis domini veritate*, ſcripſit; quae omnia in *bibliotheca maxima patrum* exhibentur, *tomo XVIII. p. 440. ſeqq.* Berengarii ſub Fulberto Carnotenſi commilito fuit ADELMANNVS, ex ſcholaſtico Leodienſi, Brixienſis epiſcopus, qui ſe itidem illi oppoſuit in *epiſtola de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia*, quam ſimiliter in *bibliotheca maxima patrum* legere licet, *tomo XVIII. p. 438.* Addendi his HVGO, Lingonenſis epiſcopus, & DVRANDVS abbas Troarnenſis, quorum vterque librum *de corpore & ſanguine Chriſti contra Berengarium* compoſuit, quos IO. LVCAS D' ACHERIVS, in *adpendice* ad *opera* LANFRANCI Pariſiis anno 1648 in lucem protraxit; deinde autem inſerti ſunt *bibliothecae maximae patrum, tomo XVIII. p. 417. ſeqq.* DVRANDI commentatio amplior eſt, & longe maiori diligentia conſcripta, quam HVGONIS, in qua & varia patrum teſtimonia contra ſententiam Berengarii adferuntur. GOZECHINI, ſcholaſtici Moguntini, *epiſtola ad Valcherum ſcholaſticum Leodicenſem*, in qua de Berengarii, eiusque ſequacium, peruerſa doctrina conqueritur; itemque DEODVINI, epiſcopi Leodicenſis, *epiſtola ad Henricum Francorum regem*, in qua de eodem Berengario agit, inueniuntur in IO. MABILLONII *analectis veteribus p. 437. ſeqq.* nouiſſimae editionis, quae Pariſiis anno 1723 fol. prodiit. Non magni hae ſunt momenti; ex DEODVINI tamen, ſiue THEODVINI, epiſtola condiſcimus, BRVNONEM, Andegauenſem epiſcopum, in eadem cum BERENGARIO fuiſſe ſententia. Tandem & ALGERVS hic commemorandus eſt, qui tamen ſaeculo duodecimo vixit, *librosque tres de ſacramento corporis & ſanguinis domini aduerſus Berengarium* compoſuit, qui in *bibliotheca maxima patrum* exſtant, *tom. XXI. p. 251.* Conferenda, quae tum de ALGERO hocce, tum de reliquis, qui ſe BERENGARIO oppoſuerunt, copioſe diſſerit LVD. ELL. DV PIN, *biblioth. nou. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. VIII. part. II. cap. III. p. 12. ſeqq.* Quod autem in controuerſiis theologicis longe eſt frequentiſſimum, & saepiſſime contingit, vt, qui vnum extremum euitare volunt, ad alterum prolabantur; id in hocce etiam luculentiſſimo exemplo comprobatum fuit. Transſubſtantiationis enim ita eum impugnaſſe commentum, vt ſimul praeſentiam realem corporis ſanguinisque Chriſti in ſacra coena

na negaret, notum eſt. Fuerunt quidem, qui contenderent, docuiſſe BERENGARIVM, in euchariſtia vna cum ſubſtantia panis & vini eſſe ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti; ſed hanc Berengarianorum quorumdam, non ipſius BERENGARII, fuiſſe opinionem, GVITMVNDI praecipue teſtimonio probare conatur NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. ſaec. XI. & XII. diſſert. I. artic. II. p. 662.* Ingreſſus nihilo ſecius in eam ſententiam eſt EDM. MARTENE, qui cum VRSINO DVRANDO *theſaurum anecdotorum* edidit. In huius enim *tomo IV.* cum BERENGARII relatio de ſynodo Romana, in qua formulae retractationis ſubſcripſit, *p. 99. ſeqq.* exſtet; editores, rationem reddituri, cur Gregorius VII pontifex magna erga Berengarium, qui toties ad priſtinam mentem redierat, vſus ſit lenitate; inde hoc proueniſſe, adſerunt, quod non, niſi vno gradu, a recepta romanae eccleſiae ſententia diſceſſerit, repudiando quidem transſubſtantiationem, ſed admittendo tamen praeſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti; quamuis ſimul fateantur, non ſemper vna eademque ratione loquutum Berengarium. Quae ſi ita ſe habeant, cum noſtrae eccleſiae doctrina prorſus conſenſiſſe Berengarium, neceſſe erit. Diſſentit tamen hic IO. CLERICVS, Berengariumque omnino praeſentiam realem corporis ac ſanguinis Chriſti negaſſe, contendit, *biblioth. anc. & mod. tom. XV. artic. I. p. 288.* Addenda, quae hac de re dixi in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. V. cap. I.* ad *§. XXII. p. 1552.*

Refertur praeterea a nonnullis inter haereticos huius ſaeculi ROSCELINVS, ſeu ROZELINVS, Compedienſis, profeſſione dialecticus, Petri Abaelardi praeceptor, quem ſi non primum, certe inter primos fuiſſe, qui corruptam Ariſtotelis philoſophiam cum theologia coniunxerunt, ſupra iam obſeruauimus *cap. I.* huius *libri* ad *§. IX.* In eo etiam, quinam ex iſta coniunctione ſperandi fructus eſſent, ſtatim adparuit, dum tres perſonas in Deo, tres a ſe inuicem ſeparatas eſſe res, vt ſunt tres angeli, adſeruit, ita tamen, vt vna earum ſit voluntas & poteſtas, & tres deos vere poſſe dici, ſi vſus admitteret. Quae ipſa fuit tritheitarum haereſis, quam in IOANNE Philopono ad §. *praecedentem* notauimus. Vtriusque etiam, tum ROSCELINI, tum IO. PHILOPONI errorem ex philoſophiae Ariſtotelicae abuſu enatum eſſe, longe eſt manifeſtiſſimum. Damnata autem iſta ROSCELINI ſententia fuit in concilio Sueſſionenſi, anno Chriſti 1092. & ab eodem eiurata, at mox iterum adſumta. Refutauit eumdem ex inſtituto ANSELMVS, Cantuarienſis archiepiſcopus, praecipuum fere ſaeculi vndecimi lumen, in *libro de fide trinitatis, & de incarnatione verbi contra blaſphemias Ruzelini, ſiue Roſcelini,* qui inter opera eius, a GABRIELE GERBERONIO edita, & iterum anno 1721 Pariſiis excuſa, exſtat *p. 41. ſeqq.* Inceperat huncce librum ANSELMVS, cum adhuc eſſet Beccenſis abbas; ſed intermiſerat, cum audiuiſſet, ROSCELINVM in concilio Sueſſionenſi errorem abiuraſſe. At cum intellexiſſet, eum in priſtina adhuc perſiſtere ſententia, & ad mortis ſolum periculum euitandum ſe eam eiuraſſe, profeſſum; precibus fratrum inductus, coeptum opus abſoluit; vt ipſemet teſtatur *cap. I. p. 41.* Mentionem quoque huius rei ANSELMVS facit, *lib. II. epiſt. XXXV. & XLI. p. 355. & 357.* editionis antea laudatae. Sed & PETR. ABAELARDVS hac de re verba facit *epiſt. XXI. ad Pariſienſem epiſcopum*, vbi &, ſe opuſculum *de fide ſanctiſſimae trinitatis* aduerſus hanc haereſin ſcripſiſſe, teſtatur. ROSCELINVM autem *pſeudo-dialecticum* & *pſeudo-chriſtianum* vocat, ſimulque ex abuſu dialecticae huncce eius errorem ortum, ſignificat. Interim ipſe ABAELARDVS nec cautior nec felicior fuit magiſtro; ſiquidem ad eosdem ſcopu-

ſcopulos naufragium fecit, inter haereticos itidem referendus, vt deinceps dicemus. De ROSCELINO autem conferendus & IVO Carnotenſis *epiſt. XXVI.* Philoſophiam Ariſtotelicam errori eius occaſionem dediſſe, a me & obſeruatum, *tom. I. obſeruat. ſelect. &c. obſeru. XV. §. XI. p. 187.* THEOBALDVS Stampenſis ROSCELINVM grauiter redarguit, ſed aliam ob cauſſam, ſcilicet, quod, filios ſacerdotum ad ſacros ordines non eſſe admittendos, pertinaciter contenderet. Epiſtola haecce THEOBALDI exſtat in IO. LVC. D' ACHERII *ſpicilegio tom. III. p. 448.* editionis nouiſſimae DE LA BARRE.

Maximas denique hocce ſaeculo turbas in eccleſia occidentali excitauit HILDEBRANDVS, ſeu GREGORIVS VII pontifex, ſupremum in eccleſiam dominatum ſibi vindicando, iuraque ſummorum imperantium, audaciſſimo conatu, infringendo & conculcando. Quae inter pontificem huncce, & quosdam eius ſucceſſores, ac imperatores, praeſertim Henricum IV geſta ſint, exponere, huius loci non eſt. Ad ſcripta autem quod attinet, quibus nonnulli imperatorum iura contra pontificum tyrannidem defenderunt; quod tamen ſequenti aetate luculentiori factum ratione; eorum iam ſupra mentionem fecimus, cum de iurisprudentia eccleſiaſtica exponeremus, ſeu *cap. V.* huius *libri* ad *§. X.* Nihil aliud itaque ſupereſt, quam vt de occidentalis ac orientalis eccleſiae certaminibus, quae vel maxime hoc ſaeculo recruduerunt, aliquid addamus. Namque non tantum SERGIVS, patriarcha Conſtantinopolitanus, conuocata Conſtantinopoli ſynodo, acta PHOTII comprobauit & confirmauit, papaeque nomen ex diptychis deleuit; ſed MICH. quoque CERVLARIVS, itidem patriarcha Conſtantinopolitanus, ſcripta an. 1053 ſuo & LEONIS Achridani, Bulgarorum archiepiſcopi, nomine ad *Ioannem Tranenſem in Apulia epiſcopum, epiſtola*, variorum eccleſiam romanam errorum redarguit. Epiſtola haecce ab HVMBERTO, Siluae-Candidae epiſcopo, & cardinali, latinitate donata, & ad Leonem IX pontificem delata eſt. Exſtat MICH. CERVLARII haecce epiſtola apud BARONIVM *annal. tomo XI.* ad *annum 1053. num. XXIII. ſeqq.* itemque in HENR. CANISII lectionibus antiquis, vt deinceps dicemus. Conferendus de hac epiſtola LEO ALLATIVS, *de libris eccleſiaſticis Graecorum, diſſert. II. p. 159.* aut ex editione IO. ALB. FABRICII, *biblioth. graec. lib. V. p. 112.* vbi eamdem *fellis plenam* vocat. Idem patriarcha MICH. CERVLARIVS duas etiam in eadem cauſſa ad *Petrum, Antiochenum patriarcham*, ſcripſit; quas, cum reſponſione PETRI ad priorem, graece & latine IO. BAPT. COTELERIVS exhibet, in *eccleſiae graecae monumentis tomo II. p. 135. ſeqq.* Capita adcuſationis erant, quod Latini pane azymo in ſacra coena vterentur, quod ſuffocatis veſcerentur, quod barbas raderent, quod ſabbathis ieiunarent, & quae alia erant eiusdem generis, maximam partem leuioris momenti, & de quibus tantopere concertatum eſſe, vix credi poſſet, niſi conſtaret, quantam contendendi & litigandi pruritus mentis caliginem adferat, cumprimis quod ſymbolo Conſtantinopolitano vocem *filioque* addidiſſent, & non recte de ſpiritu ſancto ſentirent. Ad primam MICH. CERVLARII epiſtolam, quam ſuo & LEONIS Achridani nomine ſcripſerat, LEO IX pontifex ſatis ſuperbe reſpondit, in *epiſtola*, quae inter reliquas eius *epiſtolas*, quae in conciliorum collectionibus exſtant, prima eſt, & pro libro potius ſeu tractatu, quam epiſtola, habenda. Cum autem lites iſtae Conſtantino monomacho imperatori diſplicerent, qui rebus ſuis non expedire credebat, iratum ſibi habere pontificem romanum; litteras ad LEONEM dedit, quibus, id ſe daturum operam, pollicebatur,

cebatur, vt controuerſia componeretur. LEO itaque legatos Conſtantinopolin miſit, quos inter & HVMBERTVS fuit, antea nobis memoratus. Ab his quid ibi actum ſit, alibi equidem exponitur; euentus autem talis fuit, vt tandem, Conſtantino monomacho in partes legatorum pontificis inducto, vt erant tum acciſae res Graecorum, damnati ac depoſiti fuerint MICH. CERVLARIVS, & LEO Achridanus, excommunicationis ſimul fulmine, tum in illos, tum in omnes ab eccleſia romana diſſentientes, vibrato. Contra hancce excommunicationem MICH. CERVLARIVS edidit σημείωμα, ſiue *edictum ſynodale de proiecto a legatis romanis in ſacra menſa pittacio*, ſiue charta excommunicationis, quod integrum exhibet LEO ALLATIVS *de libris eccleſiaſticis Graecorum, differt. II. p. 162.* aut ſecundum recentiorem editionem *p. 114. ſeqq.* HVMBERTVS autem cardinalis, qui inter legatos fuit, non tantum hac ratione auctoritati romanae eccleſiae conſuluit, ſed ſcriptis etiam cauſſam eius egit. Librum enim *aduerſus calumnias Michaëlis patriarchae Conſtantinopolitani, & Leonis archiepiſcopi Achridani in Bulgaria*, compoſuit, in quo epiſtolam MICH. CERVLARII, & LEONIS Achridani, antea memoratam, ex inſtituto refutauit. Exſtat liber hicce HVMBERTI, cum *epiſtola*, cui oppoſitus eſt, in *lectionibus antiquis*. HENR. CANISII, *tomo III. part. I. p. 281. ſeqq.* ex editione IAC. BASNAGII. Inter illos vero, qui latinae eccleſiae ſe oppoſuerunt, fuit etiam NICETAS *pectoratus* ſeu *ſtethatus*, monachus & presbyter Conſtantinopolitanus, in coenobio Studienſi. Hunc, ſi nonnullis fides habenda, legati pontificis romani, Conſtantinopolin miſſi, eo redegerunt, vt ſcripta ſua incenderet, omnesque eccleſiae romanae hoſtes anathematizaret. Ita quidem HVMBERTVS, cui an hac in re tuto credatur? dubito. Graeci enim ſcriptores non agnoſcunt, NICETAM ab ipſis defeciſſe. Miror itaque, fabulae huic fidem adhibere LVD. ELL. DV PIN, in *nou. bibiotb. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. VIII. part. II. cap. VII. p. 79.* Quidquid eius ſit, *libellus* NICETAE huius *contra Latinos*, cum *reſponſione* ſiue *contradictione* HVMBERTI, exhibetur in HENR. CANISII *lectionibus antiquis*, *tom. III. part. I. p. 308. ſeqq.* ex editione antea laudata. Ibidem etiam *p. 325.* exſtat eiusdem HVMBERTI *breuis & ſuccincta commemoratio eorum, quae geſſerunt apocriſiarii ſanctae romanae & apoſtolicae ſedis in regia vrbe, & qualiter anathematizati ſunt Michaël cum ſequacibus ſuis.* Nec praetermittendus hic eſt THEOPHYLACTVS, Bulgariae archiepiſcopus, qui ſaeculo nono floruit, & ob varia ingenii monumenta, de quibus & alibi a nobis dicetur, nominis celebritatem conſequutus eſt. *Argumenta* eius *aduerſus Latinos de proceſſione ſpiritus ſancti* exhibet, & ſimul refutat, IO. VECCVS, ſiue BECCVS patriarcha Conſtantinopolitanus, *de vnione eccleſiarum veteris & nouae Romae, orat. I.* in LEONIS ALLATII *Graecia orthodoxa tom. I. p. 215. ſeqq.* Iis, qui ſe eccleſiae latinae oppoſuerunt, MICH. PSELLVM, philoſophum ſaeculi vndecimi longe celebratiſſimum, etiam addit IOSEPHVS Methonenſis epiſcopus, vtpote quem in eccleſiam romanam inuectum, ſpiritum ſanctum a ſolo patre procedere, adfirmaſſe, refert. Et adfirmaſſe quidem id PSELLVM, quaſi aliud agentem, in *capitibus theologicis ad Michaëlem imperatorem*, concedit LEO ALLATIVS; at, peculiari tractatu eum hoc egiſſe, incompertum ſibi eſſe, profitetur, licet plura eiusdem peruoluerit, & anxius illud perquiſiuerit; *de eccleſiae occidentalis & orientalis perpetua conſenſione lib. II. cap. IX. p. 625.* Inter illos rurſus, qui Latinorum cauſſam contra Graecos egerunt, dignus eſt, qui prae ceteris adhuc commemoretur, ANSELMVS,

Can-

Cantuarienſis archiepiſcopus; quippe qui *librum de proceſſi ne ſpiritus ſancti contra Graecos* compoſuit, quem inter opera eius legere licet, *p. 49. ſeqq.* ex GABR. GERBERONII editione, quae anno 1721 recuſa eſt. Epiſtolarum MICH. CERVLARII ad PETRVM, Antiochenum patriarcham, iam antea facta eſt mentio. Nunc ſolum addendum, PETRVM huncce a Latinis fuiſſe tentatum, ſcripta ad eum a DOMINICO Gradenſi patriarcha epiſtola, adulationis plena, in qua id modo petit, ne Graeci ob vſum azymorum Latinos temere damnent. Reſpondit autem PETRVS ita, vt acriter contra azymorum vſum diſputet, ſimulque, Latinos a nonnullis, quae ab apoſtolis tradita eſſent, receſſiſſe, conqueratur. Exhibetur iſta DOMINICI epiſtola cum reſponſione PETRI, a IO. BAPTISTA COTELERIO in *monumentis eccleſiae graecae, tom. II. p. 108. ſeqq.* conf. & FRID. SPANHEMIVS, *hiſt. chriſt.* ſiue *eccleſiaſt. noui teſtam. ſaec. XI. tom. I. oper. p. 1546.*

*** Scholaſticorum, ſaeculo duodecimo magno agmine orbi ſe oſtentantium, cohors, vt aliis theologiae partibus, ita polemicae quoque nouam velut induxit faciem. Iuncta enim theologiae philoſophia Ariſtotelica, in qua dialectica haud vltimum locum tenet, noua ad diſputandum ſubſidia adferre videbatur, immo ad diſputandum animos excitare, ne nullus armorum, quae tanto ſtudio ſibi comparauerant, vſus eſſet. Hinc tota fere theologia, polemica ſeu litigioſa facta eſt; cum ad quaeſtiones, diſputationes, dubiorum propoſitiones, & ſolutiones cuncta referrentur. Praeterea ſtudium illud, curioſas quaeſtiones augendi, quae numero infinitae, pondere leuiſſimae, interdum ridiculae aut impiae erant, ampliſſimum diſputationibus aperuit campum. At, cum nonnulli, quos inter praecipuus BERNHARDVS Claraeuallenſis ille abbas, erat, iſtam Ariſtotelicae philoſophiae cum theologia coniunctionem periculo non carere, intelligerent; principes ſcholaſticorum non ſemel errorum poſtulati ſunt. Plerique tamen haereſeos declinarunt ſuſpicionem; quod cauti homines ſedulo proſpicerent, ne quid contra pontificis auctoritatem adſererent, immo ad eam ſtabiliendam & firmandam ſua comparata vellent, Sub hocce clipeo ſatis tuti erant, vſuque tandem illorum placita, cum methodo theologiam tractandi, recepta, eo quod & reliqui ſenſim iis adſueſcerent. Inter praecipuos autem ſcholaſticae theologiae magiſtros eminet PETR. ABAELARDVS, fatis pariter ac ſcriptis ſuis orbi notiſſimus, Diſcipulus erat ROSCELINI, vt ſupra diximus, praeceptor autem PETR. LOMBARDI, quem *magiſtrum ſententiarum* vocant. Eum inter eos, qui theologiam methodo Ariſtotelico-ſcholaſtica tractare coeperunt, haud vltimum tenuiſſe locum, ſupra iam *cap. I.* huius *libri* ad *§. IX.* oſtendimus. Ipſum etiam, vti & alios quosdam, ſtatim grauiſſimorum quorumdam errorum, non aliunde, quam ex coniunctione iſta theologiae cum philoſophia Ariſtotelica, deriuandorum, adcuſatum fuiſſe, ibidem docuimus. Iuuabit tamen, quoniam praecipue huius loci eſt, paullo fuſius hoc ediſſerere Errores ABAELARDI recenſent, qui eos ſimul refutant, BERNHARDVS, in *epiſtola ad Innocentium pontificem, de erroribus quibusdam Petri Abaelardi*, quae inter epiſtolas eius eſt *CXC.* in editione autem operum eius, quam IO. MABILLONIO debemus, quaeue iterum Pariſiis anno 1719. fol. prodiit, inter *tractatus* eius exſtat, *tom. II. p. 646. ſeqq.* GVILIELMVS abbas S. Theodorici in *diſputatione aduerſus Abaelardum*, & anonymus quidam in *diſputatione aduerſus eumdem tribus libris comprehenſa*; ne quid de recentioribus dicam, qui paſſim eosdem recenſent, quod cumprimis diligenter fecerunt

runt EDM. MARTENE, & VRSIN. DVRANDVS, in *theſauro nouo anecdotor. tom. V.* vbi ABAELARDI *theologiae chriſtianae libros quinque* exhibent, in *obſeruationibus praeuiis, p. 1149.* Durum videtur illud BERNHARDI effatum, quo ABAELARDVM de trinitate vt Arium, de gratia vt Pelagium, de perſona Chriſti vt Neſtorium docuiſſe, pronuntiat; *ep. CXCII. tom. I. oper. p. 185.* Praecipue de trinitate non recte exiſtimaſſe creditur, perhibentque, eum dixiſſe: *vt eadem oratio eſt propoſitio, adſumtio, concluſio; ita eadem eſſentia eſt pater, filius & ſpiritus ſanctus.* Quo ipſo ad Sabellianiſmum proxime accedere videtur. Talia non modo a BERNHARDO, aliisque, illi obiecta fuerunt; ſed in duobus etiam conciliis, Sueſſionenſi anno 1136 & Senonenſi anno 1140, haereſeos nota illi inuſta fuit. ABAELARDVS autem, edita contra ſynodi Senonenſis decretum epiſtola, ſtrenue ſe defendit, demonſtrauitque, ſententias eiusmodi ab aduerſariis ſibi obtrudi, quas numquam pro ſuis agnouerit. Acriter etiam pro illo pugnauit diſcipulus eius PETR. BERENGARIVS, Pictauienſis, cum BERENGARIO iſto, qui transſubſtantiationis dogma impugnauit, & cuius antea mentionem fecimus, non confundendus. Cumprimis autem in *apologetico* iſto, cuius tamen tantum partem primam edidit, omnem iram in BERNHARDVM effudit, &, quae potuit conuicia, in illum congeſſit, immo & in haereſeos adducere ſuſpicionem conatus eſt. Alteram partem, in qua probare voluit, ABAELARDVM immunem eſſe iſtorum, qui illi imputabantur, errorum, in lucem non protulit. Legenda, quae de hocce BERENGARII *apologetico* copioſe differit PETR. BAELIVS, *dictionar. hiſtorico-crit. voc. Berengarius p. m. 559. ſeqq.* EDM. MARTENE, atque VRSIN. DVRANDVS, de hocce BERENGARII *apologetico* ita pronuntiant: *ſcripſitque apologeticum, ſuam condemnationem praeferentem, quem rectius libellum in ſanctum Bernardum contumelioſum appellare licet, opus in tenebris natum, & aeterna obliuione dignum. Et certe ne quidem vnum in eo verbum protulit ad defenſionem ſui magiſtri, aut fidem eius catholicam demonſtrandam,* (hoc in altera parte facere voluit, vt antea obſeruauimus) *eiusque aduerſarios impugnandos, licet ſe id facturum audacter promiſiſſet.* Addunt, eum, ſaniorem factum, contumelioſa ſcripta retractaſſe, in *epiſtola ad epiſcopum Mimatenſem*, ac pro non ſcriptis haberi voluiſſe, ex qua & haecce eius recitant verba; *quia proceſſu temporis meum ſapere creuit, & in ſententiam abbatis pedibus, vt dicitur, iui. Nolui eſſe patronus capitulorum obiectorum Abaelardo, quia etſi ſanum ſaperent, non ſane ſonabant*; in *obſeruationibus praeuiis ad Abaelardi theologiam chriſtian. tom. V. theſ. noui anecdot. p. 1147.* Exſtiterunt tamen etiam inter recentiores, qui Abaelardi innocentiam defenderent, &, ſi non ab omnibus, certe a plerisque & praecipuis erroribus, qui illi obiecti fuerunt, alienum fuiſſe, contenderent; quod & praeter alios fecit LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. IX. cap. VII. p. 122.* NAT. ALEXANDER pleroſque in errores, qui illi imputati ſint, ABAELARDVM impegiſſe, cenſet, *quamuis in quibusdam capitibus potius in modo loquendi, quam re ipſa ab eccleſiae doctrina aberraſſe videatur; hiſtor. eccleſ. ſaec. XI & XII. diſſertat. VII. artic. VI. p. 791.* Plures romanae eccleſiae addictos, quam proteſtantes, ad abſoluendum aut excuſandum ABAELARDVM proniores eſſe, adſerit PETR. BAELIVS, *dictionar. hiſtoric. & crit. voc. Berengarius p. m. 565.* Addenda, quae pro ABAELARDO dicta ſunt, *obſeruation. ſelect. ad hiſtor. litterar. ſpectant. tom. I. obſeruat. XV. §. XII. & XIII. p. 189. ſeqq.* Nullos contra BERNHARDVM errores adfinxiſſe ABAELARDO, adeoque hunc minime innocentem

tem eſſe, adfirmat IO. MABILLONIVS, in *admonitione, tractatui Bernardi de erroribus Abaelardi* praemiſſa, *tomo II.* operum *p. 642. Ex capitulis,* inquit, *errorum Abaelardo imputatis, quaedam in vulgatis eius operibus deſiderantur. Vnde nonnulli occaſionem arripiunt, inſimulandi Bernhardum, quaſi Abaelardo falſos errores adfinxerit, & cum laruis atque vmbris dimicauerit. At conſtat, pleroſque etiam in vulgatis ſcriptis errores deprehendi, vt ſuis locis oſtendimus; & ſi qua amplius non exſtant, ea quondam in ipſo Abaelardo legiſſe Guilielmum S. Theodorici &c. Itaque male omnino merentur de religione chriſtiana, nedum de Bernardo, qui, vt Abaelardum abſoluant, Bernardum caeco, vt aiunt, zelo impulſum fuiſſe, criminantur. Saltem cum Abaelardo ipſo, & eius defenſore Berengario, agnoſcant tandem, cum in quibusdam erraſſe.* In eamdem ſententiam concedunt EDM. MARTENE, & VRSIN. DVRANDVS, *loco* antea *citato p. 1148.* Qui autem cuncta paullo adcuratius conſiderauerit, facile deprehendet, non omnium quidem errorum prorſus immunem fuiſſe ABAELARDVM; in quibusdam tamen verba eius, quae meliorem ſenſum admittunt, in deteriorem partem accepta fuiſſe. Fons autem omnis mali iterum fuiſſe videtur abuſus philoſophiae Ariſtotelicae, & quod rationi plus, quam decet, tribuit. Atque hoc quidem eo minus in dubium vocari poterit, ſi docuit, quod ex ſcriptis eius EDM. MARTENE atque VRSIN. DVRANDVS *l. c. p. 1149.* oſtendunt, *omnes homines, ne Iudaeis quidem ac gentilibus excluſis, naturaliter habere fidem trinitatis; philoſophos gentiles dignos videri, quibus etiam Deus fidei ſuae arcana reuelet;* & quae alia ſunt eiusdem generis. Nec a vero abhorret, occaſionem errandi, aut ſaltem incautius loquendi, illi praebuiſſe ROSCELINVM, quem, vt ſupra diximus, oppugnabat. Namque, dum euitare *tritheiſmum*, a ROSCELINO adſertum, voluit; prope ad *Sabellianiſmum* acceſſit, certe ſimilitudinibus quibusdam in adumbrando myſterio trinitatis vſus eſt, quae hoc innuere videntur. Sunt hi duo ſcopuli, ad quorum alterutrum facile veritatis naufragium faciunt, qui de myſterio trinitatis diſſerunt. De ſcriptis ABAELARDI pariter ac vita eius, ceterisque memoratu dignis, conferendus auctor *vitae Petri Abaelardi,* quae gallice an. 1720 duobus tomis in 12 prodiit. Ad BERNHARDVM quod attinet, etſi magnis ac inſignibus virtutibus praeditus fuerit; zelo tamen ſuo, quo ad comdemnandum ABAELARDVM abreptus eſt, eum iuſtos non poſuiſſe limites, negari nequit. Hoc iam in eo notauit OTTO Friſingenſis, cuius digna ſunt, quae hic legantur, verba: *Erat autem praedictus abbas* (BERNHARDVS) *tam ex chriſtianae religionis feruore zelotypus, quam ex habitudinali manſuetudine quodammodo credulus, vt & magiſtros, qui humanis rationibus, ſaeculari ſapientia confiſi, nimium inhaerebant, abhorreret, & ſi quidquam ei chriſtianae fidei abſonum de talibus diceretur, facile aurem praeberet; de geſtis Friderici I. imp. lib. I. cap. XLVII.* in *ſcriptorib. rerum german.* CHRIST. VRSTISII, *tomo I. p. 433.* Sunt, fateor, haec magnorum quorumdam virorum vitia, inconſultus zelus, & nimia credulitas, aut ſi mauis, ſuſpicio; ſedulo tamen ab iis euitanda, qui pro veritatis conſeruatione prodire in aciem cupiunt.

Obnoxium hiſce vitiis BERNHARDVM fuiſſe, qui ceteroquin inter polemicos quoque theologos haud vltimum locum tenet, comprobat & exemplum ARNOLDI Brixienſis, qui itidem haereticis huius ſaeculi adnumerari ſolet. Acerrimum is expertus eſt hoſtem BERNHARDVM, qui acriter in eum inuehitur *epiſt. CXCV. tomo I. operum p. m. 188. Arnoldum,* inter alia inquit, *loquor de Brixia, qui vtinam tam ſanae eſſet doctrinae, quam diſtrictae eſt vitae. Et ſi vultis*

ſcire, homo eſt neque manducans, neque bibens, ſolo cum diabolo eſuriens & ſitiens ſanguinem animarum &c. Addit porro, eum omnes ABAELARDI errores adprobaſſe: *Exſecratus quippe a Petro apoſtolo, adhaeſerat Petro Abaelardo; cuius omnes errores, ab eccleſia iam deprehenſos atque damnatos, cum illo etiam & prae illo defendere acriter & pertinaciter conabatur.* Quod quo iure adſerat, neſcio. Id conſtat ARNOLDVM hancce ſibi ideo attraxiſſe ſuſpicionem, quod pontificum romanorum, ceterorumque epiſcoporum, ambitionem, aliaque vitia, acrius perſtringeret, quam iſti ferre poterant. Hoc iam eo tempore ſufficiebat, vt quis peſſimus audiret haereſiarcha. Confirmat hocce OTTO Friſingenſis, qui, de eo verba faciens, *clericorum*, inquit, *ac epiſcoporum derogator, monachorum perſequutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim, nec clericos proprietatem, nec epiſcopos regalia, nec monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione ſaluari poſſe. Cuncta haec principis eſſe, ab eiusque beneficentia in vſum tantum laicorum cedere oportere; de rebus geſtis Friderici I. imp. lib. II. cap. XX. p. 461.* Nimirum, cum hac aetate romani pontifices impio auſu & eccleſiae & reipublicae libertatem opprimerent, & tyrannicum in vtramque ſibi vindicarent imperium; fuerunt nonnulli, qui acriter hiſce conatibus ſe opponerent. In his praeter ipſum ABAELARDVM ARNOLDVS Brixienſis fuit, itemque PETR. DE BRVIS, HENRICVS monachus, aliique. Qui, licet, ad rem ipſam quod attinet, pro cauſſa iuſta ſtarent; vbique tamen eos modum obſeruaſſe, non adſeuerauerim. Sobrie hac de re IO. SCHILTERVS, magni nominis iureconſultus, pronuntiat: *Neque vero cauſſam vniuerſam horum reformatorum noſtram facimus. Solent enim initia purgationis & difficillima eſſe, & ſubinde augmentum capere, ſed & inter plures reformatores alii ex Scylla in Charybdin incidere. Ita in ſacramento altaris recte fuit transſubſtantiationis dogma negatum, etſi minus recte praeſentia realis corporis & ſanguinis Chriſti negata fuit, ſi fuit. Nec illud recte, non poſſe ſaluari poſſeſſores clericos bonorum temporalium; ſed loquutus fuit ſine dubio Arnoldus cum ſaluatore: difficile eſſe diuitem regnum caelorum introire.* Et ita omnino ſe res habere videtur. Vnde verba eius in alienum ſenſum detorta eſſe, facile colligas; quod in certaminibus longe frequentiſſimum eſſe, conſtat. Sed pergat SCHILTERVS: *Itaque paupertatem veram non ſimulatam commendauit clericis, & abundantiam ac opes eccleſiaſticas in perniciem & eccleſiae & reipublicae recte taxauit, & ſummam imperatoris poteſtatem rectiſſime aduerſus vſurpatam maieſtatem pontificiam vrſit; de libertate eccleſiar. Germaniae lib. IV. cap. VII. §. IX. pag. 604.* Obiectum quidem etiam ARNOLDO fuit, quod de *ſacramento altaris* & *baptiſmo paruulorum* non recte ſentiret, vt OTTO Friſingenſis *l. c.* docet. Immo addunt nonnulli, eum de ſacro-ſancta trinitate, de ſpiritu ſancto, deque myſterio redemtionis noſtrae, erroneas fouiſſe opiniones. Verum, fieri potuit, vt talia illi ab iis adfingerentur, qui eum, ob impugnatam pontificis auctoritatem, odio proſequebantur. Non enim inuſitatum hocce ſtrategema eſſe, notum eſt. Eſto vero, eum eiusmodi erroribus infectum fuiſſe; tum rurſus obſeruari velim, quod iterum bene monet IO. SCHILTERVS noſter: *Gilbertus aeque ac Arnoldus, videtur abuſus terminis philoſophiae dialecticae & metaphyſicae; ſed quod in hoc ab eccleſia romana fuit hoc tempore improbatum, id mox in doctoribus ſcholaſticis, quos vocamus, etiam magis quam par eſt, fuit laudatum; ſcilicet poſtquam his artibus, non ad impugnandum, ſed ad ſtabiliendum ſtatum pontificis romani hi fuerunt vſi, l. c.* Id enim vero eſt, quod & nos iam antea monuimus. Poſſet autem aliquis mirari, qui factum, quod BERNHARDVS haereſeos notam

notam euaſerit, cum & ipſe vitia pontificum, & epiſcoporum acriter ſubinde reprehenderit, cumprimis omnem faſtum ac dominatum in ſumma ſede improbauerit, eoque conſilio *libros quinque de conſideratione ad Eugenium III pontificem* ſcripſerit, qui *operum* eius *tomo II. pag. 414. ſeqq.* exſtant, editionis IO. MABILLONII antea memoratae. Nihil magis pontifici, quam dominandi libidinem, metuendum eſſe, ſerio inculcat *lib. III. cap. I. p. 432.* & talia paſſim cordate proloquitur, quae pontifici iſti haud omnino grata eſſe potuiſſe videntur. PETRVM equidem BERENGARIVM haereſeos labem BERNHARDO adſpergere auſum, antea obſeruauimus. Sed longe maior BERNHARDI erat autoritas, maiorque orthodoxiae exiſtimatio, quam vt ab illo labefactari potuerit, ſi vel maxime, quod momentum traheret, in medium protuliſſet. Agnoſcit hoc ipſemet BERENGARIVS, dum ita loquitur: *Damnatur, proh dolor! abſens, inauditus, & inconuictus. Quid dicam, quidue non dicam? Bernarde.*

Nil opus eſt bello, veniam pacemque rogamus,
Porrigimus iunctas ad tua lora manus,
Iura cadent rerum, vertetur ſanctio legum,
Si vis, ſi mandas, ſi ſic decernis agendum,
Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.

Quae eius verba refert, pluribusque, quae diximus, confirmat PETR. BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Berengarius p. m. 560. 561.* Ad pontifices autem quod attinet, licet BERNHARDVS eorum vitia interdum perſtringat; iraſci tamen illi non poterant, quoniam ſimul ad illorum tuendam & extollendam auctoritatem poteſtatemque omnes ingenii intendebat vires, comdaque eorum promouebat. BERNHARDVM itaque virum ſibi admodum vtilem eſſe, intelligebant, cuius tanta inſuper apud omnes erat exiſtimatio, vt ſine inſigni periculo ipſum offendere non poſſent: manifeſta praeterea ab eo reprehendi ſcandala, non poterant aegre ferre prudentiores; vtpote qui & ipſi probe perſpiciebant, per ea imperio ſacro pontificum maximum adferri damnum.

Inter eos, quos BERNHARDVS debellauit, GILBERTVS quoque fuit PORRETANVS, epiſcopus Pictauienſis, philoſophus acutiſſimus, qui, teſte OTTONE Friſingenſi, *ex ingenii ſubtilis magnitudine ac rationum acumine multa praeter communem hominum morem dicere ſolitus eſt; de geſtis Friderici I. imp. lib. I. cap. XLVI. pag. 433.* Ex philoſophiae Ariſtotelico-ſcholaſticae abuſu errores eius ortos eſſe, iam antea obſeruauimus, idque etiam ex ipſis, quae illi imputantur, dogmatibus cognoſcere licet, quae apud N. ALEXANDRVM legi poſſunt, *hiſt. eccleſiaſt. ſaec. XI. & XII. cap. IV. artic. IX. p. 485. 486.* Si ea, quae OTTO Friſingenſis *libro I. de geſtis Frid. I. imp. cap. LVI. pag. 440.* de iisdem refert, conſideremus; multa eum ſubtiliter de Deo diſputaſſe, deprehendimus, ea ratione, vt ſententia eius ad haereſin Sabellianam quodammodo accedere videatur. Qua in re idem, quod ABAELARDO, illi contigiſſe, non dubito, vt, dum *tritheiſmum* euitare voluit, ad *Sabellianiſmum* deflecteret. Refellit GILBERTVM non tantum BERNHARDVS, *de conſideratione lib. V. cap. VII. tomo II. operum p. 457.* itemque *in cantica ſermone LXXX. tomo IV. p. 1551.* ſed diſceptata quoque eius cauſſa fuit in ſynodo Pariſienſi an. 1147; in qua cum lis iſta componi non poſſet, coacta fuit ſynodus Remenſis an. 1148; in qua licet cardinales nonnulli a partibus GILBERTI ſtarent, auctoritate tamen BERNHARDI eo res perducta eſt, vt damnaretur. Cum autem & ipſe

ipſe GILBERTVS errores ſuos eiuraret, pontificisque voluntati ſe plane ſubmitteret; mitius, quam ceteroquin fieri ſolet, habitus eſt. De erroribus eius conferre etiam iuuabit DIONYSIVM PETAVIVM, *dogmat. theolog. lib. I. cap. VIII. & lib. II. cap. VII.*

Haereticis ſaeculi duodecimi etiam adnumerantur *Petrobruſiani*, a PETRO DE BRVIS adpellati, anno circiter 1121 in Arelatenſi Galliae prouincia exorti. Multi grauiſſimique illis imputantur errores, quos poſt CAES. BARONIVM, ad *annum 1126*, recenſet N. ALEXANDER, qui tamen a Manichaeiſmi ſuſpicione eos liberat; *hiſt. eccleſ. ſaec. XI. & XII. cap. IV. artic. VII. p. 481.* Nonnulli cenſent, eos inuidiam cleri, pontificis partibus addicti, ideo incurriſſe, quod abuſus & ſuperſtitiones eccleſiae romanae acriter & libere notarent. IO. SCHILTERVS PETR. DE BRVIS, pariter ac HENRICVM monachum, qui *Petrobruſianorum* ſectam propagaſſe dicitur, vnde & *Henriciani* dicti ſunt, inter eos refert, qui, eccleſiae romanae corruptionem, moresque cleri reprehendendo, & publice populo exponendo, maieſtatemque imperatori & regibus ereptam vindicando, pontificis & epiſcoporum ſibi conciliarunt odia: *de libertate eccleſiar. Germ. lib. IV. cap. VII. §. VIII. p. 603.* *Henricianae* autem *haereſeos* dum mentionem fecimus; non abs re fuerit, obſeruare, eos, qui ad exemplum Henrici IV imperatoris inueſtituram epiſcoporum laicis vindicabant, itidem *Henricianos* dictos, indeque nonnullos *Henricianorum* excogitaſſe haereſin, ab ea, de qua hic nobis ſermo eſt, plane diuerſam; quos tamen nihil aliud egiſſe, quam vt mentis imbecillitatem proderent, certum eſt; vnde ipſemet NAT. ALEXANDER *Henricianam* iſtam *haereſin*, ceu fictitiam explodit; *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. XI. & XII. diſſertat. IV. artic. XII. p. 748.* Opposuit ſe Petrobruſianis PETR. MAVRICIVS, abbas Cluniacenſis, ob morum grauitatem vulgo *abbas venerabilis* dictus, hocce etiam nomine inter ſcriptores polemicos huius ſaeculi referendus. Non tantum autem *aduerſus Petrobruſianos epiſtolam*, ſeu tractatum, ſed & alium *aduerſus Iudaeorum inueteratam duritiem*, itemque *epiſtolam ad Petrum de ſancto Ioanne, contra eos, qui dicunt, Chriſtum numquam ſe in euangeliis aperte Deum dixiſſe*, ſcripſit, quae omnia & alias cum reliquis eius ſcriptis edita ſunt, & in *bibliotheca* quoque *maxima patrum* exſtant, *tomo XXII. pag. 970. ſeqq.*

Innotuerunt equidem hocce ſaeculo etiam *Waldenſes*, qui & *Albigenſes* vocari ſolent, teſtimonio veritatis contra ſuperſtitionem & errores eccleſiae romanae edito, ſequentibus ſaeculis magnos motus excitaturi; ſed contra eos gladiis potius, ſimilibusque armis, quam libris, pugnatum fuit. Haec enim eo tempore tutiſſima ratio, haereticos refutandi, pontificibus romanis viſa eſt. Confeſſiones tamen variae Waldenſium, catecheſes, & dialogi exſtant, partim adhuc manuſcripti, partim iam typis euulgati, ex quibus illorum doctrinam intelligere licet. Huiusmodi ſunt antiquiſſima illa Waldenſium manuſcripta, quae in Pedemontio adſeruata refert LEGERVS, *hiſtor. des Vaud. lib. I. cap. III.* & poſtea tradita legato Cromwellii Morlando an. 1658, ac repoſita in bibliotheca Cantabrigienſi; teſte FRID. SPANHEMIO, *hiſt. chriſt.* ſeu *eccleſ. noui teſtam. ſaec. XII. p. 1598.* Confeſſiones quaedam Waldenſium exhibentur quoque a MATT. FLACIO illyrico, in *catalogo teſtium veritatis num. CCLXVII. p. 631. ſeqq.* & in *centuriis Magdeburgenſibus centur. XII. cap. VIII.* itemque a IO. PAVL. PERRINO in *hiſtoria de Waldenſibus ſeu Albigenſibus*, gallice ſcripta, editaque Geneuae an. 1618. aliisque. Sed haec huius loci non ſunt.

Ad

Ad orientalem dum nos conuertimus eccleſiam; ſtatim ſe nobis offert EVTHYM. ZIGABENVS, ſeu, vt ab aliis interdum vocatur, ZIGADENVS, monachus graecus, qui circa initium ſaeculi duodecimi ſub Alexio Comneno imperatore floruit, & *panopliam* aduerſus haereticos, ſui praeſertim temporis, edidit, in qua integrum velut ſyſtema theologiae polemicae conſpicitur. Graece opus hoc inſcribitur; πανοπλία δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, ἤτοι ὁπλοθήκη δογμάτων. Nimirum iuſſu Alexii imperatoris, theologi quidam ex variis patrum, Athanaſii, Baſilii, Gregorii vtriusque Nyſſeni, & Nazianzeni, Dionyſii areopagitae, Chryſoſtomi, aliorumque ſcriptis, eclogas quasdam, refutandis haereticis inſeruituras, collegerunt, quas poſtea EVTHYMIVS. in ordinem redactas, in certas claſſes digeſſit. Latine hoc opus, interprete PETRO FR. ZINO, Veronenſi, prodiit Venetiis 1555. fol. alibique, & inſertum eſt *bibliothecae maximae patrum tomo XIX. pag. 1. ſeqq.* De editione graeca vid. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. cap. XI. pag. 460. ſeqq.* *Titulum vltimum panopliae* iſtius, in quo contra Saracenos diſputat, graece, cum verſione latina IO. IAC. BEVRERI, cum notis ſuis edidit FRID. SYLBVRGIVS, in *Saracenicis*, Heidelbergae an. 1595. 8. Sed ſubinde EVTHYMIVM Mohammedi ac Mohammedanis aliquid tribuere, quod non docent, HADR. RELANDVS obſeruat; quod tamen cum aliis pluribus illi commune eſt. Sic de Mohammede ſcribit: ὁλόσφυρον λέγει τὸν θεὸν, ἤτοι σφαιρικόν· τοῦτο δὲ τὸ σχῆμα, σώματός ἐστι, καὶ σῶμα ἐμφαίνει· ὥσπερ δὴ καὶ τὸ πυκνὸν καὶ πεπιλημένον· σφαῖρα δὲ ὑλικὴ κατ' αὐτὸν ὁ θεὸς ὢν οὔτε ἀκούσεται οὔτε ὄψεται· *Ait Deum* ὁλόσφυρον *ſiue ſphaericum. Illa autem figura corporis eſt, & corpus ſignificat, veluti denſum & conſtipatum. Quum ergo Deus ex ipſius ſententia ſphaera corporea ſit; non audiet nec videbit quidquam.* Mohammedanos eiusmodi quid de Deo non adſerere, ſed potius credere, Deum ſpiritum eſſe, oſtendit RELANDVS, de *religione Mohammed. lib. II. §. III. p. 106.* vbi &, vnde error iſte enatus ſit, indicat. Porro & hoc Mohammedanis tribuit EVTHYMIVS, quod Deum mali omnis auctorem faciant; immo ex ipſo alcorano hoc probare adnititur. Δογματίζων, inquit, αἴτιον εἶναι παντὸς κακοῦ τὸν θεὸν, ὥσπερ δὴ καὶ παντὸς ἀγαθοῦ, φησίν· ὃν ὁδηγεῖ ὁ θεὸς, ἐκεῖνος ἐστὶν ὡδηγημένος, καὶ οὓς πλανᾷ, ἐκεῖνοι εἰσὶν οἱ λειπόμενοι· *Docens auctorem omnis mali eſſe Deum, vti & omnis boni, dicit; quem Deus dirigit, ille ducitur in viam rectam, quem inducit in errorem, ille deſeritur.* Quae verba cum RELANDVS recitaſſet, ſubiicit: *fateor, haec in corano legi; ſed an inde iuſta ſequela colligitur, Deum eſſe mali auctorem? Me iudice neutiquam. Hic loquendi modus notat, prouidentiam Dei verſari circa mala & bona, & ab ſimili phraſi ipſae non abhorrent ſacrae litterae, quum Deus dicitur* בורא רע *creans malum Ieſ. XLV. 7. Amos III. 6. & efficere, vt homines aberrent a recta via ſalutis &c. l. c. §. IV. p. 111.* Nec abnuo, in mitiorem partem verba haec accipi poſſe; an autem mitior haec interpretatio menti Mohammedanorum ſit conueniens, valde adhuc dubito. Quod vero idem EVTHYMIVS, cum aliis, Veneris cultum Mohammedanis obiicit, immo, omnia creata ab iis adorari, docet; id RELANDVS non ſine ratione inter commenta, vel, vt viro docto loqui placuit, *impudentiſſimas calumnias* refert; *l. c. §. V, VI, pag. 115. 117.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Forte & alia in hac *panoplia* adcuratius examen promererentur, ſi diutius hiſce immorari liceret. Locum vero hic ſibi vindicat eiusdem EVTHYMII ZIGABENI ἔλεγχος καὶ θρίαμβος τῆς βλασφήμου, καὶ πολυειδοῦς αἱρέσεως τῶν ἀθέων Μασσαλιανῶν, τῶν καὶ Φουνδαϊτῶν, καὶ Βογομίλων καλουμένων, καὶ εὐχιτῶν, καὶ ἐκκλησιαστῶν, καὶ ἐγκρατητῶν καὶ Μαρκιωνιστῶν· *Victoria & triumphus de impia & multiplici exſecrabilium Maſſalianorum ſecta, qui & Phun-*

Phundaitae, & Bogomili, nec non euchitae, enthuſiaſtae, encratitae, & Marcionitae adpellantur. Edidit hancce *victoriam* ex codice Vindobonenſi graece & latine IAC. TOLLIVS, in *inſignibus itinerarii italici*, quae Traiecti ad Rhenum an. 1696. 4. lucem adſpexerunt, *p. 106. ſeqq.* Exiſtimat TOLLIVS, PETR. LAMBECIVM ſequutus, opuſculum hocce adpendicem eſſe *panopliae dogmaticae:* qua de re tamen alii dubitant. Continentur autem in eadem *quatuordecim anathematiſmi*, contra Maſſalianorum, ſeu Bogomilorum, haereſin, ſimulque velut triumphus quidam de eorum repreſſione per Alexium Comnenum imperatorem, cuius iuſſu BASILIVS haereſiarcha, profeſſione quidem medicus, habitu autem monachus, in hippodromo Conſtantinopolitano viuus combuſtus eſt; vt TOLLIVS obſeruat, in *notis p. 106.* De Maſſalianis, qui iam ſaeculo quarto innotuerunt, iisque qui eos refutarunt, iam ex inſtituto ſupra ad *§. IV.* diximus. Bogomilis, qui ſaeculo duodecimo exorti ſunt, itidem Maſſalianorum nomen datum, haud dubie ob dogmatum conuenientiam. An vero per omnia conſenſerint, nec adfirmare, nec abnuere, pronum eſt. Legenda de iis SAMVELIS ANDREAE *diſquiſitio hiſtorico-theologica de Bogomilis*, quae iterum excuſa proſtat in IO. VOGTII *bibliotheca hiſtoriae haereſiologicae tomo I. faſcic. I. p. 122. ſeqq.* itemque IO. CHRISTOPH. WOLFII *hiſtoria Bogomilorum, qua potiſſimum ex panoplia dogmatica Euthymii Zigabeni, eiusque codice graeco non edito, eorum fata, doctrinae, & mores ita exponuntur, vt ſimul conſenſio cum veteribus ac recentioribus fanaticis ſtrictim indicetur;* Wittembergae an. 1712. 4. IAC. TOLLIVS in Maſſalianis & Bogomilis zingaros, quos vocamus, ſibi inueniſſe viſus eſt; in *notis ad Euthymii victoriam &c. p. 107. 108.* Alii Quietiſtas, recentiori aetate a MICH. MOLINOSO exortos, alii alios fanaticos, eadem, aut ſimilia, cum Maſſalianis & Bogomilis ſenſiſſe; contendunt. Sed in iſta haereſium comparatione caute admodum, ne decipiamur, incedendum eſſe, alibi iam monuimus. Quidquid eius ſit, ſupplicio BASILII Bogomilorum ſecta penitus exſtincta non eſt, cum ſupereſſent ſcripta cuiusdam CONST. CHRYSOMALI, quae poſt auctoris obitum ex latebris producta, & in ſynodo a Leone Styppiota, patriarcha Conſtantinopolitano, ſub Ioanne Comneno, Alexii ſucceſſore coacta, damnata & prohibita ſunt, illis quoque, qui libros iſtos penes ſe habuerunt, poena inflicta. In iſtis namque libris abſurdiora adhuc, quam Bogomili, aut BASILIVS docuerant, contineri adſerebant, quorum varia recenſentur in *ſententia ſynodali*, quam LEO ALLATIVS in lucem protulit, de *eccleſiae orient. & occident. perpetua conſenſione lib. II. cap. XI. p. 644. ſeqq.* Eſſe tamen, qui, in CONSTANTINI iſtius ſcriptis meliora dictis BASILII occurrere, & in multis ſenſum commodum admittere, contendant, obſeruat CASP. SAGITTARIVS, *introd. in hiſtor. eccleſ. c. XXXIII. ſect. XVIII. p. 898.* Bogomilorum etiam mentionem facit CONSTANT. HARMENOPVLVS; quem itidem ſaeculo duodecimo vixiſſe, nonnulli credunt, licet ab aliis ad medium ſaeculi decimi quarti referatur. *De opinionibus* enim *haereticorum, qui ſingulis temporibus exſtiterunt,* libellum conſcripſit, in cuius fine etiam de Bogomilis loquitur. Mentionem eius ſupra equidem iam iniecimus, cum de ſcriptoribus haereſiologicis verba faceremus; ad polemicos tamen etiam referri poſſe videtur. Singulis enim haereſibus breuem quamdam refutationem ſubiicit. Editiones opuſculi iſtius indicat IO. ALB. FABRICIVS, qui & de ipſo auctore, reliquisue eius ſcriptis, erudite, more ſuo, diſſerit; *bibliotheca graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLII. p. 274. ſeqq.* Latine exſtat in *bibliotheca maxima patrum, tomo XIX. pag. 958.* Saeculo ſequenti decimo tertio calamum

contra

contra Bogomilos ſtrinxit GERMANVS II ſiue iunior, patriarcha Conſtantinopolitanus, cuius *oratio in exaltationem venerandae crucis, & aduerſus Bogomilos* graece & latine extat apud IAC. GRETSERVM, *de cruce, tomo II. p.1237.*

Continuata etiam hoc ſaeculo certamina inter Graecos & Latinos ſcriptis variis polemicis occaſionem dederunt. PETRVS namque GROSOLANVS, ſeu CHRYSOLANVS, quem & alii PROCVLANVM dicunt, Mediolanenſis archiepiſcopus, a Paſchali pontifice ad Alexium Comnenum imperatorem miſſus eſt, vt diſſentientes in Graecia, ſi poſſet, aut ſupprimeret, aut cum eccleſia romana coniungeret. Cum ergo Conſtantinopolin veniſſet, coram ipſo imperatore orationem de ſpiritu ſancto habuit, qua, ex patre filioque eum procedere, demonſtrauit, quam & litteris mandauit; exſtatque latine apud CAES. BARONIVM ad *annum 1116.* graece autem & latine apud LEON. ALLATIVM *Graeciae orthodoxae tomo I. p.379.ſeqq.* Irritatis hac re magis Graecorum animis, certatim contra PETR. iſtum GROSOLANVM inſurrexerunt. Speciatim contra eum ſcripſerunt IO. FVRNVS monachus, & NICOLAVS Methonenſis, quorum IOSEPHVS Methonenſis meminit, in *reſponſione ad epiſtolam Marci Epheſii.* Sed FVRNO iterum reſpondit PETRVS, cuius librum in bibliotheca Galliae regis exſtare, teſtatur N. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. ſaec. XI. & XII. cap. IV. artic. III. p. 478.* EVSTRATIVS etiam, metropolita Nicaenus, in eumdem archiepiſcopum Mediolanenſem ſtilum pro Graecis exercuit, cuius operis LEO ALLATIVS meminit *de occident. & oriental. eccleſ. perpetua conſenſione lib. II. cap. X. p. 629.* Eodem circiter tempore NIC. SEIDVS, Latinorum aduerſarius, claruit, qui cum a Latinis hanc propugnari propoſitionem videret, *opinionibus eccleſiae romanae tamquam antiquioribus inhaerendum eſſe*; aduerſus eos opuſculum ſcripſit: *non ſimpliciter antiqua nouis venerabiliora, ideoque neque noua vetus Roma, nec ſedes ſede.* Commemorat id itidem LEO ALLATIVS, *l. c. p. 630.* qui & antea quaedam ex eo ſibi refutanda ſumſerat. Intelligimus autem inde, iam tum in eccleſia romana exſtitiſſe, qui de noua quadam methodo, controuerſias theologicas breui via finiendi, fuerint ſolliciti. Nec praetermittendus hic eſt EVTHYM. ZIGABENVS, antea nobis iam laudatus, cuius quippe *aduerſus veteris Romae adſeclas ſiue Italos capita duodecim, demonſtrantia, non ex filio procedere ſpiritum ſanctum,* in bibliotheca Galliae regis exſtare, refert LEO ALLATIVS, *l. c. lib. II. c. X. p. 642.* add. N. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. XI. & XII. cap. IV. artic. III. p. 478.* At ſcriptum iſtud, quod in bibliotheca Galliae regis inuenitur, nihil aliud quam excerptum aliquod ex EVTHYMII *panoplia*, neutiquam autem peculiarem, quem contra Latinos ſcripſerit, librum eſſe, contendit RICH. SIMON, qui & addit, LEON. ALLATIVM in errorem inductum a IO. AVBERTO, qui eiusmodi quid ad illum perſcripſerat; *biblioth. crit. tom. III, cap. X. pag. 98.* Idem obſeruat, inſcriptionem iſtius opuſculi perperam a LEONE ALLATIO hunc in modum latine exhiberi; *Euthymii monachi Zigabeni contra Latinos duodecim capita de proceſſione ſpiritus ſancti*; inductum nimirum eum haud dubie iterum in errorem ab AVBERTO, vtpote qui in verbis graecis ὡς οὐκ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸ ἅγιον πνεῦμα, particulam οὐκ omiſerit. Latinorum autem propugnatoribus cumprimis adhuc addendus HVGO ETHERIANVS, natione Tuſcus; qui cum, Conſtantinopolin profectus, Manuelis imperatoris gratiam ſibi conciliaſſet, Graecorum placita voce & ſcriptis ſtrenue impugnauit. Praeter alia enim, quae huius loci non ſunt, compoſuit *de haereſibus, quas Graeci in Latinos deuoluunt, ſiue quod ſpiritus ſanctus*

Digitized by Google

ctus ex vtroque, patre ſcilicet & filio, procedat, contra Graecos, libros III. Opuſcula eius & ſeorſim prodierunt Baſileae an. 1543. & *bibliothecae maximae patrum* inſerta ſunt, *tomo XXII. p. 1176.* Tam acriter itaque cum hocce etiam ſaeculo inter orientalem occidentalemque eccleſiam dimicatum fuerit; romanenſes nihiloſecius, praeeunte LEONE ALLATIO, vtriusque eccleſiae conſenſum iactitare non deſinunt. Eiusque rei non leue ſibi in eo inueniſſe argumentum viſi ſunt, quod EVTHYM. ZIGABENVS, in *panoplia* ſua, horum certaminum nullam fecerit mentionem. At ſi vera ſunt, quae RICH. SIMON nobis narrauit; EVTHYMIVM in *panoplia* ſua iſtorum certaminum omnino mentionem inieciſſe, neceſſe eſt. Deinde ſi vel maxime EVTHYMIVS Latinos pro haereticis non habuit; alii tamen eſſe potuerunt ex Graecis, qui eos pro haereticis reputarent; ipſe etiam ad minimum ſententiam eorum non adprobauit, ſimulque adeo demonſtrauit, ſibi perſuaſum non eſſe, pontificem romanum extra omnis erroris periculum conſtitutum eſſe.

Priusquam ab hocce, in quo hactenus verſati ſumus, temporis interuallo diſcedamus; non abs re fuerit, de illis, qui chriſtianae religionis veritatem contra gentiles, Mohammedanos, & Iudaeos defenderunt, aliquid addere; quamquam eorum non adeo multi fuerint, nec ſcripta, quae in hoc genere reliquerunt, magnum momentum trahant. Et ad gentiles quidem quod attinet, nemo, qui ex inſtituto eos impugnauerit, mihi occurrit; niſi ANSELMVM, Cantuarienſem illum archiepiſcopum, huc referre velis. *Libri* namque eius *duo*: *cur Deus homo?* contra gentiles ſcripti a nonnullis perhibentur. Idque ipſemet etiam indicare videtur, quando, vtriusque libri argumentum ediſſerens, *quorum prior quidem,* inquit, *infidelium reſpuentium chriſtianam fidem, quia rationi putant illam repugnare, continet obiectiones & fidelium reſponſiones; ac tandem remoto Chriſto (quaſi numquam aliquid fuerit de illo) probat rationibus neceſſariis, eſſe impoſſibile vllum hominem ſaluari ſine illo. In ſecundo autem libro ſimiliter, quaſi nihil ſciatur de Chriſto, monſtratur non minus aperta ratione, & veritate naturam humanam ad hoc inſtitutam eſſe, vt aliquando immortalitate beata totus homo, id eſt, in corpore & in anima frueretur; ac neceſſe eſſe, vt hoc fiat de homine, propter quod factus eſt; ſed non niſi per hominem Deum, atque ex neceſſitate omnia, quae de Chriſto credimus, fieri oportere;* in *praefat. p. 74.* ſecundum editionem GABR. GERBERONII. Contra Mohammedanos EVTHYM. ZIGABENVM diſputaſſe, antea iam obſeruauimus; qui & in *panoplia tit. VIII.* Iudaeos refellit. Sed SAMONAE quoque, archiepiſcopi Gazenſis, qui circa an. 1072 vixiſſe creditur, exſtat *diſceptatio cum Achmede Saraceno,* qua probare voluit, *panem & vinum in ſacramento altaris in verum corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti commutari;* in *auctuario Duceano, tomo II. p. 277.* Haec autem an vera ratio ſit, conuincendi Mohammedanos, aut alios, a religione chriſtiana alienos, valde dubito. Plures contra Iudæos calamum ſtrinxerunt. Saeculo namque vndecimo PETR. DE HONESTIS, DAMIANI a fratris nomine dictus, cuius magna eo tempore fuit auctoritas, celebritasque, *antilogum contra Iudaeos* ſcripſit, qui operum eius *tomo III.* exſtat. PETRVM Cluniacenſem, qui & *abbas venerabilis* dictus eſt, ſaeculo duodecimo, librum *aduerſus Iudaeorum inueteratam duritiem* edidiſſe, eumque cum reliquis eius opuſculis in *bibliotheca maxima patrum tomo XXII. p. 970. ſqq.* exhiberi, antea iam ſignificauimus. Circa initium ſaeculi huius duodecimi GVIBERTVS ſiue GILBERTVS, monaſterii ſanctae Mariae Nouigenti in pago Laudunenſi abbas, floruit, qui praeter

alia

Digitized by Google

alia ingenii monumenta *tractatum, de incarnatione aduerſus Iudaeos*, reliquit, cum aliis eius operibus editum a LVC. D'ACHERIO Pariſiis 1651. fol. PETRI a loco natali, Galliae ad Ligerim oppido, Bleſenſis dicti, cuius inter ſaeculi duodecimi ſcriptores haud ignotum nomen eſt, *liber contra perfidiam Iudaeorum*, cum aliis eius ſcriptis legitur in *bibliotheca maxima patrum tomo XXIV. pag. 1109.* In eadem *bibliotheca tomo XXI. p. 241. ſeqq.* exhibetur ODONIS, epiſcopi Cameracenſis, ſaeculo duodecimo clari, *dialogus de aduentu Chriſti filii Dei contra Leonem Iudaeum.* Diuerſus ab eo fuit ODO, abbas Morimundenſis; quem tamen eiusmodi quid contra Iudaeos ſcripſiſſe, vt CAR. IOS. IMBONATVS tradidit, negat IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *bibliothec. ebr. part. II. lib. V. ſect. I. p. 1000.* Porro & *tomo XX.* eiusdem *bibliothecae p. 1881.* ſub GVIL. DE CAMPELLIS, epiſcopi Catalaunenſis, nomine, exſtat *altercatio cuiusdam chriſtiani cum Iudaeo de fide catholica*; quam tamen GILBERTO ſiue GISLEBERTO, vel GISELBERTO CRISPINO, abbati Weſtmonaſterienſi, tribuunt alii; ſub cuius nomine *diſputationem Iudaei cum chriſtiano de fide chriſtiana*, inter opera ANSELMI edidit GABR. GERBERONIVS, *p. 513. ſeqq.* quae licet in quibusdam cum priori conueniat; in plurimis tamen differre, vtriusque collatio vnumquemque docebit. Idem GERBERONIVS etiam inter ANSELMI *opera p. 524.* in lucem produxit RVPERTI, abbatis Tuitienſis, qui ſaeculo itidem duodecimo vixit, *annulum, ſeu dialogum chriſtiani & Iudaei de fidei ſacramentis*; qui tribus abſoluitur libris. Denique & GVALT. DE CASTELLIONE, Inſulanus, qui circa finem ſaeculi duodecimi vixit, *libros tres contra Iudaeos* compoſuit, editos a CASIM. OVDINO Lugduni Batauorum an. 1692. 8. Statum autem atque fata Iudaeorum hac aetate, praeſertim ſaeculo duodecimo, exponit IAC. BASNAGIVS, *hiſt. des Iuifs tomo V.* ſiue *lib. VII. cap. X. p. 1642.* vbi & inter alia obſeruat, BERNHARDVM, qui tantum erga haereticos feruorem demonſtrauit, magna erga Iudaeos vſum lenitate, & eorum ſuaſiſſe tolerantiam, *§. II. p. 1644.*

§. VII. Theologia ſcholaſtica nuper introducta, vt ſaeculo decimo tertio maxima incrementa ſumſit; ita ratio quoque, ſecundum eam controuerſias theologicas tractandi, latius propagata fuit. Haeretici, vel qui tales cenſebantur, non tam ſcriptis refutati, quam vi oppreſſi. Inter ipſos tamen romano pontifici addictos controuerſiae agitatae; errores quoque ex philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica grauiſſimi exorti. * Reſuſcitatae cumprimis ſunt controuerſiae cum Iudaeis, ** & Latinorum cum Graecis continuatae. *** Acceſſerunt ſaeculo decimo quarto Wiclefitae, & ſaeculo decimo quinto Huſſitae. Quos quidem, ceterosque veritatis teſtes, ferro flammisque exſtirpare, quam rationibus conuincere, conſultius duxerunt romani pontifices; impedire tamen non potuerunt, quo minus ſcriptis cauſſam ſuam agerent, licet nec deeſſent, qui alia rurſus iis opponerent. * Nec alia in hocce temporis interuallo certamina deerant. **

* Saeculum decimum tertium, *ſcholaſticum* vulgo dictum, ab iis quippe, qui in hac gente maximam celebritatem conſequuti ſunt, nobilitatum, ad romani pontificis

tificis nutum plane compoſitum fuit. In rebus friuolis exercere ingenium, praecipuum opus erat, in reliquis ad pontificis ſtabiliendam auctoritatem omnem conferre operam, ad honeſtatis & pietatis externam ſpeciem circa leges eccleſiaſticas, aut conſcientiae caſus, & pro ſaeculi captu circa ſcripturae interpretationem verſari. Veritas, vt pontificum tyrannide fere oppreſſa iacuit; ita nemo eam impune proferre in lucem poterat, niſi aut vim armatam, aut grauiſſimas vexationes experiri vellet. Polemicis itaque cum hac ratione non opus eſſet ſcriptis; mirum non eſt, quod & non adeo multa in hocce temporis interuallo edita ſunt. Ipſos ſcholaſticorum heroës, THOM. DE AQVINO, BONAVENTVRAM, & ALBERTVM magnum, qui hocce ſaeculo floruerunt, vix quidquam in hocce genere elaboraſſe, nouimus, ſi ab eo diſcedas, quod THOMAS *ſummam catholicae fidei contra gentiles in libros IV. diſtributam*, itemque *contra errores Graecorum*, vt & *contra Armenos ac Saracenos*, quaedam ſcripſit.

Quod diximus, veritatem vi oppreſſam, experti ſunt *Waldenſes*, qui & quandoque *Albigenſes* vocari ſolent. Licet enim non vno eodemque loco omnes habendi ſint; fuerunt tamen inter eos, quorum non aliud crimen erat, quam quod veritati contra errores & ſuperſtitiones eccleſiae romanae teſtimonium praeberent. At hos armis compeſcere viſum, adeo, vt paucis ex ſcholaſticorum ordine digni iudicati ſint, quos ſcriptis, ſaltem ex inſtituto, refellerent. Silentio tamen hic praetermittendus non eſt RAINERIVS SACHONVS, qui Waldenſium primum anteſignanus, dein, iis deſertis, praedicatorum fratrum familiae adſcribi voluit, haereticorum inquiſitor generalis factus. Hic igne & ferro in miſeros Waldenſes, vt ordinis Dominicani, eum praecipue in finem inſtituti, & officii inquiſitorum ratio poſtulabat, ſaeuiebat, hanc optimam conuincendi haereticos viam ratus. Et ne tam pulchra theologiae polemicae methodus poſteros lateret, *ſummam* edidit *de Catharis & Leoniſtis ſeu pauperibus de Lugduno*. Namque & hiſce nominibus Waldenſes adpellabantur. Partem libri iſtius exhibet MATTH. FLACIVS illyricus, in *catalogo teſtium veritatis*, *p. 641.* editionis, quae Francofurti 1672. 4. prodiit; integrum deinceps in lucem protraxit IAC. GRETSERVS, eaque ratione tum aliis collectionibus, tum & *bibliothecae maximae patrum, tomo XXV. p. 262. ſeqq.* inſertus eſt. De hacce GRETSERI editione IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD ſequentia obſeruant: *Quin opuſculum hoc in eum modum, quo editum a Gretſero, a Rainerio noſtro compoſitum etiam fuerit, nullus dubito, ſi voces germanicas idemtidem inſertas excipias, quas ab homine germano, vt inquiſitoribus ſuae regionis & nationis vſui eſſet, ſubinductas facile crediderim. Verum idem opus alio ordine confectum itidem ab auctore cogor vt dicam, cum duplex exemplum mihi occurrerit alia ratione compoſitum &c.* Haec poſtquam vlterius ediſſeruiſſent, tandem concludunt: *Ceterum opus eſt ad cognoſcendas illas haereſes adprime neceſſarium*; in *ſcriptorib. ordinis praedicatorum recenſitis & illuſtratis, tomo I. p. 154.* Ad rem ipſam quod attinet; RAINERIVS in hocce opere non tantum de definitione & cauſſis haereſeos, deque antiquorum & recentiorum haereticorum ſectis, item de nominibus ſectarum, & quomodo agnoſcantur; ſed &, quomodo examinandi & puniendi ſint haeretici? diſſerit. Et ad vltimum quidem, ſiue poenam haereticorum, quod attinet, de qua *cap. X.* agit, modos varios, quibus haereticus puniatur, enarrans, tertium, *militarem perſequutionem* conſtituit; *quia*, inquit, *ſi aliter fieri non poteſt, manu armata ſunt ab eis omnia bona auferenda.* Addit:

Addit: *Tutum eſt autem, vt hoc fiat ſpeciali edicto principis, vel eccleſiae, ne ex cupiditate vel vltione eccleſia videatur pugnare.* Sapienter quidem; modo hoc omnibus ſtatim perſuaderi poſſet. Interim ex hocce opere patet, non de refutandis, ſed de dignoſcendis ſolum, puniendisque haereticis, auctorem ſollicitum fuiſſe. Vnde & iſtius temporis genius cognoſcitur. Cum RAINERII hocce opuſculo IAC. GRETSERVS etiam edidit *catalogum, in quo variorum haereticorum deliramenta inſunt*, quem tamen ab ipſo RAINERIO profectum, negat; PETRI DE PILICHDORF, qui ſaeculo decimo quinto vixiſſe creditur, *librum contra Waldenſes*; incerti auctoris *refutationem, quibus Waldenſes diſtinentur; indicem errorum, quibus Waldenſes infecti ſunt; fragmentum de erroribus Beghardorum ex codice manuſcripto Conradi de Montepuellarum (Magdeburg) contra Beghardos & Beginos*; quae omnia *bibliothecae maximae patrum* inſerta ſunt, *tomo XXV. p. 262. ſeqq.*

Ceterum nec inter ipſos romani pontificis adſeclas tam bene hocce ſaeculo conuenit, quin inter eos quoque controuerſiae quaedam orirentur. Creſcentem nouorum ordinum mendicantium, Franciſcanorum cumprimis & Dominicanorum, potentiam & auctoritatem, haud aequo omnes ferebant animo. Hi contra, ſub ſanctitatis ſpecie multorum ſibi conciliantes animos, non tantum opes corradebant, ſed eminere ſupra alios, praeſertim in ſcholis & academiis, legibus earum atque ſtatutis inſuper habitis, cupiebant. Hoc vero reliquis doctoribus, praeſertim in academia Pariſienſi, admodum diſplicebat. Hinc odia, certamina, bella. Ad res monachorum iſtorum promouendas, portentoſus ille liber, *aeternum euangelium* dictus, ſaeculo hocce decimo tertio in lucem prodiit, auctore IOANNE DE PARMA, monacho Italo, ordinis minorum generali; quamquam alii vellent, auctorem iſtum a principe iſtius ordinis diuerſum eſſe, ad dedecus, quod inde in illum redundare poterat, ab eo amoliendum, vt LVC. WADDINGVS, in *annalib. minor.* ad *annum 1257.* ABRAH. BZOVIVS, ad *an. 1257.* & NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. ſaec. XIII. & XIV. cap. III. artic. IV. p. 78.* Portenta noui huius *euangelii*, ex ſomniis IOACHIMI abbatis, & CYRILLI monachi, conflati, (vnde nonnulli, IOACHIMVM iſtum, alii autem CYRILLVM, eius auctorem eſſe, putant) ex HENRICI Erfurdienſis *chronico cap. XCIII.*[b] & NIC. EYMERICI *directorio inquiſitor. part. II. quaeſt. IX. §. IV.* recenſet IAC. VSSERIVS, *de chriſtian. eccleſiar. continua ſucceſſione &c. cap. IX. §. XXII. p. 340.* Scopus euangelii iſtius erat, commendare nouos iſtos monachorum ordines, quibus *euangelium* iſtud *ſpiritus ſancti*, ceu longe perfectius euangelio Chriſti, commiſſum eſſet, quod homines de ſpiritualibus & aeternis maiori cum auctoritate, quam factum eſſet ab apoſtolis, inſtitueret. GVILIELMVS autem DE S. AMORE, ODO DE DVACO, NICOLAVS decanus DE BARRO, & CHRISTIANVS canonicus Baluacenſis, librum *de periculis nouiſſimorum temporum* eidem oppoſuerunt, in quo ſummam eccleſiae corruptionem oſtendunt, adcommodatis ad eccleſiam iſtius temporis verbis Danielis: *mene, tekel, phares*; vid. IAC. VSSERIVS *l. c. §. XX. XXI. p. 337.* Liber iſte inter reliqua GVILIELMI DE S. AMORE opera exſtat, edita Conſtantiae, aut potius Pariſiis anno 1632. 4. Cum etiam blaſphemiae *aeterni* iſtius *euangelii* nimis manifeſtae eſſent; pontifex, etſi leniſſime cum fratribus mendicantium ordinum ageret, tandem tamen iuſſit, vt *nouus ille liber, quem euangelium aeternum nominant, ſecreto, & ſi fieri poſſet, ſine fratrum ſcandalo, combureretur.* Idque vt eo minori cum monachorum inuidia fieret; viſum eſt pon-

Digitized by Google

pontifici, vt magiſtrorum quoque Pariſienſium, ſiue GVILIELMI DE S. AMORE, ceterorumque, quos antea memorauimus, liber, *aeterno* huic *euangelio* oppoſitus, itidem combureretur. Legendus hac de re MATTHAEVS Pariſienſis, ad *annum 1253. ſeqq.* add. IO. HENR. HEIDEGGERVS, *hiſtor. papatus per. IV. §. CX. ſeqq.* itemque FRID. SPANHEMIVS, *hiſtor. chriſtian. ſeu eccleſiaſt. noui teſtam. ſaec. XIII. p. 1665.* GVILIELMI huius DE S. AMORE, cuius facta eſt mentio, alia adhuc exſtant ſcripta, monachis mendicantibus oppoſita; vt: *quaeſtio vnica de quantitate eleemoſynae &c.* item, *quaeſtio vnica de valido mendicante, vtrum debemus dare eleemoſynam valido mendicanti, ſi ſit pauper;* porro *caſus & articuli ſuper quibus accuſatus eſt magiſter Guilielmus de S. Amore a fratribus praedicantibus;* & denique *tabula de ſignis, per quae pſeudo-praedicatores diſcerni poſſunt a veris.*

Refertur etiam inter haereticos huius ſaeculi ALMARICVS, clericus Pariſienſis, idemque haud infimi ſubſellii, hac quidem aetate, philoſophus. Errores illi tribuuntur longe grauiſſimi, quos recenſent CAESARIVS Heiſterbacenſis, *lib. V. dialog. cap. XXII.* centuriatores Magdeburgenſes, *centur. XIII. cap. V.* NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. ſaec. XIII. & XIV. cap. III. artic. II. p. 76.* Nonnulli autem ex iſtis ita comparati ſunt, vt in ſanae mentis hominem vix cadere poſſe videantur; vnde & beatus CHRIST. KORTHOLTVS noſter dubitat, an ALMARICO, viro docto, & litteris probe imbuto, iure tam abſurda dogmata adſcribantur, quae ipſa ſynodus Lateranenſis non tam haeretica, quam delira iudicauerit; *hiſtor. eccleſ. ſaec. XIII. ſect. I. cap. II. §. V.* Sed obſeruandum, ab erroribus ipſius ALMARICI diſcernendos errores & placita ſectatorum eius. Plurimos enim nactus eſt ſectatores, maximam partem plebeios quidem, ſed nonnullos feruidi ingenii homines, qui opinionibus, a magiſtro hauſtis, haud dubie, vt fieri adſolet, monſtroſas quasdam addebant. Fieri etiam potuit, vt varii illi errores adfingerentur, aut quaedam non male ab eo dicta in prauum detorquerentur ſenſum. Hoc enim non infrequens eſſe, experientia docet. Haec tamen nondum mea opinione euincunt, ab omnibus eum liberandum erroribus. Id certum, ea, qua vixit aetate, iudicatum fuiſſe, eum ex Ariſtotelis philoſophia haereſin ſuam hauſiſſe. Ita RIGORDVS, ſcriptor coaeuus, ad *annum 1209.* de eo verba faciens, *qui,* inquit, *cum in arte logica peritus eſſet, & ſcholas de arte illa, & de aliis artibus liberalibus diu rexiſſet, tranſtulit ſe ad ſacram paginam excolendam. Semper tamen ſuum per ſe modum docendi & diſcendi habuit, & opinionem priuatam, & iudicium quaſi ſectum & ab aliis ſeparatum.* Immo eiusdem concilii Pariſienſis, quod ALMARICVM damnauit, iuſſu & auctoritate, Ariſtotelis quoque libri flammis traditi ſunt, eo quod ille ex hiſce haereſin ſuam hauſiſſe crederetur. Hoc idem RIGORDVS teſtatur: *In diebus illis legebantur Pariſiis libelli quidam ab Ariſtotele, vt dicebantur, compoſiti, qui docebant metaphyſicam, delati de nouo a Conſtantinopoli, & a graeco in latinum tranſlati. Qui quoniam non tantum praedictae haereſi ſententiis ſubtilibus occaſionem praebebant, immo & aliis nondum inuentis praebere poterant; iuſſi ſunt omnes comburi, & ſub poena excommunicationis cautum eſt, ne quis de cetero eos ſcribere, legere praeſumeret, vel quocumque modo habere.* Confirmat idem ROBERTVS, monachus Antiſiodorenſis, aut potius eius continuator HVGO, ad *annum 1223.* Cum enim de haereſeos Almaricianae damnatione verba feciſſet; haec addit: *Librorum quoque Ariſtotelis, qui de naturali philoſophia inſcripti ſunt, & ante paucos annos Pariſiis coeperant lectitari, interdicta eſt lectio tribus*

tribus annis, quia ex ipſis errorum ſemina viderentur exorta. RIGORDVS, conſtitutum, ſcribit, vt ſcripta Ariſtotelis comburerentur, eorumque lectionem plane prohibitam; at ROBERTVS, ſiue HVGO, in tres tantum annos operum Ariſtotelis lectionem interdictam, auctor eſt. At potiorem hic eſſe RIGORDI auctoritatem, docet IO. LAVNOIVS *de varia Ariſtotelis in academia Pariſienſi fortuna, cap. I. p. 9.* RIGORDVS etiam de metaphyſica Ariſtotelis loquitur, at ROBERTVS, ſiue eius continuator, de libris, *qui de naturali philoſophia inſcripti*, ſiue phyſica, verba facit. Quod ita ſoluere dubium NAT. ALEXANDER adnititur, vt, vtramque, & phyſicam & metaphyſicam Ariſtotelis, damnatam, contendat; ſiquidem legatus apoſtolicus, qui an. 1218, hoc eſt, annis ſex poſt iſtam ſynodum Pariſienſem, academiam emendauit, metaphyſicae & phyſicae lectioni ſimul interdixerit: *non leguntor libri Ariſtotelis de metaphyſica & philoſophia naturali; hiſt. eccleſ. ſaec. XIII & XIV. cap. III. art. II. p. 76.* Quemadmodum autem ex hactenus dictis ſatis conſtat, creditum eo tempore fuiſſe, haereſin Almaricianam ex philoſophia Ariſtotelica fluxiſſe; ita non omnibus forte perſpectum erit, qua ratione errores, qui illi tribuuntur, ex philoſophia Ariſtotelica deriuari queant. Id vero ſequenti forte ratione demonſtrari poſſet. Obſeruant nimirum nonnulli, praecipuum ALMARICI errorem, ceterorumque fere fontem, eum fuiſſe, quem ipſe quidem cautius propoſuit, ſed diſcipulus eius DAVID DE DINANTO, de quo mox dicemus, apertius profeſſus eſt: *Deum eſſe materiam primam.* Perſuaſum eiusmodi quid ALMARICO fuiſſe, haec eius dogmata teſtantur: *omnia ſunt Deus: Deus eſt omnia. Creator & creatura idem. Ideae creant & creantur. Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reuerſura ſint in ipſum, vt in Deo immutabiliter conquieſcant, & vnum indiuiduum & incommutabile permanebunt. Et ſicut alterius naturae non eſt Abraham, alterius Iſaac, ſed vnius atque eiusdem, ſic dixit omnia eſſe vnum & omnia eſſe Deum. Dixit enim, Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum.* Iſta ex HOSTIENSI & ODONE Tuſculano, de ALMARICO referre IO. CHARLIERIVM GERSONEM *tract. de concord. metaphyſ. cum logic. part. IV.* auctor eſt IAC. THOMASIVS, *de exuſtione mundi Stoica diſſertat. XIV. §. XCIX. p. 200.* Nimirum, dum ALMARICVS adſeruit, Deum eſſe finem omnium, & quod omnia in ipſum reuerſura ſint, vt in illo immutabiliter conquieſcant, & vnum indiuiduum ac incommutabile permaneant; nihil aliud ſibi voluiſſe videtur, quam quod DAVID DE DINANTO dixit, Deum eſſe materiam primam; ad impietatem autem iſtam quodammodo tegendam vocem *finis*, ſignificationem eius ad ſuam mentem inflectendo, adhibuiſſe; vt idem, quem laudauimus, vir doctus IAC. THOMASIVS, *l. c.* §. *CXV. & CXVI.* pluribus oſtendit. Nec difficile foret, reliquos ALMARICI errores, quod reſurrectionem mortuorum, paradiſum item ac infernum negauerit, ex eodem hocce principio deriuare. Non deſunt tamen rurſus rationes, quae ſuadent, ex Platonica potius, quam Ariſtotelica philoſophia, hosce errores fluxiſſe; quas itidem IAC. THOMASIVS adfert *l. c.* §. *CII.* Conferenda &, quae a me ipſo hac de re dicta ſunt *obſeruation. ſelect. ad rem litterar. ſpectant. tom. I. obſeruat. XV. §. XVII ſeqq. p. 201. ſeqq.* Damnata fuit Almariciana iſta haereſis, quae ad Spinozismum proxime accedit, in concilio Pariſienſi anno 1209, & in Lateranenſi IV, ſub Innocentio III, pontifice congregato, anno 1215. Qui vero eam ex inſtituto refutauerit, quantum mihi conſtat, non exſtitit. Forte errores iſti tam abſurdi viſi ſunt, vt refutationem non mererentur; in quibus contra euertendis hodie tot viri

docti ingenii vires periclitati ſunt, poſtquam maiori quadam ſpecie BENEDICTVS DE SPINOZA eosdem iterum in ſcenam produxit. De ALMARICI diſcipulo DAVIDE DE DINANTO, qui aperte adſeruit, Deum eſſe materiam primam, quid ſtatuendum ſit, ex hactenus dictis conſtat; conferendaque, quae de eodem monui *obſeruation. ſelectar. l. c. §. XVIII. p. 204. ſqq.* Libros eius in eadem ſynodo Pariſienſi, quae ALMARICVM haereticis adſcripſit, condemnatos & in perpetuum prohibitos, ex CAESARIO Heiſterbacenſi refert NAT. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. ſaec. XIII & XIV. cap. III. artic. II. p. 76.* De IOACHIMO abbate, cuius ſententia aut ad *tritheiſmum*, aut ad *Arianiſmum* accedere quodammodo videbatur, in eadem *obſeruatione §. XIX. p. 206.* dictum. De reliquis autem, qui inter haereticos huius ſaeculi referri ſolent, vt *flagellantibus, circumcellionibus, fratricellis*, ſimilibusque nihil addo, quod vitae potius inſtituto, quam doctrina ſint notabiles, aut ſi errores etiam habuerunt, ſcriptis tamen eosdem non propagarint; quamquam forte nonnulli eorum & ideo inter haereticos relati ſint, quod romanae eccleſiae vitia carperent, reprehenderentque.

** Vt rationem intelligamus, cur hocce ſaeculo acrius contra Iudaeos pugnatum ſit, quam in praecedentibus; non abs re fuerit, obſeruare, poſt talmudis compoſitionem, ſaeculo ſexto finitam, apud Iudaeos quoque, per varias gentes diſperſos, ſubſequuta eſſe tempora ſterilia, caliginemque, quae tum orbi fere vniuerſo incubuit, gentem quoque ebraeam oppreſſiſſe. At cum in media iſta nocte apud Arabes noua lux bonarum artium oriretur; ex Iudaeis quoque haud pauci ad litterarum ſtudia tractanda ſe accinxerunt. Hinc ſaeculo decimo & ſequentibus, praeſtantiſſimi in omni doctrinae genere inter eos exſtitere ſcriptores. Cumque hactenus in oriente maximam partem commorarentur; ſaeculo vndecimo contigit, vt, Babylone expulſi, ſcholisque ſuis ſpoliati, magno agmine in Europam, praeſertim in Hiſpaniam, ſeſe reciperent, numerum illorum, qui iam antea hinc inde in Europa rerum ſuarum ſedem fixerant, aucturi; conf. R. DAV. GANTZ, in *tſemach David ad annum 4097.* R. GEDALIA, in *ſchalſcheleth hackabbala, p. 39.* & quae ipſemet dixi in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebr. §. XXX. p. 142. ſeqq.* Noua itaque hinc paſſim certaminum cum Iudaeis occaſio ſuppeditata fuit chriſtianis. Idque cumprimis ſaeculo contigit decimo tertio, quo, rebus Iudaeorum, inter Saracenos degentium, magis magisque efflorescentibus, eo maiori ſtudio illis obuiam eundum eſſe, nonnulli exiſtimarunt; conf. IO. HENR. HOTTINGERVS, *hiſtor. eccleſ. noui teſtam. part. III. cap. XIV. p. 529.* Idque hactenus nonnulli ea ratione efficere voluerunt, vt vim & arma, aut quidquid vel caeca ſuperſtitio, vel inconſultus furor ſubminiſtrabat, adhiberent. Quidam inuiti ad baptiſmum trahebantur, alii proſcriptione, aut grauioribus ſuppliciis, ad amplectenda chriſtianorum ſacra cogebantur, nonnulli pollicitationibus aut muneribus alliciebantur, ne quid de fictis miraculis, aliisque artibus, dicam. Talia cum ſpeciatim in Hiſpania ſaeculo decimo tertio Iudaei experirentur; tandem RAYMVNDVS DE PENNAFORTI, ſiue DE PENYAFORT, magiſter generalis ordinis praedicatorum, quo tamen circa finem vitae ſe abdicauit munere, vir magnae ſua aetate & auctoritatis & celebritatis, aliam viam ingreſſus eſt, &, refutandos potius, conuincendosque, & ita ad veritatis agnitionem perducendos Iudaeos, cenſuit. Eum etiam in finem omnem adhibuit induſtriam, vt viri quidam ſacrae ſcripturae & diuinae ſcientiae periti ad linguam ebraeam, chaldaeam, & arabicam perdiſcendam, animum adiungerent, quibus

bus deinceps in erudiendis & conuertendis tum Mauris, tum Iudaeis vti poſſent. Idemque vt Iacobus, Tarraconenſis prouinciae rex, cuius ſingulari florebat gratia, iuberet, facile impetrauit; qui &, licet, eiusdem RAYMVNDI inſtinctu, edictis quibusdam calumnias & proteruiam Iudaeorum compeſceret, libertatemque eorum circumſcriberet; vim tamen illis inferri, aut vita bonisque ſpoliari, quod hactenus haud raro factum, noluit. An, quae de inſigni illorum, qui a RAYMVNDO hocce de PENNAFORTI ad chriſtianorum ſacra amplectenda perducti ſint, numero, narrantur, veritati ſint conſentanea, nunc non diſputabo. Inſtitutum eius, quod diſputationibus potius Iudaeos Maurosque conuincendos cenſuerit, quam omni calamitatum genere vexandos, quodue illos, qui cum eiusmodi hominibus congredi debebant, linguae ebraeae arabicaeque peritos eſſe voluerit, nemo ſanae mentis vituperauerit. Atque hoc ad laudem eius ſufficere poterat, vt eam fictis augere miraculis neceſſe non eſſet; cuiusmodi illud eſt, quod, pallio loco nauigii vſus, mare transmiſiſſe dicitur. Plura de eo dabunt NIC. ANTONIVS *bibliotb. hiſp. vet. tomo II. lib. VIII. cap. IV. p. 47.* itemque IAC. QVETIF & IAC. ECHARD in *ſcriptorib. ordinis praedicatorum recenſitis &c. tom. I. ſaec. XIII. p. 106.* Inter eos, qui hac ratione praeparati, auſpiciis RAYMVNDI DE PENNAFORTI, in Iudaeorum conuerſione elaborarunt, eminent PAVL. CHRISTIANI ex Iudaeo chriſtianus, idemque ordini Dominicanorum adſcriptus, atque RAYMVND. MARTINI, eidem ordini adſociatus, de quo deinceps plura dicemus. Ex his PAVL. CHRISTIANI maxime celebratur, ob diſputationem coram Iacobo, Tarraconenſis prouinciae rege, anno 1268 inſtitutam, in qua cum R. MOSE BAR NACHMAN Gerundenſi, cuius apud Iudaeos magna erat eruditionis fama, congreſſus eſt, eo quidem euentu, vt detectis Iudaei huius calumniis, & confutatis erroribus, omnium calculo victoriam reportaret. Ita quidem, praeter alios FRANC. BOSQVETVS, in *epiſtola ad Ioſephum de Voiſin*, in IO. BENED. CARPZOVII *introduct. in theolog. iudaicam, Raymundi Martini pugioni fidei* praemiſſa, *cap. XII. p. 91.* Rurſus tamen non negandum, NACHMANIDEM editis *diſputationis* huius *actis* triumphum ceciniſſe, victoriamque ſibi prorſus vindicaſſe. In lucem produxit iſtam NACHMANIDAE cum PAVL. CHRISTIANI diſputationem, vt ab ipſo NACHMANIDE conſcriptam, IO. CHRIST. WAGENSEILIVS, ex manuſcripto Argentoratenſi ſub initium mutilo, in *telis igneis ſatanae tomo II. p. 24. ſeqq.* Non deſunt autem dubitandi rationes, an iſta diſputationis acta genuina ſint, & ab ipſo NACHMANIDE profecta. SALOMO namque BEN VIRGA, in *hiſtoria iudaica* quae שבט יהודה *tribus Iudae* inſcribitur, & a GEO. GENTIO in linguam latinam conuerſa, *p. 252.* nonnulla ex diſputatione iſta, profert, quae in actis Wagenſeilianis non leguntur. Deinde & in actis iſtis ſubinde voces quaedam germanicae occurrunt, quas a Iudaeo hiſpano, coram Arragoniae rege cum monachis hiſpanis diſputante, adhibitas, parum eſt veroſimile. Vrget haec IAC. BASNAGIVS, atque inde porro concludit, forte a Iudaeo quodam germanico recentiori, ſub nomine NACHMANIDAE, acta haec compoſita eſſe, vt eo maiorem iis conciliaret auctoritatem; *hiſtoire des Iuifs tom. V. lib. VII. cap. XV. p. 1762.* Quod ſi eidem, quem laudauimus, SALOMONI BEN VIRGA *l. c.* credendum, diſputatio haecce adeo nullum ſtrepitum dedit, vt nec ipſi pontifici initio nota fuerit; qui &, quod Arragoniae rex eam permiſerit, & quod PAVL. CHRISTIANI inferior ex ea diſceſſerit, admodum ſibi diſplicere, teſtatus ſit. PAVLVM contra CHRI-

STIANI victoriam in hoc certamine retuliſſe, confirmant verba, quae ex libro: *candor lilii p. 38.* vir clariſſimus IO. CHR. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 881.* recitat: *ſub Vrbano IV Barcinone in domo regia coram Iacobo rege, totaque curia frater Paulus dictus chriſtianus, Cyriacus (i. e. ordinis Dominicanorum) doctiſſimum rabbinorum Moſen Gerundenſem conuicit publice ac mutum effecit, teſte Michaële Pio.* Licet autem RAYMVNDVS quoque MARTINI diſputationi iſti interfuerit; non eius tamen, vt nonnulli putant, ſed PAVLI potius CHRISTIANI praecipuas in illa partes fuiſſe, docet IAC. BASNAGIVS *l. c.* De PAVLO porro hocce CHRISTIANI legendi IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptorib. ordinis praedicatorum recenſitis, tom. I. ſaec. XIII. p. 246.*. Qui, PAVLVM iſtum CHRISTIANI ſuperiorem ex hocce certamine diſceſſiſſe, autumant; felici diſputationis iſtius euentu excitatum Iacobum regem & RAYMVNDVM DE PENNAFORTI, ſpem haud dubiam conuertendae gentis iudaicae, animo concepiſſe, addunt. Miſſum itaque ad Iudaeos erudiendos conuincendosque PAVLVM, regemque ſimul mandaſſe, vt viatica illi ſubminiſtrarent, codicesque, quoscumque vellet, illi exhiberent. Et hac ratione PAVLVM arcana Iudaeorum exploraſſe volumina, itinereque peracto a rege impetraſſe, vt Iudaei intra trium menſium ſpatium verba omnia, quae in Chriſti ſeruatoris & beatae virginis contumeliam ſcripta, in eorum libris occurrerent, tollere, atque delere iuberentur. Cum vero Iudaeorum doctores negarent, in libris ſuis blasphemias aut contumelias in ſeruatorem noſtrum & beatam virginem contineri; res eo deuenit, vt iudices ad iſtius rei cognitionem conſtituerentur, epiſcopus Barcinonenſis, RAYMVNDVS DE PENNAFORTI, ARNALD. DE SEGARRA, RAYMVNDVS MARTINI & PETR. DE IANVA, omnes praedicatorum ordini adſcripti. Qua quidem occaſione, cum plurimi, iique reconditiores codices Ebraeorum in manus RAYMVNDI MARTINI venirent, isque linguae ebraeae peritiſſimus eſſet; opportunitate iſta vſus, egregium illud, quod *pugionem fidei* inſcripſit, opus concinnauit. Copioſius haec omnia enarrat FRANC. BOSQVETVS, *loco antea citato p. 91. 92.* Fuit autem RAYMVNDVS hicce MARTINI gente Catalonus ex oppido *Subirats*, ordinis Dominicanorum, cui haud exiguum decus conciliauit. Vitam eius ac ſcripta recenſent IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptorib. ordinis praedicator. recenſitis tom. I. ſaec. XIII. p. 396. ſeqq.* itemque NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. VIII. cap. VI. p. 59. ſeqq.* Exiſtimarunt nonnulli, RAYMVNDVM huncce MARTINI gente Iudaeum fuiſſe, ſed ad chriſtianorum acceſſiſſe ſacra; quorum inde forte natus error eſt, quod putarent, inſignem iſtam, qua praeditus fuit, linguae ebraeae peritiam in hominem non Iudaeum non cadere. Sed falli iſtos, certum eſt, recteque probat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, *bibl. ebr. part. I. p. 1016.* Ad *pugionem* eius *fidei aduerſus Mauros & Iudaeos* quod attinet, cum is per quadringentos annos in monaſteriis Dominicani ordinis delituiſſet, tandem auſpiciis THOMAE TVRCI, eiusque ſucceſſoris IO. BAPT. DE MARINIS, magiſtrorum generalium illius ordinis, ope FR. BOSQVETI, epiſcopi tum Lodouenſis, & PHIL. IAC. MAVSSACI comitis conſiſtoriani a IAC. SPIGELIO DE ROSEMBACH ſubleuatorum, in lucem prodiit, cura ſtudioque IOS. DE VOISIN, Pariſiis anno 1651 cum amplis & eruditis eiusdem VOISINII notis. Ita ſummatim, quae ad operis huius editionem ſpectant, complectitur IOANNES BENEDICTVS CARPZOVIVS, in *introduct. in theolog. iudaic. cap. XII. §. I. p. 89.* de quibus & conferre iu-

Digitized by Google

iuuabit PETR. BAELIVM *dictíon. hiſt. & crit. voc. Martini, tom. II. p. m. 2077.* itemque IAC. QVETIF & IAC. ECHARD in *ſcriptoribus ordinis praedicator. recenſitis &c. tom. I. ſaec. XIII. pag. 397.* Atque hi etiam adſerunt, eum hocce opus *latine & ebraice* ſcripſiſſe. Verba illorum haec ſunt: *Tandem conſiderans Iudaeorum aſtutam malitiam, qui parui pendunt, quidquid illis latine profertur, edidit opus, quod* PVGIONEM *vocauit, & hoc latine & ebraice totum manu propria ſcripſit.* De variis operis iſtius codicibus manuſcriptis iidem agunt. Recuſum tandem eſt Lipſiae anno 1687. fol. opera & ſtudio IO. BEN. CARPZOVII, qui & *introductionem in theologiam iudaicam & lectionem Raymundi aliorumque id genus auctorum,* praemiſit, & adpendicis loco HERMANNI Iudaei *de ſua conuerſione opuſculum,* ex manuſcripto editum, ſubiunxit. Quemadmodum autem hocce opus multis, praeſertim ob varia ex Iudaeorum ſcriptis prolata teſtimonia, quibus contra ipſosmet Iudaeos pugnat, magno eſt in pretio; ita alii contra in eodem, quod reprehenderent, ſibi inueniſſe viſi ſunt; quod ſcilicet aduerſariis quaedam imputentur, quae illis tribui nequeunt; quod ſelectus in teſtimoniis Iudaeorum producendis non ſit obſeruatus; quodue ad probandum adhibeantur, quae eos crediſſe rationis vim multum ſuperat; quod RAYMVNDVS ex vnica ſaepius voce, quae doctoribus ebraeis excidere potuit, concluſiones deriuauerit pro veritate chriſtianae religionis, ac ſi ea crediderint, quae in doctrina chriſtiana omnium ſunt difficillima; & quae alia ſunt eiusdem generis, quae longa ſerie enarrat IAC. BASNAGIVS, *hiſt. des Iuifs tomo V. cap. XV. §. XII. pag. 1763. ſeqq.* Addenda, quae ad dicta confirmanda adiicit *tomo VI.* ſiue *hiſt. des Iuifs reclamé, §. XXIV. p. 150. ſeqq.* Atque id cum etiam vir doctiſſimus IO. CHRIST. WOLFIVS obſeruaſſet, ſubiicit: *Nec negari poteſt, Raymundum non aeque feliciter in reuincenda Iudaeorum impietate & ſuperſtitione verſatum eſſe, quod cum illa aetate mirandum non ſit, & hoc veniam meretur, & cetera recte admonita tanto maiorem laudem exſpectant, praecipue cum candorem & fidem in adferendis Hebraeorum locis cuique adprobauit.* Laudat deinde AVG. IVSTINIANVM & ESD. EZARDVM, qui teſtimonia, ad quae RAYMVNDVS prouocauit, in ipſis Ebraeorum monumentis inuenerint; *biblioth. ebr. part. I. p. 1017.* PETR. GALATINVM, quae in *libris de arcanis catholicae veritatis* profert, *plagio portentoſo, & cui vix ſimile vmquam factum eſt*, ex PORCH. SALVATICI *victoria contra Iudaeos* exſcripſiſſe, vti PORCHETVS ſua ex RAYMVNDI *pugione fidei* deſumſerit, quamuis hic in *praefatione* hoc profeſſus ſit, a plagii crimine ideo liberandus, IO. MORINVS *lib. I. exercitation. biblic. cap. II.* aliique viri docti paſſim obſeruant. Conferendus PETR. BAELIVS *l. c.* itemque IACOB. THOMASIVS, *de plagio litterario cap. II. §. CCCCXXXVI. p. 189.* De IOS. IVSTI SCALIGERI circa opus hocce RAYMVNDI lapſibus, legendus IO. BENED. CARPZOVIVS, *introd. in theolog. iudaicam cap. XII. §. VI. p. 106. ſeqq.* & PETR. BAELIVS, *l. c.*

*** Quae enim pro vnienda vtraque eccleſia occidentali & orientali ſuſcepta ſunt conſilia, adeo ex voto non proceſſerunt, vt potius aucta ſint diſſidia, animique vtrimque magis exacerbati. In concilio equidem Lugdunenſi II a Gregorio X pontifice, poſtulante id Michaële palaeologo, inuaſore imperii Conſtantinopolitani, an. 1274 celebrato, res eo tandem deducta eſt, vt, qui aderant Graeci romanae eccleſiae ſe ſubmitterent, &, dogma Latinorum de proceſſione ſpiritus ſancti a patre filioque, de quo tantopere hactenus diſputatum erat, ſe amplecti, ſolemni formula

mula profiterentur; ſed reliqui illam tranſactionem, vtpote ſe inconſultis & inuitis factam, repudiarunt. Noui hinc in eccleſia graeca motus. Solet namque conſiliorum henoticorum, intempeſtiue ſuſceptorum, hic eſſe euentus, vt certamina per ea augeantur. Interim nonnulli ex Graecis, qui ad Latinorum partes traducti, vnionem hanc probabant, ſcriptis quoque eamdem tuebantur atque propugnabant. Hos inter haud poſtremus fuit IO. BECCVS, ſiue VECCVS, ex magnae eccleſiae Conſtantinopolitanae chartophylace patriarcha; qui initio Michaëli imperatori, vnionem cum Latinis meditanti, ſtrenue aduerſatus eſt, nec vlla ratione, vt in eam conſentiret, permoueri potuit; tandem vero in carcerem deterrimum coniectus, ſcriptiſque NICEPHORI BLEMMIDAE, quae imperator illi miſerat, perlectis, & re omni, vt ferebat, adcuratius perpenſa, ſententiam mutauit, & pro imperatore ac Latinis contra Graecos ſtetit. NICEPH. ille BLEMMIDA, cuius iniecta mentio, itidem circa medium huius ſaeculi floruit, & ipſe, Graecus licet, Latinorum tamen cauſſam contra Graecos fortiter egit, editis *de proceſſione ſpiritus ſancti* orationibus, ſiue libris duobus, priori quidem ad Iacobum Bulgariae archiepiſcopum, poſteriori autem ad Theodorum Ducam Laſcarim, imperatorem Conſtantinopolitanum. Vtrumque graece & latine exhibet LEO ALLATIVS, *Graeciae orthodoxae tomo I. pag. 1. ſeqq.* Idem LEO ALLATIVS teſtatur, ſub BLEMMIDAE nomine bina exſtare opuſcula *contra Latinorum dogma de proceſſione ſpiritus ſancti*; vnde maximam dubium oritur, quo pacto & impugnare, & defendere ſimul BLEMMIDA Latinos potuerit; quem nodum vt ſoluat, in omnem ſeſe LEO ALLATIVS vertit partem, *de eccleſiae occidentalis & orient. perpetua conſenſione lib. II. cap. XIV. §. IV. pag. 722.* Multa ibidem in laudem NICEPHORI huius BLEMMIDAE adfert, quem & ipſemet *virum* vocat, *ſi pietatem & doctrinam ſpectes, vere admirabilem; p. 712* Sed addenda, quae de eodem hocce NICEPH. BLEMMIDA diſſerit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VI.* ſiue *lib. V. cap. V. p. 341. ſeqq.* itemque *vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 382.* Ad VECCVM, ſiue BECCVM, vt reuertamur, is quidem, cum ad caſtra Latinorum tranſiiſſet, Michaëlis imperatoris ope ſedem patriarchalem obtinuit, qua tamen iterum poſt Michaëlis mortem ſpoliatus eſt. Varia autem is in Latinorum gratiam ſcripſit; cuiusmodi ſunt: περὶ τῆς ἑνώσεως καὶ εἰρήνης τῶν τῆς παλαιᾶς καὶ νέας Ῥώμης ἐκκλησιῶν, *de vnione eccleſiarum veteris & nouae Romae*, περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, *de proceſſione ſpiritus ſancti capita duodecim*; porro: *ad Alexium Agallianum, magnae eccleſiae Conſtantinopolitanae diaconum, epiſtola, de proceſſione ſpiritus ſancti*, in cuius initio ſe ob *verum dogma patrum, ex patre nempe per filium ſpiritus ſancti proceſſionem, propria ſede pulſum, & in exilium perpetuum & carcerem, vt ibi incluſus degeret, donec vitae finem poſuiſſet, condemnatum*, profitetur; σημείωμα ſiue *ſententia ſynodalis de loco quodam Gregorii Nyſſeni pro ſpiritus ſancti proceſſione ex patre & filio.* Haec omnia vna cum *teſtamento* VECCI, graece & latine exhibet LEO ALLATIVS, *tomo I. Graeciae orthodoxae, p 61. ſeqq.* Sed alia adhuc eiusdem auctoris, eodemque comparata, ſcripta *tomo II. p. 1. ſeqq.* exſtant, inter quae eminent ἐπισημειώσεις τῶν αὐτοῦ ἁπασῶν βίβλων, καὶ γραφῶν συμφωνίας, *de omnibus ſuis libris & ſcriptionum ſuarum conſenſione animaduerſio; ad Theodorum, Sugdaeae epiſcopum, de proceſſione ſpiritus ſancti ex patre & filio libri tres; ad Conſtantinum* (Meliteniotam) *de eodem argumento libri quatuor*; & vt reliqua mittam, cumprimis ἐπιγραφαί ſiue *praeſcriptiones XIII in dicta & ſententias ſanctorum patrum a ſe collectas de proceſſione ſpiritus ſancti*, in quibus non tantum varia patrum

patrum de hocce argumento teſtimonia collegit; ſed, cum illorum quidam, ſpiritum ſanctum *ex filio*, alii autem *per filium* procedere, adſeruerint, praepoſitionum iſtarum *ex* & *per* vnam eamdemque hic vim eſſe, ac ſignificationem, probare voluit. Sed omnia VECCI huius enumerare ſcripta, neceſſe non eſt; de quibus, vti & de ipſo auctore, conferendus LEO ALLATIVS, *de eccleſiae occident. & oriental. perpetua conſenſione, lib. II. cap. XV. §. VIII. p. 761. ſeqq.* Multa ibi in eius laudem ex aliis adfert, ipſeque eum vocat *virum pium, orthodoxae ſententiae tenacem, & in ſuppliciis gaudentem, quia dignus habitus, qui pro vera fide contumeliam pateretur; pag. 766.* Addendus, qui ſcripta eius accurate recenſet, IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. volum. X* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 340. ſeqq.* Eamdem non tantum cum IO. VECCO propugnauit ſententiam, ſed omnium quoque fere, quae ſub Andronico perpeſſus eſt, malorum ſocius fuit GEO. METOCHITA, magnae eccleſiae Conſtantinopolitanae diaconus. Vnionem namque, cum Latinis initam, ſcripto & opere ad extremum vsque vitae halitum defendit. LEO ALLATIVS, vt omnium illorum, qui pro Latinis ſteterunt, nomina valde celebrat; ita nec GEORGIVM hunc METOCHITAM praetermittit, cuius & ſcripta recenſet, tum *de eccleſiae occident. & orient. perpetua conſenſione lib. II. cap. XV. §. IX. p. 770. ſeqq.* tum in *diatriba de Georgiis & eorum ſcriptis*, quam *bibliothecae* ſuae *graecae volumini decimo* ſubiecit IO. ALB. FABRICIVS, *p. 670. & ſeqq.* In vtroque loco de eo ita pronuntiat: *Dictio in omnibus dura, compoſitio aſpera, nullo fuco, nullo lenocinio mollita; vbique tamen pietatem redolet; ſententiae graues, argumenta ad probandum id, quod voluit, firma, ſed elocutione & impoſitione nominum horrida & confragoſa. Indignus tamen auctor, qui tamdiu cum tineis luctetur, ſibique ſoli ſapiat.* Ex ſcriptis, quae pro Latinorum cauſſa compoſuit, *refutationem* eius *trium capitum a Maximo Planude monacho editorum*, itemque *refutationem eorum, quae ſcripſit Manuel Cretenſis*, graece atque latine exhibet LEO ALLATIVS, *Graeciae orthodoxae tomo II. p. 922. ſeqq.* Hiſce nunc porro iungendus eſt CONST. MELITENIOTA, archidiaconus VECCI, cui & filii loco fuit, vt ipſe teſtatur in *teſtamento, tomo I. Graeciae orthodoxae p. 378.* Scripſit namque περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἑνώσεως Λατίνων τε καὶ Γραικῶν *de eccleſiaſtica vnione Latinorum & Graecorum*, orationem, ſiue librum, & alium περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ, *de proceſſione ſpiritus ſancti ex filio.* Vterque exſtat in LEONIS ALLATII *Graecia orthodoxa, tomo II. pag. 642. ſeqq.* Hocce etiam tempore floruit SIMON Conſtantinopolitanus, ordini praedicatorum in eccleſia latina adſcriptus, itemque Latinorum contra Graecos hyperaſpiſtes. Sunt, qui eum ad ſaeculum decimum quartum, aut omnino decimum quintum referunt; idque inde ortum, quod SIMONEM huncce Conſtantinopolitanum cum SIMONE Cretenſi, itemque cum SIMONE *Iacumaeo*, confundant; quod & ipſe LEO ALLATIVS fecit, *de perpet. eccleſiae occid. & orient. conſenſione, lib. II. cap. XV. §. XI. p. 774.* & in *diatriba de Simeonum ſcriptis, p. 202.* Tres vero hoſce Simones a ſe inuicem diſcernendos eſſe, adcurate oſtendunt IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD. Et SIMONEM quidem Conſtantinopolitanum, circa an. 1235 natum, & circa an. 1325 nonagenarium, mortuum, adeoque ſaeculo XIII floruiſſe, luculenter euincunt, in *ſcriptor. ordinis praedicatorum recenſitis &c. tom. I. ſaec. XIV. p. 558.* De SIMONE *Iacumaeo*, ſiue *Iatumaeo*, quem alii *Tacumaeum*, itemque *Sacumaeum* vocant, quiue ſaeculo decimo quarto vixit, ibidem agunt, *pag. 736.* De SIMONE denique Cretenſi, qui ad ſaeculum decimum quintum referendus, *pag. 762.*

Digitized by Google

762. Ad primum itaque SIMONEM, ſiue Conſtantinopolitanum, quod attinet; ex LEONIS ALLATII *locis* antea *citatis* conſtat, eum tres pro Latinis contra Graecos ſcripſiſſe tractatus, primum ad *Manuelem Olobolum*, qui poſtea monachum induens, Maximus dictus eſt; alterum ad *Sophoniam*, & tertium denique ad *Ioannem nomophylacem*, de conciliis, quae proceſſionem ſpiritus ſancti a filio definiuerunt. Et ex vltimo quidem hocce fragmenta quaedam graece & latine exhibet LEO ALLATIVS, *de ſynodo Photiana, p. 453. ſeqq.* & in *Hottingero fraudis & impoſturae manifeſto conuicto pag. 334. ſeqq.* Addi adhuc poterat PANTALEON, magnae eccleſiae Conſtantinopolitanae diaconus, & chartophylax, idemque Dominicanorum ordini adſcriptus, ſub cuius nomine circumfertur *tractatus contra errores Graecorum de proceſſione ſpiritus ſancti, de animabus defunctorum, de azymis & fermentato, de obedientia romanae eccleſiae,* quem PETR. STEWARTIVS ſine auctoris nomine in *auctario lectionum antiquarum* HENR. CANISII edidit; hodie autem exſtat in iisdem *lectionibus antiquis*, ex editione IAC. BASNAGII, *tomo IV. p. 33.* Verum vti de ipſo PANTALEONE, quando vixerit, viri docti inter ſe non conueniunt; ita incertum, an liber iſte illi recte tribuatur? Immo, non recte tribui, IAC. BASNAGIVS luculenter, ni fallor, euicit, in *obſeruatione, tractatui* huic praemiſſa, *p. 31.* qui ſimul, *multa obſeruatu digna occurrere* in eo, adſerit. Addenda, quae fuſe de libro hocce, eiusque auctore, ediſſerunt IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptorib. ordinis praedicator. recenſitis, tom. I. ſaec. XIII. p. 136. ſeqq.* vbi & ex codice quodam manuſcripto inſignes eius emendationes adferunt. De PANTALEONE autem, eiusque ſcriptis, legendus etiam IO. ALB. FABRICIVS, qui, cum ſaeculo decimo tertio vixiſſe, & libri antea memorati auctorem eſſe, exiſtimat; *bibliothec. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 422. ſeqq.* Idem vir doctiſſimus in eodem *cap. XLIII. p. 340. ſeqq.* de reliquis ſcriptoribus graecis, romanae eccleſiae fauentibus, vel cum graeca eam conciliare cupientibus, ex inſtituto agit.

Haecce itaque, quae hucusque commemorauimus, licet pro Latinis edita ſint; tantum tamen abeſt, vt ex iis vtriusque eccleſiae conſenſus colligi queat, vt inde potius pateat, plures fuiſſe, qui, diſſenſum iſtum ita comparatum eſſe exiſtimauerint, vt vnioni locus concedi non poſſet, quiue adeo haecce ſcripta latinae eccleſiae defenſoribus extorſerunt. Et fuerunt ſane in hocce quoque ſaeculo non pauci, qui Graecorum cauſſam contra Latinos agerent. Et ſub initium quidem ſaeculi huius decimi tertii, ante vnionem in concilio Lugdunenſi tentatam, NICOLAVS, patria Hidruntinus, vixit, qui, cum Benedictus cardinalis ab Innocentio III pontifice, ad reſarciendam inter vtramque eccleſiam vnionem, miſſus eſſet, in omnibus diſputationibus interpretis munere functus eſt. Scripſit varia contra Latinos, vt *de proceſſione ſpiritus ſancti* aduerſus HVG. ETHERIANVM, cuius ſupra a nobis facta eſt mentio; *de pane fermentato a Chriſto in ſuprema coena diſcipulis ſuis tradito*; porro *de ieiunio Latinorum in ſabbatho; non eſſe miſſam perfectam in quadrageſima celebrandam, & de coniugiis ſacerdotum,* aliaque, LEONI ALLATIO paſſim citata, qui & ex nonnullis fragmenta quaedam ſcriptis ſuis inſeruit; conf. *de eccleſiae occident. & orient. perpetua conſenſ. lib. I. cap. XXI. §. III. pag. 332.* & *lib. II. cap. XIII. §. IV. p. 703.* item in *Hottingero fraudis & impoſturae manifeſtae conuicto, p. 13. 241. &c.* NICETAS, archiepiſcopus Theſſalonicenſis, in Latinorum partes propenſior, vnionem vtriusque eccleſiae in votis habuit. Scripſit tamen *de proceſſione ſpiritus ſancti* dialogorum libros ſex, in quibus Graecum & Latinum inter

ſe

ſe loquentes inducit, & HVG. ETHERIANVM ſimul confutat. Legendus iterum LEO ALLATIVS, *de eccleſiae occidentalis & orient. perpetua conſenſione lib. II. c. XIII. §. V. pag. 705.* Hunc nominis celebritate multum vincit NIC. ACOMINATVS, a patria Choniates dictus, cuius quippe non tantum habemus *hiſtoriam de rebus geſtis imperatorum ſui ſaeculi Conſtantinopolitanorum*, in *libros XXI*, quos *decem opuſculis* comprehendit, diſtributam; ſed & θησαυρὸν ὀρθοδοξίας, *theſaurum orthodoxae fidei.* In eo equidem contra errores & haereſes quasuis ſtrenue pugnat, easque tum teſtimoniis veteris eccleſiae doctorum, tum propriis argumentis confutat; Graecorum tamen etiam contra Latinos de proceſſione ſpiritus ſancti ſententiam acriter tuetur. Integrum opus *libris XXVII.* conſtat, ex quibus quinque priores vertit, & latine edidit PETR. MORELLVS, Pariſiis 1561. & 1580. Prodierunt & cum *orthodoxi* cuiusdam, vt in inſcriptione vocatur, *notis* Geneuae 1592. 8. Exſtat quoque, ſed ſine notis, in *bibliotheca maxima patrum; tomo XXV. pag. 54. ſeqq.* Argumenta ſingulorum operis huius librorum ex antiquo quodam codice, graece & latine exhibet BERNH. DE MONTFAVCON, *palaeograph. graec. lib. IV. cap. IX. p. 327. ſeqq.* ex quo ea repetit vir doctiſſimus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. V. cap. V. p. 420. ſeqq.* Patet vero ex iſtis argumentis, integrum aliquod, idque ſatis amplum, theologiae polemicae ſyſtema NICETAM huncce dare voluiſſe; idque eiusmodi, iudice PETRO MORELLO, eſt, vt primus illi inter omnia locus debeatur. Cum enim in litteris ad IO. A SANCTO ANDREA, quas *theſauri* huius *libris*, a ſe editis, praemiſit, dixiſſet, NICETAM vltimam vitae ſuae partem litterario otio impendiſſe; addit: *Quod quidem quanta diligentia laboreque praeſtiterit, teſtantur, aeternumque teſtabuntur diuinae lucubrationes, quas in hoc opus vere aureum congeſſit, tantoque artificio ab ipſis Adami primordiis ad ſua vsque tempora deduxit, vt haereſeon, quae inter Iudaeos Graeciaeque philoſophos ante Chriſtum natum exarſerunt, & a Chriſto nato inter eos, qui cum ex diametro dogmatibus Chriſti aduerſarentur, chriſtiani tamen, non ſecus atque veteres illi Socratici haberi contendebant, quaſi hypotypoſin quamdam poſteritati conſecrarit, qua conſulta, ſi quod aliquando dubium de rebus diuinis ſuboriatur, poſſit ſtatim videre, vtram in partem deflectendum ſit. Hoc argumento multi, fateor, ante Nicetam ſcripſerunt, ſed Niceta, ſi errorem de ſpiritus ſancti proceſſione demas, (quem contra Latinos mordicus tuetur) felicius nullus. Hic enim praeterquam quod ex auctoribus profanis Graecorum haereſes, Iudaeorum ex ſacris bibliis, chriſtianorum ex eccleſiaſticis ſcriptoribus Dionyſio areopagita, Athanaſio, Euſebio, Tertulliano, Epiphanio, Irenaeo, Chryſoſtomo, Baſilio, Philoſtorgio, Theodoro Mopſueſteno, Socrate, Sozomeno, Theodorito, Gregoriis, Photio, Damaſceno, Cyrillo, Euthymio, Euſtathio, Nicolao Methonenſi, Maximo, Amphilochio, Thoma Indicoplaſta, Leone &c. tanquam mel apes variis ex floribus in hanc floridiſſimam anthologiam collegit, antitheſes quoque ſubiecit, quibus plumbei haereticorum pugiones nullo negotio retunduntur.* Adfectui forte ſuo, vt fieri ab illis ſolet, qui auctoris cuiusdam veteris ſcripta edunt, plus, quam decet, MORELLVS indulget; minime tamen contemnendum eſſe hocce opus, illisque, qui de controuerſiis theologorum ſolliciti ſunt, vtile eſſe poſſe, nemo temere negauerit. De NICETA hocce ACOMINATO plura dabit MART. HANCKIVS, *de Byzantinarum rerum ſcriptor. part. I. cap. XXXI. pag. 522. ſeqq.* Sequitur porro GERMANVS II patriarcha Conſtantinopolitanus, vir pro ſaeculi iſtius conditione eruditus, qui plurima ſcripſit, magnam partem nondum edita. Huius autem loci eſt liber eius *de proceſſione ſpiritus*

tus ſancti aduerſus Latinos, qui itidem nondum typis exſcriptus eſt. LEO ALLATIVS de eo ita pronuntiat: *Collegit ſimul omnes auctoritates patrum, etiam Latinorum, graecis tamen verbis expreſſas, quae de proceſſione ſpiritus ſancti agunt; illis conatur probare, ſpiritum ſanctum ex ſolo patre procedere, additis de ſuo, vbi viſum fuerat, conſiderationibus, quas ipſe Camaterum imitatus,* ἐπιστασίας *vocat; illis loca quaedam difficilia explicat; ſententias, quae pro Latinis faciunt, in Graecorum opinionem inuertens, mentem auctorum detorquet; quae pro Graecis facere videntur, ea miro faſtu iactat. Auctor tenuis eſt, & ex triuio, cum & argumentis, & eloquentia, & indicio deſtituatur; fereque aliorum Graecorum more ſententias omnes, quae ſpiritum ſanctum ex patre dicunt procedere, ipſe, tamquam ſuae opinionis teſtes, ac ſi ex ſolo patre dixiſſent, non veretur adducere; de eccleſiae occid. & oriental. perpetua conſenſione, lib. II. c. XIV. §. III. p. 712.* Sed ſollemne admodum hoc eſt ALLATIO, vt abiecte ſentiat de illis, qui Graecorum cauſſam contra Latinos agunt, eos contra, qui a Latinorum ſtant partibus, laudibus in caelum euehat. Nec aliter, cum ipſemet in Latinorum caſtris militaret, ſeſe gerere poterat. Interim fatetur, librum huncce *vtilem ſcribentibus eſſe poſſe*, vtpote in quo *omnia, quae de ſpiritu ſancto agunt, in vnum veluti faſcem congeſta ſint, quibus lectorem liberet ab illis hinc inde non ſine taedio inueſtigandis.* Eumdem huncce GERMANVM patriarcham etiam *de azymis, purgatorio*, & *de tribus modis adminiſtrandi baptiſma*, ſcripſiſſe, teſtatur, quae ipſe tamen non viderit; in Vaticana autem exſtare: Γερμανοῦ πατριάρχου, καὶ τῆς σὺν αὐτῷ συνόδου ἀπάντησιν πρὸς τοὺς ἀποσταλέντας Φρεμινουρίους καὶ λοιπούς. *Germani patriarchae, & cum eo ſynodi reſponſionem ad delegatos fratres minores & alios.* Sed, hancce reſponſionem latine a LVC. WADDINGO in *annalibus ordinis minorum* vulgatam, nos condocet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLI. p. 214. 215.* vbi & de GERMANO hocce, eiusque ſcriptis, plura. Nec praetermittendus hic eſt THEOD. LASCARIS iunior, DVCAS etiam dictus, Theodori ſenioris ex Irene filia nepos, qui patri Ioanni Ducae in imperio ſucceſſit, quo, rebus variis feliciter geſtis, poſt triennium ſe abdicauit, ſeceſſitque in monaſterium, ſibi, quod reliquum erat temporis, victurus. Et tum quidem inter alia ſcripſit *tractatum aduerſus Latinos de proceſſione ſpiritus ſancti*, ad Ioannem epiſcopum Coronenſem, cuius prologum graece exhibet GVIL. CAVE, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. ſaec. XIII. p. m. 502.* LEO ALLATIVS, cum nihil aliud, quod excipiat, hic inueniat; putat, THEODORVM huncce forte exercitandi ingenii cauſſa contra Latinos ſcripſiſſe. *Poſt Ioannem Ducam*, inquit, *ſuccedit Theodorus Laſcaris iunior; qui neſcio qua ratione, romanae eccleſiae iniquior de proceſſione ſpiritus ſancti aduerſus Latinos nonnulla edidit; forte exercitandi ingenii cauſſa; ſcripſit namque inter alia pleraque octo theologicas orationes, in quibus tractat de vno & deitate, vnum eſſe tria, de diuinis nominibus, de ſanctiſſima triade, de incarnatione Chriſti, & in duabus poſtremis integris de proceſſione ſpiritus ſancti contra Latinos; de eccleſiae occident. & orient. perpetua conſenſione lib. II. cap. XIV. §. IV. pag. 722.* Et hi quidem, quos hucusque laudauimus, ante concilium Lugdunenſe ſecundum, & tentatam in eo vtriusque eccleſiae vnionem, Latinos impugnarunt. Quo pacto autem conſilia iſta henotica non tantum ſucceſſu caruerint, ſed & per ſeruilem illorum, qui aderant, συγκατάβασιν reliquiorum Graecorum animi magis irritati ſint, iam ſupra dictum. Et teſtantur hoc ſcripta Graecorum, poſtea edita, in quibus cauſſam ſuam fortiter tuentes, Latinis omnem ſpem vnionis, ea quidem lege, qua iſti volebant, adimebant. Haud vltimus inter eos eſt GEO. PACHYMERES,

MERES, qui, omni eruditionis genere excultus, non modo ob ſcripta philoſophica & hiſtorica, ſed & theologica, illuſtre nomen adeptus eſt. Latinos vero impugnauit in libello πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι διὰ τοῦτο λέγεται πνεῦμα υἱοῦ, διὰ τὸ ὁμοούσιον, ἢ διὰ τὸ χορηγεῖσθαι ὑπ' αὐτοῦ τοῖς ἀξίοις, *aduerſus eos, qui dicunt, ideo dici ſpiritum filii, quod habeat eamdem atque ille naturam, vel quod dignis ab eo ſuppeditatur*; quem graece & latine operi ſuo *de perpetua eccleſiae occident. & oriental. conſenſione* inſeruit LEO ALLATIVS, *lib. II. cap. II. §. XIII. p. 518. ſeqq.* Exſtat vero etiam in eiusdem *Graecia orthodoxa tom. I. pag. 390. ſeqq.* Idem ALLATIVS valde iraſcitur PETR. HALLOIXIO, quod GEORGIVM huncce PACHYMEREM *virum vere catholicum* vocauerat. *Non potuit enim*, inquit, *eſſe catholicus, qui ſchiſma propugnauit, & contra romanam eccleſiam, ſpiritum ſanctum a ſolo patre procedere, ſcripto etiam defendit. Non alium, ad hoc probandum, quam illius hiſtoriam, qua ſe infenſiſſimum ſemper eccleſiae romanae prodit, teſtem aduoco; de eccleſ. occid. & orient. perpetua conſ. lib. II. c. XV. §. XV. p. 787.* Eadem repetit in *diatriba de Georgiis & eorum ſcriptis*, quam *volumini decimo bibliothecae* ſuae *graecae* ſubiecit IO. ALB. FABRICIVS, *p. 718.* vbi de GEORGIO hocce PACHYMERE fuſius agit; de quo & conferendus M. HANCKIVS, *de Byzantinarum rerum ſcriptoribus, part. I. cap. XXXIV. p. 566. ſeqq.* Secundum hic locum damus GREGORIO, natione Cyprio, patriarchae Conſtantinopolitano, qui antea GEORGIVS vocabatur, cui tamen, iudice LEONE ALLATIO, primus potius debetur. Cum enim dixiſſet, habuiſſe veritatem (ita latinae eccleſiae ſententiam vocat) ſuos quoque oppugnatores, cum ſemper *multo plures ſint, qui malo, quam qui bono adhaereant*, (vnde patet, quo iure tantopere vtriusque eccleſiae conſenſum iactitet,) ita pergit: *Inter eos primus ſit Georgius Cyprius, qui plurimis nominibus primatum ſibi vindicat. Nam primum ipſe veritatem vna cum Vecco tutabatur; poſtea, ea eiurata, ad aliorum nugas defecit. Latinus ipſe contra Latinos auſus eſt per ſummam infamiam ſcribere.* Inſigni tamen deinceps ipſemet ALLATIVS eum ornat elogio, dum, *vir fuit*, inquit, *acerrimi ingenii, facundus, eloquens, & pene dixerim, diſciplinis omnibus imbutus; de eccleſ. occid. & orient. conſenſ. lib. II. cap. XV. §. XII. pag. 775. 776.* Varia contra Latinos ſcripſit; praecipue autem IO. VECCVM, ſiue BECCVM, antea nobis memoratum, ſibi oppugnandum ſumſit. Eminet inter ea *tomus ſynodicus, ſiue expoſitio fidei contra Ioannem Veccum*, quem etiam propter fidei dogmata, ſincere in eo tradita, *columnam orthodoxiae* nuncupauit, vt LEO ALLATIVS auctor eſt, *l. c. pag. 777.* Contra huncce *tomum* IO. VECCVS duas orationes, ſeu libros, (λόγους) ſcripſit, qui in ALLATII *Graecia orthodoxa* exſtant, *tom. II. p. 215. ſeqq.* Idem quoque ALLATIVS copioſius de hocce GREGORIO agit, in diatriba *de Georgiis & eorum ſcriptis p. 805. ſeqq.* de quo & conferre iuuabit IO. ALB. FABRICIVM, *biblioth. graec. volum. VI.* ſiue *lib. V. cap. V. p. 603. ſeqq.* Circa ipſum concilii Lugdunenſis tempus floruit GEO. MOSCHAMPAR, magnae eccleſiae Conſtantinopolitanae chartophylax, itemque Latinorum hoſtis ἄσπονδος, quos palam redarguit, & ſcriptis refutauit. Cumprimis & VECCVM impugnauit, qui rurſus varia ſcripta illi oppoſuit. Meminit ſuarum contra illum lucubrationum ipſemet VECCVS, in ἐπισημειώσει, ſiue *animaduerſione de omnibus ſuis libris &c.* in LEON. ALLATII *Graecia orthodoxa, tomo II. p. 10.* Ex inſtituto autem de GEO. MOSCHAMPARO diſſerit ALLATIVS, in *diatriba de Georgiis &c. p. 677.* vbi acerbe ſatis de eo hunc in modum pronuntiat: *Multa in latinam eccleſiam, eiusque dogmata monumentis editis oblatrauit, quibus Ioannes*

Mmmmmm 2

Digitized by Google

annes Veccus, patriarcha Conſtantinopolitanus, docte reſpondens, tanti nebulonis impetum, faſtumque compreſſit; *p. 678.* Eodem quoque circiter tempore circa annum 1270 vixit CONST. ACROPOLITA, GEORGII ACROPOLITAE filius, magnus logotheta; qui itidem contra Latinos, ſpeciatim contra VECCVM diſputauit, & plures *de proceſſione ſpiritus ſancti tractatus* reliquit. Commentarios eius a THEOD. MVZALONE igni traditos, qui & ſuos ipſemet combuſſerit, quod de dogmatibus tantum agerent, ex PACHYMERE *lib. III. cap. VIII.* refert LEO ALLATIVS, de *eccleſiae occid. & orient. perpet. conſenſ. lib. II. cap. XV. §. XIV. p. 780.* Denique & IOBVS hieromonachus hiſce addendus eſt, quem nonnulli M. IOB. IASITEM vocant, qui itidem circa annum 1270 claruit. Cum enim Ioſephus, patriarcha Conſtantinopolitanus, cuius is erat diſcipulus, vnionem cum Latinis vehementer impugnaret, aſperaque ideo quaeuis atque atrocia a ſecus ſentientibus perpeteretur, variisque ab iis proſcinderetur calumniis; praeceptoris ſui vindex fuit IOBVS, & apologiam pro eo ſcripſit, contra primatum papae, & concordiam cum Latinis; quod tamen opus typis nondum exſcriptum eſt; conf. LEO ALLATIVS, *de eccleſ. occident. & oriental. conſenſione lib. II. cap. XV. §. XV. p. 781.* IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLV. p. 524.* GVIL. CAVE, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. part. II. ſaec. XIII. pag. 251.* Sed hiſce diu ſatis immorati ſumus.

* Celebritatem ſaeculo decimo quarto adeptus eſt IO. DVNS, Scotus, cuius haud ignobile inter tenebricoſos ſcholae doctores eſt nomen. Hic cum in multis a THOM. DE AQVINO & BONAVENTVRA, magnae apud ſcholaſticos auctoritatis viris, diſſentiret; orta hinc ſunt *Thomiſtarum* & *Scotiſtarum* nomina, plurimis dimicationibus occaſionem ſuppeditatura. Egregiam hinc ad theologiam polemicam acceſſionem factam diceres, ſi modo incrementum aliquod ſperari poſſet, quando de rebus leuiſſimis, meriſque nugis, innumerae mouentur quaeſtiones. Operae itaque non erit pretium, iſtorum certaminum recenſione tempus perdere, praeſertim cum & ſyſtematibus ſuis haſce controuerſias potius adſperſerint, (ne floſculi deeſſent) quam ex inſtituto ſcripta de iis compoſuerint. Agitata praeterea hocce ſaeculo fuit quaeſtio inter Dominicanos & Franciſcanos, de paupertate Chriſti & apoſtolorum; de qua tamen cum iam ſupra, *cap. IV.* huius libri §. *VI.* dictum ſit, nihil nunc addimus. Ceterum cum cum IO. DVNS, Scotus, cuius antea facta eſt mentio, inter alia, in quibus a THOM. DE AQVINO diſſentiebat, quaedam docuiſſet, in quibus naturae viribus plus, quam decebat, tribuere videbatur; nec deeſſent, qui eius veſtigiis inſiſterent; exſtiterunt, qui inualeſcenti hac ratione inter ſcholaſticos Pelagianiſmo ſe opponere, ſuarum ducerent eſſe partium. Idque prae reliquis THOM. BRADWARDINVM, Anglum, ordinis fratrum minorum, & poſt alia munera archiepiſcopum tandem, ſed paruo temporis ſpatio, Cantuarienſem, in *libris tribus de cauſſa Dei & de veritate cauſſarum contra Pelagianos*, feciſſe conſtat. In hiſce enim AVGVSTINI principiis inſiſtens, de operatione & potentia Dei in actiones creaturarum, ſimulque de libero arbitrio, & praedeſtinatione, itemque de exſiſtentia, immutabilitate, immenſitate, aliisque attributis diuinis, diſſerit. Editi ſunt ſtudio HENR. SAVILII Londini an. 1618. fol. De GREGORIO, vel vt alii vocant, GEORGIO Ariminenſi, GVIL. OCCAMO, aliisque, qui erumpentes hinc inde errores Pelagianos repreſſerunt, conferendus IO. GERH. VOSSIVS, *hiſtor. Pelagian. lib. I. cap. XXVI. p. m. 578.*

Sed, miſſis hiſce, ad IO. WICLEFVM potius nos conuertimus, quippe qui maximum

Digitized by Google

mum hoc ſaeculo ſtrepitum dedit, quiue a romanenſibus inter haereſiarchas peſſimos, at ab aliis inter veritatis teſtes refertur. Inter ſcripta eius huius praecipue loci ſunt, in quibus naeuos, vitia, errores, ſuperſtitionem romanae eccleſiae redarguit; quod licet ſubinde velut aliud agendo faciat, ſunt tamen quaedam ex inſtituto huc comparata. Eminent inter reliqua *dialogorum libri IV.* quorum licet primus *de diuinitate & ideis*, ſecundus *de vniuerſorum creatione, ſeu hominibus & angelis*, tertius *de virtutibus vitiisque* tractet; quartus tamen, qui eſt *de ſignis & ſacramentis*, & *de quatuor finibus hominis*, ſimul *romanae eccleſiae ſacramenta, eius peſtiferam vocationem, antichriſti regnum, fratrum fraudulentam originem & hypocriſin*, aliaque perſtringit. *Trialogum* potius hunc librum, quam *dialogum*, adpellandum, nonnulli cenſent, quod *alithiam*, hoc eſt veritatem, *pſeudin*, ſeu mendacium, & *phroneſin*, ſeu *ſapientiam*, inter ſe loquentes introducat. Praecipuus hic eſt ex libris WICLEFI, ſaltem inter eos, qui typis exſcripti ſunt; cui tamen iungendus, qui inſcribitur: *oſtiolum Wiclefi*, anglicana lingua ab eo compoſitus, editusque Norimbergae 1546, & Oxoniae an. 1612. In eo namque de ſacramento altaris agit, & transſubſtantiationem rationibus, tum ex philoſophia, tum ex ſcriptura ſacra petitis, impugnat. Non ab ipſo WICLEFO, ſed a quodam eius diſcipulo, illum confectum, contendit LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. XII. p. 130.* idque inde probat, quod anno 1395 ſcriptus ſit, cum ante ſeptennium iam WICLEFVS obiiſſet. Error inde oriri potuit, quod ab alio auctore, temporum rationes ignorante, libelli inſcriptio addita ſit, in qua, eum an. 1395 ſcriptum, ſignificatur. De hiſce autem, reliquisue WICLEFI ſcriptis, vti & ipſo WICLEFO, legendus HENR. WHARTONVS, in *adpendice ad hiſtor. litterar. Guil. Cauei ſaec. XIV. p. 34. ſeqq.* Atque huic etiam ſi credimus, nemo temere WICLEFO ad veritatem defendendam, propugnandamque, quod theologiae polemicae proprium eſt, aptior fuit. *Sane in omnibus fere*, inquit, *quae hodienum exſtant, ſuis ſcriptis adcuratam theologiae notitiam, & elimatum iudicium prodit Wicleſus. Preſſe vbique & acute diſputat, egregiam ſpirat pietatem, ſacram autem ſcripturam ſumma perſpicuitate & ſolertia interpretari ſolet. Nihil in eo puerile aut otioſum (ſcriptoribus iſtius aeui ſollemne vitium) deprehendi poteſt, omnia grauia, ſubacta, & elimata. Is denique eſt, cui nihil ad conſummatam eruditionem defuit, niſi ſaeculum felicius.* Addit porro: *Diſſimulari tamen non poteſt, diuerſa ſaepe ac contraria nonnumquam dogmata in illius libris reperiri poſſe; quod Wiclefo adeo non detrahit, vt in laudem potius illi cedere debeat. Neque enim praeferuido quodam animi impetu abreptus, ſed maturo iudicio ac ratione ductus, eccleſiae romanae errores oppugnauit, quos vnico ictu eum non detexiſſe, nihil mirum eſt; p. 35.* Non ſine ratione itaque, magnum ab hocce viro rebus ſuis imminere periculum, credebant romanae eccleſiae addicti; ideoque & vehementi in illum irruerunt impetu, variisque conciliis, in quibus praecipuum cauſſae ſuae praeſidium collocabant, opprimere eum allaborarunt. Fuerunt nihiloſecius etiam, qui ſcriptis WICLEFVM confutare adgrederentur, vt IO. IORDANVS, & IO. BROMIARDVS, ordinis praedicatorum, aliique; ſed tam infelici ſucceſſu, vt hodie vix nomina illorum nota ſint, atque inter homines obſcuros iure meritoque referantur. Commemorat tamen eos N. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. ſaec. XIII. & XIV. cap. III. artic. XXII. §. VII. p. 127.* Eminet inter eos THOM. NETTERVS, Waldenſis a natali loco adpellatus, qui ſaeculo ſequenti decimo quinto vixit, plurimaque ſcripſit, ex quibus typis excuſum eſt *doctrinale antiquitatum fidei eccleſiae ca-*

tholicae, aduerſus Wicleſitas & Huſſitas; de quo conferendus HENR. WHARTONVS, in *adpend. ad hiſtor. litter. ſcript. eccleſiaſt. Guil. Cauei, ſaec. XV. p. 60. 61.* Reliqui iſtius ſaeculi haeretici, aut qui in haereticorum numerum fuerunt relati, eo minus hic locum inueniunt, quod de illorum aut erroribus aut dogmatibus certi quid non conſtet; nec tam ſcriptis etiam, quam publica auctoritate eos in ordinem redigere, eccleſiae proceribus conſultum viſum fuerit; id quod & moribus & genio iſtius aetatis plane conueniens erat. Vt autem omnibus illis haereſeos nota inurebatur, qui erroribus romanae eccleſiae ſe opponebant, aut aliquid docebant, quod cum ſuprema pontificis pugnare auctoritate videbatur; ita non alio habebantur loco, qui iura imperii principumque contra pontificum tyrannidem defendebant. Id vero haud pauci faciebant; cum grauiſſimae hoc ſaeculo inter Ludouicum bauarum imperatorem & pontifices romanos orirentur controuerſiae. Latiſſimus hic ſeſe mihi de ſcriptis huc ſpectantibus dicendi aperiret campus; ſed praecipua iam delibaui, cum de iuriſprudentia eccleſiaſtica verba facerem, ſiue *cap. IV.* huius libri ad *§. VI.* & *X.* Atque haec quidem in occidentali contingebant eccleſia.

Orientalem controuerſiae de primatu papae, de proceſſione ſpiritus ſancti ex filio, ſimileſque adhuc ab occidentali diſiungebant. Imperatores interim orientis, per creſcentem in dies Turcarum potentiam in anguſtias redacti, a regibus & principibus occidentis auxilia expetentes, ea, niſi litibus iſtis conſopitis, ſe impetrare non poſſe, probe intelligebant. Hinc ſubinde vnio iterum vtriusque eccleſiae ſub Andronico, ſub Cantacuzeno, ſub Palaeologo, tentata, irrito ſemper euentu. Nec acrius temere ſcriptis concertatum, quam hocce ſaeculo. Et inter Graecos quidem haud pauci exſtiterunt, qui eccleſiae ſuae cauſſam contra Latinos ſtrenue agerent. Primo loco nobis hic commemorandus eſt BARLAAMVS, gente Calaber, ex vrbe Seminaria oriundus, ordinis ſancti Baſilii monachus. Hic inter Latinos educatus, cum Latinis primum contra Graecos ſenſit. Poſtea ad Graecorum caſtra tranſiens, Latinos ſcriptis fortiter oppugnauit. Idem & heſychaſtis, ſeu Palamitis, acriter ſe oppoſuit, immo caput & anteſignanus illorum fuit, qui contra iſtam haereſin dimicarunt; qua de re deinceps dicemus. Licet autem in hacce controuerſia omnia illi ex voto non cederent; fauore tamen Andronici imperatoris ſubnixus, aduerſarios ſuos refutare non ceſſauit, at multis ob ingenium turbulentum inuiſus. Mortuo Andronico imperatore, eiusque ſucceſſore Palamitis fauente; Conſtantinopolin clam reliquit BARLAAMVS, epiſcopusque tandem Gyracenſis, ſiue Hieracenſis, in regno Neapolitano factus, ad Latinos iterum defecit, proque iis ſcripſit. Non itaque vnius generis ſunt eius ſcripta. Quaedam namque pro Latinis militant, quaedam contra eos. Et ad ea quidem, quae pro Latinis compoſuit, quod attinet, ſequentia obſeruanda ſunt: *epiſtola prima ad amicos ſuos in Graecia conſtitutos, de vnione ſacroſanctae romanae eccleſiae*; altera epiſtola *ad eosdem ſuos amicos graecos, & de primatu eccleſiae Romanae & de proceſſione ſpiritus ſancti*; *reſponſio ad Demetrii Theſſalonicenſis epiſtolam, de proceſſione ſpiritus ſancti*; *epiſtola ad Alexium Calochetum, in qua oſtendit, Graecos non obedientes romanae eccleſiae eſſe non ſolum ſchiſmaticos, verum etiam haereticos eſſe*; *probatio per ſacram ſcripturam, quod ſpiritus ſanctus & ex filio eſt, quemadmodum & ex patre.* Haec omnia vna cum ALEXII CALOCHETI, & DEMETRII Theſſalonicenſis *epiſtolis ad Barlaamum* exhibentur in HENR. CANISII *lectionibus antiquis tomo IV. pag. 369. ſeqq.* ex editione IACOBI BASNAGII, qui & in *obſeruatione* praemiſſa erudite & adcurate de

de BARLAAMO hocce diſſerit, probatque, vnum tantum fuiſſe BARLAAMVM, non duos, vt viri quidam docti ſibi perſuaſerunt, in errorem iſtum inducti, quod viderent, quaedam ſcripta pro Latinis, quaedam contra eos a BARLAAMO eſſe compoſita. Longe plura autem ſunt, quae contra Latinos ſcripſit, quaeue poſt L. ALLATIVM, *de eccleſ. occident. & orient. perpetua conſenſ. lib. I. cap. XVII. §. I. p. 824. ſeqq.* adcurate recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 428. ſeqq.* Principem inter ea locum tenet liber περὶ τῆς τοῦ πάπα ἀρχῆς de *principatu papae*, quem eiusdem argumenti libro a ſe concinnato ſubiunxit CLAVD. SALMASIVS Lugduni Batauorum an. 1645. 4. cum anno 1608 adhuc puer eumdem cum notis edidiſſet. Obſeruatu autem vel ideo dignus eſt hicce liber, quod in eiusdem *cap. XIV.* inſigne teſtimonium occurrat, quo ſententia de Ioanna quadam papiſſa, confirmari queat. Contra friuolas LEONIS ALLATII exceptiones hoc vindicat FRID. SPANHEMIVS, *de Ioanna papiſſa cap. VII. §. XII. & XIII. tomo II. oper. p. 645.* Immo, vt eo maior eius eſſet fides auctoritasque, idem vir doctiſſimus in eam ingreſſus eſt ſententiam, duos fuiſſe Barlaamos, cum, ſi vnus ſtatuatur, leuitas & inconſtantia eius ponderi teſtimonii huius detrahere quidquam videatur. Sed ea minime opus erat cautione, vt recte monet IAC. BASNAGIVS. *Quidquid enim*, inquit, *de Barlaami leuitate dixeris, manebit inuictiſſimum Spanhemii argumentum ex eius teſtimonio ductum; quippe ſi Latinorum principiis innutritus fuerit Barlaam, ex ipſorum Latinorum in Italia commorantium ore didicit, quae de papiſſa femina narrauit, ideoque maior eius auctoritas. Nec mirandum, ſi mutatis poſtea partibus, rem, eccleſiae romanae pudendam, ſilentio inuoluere ſit conatus &c. loco* antea *citato p. 364.* BARLAAMO in hacce cauſſa adiungi ſolet LAONICVS CHALCONDYLAS, qui itidem Ioannae papiſſae mentionem iniecerit; cuius rei dum IO. ALB. FABRICIVS meminit, ſimul eos ex Graecis, qui aduerſus Ioannam papiſſam ſtare videntur, enumerat; *biblioth. graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 433.* BARLAAMVM NILVS CABASILAS excipiat, archiepiſcopus Theſſalonicenſis, cuius inter eccleſiae graecae contra Latinos defenſores haud obſcurum nomen eſt. Duo eumprimis eius huc comparati ſunt libri: alter *de cauſſis diuiſionum in eccleſia;* alter, *de primatu papae.* In priori, ſchiſmatis inter vtramque eccleſiam, non aliam quam hanc cauſſam eſſe, demonſtrat, quod ipſe romanus pontifex, & quidem ſolus, in his controuerſiis iudex eſſe velit, earumque deciſionem concilio oecumenico permittere detrectet. In poſteriori autem primatum pontificis ex vetuſtiſſimis conciliis, aliisque eccleſiaſticae antiquitatis monumentis, impugnat, eumque neutiquam iuris diuini, ſed tantum a patribus & imperatoribus conceſſum, contendit, nec talem tamen etiam tantamque eſſe pontificis ἐξοχὴν qualem quantamque romanae eccleſiae addicti eſſe velint. LEO ALLATIVS, cum de hocce libro verba feciſſet, addit: *Verum eſt, hunc infamem & ſexcentorum flagitiorum maculis notiſſimum ſchiſmaticum, ſiue potius haereticum, ſimilia, immo peiora ſcripta poſteris tradidiſſe; ſed quibusnam documentis probabilibus aut neceſſariis, vel vt expreſſius dicam, amentatis haſtis? Leuia ſunt & nihili, & non re, ſed ad gratiam nequiſſimorum hominum argumenta contorta &c.* in diatriba *de Nilis & eorum ſcriptis*, quam *volumini quinto bibliothecae* ſuae *graecae* inſeruit IO. ALB. FABRICIVS, *num. XIV. p. 60.* Quibus tamen verbis ALLATIVS nihil aliud agit, quam vt animi impotentiam prodat, oſtendatque, quantopere romanae curiae adſertoribus liber hicce NILI diſplicuerit. Scripta haecce, de quibus diximus, NILI, tum alias

alias edita, tum & cum BARLAAMI libro de *primatu papae* a CLAVDIO SALMASIO, adhuc puero, certe vix quatuordecim annos nato, Hanouiae anno 1608. 8. deinceps autem eiuſdem SALMASII libro de *primatu papae* iterum adiecta ſunt Lugduni Batauorum anno 1645. 4. Refellere NILVM huncce praeter alios adgreſſus eſt IO. MATTH. CARYOPHILVS, epiſcopus Iconienſis, in *confutatione Nili Theſſalonicenſis*, graece & latine edita, Pariſiis an. 1626. 8. vti & LEONI ALLATIO obſeruatum, *de Nilis & eorum ſcriptis, num. XIV. p. 65.* vbi & reliqua NILI huius ſcripta recenſet. CARYOPHILI librum in *bibliotheca maxima pontificia* IO. THOM. DE ROCABERTI recuſum, docet IO. ALB. FABRICIVS, ad *Allatii l. c.* NILI porro huius CABASILAE ex ſorore nepos, & tandem in archiepiſcopatu Theſſalonicenſi ſucceſſor, fuit NIC. CABASILAS, graecae itidem eccleſiae contra Latinos, vt doctiſſimus, ita acerrimus propugnator. Scripſit, ipſomet LEONE ALLATIO teſte, inter alia *librum de proceſſione ſpiritus ſancti a filio aduerſus Latinos*, & alium eiuſdem *argumenti aduerſus Thomam de Aquino*; *de eccleſiae occident. & orient. perpetua conſenſione lib. II. cap. XVIII. §. IX. p. 858.* Alibi tamen idem ALLATIVS, iſta a NICOLAO hocce ſcripta, ſibi non compertum eſſe, profitetur. *Sed eumdem*, inquit, *Nicolaum de proceſſione ſpiritus ſancti contra ſanctum Thomam & eccleſiam romanam commentatum fuiſſe, vsque adeo dum non comperi, licet id percurioſius inueſtigarim. Reſtituatur igitur ab infamia in integrum &c.* de *Nilis & eorum ſcriptis num. XIV. p. 73.* Paullo antiquior NICOLAO hocce fuit MAX. PLANVDES, monachus Conſtantinopolitanus, eruditionis laude prae reliquis hoc ſaeculo praecellens, qui & ob ſcripta quaedam CICERONIS, CAESARIS, aliorumque in linguam graecam translata, notus eſt. Inter alia autem etiam librum, ſeu *tria capita de proceſſione ſpiritus ſancti contra Latinos*, compoſuit, vna cum BESSARIONIS & GEORG. METOCHITAE reſponſione, graece & latine edita, a PET. ARCVDIO, in *opuſculis aureis* Romae 1630 & 1671. 4. GREG. PALAMAS alio quidem nomine deinceps nobis commemorabitur; hic tamen itidem praetermittendus non eſt ob ſcripta quaedam, quibus Latinos oppugnauit, cuiusmodi ſunt: *libri duo* ἀποδεικτικοὶ *ſiue demonſtratiui*, *quod non ex filio, ſed ex ſolo patre procedat ſpiritus ſanctus*; itemque ἀντεπιγραφαὶ, oppoſitae ἐπιγραφαῖς, ſiue *praeſcriptionibus* IO. VECCII, ſiue BECCI, quas ſupra indicauimus; & alia, de quibus, vt & reliquis eius ſcriptis, conferendus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIV. p. 456. ſeqq.* Hiſce denique, vt reliquos mittam, addendus NILVS DAMYLA, Italus gente, hieromonachus in monaſterio Hierae Petrae Carcaſinorum, in Creta inſula, quiue circa annum Chriſti 1400 floruit, vnde a nonnullis ad ſaeculum ſequens decimum quintum refertur. Latinorum is, de proceſſione ſpiritus ſancti, refutauit ſententiam in libro περὶ τῆς ἐν τῇ θείᾳ τριάδι τάξεως, καὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ ἄλλων τινῶν ζητημάτων *de ordine in diuina triade, & de proceſſione ſpiritus ſancti, & aliis nonnullis quaeſtionibus*; de quo, vt & aliis eius ſcriptis, legendus LEO ALLATIVS, *de eccleſiae occident. & orient. perpetua conſenſione lib. II. cap. XVIII. §. X. p 859.* & *§. XVIII. p. 870.* Mentionem quoque eius facit in *diatriba de Nilis & eorum ſcriptis*, *num. IX. p. 52.* Fragmentum ex opere antea laudato adfert ALLATIVS, in *libro aduerſus Hottingerum cap. XIX. p. 44.* add. HENR. WHARTONVS, in *adpend. ad hiſt. litter. ſcript. eccleſ. Guil. Cauei p. 49.*

Nec latinis rurſus defenſores deerant inter ipſos Graecos. Hos inter princeps facile eſt DEMETRIVS, ὁ κυδώνη cognomine

ne dictus, quem nonnulli *Cydonium* vocant, ab vrbe Cydonia in Creta inſula, in qua commoratus ſit, alii eamdem ob cauſſam *Theſſalonicenſem*. Is, in aula imperatoria magnis dignitatibus fulgens, & Ioanni Cantacuzeno imperatori cumprimis charus, vnionem graecae latinaeque eccleſiae promouere omni ſtudio adlaborauit. Eo namque comparata fuit eiusdem συμβουλευτικὸς, *oratio ad Graecos deliberatiua*, qua demonſtrare voluit, periculum, quod Graecis eo tempore a Turcis imminebat, euitari aliter, quam per concordiam cum Latinis, non poſſe. Exſtat haec oratio graece & latine in FR. COMBEFISII *auctario nouo tomo II. p. 1221. ſeqq.* Librum praeterea ſcripſit *de proceſſione ſpiritus ſancti aduerſus Maximum Planudem*, qui cum alio eiusdem *contra Gregorium Palamam*, graece & latine editus eſt, in PETRI ARCVDII *opuſculis aureis* Romae 1630 & 1671. 4. Idem etiam THOM. DE AQVINO *ſummam aduerſus gentes*, itemque *ſummae theologicae partem primam & ſecundam*, aliaque Latinorum ſcripta, in linguam graecam conuertit. Pro defenſione THOM. DE AQVINO eum librum *de proceſſione ſpiritus ſancti* aduerſus elenchos NIC. CABASILAE compoſuiſſe, LEO ALLATIVS nos condocet, *de eccleſiae occid. & orient. perpetua conſenſ. lib. II. cap. XVIII.* §. *V.* Epiſtolam DEMETRII huius *ad Barlaamum de proceſſione ſpiritus ſancti*, cum BARLAAMI reſponſione, latine in HENR. CANISII *lectionibus antiquis tomo IV. p. 378. ſqq.* ex editione IAC. BASNAGII, exhiberi, ſupra iam obſeruauimus. De reliquis legendus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. pag. 386. ſeqq.* DEMETRIVM excipiat MAN. CALECA, natione Graecus, ſed Dominicanorum ordini adſcriptus, cuius *libros quatuor aduerſus Graecorum errores de proceſſione ſpiritus ſancti*, AMBROSIVS Camaldulenſis, iuſſu Martini v pontificis, latine vertit, verſos edidit PETR. STEWARTIVS cum notis, an. 1608 & 16. 4. Recuſum eſt hocce opus in *bibliotheca maxima patrum, tomo XXVI. p. 383. ſeqq.* Quod ſi IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, credimus, CALECAS in eodem *ita acriter ac neruoſe Graecorum argumenta refellit, ac fidei latinae eccleſiae veritatem tuetur, vt ſermonem ſuum vbique charitate condiat, & non niſi conuerſionis eorum cupidum ſe demonſtret, & ſollicitum*; in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum recenſitis &c. tom. I. ſaec. XIV. p. 718. ſeqq.* vbi de hocce auctore, & eius ſcriptis, copioſiſſime diſſerunt. Eum inter illos quoque fuiſſe, qui ſe GREG. PALAMAE oppoſuerunt, deinceps dicemus; conf. HENR. WHARTONVS, in *adpend. ad hiſtor. litter. ſcript. eccleſ. Cauei p. 38.* & IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 421.* Denique & MAXIMVS monachus graecus commemoratur, qui miſſis vndiquaque epiſtolis, inprimis vero ad Conſtantinopolitanos, Latinorum defendere cauſſam conatus ſit, aduerſarium ideo nactus NILVM DAMYLAM. Diuerſum hunc non eſſe a MAXIMO CHRYSOBERGA, cuius orationem *de proceſſione ſpiritus ſancti* cum verſione latina, *tomo II. Graeciae orthodoxae p. 1074. ſeqq.* LEO ALLATIVS edidit, exiſtimat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 384.*

Turbarunt ceteroquin hoc tempore eccleſiam orientalem certamina, quae BARLAAMO cum *heſychaſtis*, ſeu *quietiſtis*, interceſſerunt. Hi enim, auctore cumprimis SIMEONE quodam, praecipuam monaſticae ἀσκήσεως partem ἡσυχίαν, ſeu *quietem*, ſtatuebant, ſeque ſubinde quieti animi ita deditos caeleſti quodam & diuino lumine circumfundi autumabant, quod corporis quoque ipſis intueri liceret oculis. Hiſce ſuis opinionibus ac inſtitutis cum non procul a Maſſalianorum & enthuſiaſtarum haereſi abire viderentur; BARLAAMVS, iam an-

antea nobis commemoratus, eos acriter impugnare coepit. At monachis iſtis heſychaſtis ducem atque defenſorem ſe praebuit GREG. PALAMAS, itidem nobis iam antea laudatus, vir diſertiſſimus; qui, ſuos haereſeos poſtulari, aegre ferens, ipſi rurſus BARLAAMO eamdem inurere infamiam adlaborauit. Hinc certamina, contentiones, tumultus. PALAMAS autem per alium quemdam BARLAAMVM rogauit, vt deſiſteret heſychaſtas, quorum placita & diſciplinam ex ſimplicis & imperiti fratris relatione non recte ſatis percepiſſet, calumniis petere, eosque publice diffamare. Poſſe enim fieri, vt quiſpiam in quiete illa diuinum & increatum lumen oculis contempletur, cum Chriſti diſcipuli, licet imperfecti adhuc, in monte Thabor lumen illud diuinum increatum, Chriſtum circumfulgens, adſpicere potuiſſent. Mirum ergo non eſſe, ſi & nunc ſancti fratres, ſuperne a Deo colluſtrati, illud ſe cernere dicant. Hoc ergo arripiens BARLAAMVS, eo totam controuerſiam conuertit, an lumen, quo in monte Thabor Chriſtus circumfuſus eſt, increatum aliquid, & naturale ac coaeternum Deo lumen fuerit? Negabat illud BARLAAMVS, adfirmabat PALAMAS; vterque ſuos habebant adſeclas ac ſectatores. Quos haecce controuerſia in eccleſia graeca dederit motus, exponere, noſtri non fert inſtituti ratio. Legendus de illis IO. CANTACVZENVS, qui tamen alieno prorſus a BARLAAMO fuit animo, *hiſtor. lib. II. cap. XXXIX.* Tribus BARLAAMVM condemnatum fuiſſe ſynodis, conſtat; docetque IAC. BASNAGIVS in *obſeruatione*, BARLAAMI *ſcriptis*, quae in HENR. CANISII *lectionibus antiquis tomo IV.* exſtant, praemiſſa, *p. 366. ſeqq.* quamquam plures in hacce cauſſa congregatae ſint ſynodi, multoque plures promulgati ſint *tomi*, de quibus conferendus IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. c. XLIV. p. 454.* Licet BARLAAMVS in hacce controuerſia multa ſcripſerit; nihil tamen eorum ad nos peruenit, niſi *epiſtolam* eius ad *Nilum Triclinium* huc referre velis, in qua monachum huncce controuerſiae cum Palama iudicem deligit, ex qua nonnulla LEO ALLATIVS adfert, in *diatriba de Nilis & eorum ſcriptis p. 84.* Sed PALAMAS quoque varia ſcripſit, vt *libros contra Acindynum*, (quem cum BARLAAMO feciſſe, mox dicemus) *decem continuos; libros duos apologeticos; librum ſingularem, quod Barlaam & Acindynus ſint, qui diuinitatem vnam diſcerpunt in duas;* & quae alia ſunt eiusdem generis longe plura, quae IO. ALB. FABRICIVS enumerat, *bibliotb. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIV. p. 456. ſeqq.* Cumprimis huc etiam ſpectant eiusdem *orationes duae in transfigurationem Dei, ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti*, in quibus probatur, lumen in ea increatum eſſe, nec tamen Dei eſſentiam. Vtramque graece & latine edidit FR. COMBEFISIVS, *auctar. nouiſſ. part. II. p. 106. ſeqq.* latine autem exſtant in *bibliotbeca maxima patrum tomo XXVI.* Sectator BARLAAMI ſimulque heſychaſtarum hoſtis acerrimus fuit GREG. ACINDYNVS; qui deinceps tamen in quibusdam a BARLAAMO diſſentire coepit, & eum non minus ac PALAMAM ſcriptis oppugnauit. *Carmen* eius *iambicum de haereſibus Palamae* exhibet LEO ALLATIVS *Graeciae orthodoxae tomo I. p. 756. ſeqq.* Eiusdem *libros duos de eſſentia & operatione Dei* aduerſus Palamam, Gregoram, & Philotheum, luci publicae expoſuit IAC. GRETSERVS, Ingolſtadii 1616. 4. BARLAAMO quoque in hoc certamine addictus fuit MAN. CALECA, ſupra itidem nobis iam laudatus, qui ſententiam eius defendit in libro περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας *de eſſentia & operatione Dei*, in quo heſychaſtas, imprimis vero PALAMAM blaſphemiae & πολυθεΐας poſtulat, ſimulque Maſſalianorum impietatem illis obiicit. Nimirum cum lumen Thaboriticum

Digitized by Google

cum increatum adſererent heſychaſtae, & a Deo tamen diſtinguere viderentur; ideo διθεΐας, id eſt, *diuinitatis duplicatae* crimen illis obiectum. Vrget CALECAS porro, quod Deum fingant compoſitum, imperfectum, finitum, circumſcriptum, non vnum; facere quoque eos cum Eunomianis, contendit, quod, operationem aliud quid ab eſſentia Dei eſſe, ſtatuerent. Heſychaſtae contra non tantum negabant, ſe lumen illud increatum ab eſſentia diuina diſtinguere, recteque adeo διθεΐας crimen ſibi exprobrari; ſed &, aduerſarios potius eiusdem reos eſſe, contendebant, qui, lumen illud creatum adſerendo, omnino duos deos inaequales introducerent. Eo namque, ni fallor, ſpectat PALAMAE liber antea laudatus, quo probare voluit, ὅτι Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνος εἶεν δὲ διχοτομοῦντες κακῶς ὄντως καὶ ἀθέως εἰς δύο ἀνίσους θεότητας τὴν μίαν. Ita vtrimque imputationibus pugnatum, altera parte aliquid tribuente alteri, quo eam inuiſam redderet, hac iterum, recte iſta ſibi tribui, negante. Calamum praeterea in Palamitas ſeu heſychaſtas ſtrinxit IO. CYPARISSIOTA, cuius & in myſtica theologia haud ignotum nomen eſt. Quatuor namque libros παλαμιτῶν παραβάσεων, *Palamitarum transgreſſionum*, compoſuit, ex quibus duos, primum ſcilicet & quartum, FR. COMBEFISIVS graece & latine edidit, in *auctario nouiſſimo, part. II. p. 68. ſeqq.* Secundus & tertius, vti & alia quaedam eiusdem auctoris, nondum lucem adſpexerunt publicam. In duobus autem iſtis, quos COMBEFISIVS euulgauit, acriter Palamitas perſtringit, ceu iniurios in Deum, & qui dogmata, in haereticis diu damnata, in eccleſiam introduxiſſent. Laudat porro BARLAAMVM, quod primus PALAMAE inſaniam detexiſſet; ACINDYNVM cum BARLAAMO & adſeclis in ſynodo iniuſte fuiſſe damnatos; & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Locum equidem hic ſibi etiam vindicat eiusdem IO. CYPARISSIOTAE ἔκθεσις στοιχειώδης ῥήσεων θεολογικῶν, *expoſitio elementaris eorum, quae de Deo a theologis dicuntur*; cum vero etiam theologiam myſticam attingat, de ea iam alibi dictum. Partes rurſus PALAMAE tuendas ſuſcepit PHILOTHEVS, patriarcha Conſtantinopolitanus, cuius plurima ſuperſunt in hacce cauſſa ſcripta, quae tamen maximam partem adhuc in tenebris iacent. Eminent inter cetera eius *de diuina ſubſtantia, operatione, potentia & lumine in monte Thabor libri XV.* NICEPH. GREGORAE oppoſiti. De reliquis legendus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIV. p. 469. ſeqq.* Hominem admodum credulum ac ſuperſtitioſum fuiſſe PHILOTHEVM iſtum, inde agnoſcas, quod inter alia de PALAMA ſcripſerit, eum Conſtantinopolin, comitantibus angelis, non ſine caeleſti quadam melodia veniſſe; quod non ſine ratione inter fabulas refert IAC. GRETSERVS, *adnotat. ad Cantacuzeni hiſtor. lib. III. c. XXVII.* NICEPHORVS iſte GREGORAS, quem PHILOTHEVS ſibi refutandum ſumſit, itidem inter Palamitarum ſeu heſychaſtarum hoſtes nomen profeſſus eſt ſuum; de quo legendus M. HANCKIVS, *de rerum Byzantinarum ſcriptoribus part. I. cap. XXXV. p. 579. ſeqq.* Scriptorum autem eius notitiam haurire licet ex BERNH. DE MONTFAVCON *indice ſcriptorum Nicephori Gregorae*, quem integrum *bibliothecae* ſuae *graecae vol. VI.* ſiue *lib. V. c. V. p. 300. ſqq.* IO. ALB. FABRICIVS inſeruit. Ad ipſam controuerſiam hancce, quae tantis animorum motibus agitata fuit, quod attinet; qui rem paullo adcuratius conſiderant, ab vtraque parte peccatum fuiſſe, recte pronuntiant. Quo iure heſychaſtis Maſſalianorum imputati fuerint errores, nunc non diſputabo. Facile crediderim, eos ab omni ſuperſtitione abſolui non poſſe. In eo quoque PALAMAS cum ſuis haud dubie errauit, quod lumen Thaboriticum increatum & aeter-

num dixit, idemque corporis oculis etiam in hac vita poſſe cerni, non tantum ſibi perſuaſit, ſed & acriter defendit. BARLAAMVS contra tum in eo peccauit, quod initio, quae ex imperito quodam monacho, heſychaſtarum ſocio, de illorum inſtitutis & placitis non recte perceperat, auide nimis & parum circumſpecte arripuit, heſychaſtasque iſtos ceu haereticorum peſſimos traduxit; tum &, quod rectiora quodammodo edoctus, miſſis quidem reliquis, quae antea heſychaſtis exprobrauerat, quaeſtionem, quam omnes tuto ignorare poterant, de lumine Thaboritico, tanto animi feruore agitauit, ac ſi ex ea omnium hominum vita ſalusque aeterna penderet, vt tamen in ſynodo 1341 ſe erraſſe agnoſceret, & poſtea nihiloſecius eodem mentis impetu ſententiam ſuam propugnaret, litemque continuaret. Nimirum ad vltimum quod attinet, cum in ſynodo iſta, cuius mentio facta, BARLAAMVS multa contra monachos heſychaſtas, praeſertim de luce illa inuiſibili, diſputaſſet, contradicente PALAMA; vbi, ſe victum, ac iudicio damnandum, animaduertit, conſilio vſus magni domeſtici imperatoris, erroris ſui confeſſione ac veniae deprecatione ſententiam anteuertit, & cum monachis in gratiam rediit. Ita quidem IO. CANTACVZENVS, *hiſtor lib. II. cap. XXXIX.* quem, vt BARLAAMI honori conſulat, mendacii hic arguere non dubitat LEO ALLATIVS, *de eccleſ. occident. & orient. perpetua conſenſ. lib. II. cap. XVII. p. 830.* vt tamen deinceps *p. 834.* ſui ipſius immemor, quae CANTACVZENVS retulerat, confirmaret. DIONYSIVS quoque PETAVIVS, qui copioſe de hoc certamine agit, CANTACVZENO hic fidem derogare non audet; *dogmat. theol. tom. I. lib. I. cap. XII. §. VII. p. m. 79.* Legenda &, quae de hiſce omnibus beatus ADAM. RECHENBERGIVS diſputat, *de heſychaſtis ſeu quietiſtis graecis*, in *volumine exercitation. in nouum teſtam. hiſtoriam eccleſiaſt. &c. §. XX. p. 392. ſeqq.* Idem etiam vir doctus, cum obſeruaſſet BARLAAMVM, in ſynodo antea memorata, PALAMAE ceſſiſſe; recte addit: *Sane hoc argumento eſt, Barlaamum aut non fuiſſe certum ſententiae ſuae, aut fuiſſe vertumnum, qui quo plures inclinarunt, etiam ſemet pertrahi paſſus eſt.* Tandem merito concludit: *Videre inde licet, quantas cerebroſi homines ἀκενοσπουδίας ſtudio abrepti, turbas in eccleſia concitare queant? §. XXX. p. 400. 401.* Lectu etiam digna, quae de charactere BARLAAMI differit IAC. BASNAGIVS, in *obſeruatione, epiſtolis* eius, quae *tomo IV. lectionum antiquarum* HENR. CANISII exſtant, praemiſſa, *§. XI. p. 368.*

Maioris momenti ſunt controuerſiae *Huſſiticae*, ſaeculo decimo quinto exortae, ad quas vel maxime nobis reſpiciendum eſt. Et ipſe quidem IO. HVSSVS non viua tantum voce, ſed ſcriptis etiam variis, tum ante concilium Conſtantienſe, tum in ipſo concilio, immo cum iam in vinculis conſtitutus eſſet, exaratis, errores & ſuperſtitionem eccleſiae romanae acriter & cordate redarguit. Huius generis eſt *quaeſtio de ſanguine Chriſti ſub ſpecie vini a laicis ſumendo*, in qua cumprimis patrum, ipſius etiam THOM. DE AQVINO teſtimoniis comprobat, vſum calicis in ſacra euchariſtia laicis non eſſe denegandum; item, *de ſufficientia legis Chriſti ad regendam eccleſiam*, vbi quousque ius ciuile & canonicum admittendum ſit, diſputat, &, omnia ad legem ſeu doctrinam Chriſti exigenda eſſe, contendit, tandemque concludit: *Ex quo patet, quod neceſſe eſt, quemlibet epiſcopum & praeſertim romanum pontificem, eſſe theologum;* porro: *de libris haereticorum legendis*, vbi adſerit, haereticorum legendos, non comburendos eſſe libros, dum in ipſis veritas continetur; idque AVGVSTINI, HIERONYMI, AMBROSII, aliorumque effatis comprobat; & alia, quae *operum* eius,

Digitized by Google

eius, de quorum editione deinceps dicemus, *tomo primo* exſtant. Subinde & cum ſingulis ſuorum aduerſariorum congreſſus eſt, quos inter STANISL. DE ZNOYMA, & STEPH. DE PALETZ, eminent. Huc ſpectat *reſponſio ad ſcripta Stephani Paletz*; item, *reſponſio ad ſcripta Stanislai de Znoyma*; porro *refutatio ſcripti octo doctorum theologiae*; itidem *tomo primo* operum eius, *p. 318. ſqq.* Non autem poterant ſine vehementiſſimis animorum motibus haec certamina agitari, cum omnia ad irritandos ac exacerbandos pontifici romano addictos hic concurrerent ac conſpirarent. Non tantum enim de veritate doctrinae, ſed & de poteſtate ac honore pontificis, de auctoritate & commodis cleri, res agebatur. Nec poterat HVSSVS ea, quae explorata habebat ac perſpecta, proponere ac defendere, & errores ac corruptionem eccleſiae demonſtrare, quin ſimul pontificis & cleri dominatus periclitaretur. Sunt quidem ſua natura ſatis proni homines ad errores ſuos retinendos ac pertinaciter propugnandos, eosque qui illos reprehendunt, aut refellunt, odio inexpiabili proſequendos, cum nemo temere, ſe errare, fateri velit; ſed cum periculum, poteſtatem, exiſtimationem, imperium, commoda varia amittendi, accedit, tum ad extremum furoris gradum facile prolabuntur. IOANNES porro HVSSVS non oblique, ſed aperte, ingenue, fortiter, ea impugnabat, pro quibus tamquam pro aris & focis ſibi dimicandum eſſe, aduerſarii eius exiſtimabant. Hoc iterum ſatis teſtantur ſcripta eius: *quaeſtio de indulgentiis ſiue de cruciata papae Ioannis XXIII.* in qua contra indulgentias papales diſputat; item *contra bullam papae Ioannis XXIII; de erectione crucis*; porro: *liber de antichriſto, & membrorum eius anatomia*; liber *de regno, populo, vita & moribus anti-chriſti*; item *de ſacerdotum & monachorum abhorrenda abominatione deſolationis in eccleſia Chriſti*; & alia eiusdem generis, in *primo operum* eius *tomo p. 215. ſqq. & p. 423. ſqq.* Cumprimis lectu dignus eſt *tractatus* ſatis amplus *de eccleſia, tomo primo p. 243. ſq.* In eo quippe grauiſſimum hocce argumentum erudite & adcurate pertractat. Aduerſariis autem eius illum non placuiſſe, vel ideo intelligas, quod *cap. XII.* probet, *ſolum Chriſtum eſſe verum romanum pontificem, cui de neceſſitate ſalutis ſubſit omnis humana creatura; modernosque pontifices diſtrepare a priſcis in moribus & vita; cap. XIII. papam non eſſe caput eccleſiae, ſed vicarium Chriſti; c. XV. eccleſiam poſſe regi ſine papa & cardinalibus; cap. XVI. legem Dei debere eſſe normam iudiciorum eccleſiaſticorum, non arbitrium papae & cardinalium*; & quae alia ſunt eiusdem generis. In quibusdam etiam ſcriptis IO. HVSSVS WICLEFI defenſionem in ſe ſuſcepit; quo ipſo iterum non tantum aduerſariorum animos magis irritauit, ſed nouam quoque πρόφασιν, haereſeos notam ſibi inurendi, illis ſuppeditauit. Scripta pleraque IO. HVSSI edita ſunt iunctim Norimbergae, an. 1558, ſed deinde longe plenius, plurimisque cum acceſſionibus anno 1715, duobus tomis in fol. Inſcribitur haec editio: *Hiſtoria & monumenta Ioannis Huſſ, atque Hieronymi Pragenſis, confeſſorum Chriſti; ſparſim bonam partem prius publicata, deinde vero duobus tomis coniunctim edita, cum plurimis aliis nondum tum in lucem prolatis &c.* Nonnulla ex HVSSI ſcriptis iam ante priorem editionem euulgauerat OTTO BRVNSFELSIVS, dedicatione ad beatum LVTHERVM directa, qua de re conferendus IO. AMOS COMENIVS, in *hiſtoria fratrum Bohemorum pag. 9.* Plurima controuerſiae huius monumenta edere potuiſſet HERM. VON DER HARDT; ſed cur id non fecerit, rationes adfert *rerum concil. Conſtant. tom. III. prolegom. cap. II. p. 8.* Ibidem profitetur, ſe & varia monumenta, vel proxime ante concilium Conſtantienſe, vel in eodem

dem ab aduerſae partis theologis HVSSO oppoſita, in lucem proferre potuiſſe; ſed in aliud reſeruaſſe tempus. In his, vt refert, erant: MAVR. DE PRAGA, theologi Pragenſis, opuſculum *contra impedientes Wenceslaum Tiem, quoad praedicationem cruciatae Ioannis XXIII;* STEPH. DE PALETZ, aduerſarii HVSSI acerrimi, cuius antea iam facta eſt mentio, *anti-Huſſus*, opus ſatis amplum. Poſt finitum concilium Conſtantienſe, magna volumina, multoque cum adparatu, Huſſitis oppoſuerunt idem STEPH. PALETZ, IO. HOFFMANNVS, theologus Lipſienſis, OSW. REINLEIN, theologus Viennenſis aliique plures. Sed obſcurorum eiusmodi hominum opera tenebricoſa merito aeternis tenebris conſepulta manent; conf. HERM. VON DER HARDT, *l.c. p.9.* Inter eos, qui IO. HVSSI doctrinam propagarunt, celebris prae reliquis eſt IAC. DE MISA, ſeu IACOBELLVS Bohemus, communionis ſub vtraque ſpecie ſtrenuus adſertor; ad quod tamen non tam ab HVSSO, quam a PETRO Dresdenſi eum inductum, viri docti obſeruant. PETRO enim huic Dresdenſi, vindicatae primum doctrinae, de communione populi chriſtiani ſub vtraque ſpecie, gloria debetur. Cum namque plurimi etiam inter ipſos, pontifici romano addictos, eſſent, qui rem liberam eſſe putarent, ſub vna aut ſub vtraque ſpecie ſacram euchariſtiam adminiſtrare; PETRVS hicce Dresdenſis, communionem ſub vtraque ſpecie prorſus neceſſariam eſſe, contendit. In hanc itaque ſententiam etiam perductus IACOBELLVS, eamdem, theſibus more ſaeculi in academia Pragenſi ad diſputandum propoſitis, defendere coepit; quam huius argumenti diſputationem ſuam primam *poſitionem* poſtea adpellare, & ita ad eam prouocare ſolitus eſt. Diſputatione autem iſta inter contentiones, vt fieri ſolet, finita, mox in templo, Michaëli angelo ſacro, plebem idem docere non dubitauit, exemplum eius imitante alio quodam paſtore SIGISM. RZEPANSKY. Legenda de hiſce omnibus IAC. THOMASII *diſſertatio de Petro Dresdenſi*, exquiſito ſtudio conſcripta, & in lucem emiſſa Lipſiae an. 1678. De maximis, qui hinc exorti ſunt, animorum motibus, qui tandem in bella cruentiſſima eruperunt, vt aliquid dicamus, huius loci non eſt. Scripta autem, hac occaſione edita, exhibet HERM. VON DER HARDT, *rerum concilii Conſtantienſis tomo III.* Primo nimirum loco *anonymi theologi* librum, epiſtolae inſtar ſcriptum, ad *Iacobum de Miſa*, quo huius doctrina de communione plebis ſub vtraque ſpecie, in primo ſtatim controuerſiae exordio anno 1415 ſub examen reuocata fuit. Auctorem huius ſcripti eſſe ANDR. BRODAM, academiae Pragenſis theologum, rationibus non contemnendis editor doctiſſimus euincit. Aperte quoque BRODA iſte cum IACOBELLO congreſſus eſt, in diſputatione *contra communicationem plebis ſub vtraque ſpecie*, quam HERM. VON DER HARDT, *tomo III. part. XV.* ſiſtit. Aliud adhuc, idque amplius opus, idem BRODA de eodem argumento conſcripſit, quod longa & operoſa reſponſione refutauit IACOBELLVS, quae apud eumdem auctorem *parte X.* legitur. Quaeſtio haecce, variis priuatorum ſcriptis agitata, ad Conſtantienſis concilii theologos delata eſt, quorum definitio ibidem exhibetur *parte XVII.* vti IACOBELLI ſiue IAC. MISAEI *vindiciae parte XVIII.* quibus ſuae doctrinae innocentiam ſinceritatemque *aduerſus theologorum Conſtantienſium concluſiones, conciliique ſententiam decretoriam, muniuit.* Eadem *parte decima octaua* producit alterius *theologi anonymi opus nouum*, itidem in controuerſiae exordio an. 1415 concinnatum, oppoſitumque IACOBELLO, quo diſquiſitio *de calicis in plebe vſu ſacro* fuſe continuatur. Poſt haſce diſceptationes Pragenſis academia, in partes IACOBELLI concedens, edita *confeſſio-*

feſſione publica, additaque ad plebem *exhortatione*, vt ad religioſum calicis vſum accederet, concilii Conſtantienſis patres ad vlteriorem eius rei conſiderationem prouocauit. Ab his itaque, theologis iniunctum, vt ſcriptis, curate & exquiſito ſtudio elaboratis, IACOBELLO obuiam irent; quod & ex decreto antiſtitum in iſto concilio a IO. CHARL. GERSONE factum, qui conſilium aliquod, rebus hiſce componendis deſtinatum, exhibuit. Cumprimis tamen hoc negotium MAVRITIO DE PRAGA, theologo Pragenſi, datum, qui in Concilio Conſtantienſi praeſens erat, geminumque librum contra IACOBELLVM conſcripſit, quorum alterum anno 1417 poſt nouam Pragenſium confeſſionem, doctrinae de communione ſub vtraque ſpecie oppoſitum; alterum, quo IACOBELLI *libellum de conſenſu primitiuae eccleſiae, quoad communionem plebis ſub vtraque ſpecie*, diſcuſſit, eodem anno luci expoſuit publicae. Sed haec, & reliqua eodem ſpectantia, exhibet, quem iam laudauimus, HERM. VON DER HARDT, *tomo III. rerum concilii Conſtantienſis, part. XX. XXI. & ſeqq.*

Cum IO. CHARLIER. DE GERSON antea, ὡς ἐν παρόδῳ facta ſit mentio, isque inter doctores huius ſaeculi celebres primum fere teneat locum; de eo ſpeciatim adhuc agere non abs re fuerit. Vt enim in omni fere theologiae genere eminuit; ita ſcriptis quoque plurimis polemicis pro doctrinae veritate, ex ſua ſaltem opinione, contra errores & haereſes dimicauit. In quibusdam ea tradit, quae generatim ad theologiam polemicam ſpectant, modum ſcilicet, tuendi veritatem, refutandique haereticos, oſtendens; in aliis autem ſpeciatim in certamen cum quibusdam deſcendit, quos a regia veritatis aberrare via, exiſtimat. Ad priorem claſſem referenda: *declaratio veritatum, quae credendae ſunt ex neceſſitate ſalutis*; in qua id agit, vt recta velut fidei principia conſtituat. Ea namque primo credenda docet, quae litteraliter in ſcriptura ſacra continentur; deinde omnia ea, quae ab eccleſia definita & per traditionem apoſtolicam recepta ſunt; tum & ea, quae certo quibusdam fuere reuelata; praeterea concluſiones quoque credendas, quae ex hactenus commemoratis principiis fluunt; & ſic porro. Quae tamen adcuratius examen promerentur, cum ſine ratione GERSON ſcripturae ſacrae, definitiones eccleſiae, traditionem, & reuelationes adiungat. Sed hac de re alibi. Eiusdem commatis ſunt *propoſitiones corollariae de eadem materia in concilio Conſtantienſi editae*. In eodem etiam concilio anno 1415 recitatus fuit tractatus eius *de proteſtatione circa materiam fidei contra haereſes diuerſas*. In eo de proteſtationibus & reuocationibus, ſeu retractationibus haereticorum agit, & quo pacto comparatae eſſe debeant, condocet. Nimirum, ſi quis erroris alicuius conuictus ſit, non ſufficere, ſi orthodoxus cenſeri velit, proteſtationem generalem, quod veram eccleſiae doctrinam teneat, nec ſpecialem cum conditione quadam, nec veritatis errori iſti oppoſitae, profeſſionem; ſed ipſum ſpeciatim errorem reuocandum, retractandumque eſſe. Non minus in hacce claſſe ponendae *conſiderationes & ſigna duodecim, quibus aliquis conuinci ſolet de haereſi.* Hic de pertinacia haereticorum diſſerentem GERSONEM videas; non enim ſolum errorem efficere haereticum, conſtat, ſed pertinacem erroris defenſionem accedere oportet. Hanc pertinaciam per voluntatis deprauationem definit GERSON, ab ambitione aut alio quodam vitio ortam, qua errans impediatur, quo minus ſincere quaerat veritatem, aut oblatam amplectatur. Et huius quidem pertinaciae ſigna certa conſtituit ediſſeritque, ſi is, qui in errore verſatur, excommunicationem non curet, ſed vilipendat; ſi vocatus compa-

rere

rere nolit, & reliqua. Pertinet denique huc etiam *tractatus* eius *de probatione ſpirituum*, in concilio Conſtantienſi anno 1415 editus, itemque *tractatus de examinatione doctrinarum*, anno 1424 ſcriptus, vtpote in quibus rationem, diſcernendi doctrinam veram a falſa, commonſtrat; & denique, *admonitio de caute legendis quorumdam libris, propter errores occultos.* Poſterior ſcriptorum GERSONIS claſſis, ea, vti dixi, comprehendit, in quibus ſpeciatim cum quibusdam, quos in errore verſari putabat, congreſſus eſt. Huſſitae, vti iam antea obſeruauimus, praeter alios & GERSONEM aduerſarium experti ſunt. Quo ipſo virtutum ſuarum, quibus eum ornatum fuiſſe, commemorant, laudem haud leuiter obſcurauit, exemplumque poſteritati reliquit, quam difficile ſit, cordatiſſimos & acutiſſimos etiam viros praeiudicatas exuere opiniones. Scripſit autem GERSON in cauſſa Huſſitica *tractatum contra haereſin de communione laicorum ſub vtraque ſpecie.* Controuerſia quoque ei interceſſit cum IO. RVSBROCHIO, cuius in myſtica theologia haud ignotum nomen; ediditque *epiſtolam contra Io. Rusbrochii librum de ornatu ſpiritualium nuptiarum*, in qua RVSBROCHIVM ob nouas quasdam & inuſitatas loquendi formulas reprehendit, oſtenditque, rem periculi plenam eſſe, ſi quis nouis in theologiae vtatur vocibus. RVSBROCHII defenſionem ſuſcepit IO. DE SCHONHOVIA, cui GERSON peculiari itidem epiſtola reſpondit. Cumprimis autem ad ſchisma, quo eo tempore per pontificum ambitionem in partes ſcindebatur eccleſia, tollendum, cum multis aliis GERSON omnes ingenii vires conferebat. Plurima eo ſpectantia compoſuit ſcripta, inter quae haud vltimum locum tenet, quod PETRO DE LVNA, qui ſub nomine BENEDICTI XIII pontificatum tenuit, oppoſuit; quod &, ob imputatam eidem BENEDICTO haereſin, praecipue huius loci eſt. Inſcribitur: *duo libelli articulorum theologicorum & ſcholaſticorum, contra errores & pertinacem haereſin Petri de Luna.* Notae ſunt artes, quibus BENEDICTVS hicce auctoritatem concilii eludere conatus eſt; de quibus & conferenda THEOD. VRIE, *hiſtoria concilii Conſtantienſis*, apud HERMANNVM VON DER HARDT, *rerum concil. Conſtantienſis tom. I. part. I. p. 185 ſqq.* Eiusdem GERSONIS opuſculum *de Simonia*, in Conſtantienſi concilio ſcriptum, vna cum vita eius, itemque *arduum opus de modis vniendi ac reformandi eccleſiam in concilio vniuerſali, ad Petrum de Alliaco, cardinalem Cameracenſem*, leguntur *l. c. tom. I. part. IV. & V.* Atque haec, vt & reliqua, quae ibidem exſtant, ad controuerſias iſtius temporis recte intelligendas plurimum faciunt. Denique & *contra flagellantium ſectam tractatum* ſcripſit, & quidem itidem in concilio Conſtantienſi anno 1417 editum, quem laudat, praecipuaque ex eo argumenta repetit, ac inſtituto ſuo accommodat IAC. BOILEAV, in *hiſtoria flagellantium, cap. IX. p. 298. ſeqq. Opera* autem GERSONIS *omnia nouo ordine digeſta, & in quinque tomos diſtributa, ad manuſcriptos codices quam plurimos collata, & innumeris in locis emendata &c.* luci publicae expoſuit LVD. ELL. DV PIN, Antwerpiae anno 1706. fol. qui & editioni huic *Gerſoniana* praefixit.

Vixit eodem tempore THOM. NETTERVS, Waldenſis a natali in Anglia loco adpellatus, ſcripſitque *doctrinale* iſtud, vt vocat, *antiquitatum fidei eccleſiae catholicae*, aduerſus Wicleſitas & Huſſitas, de quo iam antea dictum, cum de Wicleſitis verba faceremus. Ad NICOL. DE CLEMANGIIS itaque progredimur, virum ingenuum & cordatum, qui non vno monumento, corruptiſſimum eccleſiae, qualis eo tempore fuit, ſtatum deplorauit, notiſſimum hoc ipſo inter teſtes veritatis nomen

men

men conſequutus. Opuſculum eius *de corrupto eccleſiae ſtatu* longe adcuratius, quam hactenus factum, inſcriptumque: *de ruina eccleſiae circa tempora concilii Conſtantienſis*, edidit HERMANNVS VON DER HARDT, *rerum concil. Conſtantienſis tomo I. part. III.* qui & *parte praecedenti* vitam eius exhibet. Dum mores corruptiſſimos pontificum, cardinalium, epiſcoporum, monachorum CLEMANGIVS perſtringit; theologiae moralis ſcriptoribus eum adnumerandum eſſe, exiſtimare quis poterat, quos inter & ob alia quaedam ſcripta locum illi ſupra conceſſimus; ſed nec a theologia polemica aliena eſt haecce diſputatio, cum non deſint, qui in tali rerum ſtatu eccleſiam quamdam florentiſſimam ſibi fingant, & ita ſe rem habere, aliis perſuadere conentur, qui conuincendi erroris ſunt, atque rectiora condocendi. Exſtat etiam eiusdem CLEMANGII *diſputatio cum quodam Pariſienſi ſcholaſtico de concilio generali*, itemque *collatio duplex ad eumdem ſcholaſticum de eadem materia.* NICOLAVS hicce DE CLEMANGIIS, vt ipſe IO. GERSON, aliique viri ea aetate celebres, ex ſchola PETRI DE ALLIACO, epiſcopi Cameracenſis & cardinalis, prodiit; quem adeo ſilentio hic praetermittere, nefas foret. Interfuit & ipſe concilio Conſtantienſi, immo tertiae eius ſeſſioni praefuit, & per integrum triennium pars eius magna fuit. Scripta compoſuit plurima, exegetica, moralia, philoſophica, aſtronomica. Cumprimis pro *aſtronomiae*, quo nomine & aſtrologiam intelligit, cui ad impietatem vsque addictus fuit, *& theologiae concordantia* aliquot ſcriptis pugnauit. Sed haec huius loci non ſunt. Ad polemica referre licet, quibus corruptum, qui eo tempore fuit, eccleſiae ſtatum emendare voluit. Id nimirum egit in libello *de emendatione eccleſiae*, quem inſcriptum: *canones reformandi eccleſiam in concilio Conſtantienſi*, edidit HERM. VON DER HARDT, *rerum concilii Conſtantienſis tom. I. part. VIII.* qui & eiusdem *monita de neceſſitate reformationis eccleſiae in capite & membris* ex manuſcripto codice in lucem produxit, *tomo I. part. VII.* Sed & vitam PETRI DE ALLIACO, cum aliis eius monumentis, exhibet *tomo I. part. VIII.* Obſeruatu dignum, quod auctor hicce in *monitis de neceſſitate reformationis cap. XXVIII.* doceat, Ioannem XXIII pontificem Simoniacis ſuis artibus anſam dediſſe IO. HVSSO ad oppugnandam ſedem romanam; & *cap. XXIX.* Huſſitarum ſectam ſine reformatione curiae romanae deleri non poſſe.

Praeter Conſtantienſe celebre quoque hocce ſaeculo eſt *concilium Baſileenſe*, quod ex decreto concilii Conſtantienſis Sigismundus imperator, cum Martino V pontifice an. 1431 conuocauit, & Eugenius IV Martini ſucceſſor primum adprobauit, deinde autem cum de curiae romanae emendatione ac auctoritate pontificis ageretur, Iulianum Caeſarinum cardinalem, legatum ſuum, auocauit, omnemque, vt concilium iſtud diſſolueretur, mouit lapidem, indicta etiam hunc in finem Ferrariae alia ſynodo, quae poſtea ob peſtem ingruentem Florentiam translata fuit. Diſputatum cumprimis in concilio Baſileenſi acriter fuit, *an papa ſupra concilium ſit, an vero illi ſubiectus eſſe debeat;* Poſterius poſt varias contentiones adfirmatum tandem, ac a concilio decretum, indignante & furente Eugenio, &, promulgatis bullis, hocce concilium fruſtra diſſoluere conante. Eadem quoque controuerſia ſcriptis variis tum agitata fuit. Inter praecipuos partium pontificis defenſores fuit IO. DE TVRRECREMATA, auctoritate & eruditionis fama prae reliquis florens. Is anno 1431 a pontifice ad Baſileenſes miſſus eſt, vt contra Huſſitas diſputaret, & romani pontificis tueretur auctoritatem. Eodem iterum anno circiter 1437 miſſus eſt a pontifice, mox

mox ad concilium Florentinum reuocandus, vbi cum MARCO Epheſio, graecae eccleſiae propugnatore fortiſſimo, in certamen deſcendit. Vnde intelligas, inter polemicos theologos haud vltimum eum tenere locum. Idque etiam ſcripta eius teſtantur; cuiusmodi ſunt: *Flores ſententiarum D. Thomae Aquinatis de auctoritate ſummi pontificis collecti in concilio Baſileenſi an. 1437.* iuſſu Iuliani cardinalis, & cum aliis eiusdem argumenti editi, a REMIGIO FLORENTINO, Dominicano, Venetiis anno 1562; *de pontificis maximi, conciliique generalis auctoritate ad Baſileenſem oratorem reſponſio*, Venetiis 1563. 4. *ſumma eccleſiaſtica*, ſiue *de eccleſia eiusque auctoritate libri quatuor*, in quibus de vniuerſa eccleſia, de eccleſia romana, & pontificis primatu, de conciliis vniuerſalibus, de ſchiſmaticis & haereticis, diſputat; Salmanticae 1560 fol. alibique; *de veritate conceptionis beatiſſimae virginis Mariae, tractatus, pro facienda relatione coram patribus concilii, Baſileae anno domini 1427*, Romae anno 1547. 4. *contra principales errores perfidi Machometi*, Romae anno 1606. 8. *ſuper decreto vnionis Graecorum in concilio Florentino edito, adparatus*, Venetiis an. 1561. 4. & alia eiusdem generis longe plura, quae diligenter & adcurate recenſet NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. vet. tomo II. lib. X. cap. X. p. 189. ſeqq.* Conferendi & IAC. QVETIF, ac IAC. ECHARD, in *ſcriptor. ordinis praedicator. recenſitis tomo I. ſaeculo XV. p. 837. ſeqq.* In theologia ſcholaſtica, & iure canonico, haud mediocriter verſatum fuiſſe TVRRECREMATAM, negari nequit; ſtilo tamen vtitur more ſcholaſticorum barbaro. A partibus pontificis contra Baſileenſe concilium etiam ſtetit IO. CAPISTRANVS, Franciſcanorum ordini adſcriptus, cuius haud ignotum in hiſtoria nomen eſt. *Tractatum* enim ſcripſit *de papae & concilii ſiue eccleſiae auctoritate*, aduerſus Baſileenſe concilium. Immo non calamo ſed gladio quoque pontificis defendere auctoritatem adgreſſus eſt; ſaltem aliis, vt hoc facerent, auctor fuit. Per ciuitates enim & oppida oberrans, in foris & triuiis conciones ad plebem habuit, eamque ad exſtirpandos romanae ſedis hoſtes adhortatus eſt, immo iis, qui hoc facere volebant, ſe ducem obtulit; vti ſupra iam obſeruauimus *cap IV.* huius libri ad *§. VI.* vbi ob ſcripta quaedam moralia eius mentionem fecimus. Eum quoque ad victoriam, quam Ioannes Hunniades an. 1456 a Turcis retulit, plurimum contuliſſe, immo ſibi potius, quam Hunniadi, gloriam iſtam tribuere voluiſſe, viri docti obſeruant. Cuius rei dum AEN. SYLVIVS mentionem facit, praeclare addit: *Auariſſima honoris humana mens, facilius regnum & opes, quam gloriam partitur. Potuit Capiſtranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem ſubigere, gloriam vero ſpernere non potuit*; in *coſmographia*, & quidem *de Europa cap. VIII. p. m. 249.* Addenda, quae de CAPISTRANO hocce diſſerit PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Capiſtranus, p. m. 795.* Commemorandus etiam omnino hoc loco eſt NIC. CVSANVS cardinalis, & ob varia ingenii monumenta, & ob fata etiam, quae ſubiit, dignus, cuius habeatur ratio. Is initio concilii Baſileenſis auctoritatem fortiter propugnauit, editoque opere *de concordantia catholica*, papam concilio inferiorem eſſe, demonſtrauit, nec *decretalium*, a pſeudo-Iſidoro confictorum, in dubium vocare ſibi religioni duxit fidem. Poſtmodum autem an. 1437 Eugenii pontificis partes amplexus eſt, contrariamque defendit ſententiam. Praeter tres iſtos *de catholica concordantia libros*, & alia, quae huius loci non ſunt, ſcripſit etiam *cribrationum alcorani libros tres*, quibus Mohammedanam impietatem impugnauit. An autem verum vbique alcorani ſenſum adſequutus ſit, aut

recte

recte retulerit; id vero eſt, de quo dubitari poſſet; certe non ſemel hoc nomine notatur ab HADRIANO RELANDO *de religione Mohammed. lib. II. p. 96. 120.* alibique. Addendus adhuc NIC. TVDESCHVS, Panormitanus vulgo dictus, qui itidem pro concilio Baſileenſi contra pontificem ſtetit, atque *tractatum de ſuperioritate concilii ſupra papam*, ſeu *defenſionem concilii Baſileenſis aduerſus Eugenium papam*, ſcripſit. ROBERTVS equidem BELLARMINVS cardinalis, parum credibile, putat, eiusmodi librum a Panormitano conſcriptum eſſe; *de ſcriptor. eccleſiaſt. p 288.* Sed refellitur ab HENR. WHARTONO, in *adpend. ad hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. Guil. Cauei p. 71.* In eodem autem concilio Baſileenſi, de quo hactenus verba fecimus, controuerſiae quoque Huſſiticae agitatae fuerunt, ad quas ſpectant ſcripta quaedam, quae in HENR. CANISII *lectionibus antiquis* exhibentur, *tom. IV. p. 449. ſeqq.* ex editione IAC. BASNAGII. Inter ea primum tenet locum IO. DE RAGVSIO, ſiue RAGVSINI, *oratio de communione ſub vtraque ſpecie*, qua Huſſitarum ſententiam, laicis quoque ſub vtraque ſpecie ſacram euchariſtiam adminiſtrandam, impugnare voluit. Sed tot ineptiis referta eſt haec oratio, vt nemo eam ſine magno taedio legere poſſit. Documento eſſe poteſt, quod ex ipſa *oratione dominica* putat probari poſſe, laicis ſub vna ſpecie euchariſtiam exhibendam eſſe, dum in ea a Deo *panem noſtrum quotidianum* petimus. Per *panem*, inquit, doctores intelligunt corpus Chriſti, quod in ſacramento altaris accipimus; & cum Chriſtus nullam mentionem fecerit, de potu & de vino; manifeſtum eſt, quod ſufficit panis, *alioquin inſufficienter Chriſtus ſuos docuiſſet orare diſcipulos.* Satis lepide. Sed hinc, cuiusmodi reliqua ſint, intelligere licet. Sequitur AEGIDII CARLERII *oratio de corrigendis peccatis publicis*, articulo ſecundo Bohemorum oppoſita; quemadmodum IO. DE RAGVSIO primum eorumdem articulorum oppugnauerat. De CARLERIO hocce eiusque oratione, cum IAC. BASNAGIVS, *loco* deinceps *citando* obſeruaſſet, eum, memorari Wicleſum, pati non potuiſſe, vtpote cuius errores in Pelagio, Manichaeis, Donato, Berengario, Maſſalianis iam dudum damnati fuiſſent; recte addit: *Monendi ſunt theologi, qui lites aliis intentant, & vehementius odium conflare geſtiunt aduerſariis, ne tot erroribus non modo diuerſis, ſed toto caelo oppoſitis eos obruere conentur. Quis enim Manetem neceſſitatis abſolutae fautorem, cum Pelagio, libertatis abſolutae defenſore confundat? p. 457.* In eadem oratione CARLERIVS, meretrices tolerandas eſſe, probare voluit, aliaque adfert, quae impudentiam hominis, certe animum parum conſideratum, arguunt. CARLERIVM excipit HENR. KALTEYSEN, quem nonnulli latine *frigidum ferrum* vocant, cuius ibi exhibetur *oratio de libera praedicatione verbi diuini* aut potius *contra liberam praedicationem verbi diuini*, ſiquidem tertium articulum Bohemorum, *de libera praedicatione verbi Dei* refutare voluit. Hic, ſacerdotes facultatem, docendi verbum diuinum, ex ſola habere auctoritate pontificis, contendit; &, etiamſi mortalium ſint peſſimi, ſumma tamen veneratione eſſe proſequendos, vtpote qui per conſecrationem Deum faciant e caelo deſcendere; patres, vt apoſtolos a Deo eſſe inſpiratos; pontificem, quamquam perditiſſimum, nomine beatiſſimi & ſanctiſſimi poſſe decorari; apoſtolos Petri fuiſſe cardinales, Petrumque *prope Chriſtum*, a quo pontifex fuerit creatus, collocandum, & quae alia ſunt eiusdem generis, IACOBO quoque BASNAGIO obſeruata, *p. 457.* Quarto loco hic conſpicitur oratio IOAN. DE POLEMAR, oppoſita quarto Bohemorum articulo, *de ciuili dominio clericorum* agmen autem claudit *diſputatio capituli eccleſiae Pragenſis cum*

Rokyzana; de quibus omnibus multa erudite monet, lucemque prorſus egregiam hiſce ſcriptis adfundit IAC. BASNAGIVS, in *obſeruationibus hiſtoricis*, quas iis praemiſit, *p. 451. ſeqq.* Cumque IO. DE RAGVSIO pariter, ac HENR. KALTEYSEN, ex ordine Dominicanorum fuerint; de vtroque conferendi IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptorib. ordinis praedicator. recenſitis tomo I. ſaec. XV. p. 797. ſeqq.* & *828. ſeqq.* De IOANNE autem POLEMAR, ſiue PALOMAR, archidiacono Barcinonenſi, eiusque ſcriptis, ex inſtituto differit NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. X. cap. IV. p. 147.*

Praeter Huſſitas, qui iterum in diuerſa agmina abierunt, inter haereticos huius ſaeculi referuntur Guilielmus de Hilderniſſen, Auguſtinus de Roma, Petrus de Osma ſeu Oxomenſis, aliique; homines partim obſcuri, partim tam impiorum errorum poſtulati, vt, ſi vera ſunt, quae de iis traduntur, merito dubites, an ſanae mentis fuerint; vnde poenam potius quam refutationem promeruere. Id quod etiam de *Adamitis*, qui circa annum 1420 in Bohemia innotuiſſe dicuntur, cenſendum. Hiſce itaque, cum ea huius loci non ſint, non immorabimur. In haereſeos vero etiam ſuſpicionem hocce tempore venit IO. WESSELVS, HERMANNI ſcilicet filius, patria Friſius, ortu Groeningenſis, a quibusdam & BASILIVS dictus. Vir fuit eruditiſſimus, linguae latinae, graecae & ebraeae peritus, idemque poëta ac philoſophus inſignis. Hinc ab admiratoribus ſuis *lux mundi* vocatus eſt, qui tenebras ſaeculi ſui barbari eruditionis lumine diſpelleret; ab aduerſariis autem ac monachis, qui, ſuperſtitionem ſuam ac ignorantiam ab eo perſtringi, aegre ferebant, *magiſter contradictionum*, itemque germanico nomine *Gansfortius*, quod anſeris inſtar, errores ipſorum ac praua dogmata refutando, inanem clamorem excitaret. Tantum vero abeſt, vt WESSELVS hicce haereticis adnumerandus ſit, vt potius inter veritatis teſtes haud vltimum promereatur locum. Varios enim eccleſiae romanae errores, de ſatisfactione operum, de indulgentiis, de purgatorio, ſimilesque perſtrinxit; immo contra pontificis & epiſcoporum tyrannidem multa & grauiter diſputauit, adſeruitque, papae non niſi recte ſentienti & credenti parendum eſſe; eumdem poſſe errare, & cum erret, ei modis omnibus reſiſtendum eſſe; nimias iſtas opes eccleſiae non prodeſſe, ſed obeſſe; papam peſſime reditus eccleſiae diſpenſare; & quae alia ſunt eiusdem generis, quae praeſertim ex libro eius germanico *de ſubditis & ſuperioribus* refert MATTH. FLACIVS illyricus, in *catalogo teſtium veritatis, num. CCCCLXXXVII. p. m. 820. ſeqq.* editionis, quae Francofurti anno 1672 prodiit. Talia itaque cum aperte docuerit WESSELVS, nemo mirabitur, quod haereſeos ſuſpicionem eo tempore incurrit; immo inquiſitorum ſaeuitiam & ignem haereticis deſtinatum forte non euaſiſſet, niſi ſingulari gratia DAV. DE BVRGVNDIA, epiſcopi Vltraiectini, cui familiariſſimus, & velut domeſticus erat, floruiſſet. Quod autem alii, interque eos HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen-Staat part. II. cap. IV. p. 180.* VBBONEM EMMIVM ſequuti, adſerunt, WESSELVM huncce in familiam Sixti IV pontificis, dum praepoſitus generalis ordinis fratrum minorum eſſet, admiſſum, cum ipſo ad concilium Baſileenſe acceſſiſſe, & deinceps quoque, cum romanae ſedi praefectus eſſet, illi longe fuiſſe gratiſſimum; id CASIM. OVDINVS inter commenta refert, ſomniumque VBBON. EMMII eſſe, pronuntiat. Generatim quoque, vitam WESSELI ab VBBONE EMMIO in *annalibus academiae Groeninganae* ob fabulas, quae in ea leguntur, plurimas, infeliciter

liciter ſcriptam, adſerit; *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom. III. ſaec. XV. pag. 2707.* Scripta WESSELI poſt mortem eius a monachis mendicantibus, intempeſtiuo zelo abreptis, igni ſunt tradita; quae autem flammas euaſerunt, iunctim Baſileae an. 1523. fol. & cura beati MART. LVTHERI ibidem anno 1525. 4. & deinceps alibi quoque prodierunt. Lectu digna praefatio, quam editioni ſuae LVTHERVS praemiſit, in qua &, quam praeclare de WESSELO hocce ſentiat, prodit. *Prodit*, inquit, *Weſſelius, quem Baſilium dicunt, Friſius Groeningenſis, vir admirabilis ingenii, rari & magni ſpiritus; quem & ipſum adparet eſſe vere theodidactum, quales prophetauit fore chriſtianos, Eſaias. Neque enim eum ex hominibus accepiſſe iudicari poteſt, ſicut nec ego.* Quaedam WESSELI huius ſcripta, & quidem, quae vel maxime huius loci ſunt, vt *tractatus de dignitate & poteſtate eccleſiaſtica, de vera & recta obedientia, & quantum obligent ſubditos mandata & ſtatuta praelatorum*; item *de theſauro eccleſiae, eiusque diſpenſatione &c. propoſitiones XXXII*; denique *tractatus contra poteſtatem romani pontificis in indulgentiis*; exſtant in MELCH. GOLDASTI *monarchia ſacri romani imperii tomo I.* Diuerſus a WESSELO hocce, minimeque adeo cum eo confundendus, IO. DE WESALIA, ita dictus, quod ex vrbe Weſalia, Rheni inferioris in ducatu Cliuienſi, oriundus eſſet; concionator Wormatienſis, qui & academiam Erfordienſem docendo & ſcribendo illuſtraſſe dicitur. Eodem tamen vixit tempore, WESSELO paullo iunior, eiusque amicus; non minus quoque ac iſte inter veritatis teſtes referendus; vnde & haereſeos nota a romanae eccleſiae addictis illi inuſta fuit. Docuit namque, gratis, meraque gratia, per fidem in chriſtum ſaluari omnes; liberum arbitrium nihil eſſe; tantum verbo Dei credendum, non gloſſae aut patribus; epiſcopos non habere ius condendi leges, aut interpretandi ſcripturam ſacram iure praetorio; humanas quoque traditiones, vt ieiunia, indulgentias, feſta, explodebat, & Romam peregrinantes ſtultitiae inſimulabat. Haec aliaque de eo refert MATTH. FLACIVS illyricus, in *catalogo teſt. verit. num. CCCLXXXVI. p. 819.* In haereſeos itaque ſuſpicionem cum adduceretur; dogmata quaedam paradoxa, & quae erronea cenſebantur, ex ſcriptis eius excerpta; quae initio quidem fortiter defendit; ſed cum, ab inquiſitoribus, quibus hoc negotium datum erat, ignem ſibi intentari, intelligeret; palinodiam cecinit; indignantibus quidem & fata eius iſta etiam aetate deplorantibus, multis viris cordatis. MATTH. FLACIVS librum eius *contra indulgentias* laudat. *Ego tantum*, inquit, *eius libellum contra indulgentias habeo, vbi adfirmat, neceſſaria ad ſalutem omnia in ſacris litteris contineri. Indulgentias refutat &c. l. c. p. 819.* Conferendus etiam CASIM. OVDINVS, in *comment. de ſcript. eccleſ. tom. III. ſaec. XV. p. 2715.*

In orientali eccleſia continuata adhuc in hocce quoque ſaeculo ſunt certamina cum eccleſia occidentali. Vnio equidem vtriusque eccleſiae ob imminens orientali a Turcis periculum numquam maiori ſtudio, tum in Baſileenſi, tum in Florentino concilio, tentata; ſed irrito iterum euentu. Etſi enim qui in Florentino aderant Graeci in vnionem conſentirent, excepto MARCO Epheſio, qui eidem ſtrenue ſe oppoſuit; domum tamen reuerſi, & a ſuis male excepti, vnionis pacta irrita pronuntiarunt. Multis itaque tum ante tum poſt ſynodum iſtam Florentinam ſcriptis cauſſa haec agitata fuit. Circa an. 1420 IOSEPH. BRYENNIVS, monachus Conſtantinopolitanus, eloquentiae laude clarus, floruit, qui multa aduerſus Latinos ſcripſit, cumprimis orationibus 18, quas περὶ τῆς ὑπερθέου τριάδος, *de diuiniſſima triade* inſcripſit,

Digitized by Google

dogma eorum de proceſſione ſpiritus ſancti ex filio, impugnauit; de quibus legendus LEO ALLATIVS, *de eccleſiae occident. & orient. perpetua conſenſ. lib. II. c. XVIII. §. XIV. pag. 863* qui & alibi ſubinde quaedam ex IOSEPHI huius ſcriptis adducit. Eodem tempore MACARIVS vixit, cognomento *Macres*, montis Atho hieromonachus, qui aduerſus Latinos opus, hactenus nondum editum, compoſuit, ὅτι τὸ λέγειν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι, οὔτε ἀναγκαῖον ἐστὶν ἀλλὰ καινοτομία τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. *ex filio ſpiritum ſanctum procedere, adſerere, neque neceſſarium eſt, ſed eſt innouatio fidei orthodoxae.* Diuerſus ab eo eſt MACARIVS, metropolita Ancyranus, qui eodem hocce ſaeculo vixit, opusque, quod tamen itidem typis nondum exſcriptum eſt, concinnauit κατὰ τῆς τῶν Λατίνων κακοδοξίας, περὶ δέ που τὰ τέλη, καὶ κατὰ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου, καὶ τῶν κατ' αὐτοὺς ἀθέων. *contra prauas Latinorum opiniones, circa finem contra Barlaamum & Acindynum & eorum impios adſeclas.* De vtroque hocce MACARIO & hiſce eorum ſcriptis legendus LEO ALLATIVS, *l. c. lib. II. cap. XVIII. §. X. p. 860.* & *§. XV. p. 865.* Sed & DEMETR. CHRYSOLORAS variis ſcriptis contra Latinos pugnauit, inter quae eminent *dialogus aduerſus Demetrium Cydonium*, qui THOM. AQVINATIS defenſionem contra NILVM CABASILAM Theſſalonicenſem in ſe ſuſceperat: item, κατὰ Λατίνων λόγος συνοπτικός *contra Latinos oratio ſynoptica &c.* De reliquis conſulendus LEO ALLATIVS, *l. c. lib. II. cap. XVIII. §. XII. p. 862.* cumprimis autem IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 394.* In ipſo concilio Florentino Graecorum cauſſam, vt antea diximus, fortiſſime egit M. EVGENICVS, metropolita Epheſius. Cumque reliqui omnes voluntati pontificis ſe ſubmitterent; ſolus MARCVS nec minis vllis, nec promiſſis adduci potuit, vt eccleſiae graecae libertatem proderet; magno ideo populi adplauſu, cum domum rediret, exceptus. Scripta porro eius varia teſtantur, quam vehementer illa Graecorum Latinorumque illi diſplicuerit vnio; inter quae praecipua ſunt *epiſtola encyclica ad omnes chriſtianos*, quos multis hortatur verbis, ne ſynodum Florentinam ſuſcipiant; quae cum IOSEPHI Methonenſis reſponſione *tomo XIII. conciliorum* PHIL. LABBEI, *p. 677.* & *tomo IX.* IO. HARDVINI, *p. 549.* legitur, itemque *epiſtola encyclica ad omnes vbique terrarum degentes*, eadem de re, quae cum reſponſione GREGORII proto-ſyncelli, *tomo XIII. conciliorum* PHIL. LABBEI, *p. 740.* & *tomo IX.* IO. HARDVINI, *pag. 601.* exhibetur. vti IO. ALB. FABRICIO obſeruatum, qui reliqua quoque MARCI ſcripta haud pauca ordine recenſet, *bibliotb. graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLV. p. 530. ſeqq.* MARCI huius Epheſii frater fuit IO. EVGENICVS, magnus eccleſiae patriarchalis Conſtantinopolitanae nomophylax, qui & eidem in concilio Florentino contra Latinos diſputando ſuppetias tulit. Scripſit praeterea *antirrheticum aduerſus ſynodum Florentinam*, cuius fragmenta quaedam graece & latine exhibet LEO ALLATIVS, in libro *de purgatorio p. 61. 140.* alibique. Ceterum MARCI Epheſii paraſtata in concilio Florentino initio fuit BESSARION, gente Graecus, patria Trapezuntinus, qui mutata tamen tandem ſententia, ad Latinorum partes acceſſit, ſummis ideo ab his cumulatus honoribus, & a pontifice in cardinalium numerum cooptatus. Vir eruditus fuit, omnique litterarum genere probe excultus; idem tamen maiori laude dignus, niſi inconſtantia ſua & turpi adſentatione exiſtimationi ſuae labem adſperſiſſet. Quatuor eius opuſcula, quae huius loci ſunt, vt *epiſtolam ad Alexium Laſcarim Philanthropenum, de ſucceſſu ſynodi Florentinae, & de proceſſione ſpiritus ſancti*; *apologiam pro Vecco, aduerſus Gregorium Palamam*; *epiſtolam*

ſtolam generalem ſeu encyclicam ad omnes qui ſedi patriarchali Conſtantinopolitanae ſubſunt; & denique *reſponſionem ad quatuor argumenta Maximi Planudis de proceſſione ſpiritus ſancti ex ſolo patre*, graece & latine edidit PETR. ARCVDIVS, in *opuſculis aureis theologicis* Romae 1630. 4. ibidem an. 1671 denuo excuſis. Reliqua autem eius ſcripta, vt *orationem de vnione ineunda*; itemque aliam *orationem dogmaticam de vnione*; vt & librum *de ſancto eucharistiae myſterio, & quod per verba domini maxime ſit conſecratio*, recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 402.* Atque haec quidem, & alia quaedam BESSARION graece ſcripſit. Nonnulla vero & latina lingua compoſuit, cuius longe fuit peritiſſimus; inter quae eminent *libri* eius *quatuor contra calumniatorem Platonis*, hoc eſt, GEORGIVM Trapezuntium; quibus, ceu liber quintus, acceſſit eiusdem *correctio librorum Platonis de legibus, Georgio Trapezuntio interprete*, & ceu ſextus, eiusdem *de natura & arte aduerſus eumdem Trapezuntium*; editi Venetiis anno 1503, & iterum 1516. fol.

Nimirum ingens hocce tempore, ſeu circa medium ſaeculi decimi quinti, inter Graecos de Platonica philoſophia oriebatur certamen, num praeferenda ſit Ariſtotelicae, an vero huic princeps, ſi non vnicus, locus debeatur? Quae etſi mere philoſophica aut litteraria videri poterat quaeſtio; accedebant tamen quaedam, quae & theologiam tangebant, immo ſi quibusdam PLETHONIS aduerſariis credimus, per eam ipſa religio chriſtiana in maximum adducebatur periculum. GEORGIVS namque hicce GEMISTVS, ſiue PLETHO, maximus PLATONIS admirator, philoſophiae eius ita addictus fuit, vt eam Ariſtotelicae multis modis praeferret, atque ARISTOTELEM regno, quod hactenus in ſcholis obtinuerat, ſpoliare niteretur. Idque, edito *de Platonicae & Ariſtotelicae philoſophiae differentia libro*, agere viſus eſt. Aduerſarios itaque mox expertus eſt GEO. SCHOLARIVM, qui patriarcha Conſtantinopolitanus factus, GENNADIVS dictus eſt, THEODOR. GAZAM, & GEORGIVM Trapezuntium, viros vtique eruditos, & haud exiguae inter Graecos auctoritatis. Ex his GEORGIVS Trapezuntius ſimul BESSARIONEM adgreſſus eſt. Etenim cum ARISTOTELES *libro ſecundo phyſicorum* adſeruiſſet, *naturam quidem omnia alicuius rei gratia facere, verumtamen nihil conſulto agere, quemadmodum ars quoque licet ſine conſilio agat, omnia tamen alicuius rei gratia facit*; GEORG. GEMISTVS PLETHO hancce ſententiam ſibi impugnandam ſumſit, probareque voluit, *tam artem quam naturam ſecundum Platonicorum opinionem quae faciunt, conſulto agere.* Hoc cum THEOD. GAZAE, acerrimo Ariſtotelis defenſori, diſpliceret; ſcripſit eam ob rem ad BESSARIONEM, eiusque ſententiam ſuper hacce quaeſtione exquiſiuit. Reſpondit etiam BESSARION breuiter, atque oſtendit, non adeo magnam inter Platonis ac Ariſtotelis ſententiam hic eſſe differentiam. Tum vero GEORGIVS Trapezuntius, qui iam ob alias cauſſas alieno a BESSARIONE erat animo, occaſione hac arrepta, iſtam reſponſionem refutauit; vt tamen, ſe verum eius auctorem ignorare, fingeret, eamque THEOD. GAZAE tribueret, & hac ratione tres viros praeſtantiſſimos PLETHONEM, THEOD. GAZAM, & BESSARIONEM impugnaret. BESSARION autem, ne ſine reſponſione, quae GEORGIVS ille Trapezuntius obiecerat, dimitteret; librum illum *de natura & arte* compoſuit, quem operis *aduerſus calumniatorem Platonis, librum ſextum* conſtituere, antea diximus, in cuius etiam initio, quae de ſcripti huius occaſione diximus, fuſius enarrat, *p. m. 108. ſeqq.* Acceſſerunt deinde & alii ad hocce certamen, ex quibus

MICH.

MICH. APOSTOLIVS partes equidem PLETHONIS, ſeu BESSARIONIS potius, tuendas ſuſcepit; ſed cum iniuriis potius & contumeliis, quam rationibus, pugnaret; ipſi BESSARIONI hocce eius ſcriptum diſplicuit, qui contra, quod ANDRONICVS illi oppoſuit, calculo ſuo adprobauit. Nec ipſe prorſus conquieuit GEORGIVS Trapezuntius; quin potius, mortuo PLETHONE, librum, *comparatio Platonis & Ariſtotelis* inſcriptum, publicae luci expoſuit, in quo omnem furorem tum in PLATONEM, tum in PLETHONEM, effudit. Et ad hunc quidem quod attinet, cum non tantum grauiſſimorum in theologia errorum arguit, ſed alterum quoque Mohammedem vocare non dubitat, qui, abrogata tum chriſtiana tum Mohammedica religione, nouam quamdam, ſeu ethnicam, hypotheſibus Platonicis ſuperſtructam, introducere voluerit. Quae autem contumelioſe in PLATONEM dixerat, BESSARIONEM permouerunt, vt *libros* illos *quatuor contra calumniatorem Platonis*, quos antea laudauimus, conſcriberet; in quibus vt nihil eorum, quae ad philoſophiae Platonicae commendationem pertinent, praetermittit; ita interdum ſuo erga eam amori plus, quam decet, indulgere videtur. Documento eſſe poteſt, quod ſtatim *lib. I. cap. I.* docet, reprehenſionem Platonis fidei orthodoxae magnum detrimentum adferre; item, eos, qui Platoni detrahunt, infidelium impietatem adiuuare; & quae alia ſunt eiusdem generis. Multa quoque in philoſophia Platonica religioni chriſtianae conſentanea deprehendiſſe ſibi viſus eſt; de quibus tamen viri docti, quibus verum & genuinum Platonis ſyſtema perſpectum eſt, non ſine ratione aliter ſentiunt. Ad myſterium autem trinitatis quod attinet, neque ad Platonem, neque ad Ariſtotelem illud referendum eſſe, pronuntiat; ſi qua tamen apud hos philoſophos eius rei ſit ſignificatio, eſſe potius apud Platonem; interim addit, trinitatem ratione naturali cognoſci non poſſe, ſed tantum ſacris auctoritatibus probari; *lib. III. cap. XIV.* Hiſtoriam huius inter Graecos de philoſophia Platonica & Ariſtotelica certaminis fuſius enarrat IO. BOIVINVS, in diſſertatione, quae exſtat *dans les memoires de litterature tirez des regitres de l' academie royale des inſcriptions & belles lettres, tomo IV. p. 481. ſeqq.* ſecundum editionem Amſtelodamenſem; vti ſupra quoque iam obſeruauimus *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXII.* vbi itidem certaminis huius mentionem fecimus.

Sed vt ad id, vnde digreſſi ſumus, redeamus; GEORGIVS iſte Trapezuntius, quocum BESSARIONI lis interceſſit, pro Latinis ſtetit, illorumque cauſſam defendit in *libro de proceſſione ſpiritus ſancti contra Graecos ad Ioannem Cuboclifium*; itemque in *epiſtola ad hieromonachos Cretenſes & ſacerdotes de proceſſione ſpiritus ſancti, & de vna, ſancta & catholica eccleſia.* Hominis ingenium credulum facile inde agnoſcas, quod in *expoſitione in illud Ioannis: ſi eum volo manere, donec veniam,* probare adniſus eſt, Ioannem euangeliſtam nondum eſſe mortuum. Legendus de illo LEO ALLATIVS, in *diatriba de Georgiis & eorum ſcriptis num. 2. p. 721. ſeqq.* GEORGIVS contra GEMISTVS, ſiue PLETHO, quem antea iam commemorauimus, vir ingenio & eruditione florentiſſimus, idemque philoſophis non minus quam theologis adnumerandus, Graecorum contra Latinos in ſe ſuſcepit defenſionem, edito *libro de proceſſione ſpiritus ſancti contra Latinos*; vel vt plenior eius inſcriptio ſe habet: ἀπόδειξις ὅτι ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ οὐδὲν ὅλως ἀδύνατον ἕπεται. *demonſtratio, ſpiritum ſanctum ex patre ſolum procedere, neque inde aliquod ſequi abſurdum.* LEO ALLATIVS de hocce libro ita pronuntiat: *Qui cum ex fundamentis gentilium philoſophiae*

phiae ad id probandum argumenta petiiſſet; neque Graecis ipſis ex ſchiſmate ſatisfecit; quin ex iis Manuel Peloponneſius, magnae eccleſiae rhetor, qui ſub patriarcha Pachomio viuebat, vt de eo tradit in hiſtoria eccleſiaſtica Manuel Malaxus, ita argumenta Plethonis libro de hac re edito, cuius illud principium eſt: μηδέπω κρίνας ἄνδρας εὐδαίμονας λέγειν *refellit, vt non minus eum in hoc libello, quam alii in libris de legibus, impietatis & gentiliſmi adcuſaret;* in *diatriba de Georgiis & eorum ſcriptis, num. LV. pag. 755.* Aliud adhuc eiusdem argumenti opus, idque vberius, PLETHO ſcripſit, de quo LEO ALLATIVS conferendus, *de perpetua eccleſiae occident. & orient. conſenſ. lib. III. cap. III. §. VI. pag. 937.* Concilio Florentino etiam interfuit SYLV. SYROPVLVS, ſeu, vt alii vocant, SGVROPVLVS, qui, cum ſtrenue pro eccleſia graeca pugnaſſet, inuitus tandem ac coactus concilii iſtius decretis ſubſcripſit. Sed, domum reuerſus, ad priuatam vitae rationem ſe contulit, animumque ad res, in concilio iſto geſtas, enarrandas adiecit. Idque praeſtitit in *vera hiſtoria vnionis non verae inter Graecos & Latinos, ſiue concilii Florentini exactiſſima enarratione*, quam graece ab eo ſcriptam cum verſione & notis publicae luci expoſuit ROB. CREYGHTON, Hagae Comitis 1660. fol. Quemadmodum autem SGVROPVLVS propenſum in hacce hiſtoria in Graecos oſtendit animum; ita ſi quis, quo pacto Latini res in hocce concilio geſtas narrent, cognoſcere aueat, conſulere poterit *acta* concilii huius *Florentini*, ab HORATIO IVSTINIANO collecta, diſpoſita, & notis illuſtrata, editaque Romae anno 1638, & deinde conciliorum collectionibus inſerta; itemque *acta* concilii huius a THEOD. XANTHOPVLO graece conſcripta, editaque Romae an. 1577, deinde cum aliorum quorumdam operibus graece & latine ex interpretatione MATTH. CARYOPHILI ibidem denuo excuſa, anno 1638, duobus voluminibus in 4. Addendae & LEON. ALLATII *exercitationes* in ROB. CREYGHTONI *adparatum, verſionem & notas ad Sguropuli hiſtoriam concilii Florentini*, Romae an. 1674. 4. Refertur etiam inter Latinorum aduerſarios GEO. SCHOLARIVS, cuius itidem iam antea facta eſt mentio, MARCI Epheſii ſummus ſectator & amicus, qui circa annum 1438 claruit. Cum autem eodem tempore GEORGIVS quidam SCHOLARIVS floreret, & in magna apud Ioannem imperatorem gratia & dignitate viueret, qui & concilio Florentino interfuit, ac tandem capta a Turcis vrbe Conſtantinopoli, laicus adhuc patriarcha conſtitutus eſt, quo tamen iterum ſe abdicauit munere, ſeque in monaſterium recepit, vbi multa pro Latinis ſcripſit; quaeſtio inter viros doctos orta eſt, num hic SCHOLARIVS a priori diuerſus ſit, an minus? MATTH. CARYOPHILVS, Iconienſis epiſcopus, exiſtimat, duos fuiſſe SCHOLARIOS, quorum vterque etiam GENNADIVS dictus ſit; alterum Latinorum amicum, qui concilio Florentino interfuerit, & ante captam Conſtantinopolin laicus obierit; alterum eorumdem hoſtem, & Graecorum ſtrenuum defenſorem, qui vrbe Conſtantinopoli a Turcis occupata, patriarchatum obtinuerit. In eamdem conceſſit ſententiam LEO ALLATIVS, in eo ſolum in diuerſa abiens, quod putat GEO. SCHOLARIVM, MARCI Epheſii amicum, hoſtemque Latinorum, morbo impeditum concilio Florentino non interfuiſſe, vitaque ante captam vrbem Conſtantinopolin defunctum, numquam patriarchatum obtinuiſſe, Graecorum interim cauſſam, ad extremum vsque vitae halitum defendiſſe; alterum autem GEORGIVM, iam patriarcham, cum imperatore concilio Florentino adfuiſſe, ſemperque cum Latinis ſenſiſſe. Immo, alium adhuc quemdam GEORG. SCHOLARIVM Corteſium exſtitiſſe, ſuſpicatur; atque ita tres GEO. SCHOLARIOS & GEN-

& GENNADIOS recenſet; *de perpetua eccleſiae occident. & orientfal. conſenſ. lib. III. cap. V.* §. *I. ſeqq. pag. 959. ſeqq.* itemque in *diatriba de Georgiis & eorum ſcriptis num. LVII. p. 760. ſeqq.* Verum, vtrumque, & MATTH. CARYOPHILVM, & LEONEM ALLATIVM, maximopere hic falli, vnumque tantum hoc ſaeculo floruiſſe GEORG. SCHOLARIVM, qui primum in ipſa ſynodo Florentina ab vnione Graecorum & Latinorum animo non adeo alieno fuerit, deinde vero fortiſſimus, conſtantiſſimusque Graecorum contra Latinos propugnator extiterit, tandemque patriarchalem obtinuerit dignitatem, & ex eo tempore GENNADIVS dici voluerit, qua tamen iterum ſe abdicauerit; hodie viris doctis obſeruatum eſt. Primus, qui id animaduertit, vnicumque ſolum GENNADIVM hoc ſaeculo vixiſſe, docuit, RICH. SIMON fuit, in libro *de transſubſtantiatione*, quem THOM. SMITHO oppoſuit, an. 1685. 12. Deinde eamdem ſententiam confirmauit, cunctaque copioſius ediſſeruit, EVSEB. RENAVDOTVS, in *obſeruationibus ad Gennadii homilias de ſacra euchariſtia*, editis Pariſiis an. 1609. 4. *pag. 40. ſeqq.* diſſertationemque inde excerptam *bibliothecae* ſuae *graecae* inſeruit IO. ALB. FABRICIVS, *volum. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. pag. 343. ſeqq.* Conferenda &, quae pro eadem ſententia, vnum ſcilicet tantum fuiſſe GEO. SCHOLARIVM, ſiue GENNADIVM, adfert HENR. WHARTON, in *adpend. ad hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. Guil. Cauei ſaec. XV. pag. 78.* & ipſe GVIL. CAVEVS, *parte altera hiſtor. litterar. pag. 309.* Ad ſcripta autem GENNADII huius quod attinet, quae circa tempus concilii Florentini compoſuit, quaeue vnioni vtriusque eccleſiae fauere videntur, ad ea, praeter *epiſtolas* varias atque *orationes* cumprimis huc ſpectat eiusdem *apologia pro quinque capitibus concilii Florentini*, quae graece cum concilio Florentino edita eſt Romae an. 1677. fol. & latine, FAB. BENEVOLENTIO Senenſi interprete, ibidem an. 1579. 4. latine quoque inſerta *bibliothecae maximae patrum tomo XXVI. pag. 560. ſeqq.* Longe autem plura deinceps, cum animum Latinis palam inimicum declaraſſet, compoſuit; cuiusmodi ſunt: *de purgatorio libri duo; ſummaria reſponſio ad obiectiones Latinorum circa idem purgatorium; de proceſſione ſpiritus ſancti contra Latinos tomi duo;* & quae alia ſunt eiusdem generis, quae EVS. RENAVDOTVS refert, *l. c. p. 377.* qui & reliqua GEORGII huius ſcripta recenſet, ex quibus patet, haud vltimum inter polemicos theologos illi deberi locum. Defenſoribus eccleſiae latinae adnumerandus etiam eſt IOANNES, archipresbyter Pluſiadenus, qui, cum epiſcopus Methonenſis factus eſſet, IOSEPHI nomen adſciuit. Florentina enim vix finita ſynodo, *dialogum* edidit *de differentiis inter Graecos & Latinos, & de ſacro-ſancta ſynodo Florentina*, quem graece & latine exhibet LEO ALLATIVS, *Graeciae orthodoxae tomo I. p. 583. ſeqq.* Sed & *apologeticum* ſcripſit *pro ſynodo Florentina aduerſus Marcum Epheſium*, in collectionibus conciliorum ſubinde editum. Eo multo celebrior eſt GREGORIVS Meliſſenus, Mammas dictus, qui, cum initio Latinos acriter impugnaſſet, pontificis auro miſit, quae ad vnionem promouendam ei facere viſa ſunt. Ad patriarchalem tandem dignitatem eccleſiae Conſtantinopolitanae euectus, eamdem iterum amiſit; haud dubie, tanquam eccleſiae graecae in concilio Florentino proditor, ab ea deiectus. Praeter alia *antirrheticum* ſcripſit *aduerſus Marci Epheſii epiſtolam encyclicam*, qua hic omnes chriſtianos, ne ſynodum Florentinam reciperent, adhortatus fuerat; qui cum M. CARYOPHILI verſione *actis concilii Florentini*, an. 1612 & 1638 Romae editis, ſubiunctus, & deinceps aliis conciliorum collectionibus inſertus eſt. Sed mitto reliqua; cum noſtri ſolum in-

Digitized by Google

inſtituti ita ferat ratio, praecipua in controuerſiis theologicis momenta indicare.

Sed vt reliqua perſequamur, addendi adhuc ſunt, qui in trium hocce ſaeculorum interuallo pro religionis chriſtianae veritate, contra gentiles, Iudaeos & Mohammedanos pugnarunt. Et ad gentiles quidem quod attinet, etſi nulla fere amplius cum iis diſputandi ſe offerret occaſio; THOMAM tamen DE AQVINO *ſummam catholicae fidei contra gentiles in quatuor libros diſtributam* ſcripſiſſe, ſupra iam obſeruauimus. Elogia huius operis, itemque editiones, recenſent IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptoribus ordinis praedicator. recenſitis tomo I. ſaec. XIII. pag. 289.* Poſſet huc etiam quodammodo referri RAYM. DE SABVNDE, qui ſaeculo decimo quinto claruit, *theologia naturalis*, ad veritatem quippe religionis chriſtianae confirmandam comparata; ſed de ea iam ſupra dictum *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXX.* Ad eos itaque potius accedimus, qui contra Iudaeos veritatem chriſtianae religionis propugnarunt. De RAYMVNDO equidem MARTINI, eiusque *pugione fidei*, fuſe itidem egimus, cum de certaminibus ac controuerſiis, ea aetate cum Iudaeis exortis, verba faceremus. Edita autem in hocce temporis interuallo & alia contra Iudaeos ſcripta ſunt, quorum hic iniicienda eſt mentio. Et ſaeculo quidem decimo tertio GVILIELMVS floruit, Bituricenſis eccleſiae diaconus, antea Iudaeus, poſtea autem GVILIELMI, Bituricenſis archiepiſcopi, a quo ad chriſtianam fidem conuerſus, & ex ſacro baptiſmi fonte ſuſceptus erat, diſcipulus. Hic itaque opus compoſuit, *bellum domini contra Iudaeos & Sadducaeos Iudaeorum haereticos, libris duobus*, inſcriptum; quod, vt CASIM. OVDINVS auctor eſt, per *allegorias librorum veteris & noui teſtamenti*, ex principio & fine cuiuslibet libri deſumtas, cum *allegoriis de quinque ſenſibus*, *ſermone de paſſione domini*, & *confeſſione de corpore & ſanguine domini*, incipit; qui & tum *prologi*, libris iſtis duobus praemiſſi, tum & ipſorum librorum initium refert, tandemque concludit, ſe neminem legiſſe, qui operis iſtius meminerit; *comment. de ſcriptoribus eccleſiaſt. tomo III. ſaec. XIII p. 156.* Miror autem, viro huic doctiſſimo ignotum fuiſſe, opuſcula GVILIELMI iſtius, ſcilicet *allegorias veteris & noui teſtamenti de principio & fine cuiusque libri; ſermonem de paſſione domini; opuſculum de eucharistia, & denique prologum librorum bellorum domini contra Iudaeos & contra haereticos*, edita eſſe a IAC. HOMMEY, in *ſupplemento patrum*, Pariſiis 1686 euulgato. *p. 390. ſq.* Saeculo ſequenti decimo quarto PORCHETVS SALVATICVS, ſiue DE SALVATICIS, vixit, patria Genuenſis, ordinis Carthuſiani monachus, vir linguae ebraeae minime rudis, qui famam ac celebritatem conſequutus eſt ob opus, quod *victoriam aduerſus impios Ebraeos* inſcripſit, & in quo non tantum ſcripturae ſacrae effatis, ſed teſtimoniis etiam ex talmude, itemque kabbaliſtarum, & aliorum Iudaeorum ſcriptis, petitis, chriſtianae religionis veritatem contra Iudaeos probare adgreſſus eſt. Eum plurima ex MART. RAYMVNDI *pugione fidei* accepiſſe, vt tamen in *praefatione* grato hoc agnoſceret animo, hinc & a plagii crimine eum abſoluendum, ſupra iam obſeruauimus. De aetate eius equidem viri quidam docti dubitarunt, ſed eum anno 1303 librum ſuum ſcripſiſſe, ex hiſce eius verbis: *adhuc eſt hic ſciendum, quod, chriſtianis computantibus nunc ab incarnatione domini annos 1303, computant Iudaei ab initio mundi annos quinque millia LXIII*, recte colligit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. V. ſect. I. pag. 1001.* vbi & obſeruat, huncce PORCHETI librum ex recognitione AVG. IVSTINIANI prodiiſſe, Pariſiis an. 1520. 4. HOVTEVILLAEVS abbas, de vtroque & RAYMVNDO

MARTINI & PORCH. SALVATICO, ita pronuntiat: *Raymundus Martini librum compoſuit inſcriptum: pugio fidei, & paullo poſt Victor Porchetus de Saluaticis, monachus Carthuſianus, alio opere chriſtianam religionem defendere adgreſſus eſt. Et hic quidem nihil fere aliud egit, quam vt illum exſcriberet; & ſi dicendum, quod res eſt, vterque maiorem zelum, quam robur in conuincendis Iudaeis, demonſtrauit, vterque minus cauſſae, quam defenderunt, quam cauſſa illis inſeruiit. Cum Ariſtoteles locum in obiectionibus inueniat, eius etiam auctoritate ceu clypeo vterque vtitur, qui tamen ſi arbitri munere fungi debeat, ad continuandas iſtas controuerſias plus conferet, quam ad finiendas, iudexque in hiſce adeo parum idoneus eſt, vt ſemper miratus ſim, eum hactenus non fuiſſe repudiatum*; in *diſcurſu hiſtorico & critico de methodo praecipuorum auctorum, qui pro & contra chriſtianam religionem a prima eius origine ſcripſerunt*, eiusdem libro: *religio chriſtiana probata per facta*, praemiſſo *p.146*. Quo iure PORCHETVM huncce VICTOREM vocet, neſcio; cum numquam, eum ab aliis ita adpellatum, viderim. Poſſet ceteroquin facile aliquis ſuſpicari, eum nomen libri cum nomine auctoris confudiſſe. Quae de Ariſtotele dicit, eum harum controuerſiarum non eſſe idoneum iudicem, recte ſe habent; id tamen cum ſaeculi potius, quam iſtorum auctorum, fuerit vitium; non ideo quae recte & praeclare monuerunt, contemnenda ſunt. Eodem ſaeculo decimo quinto vixit, & eruditionis laude floruit, HIER. A SANCTA FIDE, gente Hiſpanus, ex Iudaeo chriſtianus, qui, antequam Chriſto nomen daret, ר׳ ירושע הלורקי R. IEHOSCHVA HALLORKI vocabatur, medicique munere apud Benedictum pontificem fungebatur. Iudice IVLIO BARTOLOCCIO *vir fuit pius & doctus, ſed Iudaeorum acerrimus hoſtis, quos non ſemel laceſſiuit, & in arenam pro fide & religione chriſtiana contra eos pugnaturus deſcendit; & inſignem victoriam & triumphum egit; biblioth. magn. rabbin. tom. III. p. 776.* Nimirum diſputatione publica, an. 1412 coram Benedicto XIII pontifice, qui alias PETR. DE LVNA dicebatur, inſtituta, cum Iudaeorum doctiſſimis in certamen deſcendit, eo euentu, vt non tantum ſuperior inde diſcederet, victoriamque referret, ſed &, ſi vera ſunt, quae nonnulli tradunt, tria millia Iudaeorum ad chriſtianorum ſacra accederent. Aliter equidem Iudaei, qui eius rei mentionem faciunt, euentum certaminis narrant, ſuaeque gentis doctores in hoc conflictu ſuperiores exſtitiſſe, contendunt, ſpeciatim SAL. BEN VIRGA, in *tribu Iudae p.m. 225. ſeqq.* vbi ex inſtituto hancce diſputationem deſcribit. Sed ſecus ſe rem habere, victoriamque penes HIER. A SANCTA FIDE fuiſſe, ex ipſo conſtare exitu, IVL. BARTOLOCCIVS pronuntiat; ſiquidem, teſte ipſomet Benedicto XIII pontifice, in ſua *conſtitutione*, tria millia Iudaeorum in fine huius diſputationis ad Chriſtum conuerſi fuerint; *l. c. p. 778.* Recte interim monet NIC. ANTONIVS, verum diſputationis iſtius euentum aliunde, quam ab ebraeo hiſtorico (SAL. BEN. VIRGA, quem ipſe antea commemorauerat) eſſe cognoſcendum, eidemque opponit HIER. SVRITAM, qui illi *flos hiſtoricorum* audit, quiue *annalium Aragonenſium lib. XII. cap. XLVI.* diſputationis iſtius hiſtoriam ita enarret, vt in multis a Iudaeo iſto diſſentiat. Et ad euentum quidem quod attinet, *ſementi huic meſſem admodum vberem felicemque ſucceſſiſſe*, ex eodem HIER. SVR. ANTONIVS refert, *conuerſis integris aliquot locorum ſynagogis, pluribusque aliorum familiis vsque ad trium fere millium capitum*; addit tamen, cauſſam Dei ſimul egiſſe VINCENT. FERRERIVM, quem *praedicatorum ordinis clariſſimum iſtius temporis euangelii praeconem* vocat; *biblioth. hiſp. veter. tom. II. lib. X. cap. I. pag. 133.* SAL. BEN VIRGA in

in hiſtoria diſputationis iſtius non optima fide verſatum, inde quoque colligas, quod reſponſionem Iudaeorum ad argumentum HIERONYMI A SANCTA FIDE, a traditione, de mundo per ſex millia annorum duraturo, deſumtum, ita referat, ac ſi nihil ſolidi ad eam regerere potuiſſet HIERONYMVS. Recte id obſeruat CHRIST. HELVICVS, docetque, veroſimile non eſſe, HIERONYMVM ad nugas iſtas rabbinicas obmutuiſſe, vt cogeretur ad aliud argumentum progredi, quod SAL. BEN VIRGA adſerit, ſimulque quid HIERONYMVS reſpondere potuerit, aut debuerit, oſtendit; in *elenchis iudaicis p. 275. ſeqq.* editionis, quae cum praefatione THOM. CRENII Lugduni Batauorum an. 1702. 8. prodiit. Non tantum autem HIERONYMVS in iſta diſputatione Iudaeos errorum conuicit; ſed duos inſuper contra eosdem libros ſcripſit, alterum *de refellendis Iudaeorum erroribus*, alterum *aduerſus Talmud Iudaeorum*; vterque inſcriptus: *Hebraeomaſtix, vindex impietatis & perfidiae iudaicae &c.* Francofurti an. 1602. prodiit, inſertus quoque *bibliothecae maximae patrum tom. XXVI. p. 526. ſeqq.* A Iudaeis huic HIERONYMI operi duo ſcripta oppoſita eſſe, alterum R. ISAACI NATHAN, *reprehenſio ſeductoris*, alterum VIDAL BEN LEVI, *ſanctum ſanctorum* inſcriptum, quorum tamen neutrum typis exſcriptum ſit, IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS docet, *biblioth. ebr. part. I. num. DCCXCI. p. 464.* vbi & plura de HIERONYMO hocce A SANCTA FIDE ſuppeditat. IVLIVS autem BARTOLOCCIVS obſeruat, R. IOS. ALBO, qui certamini huic interfuerit, cum videret, per felicem eius euentum res Iudaeorum in dies in peius ruere, ad confirmandos ſuorum animos ספר עקרים *librum fundamentorum* compoſuiſſe, in quo de praecipuis fidei iudaicae capitibus tractet, & chriſtianorum ſubinde refutet dogmata; *l. c. p. 778.* HOVTTEVILLAEVS abbas, HIERONYMI huius A SANCTA FIDE opus iis, quae RAYMVNDVS MARTINI & PORCHETVS SALVATICVS in hoc genere ſcripſerunt, praefert, ſaltem, tolerabilius eſſe, putat; nec tam ſoliditatem, quam elegantiam in libro *aduerſus talmud iudaicum*, ſiue *de iudaicis erroribus ex talmude*, deſiderat; in *diſcurſu hiſtorico & critico* antea iam laudato, *p. 147.* Elegantiam equidem in eiusmodi ſcriptis, ea praeſertim aetate, non adeo requiras. Ad reliqua autem quod attinet, an abbas hicce idoneus illorum iudex ſit, valde adhuc dubito. DE PAVLO BVRGENSI, vel PAVLO DE SANCTA MARIA, qui antequam a Iudaeis ad chriſtianos tranſiret, SAL. LEVITA dictus eſt, alibi equidem erit dicendi locus. Hic autem commemorandus eſt ob *ſcrutinium ſcripturarum*, ſeu dialogum, qui duobus conſtat libris, quorum prior eſt *polemicus* contra Iudaeorum errores, interloquutoribus Saulo, hoc eſt, Ebraeo, & Paulo, hoc eſt, ex Ebraeo chriſtiano; poſterior *didaſcalicus* inter Ioannem magiſtrum & diſcipulum, quo ille hunc de rebus quibusdam dubiis & obſcuris inſtruit. Prodiit hoc opus Mantuae anno 1475. fol. Plura de eo dabit NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. X. cap. V. p. 157.* R. MOSEN Gerundenſem contra eum ſcripſiſſe, obſeruat IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. num. MDCCCVIII. p. 963.* Praetermittendus quoque hic non eſt ALPHONSVS DE SPINA, gente Hiſpanus, ex ordine minorum, inter ſaeculi decimi quinti ſcriptores haud omnino vltimo ponendus loco. Auctor namque eſt operis *fortalitium fidei in vniuerſos chriſtianae religionis hoſtes &c.* inſcripti. Enim vero, licet & contra haereticos pugnet; cumprimis tamen cum Iudaeis & Mohammedanis, ſeu Sarracenis, illi res eſt. Quinque conſtat libris, quorum *primus* ipſam arcem, quam *fortalitium* vocat, deſcribit,

Digitized by Google

ſecundo autem haereticorum, *tertio* Iudaeorum, *quarto* Sarracenorum, *quinto* denique diabolorum vanos irritosque in arce illa oppugnanda conatus ſiſtit. Dubitatum equidem de auctore iſtius operis fuit, nonnullis BARTH. SPINAE, Dominicanorum ordini adſcripto, aliis IOANNI DE SPINA, vel SPIRA, quibusdam GVIL. TOTANO, illud tribuentibus. Sed hodie conſtat inter omnes, ab ALPHONSO DE SPINA illud profectum eſſe, quod & luculenter euincit NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. vet. tomo II. lib. X. cap. IX. p. 183.* qui & editiones eius indicat. Conferenda &, quae de hocce opere monet IVL. BARTOLOCCIVS, *biblioth. magn. rabbin. part. IV. p. 408.* cumprimis autem de eo legendus RICH. SIMON, *biblioth. critique tom. III. cap. XXX. p. 316. ſeqq.* vbi obſeruat, auctorem rerum rabbinicarum non adeo peritum eſſe; eumque obiectiones, quae Iudaeis ſemper vſitatae ſunt, proponere, & ad eas reſpondere, multa quoque Iudaeorum facinora, quae in Hiſpania ex odio erga chriſtianos perpetrauerint, narrare, quae licet ab hominibus fide dignis ſe accepiſſe adſerat, non tamen dubitat SIMON, quin interdum Iudaeorum crudelitatem nimis exaggeret. De IOANNE DE TVRRECREMATA, eiusque libro *contra principales errores perfidi Machometi;* itemque NIC. CVSANO, eiusque *cribrationum alcorani libris tribus*, iam ſupra dictum eſt. Ex Graecis hic commemorari poterat GEORG. SCHOLARIVS, ſiue GENNADIVS, patriarcha Conſtantinopolitanus, ob *expoſitionem fidei chriſtianae coram Turcarum imperatore Mohamede factam:* ſed de ea iam ſupra copioſe egimus *lib.* huius *II. cap. II.* ad §. *IX.* Contra Iudaeos idem GENNADIVS librum per modum dialogi compoſuit, inſcriptum: ἔλεγχος τῆς ἰουδαϊκῆς πλάνης, *confutatio erroris iudaici ex ſcriptura & rebus geſtis, & ad chriſtianam veritatem cohortatio &c.* de quo conferendus EVSEB. RENAVDOTVS, in *diſſert. de Gennadio*, quam exhibet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 371.* Addi hiſce & alii poſſent; ſed ad recentiora nobis properandum eſt tempora. Hactenus etiam dicta ſufficient, vt inde, quaenam in hiſce ſaeculis controuerſiarum theologicarum fuerit ratio, intelligatur.

§. VIII. Noua eccleſiae orbisque litterati facies, ſaeculo decimo ſexto orta, nouis etiam, iisque longe plurimis, controuerſiis occaſionem dedit, ſimul in ipſa ratione, eas tractandi, mutationem haud leuem attulit, non minora incommoda fere, quam commoda ſecum vehentem.* Vt autem praecipua, quae hic ſe offerunt, obſeruatu digna, ordine proſequamur; primum eos ex noſtratibus commemorare iuuabit, qui in certaminibus iſtis theologicis prae reliquis celebritatem quamdam conſequuti ſunt.**

* Cum reſuſcitata, non ſine prouida Numinis cura, bonarum litterarum, cumprimis linguarum, latinae, graecae, ebraeae ſtudia, lucem egregiam ſcripturae ſacrae adferrent, maximumque ad veritatem inueſtigandam & inueniendam ſuppeditarent praeſidium; ſperare aliquis poterat, controuerſiarum theologicarum finem fore, ſaltem numerum earum imminutum iri. Quo clarior enim veritatis lux omnibus adfulget; eo facilius errorum omnium diſpelluntur nebulae. Atque fieri vtique hoc potuiſſet, niſi partium ſtudium, aliique mortalium obſtitiſſent adfectus. Expoſita equidem hac ratione per eccleſiae emendationem omnium oculis fuit veritas. Sed non

Digitized by G

non omnes, vt ei locum relinquerent, a ſe impetrare potuerunt. Hinc non imminuta, ſed aucta potius ſunt certamina theologica; cumque per bonarum litterarum ſubſidia iam elegantiori facie theologia polemica prodiret; veritatis diuinae equidem interdum magnopere hoc profuit defenſoribus; non minus tamen & illis, qui a recto diſceſſerunt tramite, noua hinc ſubminiſtrata ſunt arma, quibus ad errores ſuos magna ſpecie defendendos, propugnandosque vterentur. Melior itaque elegantiorque, ſi modum diſputandi tractandique controuerſias theologicas ſpectes, theologiae polemicae adparuit facies; ſed non minora quoque inde ob auctum controuerſiarum numerum, & arreptum vtrimque bonarum litterarum praeſidium, exorta ſunt incommoda.

** Primus hic citra controuerſiam locus debetur beato MARTINO LVTHERO noſtro, qui & primus, rebus omnibus perditis ac deſperatis, velut ſignum aliquod ad bene ſperandum ſuſtulit. Nec quisquam ad veritatis cauſſam agendam aptior aut magis idoneus reperiri poterat. Iudicium acerrimum cum ingenii foecunditate dubia velut in eo certabant palma; hinc cum argumentorum robore, eloquentia coniuncta erat efficaciſſima, qua cuncta, quae ei ſe offerebant, proſternebat, & torrentis inſtar inundabat. Accedebat animus intrepidus, quem nec potentia aduerſariorum, nec periculorum metus, nec vis vlla aut comminatio mouere, aut a recto deflectere tramite poterat. Pugnabat, fateor, pro eo veritas; non minus tamen ille pro veritate pugnabat, vt a nullo mortalium aut rectius, aut melius, aut maiori efficacia defendi, & contra quosuis hoſtium inſultus in tuto collocari potuiſſet. Non vnum autem fuit aduerſariorum genus, quocum LVTHERVS in certamen deſcendit. Namque & cum romanenſibus, & cum anabaptiſtis, fanaticisque, & cum Zwinglio, eiusque ſectatoribus, & cum antinomis, illi pugnandum fuit, ne quid de Iudaeis dicam, quorum itidem acriter profligauit impietatem. Cumprimis tamen cum romanenſibus illi res fuit, vtpote qui & auctoritate, & potentia, & numero reliquis longe fuerunt ſuperiores. Atque hi quidem, licet imperatorum edictis, pontificum bullis, academiarum decretis, doctorum virorum ſcriptis, obruere Lutherum conarentur; imperterrito tamen inuictoque omnia haecce tela excepit animo, & tam fortiter in capita aduerſariorum retorſit, vt letale vulnus monarchiae papali infligeret. Omnia autem, quae LVTHERVS romanenſibus oppoſuit, ſcripta, enumerare, noſtri non eſt inſtituti, cum ea ſint longe plurima. Nec vllam temere in concionibus etiam, in commentariis in ſcripturam ſacram, in epiſtolis, occaſionem, eos refutandi, praetermiſit. De praecipuis tamen, maximumque trahentibus momentum, quibus contra eos pugnauit, aliquid commemorare, operae fuerit pretium. Ea, quibus primum velut impetum in romanae eccleſiae errores fecit, exhibet VALENT. ERN. LOESCHERVS, in *denen vollſtaendigen reformations-actis vnd documentis*, in quorum tomo primo, quae beatus LVTHERVS an. 1516 & 17, altero autem, quae an. 1518 ſcripſit, ſiſtit. Speciatim *theſes* LVTHERI *contra indulgentias*, TEZELIO oppoſitas, & quae TEZELIVS iterum contra LVTHERVM ſcripſit, legere licet *tomo I. cap. XXI. p. 438. ſeqq.* nonnulla, quae ad controuerſiam LVTHERI cum SYLV. PRIERIATE & IO. ECKIO ſpectant, *tomo II. cap. III. ſeqq. p. 13. ſeqq.* Totus autem iam orbis chriſtianus certaminum iſtorum ſtrepitu perſonabat, cum LVTHERVS anno 1520 memorabilem libellum ad *caeſarem & nobilitatem imperii (an den chriſtlichen Adel teutſcher Nation von des chriſtlichen Standes Beſſerung)* lingua

gua germanica ederet, qui cum breui ad NIC. AMSDORFIVM *praefatione tomo I. Altenburg. p. 480. ſeqq.* exſtat. Tanta cum libertate huncce libellum ſcripſit LVTHERVS, vt etiam amici eius pro claſſico belli haberent. Quare & apud Langum, Auguſtinianorum vicarium, non alia ratione ſe excuſat, quam quod perſuaſus ſit, *papatum veram & germanum antichriſti ſedem eſſe*; *lib. I. epiſt. CLXXXVII.* Addit tamen, *multis placere, nec aulae electorali penitus diſplicere.* Conferendus VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. I. §. LXXII. p. 112.* Non minus celebre & obſeruatu dignum eſt alterum illud ſcriptum, quod eodem anno prodiit, *de captiuitate babylonica eccleſiae, praeludium D. Martini Lutheri*; quod *tomo II. latin. Ienenſ. pag. 273. ſeqq.* legitur, & germanice *tomo VI. Altenburg.* in *adpendice p. 1379. ſeqq.* Aperte hic itidem ſuum ab eccleſia romana diſſenſum profitetur, papatum regnum Babylonis eſſe, & Nimrodicam venationem, ſerio teſtatus. Nec quidquam eorum, quae reprehenſione digna cenſuit, praetermiſit, cumprimis vero de natura, vſu, & numero ſacramentorum diſputauit. Interea Leo x pontifex die xv Iunii eiusdem anni bullam contra LVTHERVM promulgabat, in qua propoſitiones, ex libris eius excerptas, partim vt *manifeſte haereticas*, partim vt *ſcandaloſas & temerarias* condemnabat. Huic bullae duos libellos LVTHERVS oppoſuit, qui ſpeciminis inſtar eſſe poſſunt, quam inuicto animi robore papatum adgreſſus ſit. Qui prior prodiit, inſcribitur: *aduerſus exſecrabilem anti-Chriſti bullam*, exſtatque *tomo II. lat. Ienenſ. fol. p. 286. ſeqq.* In eo vero non tantum acriter bullam iſtam pontificis perſtringit; ſed dogmata etiam in ea damnata eiusmodi eſſe, contendit, vt ſine aeternae damnationis periculo a nemine negari queant; id autem qui fecerint, ethnicorum inſtar ſe habiturum pronuntiat. Cumprimis & pontifici obiicit, quod dogmata ſua damnet, nec tamen, vt epiſcopos & chriſtianos omnes deceat, rationes damnationis iſtius adferat, quas ipſe iam in tertium annum efflagitauerit. Alter libellus, eidem bullae eodemque anno oppoſitus, inſcribitur: *adſertio omnium articulorum Martini Lutheri per bullam Leonis X nouiſſime damnatorum* & *tomo II. lat. Ienenſ. fol. 292. ſeqq.* exhibetur. In eo quadraginta & vnum articulos, in bulla iſta condemnatos, ſingulatim explicat, ac tuetur, ea ſane eruditione & argumentorum euidentia, vt ipſe ſibi temperare non potuerit LVD. MAIMBVRGIVS, quo minus ex hocce capite LVTHERVM laudaret. De refutatione enim bullae iſtius verba faciens, *negari tamen*, inquit, *non poteſt, hac intemperie, quae ei naturalis fuit, impeditum eum non fuiſſe, quo minus conſideraret, quae ſcriberet, ſemperque ingenium & doctrinam in ſcriptis ſuis oſtenderet.* Lectu digna ſunt, quae de auctoritate & interpretatione ſcripturae ab initio commentatur. Oſtendit enim, eos, qui hoc ſibi obiiciunt, *ſcripturas non eſſe interpretandas proprio ſpiritu*, hoc ſolum ſibi velle, ſenſum iſtorum, qui in ſcripturam ſacram commentati ſunt; ſequendum eſſe, aut vnius tandem hominis, vt indoctiſſimi, ita ſophiſtis indoctiſſimis circumuallati. Interim nutantem pontificis auctoritatem tutari ac defendere inſtituebant, quotquot poterant, aut gratiam eius atque fauorem ſibi conciliare volebant. In his Pariſienſes quoque fuere theologi, qui, ne nihil omnino in hoc certamine egiſſe viderentur, cenſuram dogmatum Lutheri ediderunt. Spem equidem quamdam de Pariſienſibus animo conceperat LVTHERVS ob opinionem Sorbonnae, de ſuperioritate conciliorum ſupra papam, & quod a papa ad concilium prouocare liceat; non ignarus tamen etiam erat, ſcholam theologicam Pariſienſem matrem velut eſſe theologiae ſcholaſticae. Forte

te &, iudice VITO LVD. SECKENDORFIO, *loco* deinceps *citando*, ex rumoribus quibusdam, quod non deeſſent in Gallia, qui ſua probarent, in ſpe illa confirmatus fuit. Sed ſpes iſta mox euanuit, cum theologi iſti Pariſienſes propoſitiones plurimas ex LVTHERI libro de *captiuitate babylonica* excerptas, acri cenſura notarent. Cenſura haecce, ſiue *determinatio theologicae facultatis Pariſienſis ſuper doctrina Lutheriana hactenus per eam viſa*, & in ſcriptis LVTHERI exſtat, vt mox dicemus, & a CAES. EGASSIO BVLAEO quoque exhibetur in *hiſtoria vniuerſitatis Pariſienſis tomo VI. p. 116. ſeqq.* Pro Luthero itaque apologiam compoſuit PHIL. MELANCHTHON, inſcriptam: *aduerſus furioſum Pariſienſium theologaſtrorum decretum. Philippus Melanchthon,* inquit BVLAEVS, *iuuenis adhuc, & Luthero plenus, edidit cum cenſura Lutheri apologiam &c. In illa autem apologia doctores Pariſienſes vocat ſophiſtas & calumniatores; aitque Lutetiae natam eſſe profanam illam ſcholaſticen, qua admiſſa, nihil reliquum ſit &c. l. c. p. 127.* LVDOV. MAIMBVRGIVS de hacce MELANCHTHONIS apologia ita pronuntiat: *Voluit etiam* (LVTHERVS) *vt diſcipulus ſuus Philippus Melanchthon, grammaticus admodum diſertus, qui Wittebergae humaniores litteras docebat, aduerſus eos ſcriberet, quod is eo ſtilo praeſtitit, vt praeter dictionis nitorem & puritatem, genium potius magiſtri, cuius bilis in ipſo titulo libri deprehendebatur, quam diſcipuli referret, qui alias timidus & moderatus erat; hiſtor. Lutheraniſmi lib. I. ſect. XLVI.* Legitur haecce apologia, vna cum ipſa Pariſienſium theologorum cenſura, *tom. II. latin. Ienenſ. p. 419. ſeqq.* verſio autem germanica apologiae, ab ipſo LVTHERO confecta, itidem cum *cenſura* iſta, in linguam germanicam translata, *tomo I. Altenburg. p. 836. ſeqq.* In hacce vero apologia non tantum acriter ſolideque LVTHERVS defenditur, ſed nonnulla contra theologos Pariſienſes atque ſcholaſticos cordate dicuntur; quorum praeter ea, quae iam recitauimus, etiam alia adhuc quaedam ipſemet CAES. EGASSIVS BVLAEVS refert. Cumprimis MELANCHTHON, iniuſte & ineptiſſime LVTHERVM cum haereticis comparari, contendit, (cuiusmodi tamen comparationes in theologia polemica admodum ſunt ſollemnes) praeſertim cum Montano, qui ſpiritui cuidam ſuo credi voluerit, cum Lutherus omnia ſua ex ſcriptura ſacra demonſtret. Addit alia lectu digniſſima, in quibus vitia pſeudo-theologiae polemicae egregie delineantur. Conferendus VITVS LVD. SECKENDORFIVS, *l. c. lib. I. §. CXIII.* Tandem & ipſe Henricus VIII, Angliae rex, labaſcenti romanae eccleſiae cauſſae ſuppetias ferre voluit. Contra eamdem enim LVTHERI commentationem *de captiuitate babylonica*, cui doctores Pariſienſes cenſuram ſuam oppoſuerant, librum edidit, ad ſeptem praecipue ſacramentorum defenſionem comparatum; hoc ipſo *defenſoris fidei* elogium a romano pontifice promeritus. Quibus cauſſis rex ad hoc inductus ſit, non ignorant, quibus genius eius, ſtatusque regni anglicani, qualis eo tempore fuit, perſpectus eſt atque exploratus. LVTHERVS acri reſponſione hunc etiam aduerſarium, diademate licet regio redimitum, more ſuo repulit; quae lingua latina, qua eam compoſuit, *tomo II. Ienenſ. lat. p. 547. ſeqq.* exſtat, germanica autem, in quam ipſemet LVTHERVS eam transtulit, *tomo II. Altenb. p. 189. ſeqq.* Quod tanta aſperitate regem in hocce libro exceperit, id ipſe ita defendit: *prudens ille & ſciens mendacia componat aduerſus mei regis maieſtatem in caelis, damnabilis, putredo iſta & vermis; ius mihi erit, pro meo rege etiam maieſtatem anglicam luto ſuo & ſtercore conſpergere, & coronam iſtam blaſphemam in Chriſtum pedibus conculcare.* Georgius equidem Saxoniae dux oc-

caſionem hinc arripuit, de ſcriptis LVTHERI eorumque acerbitate, conquerendi; ſed nulla inde LVTHERO creata eſt moleſtia. Fuſius haec omnia ediſſerit VIT. LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi lib. I. §. CXIV.* qui & ad cenſuram LVD. MAIMBVRGII in hocce ſcriptum LVTHERI ſolide reſpondet. Non minor παῤῥησία in libro *aduerſus falſo nominatum ſtatum eccleſiaſticum papae & epiſcoporum, (wieder den falſch-genanten geiſtlichen Stand des Pabſts vnd der Biſchoeffe)* germanice anno 1522 ſcripto, qui *tom. II. Altenb. p. 161. ſeqq.* exſtat, elucet. Id enim vero hic agit LVTHERVS, vt euincat, papam & epiſcopos nihil minus, quam Chriſti eſſe apoſtolos; quin potius ad aeternam ipſosmet properare perniciem, illosque, quibus viam ſalutis monſtrare debebant, ſecum abripere. Quam longe romanae eccleſiae epiſcopi a vera & genuini epiſcopi imagine abſint, ex *I. Tim. III. Tit. I.* & *I. Petr. II.* demonſtrat, & ſacri ordinis virorum vitia grauiſſime perſtringit. Eodem hocce anno librum edidit *de vitanda hominum doctrina (von Menſchen-Lehre zu meiden) tom. II. Altenburg. p. 135. ſeqq.* in quo praecepta pontificum de ieiuniis, de caelibatu clericorum, aliaque, impietatis accuſat. Caute tamen ſatis incedit, ne in abuſum, quae ſcripſerat, verterentur, ſeque in illorum gratiam, qui ad chriſtianiſmum ſufficere arbitrabantur, quod ouis & carnibus veſcantur, confeſſione abſtineant, imagines confringant, minime talia docere, diſerte profitetur. Accedebat eodem tempore *cenſura in bullam pontificis*, quam vocant, *de coena domini*, quotannis in die viridium ante paſcha recitari ſolitam. In germanicam nimirum linguam tranſlatae, adnotationes addidit, quibus certe, ſibi animum non fuiſſe, pontifici blandiri, demonſtrat; eaque ratione exhibetur *tomo II. Altenburg. p. 52. ſeqq.* Ex reliquis Lutheri contra romanam eccleſiam, eiusque defenſores, editis monumentis, ſequentia non indigna ſunt, quorum habeatur ratio: *tractatus de abominatione canonis miſſae*, germanice anno 1523 ſcriptus; *aduerſus caecam & inſanam condemnationem Ingolſtadienſem*, ſeu refutatio cenſurae Ingolſtadienſis; *contra nouum idolum & veterem daemonem Miſnenſem*, quo in libro canoniſationem, quam vocant, Bennonis epiſcopi Miſnenſis impugnat; *ad duo contraria edicta*, id eſt, Wormatienſe, anni 1521. & Norinbergenſe anni 1524 de Luthero; in quo quidem ſcripto, an. 1524 edito, edicta iſta caeſarea refellit, eaque inter ſe pugnare, oſtendit; quae omnia germanice leguntur *tomo II. Altenburg. p. 841. ſeqq.* item *p. 762. ſeqq. 771. ſeqq.* & *p. 780. ſeqq.* & quae alia ſunt eiusdem generis. Cum euentum & decretum comitiorum Auguſtanorum, an. 1530 celebratorum, LVTHERVS intellexiſſet; eodem adhuc anno celebrem illam *commonitionem ad Germanos ſuos dilectos* ſcripſit, *(Warnung D. Martin Luthers an ſeine liebe Teutſchen)* quae exſtat *tom. V. Altenburg. p. 529. ſeqq.* In ea, expoſito, quod Germaniae, ob aduerſariorum truculenta conſilia & comminationes, immineret periculo, Lutheranos culpa puros eſſe, docet, quorum quippe in aprico poſita ſit & modeſtia, & patientia. Quod ſi aduerſarii arma capiant, & alii defenſionem parent; nihil ſe ſcripturum, profitetur, nec dehortando, nec admonendo, ſed commune exſpectaturum fatum, iuſtitiae diiudicatione ad iureconſultos reiecta. Nolle ſe tamen damnare eos, qui rapinis, caedibusque vim opponant; cum aliud ſit inuadere alios, quod fecerit Münzerus, aliud, ſe defendere. Ex hiſce ſimilibusue LVTHERI effatis aduerſarii calumniandi occaſionem arripuerunt, ac ſi velut claſſicum ceciniſſet, & Germanos, ad arripienda contra imperatorem arma, excitaſſet: quos & LVD. MAIMBVRGIVS ſequitur, *hiſt. Lutheraniſmi lib. III. ſect. II.* Idem

iam

Digitized by Google

iam tum ei obiecerat anonymus quidam Dreſdenſis, cui ideo librum oppoſuit, *contra ſicarium vel ſycophantam Dreſdenſem (wieder den Meuchler zu Dreſden)* qui exſtat *tom. V. Altenburg. p. 559.* Sed & alio libro edictum Auguſtanum impugnauit LVTHERVS: *monita ad edictum poſt comitia Auguſtana publicatum anno 1531.* (*auff das vermeynte Kaiſerliche Edict, ergangen nach dem Reichstag zu Augsburg*) qui exhibetur *tomo V. Altenburg. p. 545. ſeqq.* In eo praecipua doctrinae capita, ſuper quibus hactenus diſputatum fuerat, repetit, & ſuam neruoſe ac erudite proponit ſententiam. Legendus de hiſce omnibus VITVS LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi lib. III. §. III. Commonitio* iſta LVTHERI, antea memorata, *ad dilectos ſuos Germanos*, iterum prodiit an. 1546, cum PHIL. MELANCHTHONIS *praefatione*; adiuncta etiam eſt alia LVTHERI *admonitio ad paſtores*, cum *praefatione* CHRIST. HOFFMANNI, concionatoris electoralis aulici; acceſſerunt & *theſes* LVTHERI *viginti, quod licite reſiſtatur pontifici.* Inter vltima, quibus papatum LVTHERVS impugnauit, ſcripta, eminet facile libellus *contra papatum a diabolo fundatum (wieder das Pabſthum vom Teuffel geſtifftet) tomo VIII. Altenburg. p. 418. ſeqq.* & latine *tom. VII. Witteberg. p. 477.* Acri & vehementi ſtilo ſcriptus eſt, in quo tamen ſummum & vere diuinum zelum admirari licet. Occaſionem ei dederunt litterae pontificis ad Carolum imperatorem, quibus eum ob edictum Spirenſe obiurgauerat, quae a SFORTIA PALLAVICINO exhibentur, in *hiſtoria concilii Tridentini lib. V. cap. VI.* quibus aliud adhuc pontificis ſcriptum acerbius, pluribusque comminationibus refertum, acceſſit, eidem PALLAVICINO *l. c.* commemoratum. Imperator equidem ſumma lenitate ad iſtas pontificis litteras reſpondit; ſed LVTHERVS more ſuo iſtos romani praeſulis auſus caſtigauit; vnde mirum non eſt, LVDOV. MAIMBVRGIVM dicere, *rabido modo contra breue illud pontificium eum ſcripſiſſe; hiſt. Luth. lib. III. ſect. XXIX.* Addenda tamen, quae hac de re diſſerit VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. III. §. CXIV.*

Vidimus hucusque LVTHERVM, plena velut acie contra omnes monarchiae papalis copias dimicantem. Nunc operae pretium eſſet, etiam velitationes eius, cum ſingulis pontificiae auctoritatis promachis inſtitutas, conſiderare, niſi in campum nimis amplum hac ratione deduceremur. Inter primos, quibuscum certamen iniit, fuere IO. TEZELIVS, monachus Dominicanus, fidei inquiſitor, & indulgentiarum in Germania praeco longe impudentiſſimus; IO. ECKIVS, theologiae profeſſor & concionator Ingolſtadienſis; SYLVEST. PRIERIAS, Dominicanorum ordini adſcriptus, & ſacri palatii magiſter; & IAC. HOOGSTRATTANVS, ex Dominicanorum ordine inquiſitor, qui & ex infelici cum REVCHLINO pugna aeternam nominis infamiam retulit. Scripta horum hominum iam pridem aeternis tenebris conſepulta iacerent; niſi vel aduerſarii gloria illa quodammodo obliuioni eripuiſſet. Recenſet ea LVD. ELL. DVPIN *nou. bibl. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XIII. part. I. cap. II. p. 32.* & *part. II. p. 11. 115. & 164.* De IO. TEZELIO, SYLVESTR. DE PRIERIO & IACOBO DE HOOGSTRATT, conferendi etiam IAC. QVETIF & IAC. ECHARD, in *ſcriptor. ordinis praedicator. recenſitis, tomo II. ſaec. XVI. p. 40. 55. & 67.* Iidem viri docti non TEZELIO, ſed PRIERIATI, gloriam, quod primus LVTHERI dogmata conuulſerit, tribuunt. Ita enim vnus ex iis loquitur: *Quod autem dixi, Prieriatem primum Lutheri dogmata conuulſiſſe, ſcriptisque cum illo conſeruiſſe, non ſolus adſerit Onuphrius Panuinius in chronico eccleſiaſtico, ſed & F. Rouerus Pontanus Carmelita Bruxellenſis, rer. memor. lib. I.*

an. 1518. *Iacobus Laingaeus Scotus theologus Pariſienſis in vita Lutheri, Eyſengrenius ad an.* 1520. *& ipſa Lutheri operum geſtorumque ſeries confirmat. Noſtrum quidem Ioannem Tezelium hanc ſibi poſſe merito arrogare palmam, haud diffiteor; ſed cum folia tantum, vt dicam, volantia ediderit, quorum vix vllum supereſt exemplum; praerogatiuam hanc & primatum inter ſcriptores, qui Lutherum impugnauerunt, Prieriati nemo, vt puto, negauerit, nec verendum, vt id Louanienſes aut quidam alii ita facile abnuant; pag.* 58. Sed cum vterque & TEZELIVS & PRIERIAS infamiam potius, quam gloriam, ex hoc certamine retulerit; non eſt, quod tantopere de primatu inter ſe contendant. TEZELIVM cum aeterno nominis ſui dedecore occaſionem huic certamini dediſſe, confitentur omnes. Si vel maxime ſcripta PRIERIATIS mole vincant ſcripta TEZELII; ideo non ſtatim doctrinae & eruditionis laude vincunt, qua vterque caruit. Nec dici poteſt, ex ſcriptis TEZELII vix vllum exemplum ſupereſſe; quippe quae maximam partem in *tomis operum* LVTHERI, alibique paſſim exhibentur. LVDOVICVS quoque ELL. DV PIN de PRIERIATE neutiquam tam praeclare ſentit, quam patres iſti Dominicani. Eum enim TEZELIO & ECKIO multum poſtponit. Immo ingenue agnoſcit, ſcriptum PRIERIATIS, quo nonaginta quinque propoſitiones LVTHERI refutare adgreſſus eſt, nihil fere aliud, quam *cenſuras iniurioſas* contra Lutherum, ſingulasque eius propoſitiones, continere. *Non diſputat*, inquit, *ſed minatur, & imperat, ſummamque pontifici in temporalibus & ſpiritualibus poteſtatem tribuit, vt haereticos ſtatim punire ipſe poſſit, vt neceſſe non ſit, rationibus eos ad obſequium reuocare.* Iſta hominis ſtoliditas merito diſplicuit DV PINIO, qui porro addit, cum reſponſo LVTHERI ſummam libri ſui *de poteſtate & de indulgentiis* oppoſuiſſet; LVTHERVM iſtud eius ſcriptum ne dignum quidem iudicaſſe, ad quod ſerio reſponderet, ſatisque illi fuiſſe, obſeruationibus quibusdam illud profligare; *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XIII. part. I. cap. II. p.* 36. Quando autem idem vir doctus *l. c. p.* 34. TEZELIVM eruditione & ſubtilitate ingenii LVTHERO parem fuiſſe, pronuntiat; magnopere fallitur. Secus enim ſe rem habere, ne quid de euentu certaminis dicam, vel ſcriptorum ab vtroque editorum inſpectio vnumquemque docere poterit. IACOBO quoque HOOGSTRATTANO, ſiue DE HOOGSTRATT, breuiſſima refutandi LVTHERVM ratio placuit. Auctor namque pontifici fuit, vt damnatum LVTHERVM ſtatim comburi iuberet, niſi palinodiam canere vellet. Atque ex hiſce facile egregios iſtos diſputatores, ceu ex vngue leonem, agnoſcas. Nec multo iis meliores fuere reliqui, qui in hoc certamine ingenii periclitati ſunt vires, LVTHERO ſolum victoriarum augendi numerum occaſionem praebentes: AMBR. CATHARINVS, IO. FISCHERVS, Roffenſis in Anglia epiſcopus, Henrici VIII regis hyperaſpiſtes, male tandem ab illo mulctatus, quod pro capite eccleſiae anglicanae eum agnoſcere nollet, ſupplicioque adfectus ſupremo, IO. DRIEDO, IOD. CLICHTOVEVS, IOAN. FABER, Viennenſis in Auſtria epiſcopus, IAC. LATOMVS, IO. COCHLAEVS aliique; ſuo quidem merito obſcuriſſimi. Horum contra LVTHERVM edita ſcripta, aut quae LVTHERVS iterum iis oppoſuit, recenſere, ab inſtituto noſtro minime alienum videri poterat; ſed & longum nimis foret, ac taedioſum, & aliarum quoque rerum, quae ſe nobis offerunt, multitudine prohibemur.

Vt autem reliquos LVTHERI aduerſarios omnes eruditionis gloria magno poſt ſe reliquit interuallo DESID. ERASMVS Roterodamenſis; ita res ipſa poſtulat, vt de

de eius cum LVTHERO certamine quaedam commemoremus. Nimirum, etſi natura ſua a controuerſiis abhorrebat ERASMVS, & initio a cauſſa LVTHERI non adeo alienus eſſe videbatur; pontificum tamen cardinalium, epiſcoporum, Angliae regis, aliorumque ſollicitationibus, immo comminationibus, ſe induci paſſus eſt, vt, inuitus licet, calamum arriperet, librumque *de libero arbitrio* an. 1524 contra LVTHERVM ederet. Conferenda, quae hac de re a me dicta ſunt *obſeruation. ſelect. ad rem litterar. ſpectant. tomo IV. obſ. XXI. §. V. pag. 445.* Eum equidem eſſe ERASMVM, multi exiſtimabant, quocum vix congredi auderet LVTHERVS. Vt autem ipſemet ERASMVS & de ſe, & de LVTHERO aliter ſentiebat; ita illos ſpes ſua magnopere fefellit. Ingenue faſſus eſt ERASMVS, ſe *dum diatriben* ſuam ſcriberet, in ſua arena non eſſe verſatum; vid. *epiſtola* eius *ad Ioannem epiſcopum Roffenſem lib. XVIII. ep. XLVII.* & ad *Hezium pontificis ſecretarium, ep. XLVIII.* LVTHERVS quoque, quod ERASMVM ob eruditionem plurimi faceret, inuitus fere ad reſpondendum acceſſit. Tandem tamen reſpondit, edito libri *de ſeruo arbitrio* circa finem an. 1525 qui *tomo II. latin. Witteberg. 457. ſeqq.* extat, & ſeorſim quoque euulgatus eſt, vt deinceps dicemus. Tanta doctrinae ſoliditate huncce libellum ſcriptum eſſe, vt LVTHERVS ſe ipſum velut ſuperauerit, vel aduerſarii fateri coguntur. Et licet acriora quaedam in ipſa tractatione ei exciderint; haec tamen in exordio & epilogo quodammodo emollit: quamquam ne ſic quidem impedire potuerit, quo minus ERASMVS vehementer exardeſceret, qui & *hyperaſpiſten* ſuum iterum illi oppoſuit. Nec leuis momenti res erat, de qua inter vtrumque diſputabatur. Scholaſticae theologiae, in qua Pelagiani regnabant errores, iugulum doctrina ſua petebat LVTHERVS. Huic itaque in tantas anguſtias redactae ſuppetias ferre, dignum ERASMO cenſebatur opus. Sunt autem nonnulli, qui exiſtimant, contigiſſe hic beato LVTHERO, quod multis magniſque eccleſiae doctoribus contigiſſe, non ſemel obſeruauimus, vt ad alterum paulliſper deflecteret extremum, &, omni libertate arbitrii homini denegata, fatalique quadam introducta neceſſitate, praedeſtinationi abſolutae faueret. Vellent quidem illud reformatae eccleſiae doctores, qui eam ob cauſſam certatim huncce LVTHERI librum laudant, quod, ſuis eum patrocinari placitis, credunt. Hinc GEO. HORNIVS eum *diuinum* vocat, *quo poſt apoſtolica ſcripta nullus lectione & meditatione ſit dignior; hiſt. eccleſ. p. m. 447.* Et ex hocce etiam cumprimis libro, LVTHERVM in doctrina de gratia & praedeſtinatione cum ſchola IO. CALVINI conſentire, BENED. PICTETVS demonſtrare voluit, in commentatione, quam inſcripſit: *virorum immortalis & beatae memoriae Lutheri & Caluini conſenſus, in quaeſtionibus de praedeſtinatione & redemtione Ieſu Chriſti,* Geneuae an. 1700. 8. edita. Nec ſane diffitemur, nonnulla paullo durius dicta viro ſummo, & in certaminis aeſtu conſtituto excidiſſe; at ea ita comparata eſſe, vt non tantum commodum ſenſum admittant, ſed ita quoque ſecundum leges legitimae interpretationis accipienda ſint, beatus SEB. SCHMIDIVS, theologus quondam Argentoratenſis longe celeberrimus, in *adnotationibus* ad huncce LVTHERI librum, luculenter demonſtrauit. Quas viri iſtius doctiſſimi *adnotationes*, cum praeter alios PETR. YVON, ex Labadiſtarum familia, arroderet, ac ſi ad mentem alienam LVTHERO adfingendam comparatae eſſent, idque parum illi feliciter ceſſiſſet; vindicias pro SEB. SCHMIDIO parauit IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, theologus itidem Argentoratenſis, in *praefatione apologetica*, editioni ſecundae libri *de ſeruo arbitrio* cum *adnotationibus* SEB. SCHMIDII, quae Argentorati an. 1707. 4. pro-

prodiit, praemiſſa. Ex aliis inſuper LVTHERI ſcriptis, teſtimoniis quam plurimis euinci poteſt, LVTHERVM de gratia Dei vniuerſali, deque praedeſtinatione, ita docuiſſe, vt nulla ratione reformatae eccleſiae ſuffragetur ſententiae; id quod euidentiſſime demonſtrauit vir doctiſſimus IO. IAC. RAMBACHIVS, in libello, quem inſcripſit: *des ſeeligen Mannes Gottes Martini Lutheri wahre Meynung von der allgemeinen Gnade Gottes, der allgemeinen Krafft des Verdienſtes Chriſti, der ewigen Verſehung &c. mit einer apologetiſchen Vorrede, darinne die Lehre des ſeeligen Mannes von dieſen Puncten gegen allerley neu-wiederholte Beſchuldigungen vertheidiget wird;* Ienae 1722. 8.

Non tantum autem cum pontificiis certamen ſubeundum fuit LVTHERO; ſed & cum ANDR. CAROLOSTADIO, eiusque adſeclis, anabaptiſtis, & aliis eiusdem commatis hominibus. Putabantur haec certamina initio cauſſae, quam LVTHERVS tuebatur, ingens impedimentum adferre; quod nec ipſe diffitetur, in libro mox laudando, ſcribens: *ſcio pontificios ſumme laetari de hoc diſſidio, & ex eo interitum nobis ominari; glorientur vt volent &c.* Cumprimis hoc ita ſe habere videbatur, cum controuerſiae ſacramentariae cum ZWINGLIO, & qui cum eo faciebant, accederent. Sed intrepido haec omnia animo excipiebat LVTHERVS, euentumque diuinae committens prouidentiae, nullam occaſionem, veritatem propugnandi, praetermittebat. Celebris hic prae reliquis eſt liber eius *aduerſus caeleſtes prophetas*, circa finem anni 1524 aut initium anni 1525 conſcriptus, quemue *tomo III. Altenburg. pag. 40. ſeqq.* legere licet. De grauiſſimis doctrinae euangelicae capitibus in eo, more ſuo, profunde ac ſolide diſſerit, caputque cauſſae neruoſe explicat, quando *p. 66.* de oeconomia Dei verba facit. Duplici namque modo Deum nobiscum agere, ait, *externe* & *interne. Externe* per praedicationem euangelii & per ſacramenta, prout ſunt ſigna corporalia; *interne* per ſpiritum ſanctum & fidem, ita tamen, vt externa numquam non praecedant; neque enim interna dare Deum, niſi per externa. Ita vtique eſt, ſi quis externa ſectetur ſine internis, in phariſaeiſmum, & hypocriſin incidit papiſticam; ſi quis interna ſine externis captet, aut legitimum non obſeruet ordinem, in enthuſiaſmum & fanaticiſmum praeceps ruit. Iungendus VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. II. §. IX.* Legenda &, quae de hocce libro obſeruat VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. I. lib. I. cap. I. p. 40.* Longe maiorem ſtrepitum dedere controuerſiae *ſacramentariae*, pluribus vehementiſſimisque ſcriptis utrimque agitatae. Inter ea, quae LVTHERVS in hacce cauſſa compoſuit, primum praecipuumque locum tenet libellus, *quod verba Chriſti: hoc eſt corpus meum, adhuc firma ſtent, (daß die Worte Chriſti: das iſt mein Leib, noch feſte ſtehen)* germanice an. 1527 ſcriptus. Exſtat *tomo III. Altenburg. p. 691. ſeqq.* ſeorſim quoque cum adnotationibus quibusdam recuſus eſt opera & ſtudio IO. CHRISTOPH. CRAMERI, Ienae an. 1720. 8. Cauſſas grauiſſimas fuiſſe LVTHERO, librum huncce edendi, oſtendit VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum*, vbi de eo verba facit *part. I. lib. I. cap. II. p. 83. ſeqq.* Non tantum autem LVTHERVS in eo, quod caput cauſſae erat, ſtrenue egit, praeſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra coena defendendo; (quod tam inuictis rationibus, tantaque ſermonis efficacia praeſtitit, vt lectorem vel inuitum ad adſenſum rapiat, immo velut cogat) ſed & ad exprobratum ſibi ab aduerſariis contendendi & litigandi pruritum paſſim reſpondet, docetque, etſi diſſenſus iſte ab aduerſariis pro re leuioris momenti venditetur, ob quam eccleſia

Digitized by Google

cleſia euangelica in partes ſcindi non debeat; non deſinere tamen eos, miſſis velut reliquis doctrinae capitibus, huncce errorem ſuum vbiuis & quauis occaſione inculcare. Conqueritur etiam, MART. BVCERVM quaedam ſcripta ſua interpolare auſum eſſe, praeſertim *poſtillam* ſuam *eccleſiaſticam*; quam librorum omnium a ſe editorum optimum a ſe haberi, teſtatur, qui nec ipſis pontificiis diſpliceat. Quae quidem exprobratio in editione tomorum Wittenbergenſium expuncta fuit, indignante, & publica apologia culpam a ſe amoliente, GEO. RORARIO; vid. *tom. III. Altenburg. p. 740.* Quam ingratum hocce LVTHERI ſcriptum diſſentientibus fuerit, & quam vehementer argumentum eius, de omnipraeſentia humanae naturae in Chriſto ex vnione perſonali deductum, improbauerint, & exagitauerint; ex refutationibus, quas paullo poſt ediderunt, notum eſt, & ex RVD. HOSPINIANI *hiſtoria ſacramentaria* conſtat. Adcuſabant autem aduerſarii LVTHERVM, ac ſi ambitionis ſolum ſtimulis incitatus tam acriter ſententiae ſuae inſtiterit; ne laus ſibi ab aliis praerepta videretur, aut alia quoque dogmata ſua in contemtum venirent. Sed ſolide contra hocce ἔγκλημα LVTHERVM defendit VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſt. Lutheran. lib. II. §. XXX.* Huic LVTHERI ſcripto in eodem argumento iungimus alterum non minoris momenti, quod inſcribitur: *confeſſio magna (die groſſe confeſſion)* quia ſcilicet breuiorem confeſſionem alio tempore conſcripſit. *Magnam* hancce, quam vocat, *confeſſionem* an. 1528 edidit, exſtatque *tomo III. Altenburg. p. 812. ſeqq.* Tribus conſtat partibus, quarum prima HVLD. ZWINGLIO oppoſita eſt, altera IO. OECOLAMPADIO, in tertia confeſſionem fidei ſuae edidit, in qua ad mortem, vsque Deo iuuante, ſe perſiſtere velle, ſancte teſtatur, & iam in euentum contradicit omnibus, qui poſt mortem ſuam aliam ſibi doctrinam adfingerent. *Non ſum ebrius*, inquit, *aut inconſideratus; ſcio, quid loquor, & agnoſco, hoc mihi in iudicio extremo coram domino noſtro Ieſu Chriſto imputari debere; nemo me nugari aut iocari credat, ſerio loquor.* Etſi autem in prima & ſecunda libri huius parte ex inſtituto de ſacra coena agat, praeſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti ſolide euincens; in vltima tamen & de reliquis caeleſtis doctrinae capitibus, de Deo triuno, de Chriſto, eiusque perſona & officio, de libero arbitrio, bonis operibus, ceteriſque, fidei ſuae profeſſionem edit. Legendus iterum VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. II. §. XLI.* itemque VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum, part. I. lib. I. cap. II. §. XVII. p. 88. ſeqq.* Reliqua in cauſſa ſacramentaria a LVTHERO edita ſcripta mitto.

Praeter hactenus commemoratos tandem & *antinomi*, auctore IO. AGRICOLA, moleſtiam LVTHERO crearunt. Hi namque, cum legis vſum tollerent, poenitentiamque non ex decalogo, ſed ex euangelio docendam eſſe, contenderent; LVTHERVS quinque diſputationes AGRICOLAE, diſſimulato tamen eius nomine, an. 1538 oppoſuit, quibus an. 1540 ſexta acceſſit. Exſtant latine *tomo I. Witteberg. pag. 400. ſeqq.* In iis LVTHERVS ſententiam ſuam, reiecto ſcholaſticorum, legi & viribus hominum plus iuſto tribuentium, dogmate, ita explicat, vt, legis officium eſſe, dicat, reuelare iram Dei, ſiue, ad peccatorum agnitionem & poenitentiam homines deducere, ita vt poenitentia proprie ſic dicta a lege inchoëtur. Memorabilis eſt eius de antinomis querela: *concionantur pulchre de gratia & remiſſione peccatorum, & de redemtione; ſed fugiunt vitantque doctrinam de ſanctificatione & de noua vita in Chriſto, ne ſcilicet terreantur homines, ſed perpetuis fruantur ſolatiis. Cum enim dicere deberent,*

rent, non potes eſſe chriſtianus, ſi es adulter, fornicator, ebrioſus, ſuperbus, auarus, foenerator &c. dicunt, ſi talis es, crede modo in Chriſtum & non erit, vt legem metuas, Chriſtus enim totam impleuit. Conferendus VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. III. §. LXXXII.* Denique & vir maximus cum Iudaeis in arenam deſcendit, qui, per diſſidium de religione in Germania ferociores facti, audacius ſuam tueri ſuperſtitionem, inſtituebant. Refert LVTHERVS ipſe, in libro mox citando, Iudaeos, cum audiuiſſent, Wittebergae linguae ebraeae ſtudium florere, librosque ſuos legi, magnam ſpem de meliori rerum ſuarum ſtatu animo concepiſſe, ideoque tres doctos ex illis ad ſe veniſſe viros, quibuscum de religione diſputauerit; eo quidem euentu, vt quando ſcripturae ſacrae effata illis opponerentur, ſuas pro more adferrent interpretationes, & ad auctoritatem rabbinorum ſuorum prouocarent. Se tamen, ait, miſertum illorum eſſe, etiam interceſſione eos iuuiſſe, vt a vectigali ob iter illud ad ſe ſuſceptum immunes eſſent; comperiſſe nihilominus poſtea, illos blaſphemos in Chriſtum fuiſſe, eumque conſueto conuicio תלוי *ſuſpenſum* vocaſſe; ideo ſe conſtituiſſe, eos miſſos facere, & irae diuinae cum Paulo relinquere; deteriores enim fieri, ſi beneuole tractentur. *Tractatum* itaque compoſuit *de Iudaeis & eorum mendaciis (von den Iuden vnd ihren Lügen)* qui anno 1542 ſcriptus, ſed ſequenti anno editus, germanice legitur *tomo VIII. Altenburg. pag. 208. ſeqq.* latine *tomo VII. Witteberg. p. 166. ſeqq.* Poſtea & alium librum euulgauit, quo exſecrandam Iudaeorum calumniam refutat, de Chriſto ſeruatore noſtro, ac ſi vi nominis tetragrammati, magicaque adeo arte, miracula perpetraſſet, eadem autem arte a Iuda Iſchariothe victus, ſupplicio adfectus eſſet. Inſcribitur: *de ſchembamphoraſch Iudaeorum*, legiturque *tomo VIII. Altenb. p. 27. ſqq.* conf. VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſt. Lutheran. lib. III. §. CXI.* Addenda, quae de ſcriptis LVTHERI contra Iudaeos refert IO. MATTHESIVS, in *hiſtoria Lutheri, conc. XIV. p. m. 163. ſeqq.* & quae de iis obſeruat IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. V. p. 1033.*

Qualis itaque, quantusque in theologia polemica fuerit LVTHERVS, ex iis, quae diximus, patet. Agnoſcas vbique diſputatorem adcuratum, theologum exquiſitum, veritatis propugnatorem acerrimum. Ipſa eius ſcripta docent, nec quemquam dubitare ſinunt, eum rem ſerio & ex animi ſententia egiſſe, proculque abfuiſſe ab exſecrabili illorum impietate, qui, commodi potius ſui, quam veritatis rationem habentes, ſententiam quamdam defendendam ideo ſuſcipiunt, quod, illud e re ſua eſſe, exiſtimant. Argumentorum ſelectiſſimorum copia, & verborum vbertas & efficacia, dubia inter ſe contendunt palma. Veritatem ita demonſtrat, vt omne ſubterfugium adimat; ita ſtringit, vt ad adſenſum animos legentium rapiat, vrgeat, compellat. Nihil ſibi precario vult concedi, nihil blanditiis, aut ſermone, ad fauorem conſequendum compoſito, obtinere: cogit lectores argumentorum pondere, veritatis demonſtratione triumphat, & vel inuitos ad obſequium, ſanae doctrinae praebendum, trahit. Haec ita manifeſta ſunt, vt nec aduerſarii id negare audeant; qui, ne nihil omnino ſit, quod in LVTHERO reprehendant, duo carpere ſolent, primum, quod inconſtans fuerit, & pugnantia ſecum ſcripſerit; deinde, quod acriori liberiorique ſubinde, quam theologum decebat, ſermone vſus ſit. Ad inconſtantiae autem, quod illi exprobratur, vitium, vti iam dudum noſtrates reſponderunt; ita ſequentia paucis obſeruare, non abs re fuerit. Commune hoc viris eruditiſſimis eſt, vt interdum ſententiam ſuam, meliora edocti,

cti, mutent. Nec AVGVSTINO quiſquam vitio vertit, quod *libros retractationum* ſcripſerit; quin potius maximopere hoc laudari ſolet, quod candoris, animique ingenui eſt indicium. LVTHERVM porro ſenſim profeciſſe, ſciendum eſt. Nec in tanta caligine, quae orbi chriſtiano incumbebat, aliter fieri poterat. Maiori itaque luce colluſtratus, non poterat non repudiare, quae hactenus adprobauerat. Nec id praetermittendum, non vnius generis fuiſſe aduerſarios, quibuſcum LVTHERO conflictandum fuit. Dum itaque modo hunc, modo alium, vrgebat; videri interdum poterat ad alterum extremum paullo propius accedere; reuera autem non acceſſiſſe, intelligent, qui cuncta ſine praeiudicatis opinionibus expendunt. Addendus IOAN. MVLLERVS, in *Luthero defenſo &c. cap. XXI. p. 277. ſeqq.* Stili acrimoniam equidem plurimi in LVTHERO reprehendunt; ſed multa prima fronte duriora videntur, quam re ipſa ſunt; noſtra praeſertim aetate, qua mollior cultiorque loquendi ratio vſu & conſuetudine obtinet. Cogitandum quoque, iuſtiſſimum pro veritate diuina zelum talia LVTHERO velut extorſiſſe; tantamque aduerſariorum eius & impudentiam & pertinaciam, cum ſumma crudelitate coniunctam fuiſſe, vt ſi cum ea ſermones LVTHERI duriſſimi comparentur, molles adhuc videri queant. Legenda, quae pro LVTHERO in hocce capite defendendo diſſerit ERN. SALOM. CYPRIANVS, in *der überzeugenden Belehrung vom Vrſprung vnd Wachsthum des Pabsthums &c. part. II.* quae apologiam pro reformatione continet, *c. VIII. p. 687. ſeqq.* Excandeſcentiam quoque, & quae inde naſcitur, verborum aſperitatem, in ſe ipſo vt naeuum adcuſauit vir beatiſſimus. Vltimo namque vitae ſuae anno de ſe dixit: *Ego liber ſum ab auaritia; a libidine vindicat me adflictum corpus; ſola ira adhuc eſt reliqua, quae tamen plerumque neceſſaria & iuſta eſt.* Conferenda quoque, quae hac de re monet VITVS LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheran. lib. III. §. CXXXIV.* add. IO. MVLLERVS, in *Luthero defenſo, cap. XXII. p. 290. ſeqq.* & quae ipſemet dixi in *commentat. de concordia chriſtianae religion. ſtatusque ciuilis, c. V. §. VIII. p. 184. ſeqq.*

LVTHERI in emendanda purgandaque eccleſia, ac errorum monſtris debellandis, fidelis paraſtata fuit PHIL. MELANCHTHON; cuius vt in omni litterarum genere merita ſunt longe maxima, ita pro defendenda quoque veritate doctrinae euangelicae plurima tum ſuo, tum LVTHERI & collegarum, interdum & ſummorum principum, totiusque eccleſiae euangelicae, nomine, compoſuit ſcripta. Nos praecipua indicabimus, initium ab iis facturi, quae romanenſibus oppoſuit. Studium eius pro veritate primum enituit in diſputatione Lipſienſi, 1519 inter ANDR. CAROLOSTADIVM, & IO. ECKIVM inſtituta. Huic, vt ipſe quidem ſcripſit, otioſus ſpectator tantum adfuit, & in reliquo vulgo ſedit; quamquam alii tradant, ſuccurriſſe eum non parum Caroloſtadio, & ab Eckio increpatum propterea fuiſſe hiſce verbis: *tace tu Philippe, ac tua ſtudia cura, nec me perturba.* Quidquid huius ſit, obſeruauerat MELANCHTHON quaedam, & excerpſerat, cumque, ſe iis, quae de non publicandis actis diſputationis inter partes cauta erant, non obſtringi putaret; relationem huius diſputationis per epiſtolam ad Ioannem Oecolampadium ſcripſit, *iudicii profecto*, vt VIT. LVD. SECKENDORFIVS loquitur, *& modeſtiae plenam.* Hanc mox refutauit IO. ECKIVS, MELANCHTHONEM vt grammaticum contemnens, LVTHERO tamen eruditionis laudem tribuens. MELANCHTHON rurſus aduerſus hancce ECKII inculpationem defenſionem edidit, in qua ſatis, ſe non grammatiſtam,

ſed theologum, demonſtrauit, & *in ſacris litteris terque quaterque omnibus Ecciis doctiorem eſſe*, vt LVTHERVS loquitur, in *reſolutionibus*, SPALATINO inſcriptis *pag. 278.* Legendus VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſt. Lutheran. lib. I. §. LIX.* THOMAS praeterea RHADINVS, ordinis praedicatorum monachus, orationem contra Lutherum *ad principes & populos Germaniae* Romae habuit, vbi theologiam docebat, quam an. 1520 Lipſiae recudi curauit HIER. EMSERVS, iuratus Lutheri hoſtis. Ipſum equidem EMSERVM orationis iſtius auctorem eſſe, initio LVTHERVS pariter ac MELANCHTHON ſuſpicabantur. At poſtea patuit, eam omnino RHADINO tribuendam, quod & confirmant IACOB. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptoribus ordinis praedicator. recenſitis tom. II. ſaec. XVI. p. 74.* vbi plura de hocce auctore legere licet. MELANCHTHON itaque ſub DIDYMI FAVENTINI nomine orationem elegantiſſimam doctiſſimamque pro Luthero, principibus itidem Germaniae dicatam, edidit, quae *tomo II. operum* eius *p. 58. ſeqq.* exſtat, dignaque eſt, quae legatur ab omnibus. Supra iam obſeruauimus, MELANCHTHONEM apologiam pro Luthero contra theologos Pariſienſes edidiſſe: *aduerſus furioſum theologaſtrorum Pariſienſium decretum.* Exſtat ea *tom. II. operum* eius *pag. 82. ſeqq.* De qua quae iam dicta ſunt, non repetam. De *apologia Auguſtanae confeſſionis*, vtpote quae inrer libros ſymbolicos eccleſiae noſtrae recepta eſt, iam ſupra egimus *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. VII.* quemadmodum & de *repetita Auguſtana confeſſione*, quae itidem PHILIPP. MELANCHTHONEM auctorem agnoſcit, ibidem verba fecimus, ad §. *VIII. pag. 489. ſeqq.* Conſtat ceteroquin, quo pacto MELANCHTHON ab Hermanno, Colonienſi archiepiſcopo, an. 1543 Bonnam euocatus ſit, vt cum MART. BVCERO Colonienſium eccleſiarum emendationem ſuſciperet. Ea re cum vehementer irritati eſſent pontificii; eodem adhuc anno contra BVCERVM, reuera contra omnes proteſtantes, prodiit libellus, latine nec ineleganter ſcriptus: *iudicium deputatorum vniuerſitatis & ſecundarii cleri Colonienſis de doctrina & vocatione Martini Buceri.* Illi autem non tantum BVCERVS, ſed & MELANCHTHON, reſponſum oppoſuit, quod inter ſcripta eius, in hoc genere compoſita, principem facile tenere locum iudicatur, legiturque *part. II. operum* eius *pag. 93. ſeqq.* add. VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. III. §. CVII.* Inter ea, quae publico nomine compoſuit, haud vltimum locum tenet *libellus recuſationis contra concilium Tridentinum*, an. 1546 publicatus, ſed a MELANCHTHONE concinnatus. Plenius inſcribitur: *Cauſſae, quare & amplexae ſint, & retinendam ducant doctrinam, quam profitentur eccleſiae, quae confeſſionem, Auguſtae exhibitam imperatori, ſequuntur, & quare iniquis iudicibus collectis in ſynodo Tridentina, vt vocant, non ſit adſentiendum;* exſtatque *parte IV. operum* eius *p. 772. ſeqq.* & in linguam quoque germanicam conuerſus eſt tum a IVSTO IONA, tum ab anonymo quodam. Exhibetur etiam a VITO LVD. SECKENDORFIO, *hiſt. Lutheran. lib. III. §. CXXX.* Non temere pro euangelicis elegantior conſcripta eſt apologia, in qua & innocentia illorum oſtenditur aperte, & dogmatum, quae profitentur, veritas demonſtratur ſolide, & aduerſariorum errores profligantur, tanto argumentorum pondere, & ſermonis copia, atque nitore, vt cum praeſtantiſſimis, quas olim patres ad gentiles pro chriſtianis ſcripſerunt, apologiis, comparari poſſit. His denique adiungo *reſponſiones* MELANCHTHONIS *ad articulos inquiſitionis bauaricae*, an. 1559 ab eo conſcriptas, quae *tomo I. operum* eius leguntur *p. 362. ſeqq.* & in *corpore* quoque *doctrinae Philippico* continentur; vti ſupra iam obſeruauimus, *libri* hu-

huius *II. cap. II.* ad *§. VIII.* In his enim itidem capita praecipua doctrinae, de quibus inter Lutheranos & pontificios diſceptabatur, ſuccincte & perſpicue explicat. Atque haec aliaque cum ex inſtituto contra pontificios ſcripſerit; ſubinde tamen, & oblata velut occaſione, in commentariis, orationibus, epiſtolis, aliisque ſcriptis, eos redarguit, & fundamenta doctrinae illorum labefactat.

Turbarunt praeterea eccleſiam inteſtinae diſſenſiones, quibus neutiquam nudus ſpectator adfuit MELANCHTHON. De *Zwinglianis* controuerſiis, & quam in iis perſonam ſuſtinuerit, deinceps dicemus. *Anabaptiſtarum* quaenam fuerit origo, & in quem tandem furorem eruperint, notum eſt. Initio MELANCHTHON pro ingenii ſui manſuetudine iſtos homines tolerabat, nondum perſpiciens, quorſum res euaſura eſſet. Legendus IOACH. CAMERARIVS, in *vita Melanchthonis §. XIV. p. 50.* Reprehenſus idcirco eſt a LVTHERO, ad eum ſcribente: *venio ad prophetas, ac primo non probo tuam timiditatem, cum & maiori tum ſpiritu tum eruditione polleas, quam ego*; conf. IO. FRID. MAYERVS, in *diſſertat. de lenitate Philippi Melanchthonis p. 35. 36.* Hinc excitatus, paſſim in ſcriptis ſuis errores & deliramenta, vt vocat, iſtorum hominum perſtringit. Eos ſequutus eſt CASPAR SCHWENCKFELDIVS, nobilis Sileſius, qui varios hinc inde adeptus eſt ſectatores. His nomine theologorum, Smalcaldiae an. 1537 congregatorum, libellum oppoſuit, inſcriptum: *Scriptum in conuentu Smalcaldienſi propoſitum a theologis, qui ibi adfuerunt, contra Schwenckfeldium, Sebaſtianum Francum, & nonnullos errones alios.* Mirifice etiam eccleſiam, praeſertim boruſſicam, hac aetate perturbarunt ANDREAS OSIANDER, FRANC. STANCKARVS, & FRID. STAPHYLVS, quibuscum & MELANCHTHONI confligendum fuit. Primas, quas ANDREAS OSIANDER, homo ferocis & turbulenti ingenii, diſputatione ſua de poenitentia, excitauit lites, MELANCHTHON prudentia & auctoritate ſua compoſuit. Legendus CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS, in *der preuſſiſchen Kirchen-Hiſtorie lib. II. c. II. pag. 314.* At cum, errores ſuos iterum diſſeminando & acriter defendendo, nouos motus excitaret, nec a ſententia ſua, quam de iuſtificatione hominis fouebat, vlla ratione dimoueri poſſet; praeter alios theologos & MELANCHTHON, edito *reſponſo ad librum Oſiandri de iuſtificatione*, eamdem refutauit. Iniuriis autem grauiſſimis licet ab OSIANDRO laceſſitus, ſumma tamen lenitate & animi moderatione erga eum vſus eſt; conf. CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS, *l. c. p. 349.* FRANC. autem STANCARVS, gente Italus, dum OSIANDRO in Boruſſia contradicere ſtudet, in contrarium errorem incidit, Chriſtumque μεσίτην noſtrum tandum ſecundum humanam naturam eſſe, adſeruit. Quem eius errorem praeter alios & MELANCHTHON ſibi profligandum ſumſit, in *reſponſione de controuerſiis Stancari*, quae *operum* eius *tomo I.* exſtat, *pag. 345. ſeqq.* & in *corpore doctrinae pag. 843. ſeqq.* editionis, quae latine an. 1580. 8. prodiit. In ea cuncta ad duas, ceu praecipuas, quae STANCARO cum aliis intercedebant, reuocat controuerſias; quarum altera erat de modo loquendi in communicatione idiomatum, altera de Chriſto mediatore. Vtramque breuiter quidem, ſed neruoſe & luculenter, pertractat. Addendus hiſce eſt FRIDER. STAPHYLVS, qui cum, contentiones cum OSIANDRO non plane ex animi ſententia ſibi ſuccedere, videret; an. 1553 ad romanenſium caſtra tranſiit, conſiliarii caeſarei & bauarici, ac inſpectoris in academia Ingolſtadienſi, dignitate auctus. Scio, aliam defectionis eius cauſſam adferri ab IOACH. CAMERARIO, in *vita Melanchthonis*

§. XL. p. 132. Sed hanc tradit atque confirmat CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS, in *der preuſſiſchen Kirchen-Hiſtorie lib. II. cap. II. p. 342.* qui & illorum ſententiam, qui STAPHYLVM numquam doctrinae euangelicae addictum fuiſſe, antumant, expendit, ibidem *p. 311. ſeqq.* Vt ſuam itaque fidem ac integritatem romanae eccleſiae probaret STAPHYLVS; *epitomen*, quam vocat, edidit, *trimembris theologiae Lutheranae*, in qua omnem furorem ſuum in proteſtantes effudit, *Mirificum & ioculatorium ſcriptum* illud adpellat IOACH. CAMERARIVS, *ſed ita impurum ac potius ſpurcum, itaque calumniis & mendaciis conflatum, vt quamuis neque dolere, contra ſe iſtiusmodi, neque pro ſe edi gaudere, quisquam debeat, aut poſſit; rabies tamen iſta animaduerſione digna eſſe videatur*; in *vita Melanchthonis §. XL. pag. 132.* Indignum itaque licet hocce STAPHYLI ſcriptum eſſet, quod refutaretur; quia tamen eccleſiae Lutheranae talia exprobrat, quibus ſimpliciores in errorem adduci poterant; MELANCHTHON *reſponſionem ad criminationes Staphyli & Arii cuiusdam Colonienſis*, edidit, quae *operum* eius *tomo IV.* legitur, *p. 813. ſeqq.* Cum inter alia, inteſtina & domeſtica eccleſiae noſtrae certamina, a STAPHYLO obiecta eſſent: MELANCHTHON ita reſpondet: *ſentimus noſtra vulnera, & ea deploramus. Sed oratoris impudentiam miror, qui ita nobis aerumnas noſtras exprobrat, quaſi nulla ſint ſcelera ſuae factionis. Multi morbi, multa vitia ſunt in vtraque parte, quae puniri agnoſcamus, nosque ad emendationem exſuſcitemus. Illud autem ſciamus, de doctrina non ex aerumnis iudicandum eſſe, cum notum ſit, eccleſiam ſubiectam eſſe cruci.* Tandem, cum MICH. SERVETVS ſuae impietatis venenum ſpargere coepiſſet; nec in grauiſſimo hocce doctrinae ſacrae capite, eccleſiae deeſſe MELANCHTHON voluit; ſcripſitque adeo *refutationem erroris Serueti & anabaptiſtarum*, quae & in *corpore doctrinae* eius exhibetur, *p. m. 831. ſeqq.* editionis antea iam memoratae.

Hactenus in ſcriptis ſuis polemicis bene ſe geſſit MELANCHTHON. At aliud nunc ſupereſt controuerſiarum genus, in quibus labem quamdam exiſtimationi ſuae vir optimus doctiſſimusque adſperſit. Notum omnibus eſt, quos in Germania animorum motus excitauerit famoſiſſima illa formula, *interim* dicta. Quam cum MATTHIAS FLACIVS, NIC. GALLVS, NIC. AMSDORFIVS, aliique acriter impugnarent; Wittebergenſibus tamen & Lipſienſibus theologis mitiora placuere conſilia, vnde magna exorta ſunt certamina. Culpa earum contentionum in PHIL. MELANCHTHONEM conferebatur. Etſi enim initio non diſſimularet, ſcriptum hocce *(interim)* a ſe pro impio, fallaci, nec probando, haberi, immo primus eſſet, qui, iudicio aduerſus illud compoſito, & ad Mauritium electorem directo, quam id minime ſibi ſatisfaceret, oſtenderet, quod *tomo I. conſilior. Wittebergenſ. p. 886.* legitur; deinceps tamen, cum alia formula, quae *interim Lipſienſe*, itemque *nouum* & *paruum* vocatur, conderetur, in Mauritii electoris gratiam, ſuaſuque miniſtrorum quorumdam aulicorum, quocumque modo imperatori gratificari cupientium, adiaphora nimium quantum laxauit, & multa doctrinae capita adiaphora declarauit, quae talia eſſe, alii negabant. Repetenda, quae hac de re diximus *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. VIII.* vbi etiam laudauimus IOAN. ERDM. BIECKII libellum, *das dreyfache interim* dictum, qui & *cap. III. p. 391. ſeqq.* ſcripta, in cauſſa adiaphoriſtica edita, diligenter recenſet, quae haud exiguam theologiae polemicae iſtius aetatis partem conſtituunt. Iungere licebit IO. FRIDER. MAYERI *diſſertationem de lenitate Philippi Melanchthonis p. 12. & 75.* IOACH. CAME-

ME-

MERARIVS negotium hocce ita enarrat: *Cum autem quaereretur de iis, quae quaſi indifferentia ſeruari aut omitti, impium eſſe non videretur, Philippus Melanchthon edito ſcripto luculenta hoc breuitate explicauit, & definiendo ſolerter & exemplis illuſtrando. Sed nihil proficiebatur ad eos, qui neque audire, quae dicebantur, neque ad ea, quae demonſtrabantur, adſpicere volebant. Qui & verboſitate indiſerta, & nominum mirabili ignotaque ſpecie, fucum faciebant, & imponebant multitudini imperitae, interimiſtas & adiaphoriſtas per ignominiam adpellantes, a quibus ſeceſſerant;* in *vita Melanchthonis §. LXXXIII. p. 292.* Quae CAMERARII verba addictum nimis in hac cauſſa MELANCHTHONIS partibus animum ſatis produnt. Acceſſerunt porro controuerſiae, quae vocantur, *ſynergiſticae*, a MELANCHTHONE itidem deriuandae. Primus equidem ſententiae iſtius, quae naturae viribus in hominis conuerſione plus, quam decet, tribuit, auctor iſta aetate DESID. ERASMVS Roterodamenſis fuit, in ſua *de libero arbitrio* commentatione, quam a LVTHERO refutatam, antea diximus. MELANCHTHONEM initio abſolutam quamdam ac fatalem in rebus humanis neceſſitatem ſtatuiſſe, quamquam non deſint, qui in mitiorem partem ſententiam eius interpretari velint, ſupra obſeruauimus, *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XIII.* Mutata autem deinceps, praeſertim poſt mortem LVTHERI, ſententia, ERASMVM in hocce doctrinae capite ſequi coepit. Veſtigia eius hac in re preſſerunt GEORGIVS MAIOR, PAVL. EBERVS, IOAN. PFEFFINGERVS (cuius etiam exſtat libellus *de adiaphoris*, itemque *contra dolos & fraudes, quibus diuinam veritatem labefactare nonnulli conantur*, vterque germanice ſcriptus) PAVL. CRELLIVS, & alii. Cumprimis VICTOR. STRIGELIVS in hoc certamine enituit, ob diſputationem cum MATTH. FLACIO illyrico Vinariae anno 1560 inſtitutam; de qua deinceps quaedam monebimus; quemadmodum & ſcripta praecipua in hacce, & quae cum ea coniuncta fuit, Flaciana cauſſa, edita, indicandi, in ſequentibus nobis dabitur occaſio. Ad diſcipulos praeterea ac ſectatores MELANCHTHONIS cum haec controuerſia potius ſpectet, quam ad ipſum MELANCHTHONEM; ad certamina *ſacramentaria* progredimur, quibus virum iſtum doctiſſimum vel maxime, ſed infauſto ſidere, inuolutum fuiſſe, conſtat. Et initio quidem ſerio & ex animi ſententia eum doctrinae verae, quam contra Zwinglianos propugnabat LVTHERVS, addictum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Demonſtrauit id in colloquio Marpurgenſi, an. 1529 inſtituto, vbi non tantum veram praeſentiam corporis ac ſanguinis Chriſti in ſacra coena adſeruit, ſed &, cum Zwinglianis numquam ſe conſenſurum, diſerte profeſſus eſt. Immo anno 1530 ſacramentariis libellum oppoſuit, in quo collegit teſtimonia patrum de coena domini, in cuius etiam praefatione ad FRID. MYCONIVM, tropum in verbis inſtitutionis diſerte reiecit, atque τὸ ῥητὸν in iis vrſit. Idem quoque fraternitatem cum Zwinglianis diſſuaſit, temereque a ſe mutatam confeſſionem Auguſtanam, a LVTHERO, aliisque monitus, reſtituit. Copioſius haec omnia deducit LEONH. HVTTERVS, in *concordia concordi cap. XI. p. 333. ſeqq.* Vt autem deinceps in hocce doctrinae capite claudicare inciperet, initio inde factum videtur, quod patrum, quos vocant, nimium in hacce cauſſa tribueret auctoritati. Legenda, quae hac de re monet VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum part. II. lib. III. cap. III. p. 31.* Accedebat deinde commercium litterarium cum MART. BVCERO, IO. CALVINO, aliisque ex diſſentientium numero, & nimia eruditionis in quibusdam eorum admiratio, hinc ſtudium iis placendi, & quae alia erant eiusdem generis,

Digitized by Google

quae animum iam ceteroquin non ſatis firmum, flectere facile ac commouere poterant. Nec deerat ſpecioſa pacis ac concordiae πρόφασις, MELANCHTHONI eo maiori efficacia imponens, quo ad eam ſua natura erat propenſior, quoque magis neceſſaria videbatur, vt iunctis viribus communi obuiam ire poſſent hoſti. Hinc vacillans, titubansque optimus MELANCHTHON aperte quidem Zwinglianis accedere non audebat, LVTHERVM etiam, quamdiu ille viuebat, metuens; nec tamen aperte illis reſiſtens, ſubinde etiam erga amicos aut diſcipulos animi ſenſum paullo clarius prodens, quem iterum tegebat, adprobando quae Zwinglianis erant oppoſita, quorum nihiloſecius conſiliis clandeſtinis promouere res non intermittebat, quemadmodum & numquam non animum propenſiſſimum erga illos, qui cum iis faciebant, demonſtrabat. Atque hac quidem ratione, cum magna eius eſſet auctoritas, plurimique exemplum eius ſequerentur; fieri aliter non poterat, quam vt inſigniter numerus illorum, qui ZWINGLIVM & CALVINVM ſequebantur, augeretur. Fuſius haec omnia ediſſerunt, quos iam laudauimus, LEONH. HVTTERVS, in *concordia conc. cap. X. p. 333. ſeqq.* & VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. II. lib. III. cap. III. p. 30. ſeqq.* & *lib. IV. cap. VI. pag. 176. ſeqq.* Quemadmodum autem MELANCHTHON numquam induci potuit, vt aperte ſuum cum Zwinglianis conſenſum declararet; ita falluntur iſti reformatae eccleſiae doctores, qui, eum prorſus ad ſua tranſiiſſe caſtra, gloriantur. Perſuadere equidem hoc orbi voluerunt in *tractatu hiſtorico de ſententia Melanchthonis de coena* anno 1596 edito: ſed eum anno ſequenti 1597 refutarunt theologi Wittenbergenſes. De CASP. PEZELIO, aliiſque, qui idem adſeruerunt, vt & iis, qui hanc ſententiam profligarunt, vid. LOESCHERVS, *l. c. lib. IV. cap. VI. §. V. pag. 179.* Cumprimis hoc egerunt IOACH. WESTPHALVS, & PAVL. AB EITZEN, vt demonſtrarent, perperam agere reformatos, qui PHIL. MELANCHTHONEM prorſus ſibi vindicant; quorum ille librum edidit, inſcriptum: *clariſſimi viri Philippi Melanchthonis ſententia de caena domini ex ſcriptis eius collecta*, Hamburgi 1557. 8. hic autem germanica lingua ſcriptum, eodem collineans, compoſuit, quod ἀνέκδοτον a ſe viſum teſtatur IO. MOLLERVS, vir doctiſſimus, in *iſag. in hiſtor. Cherſoneſi cimbr. part. II. p. 178. ſeqq.* Addenda quae hac de re monet IO. FRID. MAYERVS, in *diſſertat. de lenitate Philippi Melanchthonis p. 106. 107.*

Ceterum, quae tum in hiſce, cum reformatae eccleſiae doctoribus, controuerſiis, tum in aliis quoque, eluxit nimia MELANCHTHONIS lenitas, ex timiditate quadam naturali orta, paſſim ei exprobrari ſolet. Moderatio equidem in controuerſiis theologicis numquam ſatis laudari poteſt; ſed omnis haecce laus euaneſcit, quando hoc nomine timiditas, ac intempeſtiuum pacis ac concordiae ſtudium, tegitur. Quare vt in LVTHERO nimius interdum feruor naturae quamdam imbecillitatem prodebat; ita nimia MELANCHTHONIS lenitas, & eum hominem eſſe, demonſtrabat. Interim initio PHILIPPI lenitatem calorem LVTHERI temperaſſe, hunc etiam moderatioribus eius conſiliis multum tribuiſſe, conſtat; adeoque non ſine ſapientiſſima Numinis directione tam diuerſae indolis homines in eccleſiae emendatione ſuſcipienda coniunctos fuiſſe, quorum vnus alterius defectus interdum corrigeret; nemo non agnoſcit. Lenitate tamen ſua MELANCHTHONEM eo abreptum, vt concederet aduerſariis, quae concedenda non erant, negari vtique nequit; idque argumento eſt, ex naturali quadam timiditate eam profluxiſſe. Naeuique huius virum

Digitized by Go

rum huncce egregium non expertem fuiſſe, fatentur reformatae eccleſiae doctores, qui ceteroquin gloriae ſibi ducunt, eum ſuis adnumerare. Ipſe IO. CALVINVS ad IO. SLEIDANVM ſcribit: *dominus eum fortiori ſpiritu inſtruat, ne grauem ex eius timiditate iacturam ſentiat poſteritas; epiſt. CLXXXIII.* Hoc ipſo etiam effecit, vt omnium ſectarum homo cenſeretur, nec placeret ſuis, cum diſplicere vellet nemini. Cumque magna eius eſſet auctoritas; contigit inde, vt aliis ſectis addicti eum ſibi vindicarent. De reformatis iam diximus. RICH. MONTACVTIO, vt hoc addamus, in *praef.it. ad adparat.* audit *theologiae corculum reformatae.* Nec deſunt ex romanenſibus, qui, MELANCHTHONEM in quibusdam contra LVTHERVM ſecum feciſſe, iactitant; quamquam id eo ſolum fine faciant, vt variationem & inconſtantiam proteſtantibus obiiciant. Exemplo ſuo hoc docet IAC. BENIGN. BOSSVETVS, *dans l' hiſt. des variations des Egliſes proteſtantes tomo I. lib. V. pag. 208. ſeqq.* & alibi paſſim. LVD. MAIMBVRGIVS hiſce & Arianos addit. *Philippus*, inquit, *timidus, haeſitans & dubitans de omnibus, atque in dogmatibus parum firmus, de quibus tam diuerſimode ſcripſit, vt Zwingliani, Caluiniſtae, ipſique Ariani, ſuarum eum partium fuiſſe, praetendant; hiſt. Lutheran. lib. II. ſect. XXII.* At mihi non conſtat, quemquam ex antitrinitariis ad conſenſum MELANCHTHONIS prouocare auſum; meritoque hac de re dubito. Quod ſi quis illorum eousque impudentiae progreſſus eſt; ſine vlla eum hoc feciſſe ratione, certum eſt. Addere hactenus dictis iuuabit, quae IO. FRID. MAYERVS ſuppeditat, in *diſſertatione*, non ſemel nobis iam laudata, *de lenitate Philippi Melanchthonis*, an. 1707. 12. recuſa, qua id exſequi voluit, quod IO. AFFELMANNVS, theologus quondam Roſtochienſis, inchoauerat, ſed non perfecerat. Naeui autem iſti PHIL. MELANCHTHONIS, quos diſſimulare non licuit, non impediunt, quo minus maxima eius in rem litterariam & eccleſiaſticam merita celebremus, & grato agnoſcamus animo.

Inter diſcipulos LVTHERI, qui ſimul in veritate doctrinae euangelicae adſerenda, erroribusque diſſentientium profligandis, diligentem eccleſiae nauarunt operam, fuerunt NIC. AMSDORFIVS, IO. BVGENHAGIVS, a patria Pomeranus dictus, IO. BRENTIVS, CASP. CRVCIGER, PAVL. FAGIVS, CASP. HEDIO, GEORG. MAIOR, & alii quam plurimi. Hi in ſcriptis ſuis paſſim, interdum & ex inſtituto, pontificios, anabaptiſtas, Zwinglianos, aliosque refellunt. Et NICOLAI quidem AMSDORFII, generis quoque nobilitate clari, haud obſcurum in theologia polemica nomen eſt. Idem tamen & ob electionem in epiſcopum Numburgenſem memoratu dignus; de qua legendus VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. III. §. XCVI.* Eum plus actionibus ſuis, quam libris, qui nec adeo multi, nec magni momenti ſint, ad eccleſiae emendationem contuliſſe, LVD. ELL. DV PIN exiſtimat, cui & *rigidus ſententiarum Lutheri defenſor* audit; *biblioth. des auteurs ſeparéz de la communion de l' Egliſe Romaine &c. tom. I. part. I. p. 105.* Varia tamen ſcripſit, quae huius loci ſunt. Et contra pontificios quidem lingua germanica *demonſtrationem petitam ex ſacra ſcriptura, romanam eccleſiam defecturam a chriſtiana fide*, an. 1555. 4 *notas in papae Pauli III bullam magnam indulgentiarum & exſtirpationis Lutheri* an 1546. 4. & alia. Ortis in eccleſia noſtr controuerſiis adiaphoriſticis & Maioriſticis, de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem; AMSDORFIVS inter praecipue cum FLACIO fuit, qui ſe MELANCHTHONIS diſcipulis opponebant. Sed in contrarium fere errorem, vitio, multis, qui nimium animi feruorem ad controuerſias the-

theologicas ſecum adferunt, communi, prolapſus eſt, bonaque opera ad ſalutem pernicioſa eſſe, perquam incaute adſeruit, eamque ſententiam ſuam in libro: *daß die propoſition: gute Wercke ſind ſchaedlich zur Seeligkeit, eine recht chriſtliche propoſition ſey*, anno 1559. 4. edito, defendere voluit. Nec dubium, quin haecce formula recte explicari queat. Vtcumque autem explicetur, facili tamen negotio per eam homines in errores grauiſſimos induci poſſunt; ne dicam, quod hac ratione res omnis in meram λογομαχίαν abeat, quam tamen in certaminibus theologicis quauis ratione fugere decet. Reliqua eius ſcripta, quae Zwinglianis, libello *interim*, & adiaphoriſtis, Andreae Oſiandro, Tilemanno Heshuſio, aliisque, oppoſuit, recenſet CHR. HENDREICH, in *pandectis Brandenburgicis voc. Amſdorffius*; & IO. CASP. ZEVMERVS, in *vitis profeſſorum Ienenſ. p. 2. ſeqq.* Legendus quoque de eo REINH. HENR. ROLLIVS, in *bibliotheca nobilium theologorum, ſect. II. cap. I. p. 82. ſeqq.* De certamine, quod AMSDORFIO & FLACIO cum Wittebergenſibus, ob ſcriptorum LVTHERI corruptionem, cuius hi ab illis poſtulabantur, interceſſit, agit GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. c. V. §. XXXII.* Arguitur & a quibusdam, quod vehementioris fuerit ingenii, adfectibusque ſuis in certaminibus theologicis vltra, quam decet, habenas laxauerit; quam in rem idem ARNOLDVS multa collegit, *l. c. lib. XVI, cap. XXVII. §. XI. XII.* Nec negauerim, modum quandoque virum huncce praeſtantiſſimum exceſſiſſe; quod, vt cum aliis illi commune eſt, vitium; ita, multa magnaque eius in eccleſiam eſſe merita, lubentes agnoſcimus. Certamina, quae illi cum aliis eccleſiae noſtrae theologis interceſſerunt, cum modeſta ἐποχῇ ſummatim enarrat VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. III. §. XCVI. addit. R.* Magnam AMSDORFIVS ſubiit inuidiam, ob monetam, quam cudendam curauerat, quae vna nummi parte caput cardinalis, altera morionis referebat; illi adſcriptum erat: *effigies cardinum mundi*, huic: *effoeminati dominabuntur eis.* Idem conferendus SECKENDORFIVS, *l. c. lib. III. §. CXIII. addit. b.* IO. BVGENHAGIVS in emendandis purgandisque a romanenſium ſuperſtitionibus, variis vrbibus & prouinciis Germaniae, regnoque Daniae, ſtudium ſuum atque diligentiam eccleſiae noſtrae probauit. Pugnauit quoque ſubinde cum reformatis, anabaptiſtis, fanaticis, & Flacianis, quae eius certamina in *Cimbria litterata* copioſius ſe exhibiturum, promiſit IO. MOLLERVS, in *hypomnematibus ad Albert. Bartholinum de ſcriptis Danorum p. 262.* vbi & plures laudat, qui de BVGENHAGIO egerint; addenda & eiusdem *iſagoge in hiſtoriam Cherſoneſi cimbr. part. II. cap. IV. §. IV. & V. p. 90. 93.* Scriptorum eius adcuratam enarrationem *epiſtolae* illius *apologeticae ad Chriſtianum III Daniae regem contra ſcriptores adiaphoriſticos &c.* vna cum eius *apologia aduerſus Martinum Bucerum*, in lucem publicam a ſe reductae, ſubiecit CHRISTOPH. FRID. LAEMMELIVS, Hamburgi 1709. 4. Inter polemica eius maxime nota ſunt: *de paedobaptiſmo contra anabaptiſtas*; item *publica confeſſio de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti.* De laboribus eius exegeticis ſuo tempore dicemus. IAC. AVG. THVANO ob eruditionem ſingularem, & animum moderatum, laudatur; conf. ANTONII TEISSIERII *eloges des hommes ſçavans tomo I. p. 127.*

BVGENHAGIO iungimus IO. BRENTIVM, magni itidem nominis theologum. Quem quanti fecerit LVTHERVS ipſe, ex inſigni, quo eum ornauit, elogio patet, quod in *praefatione* ad *opera Brentiana* theologi Wirtenbergici producunt. *Non adulor,*

adulor, (ad BRENTIVM ſcribit) *ſed ſpiritum praedico, qui in te ſuauior, placidior, quietior eſt. Deinde, dicendi artibus inſtructus purius, luculentius, nitidius fluit: itaque magis adficit & delectat. Meus vero, praeterquam quod artibus dicendi imperitus & incultus, nihil niſi ſyluam & chaos verborum euomit; tum etiam eo fato agitur, vt turbulentus & impetuoſus, & veluti luctator cum monſtris infinitis ſemper congredi cogatur. Itaque ſi paruis licet componere magna, mihi de quadruplici ſpiritu Eliae ventus, motus & ignis, tibi autem & tui ſimilibus ſibilus ille blandus, aurae tenuis, qui refrigeret, obtigit*; conf. IO. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplem. hiſt. eccleſ. ſaec. XVI. p. 79.* Licet autem BRENTIVS exegeticis praecipue ſcriptis aeternum ſibi pepererit nominis decus; idem tamen & polemicis inclaruit. Opera eius iunctim edita proſtant, tomis octo Tubingae anno 1576, & ſequentibus, typis exſcripta, quorum vltimus polemica continet, ſpeciatim quae contra PETR. A SOTO & ſacramentarios compoſuit. PETRVS nimirum A SOTO circa annum 1555 amplum aliquod ſcriptum aduerſus confeſſionem Würtenbergicam concinnauerat; cui *apologiam* oppoſuit IO. BRENTIVS, in cuius altera parte omnipraeſentiam quoque carnis Chriſti luculenter adſeruit. Legendus LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. cap. I. p. 35.* Auctor porro eſt BRENTIVS *ſyngrammatis ſucuici*, reformatorum doctrinae de ſacra coena oppoſiti. Cum enim IO. OECOLAMPADIVS ZWINGLIO ſe iunxiſſet, tropum tamen non in verbo *eſt*, ſed in voce *corpus* quaerens, mentemque ſuam in libro *de genuina verborum Chriſti: hoc eſt corpus meum, ſententia*, expoſuiſſet; addita *ad eos, qui euangelium Chriſti in Sueuia adnuntiabant*, epiſtola; paſtores quidam vicinarum eccleſiarum Halae Sueuorum apud BRENTIVM die XXI Octobr. an. 1525 conuenerunt, collationeque inſtituta, quae in ſcripto OECOLAMPADII ſibi diſplicerent, aperuerunt, tandemque vt, quae vnanimi conſenſu protulerant, litteris conſignaret, BRENTIVM rogarunt. Et ita enatum eſt *ſyngramma* hocce *clariſſimorum virorum, qui die XXI Octobris an. 1525 Halae Sueuorum conuenerunt, ſuper verbis domini, contra Io. Oecolampadium*; cui OECOLAMPADIVS iterum *antiſyngramma* oppoſuit. Exhibet hocce *ſyngramma* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *actis & ſcriptis publicis eccleſiae Würtenbergicae*, Tubingae an. 1720 editis, cui & ipſum OECOLAMPADII librum, *de genuina verborum domini &c. ſententia*, praemiſit, *p. 41. ſeqq.* Copioſius etiam idem vir eruditiſſimus de eodem diſſerit in libro commentario *de actis ſcriptisque publicis eccleſiae Würtenbergicae* Tubingae an. 1718 luci publicae expoſito, *cap. I. §. I. p. 3. ſeqq.* vbi & de editionibus *ſyngrammatis* iſtius ac verſione germanica, vt & praefatione, quam LVTHERVS eidem praemiſit, verba facit. Fuerunt, qui BRENTII orthodoxiam in ſuſpicionem vocare adniterentur, irrito quamuis conatu. ROB. BELLARMINVM *lib. III. de incarnatione cap. I.* Neſtorianae haereſeos notam illi impegiſſe, & NAT. ALEXANDRVM *hiſt. eccleſ. ſaec. XV. & XVI. part. I. artic. X. §. III. num. XVIII.* apoſtatam & vxoratum eum vocaſſe, mirum non eſt. Adcuſatus vero etiam a quibusdam noſtrae eccleſiae addictis, ſpeciatim a MAXIM. MOERLINO, ſacrorum eo tempore apud Coburgenſes antiſtite, fuit, quod errori ANDR. OSIANDRI faueret. Legendus hac de re IO. FECHTIVS in *adparatu ad ſupplem. hiſtor. eccleſ. ſaec. XVI. cap. VII. p. 247. ſeqq.* Ex reformatae quoque eccleſiae doctoribus, nonnullos BRENTIVM ſibi vindicare auſos, conſtat, (quamquam alii in eum acriter inuecti ſint) ſed perperam, vt a theologis Würtenbergicis demonſtratum, in *ſolida refutatione compilationis Zwinglianae*, ſiue *con-*

conſenſus Caluiniſtici, Tubingae an. 1584 edita; add. LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. cap. I. p. 35.* Ex inſtituto orthodoxiam BRENTII vindicauit CASP. LOESCHERVS, theologus Wittebergenſis, in peculiari diſſertatione, quae inſcribitur: *Brentius orthodoxus.* Plura quoque de eo dabit LVD. MELCH. FISCHLINVS, in *memoria theologorum Würtembergenſium, part. I. p. 23. ſeqq.* vbi & ſcripta eius adcurate recenſet.

Cum animus nobis ſit, eos ſolum commemorare, qui prae reliquis celebritatem quamdam ſcriptis polemicis conſequuti ſunt; miſſis reliquis, ad MART. BVCERVM nos conuertimus, qui in Argentoratenſi, deinde & anglicana eccleſia, emendanda, plurimum ſtudii collocauit. Scripta eius, vt reliqua, ita & polemica, quae haud pauca, latina pariter ac germanica lingua, compoſuit, IOSIAS SIMLERVS, aliique, recenſent; quibus addendus ANT. TEISSIERIVS, *dans les eloges des hommes ſçavans, tome I. p. 29.* Illud, quod in Anglia *de regno Ieſu Chriſti* ad Eduardum VI regem concinnauit, romanenſibus licet oppoſitum, valde tamen laudatur ab ipſo LVD. ELL. DV PIN, qui & ſummam eius exhibet *dans la bibliotheque des auteurs ſeparez de la communion de l' Egliſe Romaine, tom. I. part. I. p. 193.* Idem vir doctus & alia quaedam eius ſcripta, ad eccleſiae in Anglia emendationem ſpectantia, enarrat. A quibusdam auctor fertur *confeſſionis*, quam quatuor iſtae ciuitates, Argentoratum, Conſtantia, Memminga, & Lindauium, imperatori in comitiis Auguſtanis exhibere voluerunt; quae tamen ab aliis IO. STVRMIO tribuitur, quamquam & id perperam fieri, ſupra obſeruatum ſit, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* Addenda, quae de confeſſione iſta, & quid in hiſce comitiis a BVCERO actum ſit, refert VIT. LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. II. §. LXXVII.* Scripta autem polemica BVCERI partim pontificiis oppoſita fuerunt, partim ad eas controuerſias ſpectabant, quae noſtrae eccleſiae theologis cum reformatis, praeſertim in capite de ſacra coena, intercedebant. De prioribus non habeo, quod moneam; niſi quod ipſi romanenſes viri huius eruditionem laudent. IOANNES certe GROPPERVS, archiepiſcopi Colonienſis ad conuentum Ratisbonenſem legatus, BVCERVM mirifice commendabat, &, inter omnes idoneum eſſe, dicebat, cui religionis emendatio recte committi poſſet; teſte IO. SLEIDANO, *comment. de ſtatu relig. & reipubl. lib. XIV. p. m. 367.* edit. quae anno 1610. 8. prodiit. Immo, CONTARENO cardinali iudice, vbertate doctrinae & theologicae, & philoſophicae, ea etiam in diſputando ſubtilitate felicitateque inſtructus fuit, vt omnibus eccleſiae romanae doctoribus ille ſolus opponi potuerit, vt MELCH. ADAMVS auctor eſt, in *vitis theologor. German. p. m. 108.* At de diſputandi peritia dubites, ſi GILBERT. BVRNETVM audias. Cum enim retuliſſet, aduerſarios eius in Anglia, ſiue ſub argumentationis obtentu, & velut occaſione diſputationis, ſiue reſpectu dogmatum nondum determinatorum, exiſtimationem eius imminuere adniſos; addit: *Nec enim natura & ingenii promtitudine praeditus erat, quae ad diſputationem requiritur, quo abuti conabantur* (aduerſarii eius) *ad conditionem ſuam meliorem faciendam. Qua de cauſſa Petrus Martyr ad ipſum ſcripſit, vt a publicis omnibus diſputationibus abſtineret; hiſtor. reformat. eccleſ. anglic. part. II. p. 109.* In poſterioribus controuerſiis non ſatis ſibi conſtare viſus eſt. Orthodoxia quidem eius aduerſus Zwinglianorum corruptelas, obſeruante IO. FECHTIO, poſtquam anno 1536 Wittebergae cum LVTHERO colloquutus, concordiae quamdam formulam iniit, in ordinatione eccleſiaſtica Argentoratenſi, laudatur & defenditur; quae tamen,

Digitized by Google

men, eodem iudice, neque tam conſtans, neque tam ſincera fuit, quin a Lutheranis pariter ac Zwinglianis ſubinde culparetur. Nam & LVTHERVS aliquando dixiſſe fertur: *Spermologus eſt, nil niſi conciliationes quaerens & tractans; ſed apud me conciliationes ipſius nihil amplius habebunt loci.* Non magis Heluetiis doctoribus placuit, eo, quod eumdem cum LVTHERO conſenſum illis perſuadere adniteretur. Pluribus hoc IO. FECHTIVS comprobat, in *adparatu ad ſupplem. hiſt. eccleſ. ſaec. XVI. p. 61.* add. ABRAH. CALOVII *hiſtoria ſyncretiſt. lib. I. cap. II.* Neſcio, an BVCERO comitem dare debeam ANDR. OSIANDRVM, qui, etſi itidem noſtrarum eſſe partium videri voluit, in eo tamen, quod fere caput rei eſt, a vera doctrina diſceſſit. Pro communi equidem cauſſa ſcripta nonnulla edidit, vt *apologiam catechiſmi Norimbergenſis contra Io. Eckium; epiſtolam apologeticam ad Huldericum Zwinglium, qua docet, quam ob cauſſam, quidque poſt hac ab eo in negotio euchariſtiae expectandum ſit*, & alia. Ad certamina, quae cum orthodoxis eccleſiae noſtrae theologis illi interceſſerunt, deuolutus, varia, in quibus ſententiam ſuam aut expoſuit, aut defendere voluit, edidit, in quibus praecipue memorabilis liber eſt, quem germanice inſcripſit: *Schmeckbier*, id eſt, cereuiſia, quae ſpeciminis inſtar ſit; in quo, quidquid conuiciorum excogitare aut corradere potuit, in theologos ſuae ſententiae aduerſantes coniecit. Specimen itaque impotentis animi, quo OSIANDER laborauit, hicce liber praebuit. Sed nihil moderati ab iſto viro, gratia principis freto, exſpectari poterat. MATTHIAS FLACIVS auctor eſt, hoc eum compoſuiſſe ſcriptum, priusquam aduerſariorum ſuorum cenſuras legiſſet, quibus tamen iſtud oppoſuerat: in *der Verlegung des vnwarhafften vngegründeten Berichts Hans Funcken von der Oſiandriſchen Schwaermerey*, apud CHRISTOPH. HARTKNOCHIVM, in *der preuſſiſchen Kirchen-Hiſtorie lib. II. cap. II. p. 351.* vbi plura hac de re. Suam ceteroquin OSIANDER & propoſuit, & defendit, ſententiam, in *diſputationibus duabus, vna de lege & euangelio, altera de iuſtificatione;* in *libro de imagine Dei, quid ſit?* item *an filius Dei fuerit incarnandus, ſi peccatum non introiuiſſet in mundum;* in *epiſtola, qua confutantur noua quaedam & fanatica deliramenta, ab aemulis ſuis contra ipſum iactata,* aliisque.

Vti nec BVCERVM, nec OSIANDRVM, ita nec MATTHIAM FLACIVM illyricum ex aſſe ſibi vindicare poteſt eccleſia orthodoxa; quod eo magis dolendum, quo illuſtriora viri huius in rem litterariam & euangelicam ſunt merita. Cauſſam certe communem contra romanenſes pariter ac Zwinglianos acriter, ſcriptisque eruditiſſimis, propugnauit. Non commemorabo nunc *centurias Magdeburgenſes*, FLACIO praecipue auctore concinnatas, & ad apoſtaſiam eccleſiae romanae a veteri & pura, luculenter demonſtrandam, comparatas; quippe de quibus iam ſupra dictum eſt. Eamdem ob cauſſam & *catalogum teſtium veritatis*, opus vere aureum, in quo incredibili diligentia, eiusmodi contra pontificios teſtes produxit, quorum plerisque ipſi contradicere non audent, praetermittam; vtpote de quo itidem iam *libri* huius *II. cap. III.* ad §. *IX.* verba fecimus. Aliis inſuper ſcriptis, iisque exquiſitiſſimis, errores romanae eccleſiae impugnauit. Huc namque referas commentationem eius *de ſynodo VI Carthaginienſi*, ſeu *hiſtoriam de primatu papae*, item *contra primatum Petri & papae librum*, vt & alium *de electione epiſcoporum*, quos tractatus cum *catalogo teſtium veritatis*, aut eius potius *auctario*, recudi curauit IO. CVNR. DIETERICVS. Huius porro loci ſunt *tractatus de feſtis, diſſenſionibus & contradictionibus doctrinae pontificiae;*

Digitized by Google

tiae; item *rationes cur anti-chriſti ſynodi deuitandae ſint, praepoſitae recuſationi ſynodi Tridentinae;* & quae alia ſunt eiusdem generis plura, quae cognoſcere licet ex indice librorum FLACII, quem IO. BALTH. RITTERVS *deſcriptioni vitae Flacii*, germanice editae, & alias nobis iam laudatae, ſubiunxit, *p. 279.* vbi *ſcripta* eius *thetica & polemica* recenſentur. Cumprimis equidem hic ſe nobis adhuc offert *miſſale* illud *eccleſiae gallicanae*, a FLACIO primum in lucem productum, ad conuincendos errores romanenſes in quibusdam magni momenti capitibus, comparatum, ſuper quo etiam magna ideo inter viros doctos orta eſt contentio; ſed cum de eo ſupra iam, in *adpendice* ad *cap. V. libri* huius *II.* copioſiſſime actum ſit; nihil nunc addimus. Vt autem pontificiis, ita non minus Zwinglii & Caluini ſectatoribus, ſeſe oppoſuit, variis contra eos ſcriptis euulgatis, cuiusmodi ſunt: *de myſtica & ſacramentali praeſentia corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra coena; refutatio ſophiſmatum pro errore ſacramentario; apologia contra Bezam*, & alia. Princeps quoque illorum fuit, qui formulae *interim* ſe oppoſuerunt; hinc ſcripta plurima contra eamdem formulam, eiusque defenſores, quos *adiaphoriſtas* vocabant, ſpeciatim contra PHIL. MELANCHTHONEM, IOAN. BVGENHAGIVM, GEORG. MAIOREM, aliosque ab eo compoſita, quae a IO. BALTH. RITTERO, *l. c.* & IO. ERDM. BIECKIO, in *dem dreyfachen interim &c. cap. III. p. 191. ſeqq.* commemorantur; conf. & ANTONII TEISSIERII *eloges des hommes ſçavans tomo I. p. 438.* Mitto ea, quibus contra Andream Oſiandrum, Caſparem Schwenckfeldium, & Michaëlem quoque Seruetum pugnauit; quorſum, ad hunc quod attinet, cumprimis comparata eſt *confeſſio de ſacroſancta trinitate contra Seruetianos, Stenckfeldianos*, aliosque. Horum omnium vberior notitia ex auctoribus iam laudatis hauriri poteſt. Contigiſſe pluribus, iisque praeſtantiſſimis theologis, in certamine conſtitutis, vt, vnum extremum euitaturi, ad alterum procurrerent, iam ſaepius obſeruauimus. Eius rei illuſtre admodum exemplum FLACIVS praebet. Cum enim ſynergiſtis, quos inter VICT. STRIGELIVS haud vltimus erat, ſe opponeret, in diſputatione ſollemni ſuper hocce argumento Vinariae an. 1560 inſtituta; ad alterum extremum prolapſus ex praecipitantia quadam, peccatum originis *ſubſtantiam hominis* dixit, ac, monitus licet, cum ferocis ac pertinacis eſſet animi, vocem hancce reuocare noluit. Immo, cum ſententiam ſemel arreptam acriter tueretur; vehementiſſimis in eccleſia noſtra controuerſiis occaſionem praebuit. Ex nimio contradicendi ſtudio hocce certamen ortum, poſt plures alios PETR. BAELIVS recte iudicat, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Illyricus p. m. 1637.* Nec illud male idem vir eruditus inde colligit, philoſophiam Ariſtotelicam fouendis alendisque eiusmodi controuerſiis theologicis perquam eſſe adcommodatam. Cuncta, quae hac de re ſcitu digna ſunt, adcurate diligenterque perſequitur, quem antea iam laudauimus, vir doctiſſimus IO. BALTH. RITTERVS, in *der eigentlichen vnd umſtaendlichen Beſchreibung des Lebens &c. Matthiae Flacii illyrici §. XIX. ſeqq. p. 72. ſeqq.* qui & ſcripta, quae ad ſententiam ſuam defendendam FLACIVS edidit, quae haud pauca ſunt, indicat. Innumera nimirum fere ſcripſit, tantamque induſtriam & animi contentionem inter grauiſſimas aerumnas demonſtrauit, vt defatigari non potuiſſe videatur. Vt autem paucis, quae de eo dici poſſunt, comprehendam; quae in polemicis ſcriptoribus aut laudari, aut vituperari, quam maxime ſolent, in FLACIO iunctim conſpicere licet. Eruditio exquiſita, ingenii acumen, zelus pro veritate, ſtudium indefeſſum, laudem promerentur: nimium contendendi pruritum, animi

Digitized by

animi impotentiam, acrimoniam ſtili, ambitionem, pertinaciam, nemo temere probauerit.

Celebrioribus quoque ſcriptoribus polemicis adnumerandus eſt IO. WIGANDVS, poſt varia fata & munera, quibus functus eſt, epiſcopus tandem Pomeſanienſis in Boruſſia. Scriptis namque quam plurimis, omnibus, ab eccleſia noſtra diſſentientibus, fortiter obuiam iuit. Pontificiis quidem, in *ſynopſi anti-chriſti romani, ſpiritu oris Chriſti reuelati;* item in *der Warnung vor dem catechiſmo Caniſii* (de quo ſupra ſuo loco dictum;) reformatis in *tractatu de ſacramentariiſmo;* in *exegeſi colloquiorum aliquot cum ſacramentariis habitorum;* in *tractatu de communicatione idiomatum;* in *commonefactione de fraudibus quorumdam ſacramentariorum, oppoſita ſcripto anonymi; de ratione ineundae concordiae;* antitrinitariis, in *refutatione Arianorum in Polonia;* item in *Seruetianiſmo;* antinomis in *antinomia veteri & noua,* item in *collatione de tribus argumentis antinomicis;* adiaphoriſtis in *admonitione de adiaphoriſticis corruptelis;* Oſiandriſtis in *tractatu de Oſiandriſmo:* ſynergiſtis in *der Erinnerung von der Buſſe Georgii Maioris;* Schwenckfeldianis in libro *de Schwenckfeldianiſmo &c.* Flacianis in *ſeptem ſpectrorum Manichaeorum diſcuſſione;* item in *Manichaeiſmo renouato,* & ſic porro. Cumprimis & anabaptiſtis ſe oppoſuit, in commentatione *de anabaptiſmo,* in quo dogmata & argumenta eorum, ſubiuncta refutatione, exhibet. Et vltimus quidem hicce liber SAM. SCHELGVIGIO, theologo Dantiſcano, occaſionem dedit, ſcribendi *Wigandiana, hoc eſt, anabaptiſmum Io. Wigandi Pomeſanienſis quondam epiſcopi ita excuſſum, vt primum parallelismus inter anabaptiſtas & hodiernos nouatores, poſtea autem diſſenſus inter hoſce & Wigandum proponatur;* Gedani 1702. 4. De iſto autem veterum recentiorumque haereticorum parallelismo, & quo pacto caute inſtituendus ſit, alibi erit dicendi locus. Acerrimae quoque WIGANDO lites cum TILEMANNO HESHVSIO interceſſere. Non alienum ergo ab hoc loco fuerit, de hocce etiam theologo, pugnas non detrectante, quaedam commemorare. Cum in academia Heidelbergenſi doceret, ingens inter ipſum & GVIL. CLEBITIVM, reformatorum partibus addictum, ortum eſt certamen. *A principe* itaque *electore, vt finis eſſet conuiciorum, & inſectationum in ſua vrbe, dimiſſus, offenſusque vehementer iudicio Melanchthonis de ſe, acerbe reſpondit, ac ne mortuo quidem & bene merito praeceptori pepercit.* Ita MELCH. ADAMVS, in *vitis theolog. Germ. p. m. 295.* At, ab homine reformatae eccleſiae ſacris addicto hocce iudicium profectum, memento. Eamdemque ob cauſſam nec mirum, quod IO. CALVINVS eiusmodi quid illi exprobret. Ienam vocatus collegas ibi inter alios habuit Wigandum, Caeleſtinum, & Kirchnerum; dimiſſus autem, & in Boruſſiam inuitatus, Regiomonti ſacra docuit, donec anno 1576 acris inter ipſum & WIGANDVM epiſcopum iam Pomeſanienſem controuerſia, *de vſu abſtracti,* oriretur, an ſcilicet dici queat, humanitatem Chriſti, in abſtracto conſideratam, adorandam eſſe? HESHVSIVS namque, contra THEODOR. BEZAM diſputans, hoc adfirmauerat; idque eo a quibusdam trahebatur, ac ſi adſeruiſſet, carnem Chriſti, extra vnionem hypoſtaticam ſpectatam, adorandam eſſe. Quantumuis autem negaret, hanc ſuam mentem eſſe; praeualuit tamen auctoritas WIGANDI, cumque reuocare dicta nollet; prouinciam, quam hactenus ornauerat, deſerere coactus eſt. Conferendus IO. MICRAELIVS, in *ſyntagm. hiſt. eccleſ. p. 867.* Idem etiam HESHVSIVS, cum ante editam *concordiae formulam* omnipraeſentiam carnis Chriſti acriter defendiſſet, deinde, poſt eam euulgatam, eamdem

non tam, prout in eadem formula explicatur, quam prout ipſe eam ſibi finxerat, adeoque reuera portentoſum aliquod mentis ſuae idolum, impugnauit, vt LEONH. HVTTERVS loquitur, in *concordia concord. cap. XLVI. p. 1201.* conf. & IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, *de patriis viror. illuſtr. p. 208.* IO. MICRAELIVS auctor eſt, eum formulam concordiae ideo impugnare coepiſſe, quod non omnia ad ipſius arbitrium acta eſſent; in *ſyntagm. hiſtor. eccleſ. p. 758.* Ita namque ſubinde praui adfectus controuerſiis theologicis ſe immiſcent, ſubinde etiam, quod recte HVTTERVS monet, nonnulli non tam aduerſariorum ſententiam, quam cerebri ſui idolum aliquod, impugnant. Addendi ABR. CALOVIVS, in *hiſtoria ſyncretiſtica, lib. III. cap. IV. p. 567.* PETR. BAELIVS, in *dictionar. hiſt. & crit. voc. Hesbuſius p. m. 1552.* Scripta ceteroquin polemica HESHVSIVS compoſuit plurima. Et contra reformatos quidem, quos praecipue ſibi impugnandos ſumſit, *tractatum de duabus naturis in Chriſto, earumque vnione hypoſtatica; confeſſionem de praeſentia corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti in coena domini; defenſionem confeſſionis iſtius aduerſus calumnias Caluini, Boquini, Bezae & Clebitii*, & alia; contra pontificios; librum *de errore pontificiae eccleſiae*, item *libros VI de iuſtificatione hominis coram Deo &c.* Acriter etiam contra Flacianos diſputat, in *antidoto contra impium dogma Flacii;* in *analyſi argumentorum Flacii;* in *defenſione piae ſententiae Aurelii Auguſtini, quod peccatum originale non ſit ſubſtantia*, & aliis. Legendus de HESHVSIO praeter iam laudatos eſt IO. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplem. hiſt. eccleſ. ſaec. XVI. cap. IV. p. 87.* cumprimis autem IO. GEORG. LEVCKFELD, vir doctiſſimus, in *hiſtoria Hesbuſiana, oder hiſtoriſchen Nachricht von dem Leben &c. Tilemanni Hesbuſii*, Quedlimburgi 1716. 4. Sententiam illorum, qui peculiarem ſectam *Hesbuſianorum* conſtituunt, merito ridet atque explodit PETR. BAELIVS, *l. c. p. 1552.*

Circa prima emendationis eccleſiae tempora vixit VRB. RHEGIVS, magni ſuo merito nominis theologus, paſtor initio Auguſtanus, deinde inſpector generalis, & epiſcopus totius ducatus Brunſuicenſis, qui & fidelem LVTHERO, in purganda corrigendaque eccleſia, operam nauauit. Singularia viri huius in eccleſiam noſtram merita multis commendare, opus non eſt; cum id ex inſtituto iam fecerit ELIAS VEIELIVS, in *diſſertatione, qua memoriam & merita Rhegii in eccleſiam Dei, tempore ſalutaris reformationis* repraeſentat. Nos de certaminibus, quae pro veritate ſubiit, quaedam commemorabimus. Et initio quidem geminum cum HVLD. ZWINGLIO ſuſtinuit, alterum *de peccato originali*, quod ille extenuare videbatur, alterum de *eucharistia*, ſeu praeſentia vera corporis ac ſanguinis Chriſti in ſacra coena. ZWINGLIVS, duabus ad RHEGIVM ſcriptis epiſtolis, ſententiam ſuam in vtroque capite declarauit, ea quidem ratione, vt RHEGIVS, epiſtola ad illum ſcripta, ſibi ſatisfactum eſſe, haud obſcure ſignificaret. Exſtat ea apud IO. HENR. HOTTINGERVM, *hiſtor. eccleſ. tom. VI. p. 431. ſeqq.* Factum inde, vt ZWINGLIVS de conſenſu RHEGII, in poſteriori praeſertim controuerſia, ſibi gratularetur; rumorque ea de re Wittebergam delatus, ipſum induxit LVTHERVM, vt crederet, RHEGIVM ad Zwinglianorum partes defeciſſe. At, re adcuratius conſiderata, ad veriorem, quam ante hac contra Caroloſtadium defenderat, ſententiam rediit, eamque conſtanter deinceps propugnauit. Pugnandum etiam eidem fuit cum anabaptiſtis, initio quidem viua voce, deinde vero etiam ſcriptis; ſiquidem an. 1535 librum ad Oſnabrugenſes miſit, inſcriptum: *Wiederlegung der Münſteriſchen neuen Valentinianer, vnd Donatiſten Be-*

Digitized by Google

Bekaendenus, quo eos aduerſus pernicioſos anabaptiſtarum Monaſterienſium errores & conatus praemuniret. Exſtat cum praefatione LVTHERI *part. IV. operum* RHEGII *germ. p.182. ſeqq.* Ediderunt quoque anabaptiſtae Monaſterienſes librum, *de reſtitutione regni Iſraëlis*, quem RHEGIVS itidem publica diſputatione impugnauit, quae *part. II. operum* eius *latinorum* exſtat, *pag.74. ſeqq.* Hinc a IOAN. SLEIDANO inter eos refertur, qui anabaptiſtas luculenter refutarunt. *Haec illorum*, inquit, *dogmata cumprimis oppugnabant Melanchthon, Iuſtus Menius, Vrbanus Rhegius, quorum exſtant ea de re ſcripta valde luculenta & copioſa; comment. de ſtatu relig. & reipubl. lib. X. p.m.254.* De controuerſiis, quae VRB. RHEGIO noſtro cum pontificiis, ſpeciatim cum IO. ECKIO, celebri iſto LVTHERI antagoniſta, quo antea vſus fuerat praeceptore, interceſſere, deque inſidiis, quas pontificii illi ob conſtantiam in veritate agnita, ſtruxerunt, legendus MART. SYLV. GRABIVS, in *vita Rhegii, formulis* eius *caute loquendi* praemiſſa *p. 13.* Reliqua etiam ſcripta eius polemica cognoſcere licebit ex *operibus* eius *latinis* & *germanicis*, quae iunctim Norimbergae an. 1562 duobus voluminibus, prodierunt, quae adcurate recenſet IOAN. FABRICIVS, in *hiſtoria bibliothecae* ſuae *part. II. p. 1. ſeqq.* Si autem RHEGIVS nihil aliud pro doctrinae euangelicae veritate aut egiſſet aut ſcripſiſſet; dignus tamen eſſet, qui hic commemoraretur, ob libellum iſtum prorſus egregium, quem inſcripſit: *formulae quaedam caute & citra ſcandalum loquendi de praecipuis chriſtianae doctrinae locis.* Nihil frequentius in certaminibus theologicis, quam vt ad alterum deflectant extremum, qui errorem quemdam reiiciunt atque impugnant; aut ſaltem incaute admodum loquantur, vt aliis, ad alterum extremum procurrendi, occaſionem ſuppeditent. Cui incommodo obuiam ire hoc libello RHEGIVS voluit. Sic cum rectiſſime opera bona a iuſtificatione excludant noſtrates theologi, per ſolam fidem iuſtificari hominem, cum Paulo contendentes; nonnulli iam olim tam contemtim de bonis operibus loquebantur, tamque abiecte in vniuerſum, vt facile aliquis in eam adduci potuiſſet opinionem, vitae ſanctae ſtudium in eccleſia Lutherana plane profligari. Exempla eiusmodi loquutionum cum RHEGIVS adduxiſſet, addit: *haec excidunt quibusdam ſine ſale; nihil addunt, ſed truncatum dogma de fide & operibus effutiunt, non dilucidant haec verba, ſicut oportet; pag. 5.* Atque ita tum in hiſce, tum in aliis, quanta cautione ac circumſpectione opus ſit, vt verbum Dei recte proponatur, oſtendit. Quam vnanimi praeſtantiſſimorum theologorum applauſu, tum reliqua RHEGII ſcripta, tum & hicce libellus exceptus ſit, teſtantur honorifica illorum iudicia, & elogia, quae ſuae editioni praemiſit MART. SYLV. GRABIVS, theologus Regiomontanus; teſtantur etiam tot editiones, ab eodem indicatae, quarum haud dubie praeſtantiſſima eſt, quam ipſi GRABIO debemus, quaeue Regiomonti an. 1672 prodiit, cui *vitam Rhegii*, luculenter ſcriptam, praefixit, & *adpendicem apologeticam* ſubiecit. Immo tantam libellus hicce obtinuit auctoritatem, vt *corpori doctrinae Iulio* inſereretur, adeoque inter libros ſymbolicos eccleſiarum Luneburgenſium & Brunſuicenſium locum inueniret. Fuerunt nihiloſecius, qui aliquid in eo deſiderarent, quod oratio pro pie defunctis in illo adprobetur. Cenſura ideo libellum iſtum notauit MICH. WALTHERVS, qui tamen ſimul obſeruat, in *editionibus recentioribus, cuiusmodi vna inſerta ſit corporibus prouinciarum Iulio & Luneburgico*, verba, quae ſententiam iſtam continent, omiſſa eſſe; in *harmonia biblica* ad *II. Tim. I. 18. p. m. 774.* Aegre hoc tulit MART. SYLVEST. GRABIVS, qui RHEGII in ſe ſuſcepit defen-

ſenſionem, ea quidem ratione, vt ſuum cum romanenſibus in hocce capite conſenſum haud obſcure prodat. Num data opera editio, in qua verba haec omiſſa erant, *corpori Iulio & Luneburgico* inſerta ſit; an vero id factum, quod non alia editio ad manus eſſet; non ſatis certum videtur; conf. PHIL. IVL. RETHMEYERVS, in *der Stadt Braunſchweig Kirchen-Hiſtorie part. III. cap. VIII. ſect. VII. §. XIII. p. 434.* add. ABRAH. CALOVIVS, in *hiſtoria ſyncretiſtica, lib. III. cap. VII. p. 979. 980.* Cum etiam de orthodoxia ſcriptorum VRBANI RHEGII ex eo ſuſpicio oriri poſſit, quod in praefatione principum & ordinum imperii, Auguſtanae confeſſioni addictorum, *libro concordiae* praemiſſa, haec leguntur verba: *Nec etiam alia ſcripta vtilia, D. Phil. Melanchthonis, neque Brentii, Vrbani Rhegii, Pomerani, & ſimilium repudianda ac damnanda eſſe, iudicamus,* QVATENVS *cum ea norma, quae concordiae libro expreſſa eſt, per omnia conſentiunt;* ſiquidem eiusmodi adſertiones, cum reſtrictione quadam prolatae, ſeu hypotheticae adprobationes, aliquid erronei in libro, qui hoc modo adprobatur, contineri, indicare videntur; GRABIVS copioſe euincere adnititur, vocem *quatenus* nihil aliud hic ſibi velle, quam quod eiusmodi libris adſenſio & fides non per ſe, ſed prout cum ſcriptura ſacra conueniunt, debeatur; in *adpendice p. 103. ſeqq.* Quidquid eius ſit, omni laude digniſſimum eſſe huncce RHEGII libellum, vtpote ſumma prudentia conſcriptum, & in quo ratio, extrema in controuerſiis theologicis euitandi, & media caute incedendi via, eleganter oſtenditur; nemo temere inficias ibit. Quod non recte de interceſſione pro defunctis exiſtimauerit, id RHEGIO, aliisque eius temporis theologis, eo magis condonandum, quod ab ineunte aetate doctrinis papalibus innutritis reliquiae quaedam priſtini erroris adhaerere potuerint. At, quae merito excuſantur, non ſtatim laudanda ſunt, aut defendenda. De RHEGIO noſtro legendus quoque eſt IO. GEO. BERTRAMVS, in *der Reformations-vnd Kirchen-Hiſtorie der Stadt Lüneburg, part. II. cap. II. p. 49. ſeqq.*

Succedat nunc magnus ille eccleſiae noſtrae theologus MART. CHEMNITIVS, cui inter veritatis euangelicae propugnatores primum poſt LVTHERVM deberi locum, non temere quisquam diffitebitur. Inter ſcripta eius polemica eminet *examen* iſtud *concilii Tridentini;* cuius licet ſupra iam iniecta ſit mentio, cum de concilio Tridentino verba faceremus, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. IX.* meretur tamen vt de eodem quaedam adhuc addamus. Occaſio, *examen* hocce edendi, talis ei fuit. Accidit circa annum ſaeculi decimi ſexti ſexageſimum, vt Ieſuitae, qui tunc (vt ipſi loquebantur) totum ordinem theologicum Coloniae repraeſentabant, contra catechiſmum quemdam IO. MONHEMII, ludi moderatoris Düſſeldorpienſis, *cenſuram, de praecipuis doctrinae caeleſtis capitibus* ederent. Huic biennio poſt CHEMNITIVS libellum oppoſuit, inſcriptum: *theologiae Ieſuitarum praecipua capita, ex quadam ipſorum cenſura, quae Coloniae anno LX edita eſt, adnotata per Martinum Chemnitium;* ſeu *theologiae Ieſuitarum breuis ac neruoſa deſcriptio & delineatio &c.* quae cum *locis* eius *theologicis* recuſa eſt Francofurti & Wittebergae an. 1690, & germanice cum ampla & erudita praefatione, quae ad hiſtoriam celeberrimae iſtius ſocietatis Ieſu ſpectant, exponente, an. 1719. 8. In ea *delineatione* CHEMNITIVS *cap. I.* de origine Ieſuitarum agit, &, quo conſilio ſecta illa recens inſtituta ſit, ediſſerit; in reliquis dogmata Ieſuitarum exponit, eo ſolum fine, vt inde intelligatur, Ieſuitas in manifeſtis eccleſiae romanae erroribus propugnandis, ceteris eccleſiae huius doctoribus longe eſſe impudentiores. Nullam itaque etiam

etiam refutationem addidit, cum, rem tam manifeſtam, putaret, vt ab illis etiam, qui prima tantum principia chriſtianae religionis didicerint, poſſet intelligi atque diiudicari. De *cenſura* vero iſta Ieſuitarum Colonienſium, quae huic CHEMNITII ſcripto occaſionem dedit, hunc in modum pronuntiat; *ita ſuperbe & inſolenter eam ſcriptam eſſe, vt reliquos pontificios ſcriptores facile impudentia ſuperet. Illi enim,* inquit, *multa quae vident nimis eſſe manifeſta, diſſimulant, multa mitigant, multa aliter interpretantur.* Huic CHEMNITII libello cum initio IOAN. ALBERVS ſcriptum quoddam germanicum oppoſuiſſet; mox & DIDACVS PAIVA ſiue PAYVA D' ANDRADA, ſeu ANDRADIVS Conimbricenſis, qui inter theologos concilii Tridentini haud vltimum locum tenuit, in aciem prodiit, &, vt CHEMNITIVS in *praefatione* loquitur, *ad profligandum illum exiguum libellum magna & prolixa acerbitate exarſit,* idque, vt ipſe profitetur, hortatu illorum, quorum praecipua Tridenti erat auctoritas. Opus hocce ANDRADII inſcribitur: *orthodoxarum explicationum libri X.* & tum alibi, tum & Coloniae, anno 1564 prodiit. CHEMNITIVS itaque, exiſtimans, a patribus concilii Tridentini non tam Ieſuitarum habitam rationem, quam quod per ANDRADIVM, tamquam idoneum concilii interpretem, voluerint explicationes decretorum ſuorum inter homines ſpargere, quod & inſcriptio: *orthodoxarum explicationum de controuerſis religionis capitibus*, indicet; occaſione hinc arrepta illuſtre illud *examen concilii Tridentini* compoſuit. Quanto omnium adplauſu illud exceptum ſit, teſtantur elogia, quibus non tantum a noſtrae eccleſiae theologis ornatur, ſed & a reformatis, immo ipſo MART. RVARO, homine Sociniano, *cent. I. ep. XV. p. 100.* Cardinalem quemdam Tridenti ad legatum Erici ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis dixiſſe: *neminem inter Germaniae theologos hactenus fuiſſe, qui eccleſiae romanae poſt Lutheri obitum plus nocuerit, quam Chemnitius, ſcripto examine concilii Tridentini: hoc ſe ingenue confiteri, virum ſe admirari, ei ſe eruditionis palmam prae omnibus theologis Germaniae tribuere, nihilque magis optare, quam vt illum videre aliquando, & cum ipſo de toto religionis negotio conferre poſſit;* ex GASMARI *vita Chemnitii* refert IOAN. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplem. hiſt. eccleſ. ſaeculi XVI. cap. IV. p. 82.* Sed haec aliaque eruditorum iudicia ac elogia diligenter collecta, nouae editioni *examinis* huius GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS praemiſit. Addendus iis, qui praeclare de CHEMNITIO ſentiunt, LVD. ELL. DV PIN. Cum enim ſummam *examinis concilii Tridentini* copioſe expoſuiſſet; inter omnes proteſtantes iſtius temporis neminem fuiſſe, pronuntiat, qui peritior fuerit antiquitatis eccleſiaſticae, quiue ea rectius ad eum, quem ſibi propoſuerit, finem, vti nouerit. Praeterea ἀκρίβειαν in ratiociniis, & methodum, itemque moderationem in eo laudat; *dans la bibliotheque des auteurs ſeparez de la communion de l' Egliſe Romaine &c. tom. I. part. II. p. 520.* Ceterum ANDRADIVS, ne cauſſam, quam ſemel defendendam ſuſceperat, deſeruiſſe videretur; CHEMNITIO iterum *defenſionem Tridentinae fidei catholicae, quinque libris comprehenſam, aduerſus haereticorum calumnias, & praeſertim Martini Kemnitii,* oppoſuit, Oliſſiponae an. 1578 in 4. & alias ſaepe editam. Hoc indicaturus NICOL. ANTONIVS ita loquitur: *cui* (ANDRADIO) *cum repoſuiſſet profligatiſſimus haereticus* (MART. CHEMNITIVS) *librum* (examen concilii Tridentini) *in quo grauiſſimas aduerſus vniuerſalem eccleſiam contumelias intorquebat, deſcendere demum in campum ſibi opus eſſe Paiua vidit, vt immanem hoſtem totis viribus profligaret; bibliothec. hiſp. nou: tom. I. pag. 235.* Quae licet ſatis

Digitized by Google

ſatis aſpera ſint verba; reuera tamen CHEMNITIO honorifica eſſe, cum haud vltimus inter romanenſium aduerſarios illi tribuatur locus, PETR. BAELIVS iudicat, *diction. hiſtor. & crit. voc. Andrada p. m. 243.* In hacce tamen *concilii Tridentini defenſione* ANDRADIVS praeter capita de ſcriptura ſacra, de traditionibus, & peccato originali, nihil attigit; vid. CHRIST. KORTHOLTVS, in *prodromo ingenui theologiae cultoris academico, p. 64.* Nec erat, quod ab ANDRADIO adeo ſibi metueret CHEMNITIVS, quippe qui praeter ampullas & ſeſquipedalia verba parum ſolidi proferebat. Inſigne illud, quod in concilio Tridentino edidit, imbecillitatis ſuae ſpecimen, apud PETR. SVAVEM legere licet, in *hiſtor. concil. Trident. lib. VI. p. m. 898.* Nouiſſima pariter ac optima *examinis concilii Tridentini* editio eſt, quam vir clariſſimus diligentiſſimusque GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS curauit; quaeue Francofurti ad Moenum an. 1707 lucem adſpexit. Hic enim non tantum *praefationem* & *tabulas* quasdam *chronologico-hiſtoricas* praemiſit, ſed & decretis concilii loca librorum eccleſiae euangelicae ſymbolicorum, ad quae Tridentini reſpexerunt, in margine adpoſuit, euolutisque patrum, aliorumque ſcriptorum adductorum, dictis, graecorum verba ad oram graece adiecit, tum etiam adpendicis loco, e FRANC. DE VARGAS, PETR. MALVENDAE, ac quorumdam Hiſpaniae epiſcoporum *epiſtolis*, nec non EDVARDI STILLINGFLEETI *concilio Tridentino ad traditionem catholicam examinato, & reprobato*, excerpta ſubiunxit. Iam ad reliqua ſcripta polemica CHEMNITII quod attinet; reformatos non minus quam pontificios ſcriptis eruditiſſimis impugnauit. Controuerſiam de ſacra coena ſolide diſcuſſit in *fundamentis ſacrae doctrinae de vera & ſubſtantiali praeſentia, exhibitione, & ſumtione corporis & ſanguinis domini in coena.* Recuſus eſt iſte tractatus cum *locis* eius *theologicis* an. 1690, additaque ſimul ſunt alia eiusdem auctoris, eodem ſpectantia, vt *adnotatio hiſtorica omnium aetatum de hac coenae controuerſia;* item *ſententia ipſius Martini Chemnitii, & aliorum quorumdam theologorum, an & quatenus D. Martinus Lutherus b. m. de vbiquitate, ſeu omnipraeſentia in coenae negotio, diſputari noluerit;* & alia. Non minorem eruditionis pariter ac moderationis laudem conſequutus eſt ex libello *de duabus naturis in Chriſto & hypoſtatica earum vnione &c.* editioni *locorum theologicorum*, antea memoratae, itidem ſubnexo. Vtrum ingenii acumen, an exquiſitam antiquitatis cognitionem, in hiſce ſcriptis elucentem, magis admirari deceat, merito dubites. Animi etiam magnam moderationem in hiſce controuerſiis CHEMNITIVM demonſtraſſe, ipſe diffiteri nequit RVDOLPH. HOSPINIANVS, *hiſtor. ſacramentar. part. II. p. 583.* Malignum autem fuit illorum iudicium, ipſi tamen HOSPINIANO adprobatum, Philippica ſi demta fuerint ex hiſce CHEMNITII ſcriptis, cetera tanti non eſſe, quae vel vitioſa nuce emenda ſint; *eſſe* enim *partim inanes, partim impias argutias, male detortis patrum ſententiis obrutas.* Quae eiusmodi ſunt, vt nec refutatione indigeant. Fuerunt rurſus alii, qui, CHEMNITIVM cum MELANCHTHONE paullo ante obitum ad caſtra reformatorum tranſiiſſe, commenti ſunt, eo, quod LAMB. DANAEO, ipſum impugnanti, non reſponderit. Quod figmentum refellit IO. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplem. hiſtor. eccleſ. ſaec. XVI. p. 83.* add. ANT. TEISSIERIVS, *dans les eloges des hommes ſçavans &c. tom. II. p. 78.* Id equidem negari nequit, moderatum viri huius animum quibusdam, inconſulto zelo abreptis, eo tempore diſplicuiſſe; quod honorificum illi eſt, cum ita moderatus fuerit, vt veritati nihil detractum cuperet. De omnipraeſentia Chriſti qua humanam natu-

naturam ita cum docuiſſe, vt aliorum orthodoxorum theologorum ſententiae neutiquam repugnaret, ex inſtituto oſtendit LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. cap. I. pag. 38. 39.* Praeter hactenus commemorata, ſunt & alia quaedam CHEMNITII ſcripta polemica, ſed minoris momenti, quae, vti & reliqua eius, indicatis variis eorum editionibus, adcurate recenſet, qui & vitam theologi huius copioſe deſcribit, PHIL. IVL. RHETMEYERVS, in *der Stadt Braunſweig Kirchen-Hiſtorie part. III. cap. VIII. ſect. I. ſeqq. p. 273. ſeqq.* item *ſect. X. pag. 529. ſeqq.*

In controuerſiis eccleſiae noſtrae, praeſertim domeſticis, haud infrequens quoque mentio eſt IACOBI ANDREAE, inter theologos Würtenbergicos haud vltimo loco collocandi. Quae is pro reſtauranda eccleſiae noſtrae per *formulam concordiae* pace egit, aliunde ſatis conſtant, & ex inſtituto ediſſerit LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. c. II. p. 101.* alibique, cui & iungendi, qui hiſtoriam *formulae concordiae* deſcribunt, quorum praecipuos indicauimus, cum de eadem verba faceremus. Quod conuentibus, colloquiis, diſputationibus, interfuerit, ſummatim recenſet IOAN. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplement. hiſt. eccleſ. ſaec. XVI. cap. IV. p. 92. ſeqq.* qui nec diuerſa, quae expertus eſt, aliorum iudicia, reticet. Varia edidit contra pontificios, reformatos, Flacianos, aliosque. Praecipue illi res fuit cum reformatis, ſpeciatim cum THEOD. BEZA, cui inter alia oppoſuit *breuem expoſitionem controuerſiae de duabus naturis in Chriſto, deque vera praeſentia corporis & ſanguinis eius in eucharistia &c.* item cum IOAN. STVRMIO, in *reſponſione contra librum Io. Sturmii quem antipappum quartum inſcripſit;* cum LAMB. DANAEO in *refutatione apologiae Lamberti Danaei de adoratione carnis Chriſti;* cum IO. IAC. GRYNAEO in *confutatione diſputationis Io. Iac. Grynaei de coena domini;* item *in admonitione de ſynopſi orationis Grynaei &c.* aliisque. Contra pontificios pugnauit in *defenſione de vſu calicis in ſynaxi contra Barth. Latomum;* in *reſponſione ad Frid. Staphyli conſictas Lutheranorum antilogias*, & eiusdem generis aliis; contra FLACIVM in *colloquio de peccato originis, Argentorati 1571 inſtituto*, & aliis quibusdam germanice ſcriptis. Adcuratius haec, & reliqua omnia, enarrantur a LVD. MELCH. FISCHLINO in *memoria theologorum Würtembergenſium bipartita, part. I. p. 107. ſeqq.* De ſcriptis IACOBI ANDREAE obſeruatu dignum eſt iudicium IO. FECHTII: *Quamquam vero in adcurata ſolidaque rerum theologicarum eruditione, praecipue profanarum pariter ſacrarumque hiſtoriarum ſcientia, magnum & inaeſtimabilem Germaniae theologum, Martinum Chemnitium, cuius luculenta opera toties iterata editionis typis impreſſa, cum aliorum exiguo temporis tractu in obliuionem abierint, hodieque omnium manibus terantur, non fuerit adſequutus; iſtis tamen, quae antea laudauimus, ingenii ſui donis, eccleſiae equidem non parum profuit &c.* in *adparatu ad ſupplem. hiſtor. eccleſ. ſaec. XVI. p. 103.* conf. & LVD. ELL. DV PIN, *dans la bibliotheque des auteurs ſeparez de la communion de l' Egliſe Romaine tom. I. part. II. p. 527.* Vti autem *formula concordiae* IAC. ANDREAE ſuam prae reliquis imputat originem; ita, ob defenſionem, fortiter pro ea ſuſceptam, non minus LEONH. HVTTERO obſtricta eſt; qui & ob alia monumenta inter polemicae theologiae ſcriptores haud extremam iure ſibi vindicat ſedem. Praecipue illi cum reformatis negotium fuit, interque eos cum RVDOLPHO HOSPINIANO. Prauum animi adfectum, partiumque ſtudium nimis hic prodit vir cetera doctiſſimus IOANNES HENRICVS HEIDEGGERVS, in *vita Hoſpiniani p. 22.* ita ſcribens: *hiſto-*

hiſtoriae ſacramentariae pars poſterior, & concordia illa diſcors vehementer eos, qui Lutheranarum partium adſeclas ſe profeſſi ſunt, vrebant; qui eorum operum vim Chryſippeis ſophiſmatis, & tortuoſis argutiis, acribusque dicteriis conuellere, maximopere laborabant. Conſtat autem vtriusque operis refutandi in Saxonicis oris negotium Leonhardo Huttero, Wittebergenſi profeſſori, homini arroganti & praue facundo, datum eſſe. Et primum quidem an. 1611 perſonatus ille, vti prudentes coniectabant, prodiit, larua ſcilicet adſumta cuiusdam Chriſtophori a Vallo, ſacrae theologiae candidati, ſub qua aduerſus ea, quae Hoſpinianus in annalibus ſacramentariis ad an. 1619 (legendum: 1529) *geſta prodidit, vernacula ſcriptione ingenii ſui libidinem procaciter ſatis exercuit.* Perperam hic nonnulla & praeter rei veritatem ab HEIDEGGERO dicta eſſe, cum aliunde facile cognoſcatur; iis refellendis non immorabimur. Id ſolum obſeruo, nondum euictum eſſe, ſub CHRISTOPH. A VALLO nomine latitare HVTTERVM. Sunt enim, qui exiſtimant, CHRISTOPH. WILH. WALPVRGERVM, theologum Lipſienſem, hoc nomine tegi, cuius *hiſtoria controuerſiae eucharisticae (hiſtoriſche conſignation aller acten des Sacraments-Streits)* Gerae Variſcorum an. 1611 prodiit; vid. IOAN. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſi cimbr. part. II. cap. VI. pag. 133.* itemque PETR. BAELIVS, *diction. hiſtor. & crit. voc. Hoſpinianus pag. 1599.* DAV. PAREVS, cum opus hocce, HOSPINIANO oppoſitum, vidiſſet; auctor illi fuit, vt ſtatim reſponderet, idque lingua vernacula, ne aduerſariis occaſionem, maiori mole ſe opprimendi, daret. Paruit HOSPINIANVS, reſponſionemque concinnauit, quae tamen, quod numeris omnibus abſoluta non eſſet, lucem non adſpexit. Interim LEONH. HVTTERVS cauſſam hanc ſerio tuendam ſuſcepit, edita an. 1614 *concordia concorde, ſeu de origine & progreſſu formulae concordiae eccleſiarum confeſſionis Auguſtanae libro vno;* vbi magno variarum rerum adparatu, & diligentia ſumma, *formulam concordiae*, contra aduerſariorum criminationes defendit, vt non tantum HOSPINIANI ἐγκλήματα retuderit, ſed cuncta, quae in poſterum obiici potuerint, velut occupauerit, vt nihil adferri queat, ad quod non iam reſponſum ſit; quod GISB. VOETII & theologi cuiusdam pontificii anonymi exemplo comprobat VAL. ALBERTI, in *praefatione*, editioni, quae an. 1690 prodiit, praemiſſa. Amici HOSPINIANI illi auctores fuerunt, vt ſtatim reſponderet; *ſine mora reprimendam exultantem hominis audaciam*, vt loquitur IO. HENR. HEIDEGGERVS, *l. c.* operique etiam ſe accinxit HOSPINIANVS, ſed perducere ad finem non potuit. Cuius rei has adfert rationes HEIDEGGERVS: *Neque tamen opus iſthoc ad metam perduxit, ſeu taedio victus eſt maledicentiae aduerſarii, qui neſcio quibus agitatus furiis, vbique inſultare, quam cum ratione quadam diſputare maluit; ſeu faſtidium ſubiit, ducendi funem moleſtae adeo contentionis, qua non tantum animos veritatis facta copia ſanciatos aegrosque, magis exulceratum iri, ſed etiam capitales religionis hoſtes, Ieſuitas cumprimis, infauſti certaminis illius futuros ſpectatores auidiſſimos, delicias iucundo iſto ſpectaculo ſibi facturos, metuit; l. c.* At alias intermiſſi operis ſubfuiſſe cauſſas, contendunt alii; multum ſcilicet in hoc certamine HOSPINIANO ſuperiorem fuiſſe HVTTERVM, forteque ſupra vires HOSPINIANI fuiſſe, contra huius argumenta & teſtimonia luculentiſſima quidquam, quod momentum traheret, adferre. Aliam tamen rationem producit PETR. BAELIVS; diſplicuiſſe haſce contentiones maximopere principibus quibusdam proteſtantium, pacem & concordiam optantibus. Hos, *diſcordia diſcorde* iam irritatos quodammodo, ne amplius offenderet, ab incepto iam opere

HO-

HOSPINIANVM deſtitiſſe. Idem auctor indicat, victoriam hoc ipſo ad partes Lutheranorum tranſiiſſe viſam, cum ſuperior in certaminibus eiusmodi theologicis eſſe credatur, cui nihil amplius reſpondetur: *c' eſt demeurer le maitre du champ de bataille*; in *diction. hiſtor. & crit. voc. Hoſpinianus p. 1599.* Praeter opus autem iſtud, hactenus commemoratum, HVTTERVS alia adhuc reformatis oppoſuit, quorum nonnulla, ad libros ſymbolicos ſimul ſpectantia, iam indicauimus *libri* huius *II. cap. II. §. XI.* Huc vero etiam ſpectat eiusdem *irenicum vere chriſtianum, ſiue de ſynodo & vnione euangelicorum non fucata concilianda tractatus theologicus*, contra DAV. PAREVM; item *Sadeel elenchomenos, ſeu tractatio pro maieſtate humanae naturae Chriſti*; & alia. Cumprimis autem de ſingulari eius contra reformatos zelo teſtatur liber: *Caluiniſta aulico-politicus, eigentliche Entdeckung etlicher Caluiniſchen politiſchen Rathſchlaegen, welche Ioan von Munſter fortzupflanzen, vnd die verdamte Caluiniſterey in das Herzogthum Holſtein einzuſchieben ſich bemühet*; item *Caluiniſta aulico-politicus alter, chriſtlicher vnd nothwendiger Bericht, von den fürnehmſten politiſchen hauptgründen, durch welche man die verdamte Caluiniſterey in die Chur- vnd Marck-Brandenburg einzuſchieben ſich ſtarck bemühet, ſamt einem Anhang wieder Salomo Fincken apoſtatam zu Berlin &c.* Non ſegnior HVTTERVS fuit in debellandis pontificiis, quod ſcripta eius teſtantur, cuiusmodi ſunt: *triumphus de regno pontificio, tractatus ſcholaſtico-theologicus; Ilias malorum regni pontificio-Romani, ſiue hiſtorica diſſertatio de iniuſtiſſimo pontificis romani in eccleſia dei dominatu; refutatio duorum librorum Roberti Bellarmini de miſſa; controuerſiae duae theologicae de verbo Dei ſcripto & non ſcripto, & de perſona Chriſti contra eundem; actio in Iacobum Gretſerum, de imperatorum, regum ac principum chriſtianorum munificentia pro Nicolao de Clemangiis &c.* & alia. De HVTTERO eiusque ſcriptis porro legendi THEOPH. SPIZELIVS, in *templo honoris reſerato pag. 32. ſeqq.* HENNING. WITTE, in *memoriis theologorum dec. I. pag. 90. ſeqq.* PETRVS BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Hutterus p. 1623.* vbi quaedam lectu digna, ſed non ſine examine & cenſura praetermittenda, ſuppeditat; IO. FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth. Fabricianae part. II. p. 169. ſeqq.* vbi ſpeciatim *concordiam* eius *concordem*, & *irenicum vere chriſtianum*, recenſet, & de vtroque libro varia obſeruat.

Paullo antiquior HVTTERO eſt AEGID. HVNNIVS, eiusdem academiae Wittebergenſis theologus. Namque HVNNIVS an. 1603, HVTTERVS 1616 diem ſupremum obiit; vterque anno aetatis 53, vterque pari zelo erga diſſentientes ab eccleſia Lutherana flagrans. Praecipue illi itidem cum reformatis res fuit, ſpeciatim cum DANAEO, VRSINO, PEZELIO, aliisque, quos variis ſcriptis impugnauit, vt *de perſona Chriſti, eiusque ad dextram Dei ſedentis diuina maieſtate &c.* itemque *adſertione ſacrae & orthodoxae doctrinae*; & reliquis, quae in operibus eius, Wittebergae anno 1607 iunctim editis, leguntur; ne quid de iis, quae germanica lingua ſcripſit, dicam, cuiusmodi eſt, *Beweiß, daß die Caluiniſten der wahren Augspurgiſchen Confeſſion niemahls zugethan geweſen &c.* Cumprimis autem commemorandus hic eſt liber eius notiſſimus, quem inſcripſit: *Caluinus iudaizans, hoc eſt, iudaicae gloſſae & corruptelae, quibus Ioannes Caluinus illuſtriora ſcripturae ſacrae loca, & teſtimonia de glorioſa trinitate, deitate Chriſti & ſpiritus ſancti, cumprimis autem vaticinia prophetarum de aduentu Meſſiae, natiuitate eius, paſſione, reſurrectione, adſcenſione ad caelos, & ſeſſione ad dextram Dei, deteſtandum in modum corrumpere non abhorruit*; qui an. 1593 prodiit,

ciae; item *rationes cur anti-chriſti ſynodi deuitandae ſint, praepoſitae recuſationi ſynodi Tridentinae*; & quae alia ſunt eiusdem generis plura, quae cognoſcere licet ex indice librorum FLACII, quem IO. BALTH. RITTERVS *deſcriptioni vitae Flacii*, germanice editae, & alias nobis iam laudatae, ſubiunxit, *p.* 279. vbi *ſcripta* eius *thetica & polemica* recenſentur. Cumprimis equidem hic ſe nobis adhuc offert *miſſale* illud *eccleſiae gallicanae*, a FLACIO primum in lucem productum, ad conuincendos erroris romanenſes in quibusdam magni momenti capitibus, comparatum, ſuper quo etiam magna ideo inter viros doctos orta eſt contentio; ſed cum de eo ſupra iam, in *adpendice* ad *cap. V. libri* huius *II.* copioſiſſime actum ſit; nihil nunc addimus. Vt autem pontificiis, ita non minus Zwinglii & Caluini ſectatoribus, ſeſe oppoſuit, variis contra eos ſcriptis euulgatis, cuiusmodi ſunt: *de myſtica & ſacramentali praeſentia corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra coena*; *refutatio ſophiſmatum pro errore ſacramentario*; *apologia contra Bezam*, & alia. Princeps quoque illorum fuit, qui formulae *interim* ſe oppoſuerunt; hinc ſcripta plurima contra eamdem formulam, eiusque defenſores, quos *adiaphoriſtas* vocabant, ſpeciatim contra PHIL. MELANCHTHONEM, IOAN. BVGENHAGIVM, GEORG. MAIOREM, aliosque ab eo compoſita, quae a IO. BALTH. RITTERO, *l. c.* & IO. ERDM. BIECKIO, in *dem dreyfachen interim &c. cap. III. p. 191. ſeqq.* commemorantur; conf. & ANTONII TEISSIERII *eloges des hommes ſçavans tomo I. p. 438.* Mitto ea, quibus contra Andream Oſiandrum, Caſparem Schwenckfeldium, & Michaëlem quoque Seruetum pugnauit; quorſum, ad hunc quod attinet, cumprimis comparata eſt *confeſſio de ſacroſancta trinitate contra Seruetianos, Stenckfeldianos*, aliosque. Horum omnium vberior notitia ex auctoribus iam laudatis hauriri poteſt. Contigiſſe pluribus, iisque praeſtantiſſimis theologis, in certamine conſtitutis, vt, vnum extremum euitaturi, ad alterum procurrerent, iam ſaepius obſeruauimus. Eius rei illuſtre admodum exemplum FLACIVS praebet. Cum enim ſynergiſtis, quos inter VICT. STRIGELIVS haud vltimus erat, ſe opponeret, in diſputatione ſollemni ſuper hocce argumento Vinariae an. 1560 inſtituta; ad alterum extremum prolapſus ex praecipitantia quadam, peccatum originis *ſubſtantiam hominis* dixit, ac, monitus licet, cum ferocis ac pertinacis eſſet animi, vocem hancce reuocare noluit. Immo, cum ſententiam ſemel arreptam acriter tueretur; vehementiſſimis in eccleſia noſtra controuerſiis occaſionem praebuit. Ex nimio contradicendi ſtudio hocce certamen ortum, poſt plures alios PETR. BAELIVS recte iudicat, in *diction. hiſtor. & crit voc. Illyricus p. m. 1637.* Nec illud male idem vir eruditus inde colligit, philoſophiam Ariſtotelicam fouendis alendisque eiusmodi controuerſiis theologicis perquam eſſe adcommodatam. Cuncta, quae hac de re ſcitu digna ſunt, adcurate diligenterque perſequitur, quem antea iam laudauimus, vir doctiſſimus IO. BALTH. RITTERVS, in *der eigentlichen vnd vmſtaendlichen Beſchreibung des Lebens &c. Matthiae Flacii illyrici §. XIX. ſeqq. p. 72. ſeqq.* qui & ſcripta, quae ad ſententiam ſuam defendendam FLACIVS edidit, quae haud pauca ſunt, indicat. Innumera nimirum fere ſcripſit, tantamque induſtriam & animi contentionem inter grauiſſimas aerumnas demonſtrauit, vt defatigari non potuiſſe videatur. Vt autem paucis, quae de eo dici poſſunt, comprehendam; quae in polemicis ſcriptoribus aut laudari, aut vituperari, quam maxime ſolent, in FLACIO iunctim conſpicere licet. Eruditio exquiſita, ingenii acumen, zelus pro veritate, ſtudium indefeſſum, laudem promerentur: nimium contendendi pruritum, animi

animi impotentiam, acrimoniam ſtili, ambitionem, pertinaciam, nemo temere probauerit.

Celebrioribus quoque ſcriptoribus polemicis adnumerandus eſt IO. WIGANDVS, poſt varia fata & munera, quibus functus eſt, epiſcopus tandem Pomeſanienſis in Boruſſia. Scriptis namque quam plurimis, omnibus, ab eccleſia noſtra diſſentientibus, fortiter obuiam iuit. Pontificiis quidem, in *ſynopſi anti-chriſti romani, ſpiritu oris Chriſti reuelati*; item in *der Warnung vor dem catechiſmo Caniſii* (de quo ſupra ſuo loco dictum;) reformatis in *tractatu de ſacramentariiſmo*; in *exegeſi colloquiorum aliquot cum ſacramentariis habitorum*; in *tractatu de communicatione idiomatum*; in *commonefactione de fraudibus quorumdam ſacramentariorum*, *oppoſita ſcripto anonymi*; *de ratione ineundae concordiae*; antitrinitariis, in *refutatione Arianorum in Polonia*; item in *Seruetianiſmo*; antinomis in *antinomia veteri & noua*, item in *collatione de tribus argumentis antinomicis*; adiaphoriſtis in *admonitione de adiaphoriſticis corruptelis*; Oſiandriſtis in *tractatu de Oſiandriſmo*: ſynergiſtis in *der Erinnerung von der Buſſe Georgii Maioris*; Schwenckfeldianis in libro *de Schwenckfeldianiſmo &c.* Flacianis in *ſeptem ſpectrorum Manichaeorum diſcuſſione*; item in *Manichaeiſmo renouato*, & ſic porro. Cumprimis & anabaptiſtis ſe oppoſuit, in commentatione *de anabaptiſmo*, in quo dogmata & argumenta eorum, ſubiuncta refutatione, exhibet. Et vltimus quidem hicce liber SAM. SCHELGVIGIO, theologo Dantiſcano, occaſionem dedit, ſcribendi *Wigandiana, hoc eſt, anabaptiſmum Io. Wigandi Pomeſanienſis quondam epiſcopi ita excuſſum, vt primum parallelismus inter anabaptiſtas & hodiernos nouatores, poſtea autem diſſenſus inter hoſce & Wigandum proponatur*; Gedani 1702. 4. De iſto autem veterum recentiorumque haereticorum parallelismo, & quo pacto caute inſtituendus ſit, alibi erit dicendi locus. Acerrimae quoque WIGANDO lites cum TILEMANNO HESHVSIO interceſſere. Non alienum ergo ab hoc loco fuerit, de hocce etiam theologo, pugnas non detrectante, quaedam commemorare. Cum in academia Heidelbergenſi doceret, ingens inter ipſum & GVIL. CLEBITIVM, reformatorum partibus addictum, ortum eſt certamen. *A principe itaque electore, vt finis eſſet conuiciorum, & inſectationum in ſua vrbe, dimiſſus, offenſusque vehementer iudicio Melanchthonis de ſe, acerbe reſpondit, ac ne mortuo quidem & bene merito praeceptori pepercit.* Ita MELCH. ADAMVS, in *vitis theolog. Germ. p. m. 295.* At, ab homine reformatae eccleſiae ſacris addicto hocce iudicium profectum, memento. Eamdemque ob cauſſam nec mirum, quod IO. CALVINVS eiusmodi quid illi exprobret. Ienam vocatus collegas ibi inter alios habuit Wigandum, Caeleſtinum, & Kirchnerum; dimiſſus autem, & in Boruſſiam inuitatus, Regiomonti ſacra docuit, donec anno 1576 acris inter ipſum & WIGANDVM epiſcopum iam Pomeſanienſem controuerſia, *de vſu abſtracti*, oriretur, an ſcilicet dici queat, humanitatem Chriſti, in abſtracto conſideratam, adorandam eſſe? HESHVSIVS namque, contra THEODOR. BEZAM diſputans, hoc adfirmauerat; idque eo a quibusdam trahebatur, ac ſi adſeruiſſet, carnem Chriſti, extra vnionem hypoſtaticam ſpectatam, adorandam eſſe. Quantumuis autem negaret, hanc ſuam mentem eſſe; praeualuit tamen auctoritas WIGANDI, cumque reuocare dicta nollet; prouinciam, quam hactenus ornauerat, deſerere coactus eſt. Conferendus IO. MICRAELIVS, in *ſyntagm. hiſt. eccleſ. p. 867.* Idem etiam HESHVSIVS, cum ante editam *concordiae formulam* omnipraeſentiam carnis Chriſti acriter defendiſſet, deinde, poſt eam euulgatam, eamdem

non tam, prout in eadem formula explicatur, quam prout ipſe eam ſibi finxerat, adeoque reuera portentoſum aliquod mentis ſuae idolum, impugnauit, vt LEONH. HVTTERVS loquitur, in *concordia concord. cap. XLVI. p. 1201.* conf. & IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, *de patriis viror. illuſtr. p. 208.* IO. MICRAELIVS auctor eſt, eum formulam concordiae ideo impugnare coepiſſe, quod non omnia ad ipſius arbitrium acta eſſent; in *ſyntagm. hiſtor. eccleſ. p. 758.* Ita namque ſubinde praui adfectus controuerſiis theologicis ſe immiſcent, ſubinde etiam, quod recte HVTTERVS monet, nonnulli non tam aduerſariorum ſententiam, quam cerebri ſui idolum aliquod, impugnant. Addendi ABR. CALOVIVS, in *hiſtoria ſyncretiſtica, lib. III. cap. IV. p. 567.* PETR. BAELIVS, in *dictionar. hiſt. & crit. voc. Heshuſius p. m. 1552.* Scripta ceteroquin polemica HESHVSIVS compoſuit plurima. Et contra reformatos quidem, quos praecipue ſibi impugnandos ſumſit, *tractatum de duabus naturis in Chriſto, earumque vnione hypoſtatica; confeſſionem de praeſentia corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti in coena domini; defenſionem confeſſionis iſtius aduerſus calumnias Caluini, Boquini, Bezae & Clebitii*, & alia; contra pontificios; librum *de errore pontificiae eccleſiae*, item *libros VI de iuſtificatione hominis coram Deo &c.* Acriter etiam contra Flacianos diſputat, in *antidoto contra impium dogma Flacii*; in *analyſi argumentorum Flacii*; in *defenſione piae ſententiae Aurelii Auguſtini, quod peccatum originale non ſit ſubſtantia*, & aliis. Legendus de HESHVSIO praeter iam laudatos eſt IO. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplem. hiſt. eccleſ. ſaec. XVI. cap. IV. p. 87.* cumprimis autem IO. GEORG. LEVCKFELD, vir doctiſſimus, in *hiſtoria Heshuſiana, oder hiſtoriſchen Nachricht von dem Leben &c. Tilemanni Heshuſii*, Quedlimburgi 1716. 4. Sententiam illorum, qui peculiarem ſectam *Heshuſianorum* conſtituunt, merito ridet atque explodit PETR. BAELIVS, *l. c. p. 1552.*

Circa prima emendationis eccleſiae tempora vixit VRB. RHEGIVS, magni ſuo merito nominis theologus, paſtor initio Auguſtanus, deinde inſpector generalis, & epiſcopus totius ducatus Brunſuicenſis, qui & fidelem LVTHERO, in purganda corrigendaque eccleſia, operam nauauit. Singularia viri huius in eccleſiam noſtram merita multis commendare, opus non eſt; cum id ex inſtituto iam fecerit ELIAS VEIELIVS, in *diſſertatione, qua memoriam & merita Rhegii in eccleſiam Dei, tempore ſalutaris reformationis* repraeſentat. Nos de certaminibus, quae pro veritate ſubiit, quaedam commemorabimus. Et initio quidem geminum cum HVLD. ZWINGLIO ſuſtinuit, alterum *de peccato originali*, quod ille extenuare videbatur, alterum de *euchariſtia*, ſeu praeſentia vera corporis ac ſanguinis Chriſti in ſacra coena. ZWINGLIVS, duabus ad RHEGIVM ſcriptis epiſtolis, ſententiam ſuam in vtroque capite declarauit, ea quidem ratione, vt RHEGIVS, epiſtola ad illum ſcripta, ſibi ſatisfactum eſſe, haud obſcure ſignificaret. Exſtat ea apud IO. HENR. HOTTINGERVM, *hiſtor. eccleſ. tom. VI. p. 431. ſeqq.* Factum inde, vt ZWINGLIVS de conſenſu RHEGII, in poſteriori praeſertim controuerſia, ſibi gratularetur; rumorque ea de re Wittebergam delatus, ipſum induxit LVTHERVM, vt crederet, RHEGIVM ad Zwinglianorum partes defeciſſe. At, re adcuratius conſiderata, ad veriorem, quam ante hac contra Caroloſtadium defenderat, ſententiam rediit, eamque conſtanter deinceps propugnauit. Pugnandum etiam eidem fuit cum anabaptiſtis, initio quidem viua voce, deinde vero etiam ſcriptis; ſiquidem an. 1535 librum ad Oſnabrugenſes miſit, inſcriptum: *Wiederlegung der Münſteriſchen neuen Valentinianer, und Donatiſten*

Be-

Digitized by Google

Bekaendtnüs, quo eos aduerſus pernicioſos anabaptiſtarum Monaſterienſium errores & conatus praemuniret. Exſtat cum praefatione LVTHERI *part. IV. operum* RHEGII *germ. p.182. ſeqq.* Ediderunt quoque anabaptiſtae Monaſterienſes librum, *de reſtitutione regni Iſraëlis*, quem RHEGIVS itidem publica diſputatione impugnauit, quae *part. II. operum* eius *latinorum* exſtat, *pag.74. ſeqq.* Hinc a IOAN. SLEIDANO inter eos refertur, qui anabaptiſtas luculenter refutarunt. *Haec illorum*, inquit, *dogmata cumprimis oppugnabant Melanchthon, Iuſtus Menius, Vrbanus Rhegius, quorum exſtant ea de re ſcripta valde luculenta & copioſa; comment. de ſtatu relig. & reipubl. lib. X. p. m. 254.* De controuerſiis, quae VRB. RHEGIO noſtro cum pontificiis, ſpeciatim cum IO. ECKIO, celebri iſto LVTHERI antagoniſta, quo antea vſus fuerat praeceptore, interceſſere, deque inſidiis, quas pontificii illi ob conſtantiam in veritate agnita, ſtruxerunt, legendus MART. SYLV. GRABIVS, in *vita Rhegii, formulis* eius *caute loquendi* praemiſſa *p. 13.* Reliqua etiam ſcripta eius polemica cognoſcere licebit ex *operibus* eius *latinis* & *germanicis*, quae iunctim Norimbergae an. 1562 duobus voluminibus, prodierunt, quae adcurate recenſet IOAN. FABRICIVS, in *hiſtoria bibliothecae* ſuae *part. II. p. 1. ſeqq.* Si autem RHEGIVS nihil aliud pro doctrinae euangelicae veritate aut egiſſet aut ſcripſiſſet; dignus tamen eſſet, qui hic commemoraretur, ob libellum iſtum prorſus egregium, quem inſcripſit: *formulae quaedam caute & citra ſcandalum loquendi de praecipuis chriſtianae doctrinae locis.* Nihil frequentius in certaminibus theologicis, quam vt ad alterum deflectant extremum, qui errorem quemdam reiiciunt atque impugnant; aut ſaltem incaute admodum loquantur, vt aliis, ad alterum extremum procurrendi, occaſionem ſuppeditent. Cui incommodo obuiam ire hoc libello RHEGIVS voluit. Sic cum rectiſſime opera bona a iuſtificatione excludant noſtrates theologi, per ſolam fidem iuſtificari hominem, cum Paulo contendentes; nonnulli iam olim tam contemtim de bonis operibus loquebantur, tamque abiecte in vniuerſum, vt facile aliquis in eam adduci potuiſſet opinionem, vitae ſanctae ſtudium in eccleſia Lutherana plane profligari. Exempla eiusmodi loquutionum cum RHEGIVS adduxiſſet, addit: *haec excidunt quibusdam ſine ſale; nihil addunt, ſed truncatum dogma de fide & operibus effutiunt, non dilucidant haec verba, ſicut oportet; pag. 5.* Atque ita tum in hiſce, tum in aliis, quanta cautione ac circumſpectione opus ſit, vt verbum Dei recte proponatur, oſtendit. Quam vnanimi praeſtantiſſimorum theologorum applauſu, tum reliqua RHEGII ſcripta, tum & hicce libellus exceptus ſit, teſtantur honorifica illorum iudicia, & elogia, quae ſuae editioni praemiſit MART. SYLV. GRABIVS, theologus Regiomontanus; teſtantur etiam tot editiones, ab eodem indicatae, quarum haud dubie praeſtantiſſima eſt, quam ipſi GRABIO debemus, quaeue Regiomonti an. 1672 prodiit, cui *vitam Rhegii*, luculenter ſcriptam, praefixit, & *adpendicem apologeticam* ſubiecit. Immo tantam libellus hicce obtinuit auctoritatem, vt *corpori doctrinae Iulio* inſereretur, adeoque inter libros ſymbolicos eccleſiarum Luneburgenſium & Brunſuicenſium locum inueniret. Fuerunt nihiloſecius, qui aliquid in eo deſiderarent, quod oratio pro pie defunctis in illo adprobetur. Cenſura ideo libellum iſtum notauit MICH. WALTHERVS, qui tamen ſimul obſeruat, in *editionibus recentioribus, cuiusmodi vna inſerta ſit corporibus prouinciarum Iulio & Luneburgico*, verba, quae ſententiam iſtam continent, omiſſa eſſe; in *harmonia biblica* ad *II. Tim. I. 18. p. m. 774.* Aegre hoc tulit MART. SYLVEST. GRABIVS, qui RHEGII in ſe ſuſcepit defen-

fenſionem, ea quidem ratione, vt ſuum cum romanenſibus in hocce capite conſenſum haud obſcure prodat. Num data opera editio, in qua verba haec omiſſa erant, *corpori Iulio & Luneburgico* inſerta ſit; an vero id factum, quod non alia editio ad manus eſſet; non ſatis certum videtur; conf. PHIL. IVL. RETHMEYERVS, in *der Stadt Braunſchweig Kirchen-Hiſtorie part. III. cap. VIII. ſect. VII. §. XIII. p. 434.* add. ABRAH. CALOVIVS, in *hiſtoria ſyncretiſtica, lib. III. cap. VII. p. 979. 980.* Cum etiam de orthodoxia ſcriptorum VRBANI RHEGII ex eo ſuſpicio oriri poſſit, quod in praefatione principum & ordinum imperii, Auguſtanae confeſſioni addictorum, *libro concordiae* praemiſſa, haec leguntur verba: *Nec etiam alia ſcripta vtilia, D. Phil. Melanchthonis, neque Brentii, Vrbani Rhegii, Pomerani, & ſimilium repudianda ac damnanda eſſe, iudicamus,* QVATENVS *cum ea norma, quae concordiae libro expreſſa eſt, per omnia conſentiunt;* ſiquidem eiusmodi adſertiones, cum reſtrictione quadam prolatae, ſeu hypotheticae adprobationes, aliquid erronei in libro, qui hoc modo adprobatur, contineri, indicare videntur; GRABIVS copioſe euincere adnititur, vocem *quatenus* nihil aliud hic ſibi velle, quam quod eiusmodi libris adſenſio & fides non per ſe, ſed prout cum ſcriptura ſacra conueniunt, debeatur; in *adpendice p. 103. ſeqq.* Quidquid eius ſit, omni laude digniſſimum eſſe huncce RHEGII libellum, vtpote ſumma prudentia conſcriptum, & in quo ratio, extrema in controuerſiis theologicis euitandi, & media caute incedendi via, eleganter oſtenditur; nemo temere inficias ibit. Quod non recte de interceſſione pro defunctis exiſtimauerit, id RHEGIO, aliisque eius temporis theologis, eo magis condonandum, quod ab ineunte aetate doctrinis papalibus innutritis reliquiae quaedam priſtini erroris adhaerere potuerint. At, quae merito excuſantur, non ſtatim laudanda ſunt, aut defendenda. De RHEGIO noſtro legendus quoque eſt IO. GEO. BERTRAMVS, in *der Reformations- vnd Kirchen-Hiſtorie der Stadt Lüneburg, part. II. cap. II. p. 49. ſeqq.*

Succedat nunc magnus ille eccleſiae noſtrae theologus MART. CHEMNITIVS, cui inter veritatis euangelicae propugnatores primum poſt LVTHERVM deberi locum, non temere quisquam diffitebitur. Inter ſcripta eius polemica eminet *examen* iſtud *concilii Tridentini;* cuius licet ſupra iam iniecta ſit mentio, cum de concilio Tridentino verba faceremus, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. IX.* meretur tamen vt de eodem quaedam adhuc addamus. Occaſio, *examen* hocce edendi, talis ei fuit. Accidit circa annum ſaeculi decimi ſexti ſexageſimum, vt Ieſuitae, qui tunc (vt ipſi loquebantur) totum ordinem theologicum Coloniae repraeſentabant, contra catechiſmum quemdam IO. MONHEMII, ludi moderatoris Düſſeldorpienſis, *cenſuram, de praecipuis doctrinae caeleſtis capitibus* ederent. Huic biennio poſt CHEMNITIVS libellum oppoſuit, inſcriptum: *theologiae Ieſuitarum praecipua capita, ex quadam ipſorum cenſura, quae Coloniae anno LX edita eſt, adnotata per Martinum Chemnitium;* ſeu *theologiae Ieſuitarum breuis ac neruoſa deſcriptio & delineatio &c.* quae cum *locis* eius *theologicis* recuſa eſt Francofurti & Wittebergae an. 1690, & germanice cum ampla & erudita praefatione, quae ad hiſtoriam celeberrimae iſtius ſocietatis Ieſu ſpectant, exponente, an. 1719. 8. In ea *delineatione* CHEMNITIVS *cap. I.* de origine Ieſuitarum agit, &, quo conſilio ſecta illa recens inſtituta ſit, ediſſerit; in reliquis dogmata Ieſuitarum exponit, eo ſolum fine, vt inde intelligatur, Ieſuitas in manifeſtis eccleſiae romanae erroribus propugnandis, ceteris eccleſiae huius doctoribus longe eſſe impudentiores. Nullam itaque

etiam refutationem addidit, cum, rem tam manifeſtam, putaret, vt ab illis etiam, qui prima tantum principia chriſtianae religionis didicerint, poſſet intelligi atque diiudicari. De *cenſura* vero iſta Ieſuitarum Colonienſium, quae huic CHEMNITII ſcripto occaſionem dedit, hunc in modum pronuntiat; *ita ſuperbe & inſolenter eam ſcriptam eſſe, vt reliquos pontificios ſcriptores facile impudentia ſuperet. Illi enim*, inquit, *multa quae vident nimis eſſe manifeſta, diſſimulant, multa mitigant, multa aliter interpretantur.* Huic CHEMNITII libello cum initio IOAN. ALBERVS ſcriptum quoddam germanicum oppoſuiſſet; mox & DIDACVS PAIVA ſiue PAYVA D' ANDRADA, ſeu ANDRADIVS Conimbricenſis, qui inter theologos concilii Tridentini haud vltimum locum tenuit, in aciem prodiit, &, vt CHEMNITIVS in *praefatione* loquitur, *ad profligandum illum exiguum libellum magna & prolixa acerbitate exarſit*, idque, vt ipſe profitetur, hortatu illorum, quorum praecipua Tridenti erat auctoritas. Opus hocce ANDRADII inſcribitur: *orthodoxarum explicationum libri X.* & tum alibi, tum & Coloniae, anno 1564 prodiit. CHEMNITIVS itaque, exiſtimans, a patribus concilii Tridentini non tam Ieſuitarum habitam rationem, quam quod per ANDRADIVM, tamquam idoneum concilii interpretem, voluerint explicationes decretorum ſuorum inter homines ſpargere, quod & inſcriptio: *orthodoxarum explicationum de controuerſis religionis capitibus*, indicet; occaſione hinc arrepta illuſtre illud *examen concilii Tridentini* compoſuit. Quanto omnium adplauſu illud exceptum ſit, teſtantur elogia, quibus non tantum a noſtrae eccleſiae theologis ornatur, ſed & a reformatis, immo ipſo MART. RVARO, homine Sociniano, *cent. I. ep. XV. p. 100.* Cardinalem quemdam Tridenti ad legatum Erici ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis dixiſſe: *neminem inter Germaniae theologos hactenus fuiſſe, qui eccleſiae romanae poſt Lutheri obitum plus nocuerit, quam Chemnitius, ſcripto examine concilii Tridentini: hoc ſe ingenue confiteri, virum ſe admirari, ei ſe eruditionis palmam prae omnibus theologis Germaniae tribuere, nihilque magis optare, quam vt illum videre aliquando, & cum ipſo de toto religionis negotio conferre poſſit*; ex GASMARI *vita Chemnitii* refert IOAN. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplem. hiſt. eccleſ. ſaeculi XVI. cap. IV. p. 82.* Sed haec aliaque eruditorum iudicia ac elogia diligenter collecta, nouae editioni *examinis* huius GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS praemiſit. Addendus iis, qui praeclare de CHEMNITIO ſentiunt, LVD. ELL. DV PIN. Cum enim ſummam *examinis concilii Tridentini* copioſe expoſuiſſet; inter omnes proteſtantes iſtius temporis neminem fuiſſe, pronuntiat, qui peritior fuerit antiquitatis eccleſiaſticae, quiue ea rectius ad eum, quem ſibi propoſuerit, finem, vti nouerit. Praeterea ἀκρίβειαν in ratiociniis, & methodum, itemque moderationem in eo laudat; *dans la bibliotheque des auteurs ſeparez de la communion de l' Egliſe Romaine &c. tom. I. part. II. p. 520.* Ceterum ANDRADIVS, ne cauſſam, quam ſemel defendendam ſuſceperat, deſeruiſſe videretur; CHEMNITIO iterum *defenſionem Tridentinae fidei catholicae, quinque libris comprehenſam, aduerſus haereticorum calumnias, & praeſertim Martini Kemnitii*, oppoſuit, Oliſſiponae an. 1578 in 4. & alias ſaepe editam. Hoc indicaturus NICOL. ANTONIVS ita loquitur: *cui* (ANDRADIO) *cum repoſuiſſet profligatiſſimus haereticus* (MART. CHEMNITIVS) *librum* (examen concilii Tridentini) *in quo grauiſſimas aduerſus vniuerſalem eccleſiam contumelias intorquebat, deſcendere demum in campum ſibi opus eſſe Paiua vidit, vt immanem hoſtem totis viribus profligaret; bibliothec. hiſp. nou: tom. I. pag. 235.* Quae licet ſatis

ſatis aſpera ſint verba; reuera tamen CHEMNITIO honorifica eſſe, cum haud vltimus inter romanenſium aduerſarios illi tribuatur locus, PETR. BAELIVS iudicat, *diction. hiſtor. & crit. voc. Andrada p.m. 243.* In hacce tamen *concilii Tridentini defenſione* ANDRADIVS praeter capita de ſcriptura ſacra, de traditionibus, & peccato originali, nihil attigit; vid. CHRIST. KORTHOLTVS, in *prodromo ingenui theologiae cultoris academico, p. 64.* Nec erat, quod ab ANDRADIO adeo ſibi metueret CHEMNITIVS, quippe qui praeter ampullas & ſesquipedalia verba parum ſolidi proferebat. Inſigne illud, quod in concilio Tridentino edidit, imbecillitatis ſuae ſpecimen, apud PETR. SVAVEM legere licet, in *hiſtor. concil. Trident. lib. VI. p. m. 898.* Nouiſſima pariter ac optima *examinis concilii Tridentini* editio eſt, quam vir clariſſimus diligentiſſimusque GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS curauit; quaeue Francofurti ad Moenum an. 1707 lucem adſpexit. Hic enim non tantum *praefationem* & *tabulas* quasdam *chronologico-hiſtoricas* praemiſit, ſed & decretis concilii loca librorum eccleſiae euangelicae ſymbolicorum, ad quae Tridentini reſpexerunt, in margine adpoſuit, euolutisque patrum, aliorumque ſcriptorum adductorum, dictis, graecorum verba ad oram graece adiecit, tum etiam adpendicis loco, e FRANC. DE VARGAS, PETR. MALVENDAE, ac quorumdam Hiſpaniae epiſcoporum *epiſtolis*, nec non EDVARDI STILLINGFLEETI *concilio Tridentino ad traditionem catholicam examinato, & reprobato*, excerpta ſubiunxit. Iam ad reliqua ſcripta polemica CHEMNITII quod attinet; reformatos non minus quam pontificios ſcriptis eruditiſſimis impugnauit. Controuerſiam de ſacra coena ſolide diſcuſſit in *fundamentis ſacrae doctrinae de vera & ſubſtantiali praeſentia, exhibitione, & ſumtione corporis & ſanguinis domini in coena.* Recuſus eſt iſte tractatus cum *locis* eius *theologicis* an. 1690, additaque ſimul ſunt alia eiusdem auctoris, eodem ſpectantia, vt *adnotatio hiſtorica omnium aetatum de hac coenae controuerſia*; item *ſententia ipſius Martini Chemnitii, & aliorum quorumdam theologorum, an & quatenus D. Martinus Lutherus b. m. de vbiquitate, ſeu omnipraeſentia in coenae negotio, diſputari noluerit*; & alia. Non minorem eruditionis pariter ac moderationis laudem conſequutus eſt ex libello *de duabus naturis in Chriſto & hypoſtatica earum vnione &c.* editioni *locorum theologicorum*, antea memoratae, itidem ſubnexo. Vtrum ingenii acumen, an exquiſitam antiquitatis cognitionem, in hisce ſcriptis elucentem, magis admirari deceat, merito dubites. Animi etiam magnam moderationem in hisce controuerſiis CHEMNITIVM demonſtraſſe, ipſe diffiteri nequit RVDOLPH. HOSPINIANVS, *hiſtor. ſacramentar. part. II. p. 583.* Malignum autem fuit illorum iudicium, ipſi tamen HOSPINIANO adprobatum, Philippica ſi demta fuerint ex hisce CHEMNITII ſcriptis, cetera tanti non eſſe, quae vel vitioſa nuce emenda ſint; *eſſe* enim *partim inanes, partim impias argutias, male detortis patrum ſententiis obrutas.* Quae eiusmodi ſunt, vt nec refutatione indigeant. Fuerunt rurſus alii, qui, CHEMNITIVM cum MELANCHTHONE paullo ante obitum ad caſtra reformatorum tranſiiſſe, commenti ſunt, eo, quod LAMB. DANAEO, ipſum impugnanti, non reſponderit. Quod figmentum refellit IO. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplem. hiſtor. eccleſ. ſaec. XVI. p. 83.* add. ANT. TEISSIERIVS, *dans les eloges des hommes ſçavans &c. tom. II. p. 78.* Id equidem negari nequit, moderatum viri huius animum quibusdam, inconſulto zelo abreptis, eo tempore diſplicuiſſe; quod honorificum illi eſt, cum ita moderatus fuerit, vt veritati nihil detractum cuperet. De omnipraeſentia Chriſti qua humanam natu-

naturam ita eum docuiſſe, vt aliorum orthodoxorum theologorum ſententiae neutiquam repugnaret, ex inſtituto oſtendit LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. cap. I. pag. 38. 39.* Praeter hactenus commemorata, ſunt & alia quaedam CHEMNITII ſcripta polemica, ſed minoris momenti, quae, vti & reliqua eius, indicatis variis eorum editionibus, adcurate recenſet, qui & vitam theologi huius copioſe deſcribit, PHIL. IVL. RHETMEYERVS, in *der Stadt Braunſweig Kirchen-Hiſtorie part. III. cap. VIII. ſect. I. ſeqq. p. 273. ſeqq.* item *ſect. X. pag. 529. ſeqq.*

In controuerſiis eccleſiae noſtrae, praeſertim domeſticis, haud infrequens quoque mentio eſt IACOBI ANDREAE, inter theologos Würtenbergicos haud vltimo loco collocandi. Quae is pro reſtauranda eccleſiae noſtrae per *formulam concordiae* pace egit, aliunde ſatis conſtant, & ex inſtituto ediſſerit LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. c. II. p. 101.* alibique, cui & iungendi, qui hiſtoriam *formulae concordiae* deſcribunt, quorum praecipuos indicauimus, cum de eadem verba faceremus. Quod conuentibus, colloquiis, diſputationibus, interfuerit, ſummatim recenſet IOAN. FECHTIVS, in *adparatu ad ſupplement. hiſt. eccleſ. ſaec. XVI. cap. IV. p. 92. ſeqq.* qui nec diuerſa, quae expertus eſt, aliorum iudicia, reticet. Varia edidit contra pontificios, reformatos, Flacianos, aliosque. Praecipue illi res fuit cum reformatis, ſpeciatim cum THEOD. BEZA, cui inter alia oppoſuit *breuem expoſitionem controuerſiae de duabus naturis in Chriſto, deque vera praeſentia corporis & ſanguinis eius in euchariſtia &c.* item cum IOAN. STVRMIO, in *reſponſione contra librum Io. Sturmii quem antipappum quartum inſcripſit;* cum LAMB. DANAEO in *refutatione apologiae Lamberti Danaei de adoratione carnis Chriſti;* cum IO. IAC. GRYNAEO in *confutatione diſputationis Io. Iac. Grynaei de coena domini;* item *in admonitione de ſynopſi orationis Grynaei &c.* aliisque. Contra pontificios pugnauit in *defenſione de vſu calicis in ſynaxi contra Barth. Latomum;* in *reſponſione ad Frid. Staphyli confictas Lutheranorum antilogias*, & eiusdem generis aliis; contra FLACIVM in *colloquio de peccato originis, Argentorati 1571 inſtituto*, & aliis quibusdam germanice ſcriptis. Adcuratius haec, & reliqua omnia, enarrantur a LVD. MELCH. FISCHLINO in *memoria theologorum Würtembergenſium bipartita, part. I. p. 107. ſeqq.* De ſcriptis IACOBI ANDREAE obſeruatu dignum eſt iudicium IO. FECHTII: *Quamquam vero in adcurata ſolidaque rerum theologicarum eruditione, praecipue profanarum pariter ſacrarumque hiſtoriarum ſcientia, magnum & inaeſtimabilem Germaniae theologum, Martinum Chemnitium, cuius luculenta opera toties iterata editionis typis impreſſa, cum aliorum exiguo temporis tractu in obliuionem abierint, hodieque omnium manibus terantur, non fuerit adſequutus; iſtis tamen, quae antea laudauimus, ingenii ſui donis, eccleſiae equidem non parum profuit &c.* in *adparatu ad ſupplem. hiſtor. eccleſ. ſaec. XVI. p. 103.* conf. & LVD. ELL. DV PIN, *dans la bibliotheque des auteurs ſeparez de la communion de l' Egliſe Romaine tom. I. part. II. p. 527.* Vti autem *formula concordiae* IAC. ANDREAE ſuam prae reliquis imputat originem; ita, ob defenſionem, fortiter pro ea ſuſceptam, non minus LEONH. HVTTERO obſtricta eſt; qui & ob alia monumenta inter polemicae theologiae ſcriptores haud extremam iure ſibi vindicat ſedem. Praecipue illi cum reformatis negotium fuit, interque eos cum RVDOLPHO HOSPINIANO. Prauum animi adfectum, partiumque ſtudium nimis hic prodit vir cetera doctiſſimus IOANNES HENRICVS HEIDEGGERVS, in *vita Hoſpiniani p. 22.* ita ſcribens:

hiſtoriae ſacramentariae pars poſterior, & concordia illa diſcors vehementer eos, qui Lutheranarum partium adſeclas ſe profeſſi ſunt, vrebant; qui eorum operum vim Chryſippeis ſophiſmatis, & tortuoſis argutiis, acribusque dicteriis conuellere, maximopere laborabant. Conſtat autem vtriusque operis refutandi in Saxonicis oris negotium Leonhardo Huttero, Wittebergenſi profeſſori, homini arroganti & praue facundo, datum eſſe. Et primum quidem an. 1611 perſonatus ille, vti prudentes coniectabant, prodiit, larua ſcilicet adſumta cuiusdam Chriſtophori a Vallo, ſacrae theologiae candidati, ſub qua aduerſus ea, quae Hoſpinianus in annalibus ſacramentariis ad an. 1619 (legendum: 1529) *geſta prodidit, vernacula ſcriptione ingenii ſui libidinem procaciter ſatis exercuit.* Perperam hic nonnulla & praeter rei veritatem ab HEIDEGGERO dicta eſſe, cum aliunde facile cognoſcatur; iis refellendis non immorabimur. Id ſolum obſeruo, nondum euictum eſſe, ſub CHRISTOPH. A VALLO nomine latitare HVTTERVM. Sunt enim, qui exiſtimant, CHRISTOPH. WILH. WALPVRGERVM, theologum Lipſienſem, hoc nomine tegi, cuius *hiſtoria controuerſiae eucharisticae (hiſtoriſche conſignation aller acten des Sacraments-Streits)* Gerae Variſcorum an. 1611 prodiit; vid. IOAN. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſi cimbr. part. II. cap. VI. pag. 133.* itemque PETR. BAELIVS, *diction. hiſtor. & crit. voc. Hoſpinianus pag. 1599.* DAV. PAREVS, cum opus hocce, HOSPINIANO oppoſitum, vidiſſet; auctor illi fuit, vt ſtatim reſponderet, idque lingua vernacula, ne aduerſariis occaſionem, maiori mole ſe opprimendi, daret. Paruit HOSPINIANVS, reſponſionemque concinnauit, quae tamen, quod numeris omnibus abſoluta non eſſet, lucem non adſpexit. Interim LEONH. HVTTERVS cauſſam hanc ſerio tuendam ſuſcepit, edita an. 1614 *concordia concorde, ſeu de origine & progreſſu formulae concordiae eccleſiarum confeſſionis Auguſtanae libro vno*; vbi magno variarum rerum adparatu, & diligentia ſumma, *formulam concordiae*, contra aduerſariorum criminationes defendit, vt non tantum HOSPINIANI ἐγκλήματα retuderit, ſed cuncta, quae in poſterum obiici potuerint, velut occupauerit, vt nihil adferri queat, ad quod non iam reſponſum ſit; quod GISB. VOETII & theologi cuiusdam pontificii anonymi exemplo comprobat VAL. ALBERTI, in *praefatione*, editioni, quae an. 1690 prodiit, praemiſſa. Amici HOSPINIANI illi auctores fuerunt, vt ſtatim reſponderet; *ſine mora reprimendam exultantem hominis audaciam*, vt loquitur IO. HENR. HEIDEGGERVS, *l. c.* operique etiam ſe accinxit HOSPINIANVS, ſed perducere ad finem non potuit. Cuius rei has adfert rationes HEIDEGGERVS: *Neque tamen opus iſthoc ad metam perduxit, ſeu taedio victus eſt maledicentiae aduerſarii, qui neſcio quibus agitatus furiis, vbique inſultare, quam cum ratione quadam diſputare maluit; ſeu faſtidium ſubiit, ducendi funem moleſtae adeo contentionis, qua non tantum animos veritatis facta copia ſanciatos aegrosque, magis exulceratum iri, ſed etiam capitales religionis hoſtes, Ieſuitas cumprimis, infauſti certaminis illius futuros ſpectatores auidiſſimos, delicias iucundo iſto ſpectaculo ſibi facturos, metuit; l. c.* At alias intermiſſi operis ſubfuiſſe cauſſas, contendunt alii; multum ſcilicet in hoc certamine HOSPINIANO ſuperiorem fuiſſe HVTTERVM, forteque ſupra vires HOSPINIANI fuiſſe, contra huius argumenta & teſtimonia luculentiſſima quidquam, quod momentum traheret, adferre. Aliam tamen rationem producit PETR. BAELIVS; diſplicuiſſe haſce contentiones maximopere principibus quibusdam proteſtantium, pacem & concordiam optantibus. Hos, *diſcordia diſcorde* iam irritatos quodammodo, ne amplius offenderet, ab incepto iam opere

HO-

HOSPINIANVM deſtitiſſe. Idem auctor indicat, victoriam hoc ipſo ad partes Lutheranorum tranſiiſſe viſam, cum ſuperior in certaminibus eiusmodi theologicis eſſe credatur, cui nihil amplius reſpondetur: *c' eſt demeurer le maitre du champ de bataille;* in *diction. hiſtor. & crit. voc. Hoſpinianus p. 1599.* Praeter opus autem iſtud, hactenus commemoratum, HVTTERVS alia adhuc reformatis oppoſuit, quorum nonnulla, ad libros ſymbolicos ſimul ſpectantia, iam indicauimus *libri* huius *II. cap. II. §. XI.* Huc vero etiam ſpectat eiusdem *irenicum vere chriſtianum, ſiue de ſynodo & vnione euangelicorum non fucata concilianda tractatus theologicus,* contra DAV. PAREVM; item *Sadeel elenchomenos, ſeu tractatio pro maieſtate humanae naturae Chriſti;* & alia. Cumprimis autem de ſingulari eius contra reformatos zelo teſtatur liber: *Caluiniſta aulico-politicus, eigentliche Entdeckung etlicher Caluiniſchen politiſchen Rathſchlaeger, welche Ioan von Münſter fortzupflanzen, vnd die verdamte Caluiniſterey in das Herzogthum Holſtein einzuſchieben ſich bemühet;* item *Caluiniſta aulico-politicus alter, chriſtlicher vnd nothwendiger Bericht, von den fürnehmſten politiſchen hauptgründen, durch welche man die verdamte Caluiniſterey in die Chur- vnd Marck-Brandenburg einzuſchieben ſich ſtarck bemühet, ſamt einem Anhang wieder Salomo Fincken apoſtatam zu Berlin &c.* Non ſegnior HVTTERVS fuit in debellandis pontificiis, quod ſcripta eius teſtantur, cuiusmodi ſunt: *triumphus de regno pontificio, tractatus ſcholaſtico-theologicus; Ilias malorum regni pontificio-Romani, ſiue hiſtorica diſſertatio de iniuſtiſſimo pontificis romani in eccleſia dei dominatu; refutatio duorum librorum Roberti Bellarmini de miſſa; controuerſiae duae theologicae de verbo Dei ſcripto & non ſcripto, & de perſona Chriſti contra eumdem; actio in Iacobum Gretſerum, de imperatorum, regum ac principum chriſtianorum munificentia pro Nicolao de Clemangiis &c.* & alia. De HVTTERO eiusque ſcriptis porro legendi THEOPH. SPIZELIVS, in *templo honoris reſerato pag. 32. ſeqq.* HENNING. WITTE, in *memoriis theologorum dec. I. pag. 90. ſeqq.* PETRVS BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Hutterus p. 1623.* vbi quaedam lectu digna, ſed non ſine examine & cenſura praetermittenda, ſuppeditat; IO. FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth. Fabricianae part. II. p. 169. ſeqq.* vbi ſpeciatim *concordiam* eius *concordem,* & *irenicum vere chriſtianum,* recenſet, & de vtroque libro varia obſeruat.

Paullo antiquior HVTTERO eſt AEGID. HVNNIVS, eiusdem academiae Wittebergenſis theologus. Namque HVNNIVS an. 1603, HVTTERVS 1616 diem ſupremum obiit; vterque anno aetatis 53, vterque pari zelo erga diſſentientes ab eccleſia Lutherana flagrans. Praecipue illi itidem cum reformatis res fuit, ſpeciatim cum DANAEO, VRSINO, PEZELIO, aliisque, quos variis ſcriptis impugnauit, vt *de perſona Chriſti, eiusque ad dextram Dei ſedentis diuina maieſtate &c.* itemque *adſertione ſacrae & orthodoxae doctrinae;* & reliquis, quae in operibus eius, Wittebergae anno 1607 iunctim editis, leguntur; ne quid de iis, quae germanica lingua ſcripſit, dicam, cuiusmodi eſt, *Beweiß, daß die Caluiniſten der wahren Augſpurgiſchen Confeſſion niemahls zugethan geweſen &c.* Cumprimis autem commemorandus hic eſt liber eius notiſſimus, quem inſcripſit: *Caluinus iudaizans, hoc eſt, iudaicae gloſſae & corruptelae, quibus Ioannes Caluinus illuſtriora ſcripturae ſacrae loca, & teſtimonia de glorioſa trinitate, deitate Chriſti & ſpiritus ſancti, cumprimis autem vaticinia prophetarum de aduentu Meſſiae, natiuitate eius, paſſione, reſurrectione, adſcenſione ad caelos, & ſeſſione ad dextram Dei, deteſtandum in modum corrumpere non abhorruit;* qui an. 1593 pro-

Digitized by Google

diit, & inter opera eius iunctim edita exſtat. Quo animo reformatae eccleſiae doctores eum exceperint, haud difficulter coniicias. Documento eſſe poſſunt, quae hac de re habet PHIL. PAREVS, in *vita Dauidis Parei, pag. 51.* DAVID namque PAREVS oppoſuit HVNNIO *clypeum veritatis catholicae de ſacro-ſancta trinitate;* quod cum & PHIL. PAREVS memoraſſet, addit: *adeoque in fumos diſſipauit iudaica & Ariana illa cymbala.* Quae verba, iudice PETR. BAELIO, hoc ſibi velle videntur, ac ſi per DAV. PAREI reſponſionem tota iſta finita fuerit controuerſia: at ſecus ſe rem habere, idem auctor oſtendit. Tantum vtique abeſt, vt ſibi, aut cauſſae ſuae, defuerit HVNNIVS, vt potius an. 1594 *anti-Pareum* ſuum ediderit, hoc eſt, *refutationem in defenſionem corruptelarum, quibus Ioannes Caluinus ſcripturae teſtimonia de trinitate & Chriſto corrupit.* PAREVS eodem adhuc anno reſpondit, edito libro: *orthodoxus Caluinus, oppoſitus pſeudo-Caluino iudaizanti,* cui iterum an. 1595 duobus libris obuiam iuit HVNNIVS, teſte LEONH. HVTTERO, in *vita Hunnii,* apud MELCH. ADAMVM, in *vitis theolog. German. pag. 346.* PETR. BAELIVS haec ita narrat, vt acerbitatem, quam nimiam eſſe putat, HVNNII, more ſuo perſtringat, totque criminum CALVINVM adcuſatum, dicat, intuitu haereſeos, vt eamdem, quam SERVETVS, ſubire poenam debuerit, ſiquidem penes HVNNIVM hoc ſtetiſſet; in *diction. hiſt. & crit. voc. Hunnius p. 1621.* At meminiſſe BAELIVM oportebat, nec ipſis diffitentibus reformatae eccleſiae doctoribus praeſtantiſſimis, CALVINVM multa veteris teſtamenti oracula de Chriſto non explicaſſe, quae tamen de eo omnino intelligenda erant. Praeſertim recentiori aetate multi in iſta eccleſia exſtiterunt doctiſſimi viri, quibus iſta, luculentiſſima vaticinia detorquendi, methodus vehementer diſplicuit. Nec mitior in HVNNIVM fuit PAREVS, hocce eius opus diabolo tribuens, quod ipſemet pluribus confirmat BAELIVS *l. c.* add. HADR. BAILLETVS, *des ſatyres perſonelles, traité hiſtorique & critique de celles qui portent le titre d' anti tom. I. pag. 359.* Non tantum autem cum reformatis pugnauit HVNNIVS, ſed Flacianorum quoque cohorti bellum ſacrum indixit, edito libro *gründliche vnd richtige Erklaerung von der Erb-Sünde &c.* item *gründliche Abfertigung des unwarhafften kurzen Gegenberichts M. Cyr. Spangenbergs &c.* Immo & praecipuus inter eos fuit, qui ſe erroribus SAM. HVBERI oppoſuerunt, quod praeter alios IO. ANDR. SCHMIDIVS obſeruat, in *diſſert. hiſtorico-theologica de S. Huberi vita, fatis, & doctrina,* an. 1708 Helmſtadii euulgata. Comparata huc fuit commentatio eius *de prouidentia, ac praedeſtinatione contra Toſſanum & Huberum,* quam SCHMIDIVS *prolixum neruoſumque opus* vocat, *quo, praemiſſa breui Huberiani certaminis relatione, decretum electionis iuxta praeſcientiam factum eſſe, ad ſententiam primorum quatuor ſaeculorum, egregie oſtendit; l. c. p. 48.* Ex eadem *diſſertatione* reliquorum etiam ſcriptorum, in hacce cauſſa editorum, notitiam haurire licet. LEONH. HVTTERVS, dum huius rei mentionem iniicit, ita loquitur: *Fortem ſe ac fidum purioris doctrinae hyperaſpiſtem aduerſus inanes Huberi φλυαρίας eo tempore praeſtitit Hunnius, dum partim monendo, partim ſcribendo errantem Huberum in viam reuocare ſtuduit, quod ipſa res loquitur &c. Diſſidio autem iſto Huberi remotione ſopito, prodiit anno nonageſimo ſeptimo epiſtola, qua variorum errorum de coena domini, de baptiſmo, de libero arbitrio, de perſona Chriſti, de aeterna praedeſtinatione, fuit inſimulatus. Hanc igitur Hunnius eodem anno refutauit, vt & eos, qui in Anhaltinis eccleſiis altaria, imagines, organa muſica, hoſtias, & alias ceremonias abrogauerant;* apud MELCH. ADAMVM, in *vitis theologorum Germ. p. 346.* Quae verba cum & PE-

& PETRVS BAELIVS recitaſſet; colligit inde, HVNNIVM altaria, imagines, & alias eccleſiae romanae caerimonias non reieciſſe, a quibus tamen alii ex Lutheranis abhorreant. At fallitur vir doctiſſimus, & verba HVTTERI non recte intellexit. Per eos enim qui *in Anhaltinis eccleſiis altaria, imagines, organa muſica, & alias ceremonias abrogauerant*, haud dubie non Lutheranos, ſed reformatos intelligit. Ceterum non tam HVNNIVS, quam HVBERVS ipſe in culpa fuit, vt officio exueretur, nec aliud quid ex verbis HVTTERI: *diſſidio autem illo Huberi remotione ſopito*, colligas. Verba itaque BAELII: *ſatis itaque felix fuit, vt ab aduerſario ſuo triumphum referret, ſiquidem effecit, vt munere ſuo priuaretur*, etſi aculeo non carent, reuera tamen HVNNIVM non feriunt. Copioſius hac de re diſſerit in *diction. hiſtor. & crit. voc. Hunnius p. m. 1619.* Ad ſcripta autem HVNNII, in controuerſia Huberiana edita, pertinet etiam *explicatio controuerſiae inter theologos Wittebergenſes & Huberum de regeneratione & electione.* Non minus & contra pontificios in aciem prodiit HVNNIVS, idque & viua voce, & ſcriptis etiam eruditiſſimis. Colloquio enim Ratisbonenſi, an. 1601 inſtituto, cum IAC. HEILBRVNNERO & ANDR. OSIANDRO ex parte Lutheranorum interfuit, cum Ieſuitis, ALB. HVNGERO, IAC. GRETSERO & ADAMO TANNERO, pedem collaturus; conf. IOAN. LVDOVIC. HARTMANNVS, *concilior. illuſtrator. tom. IV. p. 709. ſeqq.* ANDR. CAROLI, in *memorabilib. eccleſ. ſaec. XVII.* ad *an. 1601. p. 16.* Colloquii iſtius is euentus fuit, qui plerumque eſſe ſolet, vt non tantum re infecta diſcederent, ſed vtraque pars ſibi victoriam tribueret. Hinc noua ſcriptis polemicis euulgandis occaſio. Cum enim TANNERVS Ieſuita *relationem hiſtoricam* de hoc colloquio edidiſſet, in qua, more Ieſuitis proprio, qui ſua opinione numquam vincuntur, ſibi ſuisque palmam tribuebat; HVNNIVS ſimiliter an. 1602 *relationem hiſtoricam de colloquio Ratisbonenſi* Wittebergae publicae luci expoſuit. TANNERVS rurſus non tantum ſuam *relationem* latina pariter ac germanica lingua Monachii recudi curauit; ſed & *examen narrationis* euulgauit, *quam hiſtoricae relationis nomine inſignitam, de colloquio Ratisbonenſi edidit Aegidius Hunnius*, itidem an. 1602. Tum vero HVNNIVS *anti-Tannerum* ſuum concinnauit, eodem anno Wittebergae impreſſum; cui anno ſequenti TANNERVS oppoſuit *apologeticum pro compendiaria relatione, de colloquio Ratisbonenſi, an. 1601 aduerſus anti-Tannerum, cum adpendice de morte Aegidii Hunnii.* Sed & cum IAC. GRETSERO, Ieſuita, congreſſus eſt HVNNIVS. Nimirum cum res in eo verſaretur, vt colloquium Ratisbonae ineundum eſſet; HVNNIVS diſſertationem, ſeu theſes, conſcripſit, *de colloquio cum pontificiis ineundo*; quibus GRETSERVS *reſponſum* oppoſuit, *ad theſes Aegidii Hunnii, praedicantis Wittebergenſis de colloquio cum pontificiis ineundo, in quo non pauca de proxima diſputatione Ratisbonenſi, deque controuerſiarum norma & iudice*; cuius editio ſecunda auctior Ingolſtadii prodiit 1602. 4. Additae huic *reſponſo* etiam ſunt *ſex digreſſiones aduerſus eumdem Hunnium.* Hinc cum, finito colloquio iſto, *epiſtola cuiusdam anonymi catholici, qua ſolatur praedicantes, lugentes ſortem Hunnii, & ſymmiſtarum ob rem infeliciter & mendaciter ab illis Ratisbonae geſtam*, prodiiſſet; HVNNIVS iterum *notationes ad epiſtolam cuiusdam anonymi pontificii narratoris, qua ſolatur amicum Auguſtanum lugentem ſortem Ieſuitarum, ob rem infeliciter ab ipſis Ratisbonae geſtam*, in lucem emiſit. Sed mox *epiſtola* iſta *anonymi*, cum *gloſſis ordinariis*, quibus ad *notationes* HVNNII reſpondetur, recuſa fuit Ingolſtadii an. 1602. *Epiſtolae* autem iſtius pariter ac *gloſſarum ordinariarum* non alius auctor, quam

GRET-

GRETSERVS eſſe videtur. Denique & *Labyrinthus papiſticus* HVNNII *ſiue diſputatio de papatu ſemetipſum contradictionibus implicante*, adeo diſplicuit GRETSERO, vt contra eumdem *Labyrinthum Cretico-Hunnianum, hoc eſt, diſputationem de Hunnio, praedicante Wittebergenſi, genioque Lutherano, ſemetipſum contradictionibus, fraudibus, mendaciis, & criminationibus implicante, confundente & iugulante &c.* prodire iuberet; Ingolſtadii 1602. 4. PHIL. ALEGAMBE etiam ADAMO TANNERO librum, eadem ratione: *Labyrinthus Cretico-Hunnianus*, inſcriptum, tribuit; quod per errorem fieri videtur, cum credibile non ſit, vtrumque Ieſuitam eadem inſcriptione libri vſum; vt bene PETR. BAELIVS obſeruat, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Hunnius p. 1620.* Legenda quoque, ſed & examinanda, quae de ſcriptis ab HVNNIO, tum TANNERO, tum GRETSERO oppoſitis, differit HADR. BAILLETVS, *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 179. ſeqq.* item *p. 244. ſeqq.* Quo iure autem idem BAILLETVS, *l. c. p. 183.* adſerat, HVNNIVM primum fuiſſe, qui opinionem, abſolutae praedeſtinationi contrariam, in ſcholis Lutheranorum introduxerit, eumque ab aliis ideo Pelagianiſmi fuiſſe poſtulatum, cuiusmodi quid & alii ſibi perſuadent; de eo alibi erit dicendi locus. Praeter hactenus commemorata, & alia contra pontificios ſcripta HVNNIVS compoſuit, vt *de eccleſia vera, & huius capite Chriſto, vt & de eccleſia romana, & huius capite pontifice romano anti Chriſto; de indulgentiis & iubilaeo romani pontificis; de ordinatione & vocatione miniſtrorum euangelicae eccleſiae contra Laurentium Arthurum*, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Antitrinitarios adgreſſus eſt, impiaque illorum profligauit dogmata, in commentatione, quam inſcripſit; *articulus de ſacro ſancta trinitate per quaeſtiones & reſponſiones ſolide pertractatus, & contra quasuis haereticorum veterum ac recentiorum ſtrophas & corruptelas firmiſſime munitus*, quae & ſeorſim non ſemel prodiit, & in primo quoque *operum* eius *tomo* exſtat. Vltimo tandem loco inter libros HVNNII commemoramus, cui, doctiſſimorum virorum iudicio, vel primus debebatur, *tractatum de ſacro-ſancta maieſtate, auctoritate, fide ac certitudine ſacrae ſcripturae propheticae & apoſtolicae, veteris & noui teſtamenti*, ſeorſim an. 1588 editum, ſaepiusque recuſum, & tomo primo *operum* eius inſertum, praemiſſum etiam *commentariis* auctoris *in nouum teſtamentum*, Wittebergae an. 1701 impreſſis. Germanicam verſionem ISAACI POECKLERI, emendatam cum *praefatione* edidit ELIAS VEIELIVS, Vlmae an. 1696. 12. Mentionem eius ideo hic fieri par fuit, quod HVNNIVS in illo atheorum, aliorumque profanorum hominum, diuinam ſcripturae ſacrae auctoritatem labefactare conantium, impietatem egregie conuellat, atque retundat. Et licet deinceps praeter alios PETR. DAN. HVETIVS, in *demonſtratione euangelica*, maiori eruditionis adparatu idem argumentum tractauerit; rationum tamen pondere, iudiciique acumine, HVETIO eum non tantum parem, ſed & ſuperiorem eſſe, virorum doctorum, ſpeciatim ELIAE VEIELII, in *praefatione* antea laudata, eſt ſententia. THOM. CRENIVS de libro hocce ita pronuntiat: *Beati Aegidii Hunnii tractatus de ſacro-ſancta maieſtate &c. florido maxime ſtilo & elegante* (*quem tamen in neminem filiorum ſuorum deriuauit*) *conſcriptus, recteque primo omnium operum illius viri loco poſitus, ſic animum meum adfecit, vt neminem ſciam, qui hoc ipſum in argumento ſuperet*; in *exercitat. de libris ſcriptor. optimis p. 27.* Tam ſtrenue autem licet pro eccleſia noſtra contra omnes eius aduerſarios pugnauerit HVNNIVS; parum tamen abfuit, quin labes quaedam doctrinae prauae illi adſpergere-

gereretur. Exſtant namque ſub eius nomine *theſes de abrogando exorciſmo*, quas paullo ante obitum ſuum conſcripſiſſe dicitur, excuſae Erfordiae an. 1603. 4. Sed cauſſam HVNNII hic egit HELVIC. GARTHIVS, qui ſingulis tomis *operum* eius, iunctim editorum, praefationem praemiſit. Fatetur enim equidem, HVNNIVM integro ante obitum biennio propoſitiones de exorciſmo litteris conſignaſſe, quarum autographum adhuc exſtet, quod in quibusdam cum editione Erfordienſi conueniat; in plurimis tamen etiam ab eadem differat. Mentem autem HVNNII hanc fuiſſe, idem auctor tradidit, eccleſiae commodum atque vtile fore, ſi ritus exorciſmi, quantum ad pronuntiationem verborum, & moderationem geſtuum, praeeunte neceſſario conſenſu ordinum eccleſiae, & legitima plebis informatione, in adminiſtratione baptiſmi omitteretur, & in *locum* eius vel *commonefactionis* vel *precationis formula* de peccati originalis atrocitate, ſatanae in filios Adami nondum renatos regno, & poteſtate, infinita ſanguinis Chriſti virtute, & ſpirituali baptiſmi ad regenerationem efficacia, ipſis ſcripturae verbis concepta, conſtitueretur. Quo ipſo non tam ipſum exorciſmum, in ſano ſenſu acceptum, quam formulam receptam, improbare videtur; quemadmodum & *theſes* iſtas non conſcripſit, vt euulgerentur, ſed vt in deliberatione, hac ſuper re inſtituenda, vſui ſibi eſſent. Legenda, quae hac de re obſeruat IO. FABRICIVS, in *hiſtoria bibliothecae ſuae part. II. p. 27.* qui & ibidem *p. 24. ſeqq.* ſcripta HVNNII latina, in quinque tomos diſtributa, & tribus voluminibus comprehenſa, &, vt ſupra iam monuimus, Wittebergae 1607 edita, adcurate recenſet. De vita & ſcriptis HVNNII noſtri conferendus etiam LVD. MELCH. FISCHLINVS, in *memoria theologor. Würtembergenſ. part. I. p. 253. ſeqq.*

Filius AEGIDII HVNNII fuit NIC. HVNNIVS, ex profeſſore Wittebergenſi ſacrorum apud Lubecenſes antiſtes, theologus itidem celeberrimus, & ob varia cumprimis ſcripta polemica obſeruatu dignus. Romanenſibus namque obuiam iuit, in *apoſtaſia romanae eccleſiae ab antiqua, apoſtolica, vereque chriſtiana puritate ſalutaris doctrinae fidei, cultus & religionis ex propria ipſius confeſſione vnice luculenter tamen, demonſtrata*; Lubecae anno 1630, & deinde ſaepius excuſa, & in linguam quoque germanicam translata; in *pelle ouina romanae eccleſiae detracta, das iſt, chriſtlichen vnd wohlgegründeten examine, vnd Beantwortung des Ruhms vnd Scheinheiligkeit, damit die Roemiſche Kirche (als ihrer Religion Grundfeſte) faelſchlich pranget &c.* Lubecae an. 1632 edita, & deinceps non ſemel recuſa; in *miniſterii Lutherani diuini, adeoque legitimi, demonſtratione, Rob. Bellarmini, Thomae Stapletoni, Gregorii de Valentia, Iacobi Gretſeri, & Henrici Lancelotti monachi* φλυαρίαις *potiſſimum oppoſita*, Wittebergae 1614. 8. Vltimo autem hocce libro cum praecipue HENR. LANCELOTTVM refutaſſet; hicce illi *capiſtrum Hunnianum* obiecit, aduerſus quod HVNNIVS iterum, *capiſtrum Hunnio paratum, Lancelotto iniectum, hoc eſt, euidentem probationem, demonſtratione miniſterii Lutherani diuini adeoque legitimi Henricum Lancelottum ita conuictum & captum, vt eius fundamenta toto ſuo apologetico ne quidem tangere auſus fuerit, multo minus ſubruere potuerit*, Wittebergae 1617. 8. Nec praetermittenda hic eſt eiusdem *neceſſaria depulſio grauiſſimarum accuſationum, quibus Ieſuitae Auguſtanae confeſſionis eccleſias calumnioſe onerare non erubeſcunt, I) ac ſi papam dicendo anti-Chriſtum, romanum imperium, caeſaream maieſtatem, ceterosque ſtatus catholicos iniuria adficerent; II) ſollemnem religionis pacificationem violarent*; Wittebergae 1628. 12. Prodiit hicce liber ἀνωνύμως, curante WILH. LYSERO, cui adeo

adeo a quibusdam, ſed perperam, tributus eſt. Cum vero mox an. 1629 LAVRENT. FORERVS, & PAVL. LAYMANNVS, Ieſuitae, ſub iureconſultorum Dillingenſium nomine latitantes, *pacis compoſitionem inter principes & ordines imperii romani catholicos, atque Auguſtanae confeſſioni adhaerentes &c.* in lucem protuliſſent, in qua & ſcriptum iſtud, antea memoratum, & ipſum HVNNIVM, variis conuiciis lacerauerant; ADAMVS quoque TANNERVS in *anti-Chriſto proſcripto* romanenſium cauſſam egiſſet; HVNNIVS, ne ſibi, aut eccleſiae, deeſſet, *innocentiam Lutheranorum in puncto iniuriarum ex adſerto romani pontificis anti-chriſtianiſmo, in romanum imperium, imperatorem, ac ſtatus catholicos redundantium, nec non violatae pacificationis religioſae, contra Ieſuitarum delationes antehac per neceſſariam depulſionem, adſertam, nunc vero aduerſus compoſitionem pacis iureconſultorum Dillingenſium, & Adami Tanneri, Ieſuitae, anti-chriſtum proſcriptum, immotis fundamentis ſtabilitam & defenſam*, edidit, Lubecae & Wittebergae an. 1631. 8. Inter reliqua HVNNII ſcripta anti-pontificia eminet adhuc libellus prorſus egregius, quo, beatum MARTINVM LVTHERVM ad eccleſiae emendationem a Deo vocatum, ſolide demonſtrauit, qui inſcribitur: *offenbahrlicher Beweiß, daß D. Martinus Luther zu des Pabſthums Reformation rechtmaeſſig von Gott ſey beruffen worden, aus gewiſſen Grund, fürnehmlich der heiligen goettlichen Schrifft, geführet &c.* Wittebergae 1628. 12. non ſemel deinceps recuſus, etiam cura VAL ERN. LOESCHERI Dreſdae 1717. 8. qui & praefationem eidem praemiſit. Eorum autem, quae reformatis oppoſuit, princeps praecipuumque merito cenſetur διάσκεψις eius *theologica de fundamentali diſſenſu doctrinae euangelico-Lutheranae & Caluinianae, ſeu reformatae, cum praemiſſa conſideratione* [illegible] *Caluinianae Dordrechtana ſynodo proditae*, Wittebergae anno 1626 & iterum anno 1663. 8. Nec enim quisquam ante eum tam ſolide, diſſenſum inter nos & reformatae eccleſiae doctores fundamentalem eſſe, euicit, nec poſtea quisquam luculentiori hoc praeſtitit ratione. Vnde mirum omnino, exſtitiſſe noſtra aetate, qui, ex hocce ipſo HVNNII libro, diſſenſum iſtum minime fundamentalem eſſe, oſtendi poſſe, ſibi aliisque perſuadere voluerunt. Reformatis quantopere diſplicuerit, vel inde intelligitur, quod CHRIST. MASSONIVS, hoc eſt, CHRIST. BECKMANNVS, in *anatomia vniuerſali triumphante*, CONR. BERGIVS in *praxi catholica diuini canonis contra quasuis haereſes & ſchiſmata*, SAM. STRIMESIVS, in *ingenua in controuerſias euangelicorum inquiſitione*, aliique, certatim eum refutare adgreſſi ſunt. Miſſis autem reliquis, quibus itidem reformatis, ſpeciatim IO. DVRAEO, quem id egiſſe, vt reformatos cum Lutheranis conciliaret, conſtat, obuiam iuit: *epiſtolam* ſolum adhuc eius *ad Leuinum Pouchenium*, de patris ſui AEGID. HVNNII *theſibus de exorciſmo*, an. 1622 germanice ſcriptam, commemoramus; ſiquidem in ea confirmantur, quae iam antea de hiſce *theſibus* diximus, atque qua ratione, neſcio atque inuito auctore, typis exſcriptae ſint, exponitur. Cum Socinianis equidem NICOLAVS noſter HVNNIVS itidem congreſſus eſt, in *examine errorum Photinianorum, de religionis ac fidei fundamento; de cognitione Dei; de nominibus Dei;* item, *de ſtatu hominis primo integritatis, & ſecundo peccati &c.* ſed cumprimis tamen in fanaticorum, quos vocant, refutatione, zelum ſuum diligentiamque demonſtrauit. Cumque variis contra eos pugnauerit ſcriptis; praecipue tamen in cenſum venit eius *chriſtliche Betrachtung der neuen Paracelſiſchen vnd Weigelianiſchen theologie, darinnen durch vierzehen Vrſachen angezeiget wird, warumb ſich ein ieder Chriſt für dieſelbe*

ſelbe, als für einen ſchaedlichen Seelen-Gifft mit hoechſten Fleiß hüten, vnd vorſehen ſoll; Wittenbergae an. 1622. 8. itemque quod nomine miniſteriorum Lubecenſis, Hamburgenſis, & Luneburgenſis, compoſuit, inſcriptum: *ausführlicher Bericht von der neuen Propheten (die ſich erleuchtete Gottes-Gelehrte vnd Theoſophos nennen) Religion, Lehr vnd Glauben, damit der Satan die Kirche Gottes aufs neue zu verunruhigen ſich unterſtehet &c.* Lubecae 1634. 4. Recuſum eſt hocce opus cura & ſtudio IO. HEINR. FEVSTKINGII Lipſiae anno 1708. 8. qui & *introductionem* quamdam addidit. Eccleſiam nimirum ſuam atque vicinas a libellorum, qui in iis ſpargebantur, ac cupide legebantur, CHRISTOPH. ANDR. RASELII, NIC. TETTINGII, PAVLI FELGENHAVERI, aliorumque hominum fanaticorum contagio imminente, liberaturus, miſſis an. 1632 Hamburgum ac Luneburgum litteris, effecit, vt theologi ciuitatum iſtarum praecipui, ad ſynodum presbyterii tripolitani Mollenſem, an. 1633, menſe Martio, vna cum Lubecenſibus ſuis, magiſtratu conſentiente, ſeſe conferrent. Qui aderant, errorum iſtorum, quos libellorum memoratorum auctores diſſeminabant, publicam refutationem neceſſariam iudicarunt, facileque, vt eam in ſe ſuſciperet, ab HVNNIO noſtro impetrarunt, qui & eodem, edito iſtorum miniſteriorum nomine libro, antea indicato, munere hocce praeclare atque cum laude functus eſt. Plura hac de re, vti & de ipſo HVNNIO dabit CASP. HENR. STARCKIVS, qui & omnia eius ſcripta adcurate, ſummoque ſtudio, recenſet, ac multa obſeruatu digna de iis tradit, in *der Lübeckiſchen Kirchen-Hiſtorie vol. I. part. V. p. 899. ſeqq.* Rationem, qua IO. HENR. FEVSTKINGIVS permotum fuiſſe HVNNIVM tradit, vt relicta Witteberga Lubecam commigraret, idem refellit, *l. c. p. 752.* De ſcripto quod miniſterii Lubecenſis, Hamburgenſis & Luneburgenſis nomine eum compoſuiſſe diximus, legendus etiam IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſi cimbr. part. III. cap. V. p. 469.* itemque EHREG. DAN. COLBERGIVS, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum, part. I. cap. V. §. II. p. 217.* Frater NICOL. HVNNII, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ addam, fuit, HELFRIC. VLR. HVNNIVS, qui ad romanenſium caſtra tranſiit, & an. 1631 *inuicta prorſus*, vt vocat, *& indiſſolubilia duodecim argumenta* Heidelbergae edidit, quibus ſe conuictum & conſtrictum profitetur, vt romanae eccleſiae ſacra amplecteretur; quae anno ſequenti 1632 Coloniae, cum acceſſione quadam, ſeu demonſtratione, *quod archi-haereſis Lutherana maxima ſui parte ex antiquiſſimis haereſibus &c. conflata ſit, & compilata,* recuſa ſunt. Sed quantumuis argumenta iſta auctori indiſſolubilia viſa ſint; ea tamen haud adeo difficili negotio ſolui poſſe, oſtenderunt IO. HIMMELIVS, in *ſolutione duodecim argumentorum Hunnii apoſtatae*, Ienae 1634. 4. & PETR. HABERKORNIVS, in *vindicatione Lutheranae fidei contra Helfricum Vlricum Hunnium*, Marpurgi 1633. 8. Conferendus, quem iam laudauimus, CASP. HENR. STARCKIVS, *l. c. p. 742.* qui & *p. 913.* negat, apoſtatam iſtum a fratre ſuo NIC. HVNNIO ex inſtituto refutatum, quod beatus CASP. SAGITTARIVS noſter innuere videtur. De eodem quaedam obſeruatu digna legere licet apud PETR. BAELIVM, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Hunnius p. m. 1620.*

Inter illuſtres eccleſiae Lutheranae theologos, qui ſaeculum decimum ſeptimum ornarunt, locum praecipuum iure ſibi vindicat MATTH. HOË AB HOENEGG, nobili genere natus, ſed eruditionis laude meritiſque in eccleſiam Lutheranam longe clarior. Doctrinae enim euangelicae veritatem contra aduerſarios quoſuis ſcriptis quam plurimis, iiſque de ingenti viri huius

ius zelo teſtantibus, propugnauit. Vnde PETR. BAELIVS, cum retuliſſet, eum equeſtri natalium ſplendore inſignem fuiſſe; more ſuo addit: *& il eut la plume ſi guerriere, qu' il fit voir qu' il ne degeneroit pas*; in *diction. hiſt. & crit. voc. Hoe p.m. 1578.* Cumprimis contra pontificios pariter ac reformatos pugnauit ſtrenue. Vtrosque coniunctim adgreſſus eſt in *ſolida deteſtatione papae & Caluiniſtarum*; pontificios ſeorſim in *Labyrintho papiſtico contra nugas Iacobi Gretſeri*; in *Labyrintho Cretico-Gretſeriano, in quo oſtenditur, quam horrende Gretſerus papiſticam doctrinam pinxerit*; in *tractatu tripartito de quibusdam religionis chriſtianae capitibus, in defenſionem D. Aegid. Hunnii contra Iacobum Gretſerum &c.* Nimirum pro AEGID. HVNNIO haec ſcripta ſunt, cui ſpeciatim cum IAC. GRETSERO litem intercesſiſſe, cui immortuus ſit, antea diximus. *Apologeticum* HOEI *contra Bellarmini ſtolidum iudicium, pro ſancto concordiae libro* ſupra iam commemorauimus, cum & alios recenſeremus, qui hocce ROB. BELLARMINI *iudicium de libro concordiae* refutarunt; *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. XI.* Spectant huc etiam *angeli tubicines, ſeu inſigniores haeretici ſeptem, inter quos primus anti-chriſtus ad viuum depingitur*; & alia, quae ab aliis enarrantur. Haec itaque ſcripta, totaque vita HOEI, cum ſingularem viri huius zelum contra romanenſes ſatis demonſtrent; a vero plane abhorrere videtur, quod memoriae prodidit SAM. PVFENDORFIVS, in ſuſpicionem eum apud quosdam veniſſe, ac ſi ab imperatore pecunia corruptus, electori Saxoniae omnes ſcrupulos exemerit, qui a pace Pragenſi, an. 1635 inita, eum deterrere potuiſſent. Verba PVFENDORFII ſunt: *Arguebatur quoque ſaxonicus theologus, Matthias Hoeus, decem vncialium millia a caeſare accepiſſe, eximendis principis ſui animo ſcrupulis, quos alias facile pax iſta generare poterat; rerum ſuecicar. lib. VII. p. m. 195.* Plane in contrarium currunt, qui edito *commentariorum in apocalypſin libro ſexto*, HOEVM claſſicum velut ad arma pontificiis inferenda cecinisſe, contendunt. Vel ex inſcriptione hoc colligi poſſe, putant, quae haec ſit; *iudicium & excidium meretricis Babyloniae romanae, ſeu commentariorum in apocalypſin ſancti Ioannis liber ſextus.* Meminit huius libri CAR. NIELLIVS, in *epiſtola ad Vytenbogardum*, in *epiſtolis eccleſiaſticis & theol. praeſtant. & eruditor. viror. num. DCXXXVIII.* editionis, quae anno 1704. fol. prodiit, miraturque, HOEVM eo tempore, (1628) triumphantibus vbique armis caeſareis, iſta ſcribere auſum, praeſertim cum ipſe clam fauere pontificiis iam pridem viſus ſit. At vel ex hac ipſa ſcriptione colligi poterat, omni fundamento deſtitui opinionem illorum, qui, aut tum clam pontificiis fauiſſe HOEVM, exiſtimant, aut deinceps in illorum aliquid feciſſe gratiam. Claſſicum vero hoc ipſo contra pontificios eum canere voluiſſe, facilius dicitur, quam probatur; etſi hoc ſibi perſuadeat PETR. BAELIVS, qui & addit, homines, rerum nouarum cupidos, vix ſibi temperare poſſe, quo minus obſcuritatibus apocalypſeos, ad bella excitanda, abutantur, *l. c. voc. Hoe p. 1578.* Enim vero, ſi quidam tam maligni ſint; non tamen omnibus apocalypſeos interpretibus idem conſilium imputandum, cum excidium antichriſti, in hocce libro praedictum, docent. Non minus vero & reformatae eccleſiae doctores HOEVM acrem ſtrenuumque veritatis propugnatorem experti ſunt; quibuscum quae circa annum 1631 agitabantur conſilia henotica, quod euentu caruerint, id HOEO maxime imputandum, ſi HVGONI GROTIO credimus, *epiſt. CCCCXLIV. part. I. p. 165.* Quidquid eius ſit; reformatis eum non pepercisſe, ſcripta ab eo edita teſtantur: *vera Caluiniſtarum deſcriptio, cum adſertione, libello Ludouici Crocii oppoſita; tractatus* anti-

Digitized by Google

anti-Caluiniſticus gnomoni apologetico Wenceslai Budowez, *baronis a Budoua*, *oppoſitus*, & reliqua, ſpeciatim contra PAVL. TOSSANVM, ABR. SCVLTETVM, aliosque, lingua germanica, edita, quae in indice ſcriptorum eius, apud HENNING. WITTENVM, in *memoriis theologorum dec. VIII. num. I. p. 1021. ſeqq.* legi poſſunt. De diſputatione quadam inter STEPH. LASVRVM, legatum britannicum, & HOEVM, ſcriptisque quibusdam, eo ſpectantibus, vid. IO. FABRICIVS, in *hiſtoria bibliothecae* ſuae *part. IV. p. 514.* Ad controuerſias, a SAM. HVBERO excitatas, ſpectat auctoris noſtri *expedita reſponſio ad adpellationem & prouocationem Samuelis Huberi, cui addita eſt delineatio articuli de praedeſtinatione.* Sed, miſſis hiſce, id ſolum addimus, ſcriptorum quorumdam publico nomine editorum, vti *ſolidae verboque Dei & libro concordiae chriſtianae congruae deciſionis quatuor controuerſorum capitum*, de quibus inter Tubingenſes & Gieſſenſes theologos diſceptabatur; item *deciſionis controuerſiae Rathmannianae*; porro, *der nothwendigen Vertheidigung des heiligen Roemiſchen Reichs, euangeliſcher Churfürſten vnd Staende Augapffels &c.* vt & *der nochmahligen vnvermeidentlichen vnd gründlichen Haupt Vertheidigung &c.* auctorem eſſe MATTH. HOEVM, vti hodie ſatis inter omnes conſtat. Dictum de hiſce ſcriptis ex inſtituto eſt *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* Ex hiſce illud, cui *nothwendige Vertheidigung &c.* nomen, Ieſuitarum quorumdam noſtratibus extorſit petulantia, qui non deſinebant, atrociſſimas ſpargere calumnias, Lutheranos multa in Auguſtana confeſſione mutaſſe, quaedam adieciſſe, nouam confeſſionem per *formulam concordiae* introduxiſſe, & quae alia erant eiusdem generis, eum ſolum in finem, vt pacis religioſae commodis Lutheranos priuarent, ordinesque imperii, eccleſiae romanae ſacris addictos, ad arma concitarent. Hinc &, cum *neceſſaria* iſta *defenſio pupillae euangelicae* prodiiſſet, dici nequit, quanto furore eam adgreſſi ſint Ieſuitae, atque inter hos praecipue LAVR. FORERVS, homo dicaciſſimus, impudentiſſimusque, in cuius ſcriptis quidquid ſordium theologia polemica per hominum ſtultitiam ſecum vehit, coniunctim conſpicias. Hoc vel ex libellorum, qui eo tempore prodierunt, inſcriptionibus, cuiusmodi eſt: *Vberſchlag über den Stahrſichtigen Aug-Apffel*, item *es müſte wohl eine Kuh lachen &c.* agnoſcas. Nec deerant ſibi noſtrates; quorum nonnulli, vt par pari referrent, aduerſarios itidem ſatyrico perfricare ſale inſtituerunt. Hinc Ieſuitis oppoſita: *Dillingiſcher Kaelber-Arzt; der neue Stahren-Stecher*, & alia. Nollem id factum, cum hoc diſputandi genus a modeſtia chriſtiana & grauitate theologica alienum ſit. Interim auctores, ex quibus ſcriptorum iſtorum notitia quaedam hauriri poteſt, laudaui *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *VIII.*

Quin & magnus IO. GERHARDVS noſter inter polemicos theologiae ſcriptores referendus ſit, nemo forte dubitauerit. Nec enim vlla eſt pars theologiae, quam non ſcriptis egregiis exornauerit. In ipſis *locis theologicis* dogmata ſacra ita tractat, vt non tantum veritatem doctrinae euangelicae confirmet, ſed & errores diſſentientium ſimul refellat, atque profliget. Sed de his iam ſuo loco dictum eſt, *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XIV.* Idem de *diſputationibus* eius *iſagogicis* cenſendum, de quibus ibidem verba fecimus. Exſtant praeterea eiusdem *diſputationum theologicarum partes duae* Ienae 1625. 8. in quibus varia argumenta contra pontificios, reformatos, Photinianos, Weigelianos, aliosque fanaticos, erudite ſolideque pertractantur. Romanenſibus ſpeciatim oppoſitae ſunt *diſputationes theologicae* (numero viginti) *in quibus dogmata papalia*

iuxta ſeriem Bellarmini ἐπιτομικῶς *expenduntur*, Ienae 1629. 4. Sed & eiusdem *Bellarminus* ὀρθοδοξίας *teſtis* huc comparatus eſt, hoc eſt, *catholica & euangelica veritas in praecipuis quibusdam articulis cum romano-catholicis eccleſiae noſtrae controuerſis, ex ipſomet Bellarmino oſtenſa ac publice propoſita.* Tribus hoc opus conſtat partibus, quarum prima Ienae 1631. vltima 1633. ibidem prodiit. Obſeruatu quoque digna eſt eiusdem *conſideratio quarumdam quaeſtionum theologicarum in compoſitione pacis Dillingenſi propoſitarum*, ibidem anno 1631. 4. Nimirum *compoſitionem* iſtam *pacis*, quam LAVR. FORERVS, & PAVL. LAYMANNVS, Ieſuitae, ſub iure conſultorum Dillingenſium nomine latitantes, procudebant, qua id vnice agebant, vt pacem religioſam labefactarent, merito inter ſcripta ſeditioſa referebant euangelici, apud SAM. PVFENDORFIVM, *rerum ſuecicar. lib. XVII. p. 600.* Vnde recte omnino, hoc ſibi datum, credebant theologi, vt fraudes iſtas ac fallacias detegerent; quod adeo praeter NIC. HVNNIVM, quem antea iam hoc nomine laudauimus, beatus GERHARDVS noſter praeſtitit. Locum porro hic ſibi poſtulat eiusdem *gründliche vnd beſcheidentliche Antwort auff das paebſtiſche Buchlein: Morgenſtern &c.* Libellum nimirum iſtum, inſcriptum: *Morgenſtern, dadurch ein ieder guthertziger zur Erkaentnis des hellen Tages der Warheit bald vnd leichtlich kommen kan &c.* cum hinc inde ad fallendos incautos pontificii ſpargerent; GERHARDVS, eumdem refutare, ſuarum duxit eſſe partium. Confutatio iſta Ienae prodiit 1628. 8. Immo in latinam quoque linguam conuerſa, & ad diſputandum eodem anno propoſita, ſequenti autem anno, inſcripta: *phosphori conſideratio*, publicae luci expoſita eſt. Sed, miſſis hiſce, ad praecipuum GERHARDI in hocce genere ſcriptum progredimur, quod eſt *confeſſio catholica, in qua doctrina catholica & euangelica, quam eccleſiae Auguſtanae confeſſioni addictae profitentur, ex romano-catholicorum ſcriptorum ſuffragiis confirmatur. Liber primus* huius operis, isque *generalis duabus* conſtans *partibus*, Ienae lucem adſpexit an. 1633. 4. *libri* autem *ſecundi*, ſeu *ſpecialis*, *pars prima* an. 1634 *pars ſecunda* an. 1636 & *pars tertia* denique, ſeu *vltima*, an. 1637. Iunctim omnes iſtae vtriusque libri partes recuſae ſunt Francofurti & Lipſiae an. 1679. fol. Eo nimirum GERHARDVS diſputandi vſus eſt genere, quod antiqui eccleſiae patres IVSTINVS, TERTVLLIANVS, ATHENAGORAS, CLEMENS Alexandrinus, ARNOBIVS, aliique, contra gentiles adhibuerunt, ex propria illorum doctrina & hypotheſibus argumenta petentes, quibus religionis chriſtianae veritatem comprobarent. Eamdem iam ingreſſus erat viam MATTH. FLACIVS illyricus, ſpecimenque iſtius methodi ipſe GERHARDVS, in *Bellarmino orthodoxiae teſte*, de quo antea dictum, dedit, cuius deinceps & alii imitati ſunt exemplum. Nec temere erit, qui eruditum hocce pugnae genus improbauerit. Certe, quae pontificii contra illud excipiunt, nullius ſunt momenti. Praecipuum hoc eſt, ſcriptores, qui ex illorum coetu contra eos producuntur, & ſe, & ſua ſcripta, eccleſiae iudicio ſubieciſſe; proinde, quidquid eccleſia romana in illis repudiet, vel certe non adprobet, illud pro non dicto habendum eſſe. At non omnes romanae, ſed catholicae eccleſiae iudicio, ſuam ſententiam atque doctrinam ſubiectam voluiſſe, nec catholicam eccleſiam ſtatim eſſe romanam, ipſemet erudite docet GERHARDVS, in *prooemio p. 7. ſeqq.* Addo, etſi multi videri voluerint romanae eccleſiae iudicio ſua ſubieciſſe; vi tamen veritatis coactos, ſuum diſſimulare non potuiſſe diſſenſum. Sed totum hocce negotium ipſe confecit GERHARDVS, ſatisque proſpexit, ne lubrico funda-

fundamento ſua ſuperſtrueret. Plura etiam de hacce diſputandi methodo in ſequentibus dicemus. Ad controuerſias, quae nobis cum reformatis intercedunt, ſpectat *diſputationum theologicarum, in quibus dogmata Caluinianorum iuxta ſeriem Marci Friderici Wendelini expenduntur, τεσσαρεσκαιδεκάς; &c.* Ienae 1638. 4. Quas quidem diſſertationes non ab ipſo GERHARDO, ad eius tamen ductum a iuuenibus, qui reſpondentium munere functi ſunt, conſcriptas eſſe, conſtat. Quindecim demum, poſteaquam lucem adſpexerant, annis, MARC. FRID. WENDELINVS, haud infimi ordinis inter reformatos theologus, *exercitationes theologicas vindices pro theologia chriſtiana* iis oppoſuit, Caſſellis an. 1652, denuo excuſas an. 1669. 4. quas licet ſubinde, aliud velut agendo, & in tranſcurſu, iterum refutauerint quidam noſtratium: ex inſtituto tamen demum id praeſtitit CHRIST. FRANCKIVS, theologus Kilonienſis, in *exercitationibus anti-Wendelianis*, an. 1687. euulgatis. Agmen denique claudat *tractatus theologicus, in quo praecipua chiliaſmi fundamenta ſolide deſtruuntur, pariterque de Gog & Magog, item de vniuerſali Iudaeorum conuerſione vberius diſſeritur*; quem poſt auctoris obitum publicae luci expoſuit filius eius IO. ERN. GERHARDVS, Ienae an. 1667. 4. Occaſionem eius indicat, qui & de reliquis GERHARDI ſcriptis diligenter & adcurate diſſerit ERDM. RVD. FISCHERVS, in *vita Ioan. Gerhardi, cap. XIX. p. 376. ſeqq.* vbi & elogia, quibus viri docti ſcripta haecce ornarunt, legere licet. Patri iungimus filium, iam nobis memoratum, eumdemque itidem academiae noſtrae Ienenſis theologum clariſſimum, cuius inter diſſertationes academicas, exquiſito ſtudio conſcriptas, plurimae ſunt polemici argumenti; nonnullae ad exoticas etiam controuerſias ſpectant, vt *de ſtatu eccleſiae Copticae, ſiue chriſtianis Aegyptiis; de ſtatu Armeniae eccleſiaſtico & politico; de eccleſia Maronitarum; de religione ritibusque eccleſiaſticis Moſcouitarum; de conſenſu & diſſenſu religionum profanarum cum veritate chriſtiana &c.* Cumprimis autem hic laudanda eius *ſylloge decadum theologicarum, in quibus potiores controuerſiae theologicae theſibus ſuccinctis comprehenſae, vna cum remiſſionibus ad doctorum ſcripta, in quibus easdem tractarunt, ſiſtuntur*; quam *tum controuerſiarum, tum auctorum, praecipue autem locorum, ex ſcriptis beatorum Ioannis, & Ioannis Erneſti Gerhardorum eo pertinentium acceſſione, ita auctam, vt vicem introductionis polemicae in omnia Gerhardina ſcripta facile ſubire queat*, denuo prelo & diſquiſitioni publicae ſubiecit IO. ERN. GERHARDVS, Ioannis Erneſti filius, Ioannis nepos, theologus poſtea Gieſſenſis longe meritiſſimus, Ienae 1691. 4. Inſtar compendii enim theologiae polemicae generatim ſpectatae *ſylloge* haecce eſſe poteſt.

Quanti IOAN. GERHARDVM praeter alios IO. HVLSEMANNVS fecerit, ex *praefatione* eius in opus *de auxiliis gratiae* patet, vbi eum *virum immortalis gloriae* vocat. Non minoris puto a GERHARDO factum IO. HVLSEMANNVM, quem ex polemicorum ſcriptorum ordine merito illi comitem damus. Saepiſſime enim cum aduerſariis in arenam deſcendit, idque haud infeliciter, omni quippe armorum genere abunde inſtructus. Et ad romanenſes quidem quod attinet, pugnauit contra eos in *animaduerſionibus in Roberti Bellarmini tomum primum controuerſiarum*; Wittebergae an. 1641. 12. Praeterea cum circa annum 1630 BALTH. HAGERVS Ieſuita *collationem Auguſtanae confeſſionis & oecumenicorum conciliorum cum verbo Dei* edidiſſet, in qua id agebat, vt oſtenderet, Auguſtanae confeſſionis doctrinam a veritate verbi diuini plane diſſentire, quacum contra exacte conuenirent concilii Tridentini decreta; HVLSEMANNVS illi *ma-*

nuale

nuale confeſſionis Auguſtanae, vindicans eam ab iniqua collatione cum conciliabulo Tridentino, a Balthaſare Hagero edita, oppoſuit; quod iam commemorauimus, cum de theologia ſymbolica verba faceremus, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. XI.* Licet autem non ſemel *manuale* illud excuſum ſit; a nemine tamen id impugnatum, obſeruat ANDR. CAROLI, in *memorab. eccleſiaſt. ſaec. XVII. lib. IV. c. V. p. 753.* Comparata huc etiam ſunt, quae in *diſputat. de praeſcriptione* commentatus eſt, *an opinio quaedam mentis de dogmatibus theologicis finito temporis tractu poſſit praeſcribi?* quibus lepidum iſtud methodiſtarum, quos vocant, pontificiorum commentum, haereticos ex capite praeſcriptionis conuincendi, profligauit ſolidiſſime. Hos autem hac in re fruſtra ad TERTVLLIANVM prouocare, ſupra demonſtratum eſt. Sed primo loco a nobis laudari debuiſſet liber eius *de auxiliis gratiae*, quamuis non pontificiis modo, ſed & reformatis, praecipue autem Arminianis, oppoſitus, quo demonſtrauit, ſe in intimos ſubtilitatum ſcholaſticarum receſſus penetraſſe. Denuo prodiit vna cum *diſputatione cum Hugone Grotio an. 1643 inſtituta, de harmonia ſancti Pauli & Iacobi, ex cap. II. epiſt. Iacobi*, Francofurti anno 1705. 4. *Apologia miniſterii euangelici pro miniſtro ordinationis ſacerdotalis*, eccleſiae noſtrae itidem contra pontificios cauſſam agit, ingeniumque & eruditionem auctoris prodit. THOM. CRENIVS de ea ita pronuntiat: *hoc de argumento* (περὶ χειροτονίας) *prae ceteris praeclare meruit doctor noſter Ioan. Hulſemannus, theologus Lipſienſis, pontificiis ſudes in oculis, Riueto vero paſſim laudatus, in ab omnibus eruditis expetita elegante tractatu, de miniſtro conſecrationis & ordinationis ſacerdotalis, Lipſiae edito, an. 1658. 4.* in *adnotat. ad Ioan. Vorſtii exercitat. de ſedib. epiſcopalib. faſc. I. exercitat. philologico-hiſtor. p. 94.* In controuerſiis cum reformatis qualem ſe geſſerit HVLSEMANNVS noſter, documento eſſe poteſt *Caluiniſmus* eius *irreconciliabilis, ſeu delineatio cauſſarum, earumque applicatio ad Caluiniſmum, propter quas Ioſephus Hallus, Exonienſis epiſcopus, papiſmum cenſuit eſſe irreconciliabilem;* more academico primum an. 1641. Wittebergae ad diſputandum propoſitus, deinde tertium ibidem excuſus an. 1667. 8. Obuiam nimirum hacce diſſertatione ire voluit conatibus henoticis IO. DVRAEI, Scoto-Britanni, docuitque adeo, propter easdem cauſſas, Caluiniſmum eſſe irreconciliabilem cum Lutheraniſmo, propter quas IOS. HALLVS, papiſmum cum eccleſiis proteſtantium irreconciliabilem eſſe, in *Roma irreconciliabili* ſtatuit. IO. DVRAEVS equidem eodem adhuc anno, quo iſta HVLSEMANNI commentatio prodiit, *epiſtolicam diſſertationem* ei oppoſuit, qua HVLSEMANNVM, & qui reſpondentis munere functus erat, PETR. RHEHEBINDERVM, continuati inter proteſtantes ſchiſmatis reos agit, multaque de theologia ſcholaſtica poſtliminio introducta, conqueritur. Sed non defuit ſibi HVLSEMANNVS, quin potius cuncta ſibi obiecta promte diluit in *reſponſione ad epiſtolicam diſſertationem Duraei*, quae vna cum iſta DVRAEI *diſſertatione*, editioni *Caluinianiſmi irreconciliabilis* antea memoratae an. 1667 ſubiuncta eſt. Ceterum DVRAEVS praeter HVLSEMANNVM alios quoque ex noſtratibus ſibi aduerſantes habuit, vt IO. CONR. DANHAVERVM, in *ſalue reformatorum*, aliisque ſcriptis, PETR. HABERKORNIVM in *diſputatione de ſyncretiſmo*, IO. MICRAELIVM, in *heterodoxia Caluiniana*, IOAN. MEISNERVM, in *irenico Duraeano* aliosque. Legendi etiam de eius conſiliis henoticis ABR. CALOVIVS, in *hiſtoria ſyncretiſtica, lib. I. c. V. p. 55. lib. III. cap. VI. p. 791.* alibique; ANDR. CAROLI, in *memorabilib. eccleſ. ſaec. XVII. lib. V. c. XXVI. p. 1000.* GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kir-*

Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVII. cap. XI. cumprimis autem PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Duraeus p. 1095.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Feruebant eodem tempore certamina, vt vocabantur, ſyncretiſtica cum GEO. CALIXTO, eiusque ſectatoribus, in quibus vel maxime HVLSEMANNI noſtri zelus atque induſtria enituit. Nimirum, cum iam pridem eiusmodi ſententias, quae ad romanenſium pariter ac reformatorum cum noſtra eccleſia coniunctionem tendunt, animo fouiſſet CALIXTVS; praecipue tamen mentem ſuam prodidiſſe creditur in colloquio Thorunienſi, quod & *charitatiuum* dicebatur, an. 1645 a Vladiſlao Poloniae rege inter pontificios & reformatos inſtituto; conf. ABR. CALOVIVS, in *hiſtor. ſyncretiſt. cap. IV. p. 199.* Quaenam colloquii huius ratio, quis exitus fuerit, aliunde conſtat. Acta eius exhibet, quem iam laudauimus, ABR. CALOVIVS, *hiſtor. ſyncret. cap. III. p. 199.* Inter Lutheranos colloquutores principem locum tenebat HVLSEMANNVS, ſicuti CALIXTVS reformatis ſe adſociauerat. Irritus autem cum iſtius colloquii eſſet euentus, culpamque quilibet a ſe amoliretur, aduerſariosque redargueret; HVLSEMANNVS anno ſequenti *relationem de colloquio Thorunienſi* lingua germanica edidit. Interea CALIXTVS magis ſuſpectus reddebatur, nouamque ſimul in lucem proferebat ſententiam, myſterium trinitatis fidelibus veteris teſtamenti non fuiſſe cognitum. Hac re inductus HVLSEMANNVS anno 1649 *dialyſin apologeticam problematis Calixtini de myſterio trinitatis in veteri teſtamento non patefacto* euulgauit; in cuius *praefatione* & de reliquis CALIXTI erroribus fuſe diſſeruit, quadraginta illos numerans, in quibus a libris ſymbolicis eccleſiae Lutheranae diſſentiret. Vehemens erat certamen atque funeſtum, in quo magni nominis theologi foediſſimis conuiciis ſe mutuo proſcindebant; quo ipſo polemicae theologiae incommoda, ſaepe nobis iam notata, ſe prodebant, & graue ſimul vulnus eccleſiae noſtrae infligebatur. Documento inter plurima eſſe poteſt libellus, ſub OSW. STVMPFFII nomine contra WELLERVM, HVLSEMANNVM, & SCHARFFIVM anno 1650 editus, cui vt & aliis eiusdem commatis ſcriptis, quae iterum WELLERVS, HVLSEMANNVS, SCHARFFIVS oppoſuerint, apud ABR. CALOVIVM legi poſſunt, *l. c. pag. 587.* HVLSEMANNVS porro anno 1651 *iudicium* ſuum *de deſiderio & ſtudio ſanciendae concordiae eccleſiaſticae Calixtino* in lucem emiſit, qua CALIXTI diſſertationem, quae inſcribitur: *deſiderium & ſtudium concordiae eccleſiaſticae,* ſub examen reuocat. Tandem, cum certamina iſta vlterius protraherentur, HVLSEMANNVS an. 1653 librum, *Calixtiniſcher Gewiſſens-Wurm* inſcriptum, prodire iuſſit; de quo itidem ABR. CALOVIVS videndus, in *hiſtor. ſyncret. p. 590.* De *breuiario Hulſemanniano*, eiusque *extenſione*, in quo itidem praecipuae iſtius aetatis controuerſiae exhibentur, ſupra iam egimus, *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XIV.*

HVLSEMANNI gener, & tum in aliis, tum maxime in ſyncretiſticis certaminibus fidus paraſtata, fuit ABR. CALOVIVS, polemicorum theologorum ſaeculi decimi ſeptimi facile princeps. De *ſyſtemate* eius *theologico*, huc pariter comparato, iam dictum *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XIV.* Nec ignota eſt eius *ſynopſis controuerſiarum potiorum, quae eccleſiae Chriſti cum haereticis & ſchiſmaticis modernis, Socinianis, anabaptiſtis, Weigelianis, remonſtrantibus, pontificiis, Caluinianis, Calixtinis, aliisque intercedunt, ſecundum ſeriem articulorum Auguſtanae confeſſionis*; Wittebergae anno 1652. 4. Speciatim pontificios adgreſſus eſt, in *mataeologia papiſtica*, Dantiſci 1647. 4. & aliquoties recuſa; item, in *examine aetiologiae Ioan. Kircheri,* quo

quo rationes migrationis eius in ſynagogam papalem neque veras, neque ſolidas, ſed falſas atque leuiculas eſſe, oſtenditur; Roſtochii an. 1643. 4. IOANNES nimirum KIRCHERVS, ex Würtembergica ditione prognatus, litterarum ſtudiis Tubingae operam nauauerat; deinceps autem romanae eccleſiae ſacra amplexus eſt; tranſitusque iſtius rationem edita *aetiologia, in qua migrationis ſuae ex Lutherana ſynagoga in eccleſiam catholicam veras & ſolidas rationes ſuccincte exponit &c.* Viennae Auſtriae an. 1611 reddere voluit, ſimulque noſtrorum in ſe prouocauit calamos. Praeter CALOVIVM enim etiam hac occaſione IO. GEO. DORSCHEVS dedit *Kircherum deuium, ſiue hodegeticum catholicum, quo oſtenditur, M. Ioan. Kircherum Tubinga-Wurtenbergicum migrationis ſuae ex ſynagoga, quam vocat, Lutherana, in eccleſiam catholicam inſtitutione, iuiſſe, non qua eundum eſt, ſed qua itur &c.* Argentorati an. 1641. 12. conf. IO. FECHTIVS, in *praefatione de vita, meritis & ſcriptis Dorſchei, commentario* eius *in quatuor euangeliſtas* praemiſſa, *lit. u. p. 8.* & GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVII. cap. III. §. VI. p. 453.* Praecipue tamen CALOVIO cum reformatis ac ſyncretiſtis res fuit. Atque ad illos quod attinet, primum in hiſce controuerſiis theologiae ſuae polemicae ſpecimen dedit, cum adhuc Roſtochii degeret. IOANNES namque BERGIVS, reformatae eccleſiae theologus, anno 1624 librum euulgauerat, *das die Worte Chriſti noch feſt ſtehen, für die wahre ſeeligmachende Gemeinſchafft ſeines heiligen Leibes vnd Blutes im heiligen Abendmahl &c.* Hunc IO. HIMMELIVS, theologus Ienenſis, anno 1627 decem diſputationibus refutauit; quibus IO. BERGIVS, cum librum ſuum recudi faceret, apologiam iterum oppoſuit. Hac arrepta occaſione, CALOVIVS anno 1635 *ſtereoma ſacratiſſimae teſtatoris Chriſti voluntatis de ſubſtantiali praeſentia & orali perceptione corporis & ſanguinis ſui in ſacra coena* in lucem emiſit. In academiam hinc Regiomontanam vocatus, anno 1640 cum BERGIO colloquium hac ſuper re inſtituit, in quo acerrime, ſed ſine vllo fructu, diſputatum fuit. Continuata deinceps ſcriptis fuit eadem controuerſia; ſequutaque eſt an. 1655 *ſummaria confutatio pſeudo ſtereomatis Bergiani &c.* & an. ſequente *ſummariae confutationis pſeudo-ſtereomatis Bergiani pars poſterior &c.* Addendus hiſce *Bergius ſenior, vindiciis ſummariae confutationis pſeudo-ſtereomatis &c. demonſtratus*, Wittebergae anno 1658. 4. Ad easdem cum reformatis controuerſias referenda quoque, vt alia taceam, *diſcuſſio controuerſiarum hodierno tempore inter eccleſias orthodoxas & reformatos coetus agitatarum*, Wittebergae 1655. 4. ne quid de iis nunc ſcriptis dicam, quibus reformati ſimul cum reliquis a nobis diſſentientibus confutantur. Ad *ſyncretiſticas* quod attinet controuerſias, initio, cum CALOVIVS Dantiſci adhuc ſacro munere & gymnaſii rectoratu fungeretur, cum HENR. NICOLAI, philoſophiae in eodem gymnaſio profeſſore, illi negotium fuit; quae enim cum MART. STATIO, & IO. CAESARE, eccleſiae reformatae presbytero, illi interceſſerunt certamina, non commemorabimus. HENRICVS nimirum NICOLAI, eodem circiter tempore, quo colloquium Thorunienſe inſtituebatur, anno 1645 librum edidit, *irenicum* dictum, in quo oſtendere conabatur, quo pacto romanenſes, reformati, Lutherani, & Sociniani inter ſe vniri & conciliari poſſent. Hocce ſcriptum non tantum cenſuram miniſterii Dantiſcani expertum eſt; ſed & finito colloquio Thorunienſi, acrius in illud CALOVIVS inſurrexit. Pace fruſtra tentata, dimiſſus HENR. NICOLAI, in gymnaſio Elbingenſi profeſſor conſtitutus eſt, CALOVIO anno praecedente 1650 Wittebergam vocato. Tum vero

HENR.

HENR. NICOLAI *quadrigatum* ſuum *expenſum* edidit, cui CALOVIUS reſpondit in *vindiciis Arminianiſmi Henrico Nicolai oppoſitis, cum ſyllabo errorum Nicolaitanorum*, Wittebergae 1658, cum iam antea *iudicium* ſuum *theologicum de quatuor quaeſtionibus practicis* illi oppoſuiſſet. Hoc velut proludium fuit controuerſiarum, quae deinceps in eodem fere argumento cum GEO. CALIXTO, aliisque Helmſtadienſibus, item cum Regiomontanis, IO. LATERMANNO, CHRIST. DREIERO, & MICH. BEHMIO, illi interceſſerunt, quorum tamen placita, ab eccleſiae noſtrae doctrina abeuntia, iam anno 1649 in *prolegomenis inſtitutionum theologicarum, & examine nouae theologiae Calixti, eiusque complicum Regiomontanorum &c.* perſtrinxerat. Poſtea vero CALOVIUS an. 1651 *digreſſionem de noua theologia Helmſtadio-Regiomontanorum ſyncretiſtarum*, & praeter multa alia anno 1655 *ſyncretiſmum Calixtinum*, itemque *harmoniam Calixtino-haereticam*, euulgauit. Immo, vt diſſentientes eo fortius repelleret, concinnatus ab eo, &, Wittenbergenſium ac Lipſienſium theologorum nomine, euulgatus eſt *conſenſus repetitus*, qui & a ſupremo rerum ſacrarum tribunali Dresdenſi adprobatus eſt, vt inſtar noui ſymboli eſſet, quo ſyncretiſtae, quos vocabant, a coetu orthodoxorum excluderentur. Repugnantib9 autem reliquis aulis ſaxonicis, & *conſenſum* illum *repetitum* repudiantibus, conſilia iſta ſucceſſu caruerunt. Interim *conſenſus* ille *repetitus conſiliis Wittebergenſibus* inſertus, ſed & an. 1666 ſeorſim excuſus eſt. Quod cum FRID. VLR. CALIXTUM, GEORGII filium, male haberet; is anno 1667 *demonſtrationem liquidiſſimam* illi oppoſuit. Noua hinc litium, ſcriptorumque polemicorum, ſeges, quibus ſigillatim enumerandis nunc non immorabimur. CALOVII ſcriptis anti-ſyncretiſticis adhuc addenda: *ſolida diſcuſſio ſcandaloſi tractatus Chriſtiani Dreieri, quo Deum, omnium ſcelerum flagitiorumque cauſſam per accidens facere molitur; iudicium collegii theologici Wittebergenſis cum reſponſo dilucidario his ſyncretiſticis temporibus maxime neceſſarium & ſalutare;* δοκιμασία *ſpiritus ſyncretiſtici nuperae diſſertationis Lugdunenſis D. Ioan. Hornbeeckii, de conſociatione reformatorum & Auguſtanae confeſſioni addictorum; ſyntagma anti-ſyncretiſticum;* & alia adhuc eiusdem generis. Cum vero Ienenſes theologi *conſenſum* illum *repetitum* non adprobarent, & maiori in his controuerſiis moderatione vterentur, quam aliis gratum eſſet; & illi ad certamen hocce abrepti ſunt. Auctore namque CALOVIO an. 1679 prodiit: *diſſenſus Ienenſium theologorum hodiernorum a maioribus ſuis*, in quo variorum adcuſabantur errorum. Nouae hinc contentiones, quae variis ſcriptis, alibi enumerandis, continuatae ſunt, fere quamdiu CALOVIUS vixit, qui & anno 1682 *hiſtoriam* ſuam *ſyncretiſticam* publicae luci expoſuit, in qua ſeriem iſtarum controuerſiarum ediſſerit. Sed nouarum rurſus & iſte liber litium cauſſa exſtitit, ab electore Saxoniae ideo vendi prohibitus, recuſus tamen an. 1685. Vidimus hucusque, quae contra pontificios, reformatos, & ſyncretiſtas CALOVIUS geſſit; nunc vero & certamina eius cum reliquis aduerſariis perluſtrabimus. Socinianorum haereſin debellauit, in *Socinianiſmo profligato*, aliisque libris & diſſertationibus, lectu dignis; quae eius ſcripta anti-Sociniana, in vnum corpus redacta, Vlmae prodierunt, an. 1684. fol. Eximius equidem in omni genere controuerſiarum eſt CALOVIUS; ſed in iis, quae cum Socinianis nobis intercedunt, ita excellit, vt neſciam, an aliquis cum eo comparari queat; quod & nonnulli ex ipſis aduerſariis fatentur. Cum Arminianis tum in aliis ſcriptis ſuis, tum maxime in *conſideratione Arminianiſmi*, congreditur, Wittebergae 1655 & 71. 4. edita; in qua tamen non tantam, quantam in aliis eius ſcriptis, de-

prehendi ἀκριβῶς, nonnulli ſibi perſuadent. Labadiſtas in *theſibus theologicis de Labadiſmo* oppugnauit, *quae velut in ſummario Labadiſmum, ſiue errores & haeretica dogmata Ioannis de Labadie eiusque adſeclarum continent, & confutant*; Wittebergae anno 1681. 4. Boehmiſtas autem in *anti-Boehmio, in quo docetur, quid habendum de ſecta Iacobi Boehmii, ſutoris Goerlicenſis? & an quis inuariatae Auguſtanae confeſſioni addictus ſine diſpendio ſalutis ad eamdem ſe conferre, vel in eadem perſeuerare poſſit?* Quae quidem quaeſtio tredecim rationibus ab eo negatur. Lucem publicam hocce opus adſpexit Wittebergae an. 1684. 4. & denuo excuſum eſt an. 1690. Mentionem eius iniicit equidem HADR. BAILLETVS, ſed vt fateatur, illud ſibi viſum non eſſe; quemadmodum nec de Boehmio, eiusque ſectatoribus, quod momentum traheret, narrare potuit; *des ſatyres perſonnelles &c. tomo I. p. 411.* Sunt vero alii, qui, nec illud reliquis CALOVII ſcriptis polemicis aequiparandum, cenſent; nec vbique rem eum acu tetigiſſe, eo, quod aliorum opera in iis, ex BOEHMII ſcriptis excerpendis, vſus ſit, quae ſibi refellenda ſumſit. Denique nec THEOD. HACKSPANIVS, vir cetera longe doctiſſimus, atque mortalium tum rebus iam ereptus, cenſuram CALOVII noſtri, etſi iam admodum ſenis, effugere potuit, eo, quod, CALIXTI, quo praeceptore vſus erat, ductum ſequutus, in quibusdam a recepta doctrina diſceſſiſſe viſus eſſet. Diſſertationem namque compoſuit, certe ſub eius moderamine an. 1685 conflictui publico expoſita eſt, *de Theodorico Hackſpanio, inprimis in tractatu LII theſium ἀλεκτρυών maximopere a libris ſymbolicis deficiente &c.* Facere nequeo, quin referam, quae hac de re GVSTAV. GEO. ZELTNERVS pronuntiat. Cum enim dixiſſet, HACKSPANIVM liberiorem, & a iugo auctoritatis praeceptorum immunem, ſolique verbo Dei adfixam, theologiam ac philologiam olim diſcendi rationem, in Ienenſibus & Helmſtadienſibus ſcholis, ex Calixti praeſertim diſciplina, ſine ſectae ſtudio conſectari, edoctum fuiſſe; quibusdam interiectis, ita pergit: *Eamque ob cauſſam ſatis mirari non poſſumus, quoties magni cuiusdam theologi* (CALOVII) *Calixto, dum ille viueret, & poſt fata infenſiſſimi, diſputationem, quam candidatus quidam, eo praeſide, propoſuit, anno 1685. intuemur, atque in ea theſes LII ſeu hypotheſes, vt ipſe Hackſpanius inſcripſerat, Calixtinas tanquam ab ipſo adprobatas, materiam diſputandi, diu poſt beatam collectoris ἀνάλυσιν, eſſe iuſſiſſe, obſeruamus. Etenim hiſtorice easdem, & ad vſum duntaxat hiſtoricum, expetentibus auditoribus quibusdam, & paucis quidem, has vnice in calamum dictitauerat, quemadmodum partim ex ſcriptis, partim etiam oretenus a praeceptore quondam perdidicerat; neque adeo periculum, ſi vel maxime falſae omnes fuiſſent, eccleſiae hinc erat metuendum. Immo plus illud timendum fuit, poſtquam a tenebris* (quo pacto hoc contigerit, in ſubiecta adnotatione exponit) *in lucem reuera protractae, atque ita nonnullis examinatae videbantur, vt limae adhuc plurimum ſubitaneae illae reſponſiones deſiderarent;* in *vitis theologor. Altorphin. pag. 315. 316.* Et haec quidem praecipua ſunt CALOVII, ſaltem quae hic ſibi locum vindicant, certamina.

Agmen inter celebriores eccleſiae noſtrae theologos polemicos claudat IO. MVSAEVS, Ienenſis noſtrae academiae quondam decus & ornamentum ſingulare. Ingenii acumen, & iudicii grauitatem, in eo admirantur omnes, cumque reliquis ſtudiis adcuratam philoſophiæ ac theologiae notitiam iunxiſſet; ad polemica rite tractanda, ſi quisquam alius, aptus erat. Quod & aduerſarii eius experti ſunt. Ex his vero primum in cenſum veniunt pontificii, ſpeciatim IOD. KEDDE, & VIT. ERBERMANNVS,

NVS, Ieſuitae, quorum illi obuiam iuit in *dem vnbeweglichen Grund der Augſpurgiſchen confeſſion*; eiusque *apologia, ſiue Vertheidigung des vnbeweglichen Grunds &c.* huic autem in *bibliis Lutheri Erneſtinis vindicatis*, & in vere aureo prorſusque egregio tractatu *de eccleſia*, *quo duae eius antehac habitae diſputationes; vna de natura & definitione eccleſiae, altera de eiusdem diſtinctione in vniuerſalem & particulares, vberius deducuntur, & ab aduerſariorum, cumprimis Viti Erbermanni obiectionibus & exceptionibus vindicantur*; anno 1656. 4. edito, & 1671 recuſo. ERBERMANNVM, nugas ſolum proferentem, cum dignum non cenſeret MVSAEVS, cui vlterius reſponderet; hic autem de victoria ſibi gratularetur; pro MVSAEO in certamen deſcendit gener eius, beatus IO. GVIL. BAIERVS, cuius extant *diſſertationes duae*, VITO ERBERMANNO oppoſitae, in *decade II. diſſertationum* eius *theologicarum* iunctim editarum. In prima nimirum *duos dialogos inter Lutherum & Arium*, quorum priorem a FORERO mutuatus erat ERBERMANNVS, poſteriorem autem ipſemet confecerat, ſub examen reuocat. Cum enim ERBERMANNVS *expoſtulationem* ſuam *cum proteſtantium theologis*, *maxime Ienenſibus*, ederet, oſtenſurus *parte III.* Lutherum ſolo ſpiritu priuato ſcripturas ſacras interpretatum eſſe, nec, qui hanc ſequantur methodum, diuinitatis Chriſti hoſtes ſolide confutare poſſe; geminum iſtum dialogum protulit. Iam antea *anti-Muſaeum* ediderat, HADR. quoque BAILLETO memoratum; *des ſatyres perſonelles &c. tomo II. p. 86.* in cuius *parte I.* lectori perſuaſurus, totam Muſaei de vera falſaque eccleſia commentationem talem eſſe, vt ea admiſſa, quidquid eſt chriſtianiſmi, a pagano funditus euerti poſſe videatur; *duos* itidem profert *dialogos*, vnum inter MVSAEVM & philoſophum Sinenſem, in quo ille religionis chriſtianae veritatem adſerturus, ſuccumbere, neque exceptionibus philoſophi ſatisfacere poſſe, fingitur; alterum inter philoſophum eumdem ac theologum romanum, vbi ille huius placitis promte ſubſcribit, &, quaſi voce Dei audita, fidem pontificiam amplectitur. Ineptias hominis cum penitus profligaſſet MVSAEVS, in *tractatu* antea memorato, *de eccleſia*; ERBERMANNVS tamen, victoriam ſe retuliſſe, putabat, & gloriabatur, eo quod MVSAEVS nullos dialogos ſuis oppoſuiſſet; hinc *tribus* editis *romanae eccleſiae tropheis*, triumphum canebat ante victoriam, addiditque ſingulis trophaeis geminum dialogum, *ſecundo* & *tertio* quatuor illos, quos iam commemorauimus, *primo* autem binos alios, aliunde emendicatos, *diſputationem* ſcilicet *Diaboli cum Luthero*, ac *epicriſin Nicolai Serarii Ieſuitae, & Friderici Balduini theologi Lutherani* ſuper illa. Tantopere iſta per dialogos diſputandi ratione ſibi placuit ERBERMANNVS, vt in ea omne cauſſae praeſidium collocaret; quaſi vero magni ingenii eſſet, eum, quem vinci in dialogis volumus, eiusmodi armis inſtruere, vt vel a puero vinci queat. Sed quid de iſta per dialogos diſputandi ratione ſentiendum ſit, adcurate exponit beatus IO. GVIL. BAIERVS noſter, in *diſputatione priori*, in qua FORERI & ERBERMANNI *dialogos inter Lutherum & Arium* ſub examen reuocat; ſicut in *poſteriori dialogum Erbermannianum inter Ioan. Muſaeum & philoſophum Sinenſem* expendit. MVSAEVS autem in aliis quoque ſcriptis errores romanenſium profligauit, vt in *tractatu theologico de conuerſione hominis peccatoris ad Deum, quo de conuerſionis adpellationibus, natura, actibus, & ſpeciatim de actibus fidei, deque fidei obiecto formali, contra pontificios, fuſe agitur, & detectis fraudibus, quas hac in re ſophiſtae moderni committunt, in fidei & religionis pontificiae principia & cauſſas ſollicitus inquiritur; pro re nata etiam methodi Walenburchianae fundamen-*

ta potiſſima impugnantur; Ienae an. 1661 edito, & Francofurti ad Moenum 1706. 4. denuo excuſo; in *diſputationibus duabus de communione ſub vtraque ſpecie, vtrum a Chriſto praecepta ſit?* Ienae 1654. 4. *de fundamentis concordiae meditatae Iac. Maſenii;* ibidem 1663. 4. in *diſſertat. de ratione formali iuſtificationis coram Deo,* ibidem 1668, aliisque. Reformatae eccleſiae doctoribus praecipue oppoſitus eſt liber, ſummopere commendandus, *de vſu principiorum rationis & philoſophiae in controuerſiis theologicis, contra Nicolaum Vedelium.* Romanenſes ſcilicet, ſpeciatim nouarum methodorum architecti, iam tum crepabant *artem* quamdam *nouam* conuincendi haereticos, cuius haec erat ſumma: non licere proteſtantibus, in iis controuerſiis, quae ipſis cum pontificiis intercedunt, quidquam proferre, quod non totidem litteris ac ſyllabis, vel minimum verbis ſynonymis, in ſcriptura ſacra contineatur. Huius artis fundamentum, ſi NIC. VEDELIVM audias, eſt, quod modus, aliquid per conſequutionem ex ſcriptura ſacra probandi, requirat principia rationis; quibus tamen in controuerſiis theologicis vti non liceat; quod a Lutheranis theologis primum iactum eſſe, contendit, cum aduerſus reformatos de perſona Chriſti & coena domini diſputarint, & poſtmodum ab artis nouae inuentoribus aduerſus noſtrates aeque ac reformatos vſurpatum. At magnopere falli VEDELIVM, luculenter oſtendit MVSAEVS, docetque, numquam prorſus negaſſe noſtrates, principiis rationis in controuerſiis theologicis locum concedendum eſſe; & hac oblata occaſione genuinum principiorum rationis in theologicis vſum ſolidiſſime declarat, ac praeſtantiſſimorum eccleſiae noſtrae doctorum effata a detorſionibus aduerſariorum vindicat. Adiectae ſunt huic commentationi duae diſſertationes, altera contra KECKERMANNVM, qui myſterium trinitatis ex ratione demonſtrare ſuſceperat; altera contra MOLINAEVM, *de voluntate Dei antecedente & conſequente.* Editio ſecunda prodiit Ienae 1665. 8. Ad controuerſias praeterea, quae nobis cum reformatis intercedunt, ſpectat MVSAEI noſtri diſſertatio, libri ob amplitudinem ſpeciem referens, *de aeterno electionis decreto, an eius aliqua extra Deum cauſſa impulſiua detur, nec ne?* Lucem ea primum adſpexerat, eruditorum examini, more in academiis recepto, expoſita anno 1646, denuo autem deinceps excuſa vna cum *diſſertatione de luminis naturalis inſufficientia ad ſalutem,* ſimulque ab exceptionibus SAM. ANDREAE, theologi Marpurgenſis, vindicata, an. 1668. 4. Eidem theologo Marpurgenſi oppoſita etiam eſt *diſſertatio theologica ſuper comm. 11. 12. 13. cap. IX. epiſt. ad Romanos,* quam, ſub moderamine MVSAEI, diſquiſitioni publicae ſubmiſit IO. IAC. MVLLERVS, Vlmenſis, Ienae an. 1669. Praeſentiam quoque realem corporis ac ſanguinis Chriſti in ſacra coena, de qua itidem acriter inter nos & reformatos diſputatur, ſolide & erudite adſeruit, in *diſſertatione de ſacra coena, ſintne corpus & ſanguis Chriſti realiter in illa praeſentia, contra Ioannem Vorſtium;* Ienae an. 1663. 4. Mitto reliquas diſſertationes, in quibus controuerſiae cum reformatis in cenſum veniunt. Ad eas, quae cum Socinianis nobis intercedunt, referrem *theſes theologicas, mataeologiae Socinianorum oppoſitas,* & anno 1669 ad diſputandum propoſitas, niſi forte rectius HENR. REINESIO, qui reſpondentis munere functus eſt, tribuerentur. Non tantum autem Socinianos, ſed ſimul pontificios ac reformatos iunctim adgreſſus eſt in *collegio controuerſiarum Becano, Wendelino, Crellio, aliisque Socinianis oppoſito,* poſt beati auctoris obitum in lucem emiſſo Ienae 1701. 4. In quo, vt recte in *praefatione* monetur, id inter alia laude dignum, quod ex ſingulis ſectis vnum aliquem, eumque praecipuum ſibi,

ſibi, quocum pugnaret, aduerſarium delegerit; ſiquidem hac ratione varia, quae theologiam polemicam premunt, euitari poſſunt incommoda. Naturaliſtarum, ſpeciatim EDVARDI HERB. DE CHERBVRY, commenta profligauit in *diſſertatione de luminis naturae, & ei innixae theologiae naturalis inſufficientia ad ſalutem*; quam cum *diſſertatione de aeterno electionis decreto*, an. 1668. 4. iterum excuſam, antea memorauimus. Nec procul hinc abit *diſſertatio de quaeſtione, an gentiles abſque fide in Chriſtum per extraordinariam Dei gratiam ad ſalutem aeternam pertingere, aut minimum ignis aeterni ſupplicium declinare poſſint?* STEPH. CVRCELLAEO cumprimis oppoſita; Ienae 1670. 4. Atque ea ratione vt contra naturaliſtas veritatem & neceſſitatem religionis reuelatae ſeu chriſtianae adſeruit; ita eamdem pariter, ac religionis naturalis fundamenta, ſimulque ſcripturae ſacrae diuinam auctoritatem, contra atheos, horumque inſanos inſultus, fortiter propugnauit. Honorificum valde MVSAEO noſtro eſt, quodſi non primus, certe inter primos fuit, qui BENED. DE SPINOZA impia commenta, in *tractatu theologico-politico* latitantia, feliciter detexit, & ſolide refutauit: in *tractatu theologico-politico, quo auctor quidam anonymus conatu improbo demonſtratum iuit, libertatem philoſophandi, hoc eſt, de doctrina religionis pro lubitu iudicandi, ſentiendi, & docendi, non tantum ſalua pietate &c. poſſ. concedi, ſed eamdem, niſi cum pace reipublicae ipſaque pietate tolli non poſſe, ad veritatis lancem examinato*; Ienae 1674. 4. Cum etiam quidam MATTH. KNVTZEN non tantum ipſe atheiſmum aperte ſatis profeſſus eſſet, ſed & ſchedula quadam hinc inde diſperſa ſignificaſſet, eſſe Ienae ciues & ſtudioſos numero ſeptingentos, qui nihil aliud crederent, quam quod ratio & conſcientia dictitaret, *conſcientiariorum* nomine eos deſignans, ſed hac voce ipſum atheiſmum tegens; MVSAEVS innocentiam vrbis & academiae vindicauit, ſimulque monſtrum hoc confecit, edito an. 1684 ſcripto: *die Ablehnung der ausgeſprengten Verlaeumdung, ob waere zu Iena eine neue Secte der ſo genandten Gewiſſener entſtanden.* De auctore iſtius calumniae, nouoque atheiſmi architecto, MATTH. KNVTZEN, praeter alios legendus MATVR. VEYSSERIVS LA CROZE, vir eruditiſſimus, *dans les entretiens ſur diuers ſuiets d'hiſtoire de litterature, de religion, & de critique pag. 400. ſeqq.* vbi & epiſtolam eius, qua impietatis ſuae ſummam complexus eſt, exhibet. Ad petulantiam eiusmodi hominum, qui quiduis agendi dicendique licentiae patrocinantur, coercendam pertinet *diſſertatio de quaeſtione controuerſa, an coniugium, primaeua eius inſtitutione ſalua, inter plures quam duos maritum ſcilicet vnum & vnam vxorem, eſſe poſſit? qua cumprimis locus Matth. XIX. 9. a commentis Theophili Alethaei, de polygamia vindicatur*; Ienae 1675. 4. Strepitum namque eo tempore dedit, & aliorum quoque contra ſe prouocauit calamos IO. LYSERVS, ſub THEOPH. ALETHAEI nomine latitans, ſtrenuus ſed infelix polygamiae defenſor; de quo plura dixi in *hiſtoria iuris naturalis, ſelectis iuris naturae & gentium* praemiſſa, *p. 56.* vt & *inſtit. theol. moral. part. II. cap. III. sect. VI.* ad *§. IX.* Et hactenus quidem vidimus, quo pacto contra eos, qui ab eccleſiae noſtrae ſacris alieni ſunt, aut aperte ab iis diſſentiunt, MVSAEVS fortiter pugnauerit, veritatisque cauſſam feliciter egerit. Idem vero, quantumuis pacis & concordiae eſſet ſtudioſiſſimus, nec euitare potuit, quin inteſtinis eccleſiae noſtrae certaminibus inuolueretur. Cum enim ea, qua nonnulli cupiebant, vehementia Helmſtadienſes impugnare nollet; Wittebergae ſcriptum aliquod prodiit, quo in *quaeſtionibus XCIII* theologi Ienenſes grauiſſimorum errorum arguebantur. Cui accuſationi licet theologi

logi Ienenſes, ſpeciatim MVSAEVS, ſolide obuiam irent, in *der ausführlichen Erklaehrung über drey vnd neunzig vermeynte Religions-Fragen, oder Controuerſien &c.* Ienae an. 1677. 4. hic tamen ſyncretiſtae & nouatoris inuiſum nomen apud aduerſarios declinare non potuit; qua de re ipſe conqueritur, in *praefatione quaeſtionum theologicarum inter noſtrates hactenus agitatarum, de ſyncretiſmo & ſcriptura ſacra,* quas cum orthodoxiae ſuae vindiciis, contra obtrectationes aduerſariorum, quibus eum laceſſere non deſinebant, anno 1679 in lucem emiſit. ANDR. CAROLI, eamdem cantilenam in *memorabilibus eccleſiaſticis ſaec. XVII. tom. I. lib. V. cap. XXVI. p. 999.* alibique repetenti, obuiam iuit IO. GVIL. BAIERVS, theologus hodie Altorphinus longe clariſſimus, MVSAEI nepos, in praefatione, *praelectionibus* eius *in epitomen formulae concordiae* praemiſſa; cui iterum ANDR. CAROLI *epiſtolam apologeticam* oppoſuit, Tubingae anno 1703. 4. Denique cum & IO. MELCH. STENGERVS errores quoſdam, praeſertim de poenitentia, ſpargeret, eccleſiamque iis turbaret; MVSAEVS, nomine theologorum Ienenſium, edidit *den gründlichen Bericht, welchergeſtalt die Lehre von der Buſſe, nüzlich vnd mit gutem Beſtande, nach Gottes Wort in chriſtlicher Gemeine müſſe vorgetragen werden;* Ienae an. 1672. 4. Fuſe de *ſecta*, quam vocat, *Stengerorum* (patris & filii) agit DAN. HARTNACCIVS; qui tamen praecipuus eorum aduerſarius fuit, in *continuatione hiſtoriae eccleſiaſticae Io. Micraelii, p. 1655. ſeqq.* Legendus de hocce theologorum Ienenſium, aut MVSAEI potius, ſcripto IO. FABRICIVS, in *hiſtoria bibliothecae Fabricianae part. IV. pag. 388.* qui *ibidem*, itemque *p. 294.* item *p. 311.* de aliis MVSAEI ſcriptis verba facit.

Atque ita quoſdam ex praecipuis, qui ex noſtratibus ſcriptis polemicis inclaruerunt, enarrauimus. Superſunt autem adhuc plurimi, qui itidem rem eccleſiae noſtrae fortiter feliciterque contra quoſuis diſſentientes egerunt, vt IAC. HEILBRVNNERVS, BALTH. MEISNERVS, IOAN. AFFELMANNVS, IOAN. WINCKELMANNVS, BALTHASAR MENTZERVS, FRID. BALDVINVS, WOLFG. FRANZIVS, POLYC. LYSERVS, DAN. CRAMERVS, GEORG. ZEAEMANNVS, HENR. HOEPFFNERVS, ANDR. KESLERVS, IAC. MARTINI, CONR. HORNEIVS, PAVL. ROEBERVS, ALB. GRAWERVS, THEOD. THVMMIVS, GEORG. CALIXTVS, IVST. FEVRBORNIVS, IO. GEORG. DORSCHEVS, IOAN. CONR. DANHAVERVS, HIER. KROMAYERVS, IO. BOSTACCVS, PETR. HABERKORNIVS, GERH. TITIVS, AEGID. STRAVCHIVS, IOAN. ADAM. SCHERZERVS, AVGVST. VARENIVS, ANTON. REISERVS, BALTHAS. BEBELIVS, IVSTVS CHRISTOPH. SCHOMERVS, CHRIST. KORTHOLTVS, VALENTIN. ALBERTI, CHRISTOPH. FRANCKIVS, PHIL. IAC. SPENERVS, IOAN. FECHTIVS, SAM. SCHELGVIGIVS, IOAN. FRID. MAYERVS, & alii. Horum, quae in hacce theologiae parte reliquerunt, ingenii monumenta, etſi minime contemnenda, ſed lectu potius ſint digniſſima; omnia tamen ac ſingula enarrare, nec licet, cum nimis hoc longum foret, noſtrique inſtituti iſtud non permittant leges; nec neceſſe eſt, cum praecipua ex illis in ſequentibus commemoranda ſint, cum ſpeciatim, quaenam in ſingulis controuerſiarum generibus, prae reliquis in cenſum veniant, ſumus indicaturi.

§. IX.

§. IX. Nec defuerunt illis, qui a nobis diſſentiunt, viri docti, & in hocce ſtudiorum genere exercitati, qui, vt ſuae partis placita defenderent, ac propugnarent, omnes ingenii vires intenderunt. Speciatim inter & romanae, * & reformatae ** eccleſiae doctores exſtiterunt, quorum vt haud ignota ſunt nomina, ita nec ignorari a theologiae cultoribus debent ſcripta, quibus ſuae eccleſiae contra diſſentientes quosuis tueri dogmata, adgreſſi ſunt.

* Primis romanae eccleſiae defenſoribus, etſi non animus, vires tamen deerant, ad palliandam vtcumque malam cauſſam neceſſariae. Id quod IO. TEZELIVS, SYLV. PRIERIAS, IAC. HOOGSTRATTANVS, AMBROS. CATHARINVS, aliique Lutheri antagoniſtae, exemplo ſuo comprobarunt; de quibus iam ſupra dictum eſt. Agnoueruntque prudentiores inter ipſos pontificios facile ſuorum imbecillitatem; vnde Ieſuitae tandem, ruentibus in praeceps rebus eccleſiae romanae ſuccurrendum, rati, litterarum ſtudia paullo diligentius tractare coeperunt, inde quidquid poſſent, ad labaſcentem pontificis auctoritatem vtcumque ſuffulciendam, collaturi. Hinc magnam illorum ſeriem, qui ex hac ſocietate polemica tractarunt, oſtentat PHIL. ALEGAMBE, in *bibliotheca ſcriptor. ſocietatis Ieſu*, & quidem in *indice materiarum, num. VI.* Facileque crediderim, vnam iſtam ſocietatem Ieſu plures protuliſſe ſcriptores polemicos, quam reliquos ordines religioſos omnes. Noſtri equidem non fert inſtituti ratio, ſingulos, qui ex romanenſibus polemica tractarunt, commemorare; de praecipuis tamen quaedam obſeruare iuuabit.

Eminet circa controuerſiam inter omnes ROB. BELLARMINVS, Ieſuita & cardinalis, in *diſputationibus de controuerſiis chriſtianae fidei, aduerſus ſui temporis haereticos*; quae PHIL. ALEGAMBIO *l. c. p. 411. ſpiſſum & operoſum*, & *omnibus numeris abſolutum* opus audiunt. Operis porro iſtius in tomos tres diſtributi, & LXIV libris comprehenſi, tomum primum prodiiſſe an. 1581, ſecundum an. 1583, tertium denique an. 1592. exinde autem *in ſolo ſeptentrione vigeſimam habuiſſe editionem*, idem ALEGAMBIVS refert; qui &, quanto pontificiorum applauſu illud exceptum ſit, docet. *Cardinalis*, inquit, *Perronius adſerit, pluris a ſe illud fieri, quam vllum opus aliud, quod vel ab annis mille ſit editum, pro eccleſiae defenſione. Cardinalis Baronius cenſet, eſſe propugnaculum & turrim Dauid, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, vt Hieruſalem noſtra aduerſus oppugnationes hoſtium defenſa ſit. Vocarunt alii contra huius ſaeculi haereſes primarium antidotum, murumque & antemurale domus Dei. Nec ipſi hoſtes auſi ſunt diffiteri, ex quibus Theodorus Beza, vnus hic liber, aiebat, nos omnes humi proturbat.* Num tot tantaque elogia opus hocce BELLARMINI promereatur, nunc non diſputabimus. Saltem id, quod vltimo loco de THEOD. BEZA refert, apud prudentiores vix fidem inueniet. Nec enim narrationis iſtius aut teſtem, aut documentum vllum, adfert, quo eius veritas comprobetur. Sola autem ALEGAMBII auctoritas, vt hoc nobis perſuadeamus, non ſufficit. Plura romanenſium, quibus BELLARMINVM in caelum euehunt, encomia qui legere cupit, is TARQVINIVM GALLVTIVM, in *oratione de Bellarmino*, SEB. BADIVM, in *decoribus Roberti cardinalis Bellarmini*, IAC. FVLIGATTVM, in *vita Roberti Bellarmini*, alioſque eius panegyriſtas, adeat; quos magno numero adfert IO. FRID. MAYERVS, *de fide Baronii & Bellar-*

Bellarmini ipſis pontificiis ambigua, p. 165. Quae ALEGAMBIVS de prima operum BELLARMINI editione refert, primum tomum an. 1581 prodiiſſe, & ſic porro, caſtigat PETR. BAELIVS, cum hoc ipſo ab ANT. POSSEVINO diſſentire, obſeruans, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Bellarminus p. 542.* Huic & illud diſplicet, quod ALEGAMBIVS adſeruit, in editione Colonienſi, quae anno 1615 lucem adſpexit, primum in quatuor tomos opus hocce diſtributum fuiſſe, eo quod primo tomo ſeptem noui tractatus acceſſerint, & inter eos etiam *recognitio & correctio operum Bellarmini*, ab ipſo auctore, quod praecedentes editiones, per errores typothetarum, miſere foedatae eſſent, concinnata. Recte namque obſeruat, iam pridem ante tempus ab ALEGAMBIO deſignatum, hac forma BELLARMINI opus prodiiſſe. Confirmat hoc THEOD. ELEVTHERIVS, ſeu, qui ſub hocce nomine latitat, LIVINVS DE MEYER, in *hiſtor. controuerſiar. de diuinae gratiae auxiliis lib. II. cap. XX. p. 151.* Et ELEVTHERIVS quidem hicce eo id obſeruauit conſilio, vt demonſtraret, BELLARMINVM in doctrina de auxiliis gratiae in ea ſemper fuiſſe ſententia, quae Ieſuitis hodie propria eſt. Enim vero magna hac de re inter ipſos romanenſes eſt controuerſia, ſteteritne in hac cauſſa BELLARMINVS a parte Dominicanorum, an a parte potius Ieſuitarum, vel Moliniſtarum. Prius adſerunt Dominicani, ſpeciatim auctor libri: *hiſtoire abregée des congregations de auxiliis p. 81.* cumprimis autem, qui Dominicanorum cauſſam ſtrenue egit, AVGVST. LE BLANC, vel, qui hoc nomine tegitur, IAC. HYACINTHVS SERRY, in *hiſtoria congregation. de auxiliis gratiae diuinae lib. I. cap. XV. & lib. II. cap. I. II. III. IV.* alibique. Obſeruatu digna, quae auctor iſte *p. 160.* hac de re hunc in modum diſſerit: *Diſplicuere Germanis ſocietatis editoribus nonnullae huius* (BELLARMINI) *opiniones, quas propterea libere ſuſtulerunt & immutarunt. Interpolatorum audaciam ne carpere cogerentur Iacobus Fuligattus, & Sylueſter a Petra Sancta, Bellarmini modeſtiam* (*quaſi id aequo tuliſſet animo*) *commendare maluerunt.* Hoc poſtquam vlterius deduxit, & vitiatas operum BELLARMINI editiones indicauit, ita pergit: *Nec vero liberalem illam Germanorum editorum audaciam adeo aequanimiter tulit Bellarminus, vti vitae ipſius ſcriptores obtendunt. Controuerſias ſuas anno 1596 recognoſcens, nouisque typis Ingolſtadienſibus mandans, lectores initio monuit, nolle ſe omnino, vt priores editiones pro ſuis agnoſcerentur. Nec multo poſt intemperantem illam de Thomiſticis opinionibus cenſuram* (*qua cum Lutheranis erroribus conferuntur*) *ex libro IV. cap. XIV. expungi voluit, noua Venetiis editione curata, anno 1599. Typographos etiam praemiſſa admonitione rogauit, vt iuxta vnius huius exemplaris fidem ſua deinceps opera recuderent.* Concludit tandem: *Quae cum ita ſint, Bellarminum ſocietatis nouitates ebibiſſe, ac vindicata primum Auguſtiniana dogmata exuiſſe, figmentum eſt. Tametſi, vt erat in ſocietatem bene affectus, ſua illi officia in Molinianae cauſſae tractatione non denegauit.* Ita ad ſuas partes BELLARMINVM trahere adnituntur Dominicani; quibus quae reponant, non deſunt Ieſuitis, vt eum ſibi vindicent, vti ex iis liquet, quae operoſe hac de re diſputat THEOD. ELEVTHERIVS, ſiue LIVINVS DE MEYER, in *hiſtoria controuerſiarum de diuinae gratiae auxiliis lib. II. cap. XX. p. 149. ſeqq.* & in *hiſtoria controuerſiarum &c. vindicata lib. II. cap. XI. & XII. p. 157. ſeqq.* Noſtrum non eſt, iſtas componere lites. PETRVM tamen BAELIVM in ea eſſe ſententia, obſeruamus, BELLARMINVM Ieſuitarum in hocce capite doctrinam ſuo non adprobaſſe calculo. Digna lectu ſunt, quae hac de re diſſerit in *diction. hiſtor. & crit. voc. Bellarminus, p. 540.*

Suae

Suae eccleſiae hominibus BELLARMINVM vbique non ſatisfeciſſe, ex inſtituto probat IO. FRID. MAYERVS, *l. c.* Dubitatum a nonnullis, narrat THEOPHILVS RAYNAVDVS, an opera, de rebus controuerſis a BELLARMINO conſcripta, referenda eſſent in claſſem librorum, quorum lectio prohibenda. *Conſtat namque*, inquit, *haereticos poſſe his libris abuti, quae pro ipſis ibi referuntur legentes, dimiſſis ceteris. Nec dubium, pleroſque catholicos, ex lectione obiectorum per haereticos, dum non ſatis capiunt ſubiectas reſponſiones, agi poſſe in errorem.* Quae tamen dubia ipſe pro viribus remouet, in *erotemat. de bonis & malis libris partit. I. erotem. XV. p. 222.* vbi & docet, PERRONIVM cardinalem, cum calumnioſum, vt vocat, hocce iudicium de BELLARMINI *controuerſiis* ſibi adfingi inaudiſſet, copioſe & valide illud deterſiſſe; tandemque concludit: *Quare ſubdole ringatur, quantum volet, inuidia: opus de rebus controuerſis a Bellarmino conſcriptum, immortalitate digniſſimum eſt, nec iis libris eſt adnumerandum, quos ob lectorum ſolam fragilitatem par ſit configi ac premi.* Sane exſtat PERRONII cardinalis epiſtola apud IAC. FVLIGATTVM, in *vita Bellarmini*, quam ex verſione SILVESTRI A PETRA SANCTA integram exhibet IO. FRID. MAYERVS, *l. c. p. 184. ſeqq.* qua ſe excuſare adnititur, ſtrenueque negat, in contemtum operum BELLARMINI a ſe quidquam dictum. Sed BENTIVOLVM contra cardinalem producit MAYERVS, ſancte teſtantem, *ſe ex ipſius cardinalis Peronii ore propriis hoc excepiſſe auribus de Bellarmini controuerſiis iudicium; p. 192.* Quidquid eius ſit, aperte & cordate more ſuo BELLARMINVM ex ipſis pontificiis redarguit IO. LAVNOIVS, vt ex eius *epiſtolis* paſſim patet. Obiicit namque illi, eum interdum malis artibus ſua defendiſſe dogmata, decipere voluiſſe lectores incautos, argumenta nullius virtutis ſaepe adhibuiſſe, ſubleſtae denique fidei eſſe in citandis teſtimoniis. Haec aliaque cum in BELLARMINO deſideret LAVNOIVS, & paſſim ab illo diſſentiat; occaſio inde enata ANT. REISERO, edendi *Ioannem Launoium teſtem & confeſſorem veritatis euangelico-catholicae in potioribus fidei capitibus controuerſis, aduerſus Robertum Bellarminum & alios quoſdam ſedis Romanae defenſores &c.* Amſtelodami 1685. 4. Ceterum licet eam ob cauſſam ſcripta BELLARMINI in indicem librorum prohibitorum relata non ſint, ob quam, id fieri debere, nonnulli exiſtimarunt, vt ex THEOPHILO RAYNAVDO antea obſeruauimus; fatum tamen hocce ob aliam rationem euitare non potuerunt. Sixti enim V pontificis experta ſunt indignationem, eo, quod BELLARMINVS in libro de *pontifice romano*, poteſtatem romani pontificis in temporalibus regum, principumque chriſtianorum ſolum indirectam ſtatuiſſet. Hoc ipſo enim in ſuſpicionem, labefactatae maieſtatis pontificiae, venit. Dum itaque BELLARMINVS mediam tenere viam voluit, inter eos, qui pontifici plus, quam debebant, tribuunt, & inter eos, qui ipſius quidem opinione, nimium illi detrahebant; vtramque partem offendit; quod commune illorum fatum eſt, qui mediam viam eligunt. PETR. BAELIVS, dum hac de re diſſerit, eleganter huc adplicat illud Herennii Pontii apud LIVIVM: *iſta quidem ſententia ea eſt, quae neque amicos parat; neque inimicos tollit, ſeruare modo quos ignominia notaueris.* Ita BELLARMINVM quoque ſua moderatione effeciſſe, vt diſpliceret aulae romanae, nec tamen placeret aulae gallicae. Magis adhuc irritauit Gallos BELLARMINVS, libro an. 1610 Romae edito, *de poteſtate ſummi pontificis in temporalibus aduerſus Guilielmum Barclaium* Hunc non tantum, praeter alios, Iacobus Angliae rex ex inſtituto refutauit; ſed etiam a ſenatu Veneto, & ſuprema

prema curia Pariſienſi, condemnatus fuit atque proſcriptus, immo parum abfuit, quin Pariſiis manu carnificis combureretur; vid. IO. FRID. MAYERVS, *l. c. p. 180. ſeqq.* & PETR. BAELIVS, *l. c. voc. Bellarminus, p. 543.*

Sed vt ad ipſos controuerſiarum tomos Bellarminos reuertamur; obſeruandum, in epitomen eos redactos a BALDVINO IVNIO, ordinis minorum, & a IO. BAPTISTA DE BOIS, Pariſiis an. 1602, & denique a IO. ANDR. COPPENSTEINIO, Moguntiae anno 1643. 4. Gallice autem PERRONII cardinalis iuſſu hoc opus reddidit CHIASTILLONIVS; vid. PHIL. ALEGAMBE, in *biblioth. ſcriptor. ſocietat. Ieſu p. 411. Epitomes*, a COPPENSTEINIO adornatae, quaenam ſit ratio, condiſcere licet ex IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, *ſcriptorib. ordinis praedicator. recenſitis tom. II. ſaec. XVII. p. 449.* Quantumuis autem pontificii, hocce BELLARMINI opus inexpugnabile aliquod eccleſiae ſuae munimentum eſſe, credebant; longe aliter tamen viſum proteſtantibus. Praeſtantiſſimi enim eorum illud non tantum impugnarunt, ſed &, vincibile eſſe, demonſtrarunt. Iſtud proteſtantibus occaſionem dediſſe, ſuam doctrinam magis confirmandi, & ſcripta eruditiſſima contra illud euulgandi, ingenue fatetur RICH. SIMON, *bibliotheque critique tom. IV. lettr. XI. p. 78.* Et licet docti quidam inter illos viri BELLARMINVM laudent, eumque aliis controuerſiarum in eccleſia romana ſcriptoribus praeferant; non aliter tamen hoc intelligendum, quam quod eum aliis minus deſipere credant, non autem, quod, eum vinci non poſſe, ſibi perſuadeant. Huc illa GVIL. WHITAKERI ſpectant: *Sunt huiusmodi infinita Bellarmini noua inuenta, quibus etſi cauſſam pontificiam aliter, quam ſuperiores patroni ſoliti ſunt, defendit, eam tamen non modo nihil adiuuit, verum etiam apud homines prudentes atque attentos, deque fide ac religione ſua ſollicitos, maiorem in modum laeſit atque adflixit. Hinc enim perſpectum eſt, nec probari Bellarmino, quae alii reſpondiſſent, & tamen aliter reſponderi, niſi deterius, non poſſe*; in *epiſtola dedicat. diſputat. de ſcriptura ſacra* praemiſſa, *p. 6.* Ingens illorum eſt numerus, qui BELLARMINVM aut refutarunt, aut defenderunt; quos omnes cum commemorare non liceat, praecipuos quosdam indicare, ſatis erit. Atque ad noſtrates quidem quod attinet, beati IO. GERHARDI *diſputationes contra Bellarminum*, itemque *Bellarminum orthodoxiae teſtem*, ſupra iam laudauimus. Ex reliquis eminet IO. ADAM. SCHERZERVS, cuius *anti-Bellarminus, ſiue in quatuor tomos controuerſiarum Roberti Bellarmini diſputationes academicae*, Lipſiae lucem adſpexerunt anno 1681. 4. Commemorat hoece SCHERZERI opus HADR. BAILLETVS, ſimulque ob ſimilitudinem inſcriptionis illi iungit *anti-Bellarminum* SAM. HVBERI, *anti-Bellarminum contractum* CONR. VORSTII, *anti-Bellarminum biblicum* GEORG. ALBERTI, *collegium anti-Bellarminianum* AMANDI POLANI A POLANSDORFF, & denique *diſputationes anti-Bellarminianas* LVD. CROCII; *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 81. ſeqq.* Sed nihil fere aliud de hiſce omnibus, praeter ſcommata quaedam, praeſertim in SCHERZERVM, adfert; quae non curabit, qui ſecum expenderit, facilius eſſe eiusmodi ſcripta contemnere, quam refutare. Inter reformatos GVIL. AMESIVS maxime celebratur, ob *Bellarminum eneruatum*, Amſtelodami an. 1630. 12. & GVIL. WHITAKERVS, qui in *diſputatione de ſacra ſcriptura*, Herbornae an. 1600. 8. aliisque ſcriptis, tum alios Ieſuitas, tum maxime BELLARMINVM, tanta eruditionis laude impugnauit, vt huic ipſi admirationi eſſet, qui & ideo effigiem eius ſibi adferri voluerit. RICHARDVS

Digitized by Google

DVS ſane SIMON laudat WHITAKERVM, & in ſubſelliis Sorbonnae eiusmodi obiectiones non audiri, fatetur, quales ille romanenſibus oppoſuerit; *biblioth. crit. tom. IV. lettr. XI. p. 80.* Reliquos, qui & ex noſtratibus, & ex reformatis, BELLARMINVM refutarunt, recenſet CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad *§. VII. p. 111.* Facere autem nequeo, quin reliquis adhuc addam IO. RAINOLDVM, theologum Anglum, ad refellendas BELLARMINI controuerſias publica auctoritate conſtitutum, cuius quippe exſtat *cenſura librorum apocryphorum veteris teſtamenti aduerſus pontificios, inprimis Robertum Bellarminum &c. in nobili Oppenheimio e collegio muſarum Hieronymi Galleri 1611.* duobus tomis in 4. RICH. SIMON huncce RAINOLDI librum inter ſcripta eruditiſſima refert, quibus BELLARMINI opus occaſionem dederit; ſimulque fatetur, RAINOLDVM ita loqui, vt adpareat, ex ipſis fontibus eum hauſiſſe, de quibus tractat; nec ex aliorum monumentis eum ſua exſcribere; cum contra plurimi, qui poſt eum de hocce argumento egerunt, ſua ex illo deſumſerint; *bibliotheque crit. tom. IV. lettr. XI. p. 80.* Conſtitutum RAINOLDO fuiſſe, & in aliis ſacrae doctrinae capitibus BELLARMINVM refutare, ſi vita ſuppetiiſſet, nonnulli obſeruant. Celebris admodum etiam eſt, vt id *ἐν παρόδῳ* moneam, idem RAINOLDVS, ob librum de *idololatria romanae eccleſiae*, itemque ob colloquium cum IO. HARTO, Ieſuita incarcerato, *de capite & fide eccleſiae.* Ceterum cum illi, qui contra BELLARMINVM ſcripſerunt, non vna ratione id praeſtiterint; eorum tamen cumprimis obſeruatu digna eſt methodus, qui cardinalem huncce, aut ſibi ipſum, aut aliis pontificiis contradixiſſe, euincere voluerunt. Huc praeter IO. GERHARDI noſtri *Bellarminum orthodoxiae teſtem*, antea iam laudatum, ſpectat ANDR. CRASTOVII *bellum Ieſuiticum*, Baſileae an. 1594 editum, in quo CCV contradictiones Ieſuitis obiicit, & BELLARMINVM ſaepe cum aliis Ieſuitis, interdum & ſecum pugnantem introducit; vt PETR. BAELIO obſeruatum, *diction. hiſt. & crit. voc. Bellarminus, p. m. 538.* Vt autem haud exiguus illorum fuit numerus, qui BELLARMINVM refutarunt; ita non minor illorum exſtitit, qui eum defenderunt; quorum indicem BERALDVM, hominem Italum, confeciſſe, auctor eſt HADR. BAILLETVS, *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 81. 82.* Haud vltimus inter eos eſt IAC. GRETSERVS, Ieſuita, ob varia ſcripta notiſſimus, & nobis non ſemel commemoratus. Scripſit namque *controuerſiarum Roberti Bellarmini defenſionem*, tomis II. Ingolſtadii 1607 & 1609. fol. Praeterea & *caſtigationem* edidit, *libelli famoſi aduerſus illuſtrem cardinalem Bellarminum*, quam germanice vertit CONR. VETTERVS; item *vindicationem illuſtriſſimi cardinalis Bellarmini, a criminationibus & inſcitia Lutherani magiſtelli Erneſti Zephyrii.* Nimirum non deerant, qui varias de BELLARMINO narratiunculas ſpargerent, quae ſiue verae, ſiue falſae ſint, ad caput cauſſae parum faciunt; cum in polemicis non tam, quis ſcripſerit, quam, quid ſcriptum ſit, in cenſum venire debeat. Etenim ſi temere narratiunculae eiusmodi credantur, & falſae deinceps deprehendantur; dici non poteſt, quantum inde dedecus eccleſiae euangelicae adſpergatur. Nobis eiusmodi armis opus non eſt: linquamus ea pontificiis, melioribus quippe ſubinde deſtitutis. Lectu digna, quae hac de re diſſerit PETR. BAELIVS, *l. c. p. 538.* vbi & plura de BELLARMINO, praeſertim de cenſuris, quas ob librum *de gemitu columbae* expertus eſt; qua de re conferendus etiam THEOPHIL. RAYNAVDVS, *erotemat. de malis*

lis & bonis libris partit. I. erotem. IX. p. 112. Iis, quae de BELLARMINO, eiusque *de controuerſiis diſputationibus*, hactenus diximus, addenda, quae de iisdem differit IO. FABRICIVS, *hiſtor. bibliotb. Fabricianae part. II. p. 104. ſeqq.*

Cum antea IO. ANDR. COPPENSTEINII inter eos, qui *tomos controuerſiarum* BELLARMINI in epitomen redegerunt, facta ſit mentio; non abs re fuerit, de eo adhuc quaedam commemorare, cum & is variis ſcriptis romanae eccleſiae defenſionem in ſe ſuſceperit. Res autem ei ſpeciatim fuit cum IO. HIMMELIO, theologo Ienenſi. Ediderat is *Caluino-papiſmum, ſiue harmoniam Caluino-papiſticam, theoretico-practicam*, reformatorum & pontificiorum in quibusdam conſenſum demonſtraturus. COPPENSTEINIVS itaque vt HIMMELIVM refutaret, euincere potius voluit, Lutheranos cum Caluiniſtis conſentire, in *concordia Luthераno-Caluiniſtica*, quae *Luthero-Caluiniſmi*, ab eo conſcripti, partem conſtituit. Sed cedere victoriam COPPENSTEINIO noluit HIMMELIVS; hinc iterum in lucem ab eo emiſſa *concordia concors papaeo-Caluiniſtica, oppoſita concordiae Lutherano-Caluiniſticae Io. Andr. Coppenſteinii.* Nec tacuit COPPENSTEINIVS, putauitque, ſe delere vnico momento omnia iſta poſſe, euulgata *ſpongia concordiae papaeo-Caluiniſticae, quam Io. Himmelius concordiae Lutherano-Caluiniſticae oppoſuerat.* Tum vero HIMMELIVS *anti-Coppenſteinium ſuum, ſiue ſpongiae Coppenſteinianae contra papaeo-Caluiniſmum directae modeſtam & methodicam refutationem* prodire iuſſit Erffurthi an. 1626. 4. Recenſet haec HADR. BAILLETVS, *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 113. ſeqq.* ex quo ea repetere placuit, cum alibi ſcriptorum iſtorum ſeriem non inuenerim. An autem iſta per comparationem diſputandi methodo multum ad veritatis illuſtrationem proficiatur, valde dubito. Certe incommodo non caret; cum vix aliter fieri queat, dum diſſentientium conſenſum demonſtrare volumus, quin alteri parti aliquid tribuamus, quod a mente, ſententiaque eius alienum eſt. Reliqua COPPENSTEINII ſcripta, inter quae etiam eſt *excaluinizata catecheſis Caluino-Heidelbergenſis*, enumerant IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcript. ordinis praedicator. tom. II. p. 448. ſeqq.*

IAC. GRETSERVM, Ieſuitam, inter praecipuos BELLARMINI defenſores iam commemorauimus. Meretur tamen, vt ſeorſim aliquid de eo dicamus. Vir enim litterarum minime expers fuit, quod ſcripta varia, ex lingua graeca in latinam ab eo translata, teſtantur. Laudemque adeo haud exiguam potuiſſet conſequi, ſi animum a partium ſtudio alienum, maioremque ſecum attuliſſet modeſtiam. Plurima autem tum pro romanae eccleſiae, tum ſpeciatim pro Ieſuiticae ſocietatis defenſione, ſcripſit, quae fuſe recenſet LVD. ELL. DV PIN, *nou. bibliotb. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XVII. p. 63.* itemque CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad *§. VII. p. 118.* Eminet inter ea *defenſio controuerſiarum Bellarmini*, de qua iam diximus, & in qua, quidquid hactenus doctiſſimi proteſtantium BELLARMINO obiecerunt, repellere conatur. De iis, quae AEGID. HVNNIO oppoſuit, ſpeciatim de *Labyrintho* eius *cretico-Hunniano*, ſupra iam verba fecimus. Sed &, quae *de iure & more probibendi, expurgandi, & abolendi libros haereticos & noxios*, aduerſus FRANC. IVNIVM, & IO. PAPPVM commentatus eſt, iam enarrauimus, *lib. I. cap. III.* ad *§. XXIV.* Non alienum quoque prorſus ab hoc loco eſt opus illud GRETSERI inſigne, variaque eruditione refertum, *de cruce*, Ingolſtadii

golſtadii tomis III. 4. an. 1607 editum, & deinde an. 1616 iterum excuſum; quamquam priorem editionem, vt meliorem, ita emendatiorem eſſe, ex CHRIST. DAVMII *epiſt. LXIV.* doceat THOM. CRENIVS, *animaduerſ. philologic. & hiſtor. part. XV. p.36.* Non tantum enim paſſim, quae romanenſium circa crucis imagines ſuperſtitioni ſtabiliendae, fabulisque variis defendendis, inſeruiunt, adſpergit; ſed & *tomo III. lib. III.* pro cultu, quem romana eccleſia crucis figurae tribuit, contra DANAEVM & MARBACHIVM diſputat. Eiusdem generis ſunt *libri* illius *IV. de ſacris peregrinationibus*, & *libri II. de eccleſiaſticis proceſſionibus*, editi Ingolſtadii an. 1606. Cum in *ſecundo* operis *de cruce tomo* GRETSERVS varia patrum de cruce domini monumenta exhibeat; locum illi inter *bibliothecas patrum* conceſſit THOM. ITTIGIVS, *de bibliothecis & catenis patrum cap. VII. p. 690.*

BELLARMINO inter romanae eccleſiae promachos merito adiungitur MART. BECANVS, ex eadem itidem Ieſuitarum ſocietate, cuius *theologiam ſcholaſticam*, in qua & controuerſias attingit, iam commemorauimus *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XV.* Praeter eam vero etiam *opuſcula theologica*, ſeu *de controuerſiis fidei*, haud pauca ſcripſit, quae iunctim edita ſunt, & in *operibus* quoque eius, Moguntiae anno 1649 euulgatis, exſtant. Maximam partem reformatae eccleſiae doctoribus ſunt oppoſita, adcurateque recenſentur a IO. FABRICIO, in *hiſtoria bibliothecae ſuae part. II. p. 94. ſqq.* Cumprimis celebratur eius *manuale controuerſiarum huius temporis*, tum alias, tum & Monaſterii an. 1660. 8. editum. In *quinque* iſtud diſtributum eſt *libros*, eo quod, controuerſias omnes recentiores ad quinque genera reuocari poſſe, cenſeret. *Aliae enim*, inquit, *ſunt communes Lutheranorum & Caluiniſtarum; aliae Lutheranorum tantum; aliae Caluiniſtarum; aliae anabaptiſtarum; aliae denique politicorum.* Per *politicos* autem partim eos ſe intelligere, profitetur, qui pluris politicam aeſtimant, quam fidem & religionem; partim, qui quaeſtiones mouent ad politicam aliquo modo pertinentes. Huiusmodi controuerſiae, de quibus in quinta, ſeu vltima parte agit, ſunt: *an quilibet in ſua fide ſaluari poſſit? an aliquando liceat negare fidem Chriſti, praeſertim ad vitandam mortem? an liceat tacere vel diſſimulare fidem Chriſti propter eamdem cauſſam?* & quae alia ſunt eiusdem generis. Licet autem HADR. BAILLETVS *manuali* huic BECANI praecipuum inter ſcripta eius locum tribuat, idque valde vtile ad proteſtantes ad eccleſiam romanam reducendos iudicet, *loco* deinceps *citando*; alii tamen aliter de eo pronuntiant; ſpeciatim IO. HVLSEMANNVS noſter monet, controuerſiarum in eo non recte formari ſtatum, perpetuisque vbique ſcatere aequiuocationibus, eorum etiam negatione, quae alias vulgo in papatu docentur; in *methodo ſtudii theolog. pag. 300.* Fuerunt etiam tum ex noſtratibus, tum ex reformatis, qui *manuale* hocce BECANI impugnarent. Et ex noſtratibus quidem IO. MATTH. MAYFARTVS *anti-Becanum* edidit, Lipſiae 1627 duobus tomis in 8. Mentionem eius quoque facit HADR. BAILLETVS, *des ſatyres perſonelles &c. tom. I. p. 75.* vt tamen addat, auctorem huncce nullo fere amplius apud ſe loco eſſe, cum in *ſuſcitabulum* eius *proponens abſurda abſurdorum abſurdiſſima* incidiſſet. Praefert itaque ei AEG. HVNNII *anti-Becanum*, ſaltem ita, vt eum non tam ineptum, quam MAYFARTI eſſe, exiſtimet, haud obſcure adeo innuens, ſe eum & vidiſſe, & legiſſe; cum tamen, quantum mihi conſtat, nemo eorum, qui AEGID. HVNNII ſcripta recenſent, *anti-Becani* eius mentionem faciat. *Anti-Tannerum* ab HVNNIO ſcriptum, &, ad controuerſias cum reformatis quod attinet, *anti-*

anti-Pareum, notum eſt, & ſupra quoque ſignificauimus. Idem BAILLETVS inter eos, qui contra BECANVM ſcripſerint, etiam EHINGERVM refert, quod & alii faciunt, haud dubie ELIAM EHINGERVM, variis ingenii monumentis clarum, intelligentes. Adcurate ſcripta EHINGERI huius recenſet IACOB. BRVCKERVS, in *commentatione de vita & ſcriptis celeberrimi quondam viri Eliae Ehingeri*, Auguſtae Vindelicorum an. 1724. 8. edita, *cap. II. §. II. pag. 108. ſeqq.* inter quae tamen *anti-Becanum* eius, aut ſimile quid, quod ex inſtituto contra BECANVM ſcripſerit, non inuenio. Alia tamen ibi exſtant, pontificiis oppoſita, vt: *das alt vnd neue Pabſtthum, von der Vneinigkeit der Papiſten; de Ieſuitico Lyſandro, taxillis ſuis chriſtianos in doctrina de iuramento in moribus decipiente; velitatio epiſtolaris, ſeu* συζήτησις *placita quorumdam ſocietatis Ieſu patrum* (MATTH. RADERI, IO. BRVTSCHERI & IEREM. DREXELII) *cum Elia Ehingero; hiſtoriſche vnd theologiſche Ausführung der Frage: wo die chriſtliche Kirche geweſen, ehe D. Luther gebohren;* & alia quaedam eiusdem generis. Sed vt ad reliquos, qui BECANVM refutarunt, redeam; ex noſtratibus adhuc IAC. WELLERVS *diſputationes contra Becanum* euulgauit; MENNO HANNEKENIVS *examen manualis Becani;* IO. HIMMELIVS *Becanum eneruatum*, vt reliquos, a quibus ſimilia profecta, mittam. Ex reformatae eccleſiae doctoribus IO. CROCIVS, cum initio *enneadem diſſertationum theologicarum* in lucem emiſiſſet, deinde etiam *anti-Becanum* ſuum ſubſequi iuſſit, Caſſelis an. 1643 duobus tomis in 4. Sed vindices nominis doctrinaeque ſuae BECANVS nactus eſt theologos Moguntinenſes, quorum nomine MICH. CORNAEVS Ieſuita *animaduerſiones in anti-Becanum Ioannis Crocii* edidit, Moguntiae 1647. 4. quibus CROCIVS *anti-Becani iuſtam vindicationem* oppoſuit, Marpurgi an. 1654. duobus tomis 4. a CORNAEO rurſus in *anti-Crocio* exceptus. De hiſce omnibus legendus HADR. BAILLETVS, *des ſatyres perſonelles &c. tom. I. pag. 77. ſeqq.* CORNAEVS hicce idem eſt, cui IO. GEORG. DORSCHEVS *anti-Cornaeum* ſuum, ſiue *vindicias interuentionis pro myſterio trinitatis contra Cornaeum* oppoſuit; de cuius libri occaſione idem BAILLETVS agit, *l. c. pag. 119 ſeqq.*

Succedat GREGOR. DE VALENTIA, gente Hiſpanus, natus Medinae Campi, ſocietati Ieſu adſcriptus, vir ſua aetate eruditionis laude clarus. In Germaniam miſſus eſt, vt *ſacram ſcientiam tum ſodalibus e loco ſuperiore dictaret, tum ab impiorum omnis generis ſectariorum tota regione illa vaſtiſſima debacchantium inſanis molitionibus propugnaret.* Ita NIC. ANTONIVS, qui porro addit: *Equidem praeſtitit vtrumque vir ſapientiſſimus, fidelemque populum mire erexit, & ſuſtentauit; egregia doctrinae, eruditionis ac pietatis opera edidit Dilingae prius, mox Ingolſtadi Boioariorum in locum Hieronymi Torrenſis ſuffectus; bibliothec. ſcriptor. hiſp. nou. tom. I. p. 418.* A Clemente VIII romano pontifice Romam vocatus, tandem valetudinis cauſſa Neapolin ſe contulit, ibique an. 1603 vitam cum morte commutauit. Praeter *commentariorum theologicorum & diſputationum in ſummam Thomae Aquinatis, tomos quatuor*, varia de rebus fidei, ſuo tempore controuerſis, opuſcula conſcripſit, tandemque certo ordine diſpoſita iunctim edidit Lugduni an. 1591. fol. Recenſet haec opuſcula NIC. ANTONIVS, *biblioth. ſcriptor. hiſp. nou. tom. I. p. 419.* & IO. FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth.* ſuae *part. II. p. 92. & 93.* Primum inter ea locum tenet, quod & fere praecipuum eſt: *analyſis fidei catholicae libris octo comprehenſa, in quibus ſimul de eccleſia, de Romano pontifice, de ſcriptura, de traditionibus, de conciliis diſputatur;* quae

iam

iam antea anno 1585 ſeorſim prodierat. Idem etiam ANTONIVS ex AD. CONTZENI *lib. V. polit. cap. I.* refert, GREGOR. DE VALENTIA *doctoris doctorum* elogio a Clemente VIII pontifice ornatum fuiſſe. Refutarunt eum praeter alios ex noſtratibus ANDR. OSIANDER, atque PHIL. LVD. HANNEKENIVS, ille in *reſponſo ad analyſin Gregorii de Valentia, de eccleſia*, & in *defenſione reſponſi ad analyſin*, Tubingae an. 1593 & 94. 4. hic autem in *paralyſi fidei, analyſi Valentinianae oppoſita*, Gieſſae 1683. 4. Nomen quoque aliquod inter proteſtantium antagoniſtas apud romanenſes conſequutus eſt FR. COSTERVS, natione Belga, patria Mechlinienſis, ex Ieſuitarum ſocietate, qui latina pariter ac belgica lingua varia ſcripta polemica edidit, quae PHIL. ALEGAMBE recenſet, in *biblioth. ſcriptor. ſocietatis Ieſu p. 118.* Eminet tamen prae reliquis *enchiridion* eius *controuerſiarum praecipuarum noſtri temporis de religione*, Coloniae anno 1585, & auctius ac emendatius Turnoni an. 1591, & deinde alibi ſaepius excuſum. Cum etiam in linguam belgicam, germanicam, gallicam, italicam conuerteretur; turbatos inde fuiſſe proteſtantes, exiſtimat HADR. BAILLETVS, vtpote qui perſpexerint, quantum inde rebus ſuis immineret periculum. Nec tamen, adeo magnum proteſtantium metum fuiſſe, arbitror, vt BAILLETVS ſibi perſuadet. Ieſuitarum enim artes, nullius momenti libris pretium aliquod per varias verſiones conciliare adnitentium, iis non ignotae ſunt. Verum interim eſt, quod addit, FR. GOMARVM, haud infimi ordinis in eccleſia reformata theologum, *enchiridion* hocce COSTERI refutaſſe, in *anti-Coſtero* ſuo, Lugduni Batauorum 1600. 8. Honorificum GOMARO eſt, quod porro refert, refutationem hanc reſpondiſſe opinioni, quam COSTERVS de ingenio ac eruditione GOMARI animo conceperat, hinc & inductum, vt primum *epiſtolam ad Franciſcum Gomarum*, ceu praeludium aliquod, & deinde *apologiam pro enchiridio* ſuo Coloniae an. 1604 ederet, quae in recentioribus editionibus ipſi *enchiridio* ſubiungi ſolet. *Clypeum* autem *catholicorum contra haereſin*, Antwerpiae an. 1606 lingua belgica editum, nihil aliud, quam ipſum *enchiridion*, in linguam belgicam translatum, & obſeruationibus aliquot in *anti-Coſterum* auctum, eſſe, ab aliis ſe accepiſſe, adſerit; *des ſatyres perſonelles &c. tom. I. p. 127.* Ex noſtratibus COSTERVM refutauit ALBERT. GRAVERVS, theologus quondam Ienenſis, in *diſputationibus anti-Coſterianis*, Ienae an. 1614. 4. quibus IO. MATTH. MAYFARTVS deinceps addidit *Grauerum continuatum*, ſeu *tomum ſecundum diſputationum anti-Ieſuiticarum*, Ienae an. 1621. 8.

IO. PISTORIVS Niddanus, Niddae quippe Haſſorum natus, & ob varia ingenii & induſtriae ſuae monumenta haud ignotus, initio arti medicae ſe conſecrauerat, poſtea autem ad theologiam animum adiecit, tandemque a noſtratibus ad romanenſium caſtra tranſiit; nonnulli etiam adſerunt, antea eum reformatae eccleſiae placitis ſuffragatum fuiſſe. Romanenſibus itaque ſe probaturus, vt alios quoque ad eorum perduceret ſocietatem, omnem nauauit operam; feruntque, Iacobum, marchionem Badenſem, iam ceteroquin nutantem, vt ipſius exemplum ſequeretur, ab eo perſuaſum. Idem etiam cum iactitaret, ſe ſolis ſcripturae teſtimoniis Lutheranorum theologos vincere, & proſternere poſſe; an. 1589 colloquium iſtud Badenſe inter eum & IACOB. ANDREAE, STEPH. GERLACHIVM, IAC. HEERBRANDVM, & ANDR. OSIANDRVM inſtitutum fuit; in quo cum nihil minus ageret, quam vt ſcripturae effatis pugnaret; irritus non tantum fuit colloquii huius euentus, ſed & Iacobus marchio Badenſis, quod iam antea

antea animo deſtinauerat, perfecit, eccleſiaeque romanae ſacra amplexus eſt. Legendus de hocce colloquio IO. LVDOV. HARTMANNVS, in *conciliis illuſtratis tomo IV. pag. 680.* In caſtris romanenſium conſtitutus PISTORIVS ſtrenuum etiam eorumdem ſe demonſtrare voluit promachum; idque variis ſcriptis, tum contra reformatos tum contra noſtrates, editis, egit; inter quae eminet, quod an. 1599. publicae luci expoſuit, quodue inſcribitur: *Wegweiſer vor alle verführte Chriſten, das iſt, ein wahrhaffter Bericht, von 14 durch die vnrecht-glaeubigen in Streit gezogenen articuln, daraus iedermann der Roemiſchen Kirchen Warheit erkennen kan.* Sed oppoſuit ſe ei, noſtraeque eccleſiae cauſſam defendendam ſuſcepit, BALTH. MENTZERVS, in *anti-Piſtorio, ſeu diſputationibus theologicis & ſcholaſticis, de quatuordecim praecipuis religionis chriſtianae quibusdam capitibus, contra Ioannem Piſtorium*, Marpurgi an. 1600 & iterum an. 1614. 4. itemque in *apologia diſputationis primae anti Piſtorianae*, ibidem an. 1600. 8. Dum HADR. BAILLETVS haecce MENTZERI ſcripta enarrat, more ſuo ſcommata quaedam addit, quae tamen nec famae ac exiſtimationi theologi iſtius praeſtantiſſimi, nec noſtrae eccleſiae, nocent: *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 228.* Idem vero etiam CONR. VORSTII, inter Arminii ſectatores haud vltimi, *teſſaradecadem anti-Piſtorianam, ſeu reſponſionem ad librum Ioannis Piſtorii, de quatuordecim articulis in religione controuerſis*, Hanouiae an. 1607 in 8. editam commemorat; itemque CHRISTOPH. AGRICOLAE Rhaeti, *anti-Piſtorium, ſiue exceptionem priorem contra primam theſin dodecamorii ſymboli, quod Piſtorius defendendum ſuſcepit Badae marchionum.* Fictum illud CHRISTOPH. AGRICOLAE nomen eſſe, idem obſeruat; ſub eoque DAV. SCHRAMIVM, ſeu potius SCHRAMMIVM, Nordlingenſem, concionatorem aulicum Neoburgico-Palatinum, latitare, alibi docet, in tractatu *des auteurs deguiſez p. 520.* quod & pluribus confirmatur, in VINC. PLACCII *theatro anonymorum & pſeudonymorum*, & quidem *de ſcriptoribus pſeudonymis p. 18. 19.* Idem AGRICOLA etiam edidit *anti-Piſtorianum propugnaculum, ſiue exceptionem poſteriorem ad primam theſeon Piſtorianarum;* itemque *acroama catholicum pro tabulis diuini iuris, contra haereticos ſcripturifugas;* quod vltimum ſcriptum, vt lectu digniſſimum, ſed paucis notum & lectum MICH. WALTHERVS commendat, in *officina biblica §. CCLXIV. p. m. 95.* Apoſtatae iſtius, de quo loquuti ſumus, pater, IO. PISTORIVS fuit, theologus praeſtantiſſimus, cuius in eccleſiam noſtram merita VIT. LVDOV. SECKENDORFIVS commemorat, in *hiſtor. Lutheraniſmi lib. I. §. CXXXIX. p. 244.* alibique.

Licet controuerſiarum tractatio a catechetica inſtitutione abeſſe debeat; GVILIELMO tamen BAILIO, Ieſuitae, placuit, *catechiſmum controuerſiarum* dare; quem ANDR. RIVETVS refutauit, in *catholico-orthodoxo, ſiue ſummo controuerſiarum omnium inter orthodoxos & pontificios, in qua adcurate examinatur catechiſmus controuerſiarum a Guilielmo Bailio Ieſuita, iuſſu archiepiſcopi Burdegalenſis editus;* qui *operum* eius *tomo III.* exſtat. Maiorem ſtrepitum, ſaltem in Germania, nugis ſuis dedit LAVR. FORERVS, Ieſuita petulantiſſimus. Praecipuus enim inter eos fuit, qui ſcriptis, ad proteſtantes pacis religioſae fructu priuandos, & ad bellum inteſtinum in imperio noſtro excitandum, vnice ſpectantibus, omnia turbarunt; qui & prae reliquis, libellis ingenium hominis ſatis prodentibus, *neceſſariam defenſionem pupillae euangelicae* impugnauit. Sed hac de re iam ſupra *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* itemque ad *§. praecedentem*, cum de MATTH. HOBO verba faceremus, dictum

Digitized by Google

dictum eſt. Scripſit vero & alia, vt *ſymbolum catholicum, Lutheranorum & Caluinianorum cum catholico collatum*; cui MELCHIOR NICOLAI, theologus Tubingenſis, oppoſuit *ſymbolum Lutheranorum ab impoſturis, calumniis, mendaciis, criminibus falſi, Laurentii Foreri Ieſuitae vindicatum*; Tubingae an. 1624. 4. aduerſus quem FORERVS iterum *vindicias ſymboli Lutherani* edidit. Spectat huc etiam eiusdem *Lutherus thaumaturgus*, & alia, de quibus legendus PHIL. ALEGAMBE, in *bibliotheca ſcriptor. ſociet. Ieſu p. 294.* Eiusdem commatis fuit IAC. KELLERVS, Ieſuita itidem famoſiſſimus, & ex colloquio Neoburgico, an. 1615 cum IAC. HEILBRVNNERO inſtituto, ſatis notus. Diſputabatur inter vtrumque ſuper adlegatis ab HEILBRVNNERO patrum locis, in libro, quem inſcripſerat: *papatus acatholicus*, ſiue *vncatholiſches Pabſthum.* Mala namque fide in citandis patrum locis eum vſum, KELLERVS adſerebat, & in colloquio acriter contendebat. Quo in certamine ſi PHIL. ALEGAMBIVM audias, HEILBRVNNERVS ſuccubuit. *Certe*, inquit, *in publica diſputatione tam fortiter preſſus eſt* (HEILBRVNNERVS) *vt tantum non obmutuerit, morbumque vel re ipſa nocte illa contraxerit, vel ne cogeretur iterum in arenam deſcendere, ſimularit; l. c. p. 203.* Scilicet ſua opinione Ieſuitae ſemper vincunt, numquam inferiores ex certamine diſcedunt. Audiendi itaque & alii ſunt, qui referunt, ex inſpectione & examinatione dictorum, ex patrum ſcriptis prolatorum, innocentiam HEILBRVNNERI luculenter patuiſſe. Conferendus ANDR. CAROLI, in *memorabilibus eccleſiaſt. ſaec. XVII. lib. II. c. XXVI. p. 385.* Scriptis polemicis variis KELLERVS innotuit, cuiusmodi ſunt: *das catholiſche Pabſthum*, contra HEILBRVNNERI *papatum acatholicum*, antea memoratum, Monachii an. 1616. fol. quo ipſo anno & eiusdem *compendium* ibidem prodiit; item *agonia, ſeu ſudor mortualis Iacobi Heilbrunneri, qui extremam vnctionem inſectatus fuerat ſcripto libro*; Monachii an. 1618. 4. Contra prius illud opus, ſeu *papatum catholicum*, iterum prodiit: *fernere gründliche Offenbahrung des uncatholiſchen Pabſtthums, wieder Iacob Kellers Münchiſchen Iebuſiters zuſammengeflickten Bettlers-Mantel, den er das catholiſche Pabſtthum intituliret*; auctoribus IAC. HEILBRVNNERO, & GEORG. ZEAEMANNO, Francofurti ad Moenum an. 1617, & 21, duobus tomis in fol. KELLERVS autem porro ſcripſit: *tyrannicidium, ſeu ſcitum catholicorum de tyranni internecione aduerſus inimicas Caluiniani miniſtri calumnias in ſocietatem Ieſu iactatas*; porro, ſub IAC. SYLVANI nomine *faſciculum olidum quinquaginta floſculorum, id eſt, abſurditatem praedicantium in colloquio Ratisbonenſi*; & alia. Auctor etiam a quibusdam fertur libri, qui inſcribitur; *cauea turturis*, in quo liber BELLARMINI, *de gemitu columbae*, contra cenſuram GRAVINAE, hominis Dominicani, defenditur. Lectu prorſus digna ſunt, quae hac de re obſeruat PETRVS BAELIVS in *dictionar. hiſt. & crit. voc. Kellerus p. 1713.* Sed fuit etiam KELLERVS ex illorum numero, qui ſcriptis ſeditioſis ferale illud bellum tricennale, quod ſaeculo XVII Germaniam miſere deuaſtauit, excitare, & magis magisque inflammare conati ſunt. Auctor namque fuit libri famoſiſſimi, qui anno 1621 lucem adſpexit, inſcribiturque: *Cancellaria ſecreta Anhaltina, id eſt, occulta conſilia inaudita propoſita, periculoſae adinuentiones, & prodigioſae machinationes capitum ac directorum vnionis correſpondentium in Germania, occaſione rebellionis Bohemicae ad eiusdem coronae & imperii Romani perniciem agitatae, poſt nuperam illam omnibus poſteris memorabilem victoriam Pragenſem, die 8 Nouembris 1620, in originalibus ſcripturis & documentis cancellariae Anhaltinae, diuina prouidentia depre-*

henſa. Quae hac occaſione vtrimque, tum a proteſtantibus, tum a romanenſibus edita ſint ſcripta, aliunde conſtat. Praecipua a PETRO BAELIO enarrantur; *l. c. voc. Keller. pag. 1713.*

Nimis negligentes, rerumque noſtrarum immemores eſſemus, ſi IAC. DAVY DV PERRON, ſiue PERRONIVM, cardinalem, praetermitteremus; cui nonnulli inter romanae eccleſiae defenſores alterum a BELLARMINO locum tribuunt, etſi ipſe forte primum ſibi vindicare velit. Opera eius ſeorſim primum edita, deinceps poſt illius obitum recuſa ſunt, Pariſiis an. 1620 & 22, tribus tomis in fol. quae fuſe & adcurate recenſet LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XVII. p. 27.* Et primum quidem tomum tractatus eius *de euchariſtia* implet, quem contra PHIL. MORNAEVM DE PLESSIS conſcripſit. In lucem emiſerat MORNAEVS an. 1598 *libros quatuor de euchariſtia*, opus eruditum, & doctiſſimorum virorum calculo adprobatum. Romanenſes autem cum eodem vehementer offendiſſet; fuerunt, qui iactitarent, MORNAEVM vel quingenta loca mala fide ex ſcriptis patrum antiquorum congeſſiſſe. Aegre hoc ferens MORNAEVS, PERRONIVM ad diſputandum prouocauit, facileque a rege impetrauit, vt coram delegatis ſingula loca examini publico ſubiicerentur. Hinc colloquium illud celeberrimum Fontisbellaquei an. 1600 inter MORNAEVM & PERRONIVM cardinalem inſtitutum, in quo cardinalis iſte, ex quingentis, quae promiſerat, vix ſexaginta loca, ex toto volumine ſelecta, obtulit, ad quorum nonnulla vt MORNAEVS reſpondit, ita ad omnia haud dubie reſpondere potuiſſet, niſi iniquiſſimis cum eo actum fuiſſet conditionibus. Copioſe & eleganter haecce omnia ediſſerit MAGNVS CRVSIVS, in *ſingularibus Pleſſiacis, p. 116. ſeqq.* qui & *pag. 132.* haec addit: *Quod ad ipſa ceterum loca attinet, a Perronio producta, ex tot millibus antiquiorum patrum, ad quae in Pleſſei libro prouocatum erat, ridicule omnino Caroli magni, Scoti, Durandi, atque Petri Criniti, qui tamen in patrum numero nullo argumento habendi, teſtimonia, primo loco collocabantur.* Plurimi autem licet etiam ſcriptis hocce MORNAEI opus impugnarent, quos idem CRVSIVS diligenter recenſet, *l. c. p. 277.* ipſe tamen etiam PERRONIVS ingenii in eo vires periclitari voluit, &, vt auctor iſte loquitur: *poſtmodum quoque per multos annos partum plus quam elephantinum parturiit, quo Pleſſei ſcriptum penitus aboleret &c.* Refert deinde MORNAEI de iſto PERRONII opere iudicium; qui inter alia de eo ita pronuntiat, plus eloquentiae in illo conſpici, quam verae theologiae, plus ſubtilitatis, quam ſoliditatis, nec difficile fore, PERRONIVM cum BELLARMINO committere, cum ille haud raro ab hoc diſſentiat. Nec defuerunt ex reformatae eccleſiae doctoribus, qui in iſtud PERRONII opus calamos ſtringerent; quod cumprimis MICH. LE FAVCHEVR, in *traité ſur la cene du Seigneur,* IO. MESTREZAT, *de la communion a I. C. au ſacrament de l'euchariſtie,* itemque EDMVNDVM ALBERTINVM, in *libris tribus de euchariſtiae ſacramento*, feciſſe, CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS obſeruat, in *diſputat. anti-Rogeriana p. 6.* In altero *operum* PERRONII *tomo* continetur *exceptio ad reſponſionem Iacobi I magnae Britanniae regis (replique a la reponſe du Roy de la grand Bretagne.)* Cuius operis paucis ediſſerere occaſionem, non abs re fuerit. In conuentu quodam procerum regni gallicani PERRONIVS cardinalis oratione longa, & ad fallendos incautos apta, pontificum romanorum ſupra reges euincere poteſtatem, conatus erat, ea quidem ratione, vt iis facultatem, hos regia dignitate priuandi, tribueret. In eadem oratione cum & hinc inde Iacobum I Britanniae regem, pupugiſſet; tanta tamen fuit impuden-

dentia, vt illius exemplum ad eum mitteret. Rex itaque, refutatione iſtius orationis ſolidiſſime conſcripta, eam iterum ad PERRONIVM miſit. Hic ſiue argumentorum robore conſtrictus, ſiue aliis cauſſis inductus, aliquid reponere minime conſultum duxit, ſed conticuit. Interea IS. CASAVBONVS commercium litterarum cum PERRONIO cardinali iniit; qua occaſione hic vſus, multis magnisque laudibus regem cumulauit, nihilque ad conſummatam virtutum omnium imaginem illi deeſſe, adſeruit, quam vt *catholicus* poſſet adpellari. Rex vero per CASAVBONVM illi contra ſignificauit, ſe omnia ea credere, quae veteres vnanimi conſenſu creditu ad ſalutem neceſſaria iudicauerint, adeoque *catholici* nomen ſibi denegari non poſſe. PERRONIVS cum iterum ſententiam ſuam variis rationibus confirmaſſet; has in peculiari ſcripto, ſeu *reſponſione*, quam per CASAVBONVM ad illum miſit, diluere, rex operae pretium duxit. Hanc *reſponſionem* dum rurſus refutauit PERRONIVS; ſcriptum iſtud, de quo hic ſermo eſt, inde enatum. Sed regis defenſionem in ſe ſuſcepit PETR. MOLINAEVS, in *nouitate papiſmi*, opere erudito, quodue inter ea, quae romanenſibus oppoſita ſunt, neutiquam vltimo ponendum eſt loco. Gallice ſcriptum eſt, ſed in linguam germanicam a MART. STVTZINGIO tranſlatum, Veſaliae prodiit an. 1632. 4. In *tertio* operum eius *tomo* itidem varia polemica, & inter reliqua, *acta colloquii* Fontisbellaquei cum PHIL. MORNAEO inſtituti, continentur; quibus diutius non immorabimur. Ex iis, quae antea de *oratione*, qua reges principesque pontificis poteſtati ſubiecit, diximus, patet, eum inter libertatis eccleſiae gallicanae oppugnatores referendum eſſe. Eoque nomine cum illi ſe opponeret EDM. RICHERIVS; infenſiſſimum hoſtem eum expertus eſt. Conferenda, quae hac de re diximus ad *libri* huius *II. cap. V. §. X.* Sunt, qui PERRONIVM inter atheos referunt; certe non prorſus ab iſta ſuſcipione liberari poſſe, intelligitur ex iis, quae MAGN. CRVSIVS obſeruat, in *ſingularibus Pleſſiacis pag. 143.* LVDOV. ELL. DV PIN, cum ſtupendam memoriam, eruditionem haud vulgarem, eloquentiam & ingenium in eo laudaſſet; agnoſcit, non ſemper eum recte & adcurate rationes ſubducere, nec iisdem inſiſtere principiis, diffuſum etiam eſſe, & haud raro extra limites ferri; *l. c. tom XVII. pag. 37.*

Miſſis autem reliquis, quorum non adeo magna eſt celebritas, ad IAC. BENIGN. BOSSVETVM nos conuertimus, Condomienſem primum poſtea Meldenſem epiſcopum. Illuſtre enim inter recentiores romanae eccleſiæ defenſores nomen conſequutus eſt, immo ab ipſo pontifice *flagellum haereticorum* vocatus; vid. *acta erud. Lipſ. 1689. menſe Febr. p. 65.* Maximum in orbe ſtrepitum dedit *expoſitio* eius *doctrinae catholicae de iis argumentis, de quibus controuerſiae ſunt*, quae an. 1670 in gratiam, vt ferunt, Turrennii, ad emolienda quaedam romanenſium dogmata, ne nullam is omnino, praeter commoda huius ſaeculi, cauſſam, romanae eccleſiae ſacra amplectendi, habuiſſe videretur, conſcripta, initio per priuatas tantum volitabat manus. At cum haud pauca continere crederetur, quae offenderent lectores, atque nihil minus, quam romanae eccleſiae veram ſententiam exhiberent; correcta, typisque excuſa prodiit an. 1671, adprobationem archiepiſcopi Rhemenſis, & nouem epiſcoporum in fronte gerens; vid. ANDR. CAROLI, in *memorabilib. eccleſiaſt. ſaec. XVII. lib. VIII. cap. XII. p. 41.* Haec vero adprobatio cum BOSSVETO nondum ſufficeret; ſorbonnicorum quorundam doctorum cenſurae *expoſitionem* hancce ſubiecit, ne reformati conquerendi cauſſam haberent, ac ſi romanae eccleſiae doctrina mala fide in ea proponeretur. Verum ſorbonnicis iſtis doctoribus adeo diſplicuit,

vt multa loca in ea atro notarent lapillo, vitioque verterent praeſuli huic, quod nimia dogmatum eccleſiae romanae emollitione veram & genuinam iſtius eccleſiae doctrinam corrupiſſet. Cuius cenſurae cum BOSSVETVM puderet, ſupprimi totam iſtam libelli editionem, locaque illico mutari curauit, quae doctores iſti corrigenda iudicarant. Nec tamen primae iſtius & inuariatae editionis exempla remoueri poterant, quin vnum alterumue in manus reformatorum veniret, cuiusmodi in Anglia EDV. STILLINGFLEETVS recudi fecit. Legendus & hac de re quem iam laudauimus, ANDR. CAROLI, *l.c.p.41.* At nec hac ratione euitare potuit, quo minus, a Tridentinis decretis dogmata eius diſſentire, crederent reformati. Id quod nec ipſe diſſimulat BOSSVETVS, vel quisquis eſt auctor *moniti in expoſitionem Iac. Benigni Boſſueti*, editioni, quae an. 1680 Antwerpiae prodiit, praemiſſi. A duobus enim hoc BOSSVETO obiectum fatetur. Alterius nomen prodere noluit; alterum NOGVIERVM fuiſſe, dicit, quem *miniſtrum in ſua ſecta nobilem, peritique apud ſuos theologi fama conſpicuum*, vocat. *Ambo*, inquit, *Tridentinis decretis expoſitionem eſſe contrariam, adſerunt; ambo pugnant, ipſum exponendae huius doctrinae conſilium ſummis pontificibus improbari: ambo ſtudioſe iactant, epiſcopum Condomenſem nil niſi religionis ſuae dogmata mollire & extenuare.* Hiſce adcuſationibus operoſe obuiam ire adniſus eſt auctor *moniti*, antea commemorati, qui & plurima cardinalium, archiepiſcoporum, epiſcoporum ſuffragia, immo ipſius pontificis Innocentii XI *breue*, quod vocant, *expoſitioni* praemiſit, quibus ea adprobatur. At haec ita comparata ſunt ſuffragia, vt ex quibusdam in ea ſententia confirmeris, fuiſſe inter ipſos romanenſes, qui de *expoſitionis* iſtius orthodoxia dubitarent. Quod exemplis comprobat DANIEL SEVERIN. SCVLTETVS, in *praefatione, antididagmati* ſuo, de quo deinceps, praemiſſa. Praeterea, ad pontifices quod attinet, Clemens X *expoſitionem* iſtam BOSSVETI adprobare noluit; Innocentius vero XI vix demum tertio pontificatus ſui anno labente, vt hoc faceret, induci potuit. Obſeruatum hoc FRID. SPANHEMIO, in *ſpecimine ſtricturarum* ad hanc *expoſitionem p. 112. 113.* Ceterum cum *expoſitio* iſta gallice ſcripta eſſet; in varias linguas traducta eſt, & in latinam quidem a CLAVD. FLEVRY, quam verſionem ipſe BOSSVETVS recognouit. Inter primos praecipuosque, qui eam impugnarunt, fuit PETR. IVRIEV, celeberrimus ille reformatae eccleſiae theologus, qui προφυλακτικὸν (*praeſeruatif*) ei oppoſuit. Mirifice hunc IVRIEI librum extollit PETR. BAELIVS, *dans les nouvelles de la republique des lettres an. 1684. menſe Martio p. 100. Ce preſeruatif*, inquit, *repond au livre M. de Meaux d'une maniere tout a fait victorieuſe.* Legi & reliqua merentur. Ita olim de IVRIEO BAELIVS. Deinceps tam honorifice de eius ſcriptis non ſenſiſſe, conſtat. Contra BOSSVETVM porro in arenam deſcendit DAV. AVG. BRVEYSIVS, cauſſarum patronus Montispeſſulanus, qui itidem *expoſitionem Condomienſem* ex inſtituto refutauit, at ex antagoniſta mox promachus factus. Vix enim labore iſto functus erat, cum, mutata ſententia, ab eccleſia reformata ad romanam deficeret. Huius conſilii ſui publice rationem reddere voluit, edito libro: *Examen des raiſons, qui ont donné lieu a la ſeparation des proteſtans*, hoc eſt, *examen rationum, quae proteſtantes ad ſeparationem mouerunt, absque praeoccupatione inſtitutum, ex concilio Tridentino, confeſſione eccleſiarum proteſtantium, & ſcriptura ſacra;* Pariſiis an. 1683. 12. *Expoſitioni* itaque *Condomienſi* cum & facto & ſcripto ſuo nouum robur conciliare videretur BRVEVSIVS; cauſſae ſuae deeſſe noluerunt reformati. PETRVS namque

IVRIEVS edidit: *Suite de preſervatif*, hoc eſt, *continuationem praeſeruatiui contra mutationem religionis*, *ſiue conſiderationes in tractatum Brueyſii*, Hagae Comitum anno 1683. 12. Praeterea anonymus quidam (LARROQVANVS, ſi nonnullis credimus) in lucem emiſit, *le proſelyte abuſé &c.* id eſt, *proſelytum deceptum ſiue paroramata Brueyſii in examine ſeparationis proteſtantium*; & alius anonymus (quem clariſſimum IAC. LENFANT eſſe, ferunt) *conſiderations generales ſur le livre de Mr. Brueys*, id eſt, *conſiderationes generales ad librum Brueyſii, qui inſcribitur: examen rationum &c.* Roterodami an. 1684. 12. Conferenda de hiſce omnibus *acta eruditorum Lipſienſia an. 1684. menſe Octobr. p. 446.* ad 457. itemque PETR. BAELIVS, *dans les nouvelles de la republ. des lettres l. c.* BRVEYSIVS deinceps iterum contra IVRIEVM, & IO. CLAVDIVM, in certamen deſcendit, edito libro *de eccleſia (traité de l'Egliſe)* cuius ſummam exhibent *acta eruditor. Lipſienſia an. 1688. menſe April. pag. 193. ſeqq.* Sed vt ad *expoſitionem Condomienſem* reuertamur, in eam calamum quoque ſtrinxit FRID. SPANHEMIVS, in *ſpecimine ſtricturarum ad libellum nuperum epiſcopi Condomienſis &c.* Lugduni Batauorum anno 1681. 8. exſtatque inter *opera* eius iunctim edita *tomo III. p. 1015. ſeqq.* Hiſce denique nonnulli ex noſtratibus acceſſere, quos inter eminet DAN. SEV. SCVLTETVS, cuius *antididagma*, *quo probatur*, *doctrinam ab epiſcopo Boſſuet expoſitam, ab Innocentio XI egregie laudatam admitti non poſſe &c.* Hamburgi prodiit an. 1684. 8. Quod quidem ſcriptum omnium eorum, quae contra *expoſitionem* BOSSVETI *Condomienſem* prodierunt, mea opinione, adcuratiſſimum eſt, ſolidiſſimumque.

Eodem circiter tempore, quo *expoſitio* iſta curiam romanam ſollicitam atque ſuſpenſam tenebat, circa an. 1673, libellus in lucem erupit, inſcriptus: *monita ſalutaria beatae virginis Mariae*, *ad cultores ſuos indiſcretos.* Editus eſt primum latine Gandaui, & poſtea etiam veſte gallica indutus adparuit; & quibusdam romanae eccleſiae theologis adeo non diſplicuit, vt potius ceu pium, vtilem & neceſſarium ad liberandam plebem erroribus, ac abuſibus, in quos per ſuperſtitionem eſſet adducta, laudarint. Auctorem eius nonnulli BOSSVETVM eſſe, perhibent; certe cum inſtituto eius, placita eccleſiae romanae emolliendi, & guſtui velut proteſtantium quodammodo attemperandi, egregie hoc conuenit. Diſerte BOSSVETO eum tribuit ANDR. CAROLI, in *memorabilib. eccleſiaſt. ſaec. XVII. lib. VIII. cap. XII. pag. 42.* qui & *cap. XXIII. p. 82. cap. XXVI. p. 91. cap. LXVIII. p. 234.* de eodem verba facit. At alii eum PETRO NICOLIO, alii rurſus aliis vindicant, vt ex VINC. PLACCII *theatro anonymorum & pſeudonymorum* intelligere licet. *de anonymis cap. II. num. 798. p. 135.* Quidquid eius ſit; non omnibus pontificiis libellus iſte placuit, certe nec Hiſpanis, nec Italis, nec ipſi pontifici, teſte IO. CRASSETO Ieſuita, in libro, quem ei ex inſtituto oppoſuit: *veritable devotion envers la ſainte Vierge*, Pariſiis anno 1679. Oppugnatus praeterea fuit a LVD. ABELLY epiſcopo Rhodenſi; defenſus rurſus ab aliis, quos inter epiſcopus Tornacenſis, editis *litteris paſtoralibus*, eminet; teſte IO. HENR. HEIDEGGERO in *hiſtoria papatus per. VII. §. CCCCXX. p. 523. ſqq.* Conferendus & MELCH. LEYDECKERVS in *continuat. hiſt. eccleſiaſt. Hornii artic. III. §. IV. p. 54.* qui & haec ipſa *monita ſalutaria beatae virginis Mariae &c.* vna cum *Ieſu Chriſti monitis maxime ſalutaribus de cultu dilectiſſimae matri Mariae debite exhibendo*, *hiſtoriae* ſuae *Ianſeniſmi* ſubiecit, *pag. 631. ſeqq.*

Ad reliqua BOSSVETI ſcripta quod attinet, haud vltimum inter ea locum tenet *collatio cum Claudio, miniſtro Charentonio ſuper*

ſuper articulo de eccleſia (conference avec Mr. Claude &c.) Pariſiis an. 1681. 12. Colloquium nimirum inter BOSSVETVM & IO. CLAVDIVM, celeberrimum ea aetate reformatae eccleſiae theologum, Pariſiis an. 1682 inſtituebatur, in quo inter vtrumque de eccleſia diſputatum fuit. Occaſionem eidem praebuit illuſtris virgo DE DVRAS, iniectos conſcientiae ſuae ſcrupulos prae ſe ferens, eosque eximi ſibi cupiens; quae tamen a BOSSVETO iam praeoccupata, & blandimentis eius delinita, ad ſacra romanae eccleſiae, quod diu iam animo agitauerat, ſe contulit. Huius itaque colloquii acta exponit BOSSVETVS, idque ea ratione, vt cauſſae ſimul ſuae pro viribus patrocinetur. Quod cum in IO. CLAVDII, immo totius eccleſiae reformatae dedecus vergeret; hic rurſus *reſponſionem* adornauit, *ad librum epiſcopi Meldenſis, qui inſcribitur: collatio cum Claudio miniſtro Charentonio; (reponſe au livre &c.)* Hagae Comitum anno 1683. 8. Vtriusque libri ſumma recenſetur in *actis erudit. Lipſienſibus an. 1683. menſ. Iun. p. 231. ſeqq. & an. 1684. menſ. Aug. p. 374. ſeqq.* Rurſus idem BOSSVETVS anno 1682 edidit *tractatum de communione ſub duabus ſpeciebus (traité de la communion ſous les deux eſpeces &c.)* in quo auctorem libri, *preſervatif* dicti, quem IVRIEVM eſſe, ſupra ſignificauimus, adgreditur; quamquam & LVTHERVM ſimul atque GEO. CALIXTVM impugnet. Sed & huncce BOSSVETI librum praeter IVRIEVM, LARROQVANVM, & anonymum quemdam refutauit IO. MELCHIORIS, theologus Herbornenſis, in *commentatione de ſanguine Chriſti euchariſtico*, Herbornae an. 1684. 4. Legendus PETRVS BAELIVS, *dans les nouvelles de la republ. des lettres an. 1684. menſ. April. p. 194.* Inter praecipuos quidem romanae eccleſiae errores iſte referendus, quo, laicis, quos vocant, ſub vna ſolum ſpecie euchariſtiam adminiſtrandam, contendunt. Sed non minor aut leuior is eſt, quem de miſſa fouent, quod ſit ſacrificium aliquod proprie ſic dictum, & quidem propitiatorium. Hunc errorem proteſtantes ex ipſis liturgiae formulis, ſiue canone, quem vocant, miſſae, oppugnare conſueuerunt. Fecit id iam pridem beatus LVTHERVS ipſe, in *libro de abominatione canonis miſſae*, anno 1523 ſcripto, quem ſupra commemorauimus. Ex reformatis eamdem viam ingreſſi ſunt praeter alios viri doctiſſimi EDM. ALBERTINVS & MATTH. LARROQVANVS. Et hos quidem in hocce argumento praecipue ſibi refutandos ſumſit BOSSVETVS, edito Pariſiis an. 1689 libro, qui inſcribitur: *Explicatio difficultatum quarumdam, in precationibus miſſae, ad nouitium quemdam catholicum directa; (explication de quelques difficultéz &c.*

Sed maiorem adhuc ſtrepitum excitauit eiusdem BOSSVETI *hiſtoria de variationibus eccleſiarum proteſtantium, (hiſtoire des variations des Egliſes proteſtantes)* quae Pariſiis an. 1688 duobus tomis in 12. prodiit. In ea enim quidquid potuit, conuectauit, vt probaret, proteſtantes in doctrina ſua incertos eſſe, nec ſibi ipſos conſtare, quin potius ſubinde ſententiam ſuam mutaſſe; idque ex ipſis illorum ſymbolis ac confeſſionibus publicis demonſtrare voluit. Sed pleraque, quae in hoc opere tractat, ἀλλότρια ſunt, parumque ad rem faciunt; & cum interdum ad caput cauſſae accedit, nihil minus probat, quam quod probare debebat. Ex reformatae itaque eccleſiae doctoribus IAC. BASNAGIVS illi oppoſuit *hiſtoire de la religion des Egliſes reformées &c. id eſt, hiſtoriam de religione eccleſiarum reformatarum, in qua ſucceſſio eccleſiarum illarum & perpetuitas fidei, maxime poſt ſaeculum octauum, dein inſtituta reformatio, & perſeuerantia in iisdem dogmatibus, a reformatione ad hoc vsque tempus demonſtratur; accedit hiſtoria de origine ac progreſſu*

greſſu praecipuorum errorum in eccleſia romana, reſponſi loco oppoſita hiſtoriae de variationibus eccleſiarum proteſtantium, a Iacobo Benigno Boſſueto epiſcopo Meldenſi editae; Roterodami an. 1690 duobus tomis in 8. Nec defuit ſibi BOSSVETVS, ſed an. 1691 *defenſionem hiſtoriae* ſuae *de variationibus contra reſponſum Baſnagii (defenſe de l' hiſtoire des variations &c.* in lucem emiſit. BASNAGIO autem hinc enata occaſio eſt, opus ampliſſimum, & exquiſita eruditione refertum, edendi, quod inſcriptum: *hiſtoria eccleſiae a nato Chriſto vsque ad hanc aetatem &c. (hiſtoire de l' Egliſe depuis Ieſus Chriſt iusq' a preſent &c.)* Roterodami an. 1699 duobus tomis fol. prodiit. BOSSVETO etiam ſuper hocce libro cum PETR. IVRIEO pugnandum fuit; quippe qui illud in *epiſtolis*, quas vocauit, *paſtoralibus*, acriter perſtrinxit. Hac namque cenſura irritatus BOSSVETVS euulgauit *primam admonitionem ad proteſtantes ſuper epiſtolis miniſtri Iurii, contra hiſtoriam de variationibus, chriſtianiſmum a Iurio eſſe corruptum, ſtabilitumque Socinianiſmum; (premier avertiſſement aux proteſtans ſur les lettres de miniſtre Iurieu &c.)* Pariſiis an. 1689. 4. Primam hancce *admonitionem* deinde *quinque* adhuc aliae ſequutae ſunt; quarum vltima ſeu ſexta an. 1691 lucem adſpexit. Atque hiſce aliisque ſcriptis contra eos, qui a romanae eccleſiae ſacris diſſentiunt, BOSSVETVS pugnauit. Neque tamen cum ſuae eccleſiae ſociis tam bene ſemper illi conuenit, quin quandoque manum cum illis conſereret. Acerrimum namque prae reliquis eum expertus eſt aduerſarium FRANC. SALIGNAC DE LA MOTTE-FENELON, archiepiſcopus Cameracenſis, Quietiſmi ab eo accuſatus. Praecipue hoc BOSSVETVS egit in *relatione de Quietiſmo* (*relation ſur le Quietiſme*) Bruxellis an. 1698 edita; cui archiepiſcopus Cameracenſis *reſponſionem* eodem adhuc anno oppoſuit, Bruxellis itidem, vt inſcriptio prae ſe fert, excuſam, & rurſus a BOSSVETO eodem anno refutatam in *animaduerſionibus in reſponſionem archiepiſcopi Cameracenſis (remarques ſur la reponſe a la relation ſur le Quietiſme)* Bruxellis itidem impreſſis. Sed plura in hoc genere a BOSSVETO & contra eum euulgata ſunt ſcripta, quae ſummatim recenſentur in *actis eruditorum Lipſienſibus an. 1699. menſe Mart. p. 132. ſeqq.* & *menſe April. p. 145. ſeqq.* De reliquis etiam ſcriptis polemicis, a nobis praetermiſſis, cum praecipua ſolum enarrare animus fuerit, conferre iuuabit LVD. ELL. DV PIN, in *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XVIII. p. 158. ſeqq.*

Non minor fere, quam BOSSVETI, recentiori aetate celebritas fuit ANT. ARNALDI; licet ob ſuſceptum Ianſeniſmi patrocinium non aeque felicia in eccleſia romana expertus ſit fata. Ea, quae pro eccleſiae ſuae defenſione contra reformatos ſcripſit, diligenter recenſet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theolog. litterariam notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad §. *VII. p. 90.* Eminet inter illa opus illud celeberrimum *de perpetuitate fidei eccleſiae catholicae intuitu eucharistiae &c.* (*la perpetuité de la foy de l' Egliſe catholique touchant l' Euchariſtie &c.*) IO. CLAVDIO primum, deinceps & aliis oppoſitum, cuius tamen maximam partem PETR. NICOLIO tribuendam, contendunt. Ex inſtituto, & copioſiſſime, de eodem agit LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XVIII. p. 110. ſeqq.* Non minus vero &, quem iam laudauimus, vir clariſſimus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS operis iſtius hiſtoriam tradit, in *diſſertat. anti-Rogeriana p. 8. ſeqq.* Speciatim & ARNALDO cum PETR. IVRIEO, notiſſimo illo re-

 for-

formatae eccleſiae theologo, res fuit. In lucem namque IVRIEVS emiſerat librum, *la politique du Clergé de France* inſcriptum, Hagae Comitum an. 1682. 12. cui cum ARNALDVS *apologiam pro catholicis &c. apologie pour les catholiques contre les fauſſetés, & les calumnies d' un livre intitulé, la politique du Clergé de France*, oppoſuiſſet; IVRIEVS edito libro: *l' Eſprit de Mr. Arnaud tiré de ſa conduite & des Ecrits tant de lui que de ſes diſciples &c.* Dauentriae an. 1684 duobus tomis in 8. finem certamini huic impoſuit. Nimirum, cum ARNALDVS nihil ad iſtum librum reſpondiſſet; id eodem IVRIEVS obtinuiſſe viſus eſt, quod Ieſuitae, & omnes aduerſarii ARNALDI omnibus ſuis ſcriptis atque libellis efficere non potuerunt. Enim vero reſpondere ARNALDVS, ſi PETR. BAELIO credimus, noluit, quod liber iſte IVRIEI calumniis, mendaciis, fictiſque narrationibus refertus, eoque vnice comparatus eſſet, vt ARNALDO inuidiam crearet, immo dedecus ac ignominiam attraheret. Lectu digna, quae hac de re diſſerit, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Arnaud. p. 366.* Recte omnino fecit ARNALDVS, quod nihil reſpondit; cum ſatius ſit, eiuſmodi ſcripta contemnere, quam refutare. Iſtud namque pugnandi genus, quo conuicia & obtrectationes, aut ſarcaſmi, in aduerſarium effunduntur, quantumuis & hodie frequentiſſimum, a moribus viri ſapientis & honeſti prorſus alienum eſſe, ipſa ratio quemuis condocere poteſt. Obſeruat porro PETR. BAELIVS, Ianſeniſtam quemdam librum huncce IVRIEI cum equo Troiano comparaſſe, qui id effecerit, quod tot fortiſſimi Graecorum duces militesque conſequi non potuerint; ſed addit, cum in equo Troiano milites fuerint, rectius comparationem proceſſuram, ſi liber iſte cum vaſis fictilibus contendatur, in quae Hannibal ſerpentes venenatos colligi iuſſit, iisque Eumenis claſſem in fugam coniecit, vt CORN. NEPOS auctor eſt, in *vita Hannibalis cap. X.* De libro ARNALDI *renuerſement de la morale de Ieſus Chriſt &c.* inſcripto, quo probare voluit, per doctrinam reformatorum de iuſtificatione totam doctrinam moralem euerti; & *apologia*, quam IVRIEVS eidem oppoſuit, iam ſupra dictum *libri* huius *II. cap. IV.* ad *§. VII.* cum de theologia morali verba faceremus. ARNALDO autem cum fidei ſuae ſociis, ſpeciatim Ieſuitis, acerrima interceſſere certamina, quibus primam occaſionem liber eius *de frequenti communione (de la frequente communion)* Pariſiis anno 1643. 8. praebuit. In eo namque libellum PETRI DE SESMAISON, Ieſuitae, de quaeſtione; *ſitne melius frequenter, quam raro ſacrae communionis in eucharistia participem fieri?* refellendum ſibi ſumſit. Frequentem enim communionem non ſolum ſingulis menſibus, ſed & ſingulis hebdomadibus inſtituendam, ita commendauerat Ieſuita, vt hac ratione omnibus, qui de vita, moribusque mutandis minime ſolliciti eſſent, facilior adhuc, quam hactenus factum, ad ſacram communionem aditus concederetur, ſimulque adeo hominibus perſuaderetur, frequentem illis prodeſſe communionem, ſi vel maxime de anima, a vitiorum ſordibus purganda, non laborarent. Qua quidem ratione cum, hominum mores ſatis iam corruptos magis adhuc corrumpi, ARNALDVS perſpiceret; probare voluit, id potius agendum, vt homines ad veram poenitentiam, ac vitae morumque correctionem, perducerentur, nec ad ſacram communionem admitterentur, niſi qui rite diſpoſiti ſalutarem inde parcipere poſſent fructum. Ad eccleſiae itaque emendationem, veteriſque diſciplinae reſtitutionem, haecce ſpectabat ARNALDI commentatio, cuius ſummam exhibet MELCH. LEYDECKERVS,

Digitized by Google

RVS, in *hiſtoria Ianſeniſmi part. II. lib. III. c. IX. p. 490.* Quantumuis autem plurimorum archiepiſcoporum, epiſcoporum, theologorum, elogiis munitus liber iſte ARNALDI prodiret; aliorum tamen cenſuras euitare non potuit; cumprimis Ieſuitis mirifice diſplicuit, qui, receptam in eccleſia romana praxin eodem vellicari, clamitabant. Calamum itaque contra eum ſtrinxerunt DION. PETAVIVS, in *tractatu de poenitentia publica & praeparatione ad communionem*, IAC. SIRMONDVS, in *hiſtoria poenitentiae publicae*, CAR. FRANC. D' ABRA DE RACONIS, epiſcopus Vaurenſis, FRANC. RENARDVS, aliique quam plurimi, quos magno numero laudat THOM. ITTIGIVS, in *diſſertat. de origine controuerſiae circa aequalem Petri & Pauli primatum &c.* in *heptade diſſertationum*, *adpendici diſſertationis de haereſiarchis aeui apoſtolici &c.* ſubnexa, *§. II. p. 402.* Summatim, quae aduerſariis ARNALDI in hocce eius opere diſplicuerint, ex libro, *remarques chretiennes & catholiques ſur le livre de la frequente communion* inſcripto, cuius auctorem nonnulli Condaeum principem eſſe ferunt, indicat MELCH. LEYDECKERVS, in *hiſtoria Ianſeniſmi part. II. lib. III. cap. X. p. 494. ſeqq.* Conſtitutum ARNALDO fuiſſe in hocce libro, SANCYRANI & IANSENII theologiam moralem circa euchariſtiam & poenitentiam amplius exponere, idem docet *l. c. cap. VIII. p. 487. ſeqq.* Inter reliqua, quae alios in eodem offenderant, & hoc fuit, quod in *praefat. §. VI.* cum exemplum Petri & Pauli adduxiſſet, quorum illum de lapſu ſuo admonitum non ſtatim veniam a Chriſto poſtulaſſe, ſed locum fundendis lacrimis quaeſiuiſſe, hunc vero paullo poſt baptiſmum ſuum in Arabiam ad deploranda ſua peccata ſeceſſiſſe, adſerit; mox ſubiungit, *duo haec eccleſiae capita* Petrum & Paulum inſigne nobis poenitentiae exemplum reliquiſſe. Quod cum receptae in eccleſia romana ſententiae, ſolum Petrum eccleſiae caput eſſe, repugnare videretur; monitus ea de re, tantum abeſt, vt ſententiam mutaret, vt potius ſcriptis quibusdam eamdem acriter propugnaret; quae, vti totius controuerſiae iſtius hiſtoriam, adcurate enarrat THOM. ITTIGIVS, *l. c. p. 403. ſeqq.* Ceterum, vt liber iſte *de frequenti communione* eo praecipue comparatus fuit, vt corruptam in hocce capite Ieſuitarum theologiam moralem corrigeret, & emendaret; ita ARNALDVS cum reliquis Ianſeniſtis id ſibi datum credidit, vt in aliis quoque moralem doctrinam a Ieſuitarum, recentiorumque quorumdam caſuiſtarum, corruptelis vindicaret, atque ad ſtrictiorem ſeuerioremque vitae rationem perduceret; eoque & alia eius ſcripta ſpectant. Huc & referre licet librum, qui inſcribitur: *morale pratique des Ieſuites*, & octo conſtat tomis in 12. Etſi enim, duorum priorum operis huius tomorum auctorem ſe eſſe, ARNALDVS neget; reliquos tamen, in quibus de factis quibusdam, ſpeciatim de controuerſia, quae Ieſuitis de cultu mortuorum & Confucii apud Chinenſes cum Dominicanis intercedit, agitur, ab eo profectos eſſe, dubio caret. Sed hac de re iam ſupra dictum, *libri huius II. cap. IV.* ad *§. X.* Ieſuitis porro oppoſita eſt eiusdem *noua haereſis in theologia morali denuntiata pontifici, epiſcopis, principibus, & magiſtratibus, (nouvelle hereſie dans la morale)* Coloniae 1689. 12. in qua dogma illorum de peccato philoſophico perſtringit; itemque, *ſecunda denuntiatio nouae haereſeos de peccato philoſophico (ſeconde denonciation &c.)* ibidem an. 1690. 12. porro: *haereſis impia aduerſus praeceptum de amando Deo; (hereſie impie)* itidem Coloniae an. 1690. 12. Mitto nunc reliqua, quae in cauſſa Ianſeniſtica contra Ieſuitas ſcripſit, quippe de

quibus alibi erit dicendi locus. Virum fuiſſe ARNALDVM ingenio praeſtantiſſimo, & eruditione exquiſita praeditum, negari nequit. Sed id cumprimis laudandum, quamquam hoc ei cum aliis Ianſeniſtis, certe quibusdam, commune ſit, quod de nonnullis ſacrae doctrinae capitibus longe rectius ſentiat, quam alii romanenſium, ſpeciatim Ieſuitae. Patet hoc & inde, quod verſiones ſcripturae ſacrae in linguas hodie vſitatas acriter defendat, eiusque lectionem omnibus concedendam, contendat vehementer. Hoc agit in libello *defenſe des verſions de l' Ecriture ſainte &c.* id eſt, *defenſio verſionum ſcripturae ſacrae, officiorum & patrum eccleſiae &c.* Coloniae an. 1688. 12. cuius ſumma exhibetur in *actis eruditorum Lipſienſibus an. 1689. menſ. April. p. 177. ſeqq.* Eamdem ob cauſſam, immo & ob alias, lectu prorſus dignae ſunt eiusdem *difficultates D. Steyarto theologo Louanienſi propoſitae &c. (difficultez propoſées a Mr. Steyart &c.)* Coloniae an. 1691. 12. In prima namque & ſecunda earum parte multa de corrupta per Ieſuitas theologia morali, deque abuſu frequentis communionis, deque inepto & inconſulto beatae virginis Mariae cultu, egregie diſſerit. Concionatores fuiſſe, narrat, qui publice declamauerint, ſi fatuae virgines, cum dicerent, *domine, domine, aperi nobis*, dixiſſent, *domina, domina*, impetraturas fuiſſe, vt portae aperirentur. In parte quarta contra MALLETVM, archidiaconum Rothomagenſem, aliosque, ſcripturae ſacrae lectionem laicis quoque permittendam, argumentis luculentiſſimis euincit. RICH. SIMONEM *part. V.* acriter perſtringit, vtpote qui, in Ieſuitarum gratiam, de lectione ſcripturae laicis non permittenda, multa commentatus ſit. Contra eumdem *part. VI.* diſputat, & quae is contra verſionem noui teſtamenti Montenſem, & contra cenſuram Louanienſium & Duacenſium theologorum aduerſus Ieſuitas, de inſpiratione librorum ſacrorum, in medium protulerat, refellit. Recenſetur hicce eius liber in *actis eruditorum Lipſienſibus anno 1692. menſ. Febr. p. 62. ſeqq.* & *menſe Mart. p. 129. ſeqq.* Certamen, quod ARNALDO cum MALEBRANCHIO de veris falſisque ideis interceſſit, cum ad philoſophiam ſpectet, huius loci non eſt. Propius ad noſtrum inſtitutum accedunt, quae inter vtrumque de natura & gratia diſputata ſunt. MALEBRANCHII enim ſyſtema impugnauit ARNALDVS, in *conſiderationibus philoſophicis & theologicis ad nouum ſyſtema de natura & gratia (reflexions philoſophiques &c.)* Coloniae 1685. 12. Quae MALEBRANCHIVS pro ſua cauſſa ſcripſerit, aliunde conſtat. Diutius enim nunc hiſce immorari non licet.

Ianſeniſtarum partibus, aeque ac ARNALDVS, addictus fuit PETR. NICOLIVS, vir ingenio, eloquentia & doctrina praeſtantiſſimus, & inter ſingularia Galliae ornamenta referendus. Opus illud celebertimum *de perpetuitate fidei eccleſiae catholicae intuitu euchariſtiae &c.* magnam partem illi tribuendum eſſe, antea iam obſeruauimus. Quae is contra reformatos ſcripſit, vt *praeiudicia legitima contra Caluiniſtas*, (*preiugez legitimes contre les Caluiniſtes*) itemque *reformatos, vt dici volunt, ſchiſmatis conuictos &c.* (*les pretendus reformés convaincu de ſchiſme &c.*) porro *tractatum de vnitate eccleſiae ſiue refutationem noui ſyſtematis Iuriei &c.* (*traité de l' vnité de l' Egliſe &c.*) recenſet CHR. MATT. PFAFFIVS, qui &, quae IO. CLAVDIVS, PETR. IVRIEVS, & CLAVD. PAION iterum illi oppoſuerint, commemorat, in *introd. in hiſtoriam theologiae litter. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad §. *VII. p. 92.* Ego ſolum addo, quae PETR. BAELIVS de hiſce NICOLII ſcriptis

ptis obſeruat, vtpote quae minime praetermittenda cenſeo. Ad priora enim duo quod attinet, non temere quemquam exſtitiſſe, fatetur, qui maiori ingenii vi obiectiones de ſchiſmate, & difficultates in via examinis occurrentes propoſuerit: prudentiores tamen iudicaſſe, ſatius fuiſſe, ſi iſta ſcripta in lucem non prodiiſſent. Praeterquam enim, quod parum aut nihil inde lucrentur romanenſes; ſiquidem omnia NICOLII argumenta in eos retorqueri queant; ſi obiectionibus eius diſſentientium reſponſiones iungantur, facile fieri poſſe, vt, qui ad Pyrrhoniſmum proni ſunt, nec indolem chriſtianae religionis ſatis perſpectam habent, in iſto errore ſuo confirmentur. Enim vero, ſi difficultates, quae eos premere videntur, qui per viam examinis, ſeu ſcripturae ſacrae lectionem, verique in ea ſenſus inueſtigationem, penes quam partem ſtet veritas, inquirunt, nimis exaggerentur, quod NICOLIVM feciſſe conſtat; longe rurſus maiores difficultates illis opponi queant, qui traditiones, aut conciliorum, aut eccleſiae, aut denique ipſius pontificis auctoritatem, ceu filum Ariadneum, quo ex omnium dubiorum Labyrintho emergant, eligunt, nihil aliud ſupereſt, quam vt plurimi ancipites haereant, cumque non inueniant, quorſum ſe conuertere debeant, in ſcepticiſmum tandem prolabantur. Atque huc romanenſium diſputationes, qua ſcripturae ſacrae labefactare auctoritatem adnituntur, ducere, non negabit, qui cuncta paullo adcuratius conſiderauerit. In tractatu *de vnitate eccleſiae* nihil omiſit, quo ingenii praeſtantiſſimi, & egregii diſputatoris laudem conſequi poſſet, ſatisque callide aduerſarium ſuum, ſeu PETR. IVRIEVM ex ea parte adgreſſus eſt, qua quam facillime vinci poterat. Sed cum praecipuas eius obiectiones contra viam auctoritatis ſilentio praetermiſerit; idque eum feciſſe, quod vim illarum non perſpiceret, minime credibile ſit; nihil aliud ſupereſt, quam vt concludamus, intellexiſſe eum, nihil ſolidi ad eas reſponderi poſſe, ſatiusque duxiſſe, iſtas non attingere, quam exiſtimationem ſuam in periculum adducere. Haec ſumma illorum eſt, quae fuſius copioſiusque ediſſerit PETR. BAELIVS, *diction. hiſtor. & crit. voc. Nicolle p. 2222. & ſeqq.* qui & reliqua eius ſcripta, ſpeciatim & quae in cauſſa Ianſeniſtica edidit, recenſet; de quibus adeo nihil addimus. Verſionem latinam *litterarum ad prouincialem*, quam NICOLIVS adornauit, & *adnotationes*, quas ſub WENDROCKII nomine addidit, ſupra iam commemorauimus. Reliquorum ſcriptorum polemicorum, gallica lingua concinnatorum, quorum ingens adhuc ſupereſt numerus, notitiam ſuppeditabit vir doctiſſimus CHR. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtoriam theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad *§. VII. p. 93. ſeqq.*

Ex Germanis noſtris vnicum adhuc adiungere liceat, quem eos, qui auctorum, romanae eccleſiae cauſſam agentium, notitiam ſibi comparare cupiunt, ignorare non decet. Is eſt GEORG. CHRIST. FERDIN. A RAESEWITZ, cuius vitam pariter ac ſcripta exhibet IO. FABRICIVS, theologus Helmſtadienſis, in *hiſtoria bibliothecae* ſuae *part. IV. p. 220. ſeqq.* Inter ſcripta eminet illud, quod ſub nomine ZEPHYRINI DE PACE edidit, quodue inſcribitur: *die noethige Wiederauffrichtung der erſten chriſtlichen Kirche, vorgeſtellet durch wohlgemeinte alt-chriſtliche Gedancken über das ſchon vor vielen Iahren ſchrifftlich herumgetragene, nachmals aber durch den Auctorem der ſogenandten aufgefangenen Brieffe in oeffentlichen Druck an. 1700. heraus gegebene proiect zur Vereinigung der catholiſchen vnd proteſtirenden Religion,* Brun-

Brunſwigae an. 1709. 4. Non minorem attentionem promeretur eiusdem *aufrichtiger Abriſs der wahren vnd ganzen catholiſchen Kirchen, wie man ſie mit Augen ſehen kan, nach den vnlaugbaren Acten der Chriſtenheit, nicht aber nach den leeren Concepten des menſchlichen Gehirns, zu rechtmaeſſiger Vertheidigung derſelben &c. entworffen von einem vornehmen vnd hochgelahrten Herrn von Adel*, Coloniae anno 1714. 4. Nondum noueram, RAESEWITZIVM huius libri auctorem eſſe, cum in diſſertatione: *iudicium beati Martini Lutheri de eccleſia romana expenſum & vindicatum* inſcripta, oſtenderem, fruſtra eum id egiſſe, vt ipſius LVTHERI effatis probaret, romanam eccleſiam veram eccleſiam eſſe. Ex ſola itaque libri lectione cum auctor eius mihi innotuiſſet; de eo ita tum pronuntiaui: *id res ipſa docet, virum eſſe eruditum, iudicio haud vulgari praeditum, candidum pariter ac cordatum, quippe qui defectus ac errores romanae eccleſiae, ſacrique ordinis virorum, qui in ea degunt, minime diſſimulat, ſed ingenue agnoſcit, & libere reprehendit;* §. *III. p. 3.* Nec eius me iudicii poenitet; quamuis capere nequeam, quo pacto vir, tot egregiis animi dotibus ornatus, & cui romanae eccleſiae corruptio tam probe cognita fuit, induci potuerit, vt, relicta noſtra, ad illam ſe conferret; quod eum feciſſe, conſtat. Vt autem vltimo illo ſcripto nobis parum nocuit; ita, an genuinis romanae eccleſiae filiis ſeſe probaturum ſit, valde dubito. Multa enim docet, quae cum recepta in illa eccleſia doctrina e diametro pugnant. Ipſum eccleſiae catholiciſmum ita deſcribit, vt aperte inde ſequatur, romanam eccleſiam catholicam dici non poſſe. *Catholicae* namque *eccleſiae* nomine, praeeunte VINCENTIO Lerinenſi, eccleſiam Chriſti vniuerſam per totum terrarum orbem diſperſam, ab apoſtolis plantatam, & ſub epiſcopis, hinc & ſub patriarchis conſtitutam, intelligit; *cap. I. p. 21.* Idcirco & grauiter illis iraſcitur, qui ſolam romanam eccleſiam pro catholica venditant; immo euidenter docet, non aliunde, quam ex nimio ſtudio, ſedis romanae praerogatiuas euehendi, & iura extendendi, hoc ortum, vt ſoli romanae, nomen catholicae eccleſiae tribueretur; *cap. II. p. 36.* Quam ſuam de eccleſia catholica vt eo rectius defendat ſententiam; chriſtianos orientales, etiam eos, qui Eutychianorum ac Neſtorianorum nomine veniunt, Graecos item atque Ruſſos, Aethiopesque, catholicae eccleſiae membra eſſe, acriter contendit, diſſenſumque, qui inter hoſce & romanam eccleſiam intercedit, minime fundamentalem eſſe, perſuadere, immo Neſtorianos ac Eutychianos nihil docere, quod reuera a doctrina catholica diſſentiat, euincere adnititur; *cap. II. p. 46. ſeqq.* Qua in re an multos habiturus ſit ſecum conſentientes; valde dubito. Atque ita cum de eccleſia catholica ſentiat; ſuam etiam de fide catholica ita explicat ſententiam, vt nullum dogma ceu catholicum admittat, niſi quod ſcripturae ſacrae teſtimonio, & perpetua totius eccleſiae catholicae, per vniuerſum orbem diſperſae, nitatur traditione; *cap. II. p. 24.* Dum autem ſecundum hancce regulam praecipua dogmata, quae catholica eſſe cenſet, exhibet; nonnulla iis admiſcet, quae & ſcripturae teſtimonio, & vniuerſali ac conſtanti traditione eccleſiae, deſtituuntur; iterumque alia, quae equidem & ſcripturae teſtimonio & eccleſiae, ſaltem purioris, nituntur conſenſu, ſed ab ipſa romana repudiantur eccleſia. Prioris generis ſunt, quae de ſacrificio incruento Chriſti in ſacra euchariſtia, de neceſſitate ordinationis per epiſcopum, de ſtatu perfectionis & vita monaſtica, de purgatorio, de inuocatione angelorum & ſanctorum, & quae alia ſunt

Digitized by Google

ſunt eiusdem commatis, adfert. Poſterioris generis illud cumprimis eſt, quod de ſacra euchariſtia, ſub vtraque ſpecie adminiſtranda, adſerit. Si enim dogma hoc eſt catholicum, quod ſcripturae teſtimonio & perpetua eccleſiae vniuerſalis traditione nititur; excuſari vtique romana eccleſia nequit, quod tam acriter euchariſtiae adminiſtrationem ſub vna ſpecie propugnat, calicemque laicis ſubtrahit. Sed haec iam obſeruaui in *diſſertat.* antea *citata §. IV. p. 5. 6.* Eſt vero liber iſte RAESEWITZII vel hoc nomine lectu dignus, quod plurima in eo occurrunt, quae romanenſibus, ſi cum iis nobis diſputandum ſit, opponere poſſumus. Cuiusmodi, praeter ea, quae iam indicauimus, ſunt loca haud pauca, in quibus errores & abuſus quosdam, apud eos regnantes, ingenue indicat, ac redarguit. Documento eſſe poſſunt, quae de *cultibus*, quos vocat, *ſecundariis, cap. III. p. 252.* de idololatrica veneratione, & inuocatione ſanctorum, *p. 254. ſeqq.* de imaginibus ſanctorum, & beatae virginis Mariae, iis praeſertim, quas miracula edere credunt, quarumue originem vt ab ethnicis ipſemet deriuat, ita ſuperſtitionem plus quam ethnicam circa eas in romana eccleſia receptam, fatetur, *p. 264. ſeqq.* aliisque eiusdem generis capitibus erudite & copioſe diſſerit. Haec vero aliaque, cum romanam eccleſiam manifeſtae idololatriae ream faciant, iureque ipſi pontifici & epiſcopis tribuantur, ſiquidem non tantum eccleſiam ab iſta ſuperſtitione & idololatria non purgant, quod illis non adeo difficile foret, ſed ipſimet eamdem fouent, promouentque; quis non miretur, auctorem, cui omnia iſta perſpecta fuerunt, ad hancce eccleſiam tranſire, aut in ea permanere potuiſſe?

Ceterum, dum RAESEWITZIVS meliorem romanae eccleſiae faciem eſſe aut cupit, aut optat, quam reuera eſt; occaſionem nobis praebet de illis dicendi, qui idem inſtitutum ſequuti ſunt, ſiue conciliare hac ratione romanam eccleſiam cum noſtra, ſiue incautis fucum faciendo, eos ad ſacra iſtius eccleſiae amplectenda, inducere voluerint. Eiusmodi enim ſcriptorum in theologia polemica vel maxime habenda eſt ratio. Nonnullos autem iam recenſuit IO. FRID. MAYERVS in *ſyllabo auctorum, qui Romam reconciliabilem ſtatuerunt*, quem IOS. HALLI *Romae irreconciliabili*, Gryphiswaldiae an. 1706. 8. recuſae, ſubiecit. Repetit ex iſto *ſyllabo* eosdem auctores, ſed vt plures alios adhuc addat, CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtoriam theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad *§. VII. p. 162. ſeqq.* Cum nobis nunc de iis ſolum ſermo ſit, qui ex romanenſibus hanc viam ingreſſi ſint; ex his praecipuos quosdam, & quos ignorare non decet, laudabimus. Primus autem forte locus hic tribuendus erit DESID. ERASMO Roterodamenſi, qui, vt alias ingenium ad pacem & concordiam ſatis pronum demonſtrauit, ita & commentationem quamdam in *pſalmum LXXXIV. de amabili eccleſiae concordia* conſcripſit, quae *tomo V. operum* eius *p. 469. ſeqq.* exſtat. Sane naeui & errores romanae eccleſiae viro huic eruditiſſimo ſatis perſpecti fuerunt; nec tamen vmquam, vt eam deſereret, animum inducere potuit, hinc concordiam & pacem optauit. *Perpetua haec eius ſententia fuit*, inquit IO. ALB. FABRICIVS, *eccleſiam & mores magna emendatione indigere; ſed in hoc eum fefellit animus, quod, lenibus remediis hoc peragi poſſe, exiſtimabat, & quod illam emendationem exſpectabat a pontifice. Sed & hoc palam prae ſe fert Eraſmus, concordiam ſe amare vnice, & ab eccleſia romana nullo modo ſe velle diſiungi;* in *exercitat. de religione Eraſmi, cap. II. §. VII.*

VII. p. 32. Sed de ERASMO alibi forte plura. GEORG. CASSANDER vel ideo hic commemorandus eſt, quod a Ferdinando I, & Maximiliano II, imperatoribus ad componendas romanenſes inter & proteſtantes controuerſias, euocatus eſſet; quod cum praeſens, morbo quippe impeditus, efficere non poſſet; *conſultationem* illam *de articulis religionis inter catholicos & proteſtantes controuerſis* edidit. Ductum in ea ſequitur Auguſtanae confeſſionis, cuius & ſingulos articulos perpendit, vt libere, quid in iis ſibi placeat, aut diſpliceat, profiteatur; hinc & interdum noſtrae, interdum romanae eccleſiae ſententiam calculo ſuo adprobat; quo nomine & ſupra iam mentionem eius fecimus, *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *XI.* Exſtat haecce conſultatio in operibus CASSANDRI, Pariſiis anno 1616. fol. euulgatis *p. 893. ſeqq.* & ſeorſim quoque tum alias, tum & cum GEORG. WICELII *via regia*, edita ab HERM. CONRINGIO, Helmſtadii an. 1659. 4. lectuque digna eſt, cum vir iſte antiquitatis eccleſiaſticae minime imperitus, ex eadem varia ſuppeditet, quae contra romanenſes nobis vſui eſſe queant. HVG. GROTIVM *adnotata* ad hancce CASSANDRI *conſultationem* ſcripſiſſe, conſtat: nec mirum; cum & ille pacis & concordiae eccleſiaſticae ſtudium ita amplexus ſit, vt, quod plerumque fieri ſolet, ad religionum vsque ἀδιαφορίαν proceſſerit: vnde & ANDR. RIVETVS *neceſſarias animaduerſiones* ad iſta *adnotata* concinnauit, quibuscum ipſa iſta *adnotata* lucem adſpexerunt Lugduni Batauorum anno 1642. 8. Hiſce RIVETI *animaduerſionibus* cum HVGO GROTIVS alias *animaduerſiones pro ſuis notis ad conſultationem Georgii Caſſandri* oppoſuiſſet; RIVETVS iterum *examen animaduerſionum Hugonis Grotii &c.* in lucem emiſit, cum ipſius GROTII *animaduerſionibus* excuſum Lugduni Batauorum itidem an. 1642. 8. Additus eidem *examini* eſt *prodromus aduerſus calumnias Theophili Bracheti Milleterii.* Nimirum & THEOPHILVS hicce BRACHETVS DE MILLETIERE inter eos referendus eſt, qui romanam eccleſiam cum proteſtantium, ſpeciatim cum reformata, conciliare voluerunt; quamuis nec pontificiorum hoc ipſo impetrauerit gratiam, nec ſuae partis hominibus ſeu reformatis, placuerit, a quibus omnino in ſynodo Carentonenſi ab eccleſiae iſtius communione fuit remotus, vt IO. FRID. MAYERVS docet, *l. c. p. 56.* vbi quod de ſynodo Carentonenſi dicit, de ea, quae circa finem anni 1644, & initium 1645, ibi congregata fuit, intelligendum eſt. In eadem ſynodo eamdem ob cauſſam etiam damnatus fuit PHIL. CODVRCVS, paſtor & profeſſor Nemauſenſis. Cuncta autem, quae tum cum MILLETERIO, tum cum CODVRCO, ibidem acta ſunt, adcurate exponit THOM. ITTIGIVS, in *diſſertatione de ſynodi Carentonenſis a reformatis in Gallia eccleſiis anno 1631 celebratae indulgentia &c.* §. *XI.* Conferendus & IO. AYMON, *dans tous les ſynodes nationaux des Egliſes reformées de France &c. tom. II. ſynodo XXVIII. cap. XV. p. 683.* Ad calumniam autem MILLETERII quod attinet, quam RIVETVS in *prodromo* refellit, hanc fuiſſe perhibet, quod MILLETERIVS adſeruiſſet, RIVETVM, cum in Gallia adhuc eſſet, non alienum a conciliatione romanae eccleſiae ac reformatae futurum fuiſſe, ſi modo illi in aures inſuſurratum fuiſſet: *tibi dabo &c.* PETR. DAN. HVETIVS, dum ſcriptorum ab vtroque, HVG. GROTIO, & ANDR. RIVETO, in hac cauſſa editorum, meminit, in illo modeſtiam laudat, in hoc autem aſperitatem & faſtum paedagogicum vituperat, notatque, etſi GROTIVS non nominauerit RIVETVM, perquam tamen apte & lepide hiſce deſignaſſe CATVLLI vocibus:

vocibus: *aduerſus quemdam, opaca quem facit bonum barba.* Interim auctoritate ſua effeciſſe RIVETVM, putat, vt deinde poſt GROTIVM pauci de vnione vtriusque eccleſiae romanae & reformatae fuerint ſolliciti; in *Huetianis §. XVI. pag. 47.* vbi & de ſuis conſiliis henoticis diſſerit, cauſſamque, cur effectu caruerint, exponit. Ad CASSANDRVM vt reuertamur, is praeter *conſultationem* antea memoratam, aliam adhuc conſcripſit *de communione chriſtiani populi in vtraque panis & vini ſpecie*, in qua reſtitutionem calicis pro laicis & non conficientibus ſuadet. Immo & huc ſpectat eiusdem liber *de officio pii, ac publicae tranquillitatis vere amantis viri, in religionis negotio*; quem IOANNES LATERMANNVS *adnotationibus* ſuis illuſtrauit. Is vero cum initio ἀνωνύμως prodiiſſet, IOAN. CALVINVS, cum FRANC. BALDVINI, qui a reformatis ad romanenſium caſtra tranſierat, eſſe, exiſtimans, magna animi acerbitate ac vehementia illum refutauit, in *reſponſione ad verſipellem quemdam mediatorem, qui pacificandi ſpecie rectum euangelii curſum in Gallia abrumpere molitus eſt*; cui non minori ferocia obuiam iuit BALDVINVS in *commentario ad leges de famoſis libellis & de calumniatoribus.* Sed aliis adhuc idem certamen continuatum eſt ſcriptis, de quibus in ſequentibus dicemus; interim de iis legiſſe iuuabit PETR. BAELIVM, in *diction, hiſt. & crit. voc. Baudouin tom. I. p. 513.* Spectator quidem huius pugnae poterat eſſe CASSANDER: ipſe nihilominus itidem ſub VERANII MODESTI Pacimontani nomine *defenſionem traditionum veteris eccleſiae & ſanctorum patrum aduerſus Ioan. Caluini criminationes* in lucem emiſit. Sed plura de CASSANDRO & eius ſcriptis dabit IOAN. FABRICIVS, theologus Helmſtadienſis, in *hiſtoria bibliothecae ſuae part. I. p. 377. ſqq.*

Eodem, quo CASSANDER, tempore vixit, idemque ſaxum voluit GEO. WICELIVS, qui, cum DESID. ERASMI Roterodamenſis diſcipulus eſſet, initio ad noſtram eccleſiam acceſſit; at poſtea, ea relicta, ad romanam tranſiit, ſed ita, vt non deſineret, varios eius naeuos ac errores improbare; ſimulque vtriusque conciliationem quaereret. Praeter *viam* eius *regiam*, ſiue *de controuerſis religionis capitibus conciliandis ſententiam*, quam cum CASSANDRI *conſultatione* ab HERM. CONRINGIO editam, antea diximus, huc & comparatus eſt eiusdem *elenchus abuſuum, corruptelarum, deformitatum, vitiorum & deliquiorum praecipuorum in eccleſia romana*, itemque *via pacis inter diſcordias eccleſiae* & alia. Praeter IO. FABRICIVM, *biblioth. Fabric. part. II. p. 231. & 32.* vt & *part. IV. p. 195. ſeqq.* eosque, qui ibi laudantur, de WICELIO eiusque ſcriptis, itemque illis, qui eum refutarunt, legendus IO. GEO. BERTRAM, in *der Reformations- vnd Kirchen-Hiſtorie der Stadt Lüneburg part. II. cap. II. pag. 93. ſeqq.* AVG. GIBBONEM DE BVRGO, Hibernum, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, eumdemque theologiae profeſſorem Erffurtenſem, ſupra iam commemorauimus, cum *theologiam ſcholaſticam in Thomam*, ab eo ſcriptam indicaremus, vbi ſimul, eum ob *Luthero-Caluiniſmum ſchiſmaticum quidem, ſed reconciliabilem*, notiorem eſſe, ſignificauimus; *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XV.* Atque ob vltimum hocce ſcriptum, quod Erfurti an. 1663. 4. prodiit, locum hic ſibi vindicat. Quod nemo ex inſtituto iſtud refutauerit, id inde factum, IO. FRID. MAYERVS innuit, quod tanti viſum non fuerit, in quo conuellendo operam & tempus rectius collocandum aliquis conſumeret, *l. c. p. 26.* Quaedam tamen ex iſto opere perſtrinxit, ſolideque profligauit, beatus IO. MVSAEVS noſter, in *tractatu de eccleſia*, ſuo loco iam laudato. Nimirum, dum AVGVSTINVS iſte GIBBON *Lutheraniſmum ſchiſmaticum* eſſe voluit, vt ipſa libri inſcriptio docet; id ope-

roſe ſimul egit, quod & alias romanenſibus ſollemne eſt, vt ſchiſmatis culpam ab eccleſia romana in proteſtantes deuolueret. Idque vt euinceret, romanam eccleſiam ſchiſmatis ream non eſſe, ex eo demonſtrare adniſus eſt, quod ab vnitate prioris eccleſiae non receſſerit, nec altare contra eius altare erexerit. At vero hoc ipſum eſt, quod copioſe & diligenter refellit MVSAEVS, *l. c. part. II. diſp. IV. p. 309. ſeqq.* Conferenda &, quae *diſp. II. p. 124. ſeqq.* fuſe contra eumdem GIBBONEM diſputat. IO. FRID. MAYERVS, iis, qui Romam reconciliabilem ſtatuerunt, etiam adnumerat MARC. ANT. DE DOMINIS, vel ob fata, quae ſubiit, aut quorum ipſemet ſibi auctor exſtitit, omnibus notiſſimum. *Libros* namque *decem de republica eccleſiaſtica*, quos reliquit, *pandectas ſyncretiſmi* vocat, eorumque ſummam eo redire pronuntiat: *ſymbolum apoſtolicum complecti fundamentum articulorum fundamentalium; pontificios, Lutheri & Caluini diſcretos ſectatores conuenire circa ſacratiſſimum euchariſtiae ſacramentum &c. dogmata fidei eſſentialia eſſe ex omni parte eadem &c.* in *ſyllabo ſcriptor. qui Romam reconciliabilem voluerunt, p. 40.* Cum autem praecipuus archiepiſcopi huius Spalatenſis ſcopus fuerit, de hierarchia eccleſiaſtica agere, atque formam regiminis eccleſiaſtici monarchicam, quam genuini romanae eccleſiae filii defendunt, impugnare; iam alibi de hocce eius opere dictum eſt ex inſtituto. IAC. MASENII Ieſuitae, nec in eorum, qui litteras humaniores colunt, nec in theologorum ſcholis adeo ignotum nomen. Et horum quidem attentionem ſtudiumque ſcripta eius quaedam, quibus, pacem & concordiam ſe ſancire velle, profeſſus eſt, merito excitarunt. Inter ea eſt *meditata* eius *concordia proteſtantium cum catholicis in vna confeſſione fidei ex ſacra ſcriptura*, Coloniae 1661. 8. Oſtendere nimirum voluit, quaecumque romana eccleſia docet, etiam ſecundum mentem ſententiamque concilii Tridentini, claris & euidentibus ſcripturae ſacrae teſtimoniis comprobari poſſe; quod aliter efficere non potuit, quam vt ſcripturae, quae cumulauit, dictis ſenſum plane alienum adfingeret, aut talia adſereret, ex quibus nihil minus, quam quod voluit, conſequitur. Conticere inſuper illum iubent alii, eidem eccleſiae addicti, qui, cum probe intelligant, inferiores ſe ex hoc certamine diſceſſuros, ſi ſolis ſcripturae effatis, teſtimoniisque ſtandum eſſet; in traditione & eccleſiae auctoritate omne cauſſae praeſidium collocant. Refutarunt *meditatam* hancce *concordiam* praeter alios ANTON. GVNTH. FRITZIVS, iure conſultus Gryphiswaldenſis, in *conſideratione ad Maſenii meditatam concordiam*, itemque IO. THOMAE ſiue THOMASIVS, cancellarius Saxo-Altenburgenſis, in *confeſſione fidei orthodoxa, confeſſioni Iacobi Maſenii oppoſita*; & ex theologis beatus IO. MVSAEVS noſter, in *diſputationibus theologicis, quibus fundamentum concordiae meditatae Maſenianae excutitur*, quas & ſupra iam commemorauimus. Non diu autem poſt primum iſtud tentamen MASENIVS prodire in lucem iuſſit *nouam praxin orthodoxae fidei, intra octidui exercitationem ſacram, diſcernendae & amplectendae.* In ea vero dum, in ſola ſcriptura ſacra non eſſe ſubſiſtendum, fatetur, idque ob multiplicitatem ſenſus, qui ab ea non ſit definitus; dumque adeo, ad veteris eccleſiae ſententiam confugere, tutiſſimum putat; ipſemet vanam ſuam iactantiam prodidit, dum in priori libro dogmatum, quae romana eccleſia adprobat, demonſtrationem ex ſola ſcriptura ſacra pollicitus eſt. Sed *nouae* quoque huius *praxeos* vanitatem omnium oculis expoſuit SAM. BENED. CARPZOVIVS, in *examine nouae praxeos a Ioan. Maſenio propoſitae.* Conferendus de hiſce IO. GEO. NEVMANNVS *de methodo Auguſtiniana* §. *XV.* Referri porro ad iſtos, de quibus hic loquimur,

mur, ſcriptores ſolet IAC. BENIGN. BOSSVETVS. Etſi enim conciliationem vtriusque eccleſiae non quaeſiuerit; id tamen egit, vt dogmata eccleſiae romanae ad decipiendos incautos emolliret, & meliorem iis conciliaret faciem. Eſtque id de pleriſque, de quibus diximus, obſeruandum, eos vtriusque eccleſiae conciliationem non aliter quaerere, quam vt proteſtantes a romanenſibus abſorbeantur, vel variis fallaciarum generibus, vt ad horum iterum caſtra transeant, inducantur. Sed de BOSSVETO ſupra iam, quantum ſatis eſt, diximus. Ad IOANNEM potius DEZIVM, Ieſuitam Argentoratenſem, nos conuertimus, qui locum hic ſibi depoſcit, ob librum: *la reunion des proteſtans de Strasbourg a l' Egliſe Romaine* inſcriptum, editumque Argentorati an. 1689. 8. In eo namque id agit, vt nobis perſuadeat, in romana eccleſia ea omnia doceri, quae in Auguſtana confeſſione continentur. Quod ſi verum eſſet, haud difficilis videri poſſet conciliatio. Hanc vero iterum non quaerit DEZIVS, ſed potius, vt ſine mora romanae eccleſiae nos ſubmittamus imperio. Refutarunt eum GEO. HENR. HAEBERLINVS, VALENT. ALBERTI, IO. FAVSTIVS, IO. FECHTIVS, HECT. GOTTFR. MASIVS, PHIL. IAC. SPENERVS, quorum ſcripta recenſet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata*, *part. II. lib. III.* ad §. *VII. p. 160.* De ipſo DEZIO etiam legendus CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introduct. in memorabilia eccleſiaſtica hiſtoriae ſacrae noui teſtam. part. poſter. ſaec. XVII. pag. 430.* Reliqua, quae de eiusmodi ſcriptoribus dici poſſent, cum viri doctiſſimi, anteaque laudati, IO. FRID. MAYERVS, & CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, iam exhauſerint, nihil amplius addimus.

Nonnulli ex iis, quos commemorauimus, ad methodorum artifices, ſeu eos, qui, nouam methodum, conuertendi haereticos, ſe inueniſſe, iactitant, referri ſolent. Nec vltimo ſane inter iſtas methodos, ſeu μεθοδείας, ponenda loco, fallacia iſta, qua illi, qui, nihil aliud quam pacem, concordiam, conciliationem crepantes, faciem romanae eccleſiae, quae proteſtantibus etiam placere queat, fingunt, incautos, rerumque ſuarum incurios, opprimere adnituntur. Superſunt tamen adhuc alii, qui alias fallendi artes excogitarunt, & ideo inter methodorum architectos famam quamdam ac celebritatem conſequuti ſunt. Quos licet IO. GEO. NEVMANNVS, in *diſſertatione* antea iam laudata, de *methodo Auguſtiniana contra Walenburchios*, enarrauerit; nihil tamen obſtat, quo minus praecipuos ex iis indicemus. Non ignotum eſt IO. CONTIERII, ſiue, vt alii vocant, GONTIERII, nomen ob colloquium Durlacenum, anno 1612 inſtitutum; cui interfuit. Inter conditiones autem iſtius colloquii, a romanenſibus praeſcriptas, & haec fuit: *proferenda erunt pura ſcripturae ſacrae teſtimonia, quae pontificias condemnent propoſitiones*, *contrariasque his ſubſtituant*, *ſine aliorum diſcurſuum immixtione;* qua hoc ſignificabant, onere probandi in proteſtantes deuoluto, nullum illis conſequentiarum vſum concedendum, adeoque, niſi cauſſa cadere velint, oſtendendum illis, propoſitiones ſeu dogmata pontificiorum, quae admittere nolunt, diſertis ſcripturae ſacrae verbis damnari. Conferendus de iſto colloquio IO. LVD. HARTMANNVS, in *conciliis illuſtratis tomo IV. p. 766. ſeqq.* Iſtam vero ſententiam ſuam, ſummam nouae iſtius methodi complectentem, CONTIERIVS deinde expoſuit in libro, *vera ratio terminandi de religione controuerſias* inſcripto, cui THOM. WEGELINVS, Durlacenſis primum, deinde Argentoratenſis theologus, qui colloquio iſti Durlaceno interfuerat, *iudicium de nouo Ieſuitarum contra omnes haereſes amuleto* oppoſuit, quod eius-

dem *verae & authenticae relationi de diſcurſu theologico inter Georgium Fridericum, marchionem Badenſem, & Franciſcum ducem Lotharingiae, Durlaci inſtituto*, additum eſt, Tubingae 1613. 4. Spectat huc & eiusdem *tropaeum Auguſtinianum de ſacra ſcriptura fidei principio &c.* Argentorati 1614. 4. Eamdem, quam CONTIERIVS, viam ingreſſus eſt FRANC. VERONIVS, ex Ieſuitarum ſocietate, qui maiorem adhuc methodo iſti conciliauit celebritatem, vt paſſim *Veroniana* dicatur. Lucem adſpexit *methodus* eius *tractandi controuerſias religionis (methode de traiter les controuerſes de la religion)* Pariſiis 1688, duobus tomis in fol. Scripſit praeterea *regulam generalem fidei catholicae, (regle generale de la foy catholique)* anno 1645 editam, quam mirifice commendat RICH. SIMON, qui & obſeruat, libere fateri VERONIVM, in ROB. BELLARMINI *tomis controuerſiarum*, ſimilibusque magnis voluminibus, inutilia fere, & parum ad rem facientia, contineri. Obſeruat idem, principia praeſtantiſſima, quibus liber hicce refertus ſit, RICHELIO cardinali tribuenda eſſe, qui VERONIO ſolum ceu inſtrumento vſus ſit; *lettres choiſies, let. XXX. p. 212. 213.* *Compendium regulae fidei catholicae Veronianae, ad oſtendendum, quae ſint, quaeue non ſint de fide catholica*, GVIL. FORBESII *conſiderationibus controuerſiarum* ſubiunxit IO. FABRICIVS, theologus Helmſtadienſis clariſſimus, Helmſtadii, anno 1704. 8. Auctor *compendii* huius praeſul quidam eccleſiae romanae eſſe dicitur (NIC. A ZIZWIZ) de ipſa autem *regula* VERONII, ex qua iſtud confectum, adſeritur, adprobatam eam fuiſſe a toto clero gallicano, immo & tacite a tota eccleſia romana, quia auctor non ſui cerebri placita adferat, ſed concilium Tridentinum pro norma habeat, idque preſſe ſequatur, adeoque non agnoſcat pro articulo fidei, quod ab illo pro tali non proponatur. Sed vt ad methodum VERONII reuertamur, cum is itidem conſequentiarum vſum proteſtantibus denegaſſet, adfirmaſſetque, reformatos, ſi quid contra pontificios adſerant, quod totidem velut verbis in ſcriptura ſacra non exſtat, promiſſis non ſtare, ſed deficere a ſolo puroque Dei verbo, ad quod ſe publica confeſſione adſtrinxerint; NIC. VEDELIVS ſuarum duxit eſſe partium, haecce, aliaque, quae reformatis obiiciebantur, repellere, & eccleſiae ſuae cauſſam agere; id quod & in *rationali*, quod vocat, *theologico, ſeu de neceſſitate & vero vſu principiorum rationis in argumentis theologicis, libris III*, Geneuae 1628. 8. praeſtitit. Cum vero fundamentum nouae iſtius methodi in eo quaereret, quod principiis rationis in controuerſiis theologicis locus non concederetur, idque primum a noſtrae eccleſiae theologis factum contenderet, cum de praeſentia corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra coena, itemque de perſona Chriſti contra reformatos diſputarent; occaſio hinc data eſt beato IO. MVSAEO noſtro, librum prorſus egregium, *de vſu principiorum rationis & philoſophiae in controuerſiis theologicis contra Nicolaum Vedelium* conſcribendi, de quo iam ſupra diximus. Contra VEDELIVM vero etiam calamum ſtrinxit BARTH. NIHVSIVS, qui cum noſtrae olim eccleſiae addictus, in Helmſtadienſi academia litterarum ſtudiis operam nauaſſet, deinde transfuga factus, romanae eccleſiae ſacra amplexus eſt. *Moroſophum* namque edidit *Vedelium in ſuo rationali prorſus irrationali.* Immo, ne inter methodorum artifices vltimo collocaretur loco, *artem* quoque *nouam* in lucem emiſit, *dicto ſacrae ſcripturae vnico lucrandi pontificios plurimos in partes Lutheranorum, detectam nonnihil & ſuggeſtam theologis Helmſtadienſibus, Georgio Calixto praeſertim & Conrado Horneio &c.* Hildesheimii an. 1632. 4. Per ironiam nimirum dicit, hac arte noſtrates plurimos ex pontificiis lucrari poſſe, & qui-

quidem vnico dicto, ſi abſque vllo conſequentiarum vſu, eodem totidem verbis probetur, dogma aliquod ex iis, quae non admittimus, in ſcriptura damnari, & ceu erroneum reiici. Cum etiam NIHVSIVS prae ſe ferret, ſe eiuſmodi quid a theologis Helmſtadienſibus, ſpeciatim a GEORG. CALIXTO, didiciſſe; hic eo magis id ſibi datum credidit, vt ſcriptum iſtud refutaret; quod & praeſtitit in *digreſſione de arte noua, quam nuper commentus eſt Bartholdus Nihuſius*, quam *epitomae* ſuae *theologiae moralis*, Helmſtadii an. 1634 euulgatae, ſubiecit. Seorſim deinceps *digreſſio* haecce, ſeu *tractatus de arte noua*, prodiit Francofurti 1652. 4. Dum autem CALIXTVS obſeruat, NIHVSIVM non fuiſſe primum, qui eiuſmodi quid commentus ſit; eos, qui ante eum nouas methodos, haereticos per compendium conuertendi aut conuincendi, excogitarunt, recenſet; *p. 125. ſeqq.* Quae vt hiſtoriae litterariae iſtarum methodorum lucem adfundere poſſunt; ita addere iuuabit, quae ad huncce CALIXTI locum monet PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Nihuſius p. 2233.* Adſeruerat NIC. VEDELIVS, IAC. PERRONIVM cardinalem Ieſuitis hic praeiuiſſe, & nouam eam defendendae rei pontificiae artem ſuggeſſiſſe. Sed repugnat CALIXTVS. *A me tamen*, inquit, *impetrare non poſſum, vt a viro, quem ingenio & iudicio valuiſſe ſcio, artem, in qua ingenii & iudicii nihil deprehendo, profectam aut probatam fuiſſe credam. Educatus quidem apud reformatos, opes & dignitates, quarum inter hos conſequendarum copiam non eſſe facile intelligebat, ad pontificios transiens, indeptus eſt, epiſcopatum videlicet Ebroicenſem, archiepiſcopatum Senonenſem, cardinalatum: laudem tamen moderationis, quae in transfugis oppido rara, cum eruditione coniunxit p. 129.* Summa artis Nihuſianae, vt idem CALIXTVS oſtendit *p. 159.* eo redit, probationem omnium eorum, quae pontificii docent, ab iis declinandam, cum in poſſeſſione ſint, & ſe titulo praeſcriptionis tueri queant; quae autem a proteſtantibus adfirmentur, aut quae ipſi contra pontificios negent, ex ſola ſcriptura ſacra, & quidem ipſis eius verbis, demonſtranda. Laudatur hocce CALIXTI opus ab HVGONE GROTIO. *Bartholdo*, inquit, *Nihuſio de noua illa, qua diſſentientes impetit via erudite & prudenter reſpondit Calixtus libro de arte noua, quem ſubiunxit libro de theologia morali; ep. CCCXXXIX. part. I. p. 122.* Non abs re fuerit; ſummam apoſtatae huius dicamne impudentiam, an impietatem? notare, dum ad obiectionem CALIXTI, non eſſe probabile, nec diuinae prouidentiae, quae ſuauiter omnia diſponat ac gubernet, conſentaneum, certitudinem vniuerſae doctrinae, quae ad pietatem Deique cultum faciat, ab auctoritate & arbitrio hominum impiorum & flagitioſorum, quales aliquando integris ſaeculis romani pontifices fuerint, ſuſpendere, reſpondere auſus eſt, *ſcripturam conditam a meris hominibus, & partim aperte, vt erat Dauid, partim forſan etiam occulte facinoroſis;* apud CALIXTVM *l. c. p. 20.* Non luculentius, quam nulla ſcripturae ſacrae tangeretur veneratione, teſtari poterat. Lectu prorſus digna, quae hac de re differit PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Nihuſius p. 2232.* qui & ibidem tum vitam, tum reliqua Nihuſii ſcripta, enarrat. Sequuntur inter methodorum magiſtros ADRIANVS, & PETR. DE WALENBVRCH, fratres Roterodamo-Bataui, reformatae religionis, in qua educati fuerant, deſertores; quorum ille deinceps epiſcopus Adrianopolitanus, & ſuffraganeus electoris Moguntini, hic autem epiſcopus Myſienſis, & ſuffraganeus Colonienſis factus eſt. Haud ignotum illorum in theologia polemica nomen eſt; quin immo, ſi ADR. BAILLETO credimus, non minori zelo, quam ipſe ROB. BELLARMINVS, fidem catholicam contra romanae

eccleſiae aduerſarios defenderunt; *des ſatyres perſonelles &c. tom. I. p. 268.* Scripta illorum, quorum haud exiguus eſt numerus, quaeue maximam partem ad theologiam polemicam ſpectant, iunctim prodierunt Coloniae an. 1669 & 70, duobus voluminibus in fol. quorum alterum tractatus generales de controuerſiis fidei, alterum ſpeciales complectitur. Huius cumprimis loci eſt eorum *methodus Auguſtiniana*, quae an. 1645 primum lucem adſpexit, & in qua FRANCISCI praecipue VERONII veſtigia premunt. Omnia eo redeunt: Romanenſibus hoc ſolum agendum, vt ſe defendant, cum ii adcuſati ſint, proteſtantes autem vt adcuſatores ſpectandos; cumque etiam in diuturna doctrinae ſuae poſſeſſione verſentur, adeoque iure tituloque praeſcriptionis ſe tueri queant; probationis porro onus vnice in proteſtantes eſſe deuoluendum, vtpote qui adcuſatores ſint, quorum ſemper ſit, ea, quae reo vel adcuſato obiiciunt, probare; probationem denique ex ſola ſcriptura ſacra, ſine conſequentiarum vſu, inſtituendam eſſe. Hoc peculiare habere videntur, quod perſuadere nobis volunt, ipſum AVGVSTINVM hacce methodo vſum; qua de re iam ſupra dictum, cum de hocce Hipponenſium praeſule verba faceremus. Scripta WALENBVRCHIORVM recenſet IOAN. FABRICIVS, *hiſtor. biblioth.* ſuae *part. II. p. 127. ſeqq.* qui & eos, qui contra WALENBVRCHIOS ſcripſerunt, indicat *pag. 130.* de quibus quoque conferre iuuabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM, in *introduct. in hiſtor. theologiae litterariae notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad §. *VII. p. 114.* De PETRI HABERKORNII, & IOSVAE ARNDII, *anti-Walenburchiis* more ſuo differit ADR. BAILLETVS, *l. c. p. 269.* Nec omittendus hic VALERIANVS MAGNVS, Capucinus, qui ex ſtudio ſingulari, res proteſtantium imminuendi, nomen aliquod apud ſuos indeptus eſt. Atque ad ſcripta quidem eius quod attinet, praeter *methodum reuocandi acatholicos ad eccleſiam catholicam*, aliaque eiusdem generis, hic cumprimis in cenſum venit eiusdem *iudicium de acatholicorum*, itemque *de catholicorum regula credendi*, quae initio ſeorſim, deinde coniunctim Coloniae an. 1641. 4. prodierunt. Noua eius, quam inueniſſe ſibi viſus eſt, methodus, in eo praecipue conſiſtit, quod cuncta, quae inter nos & romanenſes diſputantur, ad articulum de eccleſia reuocari poſſe, exiſtimat; in eo nimirum vtrosque conuenire, arbitratur, verbum Dei ſcriptum certum eſſe, ac omnis erroris expers, quo adeo & vnice ſtandum ſit; verumque eius ſenſum a ſpiritus ſancti illuminatione exſpectandum eſſe. Id itaque ſolum ſupereſſe, vtrum eccleſiae, cuius caput ſit romanus pontifex, an ſingulis hominibus, qui ad ſcripturae ſacrae lectionem accedunt, Deus hanc ſpiritus ſancti gratiam ſit impertiturus? Prius cum poſitum extra controuerſiam putet; eccleſiae quoque hoc eſt, pontificis vocem, audiendam ſequendamque eſſe, inde concludit. Refutarunt hocce VAL. MAGNI δόγμα IO. MAIOR, theologus Ienenſis, *in iudicio de acatholicorum regula credendi caſtigato*; Ienae 1630. 8. PETR. HABERKORNIVS, in *anti-Valeriano, id eſt, ſolida & ſuccincta refutatione duorum tractatuum fallaciſſimorum Valeriani Mediolanenſis papiſtae, quos vocat iudicium de acatholicorum & catholicorum regula credendi &c.* Gieſſae an. 1652. 4. memorato etiam ADR. BAILLETO, *l. c. tom. I. pag. 257.* aliique. Idem fecit & IO. AMOS COMENIVS, ſub nomine VLR. DE NEVFELD latitans, *in iudicio de iudicio Valeriani Magni ſuper catholicorum & acatholicorum regula credendi &c.* Amſtelodami 1644. 8. Librum autem VALERIANI, *methodus reuocandi acatholicos ad eccleſiam catholicam* inſcriptum, ex inſtituto examini ſubiecit SAM. MARESIVS, in *methodo* ἀμεθόδῳ *& igne fatuo*

tuo &c. Groeningae 1652. 4. Controuerſia autem, quae VALERIANO cum Ieſuitis ob ſententiam de primatu papae interceſſit, occaſionem dedit, vt a CHRIST. KORTHOLTO in lucem emitteretur *Valerianus confeſſor, hoc eſt, ſolida demonſtratio, quod eccleſia romana hodierna non ſit vera Chriſti eccleſia, deducta ex Valeriani Magni Capucini apologia anti-Ieſuitica*, Roſtochii an. 1662. 12. & cum acceſſionibus quibusdam Kilonii anno 1666. 4. Notus quoque eſt VALERIANVS iſte ob colloquium, Reinfelſae an. 1651 iuſſu Erneſti, Haſſiae Landgrauii, inter illum, & PETR. HABERKORNIVM inſtitutum; quamquam & ex noſtratibus BALTH. MENTZERVS & GEO. EBERH. HAPPELIVS, adfuerint; cuius colloquii hiſtoriam dedit HABERKORNIVS, in *vera & candida relatione actionum illarum, quae Reinfelſae in diſputatione priuata, inibi inſtituta, & alias occurrerunt*, Gieſſae 1652. 4. qui & *adpendicem actorum Reinfelſanorum & anti-Valeriani* ibidem, eodemque anno in lucem prodire iuſſit. Optat ADR. BAILLETVS, vt & VALERIANVS colloquii iſtius hiſtoriam edidiſſet, idque quo minus fecerit, occupationibus eius tribuit; *l. c. tom. I. p. 258.* Neſcio, quo iure. De colloquio hocce Reinfelſenſi legendus etiam IO. LVDOV. HARTMANNVS in *conciliis illuſtratis tom. IV. p. 899. ſeqq.* Priusquam colloquium hoc Reinfelſae inſtitueretur, idem princeps ſereniſſimus Erneſtus, alios quosdam theologos, interque eos GEO. CALIXTVM, ad colloquium aliquod, Francofurti ad Moenum cum VALERIANO inſtituendum, inuitauerat; quod etſi theologi iſti ob rationes grauiſſimas declinauerint; varia tamen hinc enata ſunt ſcripta, quae IO. GEORG. NEVMANNVS indicat, in *diſſ. de methodo Auguſtiniana §. XII.* Quae inter CALIXTVM & antea memoratum Landgrauium hac in re geſta, & litterarum monumentis conſignata ſunt, iunctim prodierunt Helmſtadii an. 1657, recuſa deinceps ibidem an. 1681. 4. WALENBVRCHIOS fratres plurimum eo contuliſſe, vt princeps iſte ad romanam eccleſiam transiret, ADR. BAILLETVS teſtatur *l. c. tom. I. p. 270. 271.* Hoc certum eſt, *motiua conuerſionis ad fidem catholicam ſereniſſimi Erneſti ſtilo Adriani & Petri de Walenburch latius deducta* prodiiſſe Coloniae anno 1652. 4. ad quorum duo priora GERH. TITIVS, theologus Helmſtadienſis, *animaduerſiones theologicas* dedit, Helmſtadii an. 1653. 4. Referunt huc nonnulli HERM. CONRINGII *fundamentorum fidei pontificiae concuſſionem*; certe hoc ipſo circiter tempore, quo *motiua* iſta ſtrepitum dederunt, an. 1654, Helmſtadii prodiit; quamquam diſerte, quod illis oppoſita ſit, a CONRINGIO non dicatur. Interim *diſcuſſio* haecce lectu digna eſt, quippe in qua euidenter demonſtratur, nec papam, nec romanae eccleſiae epiſcopos, qui in conciliis congregantur, quae illi oecumenica vocant, diuinis indubitatae fidei tabulis poſſe oſtendere, ſe eos eſſe, quos volunt ſe credi, & quales a vulgo miſere decepto creduntur, ſanctiſſimi Numinis in his terris circa fidem & mores infallibiles vicarios. Cum autem WALENBVRCHII fratres contra hancce CONRINGII *diſcuſſionem, Hermannum Conringium laudatum & correctum, ſiue fundamentorum credulitatis Lutheranae, Caluinianae &c. concuſſionem & fundamentorum fidei catholicae defenſionem*, edidiſſent; CONRINGIVS iterum illis *animaduerſiones in partem priorem de vocatione extraordinaria primorum eccleſiae reformatorum, quibus etiam ſua concuſſio fundamentorum fidei pontificiae ab iniquo contra euangelicos abuſu vindicatur*, oppoſuit, Helmſtadii an. 1663. 4. Ad Erneſtum autem, Haſſiae Landgrauium, quod attinet, de quo antea loquuti ſumus, ipſe quoque ſcripta quaedam concinnauit, quibus ſuum ad romanenſes tranſitum palliare voluit, inter quae eminet, *der ſo wahrhaff-*

te

te als ganz auffrichtig vnd diſcret geſinnete catholiſche, hoc eſt, *verus*, *ſincerus*, & *diſcretus catholicus*; de quo, vt & *compendio*, ab opere autem maiori in quibusdam diuerſo, quod ipſe ſereniſſimus princeps ex eodem confecit, lectu digna, quae IOAN. ANDR. SCHMIDIVS obſeruat, *Sagittar. introduction. in hiſtor. eccleſiaſtic. tom. II. p. 1603.* In *catholico* autem iſto *diſcreto*, religionem, quam auctor catholicam vocat, ita deſcribi, vt parum tandem a naturaliſmo diſtet, viri docti iudicarunt. ANDREAS quoque KVHNIVS, ſacrorum apud Annaebergenſes antiſtes, an. 1677 *diſcretum catholicum autocatacritum* illi oppoſuit. Commemorari denique hic poſſent, ARM. RICHELIVS, cardinalis, ob *methodum Richelianam* Pariſiis an. 1665 euulgatam; IOD. KEDDIVS, ob *heliopolin*; LVDOV. MAIMBVRGIVS, ob *methodum pacificam ad reducendos proteſtantes ſine diſputatione ad veram viam*; ſed quae de hiſce dici poterant, iam in medium attulit IO. GEORG. NEVMANNVS, in *diſſertatione* non ſemel nobis laudata, *de methodo Auguſtiniana contra Walenburchios*, §. *XVI.* De ratione ceteroquin, quam RICHELIVS cardinalis inire voluit, reformatos in Gallia ad romanam eccleſiam perducendi, ſingularia quaedam & lectu digna refert RICH. SIMON, *lettres choiſies let. I. pag. 1. ſeqq.* LVDOV. MAIMBVRGIVS ex aliis ingenii monumentis notior eſt, quae huius loci loci non ſunt. Legendus de eo PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Maimbourg p. 2002. 2003.* vbi quaedam de *methodo* eius *pacifica*, non indigna, quae obſeruentur, monet. Conferendus eſt & LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XVIII. pag. 238. ſeqq.* itemque CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, *introduct. in memorab. eccleſiaſt. hiſtoriae ſacrae noui teſtam. part. poſter, pag. 383. ſeqq.* De IOS. SONNENBERGII, Ieſuitae, *nemeſi romano-catholica*, *ſiue noua methodo*, *qua per praeſumtiones iuridicas ipſorumque proteſtantium ſententias vera Chriſti eccleſia liquidiſſime probatur*, quae itidem hic locum ſibi vindicat, abunde & copioſe dictum in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten*, *cap. II. p. 62.* vbi & alia occurrunt, quae hactenus allatis lucem conciliare poſſunt.

** Ingens illorum ex reformatae eccleſiae doctoribus eſt numerus, qui ob certamina, quae ſubierunt, theologica, famam quamdam, nominisque retulerunt celebritatem. Omnes autem recenſere cum inſtituti noſtri non permittat ratio; de praecipuis more noſtro quaedam obſeruabimus. Primum itaque nobis ſe offerunt HVLD. ZWINGLIVS, & IO. OECOLAMPADIVS, quibus eccleſia iſta plurimum debet, quorum ille etiam inchoatae apud ſuos reformationis gloriam ſibi vindicat. Vterque, quod non diffitendum, ſtrenue acriterque pro veritate doctrinae euangelicae contra pontificios decertauit, vterque plurima ſcripta polemica edidit. Vtinam vero arma, quibus tam feliciter contra romanenſes vſi ſunt, non conuertiſſent ad nouos quosdam errores propugnandos, funeſtique hac ratione inter proteſtantes ſchiſmatis auctores extitiſſent. Scriptorum, quae ZWINGLIVS reliquit, haud exiguus eſt numerus, iunctimque edita ſunt Tiguri an. 1545 quatuor tomis in fol. Adcurate diligenterque ea recenſet IOS. SIMLERVS, in *epitome bibliothecae Conradi Geſneri p. 81.* Praecipua etiam enarrat, vt eorum ſummam ſimul indicet, LVD. ELL. DV PIN, *dans la bibliotheque des auteurs ſeparez de la communion de l'Egliſe Romaine*, *p. 107. ſeqq.* Non adeo magnus hodie eorum vſus eſt, cum deinceps exſtiterint, qui longe maiori & ingenii acumine, & eruditionis adparatu, placita reformatae eccleſiae propria exornarent, ac defenderent,

derent. Quae germanice ſcripſit, quae ſunt plurima, LEO IVDAE, RVD. GVALTERVS, & CASP. MEGANDER, in latinum ſermonem transtulerunt. Inter prima, maximeque obſeruatu digna, eius ſcripta referendus eſt *commentarius de vera & falſa religione*, Tiguri an. 1625. 8. editus. In quo licet velut ſyſtema aliquod theologiae exhibeat, quo nomine & *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XV.* mentionem eius fecimus; cum tamen varias ſimul controuerſias tractet, ad huncce quoque locum referri poteſt. Nonnulla equidem praeclare, recteque dicta in hocce libro occurrere, negari nequit, praeſertim quando auctor contra pontificios aut anabaptiſtas diſputat; at quaedam etiam in eo deprehendi, quae cenſuram promereantur, vt cum abiecte nimis de baptiſmo loquitur, omnique efficacia illum deſtitui, contendit, cum verbi diuini miniſtris facultatem remittendi peccata denegat, & clauium vſum illis a Chriſto conceſſum, de euangelii adnuntiatione interpretatur (quae & hodie multorum animos occupauit opinio) & quae alia ſunt eiusdem generis, docet VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausfuhrlichen hiſtoria motuum &c. part. I. lib. I. cap. II. §. IV. p. 65.* Cumque in eodem libro fuſe de ſacra coena diſputat; videtur LVTHERVM refutare voluiſſe, quod hactenus palam atque aperte nondum fecerat. Vtitur autem, vt alias, ita in hocce quoque *commentario*, cumprimis verbis Chriſti: *caro nihil prodeſt Ioh. VI, 63.* Quod quam inepte fiat, hodie praeſtantiſſimi reformatae eccleſiae theologi ſatis intelligunt. Inter reliqua ZWINGLII ſcripta, in cauſſa ſacramentaria edita, eminet eiusdem *exegeſis eucharistici negotii*, quae Tiguri an. 1527 lucem adſpexit, tum reliquis, qui ab eo in hocce capite diſſentiebant, tum maxime LVTHERO oppoſita, cuius nomini, poſtquam eo vsque res proceſſerat, non amplius parcendum, ratus eſt, quamuis longe maiori erga eum, quam erga reliquos, vtatur modeſtia; LVTHERO tandem eodem circiter tempore cauſſam veritatis agente, in libro notiſſimo: *das die Worte Chriſti, das iſt mein Leib, noch feſte ſtehen*, de quo iam alibi dictum. De reliquis ZWINGLII huc ſpectantibus ſcriptis legendus VAL. ERN. LOESCHERVS, *l. c. §. VI. p. 72. ſeqq.* de iis vero, quae HIERON. EMSERO, itemque HVGONI epiſcopo Conſtantienſi, aliisque romanae eccleſiae promachis, oppoſuit, conferendus LVD. ELL. DV PIN, *l. c. p. 113. ſeqq.* *Duos* eius *ſermones de cultu beatae virginis Mariae*, nihil continere, idem auctor pronuntiat, quod romanae eccleſiae doctrinae repugnet, niſi quod cultum Mariae & ſanctorum ad ſolam eorum imitationem reuocet. Qua in re an omnes fidei ſuae ſocios ſecum habiturus ſit conſentientes, valde dubito. Poſt mortem ZWINGLII prodiit, cura ſtudioque HENR. BVLLINGERII, eiusdem *expoſitio fidei*, in qua cum gentilium etiam philoſophis, viriſque ſapientia & virtute praeſtantibus, locum in beatorum ſedibus conceſſiſſet; multorum expertus eſt cenſuras; idque eo magis, quod iam antea in *reſp. ad Vrb. Rhegium p. 118.* SENECAM *ſanctiſſimum* vocaſſet, eique fidem tribuiſſet. *Apologiam* equidem in hocce capite pro ZWINGLIO ſcripſit RVDOLPH. GVALTHERVS; in qua tamen eumdem potius errorem confirmat, tantum abeſt, vt eum a ZWINGLIO remoueat, aut remouere queat. Sed & hac de re legenda, quae VAL. ERNEST. LOESCHERVS diſputat *l. c. §. XX. p. 95. ſeqq.*

Amicus ZWINGLII intimus, & in propagando errore ſacramentario fidus paraſtata, fuit IO. OECOLAMPADIVS, vir vtique doctus, & linguae latinae pariter ac graecae peritus, quod teſtatus eſt, dum ſcripta quaedam patrum ex graeco ſermone in latinum transtulit. Variis ſcriptis non

non tantum contra romanenſes & anabaptiſtas, ſed & contra MICH. SERVETVM, pugnauit. Cuncta, quae ab eo profecta ſunt, enarrat IOS. SIMLERVS, in *epitome bibliothecae Conradi Geſneri p. 105. ſeqq.* Cumprimis autem, quae pro ZWINGLII ſententia ſcripſit, in cenſum veniunt, inter quae eminet liber, *de genuina explicatione verborum coenae*, qui Baſileae an. 1525. 8. lucem adſpexit. In eo namque, dum ſe contra PETR. LOMBARDVM, GRATIANVM, aliosque praeſentiae realis adſertores, diſputare ſimulat, ipſum LVTHERVM adgreditur; ſimul tamen callide pontificiorum noſtramque ſententiam coniungit, & vtriusque defenſores inter ſe miſcet, atque confundit. Cum autem OECOLAMPADIVS verba inſtitutionis paullo aliter, quam ZWINGLIVS, explicaret, ac metonymiam in voce *corporis* quaereret, vt adeo verborum: *hoc eſt corpus meum* ſenſus eſſet, *figura corporis mei*; euitare non potuerunt, quin hic diſſenſus, ceu malae cauſſae indicium, ipſis exprobraretur. Irritusque eſt RVD. HOSPINIANI labor, vt hocce telum declinet; *hiſtor. ſacrament. part. poſt. p. 55.* De *ſyngrammate*, quod theologi quidam ſueuici, manu calamoque IO. BRENTII vtentes, libro huic OECOLAMPADII oppoſuerunt, deque huius *anti-ſyngrammate*, quo denuo cauſſam ſuam agere voluit, ſupra iam dictum eſt, cum de BRENTIO verba faceremus. Praeter alios vero etiam THEOBALDVS BILLICANVS, in *epiſtola ad Vrbanum Rhegium*, & BILIBALD. PIRCKHAIMERVS, in *reſponſione de vera carne Chriſti*, ſententiam OECOLAMPADII impugnarunt, quorum vtrique ſeorſim OECOLAMPADIVS iterum *reſponſionem* oppoſuit. Cumque etiam verſio germanica *ſyngrammatis*, auctore IO. AGRICOLA, cum *praefatione* LVTHERI prodiiſſet, in qua & OECOLAMPADII mentionem fecerat; hic ſtatim lingua germanica in lucem emiſit *billige Antwort auf D. Lutheri Bericht des Sacraments halb, und etlicher Prediger in Schwaben Schrifft.* Sed de hiſce omnibus iterum legendus VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum, part. I. lib. I. cap. III. p. 120. ſeqq.* qui & §. *V. p. 126.* reformatorum obiectioni, in *ſyngrammate ſueuico*, ſuam reuera non impugnari doctrinam, occurrit. Scripta etiam quaedam OECOLAMPADII recenſet LVD. ELL. DV PIN, & inter alia obſeruat, eum verba ſymboli apoſtolici de *deſcenſu Chriſti ad inferos*, de ſtatu mortis interpretatum eſſe, eaque adeo ex eius mente nihil aliud ſignificare, quam Chriſtum reuera mortuum eſſe. Ponere namque illum, ſecundum recentioris philoſophiae principia, animam non eſſe in loco, & paradiſum ac infernum nihil aliud eſſe, quam ſtatum aut beatum, aut miſerum animae, & hac ratione eum explicare, quo pacto anima Chriſti in infernum deſcenderit; *bibliotheque des auteurs ſeparez de l'Egliſe Romaine &c. tom. I. p. 121.*

Poſt ZWINGLIVM non eſt, cui plus debeat eccleſia reformata, quam IO. CALVINO, viro omnium confeſſione doctiſſimo, atque excellentiſſimis ingenii animique dotibus praedito. Per eum vtique doctrina iſta, quae reformatis propria eſt, non tantum ſtabilita & confirmata, ſed longe quoque lateque propagata fuit, vt non ſine ratione, qui eamdem ſequuntur, *Caluinianorum* retulerint nomen. De *inſtitutione religionis chriſtianae* quae principem inter ſcripta eius tenere locum creditur, *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. IV.* iam copioſe verba fecimus. Poſt eam ſcripta illius exegetica a viris doctis plurimi aeſtimantur; licet nec deſint, qui varia in iis deſiderant, vt vel ex AEGIDII HVNNII *Caluino iudaizante* patet, de quo ad §. *praecedentem* quaedam commemorauimus. Quemadmodum autem in exegeticis iſtis

ſcriptis

Digitized by Google

ſcriptis haud raro contra diſſentientes pugnat; ita ſaepiſſime etiam ex inſtituto contra alios in aciem prodiit. Nec vllum illi deerat armorum genus, quibus victoria ab hoſte referri poteſt; hoc ſolum nomine infelix, quod iisdem non ſemper pro veritate tuenda vſus eſt. Pontificios fortiter adgreſſus eſt in ſcriptis plurimis; cuiusmodi ſunt: *ſupplicatio ad Carolum caeſarem, & principes Germaniae, de neceſſitate reformandae eccleſiae*; *defenſio doctrinae de libero arbitrio contra Albertum Pighium*; *reſponſio ad epiſtolam Iacobi Sadoleti* cardinalis, quam ille dederat ad ſenatum populumque Geneuenſem, vt in obedientiam romani pontificis eos reduceret, eleganter quidem, ſed non minus callide ſcriptam; *articuli a facultate ſacrae theologiae Pariſienſi determinati, ſuper materiis fidei noſtrae hodie controuerſis cum antidoto*; *admonitio paterna Paulli III. romani pontificis, ad inuictiſſimum caeſarem Carolum V. cum ſcholiis Ioan. Caluini in eamdem epiſtolam*; *acta ſynodi Tridentinae cum antidoto* & alia. De ſcripto CALVINI longe vehementiſſimo, quod GEORG. CASSANDRI libro *de officio pii, ac publicae tranquillitatis vere amantis viri, in religionis negotio*, auctorem eius FRANC. BALDVINVM eſſe exiſtimans, oppoſuit, iam antea diximus. Ad eas, quae reformatis cum noſtratibus intercedunt, controuerſias quod attinet; obſeruatum viris doctis eſt, CALVINVM initio in doctrina de ſacra coena cum noſtratibus fere conſenſiſſe, certe non multum a noſtra abfuiſſe ſententia; quamquam, num ſerio, an vero, ne LVTHERVM offenderet, dubitent. Diſſerit hac de re VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. II. lib. III. cap. I. §. VI. ſqq. p. 5. ſeqq.* itemque DAV. SCHVLTETVS, in *innocentia theologorum Hamburgenſium p. 15.* Ego ſolum addam verba CALVINI, quibus diſcrimen, quod inter ſuam & ZWINGLII ſententiam intercedat, explicat, quaeue in *inſtitutione* eius *religionis chriſtianae lib. IV. cap. XVII. p. 504.* editionis, quae Geneuae 1559. fol. prodiit, exſtant. *Sunt*, inquit, *qui manducare Chriſti carnem, & ſanguinem eius bibere vno verbo definiunt, nihil eſſe aliud, quam in Chriſtum ipſum credere. Sed mihi expreſſius quiddam, ac ſublimius videtur voluiſſe docere Chriſtus, in praeclara illa concione, vbi carnis ſuae manducationem nobis commendat; nempe vera ſui participatione nos viuificari, quam manducandi etiam & bibendi verbis ideo deſignauit, ne quam ab ipſo vitam percipimus, ſimplici cognitione percipi, quispiam putaret.* Hoc cum vlterius declaraſſet, ita pergit: *Verum hoc inter mea, & iſtorum* (Zwinglianorum) *verba intereſt, quod illis manducare eſt duntaxat credere; ego credendo manducari Chriſti carnem, quia fide noſter efficitur, eamque manducationem fructum effectumque fidei eſſe, dico. Aut ſi clarius velis, illis manducatio eſt fides, mihi ex fide potius conſequi videtur. In verbis quidem paruum, ſed in re non mediocre eſt diſcrimen. Nam etſi docet apoſtolus, Chriſtum in cordibus noſtris habitare per fidem, nemo tamen habitationem iſtam, fidem interpretabitur, ſed eximium fidei effectum explicari, omnes ſentiunt, quod per ipſam fideles conſequuntur, vt Chriſtum in ſe habeant manentem. In hunc modum voluit dominus, panem vitae ſe nuncupando, non tantum docere, in mortis reſurrectionisque ſuae fide repoſitam nobis eſſe ſalutem, ſed vera etiam ſui communicatione fieri, vt vita ſua in nos tranſeat, ac noſtra fiat; non ſecus ac panis, dum in alimentum ſumitur, vigorem corpori adminiſtrat.* Ita quidem olim CALVINVS, diſerte adſerens, *vera Chriſti communicatione fieri, vt vita eius in nos tranſeat.* Sed poſtea, mutata ſententia, prorſus ad partes ZWINGLII tranſiit, eiusque in hoc doctrinae capite placita ita amplexus eſt, vt acriter ea defenderet, & contra noſtra-

tes propugnaret. Idque variis ſcriptis egit, vti ſunt, de *coena domini*; item *conſenſio mutua in re ſacramentaria miniſtrorum Tigurinae eccleſiae, & Ioannis Caluini miniſtri Geneuenſis eccleſiae, ab ipſis auctoribus edita*, & quae alia ſunt eiuſdem generis, IOACHIMO praeſertim WESTPHALO & TILEM. HESHVSIO oppoſita. IOACHIMVS namque WESTPHALVS theologus Hamburgenſis ſolus fere fuit, qui ex noſtratibus eo tempore, cum reliqui clandeſtino in Zwinglianos errores ſtudio inducti, tacerent, CALVINO, id ſummo niſu agenti, vt omnes in ſententiam ſuam pertraheret, reſtitit; qua in re licet nonnulli maiorem moderationem deſiderent, nihil tamen eum feciſſe, quod reprehendi queat, oſtendit DAV. SCHVLTETVS, in *innocentia theologorum Hamburgenſium p. 19. ſeqq.* Conferendus de eodem VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum part. II. lib. III. cap. VIII. p. 98. ſeqq.* Idem vero etiam fecit TILEM. HESHVSIVS, in *defenſione verae & ſacrae confeſſionis de vera praeſentia corporis Chriſti in coena domini, aduerſus calumnias Caluini, Boquini, Bezae, Clebitii*, aliisque, quae ſupra iam, cum de HESHVSIO verba faceremus, commemorauimus. Non tantum autem CALVINVS errorem ZWINGLII in doctrina de ſacra coena adoptauit, eumque omni conatu propugnauit; ſed noui ſimul dogmatis in eccleſia reformata, de abſoluto electionis decreto, auctor exſtitit, & hac ratione ſchiſma illud, inter nos & reformatos auxit, immo vulnus plane inſanabile reddidit. Atque hanc ſententiam ſuam tum in *inſtitutione ſua religionis chriſtianae*, alibique, tum & ex inſtituto in libro *de aeterna dei praedeſtinatione, qua in ſalutem alios ex hominibus elegit, alios ſuo exitio reliquit*, propoſuit. Anabaptiſtas CALVINVS ſibi oppugnandos ſumſit in *breui inſtructione muniendis fidelibus aduerſus errores ſectae anabaptiſticae*; item, *aduerſus fanaticam & furioſam ſectam libertinorum, qui ſe ſpirituales vocant; porro in epiſtola ad fideles, qui degunt Rothomagi aduerſus Franciſcanum quendam libertinorum erroris ſectatorem.* Oppoſuit ſe etiam impiis erroribus MICH. SERVETI, immo ſupplicii capitalis, quo iſte Geneuae adfectus fuit, praecipuus auctor exſtitit. Cum id factum eſſet, mirabantur romanenſes, ſtupebant proteſtantes, quorum plerique in eam ingrediebantur ſententiam, adprobari hoc exemplo crudelitatem pontificiorum, eadem ratione in proteſtantes ſaeuientium. Cumque CALVINVS non ignoraret, quantam ea res apud multos ſibi conciliatura eſſet inuidiam; *fidelem expoſitionem errorum Michaëlis Serueti, & breuem eorumdem refutationem, vbi docetur, iure gladii coërcendos eſſe haereticos*, emiſit. Id nimirum agebat CALVINVS, vt partim facti iſtius a ſe amoliretur inuidiam, ſibique ea omnia, quae magiſtratus Geneuenſis egiſſet, perperam imputari, conquereretur; partim, nullam SERVETO factam iniuriam contenderet, ſiquidem haereticos capitali non ſit nefas adficere ſupplicio; eoque cumprimis liber iſte memoratus ſpectat. Verum ad prius quod attinet, quidquid etiam dicat CALVINVS, culpam puniti capitaliter SERVETI in illum praecipue redundare, luculenter oſtenditur *dans la bibliotheque Angloiſe tom. II. part. I. p. 191. ſeqq.* vbi multa de hoccе negotio lectu prorſus digna occurrunt. Poſterius pauciſſimis forte proteſtantium perſuadebit CALVINVS, certe non illis, qui ex ſacris litteris, quam male eiuſmodi violentia & crudelitas cum doctrina euangelica conueniat, edocti ſunt. Auſteri, & truculenti ingenii virum fuiſſe CALVINVM, atque in multis nimis rigidum, fatentur, qui ceteroquin magnis, & inuidendis eum ornant elogiis. Ridiculus eſt error GARASSII, CALVINVM inconſtantiae arguentis,

Digitized by Google

tis, quod, cum ipſius maxime conſilio, & auctoritate SERVETVS ſupplicio capitali adfectus eſſet, ſtatim tamen librum, *de non caſtigandis haereticis*, edidiſſet; *doctrine curieuſe, p. 230.* Plane namque contrarium docuit CALVINVS. Obſeruatum hoc PETRO BAELIO *diction. hiſtor. & crit. voc. Caluinus p. 769.* Quod ſi omnia CALVINI ſcripta polemica recenſere vellemus, commemorandus quoque eſſet eiusdem liber, *de ſtatu animarum poſt mortem, quo adſeritur, viuere apud Chriſtum, non dormire animas ſanctorum, qui in fide Chriſti diſcedunt*; pſychopanychitarum quippe errori oppoſitus; nec praetermittenda eſſet eiusdem *admonitio aduerſus aſtrologiam, quam iudiciariam vocant &c.* in qua contra aſtrologorum fallacias pugnat. Reliqua, quae de CALVINO ſcitu obſeruatuque digna ſunt, apud PETR. BAELIVM legere licet, in *diction. hiſt. & crit. voc. Caluinus p. 766. ſqq.* vbi & eos laudat, qui ex inſtituto vitam eius deſcripſerunt; conf. & ANT. TEISSIERIVS, *dans les eloges des hommes ſçavans &c. tom. I. p. 235.* Opera CALVINI tum Geneuae anno 1617, tum Amſtelodami an. 1670, iunctim edita eſſe, conſtat.

Alterum poſt CALVINVM eccleſiae reformatae columen fuit THEOD. BEZA, vir itidem doctiſſimus. Quod enim noſtratibus poſt LVTHERVM, MART. CHEMNITIVS fuit, hoc poſt CALVINVM reformatis BEZAM fuiſſe, dixeris; qui tamen CHEMNITIO in eo multum inferior fuit, quod hic pro veritate ſteterit, ille autem pro eccleſiae ſuae erroribus contra Lutheranos defendendis praecipua bella geſſerit. Pleraque ſane ſcripta eius polemica huc comparata ſunt, vti, *ſumma doctrinae de re ſacramentaria; de coena domini tractatio, in qua Ioachimi Weſtphali calumniae refelluntur; κρεωφαγία, ſiue Cyclops, dialogus de vera communicatione corporis & ſanguinis domini, aduerſus Tilemanni Heshuſii commenta; abſterſio calumniarum, quibus adſperſa eſt eccleſia Geneuenſis a Tilemanno Heshuſio; ad Io. Brentii argumenta & Iacobi Andreae theſes, quibus carnis Chriſti omnipraeſentiam nituntur confirmare, reſponſum*, & alia plurima eiusdem generis MATTH. FLACIO illyrico, NIC. SELNECCERO, IO. PAPPO, aliisque oppoſita. Lis quoque illi interceſſit cum SEB. CASTELLIONE non tantum de aeterno praedeſtinationis decreto, ſed & de verſione latina noui teſtamenti, quam vterque adornauerat; vnde varia vtrimque edita ſcripta. Cumprimis acerrimum illi fuit certamen cum FRANC. BALDVINO iure conſulto celeberrimo, ſed in religione, ſi quis alius, inconſtantiſſimo. IOANNEM nimirum CALVINVM, librum CASSANDRI *de officio pii ac publicae tranquillitatis vere amantis viri &c.* eo quod exiſtimaret, auctorem eius BALDVINVM eſſe, magna acerbitate refutaſſe, ſupra iam obſeruauimus. Licet autem BALDVINVS libri iſtius auctor non eſſet; eum tamen illo tempore, quo colloquium Poſſiacenum inſtituebatur, diſſeminaſſe dicitur, eo quippe, vt nonnulli volunt, comparatum, vt colloquium hocce, fructu & euentu, quem ſibi pollicebantur reformati, deſtitueretur. Hinc itaque irritatus CALVINVS *reſponſionem iſtam ad verſipellem quendam mediatorem &c.* antea iam memoratam emiſit; cui BALDVINVM *commentarium ſuum ad leges de famoſis libellis &c.* oppoſuiſſe, ibidem diximus. CALVINVS rurſus cauſſam ſuam egit in *reſponſione ad Balduini conuicia*, cui & alia praeſtantium virorum monumenta adiuncta erant, quibus, THEODORO quidem BEZA iudice, *perpetua iſtius improbitas, ſumma impudentia, & extrema inſcitia, ita manifeſte redarguitur, vt ne nunc quidem poſſit ignorantiam ſuam diffiteri. Additae ſunt*, ita pergit BEZA, *ipſius litterae variis temporibus ad Cal-*

Digitized by Google

uinum ſcriptae, vt horrenda iſta defectio, ipſius apoſtatae teſtimonio, apud omnes bonos ſanciretur; in *reſponſ. ad Balduin. p. 202.* Scriptum hocce CALVINI prodiit Pariſiis an. 1562. 4. Eodem vero anno illi quaedam regeſſit BALDVINVS; cumque CALVINVS indicaſſet, ſe cum hocce aduerſario in certamen amplius deſcendere nolle; in locum eius ſucceſſit THEOD. BEZA, & pro CALVINO apologiam concinnauit, cui mox BALDVINVS *reſponſionem pro Franciſco Balduino ad Caluinum & Bezam, cum refutatione Caluini de ſcriptura & traditione*, oppoſuit. Hiſtoriam huius certaminis dum PETR. BAELIVS in *diction. hiſt. & crit. voc. Baudouin. p. 513.* tradit, fuſe ſimul probat, THEOD. BEZAM tum in hocce cum BALDVINO, tum in iis, quae cum noſtratibus illi interceſſerunt, controuerſiis, eorum quoque, qui eccleſiae reformatae addicti ſunt, iudicio, feruido ſuo nimis indulſiſſe ingenio. Digna ea ſunt, quae legantur ab omnibus. In arenam porro etiam cum BERNHARDINO OCHINO polygamiam defendente deſcendit, in commentatione de *polygamia, in qua & Ochini apoſtatae pro polygamia & Montaniſtarum ac aliorum aduerſus repetitas nuptias argumenta refutantur; addito veterum canonum & quarundam ciuilium legum ad normam verbi diuini examine.* Cuius quidem ſcripti ſummam & hiſtoriam legere licet *obſeruationum ſelectar. ad rem litterariam ſpectantium tomo V. obſeruat. I. §. XX. p. 37. ſeqq.* Non minus & contra THOM. ERASTVM, qui excommunicationis vſum in eccleſia reformata ferre noluit, diſputauit in libro de *excommunicatione & de chriſtiano miniſterio.* Legendus de hacce controuerſia CHRIST. THOMASIVS, in *hiſtoria contentionis inter imperium & ſacerdotium adpend.* ad *cap. I. §. XIX. p. 344.* Sed & cum HADRIANO SARRAVIA, epiſcoporum ἱεραρχίαν adſerente, congreſſus eſt in *reſponſione ad tractationem de miniſtrorum euangelii gradibus, Adr. Sarrauiae.* His & longe plura addi poſſent, in quibus ſe ad pugnas & certamina paratum BEZA demonſtrauit, ſi omnia enumerare inſtituti noſtri aut iuberet, aut pateretur, ratio. Conſulendus de reliquis ANT. FAYVS, de *vita & obitu Theodori Bezae*, cui libro indicem ſcriptorum eius ſubiunxit, in quo tamen PETR. BAELIVS quaedam deſiderat; in *diction. hiſt. & crit. voce Beza,* in *notis lit. L. p. 586.* Pleraque etiam indicat ANT. TEISSIERIVS; *dans les eloges des hommes ſçavans, tom. II. p. 370. ſeqq.* Ceterum recte PETR. BAELIVS obſeruat, atrocibus aduerſariorum dicteriis & ſcommatibus ſe exponere, qui paullo liberius in iuuentute venae poeticae indulſerunt, & deinceps ad tractandas ſerio controuerſias ſe conferunt. Multos enim qui polemica tractant cum offendere neceſſe ſit, hiſce ipſi velut arma ſuppeditant, quibus magno illorum incommodo, ſaepe & cauſſae, quam defendendam ſuſceperunt, damno, contra eos vtantur. Id & BEZAE contigit. Nota ſatis ſunt eius *iuuenilia*, quae Pariſiis an. 1548 prodierunt. In iis cum talia ſcripſiſſet, quae oculos aureſque caſtas grauiter offendant, quaeque adeo quemlibet chriſtianum, multo magis theologum, immo eccleſiae reformatorem, magnopere dedeceant, mirari non debebat, aduerſariis eius hinc occaſionem, acriter illum traducendi, enatam. Quae pro defendendo aut excuſando hac in cauſſa BEZA a nonnullis adlata ſunt, non aeque firmo nituntur fundamento. Falluntur vtique, qui talia a BEZA, adhuc romanae eccleſiae addicto, & priuſquam reformatae ſacra amplecteretur, ſcripta, adſerunt. Ipſe namque fatetur BEZA, ſe anno aetatis ſuae decimo ſexto chriſtianae religionis cognitione ac luce donatum eſſe, apud ANTON. FAYVM de *vita & obitu Theodori Bezae p. 73.* Iam vero conſtat, anno aetatis vigeſimo nono *iuuenilia* haec cum

eum edidiſſe. Parum etiam proficiunt, qui MVRETVM, CASAM, aliosque poëtas laſciuos ex romanenſium coetu cenſoribus eius opponunt. Hi enim tota vitae ſuae ratione teſtabantur, ſe eſſe de grege Epicuri, eccleſiaeque ſalutem parum ſibi curae cordique eſſe, cum BEZA contra, inter eccleſiae reformatores, qua doctrinam, qua mores nomen profiteretur ſuum. Rectiſſime ipſe BEZA inter peccata iuuentutis haec *iuuenilia* ſua retulit, ingenueque profeſſus eſt, ſe iis grauiſſime Deum aliosque homines offendiſſe; in *praef. poëmatum ad Andream Dudithium* an. 1569 ſcripta; itemque in *notis ad Matth. I. 29.* & alibi. Nec alia ratio, labem inde contractam eluendi, ſupererat. Verum quidem eſt, BEZAM iam ſenem in nouam carminum ſuorum editionem conſenſiſſe, ſed ea lege, vt tollerentur, quae offendiculo eſſe poterant. Vnde fruſtra, eum iam ſenem *iuuenilia* ſua adprobaſſe, arguunt. Legendus de hiſce omnibus PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Beza pag. 589. 590.*

ZWINGLII in munere eccleſiaſtico ſucceſſor fuit HENR. BVLLINGERVS, qui & non minorem in reformatae eccleſiae placitis defendendis demonſtrauit zelum. Non tantum enim cum noſtratibus, praeſertim cum IO. BRENTIO, atque IOACH. WESTPHALO, ſed & cum pontificiis, atque anabaptiſtis, variis pugnauit ſcriptis. Eius quaedam, quae contra anabaptiſtas compoſuit, praecipue eruditis placuiſſe, IOAN. HENR. HOTTINGERVS auctor eſt. Cum enim dixiſſet: *ſed & Bullingerum, primis ſtatim miniſterii ſui annis anabaptiſmum ſolide & docte confutaſſe, tum ex manuſcripto eius codice, quem ad manus habeo, patet, tum ex libris eius quatuor, per Leonem Iudae auctos, ſex denique per Simlerum translatos &c.* addit: *Placuit hoc Bullingeri ſcriptum eruditis, prae multis aliis lucubrationibus. Nec forte vberrimi ingenii poſtremus foetus eſt; bibliothecar. quadripart. lib. III. cap. II. pag. 381.* De ſcriptis BVLLINGERI anti-pontificiis idem HOTTINGERVS ita pronuntiat: *Bullingerus tum in antitheſi ſua inter orthodoxam & pontificiam doctrinam, tum in certamine cum Cochlaeo de ſcriptura ſacra, tum doctiſſimis de origine errorum, conciliis &c. libris, reſponſo etiam breui, ſed docto, contra Ioannem, epiſcopum Viennenſem, feliciter bella domini continuauit; l. c. p. 376.* Inter ſcripta eius, romanenſibus oppoſita, obſeruatu digna cumprimis eſt *bullae papiſticae contra Eliſabetham & regnum Angliae promulgatae refutatio, orthodoxaeque reginae & vniuerſi regni anglici defenſio.* Eorum, quae contra noſtrates edidit, adcuratiorem notitiam ſuppeditat idem HOTTINGERVS, in *bibl. Tigur. p. 85.* Generatim quoque ſcripta BVLLINGERI enarrat ANT. TEISSIERIVS, *dans les eloges des hommes ſçavans &c. tom. I, p. 441.* vbi & refert, monachum quemdam, qui ob euangelicae doctrinae profeſſionem Romae combuſtus fuit, BVLLINGERI librum *de origine erroris* tanti feciſſe, vt dixerit, ſi quis altero oculo priuandus ſit, vt eius compos fieri queat, promte hoc ſubeundum, modo retineat alterum, vt librum iſtum legere poſſit.

PETR. MARTYR VERMILIVS, patria Florentinus, vel ideo hic commemorandus eſt, quod cum MART. BVCERO, de quo ſupra dictum, inter primos fuit, qui ad eccleſiae anglicanae emendationem plurima contulerunt. Sub Eduardo enim rege in Angliam vocatus eſt, vt Oxonii theologiam doceret, eccleſiaeque promoueret emendationem. Rege autem iſto mortuo Argentoratum primum, deinde Tigurum reuertit. Cum in Anglia adhuc eſſet, cum pontificiis illi dimicandum fuit, eoque praeter alia comparata fuit, quam ſcripſit, *defenſio ſui contra Richardi Smithaei* (olim profeſſoris theologiae, Oxonienſis; qui de-

Digitized by Google

inceps Louanium conceſſerat) *duos libellos de caelibatu ſacerdotum, & votis monaſticis*; itemque *defenſio doctrinae veteris & apoſtolicae de ſacro-ſancto eucharistiae ſacramento aduerſus Stephani Gardineri librum &c.* Et poſteriori quidem huic libro primum praecipuumque inter MARTYRIS ſcripta nonnulli tribuunt locum; certe ANTON. TEISSIERIVS illum *opus* vocat *incomparabile, in quo magna cum ſubtilitate & eruditionis laude argumentum grauiſſimum tractauerit; eloges des hommes ſçavans tom. I. p. 207.* vbi & reliqua MARTYRIS ſcripta recenſet. Dum vero in iſto, quod contra STEPHAN. GARDINERVM edidit, opere MARTYR contra transſubſtantiationem diſputat; accedere iam ad illorum ſententiam videtur, qui omnino praeſentiam realem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra coena negant. Initio namque a LVTHERI eum non procul abſuiſſe ſententia, viris doctis obſeruatum eſt, quae & Anglis placuit, donec deinceps ad CALVINI partes tranſiret. De PETRO MARTYRE quod diximus, confirmat etiam LVD. ELL. DV PIN, adſerens, *in Anglia duos eum elaboraſſe tractatus, in quibus transſubſtantiationem impugnauerit, ſententiam Lutheri de impanatione* (ita quidem perperam noſtram ſententiam vocat) *defenderit; deinceps tamen ad ſententiam Caluini redierit, corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra eucharistia ſola fide accipi, tantumque in vſu adeſſe*; addit, eum in vno ex hiſce tractatibus media quadam inter LVTHERVM & ZWINGLIVM incedere velle via, formulisque CALVINI vti; *dans la bibliotheque des auteurs ſeparéz de la communion de l' Egliſe Romaine &c. tom. I. part. I. p. 186.* Id ſane conſtat, cum hactenus MARTYR a ſententia LVTHERI, quae & in Anglia primum recepta eſt, prorſus diſſentire creditus non eſſet; eum an. 1549 Oxonii hanc propoſitionem propugnaſſe: *corpus & ſanguis Chriſti non eſt carnaliter aut corporaliter in pane & vino, nec vt alii dicunt, ſub ſpeciebus panis & vini*; inuito quidem & indignante MART. BVCERO, quem tamen & ipſum non ſatis hac in re ſibi conſtitiſſe, notum eſt. Legenda, quae de vtroque, & MARTYRE, & BVCERO, obſeruat VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum part. II. lib. III. cap. II. p. 25. & cap. VII. p. 93.* Cum ex Anglia redux Tigurum veniſſet, reformatae eccleſiae placita contra noſtrates acerrime defendit, ſpeciatim *dialogum* contra IO. BRENTII librum *de vnione duarum naturarum in Chriſto* edidit. Idem etiam cum colloquio Poſſiaceno interfuiſſet, *ſententiam de praeſentia corporis Chriſti in eucharistia, propoſitam in colloquio Poſſiaco*, in lucem emiſit. De *locis* eius *theologicis*, in quibus itidem polemica tractat, iam ſupra diximus *libri huius II. cap. I.* ad §. *XV.* Ceterum LVD. ELL. DV PIN praeclare admodum de PETRO hocce MARTYRE ſentit, adeo, vt, ſi eruditionem ac linguarum peritiam ſpectes, eum ipſi IO. CALVINO praeferat. In patrum quoque lectione egregie verſatum, nec veteris diſciplinae eccleſiaſticae ignarum fuiſſe, dicit. Cumprimis vero & moderationem eius, quae non modo in ratione, qua vſus ſit, loquendi, ſed in ipſis ſententiis, quas amplexus ſit, eluxerit, laudat; putatque penes eum ſi ſtetiſſet, non ſolum inter Lutheranos ac Zwinglianos, ſed & inter vtroſque ac pontificios, concordiam facili negotio ſanciri potuiſſe; *l. c. pag. 188.*

Dum, PETR. MARTYREM inter eos fuiſſe, diximus, qui anglicanae eccleſiae emendationem, & ab erroribus pontificiis repurgationem, promouerunt; offerunt ſe nobis ex ipſis Anglis viri iſti praeſtantiſſimi, qui eidem operi manus admouerunt, aut receptam deinceps iſtius eccleſiae doctrinam ſcriptis variis propugnarunt. Inter eos, quibus emendatio iſtius eccleſiae, doctrinaeque euangelicae receptio, plurimum debet,

Digitized by Google

debet, eminent THOM. CRANMERVS, archiepiſcopus Cantuarienſis, THOMAS CROMWEL, EDV. FOX, WILH. TINDALL, HVGO LATIMER, EDV. GRINDALL, NIC. RIEDLEY, de quibus, vt & aliis quibusdam, legendus VAL. ERNEST. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. II. lib. III. cap. VII. p. 84. ſeqq.* Et THOMAS quidem CRANMERVS, vel ob fata, quae ſubiit, memorabilis, non tantum reipſa, ſed ſcriptis quoque variis, id egit, vt, profligatis romanae eccleſiae erroribus, pura euangelii doctrina reſtitueretur; cuiusmodi, praeter *catechiſmum doctrinae chriſtianae*, & *locorum communium libros duodecim*, ſupra iam *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XV.* commemoratos, ſunt: *de miniſtris ordinandis liber I, defenſionis catholicae doctrinae libri V, contra transſubſtantiationis errorem liber I, quo modo Chriſtus adſit in coena liber I, ad Richardi Smithaei calumnias liber I, contra primatum papae liber I, aduerſus papae purgatorium libri II, de iuſtificatione libri II*, & alia quaedam eiusdem generis. Immo iam in carcere conſtitutus *contra ſacrificium miſſae*, itemque *contra adorationem panis*, librum compoſuit. Fuerunt deinceps longe plures in Anglia, qui ſcriptis polemicis inclareſcerent, quos inter haud omnino vltimus GVIL. PERKINSVS, theologus Cantabrigienſis, qui an. 1602 obiit, cenſendus eſt. Licet enim quaedam ex iis, quae reliquit, ad alias theologiae partes ſpectent; huius tamen loci ſunt: *de romanae fidei ementito catholiciſmo*; item, *catholicus reformatus*; porro, de *libera Dei gratia* & *libero hominis arbitrio*, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Iunctim opera eius edita ſunt Geneuae an. 1611. fol. Nec praetermittendus GVIL. WHITAKERVS, qui, vt ſupra iam obſeruauimus, ROB. BELLARMINVM tanta eruditionis laude impugnauit, vt ipſi huic illuſtri aduerſario ſuo admirationi fuerit. Idem vero & cum aliis romanae eccleſiae promachis congreſſus eſt, vt cum EDM. CAMPIANO, in *reſponſione ad decem rationes Edmundi Campiani, Ieſuitae*; cum IO. DVRAEO, Ieſuita Scoto, qui CAMPIANO ſuppetias ferre voluerat, in *defenſione reſponſionis ad decem illas rationes*; cum THOMA STAPLETONO, in *ſcriptis quibusdam de ſcriptura ſacra & adprobatione illius per eccleſiam*; cum NIC. SANDERO, in *refutatione quadraginta demonſtrationum, quod papa non ſit anti-Chriſtus*; conf. ANTON. TEISSIERIVS *dans les eloges des hommes ſçavans, tom. II. p. 231. ſeqq.* De controuerſia, quae illi cum PETRO BARONIO, theologiae in academia Cantabrigienſi profeſſore, cui & PERKINSVS, aliique, ſe oppoſuerunt, interceſſit, legendus PETR. BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Baron. pag. 490.* Optimo etiam iure hic locum ſibi vindicat IO. RAINOLDVS, doctiſſimis Angliae theologis adnumerandus, tum *ob cenſuram librorum apocryphorum veteris teſtamenti*; tum ob *librum de idololatria romanae eccleſiae*; itemque *ob colloquium cum Ioanne Harto Ieſuita.* Sed de eo iam antea loquuti ſumus, quum de BELLARMINO verba faceremus. Circa finem ſaeculi decimi ſexti, & initium decimi ſeptimi, floruit ROB. ABBOT, epiſcopus Salisburienſis, qui & ſcriptis quibusdam polemicis contra pontificios inclaruit, inter quae maxime innotuit *anti-Chriſti demonſtratio contra fabulas pontificias, & ineptam Roberti Bellarmini de anti-Chriſto demonſtrationem.* Speciatim & ſummorum imperantium ſupremam poteſtatem contra ROB. BELLARMINVM, FR. SVAREZIVM, EVDAEMONEM IOANNEM ſtrenue defendit, praeſertim in libro de *ſuprema poteſtate regia*, Londini anno 1619 edito. Spectat huc etiam *reſponſum ad apologiam* EVDAEMONIS IOANNIS, quam hicce pro HENR. GARNETO adornauerat. Et de hiſce quidem, quae pro regum ſumma poteſtate ſcripſit, LVD. ELL.

DV PIN pronuntiat, quod *rationi prorſus ſint conuenientia*, quodue in iis *bonam cauſſam propugnandam ſuſceperit*; *dans la bibliotheque des auteurs ſeparéz de la communion de l' Egliſe Romaine tom. II. part. II. p. 566.* Edidit vero & alia, vt *exercitationes de gratia & perſeuerantia ſanctorum*; item *animaduerſionem in Richardi Thomſoni diatribam de amiſſione iuſtificationis & gratiae*, ne quid de iis, quae anglicana lingua ſcripſit, inter quae itidem ſunt polemica quaedam, dicam. Frater eius natu minor fuit GEO. ABBOT, archiepiſcopus Cantuarienſis, qui praeter alia *quaeſtiones ſex theologicas, totidem praelectionibus diſputatas*, reliquit, in quibus quasdam etiam controuerſias attingit; in vltima autem ſpeciatim contra eos pugnat, qui Deum peccati auctorem faciunt, eamque ſententiam illis, qui CALVINI hac in re placita ſequuntur, quibus & ipſe aeque ac PERKINSVS, WHITAKERVS, aliique, qui eo tempore, tum Oxoniae, tum Cantabrigiae, docebant, addictus fuit, perperam imputari, probare voluit. Legendus de vtroque ABBOTO ROBERTO & GEORGIO, PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Abbot p. 6. ſ. qq.*

Habet autem Anglia illud ſibi ſingulare, & velut proprium, quod in ea ipſi reges, non gladio modo, ſed & calamo religionem defendere adgreſſi ſint. Et quo pacto quidem HENRICVS VIII rex pro romanae eccleſiae ſuperſtitione in certamen eiusmodi cum LVTHERO deſcenderit, quamue inde retulerit laudem, notum ſatis eſt. IACOBVS contra I eadem ratione proteſtantium contra pontificios non dubitauit agere cauſſam. Et initio quidem cum ipſo ROB. BELLARMINO, praecipuo regni pontificii promacho, congreſſus eſt. Enimuero cum grauiſſimis permotus rationibus rex iſte *iuramentum*, quod vocant, *fidelitatis* in Anglia introduceret; PAVLVS V romanus pontifex per duo, vt dici ſolent, *breuia*, eccleſiae ſuae in Anglia addictis, ne iſtud praeſtarent, interdixit, idemque & ROB. BELLARMINVS, in litteris ad GEO. BLACKWELLVM, Angliae archipresbyterum, improbauit. Ne itaque ciuium animi turbarentur, & ab obſequio regi praeſtando auerterentur; rex ipſe, nomine tamen ſuo non adpoſito, edidit apologiam, inſcriptam: *triplici nodo, triplex cuneus, ſiue apologia pro iuramento fidelitatis, aduerſus duo breuia papae Pauli V. & recentes litteras cardinalis Bellarmini ad Georgium Blackwellum, Angliae archipresbyterum ſcriptas*; quae anglice primum anno 1607 prodiit, mox in latinam quoque translata eſt linguam. BELLARMINVS vero, ſub MATTH. TORTI nomine latitans, rurſus illi oppoſuit *reſponſionem ad librum inſcriptum: triplici nodo, triplex cuneus &c.* Coloniae 1608. 8. Iſto enim MATTH. TORTI nomine cardinalem huncce tegi, deinceps patuit. Cum autem neſciret, regem ipſum *apologiae* iſtius auctorem eſſe; modeſtiae haud raro in iſta reſponſione plane immemor fuit. Rex itaque, vt BELLARMINO iterum obuiam iret, *apologiam* iſtam, auctorem ſe eius eſſe profeſſus, recudi curauit, addita *praefatione monitoria*, qua omnes reges principesque hortatur, vt a tyrannide pontificis ſibi caueant, atque BELLARMINI reſponſiones perſtringit, ciuesque, quae ab iis fieri velit, condocet. Quod cum BELLARMINVS intellexiſſet, ſuam itidem ad *apologiam* iſtam *reſponſionem* recudi curauit, addita eius *defenſione*, & *praefationis monitoriae refutatione*, Coloniae 1610. 8. Iam ante, quam rex *apologiam* ſuam, cum *praefatione monitoria*, recudi curaret, BELLARMINI reſponſioſionem ſub examen [illegible] reuocauerat LANCELLOTTVS ANDREAS, Ciceſtrienſis primum, tum Elienſis, & tandem Wintonienſis apud Anglos epiſcopus, in *tortura Torti*; cui MART. BECANVS, qui & in alio quodam libro BELLARMINI defenſionem in ſe ſuſceperat, *refutationem tor-*

torturae Torti, *ſeu contra ſacellarium regis Angliae*, *quod cauſſam regis ſui negligenter egerit*, oppoſuit, Moguntiae 1610. 8. Hinc vero & alia ſcripta eriſtica ſequuta ſunt, de quibus conferendus VINC. PLACCIVS, in *theatro anonymorum & pſeudonymorum &c. de anonymis num. CXVII. p. 23. & de pſeudonymis num. MMDCCXVII. pag. 596.* ROB. BELLARMINI librum *de poteſtate ſummi pontificis in temporalibus aduerſus Guil. Barclaium*, ab eodem rege IACOBO ex inſtituto impugnatum, IO. FRID. MAYERVS iam obſeruauit, de *fide Baronii & Bellarmini ipſis pontificiis ambigua p. 180.* add. PETR. BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Bellarminus p. 543.* Cumprimis commemoranda hic eſſent certamina, quae rex iſte cum IAC. PERRONIO ſubiit, niſi iam ſupra de iis dictum fuiſſet, cum de cardinali iſto, eiusque ſcriptis, verba faceremus. Opera IACOBI regis iunctim Londini, cura & ſtudio RICH. MONTACVTII, anno 1619 edita, conſtat. Eum iſta ſolum compoſuiſſe, non adeo veroſimile videtur LVD. ELL. DV PIN, qui illum ab IS. CASAVBONO, aliisque viris doctis, quos ſecum habebat, adiutum, exiſtimat; *bibliothec. des auteurs ſeparéz de la communion de l' Egliſe Romaine tom. II. part. II. p. 571.* Quodſi tanta eius eruditio, prout eam nobis depingit GERH. IO. VOSSIVS, in *epiſtola dedicatoria ad Carolum regem*, quam *Ariſtarcho* ſuo, ſiue de *arte grammatica libris ſeptem* praefixit, fuit; non eſt, quod dubitemus, quin ab eo ſolo iſta omnia proficiſci potuerint.

LANCELLOTTVS ille ANDREAS, cuius antea facta eſt mentio, inter praeſtantiſſimos ſui temporis theologos referendus eſt, qui & praeter librum iſtum, *tortura Torti* inſcriptum, alias de rebus grauiſſimis diſſertationes, ex anglicana lingua in latinam translatas, editasque poſt eius obitum Londini, an. 1629, reliquit, quarum ſummam LVD. ELL. DV PIN, *l. c. p. 597. ſeqq.* refert, qui & controuerſiam, quae illi cum PETRO MOLINAEO interceſſit, commemorat. Circa initium ſaeculi decimi ſeptimi GVILIELMVS quoque FORBESIVS, primus Edenburgenſium in Scotia epiſcopus, floruit, nominisque conſequutus eſt celebritatem. Pauca ſcripſit, immo ipſe nihil edidit. *Conſiderationes* enim eius *controuerſiarum*, poſt fata eius, amici cuiusdam cura, typis exſcriptae ſunt. In hiſce vero illorum preſſit veſtigia, qui de romana eccleſia mitius ſentiunt, concordiamque & pacem inter eam & proteſtantes iniri poſſe, ſibi perſuadent. *Conſiderationes* haſce, a mendis plurimis repurgatas, in lucem reduxit IO. FABRICIVS, theologus Helmſtadienſis, iisque *compendium regulae fidei catholicae Veronianae* adiunxit, Helmſtadii an. 1704. 8. qui & de FORBESIO hocce diſſerit, in *hiſtoria bibliothecae Fabric. part. IV. pag. 446. ſeqq.* IO. DAVENANTIVS, theologiae in academia Cantabrigienſi profeſſor, & deinceps epiſcopus Salisburienſis, ideo memorabilis eſt, quod cum GEORGIO epiſcopo Landauenſi, IOSEPHO HALLO, decano tum Wigornienſi, SAM. WARDO, & GVALTH. BALCANQVALLO, ex Angliae theologis, Iacobi I regis iuſſu, ſynodo Dordracenae interfuerit; vid. HENR. LVD. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat, part. I. cap. XIV. pag. 379.* Lectiones eius theologicas, quas *quaeſtionum theologicarum* nomine edidit, recenſet, earumque argumentum indicat LVD. ELL. DV PIN, deque iis pronuntiat, quod ſummatim & perfunctorie eas tractauerit; in ſtilo eius nihil ſublime eſſe, addit, & demonſtrationes eius infirmas, p[illegible]rumque adcuratas; *biblioth. des auteurs ſeparéz &c. tom. II. part. II. p. 604.* Plurimae pontificiis fuere oppoſitae. DAVENANTII huius, vt & SAM. WARDI, & BALCANQVALLI, haud infrequens in hiſtoria ſynodi

nodi Dordracenae, *epiſtolisque* IO. HALESII, A IO. LAVR. MOSHEMIO editis, eoque ſpectantibus, mentio, vt *p. 279. 428. 432.* alibique. Eadem ſynodus Dordracena nobis in memoriam quoque reuocat ipſum IO. HALESIVM, qui illi, non quidem vt membrum eius, ſed vt omnia, quae in ea gererentur, ad Angliae regis legatum perſcriberet, interfuit, quemue eruditiſſimis praeſtantiſſimisque Angliae theologis nonnulli adnumerant. Intelligere id licet ex *vita*, quam *epiſtolis* eius, ex anglica lingua in latinam a ſe translatis, praemiſit, & cum *conſultatione de auctoritate concilii Dordraceni paci ſacrae noxia* edidit IOAN. LAVR. MOSHEMIVS, vir clariſſimus, anteaque nobis iam laudatus. Inde vero etiam conſtat, eum IO. CALVINI initio placitis addictum, nuntium deinceps iis miſiſſe, & ad remonſtrantium transiiſſe caſtra, immo in Socinianiſmi ſuſpicionem adductum fuiſſe. Adeo vero illi CALVINVS diſplicere coepit, vt etiam in ſententia de ſacra coena (ſaltem quam is initio propugnauerat) diſcederet, &, praeter commemorationem quamdam ſacrificii a ſeruatore ſemel oblati, nihil in ea eſſe myſterii, adſeueraret. Scripta HALESII idem vir clariſſimus recenſet; cumque inter ea liber de *ſchiſmate* emineat, qui haud leues in Anglia turbas, ac aduerſarios auctori excitauit, variaque peperit incommoda; diligenter de eo diſſerit in *vita Haleſii §. XII. ſeqq. pag. 159. ſeqq.* Non ignotum quoque inter polemicos Angliae ſcriptores eſt nomen IOAN. PRIDEAVX, theologiae in academia Oxonienſi profeſſoris, & poſtea Wigornienſis epiſcopi. In operibus eius iunctim Tiguri an. 1672. 4. cum praefatione IO. HENR. HEIDEGGERI editis, primo ſe ſtatim loco nobis offerunt *viginti duae lectiones, de totidem religionis capitibus, praecipue hoc tempore controuerſis*, in quibus de *abſoluto reprobationis decreto*; de *ſcientia media*; de *gratia vniuerſali*; de *conuerſionis modo*; de *iuſtificatione*; de *perſeuerantia ſanctorum*, ſimilibusque ita diſputat, vt doctrinae reformatorum, praeſertim abſoluti decreti, acerrimum ſe demonſtret defenſorem. Exſtat etiam in iisdem eius operibus *faſciculus controuerſiarum* de *Dei exſiſtentia*, de *ſcriptura*, de *cognitione Dei*, de *peccato*, de *eccleſia*, de *redemtione*, de *ſacramentis*, & de *nouiſſimis p. 531 ſeqq.* ne quid de eiusdem *theologiae ſcholaſticae ſyntagmate mnemonico*, quod *pag. 736. ſeqq.* legitur, dicam. Cum autem in hiſce, praeſertim in *faſciculo controuerſiarum*, placita quaedam aut eccleſiae anglicanae propria, aut a reliquorum reformatae eccleſiae doctorum ſententia abeuntia, defendiſſet; aduerſarium nactus eſt SAM. MARESIVM, quippe qui *examen theologicum, quatuor inſignium quaeſtionum, de epiſcoporum origine, de clericorum iurisdictione temporali, de diuortiis ſeu diſſolubilitate matrimonii quoad vinculum, & de annihilatione, oppoſitum earum deciſioni praepoſterae per reuerendum virum Ioan. Prideaux, nuperum epiſcopum Wigornienſem*, in lucem emiſit. Nimirum, ad diuortia quod attinet, adſeuerat Wigornienſis praeſul, vinculum matrimoniale ne per adulterium quidem prorſus diſſolui, quae & romanenſium eſt ſententia; mundum autem dum non ſolum mutandum, aut repurgandum, ſed omnino deſtruendum ſtatuit, ad plerorumque noſtrae eccleſiae theologorum opinionem accedit. *Examen* hocce MARESII recudi itidem curauit IO. HENR. HEIDEGGERVS, qui & ipſe mirifice equidem in *praefatione* iam memorata, ſcripta epiſcopi Wigornienſis laudat, vt tamen ſuum non minus in quibusdam teſtetur diſſenſum. Nonnullis & ſcholaſtica, qua cuncta tractat, methodus diſplicet.

Paullo propius iam ad noſtra accedit tempora EDV. STILLINGFLEET, epiſcopus itidem Wigornienſis, & inter maxima Britanniae lumina ſuo iure referendus.

Varia

Digitized by Google

Varia is, nec vnius generis, ingenii ſui praeſtantiſſimi, quae huius loci ſunt, reliquit monumenta. Ad veritatem religionis chriſtianae, ſcripturaeque ſacrae diuinam auctoritatem contra atheos, hominesque profanos, adſerendam, ſpectant *origines* eius *ſacrae*, magna eruditorum adprobatione exceptae, & in linguam quoque germanicam translatae, editaeque Bremae an. 1695. 8. Cumprimis id in iis agit, vt veritatem hiſtoriae, quae in ſacris litteris continetur, in tuto collocet, nec ex gentilium monumentis ad eam labefactandam aliquid peti poſſe, oſtendat. Conſtitutum illi erat, quidquid ad fundamenta religionis naturalis & reuelatae pertinet, ſupplere, idque quinque libris complecti, ex quibus non niſi *libri primi caput primum* integrum, *ſecundum* autem imperfectum mutilumque reliquit; quae ex vltima libri huius editione Cantabrigienſi, operibus eius, iunctim Londini an. 1710 ſex voluminibus in fol. euulgatis, inſeruntur. Vt vero in *capite primo* operis iſtius, ad finem non perducti, varias atheorum cauillationes retundit; ita eidem hominum generi obuiam iuit in *epiſtola ad deiſtam pro adſerenda ſacrarum litterarum auctoritate, & religionis chriſtianae veritate*, quam anglicana lingua ſcriptam, in latinam conuertit ANDREAS ADAMVS HOCHSTETERVS, theologus quondam Tubingenſis clariſſimus, Vlmae 1695. 8. Non tantum autem atheorum hac ratione profligauit ſtultitiam STILLINGFLEETVS, ſed & cum Socinianis congreſſus eſt. IOANNI namque CRELLIO *diſſertationem de ſatisfactione Chriſti* oppoſuit, primum an. 1569 editam, deinde anno 1697 recuſam cum luculenta praefatione, in qua contra quosdam, huic errori in Anglia patrocinantes, euincit, etſi interdum Sociniani recentiores paullo mollius loquantur, nondum tamen eos deſiiſſe in hoc capite a nobis diſſentire; vt adeo nefas ſit, aut negligere hancce de ſatisfactione Chriſti controuerſiam, aut inter λογομαχίας referre. Pars altera iſtius tractatus ſcripta eſt occaſione controuerſiarum circa annum 1694, apud presbyterianos in Anglia inter *antinomos* & *neonomos* ortarum. *Antinomi* namque, cumprimis eorum anteſignanus D. CRISPINS, contendebant, ſatisfactionem, & quae eius cauſſa facta fuerit a Deo, ſurrogationem perſonarum, ita eſſe concipiendam, vt vi eius *peccata electorum ipſa, prout a reatu diſtinguuntur, cum perſonali reatu culpae ac poenae, ipſaque turpitudo & macula peccatorum, transferretur in Chriſtum, vt ille aeque eſſet peccaminoſus, ac ipſi peccatores*; vnde porro concludebant, ſatisfactione praeſtita, electos eadem perfectione eſſe iuſtos, qua Chriſtus eſt iuſtus, vt proinde ab illorum parte nulla prorſus ſit conditio gratiae; remiſſioque peccatorum ſit potius conditio fidei, quam fides conditio remiſſionis peccatorum; hinc & ante fidem iuſtificari hominem, fidemque ſolum pro declaratione iuſtificationis eſſe reputandam. *Neonomi* contra, quos adpellabant, ſpeciatim BAXTERVS & WILLIAMS, adſerebant, Chriſtum non tamquam peccatorem, ſed tamquam *mediatorem*, puniri ob peccata, eorumque poenas ſuſtinere, adeoque Deo patri ſatisfacere, *poena non proprie meritis ipſius debita*, ſed *analogica*, in quantum non ei infligitur, qui eam ipſe promeruit. Rogatus itaque, vt de hiſce iudicium ferret, STILLINGFLEETVS, eorum, quos primo loco commemorauimus, ſententiam damnauit, & antinomiſmi myſteria, in illa latentia, demonſtrauit; eorum contra, qui illis ſe opponebant, doctrinam adprobauit, & a Socinianiſmi ſuſpicione liberauit. Legenda de hiſce *acta eruditor. Lipſ. anno 1712. menſe Mart. p. 111.* Ad eaſdem, de quibus dicere coepimus, cum Socinianis controuerſias ſpectant etiam STILLINGFLEETI noſtri *vindiciae pro doctrina de ſacro-ſancta trinitate, vna cum* ob-

Digitized by Google

obiectorum nuper a Sociniano ex ſcriptura, antiquitate, & ſana ratione, ſolutione; nec non praefatione diuerſos doctrinam de trinitate proponendi modos, & finem, ad quem Socinianiſmus collineat, concernente, Londini 1697. 8. in quibus multa occurrunt, quae illos, qui a Socinianorum ſibi cauere erroribus volunt, ignorare non decet. Recte autem prorſus in *praefatione* docet, eos, qui nouos modos ex philoſophorum placitis myſterium hocce explicandi, excogitant, nihil aliud agere, quam vt illud aduerſariorum ludibrio exponant. Hinc enim contigiſſe, vt nonnulli quintuplicem faciant trinitatem *Ciceronianam*, ſecundum quam exemplo CICERONIS tres perſonae tantum ſint tres relationes; *Carteſianam*, qua tres infinitae mentes, ſeu ſpiritus, vnum Deum conſtituant; *Platonicam*, quae perſonarum admittat ſubordinationem; *Ariſtotelicam*, qua tres perſonae vnam ſpecie ſubſtantiam conficiant; & denique *trinitatem vulgi*, hoc eſt, eorum hominum, qui myſterium trinitatis ſe credere profitentur, nec tamen ſciant, quid ſibi velint, nec vt hoc intelligant, ſint ſolliciti. Dum vero auctor in ipſa tractatione contra eos diſputat, qui nullam eſſe *ſubſtantiae* & *perſonae*, diſtinctionisque inter vtramque, cognitionem noſtram, a qua tamen cognitio myſterii trinitatis pendet, contendunt; IO. LOCKIO eam tribuit ſententiam, ac ſi docuiſſet, nullam dari ſubſtantiae ideam. Hoc autem cum LOCKIVS aegre tuliſſet; certamen eam ob cauſſam inter vtrumque exortum eſt, ſcriptis quibusdam agitatum, quae recenſentur in *actis eruditor. Lipſienſ. anno 1699. menſe Ianuar. pag. 12. ſeqq.* item *p. 19.* quemadmodum ipſae *vindiciae* ibidem exhibentur *anno 1698. menſe Nou. p. 496. ſqq.* Non ſegniorem denique in pontificiorum erroribus profligandis ſe demonſtrauit STILLINGFLEETVS. Documento eſſe poteſt eius *concilium Tridentinum ad traditionem catholicam examinatum & reprobatum.* Cum enim romanenſes tantopere traditionem iactitent; exemplis quibusdam oſtendit, decreta concilii Tridentini verae ac genuinae traditioni repugnare. Commentatio haecce, anglice, vt praecedentes, ſcripta, Londini prodiit, anno 1688. 4. Praeterea & *diſſertationem* ſcripſit, de *idololatria, quae in eccleſia romana obtinet, deque periculo ſalutis in eius communione, nec non fanaticiſmo & diuiſionibus eiusdem eccleſiae.* Huic diſſertationi cum libelli quidam oppoſiti fuiſſent; defenſionem eius in ſe ſuſcepit, in *reſponſione ad aliquot tractatus recens editos occaſione diſſertationis de idololatria eccleſiae romanae.* Mitto reliqua, ad easdem cum pontificiis controuerſias referenda, quae in *operum* eius *volumine IV. V. & VI.* continentur.

STILLINGFLETO iungimus IOAN. EDVARDI, praeſtantiſſimum itidem Angliae theologum, qui in variis diſſentientium erroribus profligandis ſtudium ſuum diligentiamque demonſtrauit. Ad Socinianorum placita profliganda ſpectant lites illae, quae cum celeberrimo philoſopho IOAN. LOCKIO illi interceſſerunt. Cum enim hic librum notiſſimum, *de religionis chriſtianae, prout in ſacris litteris traditur, rationalitate*, edidiſſet; EDVARDI *meditationes quasdam de cauſſis & occaſione atheiſmi, hodierni praeſertim ſaeculi*, in lucem emiſit, in quibus paſſim LOCKII ſententias, vt periculi plenas, nec alienas a Socinianiſmo, immo ab atheiſmo, perſtringit. Hiſce vero *meditationibus* vt IO. LOCKIVS *vindicias libri de chriſtianae religionis rationalitate* oppoſuit; ita EDVARDI rurſus cauſſam ſuam egit in *Socinianiſmo delaruato, ſiue diſſertatione, in qua vanitas nuperi ſcriptoris rationalitatis religionis chriſtianae, de vnico fidei articulo oſtenditur; accedit breuis ad alterius cuiusdam Sociniani obiectiones reſponſio;* Londini an. 1696. 8. Id nimirum vitio vertit LOCKIO, quod vnicum tantum fidei articulum conſti-

ſtituat, *Ieſum eſſe Meſſiam*, idque ea ratione, vt cuncta, quae de eo dicit, Sociniani facili negotio admittere queant; quod ſatisfactionis Chriſti nullam mentionem fecerit, aut certe ſubobſcure ſolum, quod ipſe non diffitetur LOCKIVS; quod ad explicanda & probanda fidei fundamenta, epiſtolica apoſtolorum ſcripta adhibere noluerit, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ad quae LOCKIVS ita reſpondet, vt dubitem, an omnibus ſatisfaciat. Contra atheos diſputat EDVARDI in *demonſtratione exſiſtentiae, atque prouidentiae Dei, e contemplatione viſibilis ſtructurae maioris & minoris mundi hauſta*, Londini 1691. 8. Idem hominum genus perſtringit in doctrina fidei & iuſtificationis, Londini an. 1708 8. edita, quamquam ex inſtituto eo comparata non ſit. IOANNIS namque TOLANDI librum *de chriſtianiſmo myſterii experte*, atro notat lapillo; quod, reuelationem diuinam adſenſus fundamentum eſſe, negat; non minus vero & IO. CRAIGIVS ob *principia mathematica theologiae chriſtianae* illi vapulat, quod, fidem in probabilitate hiſtorica euangelii conſtituens, per calculos analyticos probare voluerit, probabilitatem hiſtoriae Chriſti, prout ex traditione orali tantum pendet, ſub finem ſaeculi octaui euanuiſſe; probabilitatem autem hiſtoriae Chriſti, litterarum monumentis conſignatae, poſt annos 3150 a natiuitate Chriſti euaneſcere debere; indeque porro vocato in ſubſidium loco *Luc. XVIII. v. 8.* concluſerit, ante iſtum annum Chriſtum ad extremum iudicium non venturum. Cumprimis adhuc huius loci eſt eiusdem EDVARDI *diſcurſus liberior de veritate & errore, quatenus imprimis ad religionem ſpectant, in quo inueniendi illam atque obtinendi, hunc vero cognoſcendi euitandique certa ratio proponitur, & varii auctores, praecipue autem epiſcopi Sarisberienſis expoſitio triginta nouem articulorum eccleſiae anglicanae perpenduntur &c.* Londini 1701. 8. Principia enim iſta generalia de veritate & errore, rationeque illam recte cognoſcendi, hunc autem euitandi, itemque de variis errorum cauſſis, etſi a plerisque, qui ad theologiam polemicam accedunt, negliguntur; rite tamen in ea proceſſuris cognitu prorſus ſunt neceſſaria. Reuelationis autem diuinae, & ſcripturae ſacrae neceſſitatem ac praeſtantiam dum adſtruit; TILLOTSONIVM ſimul ac LOCKIVM refellit, quod veritatem, a Deo nobis manifeſtatam, non aeque certam eſſe, arbitrentur, ac illam, quam lumen naturale nobis ſuppeditat, ſeu quae ex naturae conſideratione hauritur. De epiſcopi Sarisberienſis, ſeu GILB. BVRNETI *expoſitione triginta nouem articulorum eccleſiae anglicanae*, in qua non tantum auctori huic, ſed & aliis, nonnulla diſplicuere, iam alibi dictum, & deinceps aliquid monendi recurret occaſio. Denique cum noſtra aetate GVIL. WHISTONVS Arianam magno conatu reuocaret impietatem; EDVARDI haud vltimus inter eos eſſe voluit, qui eam profligare ſuarum duxerunt eſſe partium; idque in breuibus quibusdam *obſeruationibus & animaduerſionibus, in Whiſtoni nupera ſcripta ſub titulo: primaeuus chriſtianiſmus reſuſcitatus, edita*, egit Londini an. 1712. 8. In hiſce itidem, vti & in reliquis, huc vsque enarratis, anglico vſus eſt ſermone.

A IOANNE hocce EDVARDI, cuius commemorauimus ſcripta polemica, diuerſus eſt IONATHAN EDVARDI, cuius tamen ſimiliter in controuerſiis cum Socinianis haud ignobile nomen eſt. Praeſtantiſſimum enim prorſus in hoc genere, ſed anglicana lingua concinnatum, reliquit opus, quod inſcribitur: *antidotum contra Socinianiſmum, commonſtrans directam eius cum religione a Deo in ſcriptura reuelata pugnam.* Quatuor id abſoluitur partibus, quarum prima Oxonii an. 1693. 4. vltima ibidem an. 1703 lucem adſpexit publi-

publicam. Hoc vero proprium ſibi habet & peculiare, quod, cum reliqui veritatem contra Socinianorum inſultus defendant; ipſe contra illorum adoriatur errores, & quam vehementer cum verbo Dei pariter ac ſana ratione pugnent, demonſtret. Nec praetermittendus nobis hic eſt WILHELM. SHERLOCKIVS, haud obſcuri nominis inter Anglos theologus. Praecipue autem & illi cum Socinianis res fuit, quibuscum recentiori aetate vel maxime eccleſiae anglicanae doctoribus conflictandum fuit. Cum enim duo in Anglia ſcripta typis exſcripta fuiſſent, ad Socinianorum diſſeminandos errores comparata, alterum: *notae breues ad ſymbolum ſancti Athanaſii;* alterum: *breuis hiſtoria vnitariorum*, inſcriptum; hiſce obuiam ire SHERLOCKIVS ſui arbitratus eſt eſſe muneris. *Vindicias* itaque edidit *dogmatum de ſacro-ſancta trinitate & filii Dei incarnatione*, Londini 1690. 4. In quibus licet erudite contra aduerſarios ſuos diſputet, multaque adferat lectu digna; nonnulla tamen admiſcet, quae non omnibus probabuntur, ſuaeque de ſummis myſteriis philoſophandi cupiditati, plus, quam decet, indulget. Iisdem diuinitatis Chriſti hoſtibus oppoſuit *ſcripturae ſacrae de deitate noſtri ſaluatoris teſtimonia explanata & vindicata;* Londini 1706. 8. Additum eſt huic opuſculo *examen diſſertationis de deſcenſu hominis Ieſu Chriſti ex caelo in terram, vti & de regreſſu eius in caelum;* in quo FOVVLERI ſententiam, de praeexſiſtentia animae Chriſti, refellit. Ad atheorum autem Epicureorumque impietatem proſcribendam comparatus eſt *diſcurſus* eius *de prouidentia diuina*, Londini an. 1694. 4. editus. Iam antea *diſcurſum practicum de iudicio extremo* in lucem emiſerat, in quo cum docuiſſet, mundum prouidentia regi; ex inſtituto deinceps naturam indolemque prouidentiae diuinae explicare, vt ad eam agnoſcendam omnes adducerentur, operae putauit eſſe pretium. Denique in animis ſuorum contra pontificiorum errores praemuniendis ſuo deeſſe noluit officio; lectuque prorſus dignum eſt *antidorum* eius *contra papiſmum*, quod ex lingua anglicana, qua & reliqua ſcripſit, in gallicanam translatum Hagae Comitum lucem adſpexit an. 1721. 8. Duabus illud abſoluitur partibus, quarum prior conſilium de ratione cum pontificiis diſputandi, ſuppeditat; poſterior autem, quouſque papiſmus vero chriſtianae religionis ſcopo e diametro aduerſetur, oſtendit.

GILBERT. BVRNETVS, epiſcopus Sarisberienſis longe celeberrimus, maximum equidem & immortale, ob *hiſtoriam reformationis eccleſiae anglicanae* nominis decus conſequutus eſt, de qua alibi dicendi locus erit; reliquit tamen & alia ingenii monumenta, ob quae & hic eum commemorare decet. Quo pacto clerus gallicanus, qui romanae eccleſiae partes ſequitur, an. 1682 congregatus, *commonefactionem* ad Galliae proteſtantes ediderit, modosque XVII, quibus horum conuerſio ſeu reditus ad eccleſiam romanam procurari poſſit, propoſuerit; non temere quemquam fugit. Nec defuerunt, qui *commonefactionem* iſtam, *methodosque*, ſub examen reuocarent, arteſque, omnis fraudis plenas, ſub hiſce integumentis latitantes, detegerent, quos inter haud vltimo loco BVRNETVM ponendum eſſe, *animaduerſiones* eius *in acta nuperorum comitiorum generalium cleri gallicani, ſiue examen commonefactionis paſtoralis, & methodorum, quas clerus propoſuit*, docet, quod & ex anglicana lingua in gallicanam a ROSEMVNDO translatum, Londini prodiit an. 1683. 12. Non tantum autem, quid tum in *commonefactione* iſta, tum in *methodis*, reprehenſione dignum ſit, oſtendit; ſed &, quae romanenſibus conuincendis conducant, quaeue eorum religionem ſuſpectam reddant, indicat; cuiusmodi eſt, quod ſibi

ſibi auctoritatem, definiendi credenda, arrogent, & caecam obedientiam exigant, quodue plurima illorum dogmata ad euehendam cleri potentiam ſint comparata, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Quae ſaeculo proxime elapſo romano pontifici cum Galliae rege, de *iure*, quod vocant, *regaliae*, interceſſit controuerſia, occaſionem BVRNETO praebuit, *hiſtoriam iurium principis circa beneficia eccleſiaſtica & territoria eccleſiae*, edendi, quae Londini an. 1682. 8. lucem adſpexit. In ea hiſtoriam electionis ſacri ordinis virorum, & dotationis redituumque eccleſiaſticorum, a primo noui teſtamenti tempore ad ſuam fere aetatem, auctor luculenter deſcribit, vt tamen eccleſiarum, quae in Gallia ſunt, praecipue rationem habeat. Vltimam libri huius partem in linguam germanicam transtulit, inſcriptamque: *einheimiſcher Krieg des Pabſtthums, oder ausführlicher hiſtoriſcher Bericht, von dem neulichen Streit in Franckreich wegen der Regalien &c.* edidit HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, Luneburgi, 1689. 4. Nihil nunc dicam de *animaduerſionibus* BVRNETI *in librum nonum hiſtoriarum Antonii Varillaſii*, earumdemque *defenſione*, itemque, *animaduerſionibus in librum tertium & quartum hiſtoriae* eiusdem *Varillaſii*; vti nec de *animaduerſionibus in epiſcopi Meldenſis hiſtoriam de variationibus eccleſiarum proteſtantium.* Licet enim in hiſce plurima occurrant, quae in controuerſiis cum pontificiis nobis vſui eſſe queant; hiſtorica tamen cum potius ſint, quam dogmatica, rectius alio in loco ſedem ſibi vindicant. Aliter cenſendum de eiusdem *reſponſione ad libellum Samuelis Parkeri, epiſcopi Oxonienſis, qua refutatur id omne, quod iſte attulerat, pro abolitione teſtificationis illius parliamentariae, transſubſtantiatione item, & romanae eccleſiae ab idololatria immunitate*; cuius verſio gallica Coloniae, vt inſcriptio perſuadere vult, an. 1688. 12. prodiit. SAMVEL namque PARKERVS, epiſcopus Oxonienſis, teſtificationi ſollemni omnibus parliamenti membris an. 1578, die 30 Octobr. iniunctae, qua iureiurando erroribus quibusdam romanae eccleſiae ſpeciatim transſubſtantiationi, cultui Mariae & ſanctorum, item ſacrificio miſſae renuntiare debebant, vehementer ſe oppoſuit, idque cumprimis egit in *rationibus pro abrogatione teſtificationis illius ſolemnis &c.* Londini anno 1688. 4. editis; hiſce ergo dum in *reſponſione* iſta BVRNETVS obuiam iuit, multa de transſubſtantiatione, de idololatria romanae eccleſiae, ſimilibusque capitibus, erudite diſputat. Ipſe rurſus BVRNETVS multorum irritauit animos, aliorumque expertus eſt cenſuras, cum *expoſitionem triginta nouem articulorum eccleſiae anglicanae* edidiſſet, eo quod laxiori quadam interpretatione ambiguum vndique iſtorum articulorum reddere ſenſum, & quosuis fere ſectarios, ipſos etiam Socinianos, ad fidei vnius admittere ſocietatem, nonnullis viſus eſſet. Sed hac de re iam ſupra dictum eſt, *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *X.*

Miſſis reliquis, quae adhuc tum de BVRNETO, tum de aliis dici poterant, ad IO. TILLOTSONIVM, archiepiſcopum illum Cantuarienſem, longe itidem celeberrimum, nos conuertimus. Mirari equidem aliquis poſſet, eius hic mentionem fieri, cum, praeter *ſermones ſacros*, magnam partem in linguam germanicam, a IO. BARBEYRACIO etiam in linguam gallicanam, conuerſos, eum aliquid reliquiſſe, quo memoriam ſuam ad poſteros propagauerit, non conſtet. Sed hi ipſi *ſermones*, qui tantam illi peperere laudem, id a nobis poſtulant, ne eum prorſus hic ſilentio praetermittamus. Sunt enim inter eos nonnulli, in quibus grauiſſimi momenti controuerſias ita tractat, vt ad ἀκρίβειαν nihil deſit. Sic *ſerm. XI. tomi II. p. 62. ſeqq.*

62. ſeqq. ex verſione BARBEYRACII, de *incertitudine ſalutis in eccleſia romana* diſſerit, ſeu quanto in aeternae ſalutis periculo verſentur, qui in eccleſia romana ſunt conſtituti; vbi & quaeſtionem iſtam, an ex eo quod proteſtantes concedant, poſſe aliquem in eccleſia romana etſi difficulter, ſaluari, cum romanenſes contra, in noſtra eccleſia aliquem ſaluari poſſe, negent, ſolidum legitimumque argumentum pro defendendo tranſitu ad eccleſiam romanam deſumi queat? ſolide euoluit. Tyrannidem & ſaeuitiam eccleſiae romanae, quam erga eos, qui a ſacris eius alieni ſunt, demonſtrat, depingit, in ſermone: *quod zelus nihil niſi crudelitatem & vindictam ſpirans, cum genio & ſcopo euangelii conſiſtere nequeat; tom. III. p. 1. ſeqq.* Contra *transſubſtantiationem* ex inſtituto diſputat, eodem *tom. III. ſerm. XXVI. p. 311. ſeqq.* *Defenſionem religionis proteſtantium, contra accuſationem ſingularitatis & nouitatis*, exhibet *ſermon. XXVII.* qui primus eſt in *tomo IV. p. 1. ſeqq.* *Praeiudicia, quae generatim verae religioni obſtant*, remouet *ſerm. XXVIII. p. 34. ſeqq.* Cum magnam erga diſſentientes demonſtret lenitatem; eum in ſuſpicionem veniſſe, ac ſi tolerantiae limites, vltra, quam par eſt, proferret, notum eſt. Fuerunt & alii plures, quorum praecipue in controuerſiis eccleſiae anglicanae domeſticis ita enituit induſtria, vt nominis inde famam conſequerentur; ſed vt eos hic commemoremus, inſtituti noſtri non patitur ratio. Conſulere de iis iuuabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM, in *introductione in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad §. *VIII. p. 254. ſeqq.* qui & in praecedentibus *p. 146. ſeqq.* quorumdam Angliae theologorum, qui huius loci ſunt, mentionem facit.

Diu ſatis in Anglia commorati ſumus, vt viros doctos, qui certaminibus theologicis inclaruerunt, ibi contemplaremur. Reuertendum nunc nobis eſt in Germaniam. Offert ſe hic HIER. ZANCHIVS, gente quidem Italus, ſed qui in Germania, & primum quidem Argentorati, deinde tum alibi, tum maxime Heidelbergae, docuit. Cum Argentorati eſſet, magnarum turbarum auctor exſtitit, eo, quod CALVINI, ZWINGLIIQVE placitis inhaereret, eaque ibi introducere vellet. Eam namque ob cauſſam IO. MARBACHIVS, aliique, acriter ſe ei opponebant. Accedebat, quod concedere nollet, vt TILEM. HESHVSII liber *de praeſentia corporis Chriſti in ſacra coena* ibi imprimeretur. Legendus de hiſce VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. II. lib. IV. cap. X. p. 284.* qui & obſeruat, ZANCHIVM occaſionem dediſſe, vt controuerſia de praedeſtinatione & abſoluto electionis decreto inter noſtrates & reformatos palam erumperet, cumque an. 1561 theſes de praedeſtinatione dictaſſe, in quibus durius hac de re loquutus ſit, quam ipſe CALVINVS. Ea vero, quae tum hac de re, tum de aliis capitibus, contra noſtrates ſcripſit, in *miſcellaneis* eius *theologicis* continentur. Speciatim huc etiam referendi ſunt eius *de incarnatione filii Dei libri duo*, in quibus de reali communicatione diuinarum proprietatum, humanae Chriſti naturae facta, ſpeciatim de omnipraeſentia, diſputat. Iuſſu quoque Friderici III^ti electoris palatini, contra antitrinitarios *libros XIII. de tribus Elohim, aeterno patre, filio & ſpiritu ſancto, vno eodemque Iehoua*, itemque *libros duos de natura Dei, ſeu attributis diuinis*, ſcripſit. Vtriusque operis cum MELCH. ADAMVS mentionem feciſſet, addit: *in his tota orthodoxa de magno illo myſterio doctrina ita explicatur & confirmatur, vt non ſine cauſſa omnem abſterſiſſe pudorem illi videri poſſint, qui plenis buccis & libris ad populum chriſtianum deblaterant; Caluiniſmum eſſe aditum ad Arianiſmum & atheiſmum;* in *vitis theologorum exteror. p. 76.*

p. 76. Sed & *reſponſionem, ad cuiusdam Ariani libellum, cui titulus: antitheſis doctrinae Chriſti & anti-chriſti de vno vero Deo;* & alia quaedam eiusdem generis, edidit. Praecipua ex reliquis eius ſcriptis ANT. TEISSIERIVS indicat, *dans les eloges des hommes ſçavans &c. tom. II. p. 161.* Conſtat etiam, omnia ZANCHII ſcripta an. 1613 octo tomis in fol. prodiiſſe. PETR. BAELIVS, ea ita comparata eſſe, pronuntiat, vt recentiorum theologorum ſcriptis nihil concedant; etſi hodie a paucis legantur, & vili vendantur pretio, immo inuoluendo piperi inſeruiant; in *diction. hiſt. & crit. voc. Zanchius p. 3053.* vbi & plura obſeruatu digna de eo occurrunt. DAN. TOSSANVS, theologus Heidelbergenſis, qui circa initium ſaeculi decimi ſeptimi an. 1602 mortuus eſt, pro defendenda reformatae eccleſiae contra noſtrates doctrina, varia edidit, vti ſunt: *Verantwortung der reinen Lehre vom heiligen Nachtmahl, wieder D. Iohann Marbach; Troſtſchrifft an alle Chriſten, ſo von wegen der reinen Lehre von Sacramenten, vnd beſonders des heiligen Abendmahls, angefochten werden &c. doctrina de praedeſtinatione breuibus quaeſtionibus comprehenſa,* & alia. Idem & SAM. HVBERVM refutauit, in libro, quem inſcripſit: *des Schwindelgeiſts eigentliche Merckzeichen in dem vnruhigen Mann Samuel Huber, der ſich wieder den ewigen vnd gerechten Rath Gottes zu einen Fürſprecher der Verworffenen vnd Verdammten aufgeworffen hat &c.* DANIELIS huius TOSSANI filius fuit PAVL. TOSSANVS, theologus itidem Heidelbergenſis, &, palatinatu adflicto, paſtor Hanouienſis. Notus quidem praecipue eſt ob *biblia germanica* (ex verſione beati LVTHERI) *notis ad marginem, quibus textus explicatur, illuſtrata,* de quibus alibi dicendi locus erit; ſcripta tamen etiam quaedam polemica edidit. Inter ea vero maxime obſeruatu digna *acta colloquii, inter Stephanum Laſurum, regiae maieſtatis britannicae legatum, & D. Matthiam Hoë ab Hoënegg, an. 1613 dominica quaſimodogeniti Dresdae in aula habiti,* quae Oppenheimii an. 1615 in lucem emiſit. STEPHANI namque LASVRI, Britanniae regis legati, & WELLERI *epiſtolis,* ex quibus conſtat, HOEVM, vt probaret, Chriſtum per clauſas ianuas ad diſcipulos ſuos intraſſe, ad particulam διὰ prouocaſſe, quae *Ioan. XX. 19.* exſtet, quaeue ibi non legitur, in hiſce *actis* complexus eſt; de quibus IO. FABRICIVM conſulere iuuabit, in *hiſtoria biblioth. Fabricianae part. IV. p. 513.* AMANDVS POLANVS A POLANSDORFF, Oppauiae Sileſiorum natus, Baſileae theologiam docuit, ibidemque an. 1610 vitam cum morte commutauit. Praeter *ſyntagma theologiae chriſtianae,* Hanouiae an. 1610 editum, in quo & polemica attingit, itemque *ſyllogen theſium theologicarum,* alia quoque ad doctrinae, quam reformatae eccleſiae doctores profitentur, defenſionem ſpectantia, in lucem emiſit. Praecipuum inter ea locum tenet *collegium* eius *anti-Bellarminianum,* ſupra nobis, cum de BELLARMINO ageremus, iam commemoratum; nec praetermiſſum ADRIANO BAILLETO *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 96.* Edidit idem, vt reliqua mittam, *Erklaerung etlicher ſtreitiger Punctlen in Religions-Artickeln von Chriſto vnd der ewigen Gnaden-Wahl Gottes;* itemque *didaſcaliam de aeterna praedeſtinatione,* quae controuerſiis, ſuper quibus inter nos & reformatos diſputatur, inſeruiunt. A GVIL. FORBESIO, in *conſiderat. controuerſiar. p. 402.* POLANVM *ſcriptorem (contra pontificios) rigidiſſimum* vocari, obſeruat FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth. Fabricianae p. 379.*

Circa initium ſaeculi decimi ſeptimi academiam Heidelbergenſem ornauit DAV. PAREVS, quippe qui an. 1622 mortuus eſt. Varia is pro ſuae eccleſiae dogmatibus ſubiit certamina. Idque mirum non

 eſt,

Digitized by Google

eſt, cum, obſeruante PETR. BAELIO, receptae doctrinae fuerit tenaciſſimus, acerrimusque nouarum opinionum hoſtis; quo nomine & arctiſſima cum SIBRANDO LVBERTO, theologo Franecquerano, qui eodem ingenio fuit, illi interceſſit amicitia. Eamque ob cauſſam aptiſſimum eum fuiſſe, qui ſynodi Dordracenae patribus adnumeraretur, idem BAELIVS pronuntiat; cui tamen ob ſenectutem, corporisque imbecillitatem intereſſe non potuit; vid. eius *diction. hiſtor. & crit. voc. Pareus p. 2296.* Ramiſticam philoſophiam, quae eo tempore philoſophorum ſcholas turbabat, maximopere illi diſplicuiſſe, facile intelligere licet. Sed vt ad ea, quae noſtri inſtituti ſunt, accedamus; ex plurimis ſcriptis polemicis, more noſtro ea, quae maxime obſeruatu digna videntur, indicabimus. De bibliis germanicis LVTHERI cum adnotationibus, cura & opera DAV. PAREI Neoſtadii an. 1589 editis, & orta hinc cum IAC. ANDREAE lite, *capite ſequenti* ex inſtituto dicemus. Nec repetemus ea, quae pro defenſione IO. CALVINI contra AEGID. HVNNII *Caluinum iudaizantem* ſcripſit, quippe quae ſupra iam enarrauimus. Ad ea, quae noſtratibus oppoſuit, ſpectat *methodus vbiquitariae controuerſiae;* itemque *libri quinque de littera & ſententia verborum domini in ſacra euchariſtia*, quos ALB. GRAVERVS in *anti-Pareano propugnaculo, ſiue ſolida & inuicta defenſione argumentorum, quibus Caluiniſtarum metonymia, quam verbis Chriſti in ſacra coena affingunt, funditus deſtruitur*, confutauit. Conferendus ADRIANVS BAILLETVS, *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 361.* vbi *anti-Pareos* quoſdam recenſet. Non minus & pontificios ſubinde in ſcriptis ſuis adgreſſus eſt, variaque illi cum Ieſuitis interceſſerunt certamina, ſpeciatim cum MART. BECANO, inter cuius *opuſcula* nonnulla PAREO oppoſita exſtant, vt: *de circulo Caluiniſtico contra Dauidem Pareum;* item *quaeſtiones Caluiniſticae contra Pareum*, vbi *theſes* eius *de peccato* oppugnat, in quibus negauerat, CALVINVM docuiſſe, Deum eſſe auctorem peccati. De lite autem cum IO. MAGIRO, Ieſuita, cui PAREI oratio, *de Ieſuitarum ſtrophis circa canonem ſacrae ſcripturae* occaſionem praebuit, ſcriptisque vtrinque editis, legendus PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Pareus p. m. 2298.* Praecipuum inter omnia PAREI ſcripta locum, ni fallor, promeretur eius *irenicum, ſiue de vnione & ſynodo euangelicorum concilianda liber votiuus, paci eccleſiae & deſideriis pacificorum dicatus*, Heidelbergae an. 1614. 4. In eo namque viam planam placidamque oſtendere voluit, qua ordines theologique proteſtantes ex tot bellorum ac contentionum Labyrinthis emergere, & pacem ac concordiam conſequi poſſint. Sed pacis iſtius conditiones, quas propoſuit, cum noſtratibus ſuſpectae eſſent; id quidem palam oſtendere ac commonſtrare nonnulli ſuarum duxerunt partium, vt, IO. GEORG. SIGWARTVS, theologus Tubingenſis, in *admonitione chriſtiana de irenico Parei*, Tubingae an. 1616, cumprimis vero LEONH. HVTTERVS, in *irenico vere chriſtiano, ſiue de ſynodo & vnione euangelicorum non fucata concilianda, tractatu theologico, irenici D. Dauidis Parei conſilia callida, lubrica, inſidioſa, quibus eccleſiae Dei, pacem non euangelicam, ſed Samaritanam, concordiam non orthodoxam, ſed Ariminenſem & haereticam, nimium quantum perſuadere ſatagit*, ὥσπερ κατὰ πόδας, *quod aiunt, perſequente, examinante, refellente*, Wittebergae anno 1618. fol. Caput autem cauſſae ſuae PAREVS in eo conſtituit, quod putat, diſſenſum inter noſtrates & reformatos minime eſſe fundamentalem. Quod & recte LEONH. HVTTERVS obſeruat, qui hac de re verba faciens, *& hoc quidem*, inquit, *eſt primarium caput, a quo vniuerſa ſyncretiſmi Pareani ſtructura maxime dependet;*

pendet; *p. 22.* *Commentarium* PAREI *in epiſtolam ad Romanos* Iacobo I Angliae regi adeo diſplicuiſſe, vt eius iuſſu manu carnificis fuerit combuſtus, conſtat. Monarchomachorum enim in eo adprobauerat principia. DAVID quoque OWENVS, Angliae theologus, ideo *anti-Pareum* ſcripſit, *ſeu determinationem de iure regio contra Dauidem Pareum*, Cantabrigiae anno 1622. 8. cui PHIL. PAREVS, patris ſui cauſſam acturus, reſponſionem oppoſuit, quam mirum in modum exagitat, ac perſtringit ADR. BAILLETVS, *des ſatyres perſonnelles &c. tom. II. p. 146.* forte non ſecum expendens, ex pontificiis eſſe, qui aut eadem, aut longe adhuc deteriora contra ſummos imperantes, non modo ſcripſerunt, ſed & egerunt. Diſſerit & hac de re PETR. BAELIVS, *l. c. p. 2297. lit. E.* IO. PISCATOR, theologus Herbornenſis, ob nouam ſcripturae ſacrae verſionem germanicam, commentariosque in veteris ac noui teſtamenti libros, de quibus ſuo loco dicemus, notior eſt, quam ob ſcripta polemica; quamquam & in hiſce ingenii ſui periclitari vires voluerit. Documento eſſe poſſunt *quaeſtiones eius rhetoricae de verbis domini, hoc eſt corpus meum, an ſit in illis tropus, quisnam ille ſit, & in qua voce?* Herbornae 1587. 8. Ad easdem, quae nobis cum reformatis intercedunt, controuerſias ſpectat *antidromus* eius *ad prodromum Andreae Schafmanni*, itemque *reſponſio ad problemata ſacra Petri Piſcatoris.* Vtrumque librum inter ſcripta noſtratibus oppoſita laudat IO. HENR. HOTTINGERVS, in *bibliothecario quadripartito lib. II. cap. II. p. 380.* Et ad vltimum quidem quod attinet, eodem circiter tempore, quo IO. PISCATOR vixit, in academia noſtra Ienenſi PETR. PISCATOR floruit, qui reformatorum placitis *problemata* iſta *ſacra* oppoſuit, ad quae IO. PISCATOR reſpondit. Eiusdem porro generis ſunt *admonitio* eius *de Buſcheri exercitationibus*, itemque *reſponſio ad elenchos Buſcheri.* HEIZO namque BVSCHERVS, ſcholae Hanoueranae rector, eccleſiae noſtrae cauſſam contra PISCATOREM variis ſcriptis egit, quae CHRISTOPH. HENDREICH recenſet, in *pandectis Brandenburgicis voc. Buſcherus p. 805.* Nec nudus certaminum, quae iſto tempore inter remonſtrantes, ac contraremonſtrantes agitabantur, ſpectator eſſe voluit PISCATOR, quin potius ab horum ſe ſtare partibus, non vno ſcripto teſtatus eſt. Docet hoc *reſponſio* eius *apologetica ad Conradi Vorſtii paraſceuen*; itemque *notae ad Conr. Vorſtii collationem*; *reſponſio* quoque *ad apologeticum Bertii de praedeſtinatione*, & alia. Singularem etiam cum ipſemet, de obedientia Chriſti actiua, ad ſatisfactionem eius vicariam non pertinente, foueret opinionem; quamquam ea in re GEORG. KARGIVM ſiue PARSIMONIVM ſibi praeeuntem habuerit; quorumdam ex ſuis contra ſe irritauit animos. Rem omnem ediſſerit CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *ſchediaſmate theologico de formula conſenſus heluetica &c. cap. I.* ad §. *VII. p. 18.* qui & de reliquis PISCATORIS ſcriptis agit, in *introduct. in hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata* ad §. *VIII. p. 212.* LVD. ELL. DV PIN, cum commentariorum PISCATORIS in nouum teſtamentum mentionem feciſſet, eruditionis equidem & ἀκριβείας laudem illi non denegat; cum tamen minutiis inhaereat, ſtiloque vtatur ſcholaſtico; taedium eum creare lectoribus, adſerit. Nec de ſcriptis eius polemicis aliter cenſendum putat. Etſi enim rerum notitia illi non deſit; defectum tamen ingenii ſublimioris obſtare, quo minus ſcripta eius placere queant; *biblioth. des auteurs ſeparéz de la communion de l' Egliſe Romaine tom. II. part. I. p. 380.*

LVDOV. CROCIVS, theologus Bremenſis, non vnam ob rationem nobis hic commemorandus eſt. Cum romanenſibus

bus enim pariter ac noſtratibus non ſemel in arenam deſcendit; nec tamen ſuae etiam eccleſiae theologis prorſus placuit. Ad romanenſes quod attinet, ROB. BELLARMINVM praecipue ſibi oppugnandum, ſumſit, in *periculo opinionum aliquot praeiudicatarum Rob. Bellarmini*; item, in *diſputationibus de verbo Dei*; porro *de Chriſto, capite eccleſiae vnico & vero*, aliiſque. Sed & *de fide* diſputationem ſcripſit contra IO. MVLHVSIVM, Ieſuitam non ignotum, vero nomine SPIZNAEI dictum. Ex noſtratibus MATTH. HOEVS & BALTH. MENTZERVS, hic tamen praecipue, illum aduerſarium expertus eſt. HOEVS quidem in *examine Caluiniſticae deſcriptionis Hoëi*; MENTZERVS autem in ſcriptis quibuſdam ad Auguſtanam confeſſionem ſpectantibus. VRBANVS nimirum PIERIVS ex illorum numero, quos crypto-Caluinianos vocabant, ex Saxonia eiectus, Bremam tandem ſe contulerat, ibique obiit. Hic cum a libris eccleſiae noſtrae ſymbolicis diſſentire, videri nollet; BALTH. MENTZERI *collationem Auguſtanae confeſſionis cum doctrina Caluini, Bezae, & ſociorum* aegerrime tulit; cum autem morte praepeditus ſuam hac ſuper re mentem explicare non poſſet; LVDOV. CROCIVS hoc ſibi datum credidit, idque in diſſertationibus quibuſdam anno 1617 egit, in quibus & PIERIVM defendit, & probare ſimul voluit, reformatos pro Auguſtanae confeſſionis ſociis agnoſcendos eſſe. Tum vero MENTZERVS *defenſionem collationis Auguſtanae confeſſionis cum doctrina Zwinglianorum & Caluiniſtarum, oppoſitam Vrbano Pierio & Ludouico Crocio*, in lucem emiſit, Gieſſae anno 1618. 4. Cui quod ſtatim CROCIVS non reſponderit, inde contigit, quod eodem tempore ſynodo Dordracenae intereſſet. Fecit tamen illud an. 1621 edito *apologetico pro Auguſtana confeſſione contra Balth. Mentzerum, eiuſque collationem & defenſionem anti-Pierianam*. Nec ex campo diſceſſit MENTZERVS, quin potius circa initium anni 1623, vel potius finem 1622, prodire iuſſit *anti-Crocium* ſuum, *ſiue contra apologeticum Ludouici Crocii pro Auguſtana confeſſione*. Sed & alia vtrimque ſequuta ſcripta, de quibus legiſſe iuuabit ADRIANVM BAILLETVM *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 327. ſeqq.* Lucem hinc capient, quae ſupra diximus, cum de iis, qui Auguſtanam confeſſionem ſcriptis ſuis illuſtrarunt, verba faceremus, *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *XI.* Suae autem eccleſiae doctoribus LVDOVICVS CROCIVS ideo diſplicuit, quod diuinae gratiae amplitudinem adſereret, & in dogmate de praedeſtinatione PHILIPPI MELANCHTHONIS ſe profiteretur diſcipulum; quam quidem ſententiam ſuam in *ſyntagmate theologiae* palam propoſuerat, ad cuius defenſionem *duodecadem diſſertationum exegeticarum & apologeticarum* publicae luci expoſuit. Quam acerbas autem ſuorum ideo expertus ſit cenſuras, ex iſta *diſſertationum duodecade* conſtat; quod & vir eruditiſſimus IO. LAVRENT. MOSHEMIVS docet, in *conſultatione de auctoritate concilii Dordraceni paci ſacrae noxia §. VIII. p. 24.* conferenda & quae §. *XXXI. p. 99.* leguntur. Eodem fere tempore, quo LVDOV. CROCIVS vixit, Marpurgi floruit, & theologiam docuit IO. CROCIVS. Obiit namque an. 1659, cum LVDOVICVS an. 1655 vitam cum morte commutaſſet. Non minus vero & Marpurgenſis ille theologus ſcriptis polemicis inclaruit. Inter ea, quibus pontificios impugnauit, eminet eius *anti-Becanus*, de quo, vti & ſcriptis eriſticis, quibus occaſionem praebuit, ſpeciatim de *anti-Crocio* a MICHAELE CORNAEO, Ieſuita, illi oppoſito, ſupra iam diximus, cum de BECANO verba faceremus. Poteſt huc etiam referri, *commentarius* eius *de purgatorio pontificio decem diſputationibus interſtinctus*. Noſtrates praeter alia feriunt *conuerſationis Prutenicae partes duae, quibus*

bus

Digitized by Google

bus controuerſiam, *quae a Pruſſis ipſi mota fuerat*, *expediuit*. Cuius operis quaenam ſit ratio, condiſcere licet ex CHRISTOPH. HARTKNOCHII *preuſſiſcher Kirchen-Hiſtorie lib. II. cap. VII. p. 526.* item *pag. 538. ſqq.* In eo vero cum & BALTH. MENTZERVS a CROCIO laceſſitus eſſet; *abſterſionem calumniarum Ioannis Crocii* edidit; cumque CROCIVS *partis ſecundae conuerſationis iſtius prutenicae defenſionem* in lucem emiſiſſet; MENTZERVS mox *reſponſione* quadam defenſionem iſtam excepit. Praeterea, quoniam IO. AFFELMANNVS, theologus Roſtochienſis, *triadem ſyllogiſmorum, de auctore peccati, fractione panis, & imaginibus*, ediderat, & reformatorum in hiſce refutauerat placita; CROCIVS horum cauſſam defendere voluit, in *conſideratione triadis ſyllogiſmorum D. Ioannis Affelmanni;* pro AFFELMANNO calamum iterum ſtringente GEO. ROSTIO, in *anti-Crocio*, *ſeu vindicatione triadis ſyllogiſmorum Ioan. Affelmanni*, *de auctore peccati*, *fractione panis eucharistici*, *& imaginibus*, Roſtochii 1625. 8. quem adeo ob *τὸ anti* ſibi non praetermittendum cenſuit ADR. BAILLETVS *des ſatyres perſonnelles &c. tom. I. p. 331.* Idem etiam IO. DEVTSCHMANNI *anti-Crocium ſeu apologiam Auguſtanae confeſſionis anti-Crocianam* ibidem commemorat, euulgatam Wittebergae an. 1670. 4. Nimirum praeter alia IO. CROCIVS *commentarium de Auguſtanae confeſſionis ſocietate* ediderat, in quo id agebat, quod reformatae eccleſiae doctoribus ſollemne eſt, vt probaret, reformatos a ſocietate Auguſtanae confeſſionis excludendos non eſſe. Quemadmodum autem BALTH. MENTZERVS, in ſuis contra LVD. CROCIVM *diſceptationibus*, reformatos perperam Auguſtanae confeſſionis ſibi vindicare ſocietatem, demonſtrauerat: ita DEVTSCHMANNVS idem in *anti-Crocio* ſuo facere voluit. Ceterum CROCIVS hicce non cum pontificiis modo, & noſtratibus, ſed & cum Socinianis, remonſtrantibus, anabaptiſtis, aliiſque conflixit, immo & ſpeciatim Weigelianos confutare conſultum duxit, in *anti-Weigelio*, *ſiue confutatione theologiae Weigelii*, Caſſellis anno 1651. 4. edito, cuius itidem ADR. BAILLETVS meminit, *l. c. tom. I. p. 421. ſqq.* De *libertinorum* denique *haereſi diſputationes IX.* in lucem emiſit.

Haud obſcurum etiam inter polemicos reformatorum theologos eſt IO. BERGII, concionatoris aulici apud electorem brandenburgicum, nomen. Sed de controuerſia, quae illi ob librum, *daß die Worte Chriſti noch feſt ſtehen &c.* initio cum IO. HIMMELIO, theologo Ienenſi, deinde cum ABRAH. CALOVIO interceſſit, iam egimus, cum de CALOVIO verba faceremus. Reliqua de eo legi poſſunt apud IO. FABRICIVM, in *hiſtoria biblioth. Fabricianae part. IV. pag. 516.* Quaedam etiam memoratu digna, nec ab hoc loco aliena, refert CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS, in *der preuſſiſchen Kirchen-Hiſtorie lib. II. cap. IX. p. 590.* Nimirum cum BERGIVS inter eos nomen ſuum profeſſus eſſet, qui, diſſenſum inter nos & reformatos minime fundamentalem eſſe, credunt, & hac ratione pacem ac concordiam inter vtramque partem promouere cupiunt; in publica tamen diſputatione dicere non dubitauit: *fateamur*, *nos reformatos non poſſe vos Lutheranos pro fratribus agnoſcere*, *quamdiu veſtros errores fouetis ac defenditis*; vt HARTKNOCHIVS *l. c.* auctor eſt. De MARCO WENDELINO beatus CHRIST. KORTHOLTVS noſter, in *prodromo ingenui cultoris theologiae academico pag. 89.* pronuntiat, eum inſtar multorum eſſe poſſe, vt qui prae ceteris reformatorum doctrinam ſingulari cura propoſuerit, confirmauerit, & vindicauerit, tum in *theologia* ſua *chriſtiana*, & *ſyſtemate maiori*, tum praeſertim, quod ad capita, inter nos & ipſos controuerſa, attinet, in *exercitationibus theologicis*,

cis, beato IO. GERHARDO noſtro oppoſitis. De hiſce autem WENDELINI *exercitationibus*, vti & CHRISTOPH. FRANCKII, theologi Kilonienſis, *exercitationibus anti-Wendelianis*, cum ſupra iam, quando de GERHARDO verba fecimus, dictum ſit; nunc ſolum addimus, GEORGIVM quoque MOEBIVM, theologum Lipſienſem, *diſputationem* conſcripſiſſe de *gratia irreſiſtibili a Caluinianis hactenus mordicus defenſa, inprimis a Marco Friderico Wendelino part. II. exercitationum theologicarum contra merentiſſimum theologum D. Gerhardum magno conatu propugnata*. Cui cum IO. HEINIVS, theologus Marpurgenſis, quaedam oppoſuiſſet, idem MOEBIVS *diſputationem apologeticam* in lucem emiſit contra HEINIVM, qui ex nouem WENDELINI argumentis, pro gratia irreſiſtibili adlatis, & in priori diſputatione a MOEBIO refutatis, tria priora vindicare conatus fuerat. SAM. ANDREAE mentionem iam fecimus, cum de IO. MVSAEO noſtro loqueremur. Dicendum nunc etiam eſſet de IO. CHRISTOPH. BECMANNO, SAM. STRIMESIO, BARTH. HOLTZFVSSIO, aliiſque, qui noſtra aetate nominis celebritatem in certaminibus theologicis conſequuti ſunt. Sed de STRIMESIO ac HOLTZFVSSIO, eorumque ſcriptis, conferre iuuabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM, in *introductione in hiſtoriam theologiae litterariam notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III. p. 186. ſeqq.* BECMANNVS hiſtoricis & politicis ſcriptis orbi erudito praecipue innotuit. Ad theologica autem, & quidem polemica, referre licet, quae ſub HVB. MOSANI nomine contra celeberrimum Haffnienſium theologum HECTOR. GOTTFR. MASIVM euulgauit; cum hic librum: *intereſſe principum circa religionem euangelicam*, an. 1687. Haffniae in lucem emiſiſſet; vti ſunt: *Bericht von der reformirten Lehre, von der weltlichen Obrigkeit, ſamt einer Ablehnung der in Herrn Hect. Godfridi Maſii Buche von dem intereſſe der Fürſten, bey der euangeliſchen Religion, ihnen desfals aufgebürdeten Nachreden*; Francofurti ad Oderam 1690. 4. item *fernerer Bericht von der reformirten Lehre, von der weltlichen Obrigkeit, vorgeſtellet in einer kurzen Widerlegung des Buches, welches Hector Gottfried Maſius, vnter dem Titul des treuen Lutherthums wider die euangeliſch-reformirte ausgeben laſſen &c.* ibidem ſine anni mentione. Reliqua in hacce cauſſa edita ſcripta indicare, huius loci non eſt. Praeterea cum VALENT. ERN. LOESCHERVS, celeberrimus eccleſiae noſtrae theologus, an. 1703 ſchediaſma, *allerunterthaenigſte Addreſſe an ein groſsmaechtiges Ober-Haupt &c.* inſcriptum, ediidiſſet; BECMANNVS ad illud reſpondit in *der Exception-Schrifft wider eine allerunterthaenigſte Addreſſe &c.* vnde alia vtrimque enata ſunt ſcripta, donec tandem LOESCHERO occaſio inde praeberetur, concinnandi, *ausführliche hiſtoriam motuum zwiſchen den euangeliſch-Lutheriſchen, vnd Reformirten &c.* cuius hucusque partes tres prodierunt. Sed haec adcuratius exponit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introductione in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad §. *VIII. p. 174. & 175.*

Ex Germania ad Belgas prouehimur, apud quos vt ſemper vberrimus doctorum virorum fuit prouentus; ita nec defuerunt viri eruditione praeſtantes, qui reformatae eccleſiae doctrinam contra quosuis diſſentientes defenderent ac propugnarent. Immo cum ingens horum fuerit numerus; eos tamen more noſtro ſolum indicabimus, qui praecipui quid prae reliquis habere videntur. Sermo autem de illis eſt, qui apud Belgas vixerunt, aut publicis apud eos functi ſunt muneribus; vt adeo illi etiam, qui gente aut Galli aut Germani fuerunt, hic in cenſum veniant. Exponendum equidem initio eſſet, quo pacto, quibusue

Digitized by Google

busue ex rationibus, factum, vt, cum qui primum per euangelii doctrinam, reiectis papatus tenebris, in Belgio colluſtrati ſunt, noſtrae eccleſiae ſententiam ſequerentur, deinceps tamen, qui cum IO. CALVINO faciunt, ſuperiores euaſerint; ſed luculenter hoc iam ediſſeruit HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat part. I. cap. IV. p. 130. ſeqq.* cui iungendus VAL. ERNEST. LOESCHERVS in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. III. lib. V. cap. IV. p. 74. ſeqq.* ex quo etiam, quinam primi tum noſtratium, tum reformatorum in Belgio doctores fuerint, condiſcere licet. Inter eos, qui ante concilium Dordracenum floruerunt, neſcio, an quis eruditionis laude cum FRANC. IVNIO, theologo Lugdunenſi, comparari queat. Licet vero philologicis ac exegeticis maxime ſcriptis nominis celebritatem conſequutus ſit, polemica tamen etiam quaedam, vt: *animaduerſiones ad Rob. Bellarmini controuerſiam primam de verbo Dei ſcripto, & non ſcripto;* ad *ſecundam, de Chriſto, capite totius eccleſiae;* ad *tertiam, de ſummo pontifice;* ad *quartam, de conciliis & eccleſia militante &c.* porro *tres defenſiones catholicae doctrinae de trinitate perſonarum in vnitate eſſentiae Dei, contra Samoſatenicos errores*, & alia eiusdem generis, reliquit. Scripta eius recenſet ANT. TEISSIERIVS, qui &, quae IAC. AVG. THVANVS perperam de eo dixerat, corrigit, *dans les eloges des hommes ſçavans &c. tom. II. p. 331. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN, cum diuerſa ſibique inuicem repugnantia IOSEPHI SCALIGERI & CASP. SCIOPPII, aliorumque de eo iudicia retuliſſet; tandem concludit, virum fuiſſe diffuſae eruditionis, egregium criticum, & linguarum peritum, in cuius adnotationibus & conſiderationibus ἀκρίβεια deſiderari nequeat, meliorem tamen fuiſſe grammaticum, quam theologum; *dans la biblioth. des auteurs ſeparéz &c. tom. I. part. II. p. 595.*

Ipſi concilio Dordraceno occaſionem dederunt contentiones acerrimae, inter IAC. ARMINIVM & FRANC. GOMARVM exortae. De ARMINIO alibi dicetur. GOMARVS autem tum ex hocce certamine, tum ob defenſam acriter in ipſo iſto concilio *ſupra-lapſariorum*, quos vocant, ſententiam, eſt notiſſimus. Qua in re ſuffragantem ſibi habuit IO. MACCOVIVM, quamquam nec SIBR. LVBBERTVS, qui tamen paullo mitior fuit, procul ab ea diſceſſerit. Legenda, quae hac de re obſeruat IO. LAVR. MOSHEMIVS, in *conſultat. de auctoritate concilii Dordraceni paci ſacrae noxia*, *§. XX. p. 58.* & *§. XXX. p. 93.* Cum etiam eodem in concilio quaeſtio excitaretur, num Chriſtus vt cauſſa & fundamentum electionis, an vero vt caput electorum ſpectandus ſit? priusque MATTH. MARTINVS, theologus Bremenſis, adſereret; acriter illi reſtitit GOMARVS, eumque ad certamen prouocauit, patresque concilii iſtius, vt in illud conſentirent, rogauit; conf. HENR. LVD. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat part. II. cap. IV. p. 13.* Remonſtrantes, in *iudicio de primo articulo remonſtrantium, de electione & reprobatione*, aliisque ſcriptis impugnauit. De *anti-Coſtero* eius, in quo cum pontificiis illi res fuit, ſupra dictum, cum de COSTERO verba faceremus, vbi & ADR. BAILLETI de eo iudicium commemorauimus. In *inueſtigatione originis ſabbathi* illorum propugnauit opinionem, qui, ſabbathum ſtatim poſt mundi creationem a Deo inſtitutum, negant; quae cum non omnibus placeret, *defenſionem inueſtigationis* iſtius edere ſuarum duxit eſſe partium. Saepius autem deinceps acriterque tum inter reformatos, tum inter noſtrates, ea de re diſputatum fuit; vt alibi exponitur. In *ſyntagmate diſputationum theologicarum*, aliisque ſcriptis, GOMARVM itidem polemica attingere, vt moneam, neceſſe non eſt. Comitem GO-

MARO merito damus IO. MACCOVIVM, ſeu MAKOWSKI, equitem polonum, & theologiae in academia Franequerana profeſſorem; vtpote quem itidem ſupra-lapſariorum horrenda placita in concilio Dordraceno propugnaſſe, antea obſeruauimus. In eodem is equidem concilio a SIBR. LVBBERTO grauiſſimorum poſtulatus eſt errorum; quorum tamen eum immunem eſſe, patres iſtius concilii pronuntiarunt, etſi faterentur, in eo illum peccaſſe, quod *phraſibus ſcholaſticis* vſus eſſet, & *ſcholaſticum docendi modum* in belgicis academiis conaretur introducere. Certe, ſi non primum, inter primos tamen fuiſſe, qui apud reformatos ſcholaſticam tractandi theologiam rationem poſtliminio reuocauerit, ſupra ex inſtituto docuimus, *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XV.* Videtur autem MACCOVIVS ad certamina theologica prorſus natus fuiſſe; ſiquidem & iuuenis adhuc nullam occaſionem, modo cum Socinianis, modo cum Ieſuitis diſputandi, praetermiſit. Qua quidem ratione non potuit non multorum contra ſe irritare animos; praeſertim cum nec nimio feruori ſuo modum ponere ſciret. Legenda, quae hac de re monet PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Makowski p. 2010.* Praeter *locos communes* a nobis iam *l. c.* laudatos, in quibus & polemica tractari ſolent, reliquit *collegium controuerſarum quaeſtionum*; item πρῶτον ψεῦδος *anabaptiſtarum, Arminianorum, pontificiorum, Socinianorum, Lutheranorum*; porro: *diſtinctiones ac regulas theologicas &c.* aliaque, maximam partem poſt eius obitum a NIC. ARNOLDO publicae luci expoſita. In eadem academia Franequerana non ſine laude docuit IO. CLOPPENBVRGIVS, ob *ſyntagma exercitationum, theologicarum*, itemque, ob *diſputationes VIII ad quinque articulos remonſtrantium*, vt & ob *gangraenam theologiae anabaptiſticae*, aliaque monumenta, inter polemicos ſcriptores referendus. Vltraiectinam academiam, tandemque & Lugdunenſem, doctrina ſua illuſtrauit IO. HOORNBEECKIVS, non vno nomine hic locum ſibi vindicans. Cumprimis Socinianos ſibi confutandos ſumſit, in opere luculento, quod *Socinianiſmus profligatus* inſcribitur, & Vltraiecti anno 1650 tribus voluminibus in 4. prodiit. Exſtat vero etiam eius *compendium diſputationum theologicarum anti-Socinianarum*, Vltraiecti 1666. 3. & *Socinianiſmi confutati compendium, ipſiſſimis auctoris verbis concinnatum* a DAV. KNIBBE Lugduni Batauorum 1690. 12. Sed & ad ipſos Iudaeos pariter ac gentiles ab errore & impietate liberandos ſtudium ſuum atque operam conferre voluit, & longe quidem rectius, quam cum alii in bellis domeſticis ac inteſtinis omnes corporis atque mentis vires conſumunt; & Iudaeis quidem conſulere voluit, in opere de *conuincendis & conuertendis Iudaeis*, Lugduni 1655. 4. gentilibus autem in *libris duobus de conuerſione Indorum & gentilium*, Amſtelodami 1669. 4. Generatim theologiae polemicae inſeruit eiusdem *ſumma controuerſiarum religionis, cum infidelibus, haereticis, ſchiſmaticis, id eſt, gentilibus, Iudaeis, Mohammedanis, papiſtis, anabaptiſtis, enthuſiaſtis, & libertinis, Socinianis, remonſtrantibus, Lutheranis, Brownistis, Graecis*, tum alias, tum & Francofurti ad Viadrum an. 1697 excuſa. In ea licet interdum ordinem meliorem iure deſideres; multa tamen, praeſertim ad hiſtorica quod attinet, ſuppeditat, quae ſaltem illis, qui huncce campum primum ingreſſuri ſunt, vſui eſſe poſſunt. ANDR. RIVETVS, gente Gallus, doctoris theologiae munere in academia Lugduno-Bataua functus eſt, vbi & circa medium ſaeculi decimi ſeptimi vitam cum morte commutauit. Praeſtantem in eo omnes, & merito quidem, laudant eruditionem; vnde & quae reliquit ingenii monumenta, hodie viris eruditis in pretio ſunt.

Digitized by Google

Inter ea, quibus pontificiorum errores profligauit, eminet *catholicus* eius *orthodoxus*, ſiue *ſumma controuerſiarum omnium*, GVIL. BAILII *catechiſmo controuerſiarum* oppoſita, & ſupra nobis iam laudata, cum de romanae eccleſiae ſcriptoribus polemicis nobis ſermo eſſet. Referenda huc etiam, quae pro defenſione *myſterii iniquitatis*, ſiue *hiſtoriae papatus* PHIL. MORNAEI ſcripſit; de quibus diligenter diſſerit MAGNVS CRVSIVS, in *ſingularibus Pleſſiacis p. 297. ſeqq.* Reliqua in operibus eius, tribus tomis in fol. Roterodami 1651 editis, legi poſſunt. De *animaduerſionibus* RIVETI ad HVG. GROTII *adnotata ad conſultationem Caſſandri*, & *examine animaduerſionum*, quas illis GROTIVS oppoſuerat, fuſe ſupra diximus, cum de CASSANDRO verba faceremus. Eius autem certaminis, quod cum MOSE AMYRALDO, de gratia vniuerſali, & imputatione peccati Adamitici, illi interceſſit, hiſtoriam alibi tradimus. Quaedam obſeruatu digna de RIVETO CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introduct. in memorabilia eccleſiaſtica hiſtoriae ſacrae noui teſtam. part. poſter. ſaec. XVII. p. 858.* commemorat.

RIVETO eruditionis laude nihil conceſſit, diſputandi autem & altercandi ſtudio ſuperior fuit SAM. MARESIVS, gente itidem Gallus, & poſt alia munera theologus Groeningenſis. Infinitum fere numerum ſcriptorum, maximam partem polemicorum, reliquit, quorum indicem, *ſyſtemati* eius *theologico* ſubnexum, integrum *introductioni* ſuae in *hiſtoriam theologiae litterariam, notis ampliſſimis illuſtratae*, inſeruit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *part. II. lib. III.* ad *§. VIII. pag. 215. ſeqq.* Plurima ex his pontificiis fuere oppoſita, quibuscum non vnum certamen ſubiit; ſoletque inter ea praecipue laudari eius *preſervatif contre la revolte*, ſeu *antidotum contra apoſtaſiam*, quod & in linguam germanicam conuerſum eſt. Addi poſſet eius *monachomachia, ſiue vindiciae pro veritate religionis reformatae aduerſus Matthiae Hauzeur Franciſcani Leodienſis, ac nonnullorum monachorum ſtrophas, argutias & calumnias.* Nec vltimo ponendum loco, *foederatum* eius *Belgium orthodoxum*, *ſiue confeſſionis eccleſiarum belgicarum exegeſis, qua illius veritas ex Dei verbo & antiquitate catholica adſeritur, & aduerſus oppoſitos errores vindicatur.* Multa etiam inter ſcripta eius occurrunt, quae ad bella domeſtica, quae cum GISB. VOETIO, IACOB. ALTINGIO, CHRISTOPH. WITTICHIO, HVG. GROTIO, aliisque geſſit, ſpectant. Cumprimis vero acerrimae cum GISB. VOETIO illi interceſſere lites, ex quibus ſcripta eriſtica haud pauca, conuiciis & ſcommatibus referta, originem duxerunt. Occaſio prima haec fuit: Romanenſes ſodalitatem quamdam, quam vocat, apud Syluaeducenſes, apud quos ſacro tum munere fungebatur MARESIVS, ab aliquot ſaeculis habebant, cui a beata virgine Maria nomen erat; in eam proteſtantes etiam, ritibus tamen, qui cum horum ſacris conſiſtere nequeunt, abrogatis, recipi magiſtratus iſtius vrbis iuſſerat. Quod cum VOETIO diſpliceret, an. 1642 diſſertationem *de idololatria indirecta* edidit, in qua, inſtitutum hocce culpa non vacare, probare voluit. Cui cum MARESIVS eodem adhuc anno *defenſionem pietatis & ſinceritatis optimatum Syluaeducenſium, in negotio ſodalitatis, quae a beata virgine nomen habet, teſtibus veritate & charitate*, oppoſuiſſet; tantum hinc belli inter vtrumque enatum eſt incendium, quod vix octodecim annorum ſpatio, intercedente etiam magiſtratus opera, exſtingui potuit, & non niſi aut vtriusque aut alterius morte finitum fuiſſet, niſi tandem contra communes vtriusque hoſtes, ſeu Cocceianos arma coniungere illis placuiſſet. Praecipuum in hac cauſſa MARESII ſcriptum eſt: *Samuelis Mareſii vltima patientia tandem expugnata*

a Giſberto Voëtio &c. Legenda, quae de hocce bello litterario diſſerit PETR. BAELIVS, qui illud maxime memorabile fuiſſe, ait, optatque, vt exactior eius hiſtoria ab alio quodam conſcribatur, ſimul vero obſeruat, Ieſuitam quemdam conuicia, quibus doctores iſti ſe inuicem proſciderint, ex libellis vtrimque editis collegiſſe, ſententiamque tuliſſe, ſi tertia ſolum pars eorum vera fuiſſet, vtrumque tamen promeruiſſe, vt poena corporis a magiſtratu adficeretur; in *diction. hiſt. & crit. voc. Mareſius p. 2047.* Vt vero animi ſemel exacerbati nouam ſemper altercandi occaſionem quaerunt; ita & ad varias MARESIVS, VOETIVSQVE dilapti ſunt quaeſtiones; cumprimis autem & de obiecto praedeſtinationis inter vtrumque diſputatum fuit, VOETIO quidem contendente, obiectum praedeſtinationis eſſe hominem, antequam crearetur, & a Deo in certo ſtatu conſideraretur; MARESIO contra hoc decretis ſynodi Dordracenae repugnare, adſerente. Varia huc MARESII comparata ſunt ſcripta, quorum notitiam ex indice antea memorato haurire licet; add. GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVII. cap. IX. §. V. p. 514.* Peculiare etiam MARESIO certamen fuit cum HVG. GROTIO, cuius quippe ſententiam de anti-Chriſto refutauit in *diſſertatione de anti-Chriſto, qua expenditur & refutatur nupera commentatio ad illuſtriora ea de re noui teſtamenti loca, illuſtris viri Hugonis Grotii credita &c.* Reſpondit illi HVGO GROTIVS, in *adpendice ad interpretationem locorum noui teſtamenti, quae de Chriſto agunt, aut agere putantur &c.* ſatis acerbe, adeo, vt ne dignum quidem iudicaret, cuius nomine vteretur, *borboritam* ſemper adpellitans; quae vox contumelioſa quid ſibi velit, PETRVS BAELIVS explicat, *l. c. pag. 2045.* MARESIVS vero iterum cauſſam ſuam egit, in *concordia diſcorde, & anti-Chriſto reuelato, id eſt, illuſtris viri Hugonis Grotii apologia pro papa & papiſmo modeſte refutata &c.* De ſcriptis MARESII anti-fanaticis, quae IO. AMOSO COMENIO, IO. LABADIE, & PETRO SERARIO, regni millenarii adſertori, oppoſuit, lectu itidem digna, quae BAELIVS *l. c. p. 2047.* obſeruat, conſiderationemque adcuratiorem promeretur, quod hac occaſione docet, non tantum plurimos inter chriſtianos, ſed & Mohammedanos magnam in religione mutationem exſpectare. Quae contra IO. DALLAEVM de *gratia & redemtione vniuerſali* ſcripſit, in cenſum deinceps venient, cum controuerſiarum, quibus MOS. AMYRALDVS, & hypothetici, quos vocant, occaſionem dederunt, mentionem faciemus. Cum DAV. BLONDELLO in arenam deſcendit, ob Ioannam papiſſam, quam hic inter figmenta retulerat, MARESIVS autem in priſtinum honoris & dignitatis locum reſtituere voluit, in *Ioanna papiſſa reſtituta, ſiue animaduerſionibus & adnotationibus hiſtoricis, ad Dauidis Blondelli Catalaunenſis librum poſthumum anno ſuperiori editum Amſtelodami, ſub hoc titulo, de Ioanna papiſſa &c.* Addita eſt refutatio *praefationis*, quam BLONDELLI libro praefixerat editor STEPH. CVRCELLAEVS, & adpendicis loco *diſſertatio theologica pro ſacro-ſancta trinitate eidem Curcellaeo antitrinitario oppoſita.* Miſſis autem reliquis MARESII concertationibus, ſpeciatim cum COCCEIO, de quibus deinceps dicemus; id ſolum adhuc addimus, eum & Carteſianorum hoſtibus adnumerandum eſſe. Initio equidem cum infenſo erga VOETIVM eſſet animo, erga CARTESII ſectatores paullo benignior videbatur. Sed cum CHRISTOPH. WITTICHIVS, ipſius MARESII quondam diſcipulus, idemque ſtrenuus Carteſianae philoſophiae propugnator, in ſuis in MARESII *ſyſtema theologicum* recitationibus, in quibusdam ab eo diſſenſiſſet; adeo exarſit, vt illi ſtatim bellum indiceret, & in *diſſerta-*

tione

tione de abuſu philoſophiae Carteſianae, itemque in *indiculo controuerſiarum.* alibique, nouam hanc philoſophandi rationem acriter perſtringeret. Eam ob rem inductus, WITTICHIVS *theologiam pacificam* edidit, *in qua* (ita porro inſcribitur) *varia problemata theologica, inter reformatos theologos agitari ſolita, ventilantur, ſimul vſus philoſophiae Carteſianae in diuerſis theologiae partibus demonſtratur, & ad diſſertationem celeberrimi viri Samuelis Mareſii, de abuſu philoſophiae Carteſianae in rebus theologicis & fidei, modeſte reſpondetur,* Lugduni Batauorum an. 1671. 4. Quod quidem opus vt ob modeſtiam ac perſpicuam dicendi rationem laudandum; ita ad controuerſias theologicas, ex philoſophia Carteſiana ortas, adcuratius intelligendas, plurimum facit. In *praefatione* de acerbitate MARESII valde conqueritur, nullumque haereticorum, hodie maxime notorum, adeo inuiſum nomen eſſe, dicit, quod ille non liberali manu ſibi, omnibusque iis, quos Carteſianos adpellitet, impingat. Adducit deinde haec MARESII verba, quae speciminis inſtar ſint, & vnde ingenium eius agnoſcere liceat: *Multo plura ſunt his ſimilia, ex quibus conſtat, hos nouatores agitare nocentiſſima eccleſiae reformatae conſilia, de vniuerſa theologia noſtra per nouas ſuas hypotheſes & cogitationes funditus euertenda, vt ſic vel papiſmo, & Mohammedaniſmo, vel etiam indifferentiſmo & gentiliſmo via complanetur indubitata, nihilque admittatur praeter claras & diſtinctas perceptiones, quas ſolent iſti homines iactare, & enthuſiaſtico more ſibi vindicare.* Edidit idem WITTICHIVS & alia ſcripta, maximam partem ad Carteſianam philoſophiam aut defendendam, aut cum theologia conciliandam, ſpectantia, de quibus conferendus HENR. LVD. BENTHEMIVS in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat part. II. cap. IV. p. 405.* Inter MARESII monumenta polemica cumprimis equidem obſeruatu digna eſt *hydra* eius *Socinianiſmi expugnata;* ſed de ea alibi erit dicendi locus. Praeter alios de MARESIO quoque conferendus IO. FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth. Fabricianae, part. IV. p. 517. ſeqq.* vbi quaedam eius ſcripta recenſet.

GISB. VOETIVM, theologum Vltraiectinum, ex eorum fuiſſe numero, quibus pugnae & certamina theologica non diſplicuere, quae hactenus diximus, neminem dubitare ſinunt. Acerrimas quoque iſtas lites, quae illi cum MARESIO intercedebant, non obſtitiſſe, quo minus vterque tandem contra communes hoſtes Carteſianos ac Cocceianos arma coniungeret, itidem iam obſeruauimus. Atque VOETIVM quidem primum praecipuumque fuiſſe, qui in Belgio philoſophiae Carteſianae ſe opponeret, notum eſt. Legenda, quae ipſe RENATVS CARTESIVS contra VOETIVM diſputat, in *operibus philoſophicis pag. 307. ſeqq.* editionis, quae Francofurti ad Moenum an. 1692 prodiit; vnde & multa, quae certaminis iſtius hiſtoriae lucem adfundant, haurire licet. Theologos iſtos atque philoſophos, qui eo tempore CARTESIVM aut defenderunt, aut impugnarunt, recenſet CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introduct. in memorab. eccleſ. hiſtoriae ſacrae noui teſtam. part. poſter. ſaec. XVII. p. 905. ſeqq.* Quid contra IO. COCCEIVM atque Cocceianos VOETIVS geſſerit, deinceps dicemus. Ad reliqua autem eius ſcripta polemica quod attinet, ipſae eius *ſelectae diſputationes theologicae,* quae quinque voluminibus ſeu partibus comprehenſae proſtant, hic commemorari poterant. Vt enim per totum theologiae campum ſeſe diffundunt; ita farraginem quamdam fere infinitam quaeſtionum atque controuerſiarum continent, quas inter multas ſuperfluas minimeque neceſſarias occurrere, nemo forte diffitebitur. Cumprimis autem adhuc obſeruatu digna eſt VOETII *deſperata cauſſa papatus,* CORN. IANSENIO an. 1635 op-

poſita, cuius libri occaſionem & hiſtoriam lectu dignam exponit MELCH. LEYDECKERVS, in *hiſtoria Ianſeniſmi, part. I. lib. I. cap. XIV. p. 57. ſeqq.* IANSENIVS equidem ipſe ad hocce VOETII opus non reſpondit; pro ipſo tamen illud fecit LIB. FROMONDVS, vtpote qui *criſin* in illud edidit an. 1636, cui iterum MART. SCHOOCKIVS, an. 1638 in *deſperatiſſima cauſſa papatus*, reſpondit. Idem LEYDECKERVS obſeruat, maxima Ianſeniſtarum in VOETIVM fuiſſe odia, idque non tantum, quod ipſum IANSENIVM tam fortiter oppugnaſſet, ſed &, quod in CARTESII philoſophia profliganda omnem nauaſſet operam, cui ANT. ARNALDVS, aliique ex Ianſeniſtarum cohorte, nimium quantum addicti fuerint; parum perpendentes, quam male doctrina eccleſiae romanae de transſubſtantiatione cum hypotheſibus Carteſianae philoſophiae conciliari queat. Ipſum quidem CARTESIVM non ſemel iactitaſſe, transſubſtantiationis illud dogma ex ſua philoſophia facili negotio explicari poſſe; ſed recte eum ſibi conſuluiſſe, quod modum iſtum nuſpiam expoſuerit; *l. c. lib. III. cap. XI. p. 188. ſeqq.*

Iam ad ipſum accedimus IO. COCCEIVM, cuius aliquoties facta eſt mentio. Praecipua equidem eius in theologiam exegeticam ſunt merita, non vnam tamen ob cauſſam & hic commemorandus eſt. Eum officio ſuo in propugnanda reformatae eccleſiae doctrina contra pontificios, ſpeciatim contra WALENBVRCHIOS fratres, contra IO. MASENIVN, & ERNESTVM, Landgrauium Haſſiae, porro contra FAVSTVM SOCINVM, GEORG. ENIEDINVM, aliosque eiusdem farinae homines, non defuiſſe, docet HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen-Staat, part. II. cap. III. pag. 125.* Cumprimis autem in ſententiis quibusdam atque placitis, quae illi propria fuerunt, contra aliorum inſultus defendendis, ei laborandum fuit. Primum praecipuumque, qui illum adgreſſus eſt, GISB. VOETIVM fuiſſe, ex antea dictis conſtat. Id autem in diſputatione quadam fecit, de vocibus πάρεσις & ἄφεσις, earumque diſcrimine, an. 1665 luci publicae expoſita, cui COCCEIVS in libro; *more nebochim* inſcripto, reſpondit. Iam antea equidem SAM. MARESIVS ſignum aliquod ad certamen ſuſtulerat. Cum enim non nemo ex diſputatione W. MOMMAE, *de oeconomia diuina*, ſub moderamine COCCEII anno 1662 eruditorum conflictui expoſita, *quaeſtiones LXXXIII* excerpſiſſet, quae tamen non omnes in iſta diſſertatione inueniebantur, easque ad MARESIVM miſiſſet; hic ſtatim, quo erat animi feruore, arrepto calamo, in diſputatione quadam ad iſtas quaeſtiones reſpondit. Sed cum COCCEIVS, datis ad illum litteris, eum paullo adcuratius de re omni erudiret; tum quidem conquieuit, ſeque cum COCCEIO, in eo, quod caput cauſſae eſt, conſentire, teſtatus eſt. Orto autem deinde inter illum & IAC. ALTINGIVM, quem variorum arguebat errorum, diſſidio; reque iſta a curatoribus academiae Groeningenſis ad theologos Lugdunenſes, quos inter & COCCEIVS erat, delata; abſoluebatur ab his ALTINGIVS, & errorum, qui illi imputabantur, innocens declarabatur. Aegerrime id ferens MARESIVS, non tantum reſponſum illud theologorum Lugdunenſium acerrime perſtrinxit; ſed cum VOETIO quoque ad impugnandum COCCEIVM, ceu reſponſi illius auctorem, ea lege, vt in reliquis ſententiam quisque ſuam retineret, ſocietatem iniit. Sed imminenti huic tempeſtati COCCEIVS morte ſubductus eſt, quae illi an. 1669 obtigit. Conferendus de hiſce omnibus iterum eſt HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, *l. c. part. II. cap. III. p. 137. ſeqq.* Continuatum nihiloſecius certamen illud fuit vtrim-

que

que a viris eruditiſſimis, quorum & vel hoc nomine inter ſcriptores theologiae polemicae facienda eſt mentio, etſi nonnulli & aliis ingenii monumentis inclaruerint. Nimirum pro COCCEIO ſteterunt ABR. HEIDANVS, CHRISTOPH. WITTICHIVS, PETR. ALLINGA, IO. VAN DER WAYEN, FRANC. BVRMANNVS, IO. BRAVNIVS, ABR. GVLICHIVS aliique. Oppoſuerunt ſe illi contra, praeter GISB. VOETIVM, & SAM. MARESIVM, IO. HOORNBEECKIVS, ANT. HVLSIVS, MELCH. LEYDECKERVS, PETR. VAN MASTRICHT, aliique. HERMANNVS autem WITSIVS cum primum Cocceianorum partibus addictus fuiſſet, deinde mediam quamdam viam elegit, &, vbi a COCCEIO diſſenſit, non ſine laudabili id fecit modeſtia. Conferendus de hiſce CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introduct. in memorabilia eccleſ. hiſtor. ſacr. noui teſtamenti part. poſt. ſaec. XVII. p. 921. ſeqq.* Diutiſſime ex hiſce bellum iſtud continuauit MELCH. LEYDECKERVS, cuius & varia exſtant ingenii monumenta, quae huc comparata ſunt, vt, *ſynopſis controuerſiarum de foedere & teſtamento Dei, quae hodie in Belgio mouentur*, Traiecti ad Rhenum anno 1690. 8. item *fax veritatis* Leidae 1677. 4. rurſus, *vis veritatis ſeu diſquiſitionum ad nonnullas controuerſias, quae hodie in Belgio mouentur, de oeconomia federum Dei libri V.* Traiecti ad Rhenum 1679. 4. Cumque Cocceianorum methodus, theologiam ſecundum federum diuinorum rationem tractandi, ei diſpliceret; nouam viam ingreſſus eſt *in libris ſex de oeconomia trium perſonarum in negotio ſalutis humanae &c.* de quibus conferenda, quae diximus *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XVII.* Ad theologiam autem polemicam, generatim conſideratam, ſpectat *veritas eius euangelica triumphans de erroribus quorumuis ſaeculorum; opus hiſtorico-theologicum in duos tomos diſtributum; quo principia fidei reformatae demonſtrantur, origines errorum oſtenduntur;* Traiecti ad Rhenum 1688. 4. Ad HERM. WITSIVM quod attinet, ea, quae inter Cocceianos, ac eorum aduerſarios, diſputari ſolent, luculenter ac adcurate propoſuit *in libris quatuor de oeconomia foederum Dei cum hominibus*, de quibus itidem iam ſupra *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XVII.* verba fecimus. In reliquis ſuis ſcriptis, praeſertim *miſcellaneorum ſacrorum tomis duobus*, ſubinde quoque attingit, quae tum aliis, tum & domeſticis reformatorum controuerſiis lucem affundunt. Sunt autem omnia viri huius doctiſſimi, ob eruditionem exquiſitam, modeſtiamque ſingularem, vt & planum ac perſpicuum dicendi genus, lectu digniſſima.

Ex reliquis reformatae eccleſiae theologis, qui Belgium nobilitarunt, quorumue hic habenda ratio, FRID. SPANHEMIVS vterque, pater & filius, praecipue occurrunt, quos neutiquam praetermittendos, cenſeo. Et pater quidem ſeu ſenior, ob varia ſcripta, cumprimis & quae MOSI AMYRALDO, & hypotheticis, oppoſuit, vti ſunt *exercitationes de gratia vniuerſali;* item, *epiſtola ad Cottierium de conciliatione gratiae vniuerſalis;* porro *vindiciae de gratia vniuerſali*, quas, morte praepeditus, ad finem perducere non potuit, longe eſt notiſſimus. *Dubia* eius *euangelica* non ſunt huius loci. De *Chamiero contracto* iam alibi dictum. Doctrinae receptae eum fuiſſe tenaciſſimum, nouarumque opinionum infenſiſſimum hoſtem, obſeruat PETRVS BAELIVS, qui & ex ABR. HEIDANI *oratione funebri* in obitum SPANHEMII haecce repetit verba: *ſaepe profitentem audiuimus ſe, licet mallet cum eccleſiae hoſtibus congredi, tamen & bellum illis etiam fratribus indicendum iudicare, qui vel data opera, vel ex ignorantia & infirmitate per cuniculos illam ſubruerent.*

Quod

Digitized by Google

Quod enim initio paruum videtur, id ſaepe neglectum magna incendia dare in progreſſu. Cum cui quis ſemel patrocinium commodauit, ei mordicus inhaeret, & ſaepe error non detectus, cum occulte ſerpat, placere incipit, & tandem pudor eſt, retractare, quae ſemel defenderis. Addit, plurimis equidem hanc ſententiam, in controuerſiis theologicis nemini parcendum eſſe, confirmari poſſe rationibus; quae tamen non niſi apud eos, qui multum bilis habent, vim ſuam atque robur exſerere queant; in *diction. hiſtor. & crit. voc. Spanheim. p. m. 2763.* Filii, ſiue iunioris SPANHEMII, illuſtria prorſus in hiſtoriam & antiquitates eccleſiaſticas merita, nemini temere ignota eſſe poſſunt. Suntque nonnulla ex eius in hocce genere ſcriptis ita comparata, vt controuerſiis etiam, quae nobis cum pontificiis intercedunt, inſeruiant, vt diſſertatio *de ſenſu canonis VI concilii Nicaeni, deque iuribus veterum metropoleon, & romani patriarchatus;* de *eccleſiae graecae & orientalis a romana & papali in hunc diem perpetua diſſenſione;* de *ficta collatione imperii in Carolum magnum per Leonem III romanum pontificem;* porro *de papa foemina inter Leonem IV & Benedictum III;* item *hiſtoria imaginum reſtituta*, quae omnia *tomo II. operum* eius, iunctim editorum, exſtant, *p. 289. ſeqq.* De domeſticis reformatorum in Belgio diſſidiis, ſiue Cocceianorum, & eorum, qui illis ſe opponebant, contentionibus, magno cum iudicio, & adcurate, diſſerit in *epiſtola reſponſoria ad amicum, de nouiſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis*, itidem *tomo II, operum pag. 941. ſeqq.* Idem vir eruditiſſimus, cum de epiſcopatu eccleſiae anglicanae longe moderatius ſenſiſſet, quam ceteroquin illi ſolent, qui eccleſiae anglicanae addicti non ſunt; grauem & iniquiſſimum ideo aduerſarium expertus eſt IO. VAN DER WAYEN, cui obuiam iuit in *epiſtola ad amicum, de praefationis Friſiae adcuſationibus, referentem &c.* itemque in *animaduerſionibus de eccleſiarum politia varia & libera, deque anglicano epiſcopatu, aduerſus fictiones nuperi criminatoris;* ibidem *pag. 998. ſeqq.* Originem controuerſiae illius refert HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen Staat part. II. cap. II. pag. 82. ſeqq.* Ceterum quae de epiſcopalium, quos vocant, & presbyterianorum, in Anglia contentionibus, ſententia ſua eſſet, luculenter expoſuit SPANHEMIVS, in *expedito iudicio ſuper diſſidio anglicano & capitibus, quae ad vnionem ſeu comprehenſionem faciunt*, cui ſubiuncta eſt SPANHEMII ſenioris *epiſtola ad Dauidem Buchananum ſuper controuerſiis quibusdam, quae in eccleſiis anglicanis agitantur*, ibidem *pag. 1261. ſeqq.* De *ſpecimine ſtricturarum* ad IAC. BENIGNI BOSSVETI *expoſitionem Condomienſem*, iam alibi dictum. Legitur illud, cum *exercitatione academica de praeſcriptione in rebus fidei aduerſus nouos methodiſtas*, cum aliis, ad controuerſias cum pontificiis ſpectantibus, *tomo III. operum, p. 1015. ſeqq.* Exſtat ibidem *pag. 725. ſeqq.* ſaepe tamen & ſeorſim editus eſt, eiusdem *elenchus controuerſiarum de religione, cum diſſentientibus hodie chriſtianis, prolixe & cum Iudaeis, hiſtorico-theologicus*, isque vel maxime hoc loco commemorandus. Vt enim libellus hicce per totam theologiam polemicam ſe diffundit; ita ob rerum copiam, mira breuitate comprehenſam, itemque ob ordinem concinnum, illis, qui ad hocce ſtudiorum genus accedunt, mirifice inſeruire poteſt. Iſtud *elenchi* huius caput, quod de remonſtrantibus agit, adnotationibus quibusdam illuſtrauit SAM. STRIMESIVS, in *ingenua in Arminianiſmum inquiſitione, ſemicenturia adnotationum in Spanhemii praecipuas cum Arminianis controuerſias, lectionibus ac diſputationibus publicis pertractatas, confecta &c.* Francofurti ad Viadrum, an. 1703,

1703. 8. Quae autem in eodem *elencho* SPANHEMIVS de anabaptiſtis commentatus eſt, diſplicuerunt ex horum numero ENGEL ARENTSONIO VAN DOOREGEST, vtpote qui putauit, perperam nonnulla illis a SPANHEMIO tribui, idque demonſtrare voluit in epiſtola, quae, ex lingua belgica in germanicam translata, inſcribitur: *Send-Schreiben an den Herrn Fridericus Spanhemius, worinnen die Lehre der ſo genannten Tauff geſinnten was naeher am Tage gegeben vnd verthaediget, auch von vielen ſchweren Beſchuldigungen geſaubert wird &c.* an. 1694. 8. ſine loci mentione. Iniquiſſima denique prorſus eſt cenſura RICH. SIMONIS, dum, SPANHEMIVM, quando in *elencho* illo *controuerſiarum* de controuerſiis cum Graecis & orientalibus agit, ſine iudicio cuncta compilaſſe, dicit, ex auctoribus, quos de hocce argumento legerat; *bibliothec. crit. tom. I. cap. XXII. p 326.* Atque ita praecipuos ex ſcriptoribus reformatae eccleſiae polemicis, quos Belgium federatum, tot virorum doctorum ſedes, tulit, me commemoraſſe, exiſtimo. Si qui adhuc ſuperſunt, quorum facienda fuiſſet mentio, eorum notitia ex HENR. LVD. BENTHEMII libro, non ſemel nobis laudato, & *hollaendiſcher Kirchen-vnd Schulen-Staat* inſcripto, hauriri poteſt, & quidem ex *part. II. cap. IV.* vbi ex inſtituto de viris Belgii federati doctis differit.

Dum in Galliam iter noſtrum proſequimur, funeſta florentiſſimarum, quas reformati ibi olim habuerunt, eccleſiarum ſeſe nobis offerunt rudera; quamuis memoria praeſtantiſſimorum, qui in iis docuerunt, virorum, numquam ſit interitura. A IO. CALVINO placita, quae reformatis propria ſunt, per Galliam primum diſſeminata fuiſſe, notius eſt, quam vt quemquam fugere queat. GVIL. FARELLVS, & PETR. VIRETVS, fidelem eadem in re CALVINO nauarunt operam; ſed viua potius voce, quam ſcriptis. Quid Gallia triumuiris hiſce debeat, THEOD. BEZA hunc in modum expreſſit:

Gallica mirata eſt Caluinum eccleſia nuper,
Quo nemo docuit doctius.
Eſt quoque te nuper mirata, Farelle, tonantem,
Quo nemo tonuit fortius.
Et miratur adhuc fundentem mella Viretum,
Quo nemo fatur dulcius.
Scilicet aut tribus his ſeruabere teſtibus olim,
Aut interibis, Gallia.

Quae vterque, & VIRETVS, & FARELLVS, reliquerunt ſcripta, exigui ſunt momenti; vt adeo iis immorandum non ſit. Hos merito excipit ANT. SADEEL, proprio nomine DE CHANDIEV dictus, ex illuſtri prognatus proſapia; cuius poſt CALVINVM maxima ſaeculo decimo ſexto apud reformatos in Gallia fuit auctoritas. Licet vero ad pericula euitanda Geneuam tandem ſe contulerit, ibique mortuus ſit; hic tamen merito commemoratur, cum in rebus eccleſiaſticis reformatorum in Gallia dirigendis componendisque ſtudium ſingulare atque diligentiam demonſtrauerit, & haud exiguam inde retulerit laudem. Scripta quoque varia reliquit, interque ea quaedam GREG. DE VALENTIA, FRANC. TVRRIANO, aliisque romanenſium oppoſita. Recenſet ea CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtoriam theologiae litterariam notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad §. *VIII. p. 213. ſeqq.* add. ANT. TEISSIERIVS, *dans les eloges des hommes ſçavans &c. tom. II. p. 177. ſeqq.* Idem etiam, cum reformatorum placita, quibus a nobis diſſentiunt, acriter propugnaret; ſubinde a noſtratibus refutatus eſt; ſpeciatim vero & LEONH. HVTTERVS *Sadeelem turcizantem*

μενον ſcripſit. Legenda &, quae LVD. ELL. DV PIN de SADEELE pronuntiat, *dans la bibliotheque des auteurs ſeparéz de la communion de l' Egliſe Romaine, tom. I. part. II. p. 588.* Non minor DAN. CHAMIERI & apud ſuos fuit auctoritas, & apud exteros celebritas. De *panſtratia* eius *catholica*, opere prorſus egregio & praeſtantiſſimo, quod ad polemicam non minus, quam dogmaticam theologiam referre licet, ex inſtituto iam diximus *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XV.* Liber eius *de pontifice oecumenico & epiſtolae leſuiticae* laudantur in *Scaligerianis, p. 48.* obſeruante PETR. BAELIO, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Chamier p. m. 890.* Iniquum eſt LVD. ELL. DV PIN de CHAMIERO iudicium, quando, quo minus eruditionis, eo plus praeiudicatarum opinionum & zeli contra romanam eccleſiam eum habuiſſe, pronuntiat; *dans la bibliotheque des auteurs ſeparéz &c. tom. II. p. I. p. 273.* Enimuero, licet, ad poſterius quod attinet, non negem, acerrimum eum fuiſſe doctrinae eccleſiae reformatae contra romanenſes propugnatorem; virum tamen fuiſſe praeſtanti eruditione praeditum, & in patrum quoque lectione egregie verſatum, omnes fatentur, & *panſtratia* eius *catholica* luculenter teſtatur. PETR. BAELIVS id CHAMIERO vitio vertit, quod ciuilibus quoque negotiis occupatus fuerit, adeoque non minus *miniſter ſtatus* inter ſuos, quam *eccleſiae* dici meruerit; ſimul tamen, eum nullis aulae artibus flecti aut moueri potuiſſe, fatetur *l. c.* Eum an. 1621, cum in Montalbano vrbe obſeſſis oratione ac hortatione animum adderet, in vallo obambulantem, globoque ictum, vitam finiiſſe, *loco citato* iam obſeruauimus. Armatum eum tum fuiſſe, tradunt pontificii quidam, negant reformati. Lectu digna, quae hac de re diſſerit MICH. LE VASSOR. *hiſt. de Louis XIII. tom. IV. p. 249.*

10. CAMERO gente quidem Scotus fuit, natus Glaſcouiae, ſed in Gallia non vno functus eſt munere, in quam &, cum in Angliam ſe recipere coactus eſſet, mox reuertit, tandemque, Montalbani theologiae profeſſor conſtitutus, vitae ibi finem an. 1625 nactus eſt. Cum nouarum in theologia opinionum ſectator eſſet; aliorum in ſe concitauit animos, & a ſynodi Dordracenae decretis diſceſſiſſe arguebatur, nec deerant, qui eum modo Pelagianiſmi, modo Manichaeiſmi arguebant. Iis hinc etiam, qui cum illo faciebant, *Cameronianorum* nomen datum. Si LVD. ELL. DV PIN credimus, caput cauſſae in eo conſiſtebat, quod CAMERO doceret, voluntatem hominis a iudicio practico intellectus determinari, adeoque, quod bene aut male homines agant, id ab intellectus illuminatione, quam Deus ſuppeditet, pendere, nec phyſica voluntatis commotione opus eſſe, cum moralis ſufficiat; *dans la biblioth. des auteurs ſeparéz &c. tom. II. part. I. p. 337.* Praecipue tamen CAMERO a reliquis in eo diſceſſit, quod gratiam quamdam vniuerſalem doceret; quam ſententiam cum diſcipulus eius atque ſectator MOSES AMYRALDVS deinceps defenderet ac propugnaret, acerrimae iſtae exortae ſunt contentiones, de quibus mox dicemus. Ceterum CAMERO libere quoque profeſſus eſt, multa eſſe in religione reformata, quae immutata cuperet; immo & in ſuſpicionem venit, ac ſi putaſſet, romanam eccleſiam cum reformata conciliari poſſe. Certe THEOPH. BRACHETVM DE MILLETIERE, quem eiusmodi cogitationes fouiſſe, & ab eccleſiae reformatae communione fuiſſe remotum, ſupra obſeruauimus, intimum CAMERONIS fuiſſe amicum, conſtat; cumque poſt eius mortem librum contra MOLINAEVM ederet, in quo de quibusdam romanae eccleſiae dogmatibus, mitius, quam par erat, pronuntiauit; a CAMERONE talia ſe accepiſſe, iactitauit. Legenda, quae de hiſce

ce adfert PETR. BAELIVS, qui & CAMERONEM, quod ingenio ac iudicio, excellentique praeditus fuerit memoria, laudat; eruditum quoque & bonum fuiſſe philoſophum, immo liberalem in communicanda non ſolum ſcientia, ſed & pecunia; copioſum vero hinc & taedioſum in ſermone, & longum in concionibus, adſerit; in *diction. hiſt. & crit. voc. Camero p. 785. 786.* Ad ſcripta CAMERONIS quod attinet, quae eruditis hodie adhuc in pretio ſunt, locum hic ſibi vindicant *praelectiones* eius *theologicae*, in quibus ſaepiſſime contra pontificios, Socinianos, aliosque erudite diſputat. Editae primum ſunt cura & ſtudio LVD. CAPPELLI, Salmurii 1626 & 28, tribus voluminibus in 4. Recuſae deinde ſunt cum eiusdem *miſcellaneis* Geneuae in fol. operam nauante FRID. SPANHEMIO. De *myrothecio* eius *euangelico* alibi nobis dicendum erit. *Praelectiones* iſtas fuſe admodum recenſet LVD. ELL. DV PIN, qui & de CAMERONE ita pronuntiat, eum ex praeſtantiſſimis reformatae eccleſiae fuiſſe theologis, in ratiociniis ſuis ἀκρίβειαν & ordinem obſeruaſſe; linguae graecae atque ebraeae fuiſſe peritum, theologicae eruditionis abundaſſe copia, quam ex fontibus, ſcriptura ſacra, & patribus hauſerit, moderatum aequumue fuiſſe in controuerſiis, dignumque eſſe, qui maiori lenitate tractetur a romano-catholicis, quam a ſuae religionis ſociis tractatus fuerit; *l. c. p. 379.*

MOSES AMYRALDVS, quem CAMERONIS diſcipulum fuiſſe, diximus, tanta praeceptorem proſequutus eſt veneratione, vt eum in voce & geſtibus quoque imitaretur. Mirum itaque non eſt, quod ſententiam eius de gratia vniuerſali tam acriter propugnandam ſuſceperit. Initium fecit, edito an. 1634 libro *de praedeſtinatione praecipuisque, quae inde conſequuntur, momentis (de la predeſtination & de ſes principales dependances)* Salmurii, 8. Occaſionem huius ſcripti obſeruatu dignam refert PETR. BAELIVS, *diction. hiſtor. & crit. voc. Amyraldus p. 194. lit. D.* Licet autem ab obiecto ἑτεροδοξίας crimine in ſynodo Alenſonienſi an. 1637 ea ratione liberatus eſſet, vt ſimul ſilentium illi imponeretur; edita tamen *defenſione doctrinae Ioan. Caluini de abſoluto reprobationis decreto*, latine an. 1641, & gallice an. 1644, ſuam propoſuit ſententiam, eamque contra ANDR. RIVETVM, qui eam oppugnare coepit, porro defendit. Praeter RIVETVM vero, & FRIDER. SPANHEMIVM aduerſarium expertus eſt, in diſputatione *de gratia vniuerſali*, Lugduni Batauorum an. 1644 edita, cui AMYRALDVS *defenſionem doctrinae de gratia vniuerſali, vt ab orthodoxis explicatur*; itemque *doctrinam de gratia particulari, vt a Caluino explicatur*, oppoſuit. Tum vero SPANHEMIVS *exercitationes* ſuas *de gratia vniuerſali* in lucem emiſit, an. 1646, quibus cum AMYRALDVS an. 1648 *ſpecimen animaduerſionum in exercitationes de gratia vniuerſali* obieciſſet; ſequutae iterum ſunt an. 1649 SPANHEMII *vindiciae pro exercitationibus de gratia vniuerſali*. Mitto reliqua, praeſertim quae de PETRO MOLINAEO, qui primus claſſicum aduerſus AMYRALDVM cecinit, itemque de GVIL. RIVETO, ANDREAE fratre, dici poterant; de quibus conferre iuuabit CHRIST. MATTH. PFAFFIVM, in *ſchediaſmate de formula conſenſus heluetica, cap. I. §. IV. p. 9.* & quae dicta ſunt in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions Streitigkeiten cap. IV. ſect. II.* ad *§. VI. p. 456.* Domeſticae autem iſtae lites non impediuerunt AMYRALDVM, quo minus aliis ſcriptis reformatae eccleſiae cauſſam ageret, cuiusmodi ſunt, *diſſertatio de myſterio trinitatis ſeptem partibus abſoluta*, Salmurii 1661. 8. *de iuſtificatione noſtra coram Deo contra opiniones Milletierii*, gallice Salmurii 1638. 8. *de ſe-*

 ceſſione

ceſſione ab eccleſia romana, *deque ratione pacis inter euangelicos in religionis negotio conſtituendae*, Salmurii 16.7. 8. & quae alia ſunt, quae diligenter prae reliquis recenſet CHRIST. HENDREICH, in *pandectis Brandenburgicis voc. Amyraldus p. 158. ſqq.* Cumprimis vero laudem meretur liber *de religionibus*, *contra illos, qui, omnes aequales eſſe, putant*, quippe quo indifferentiſtarum, quos vocant, ſtoliditatem profligauit. Scriptus eſt gallice, proditque Salmurii 1631. 8. & in linguam germanicam conuerſus ab ADRIANO STEGERO, Lipſiae 1667. 12. Quemadmodum autem plerique reformatorum in Gallia theologi AMYRALDI de gratia vniuerſali ſententiam adprobarunt; ita idem quoque fecit IO. DALLAEVS, vir vtique doctiſſimus, & inter ſaeculi ſui ornamenta referendus. *Apologiam* enim is ſcripſit *pro duabus eccleſiarum in Gallia proteſtantium ſynodis nationalibus*, Alenſonienſi ſcilicet an. 1637, & Carentonienſi an. 1645, in quibus AMYRALDVS ab ἑτεροδοξίας crimine abſolutus fuerat, aduerſus FRID. SPANHEMII *exercitationes de gratia vniuerſali.* Eam, inſcio & inuito auctore, (certe id orbi perſuaſum voluit DALLAEVS) in lucem protraxit DAV. BLONDELLVS, Amſtelodami an. 1655, & hac ratione litem, quae quodammodo conſopita videri poterat, reſuſcitauit. Mox enim in Anglia LVD. MOLINAEVS, PETRI filius, in Belgio autem SAM. MARESIVS, ſe ei oppoſuerunt, quorum poſteriori DALLAEVS in *vindiciis apologiae* ſuae reſpondit an. 1657. MARESIO in ἐπιμέτρῳ ſiue *exercitationibus decem de gratia*, & ſubiectis *ſtricturis* in illas *vindicias*, cauſſam ſuam agente; vid. IO. ANDR. BOSIVS, in *diſſertationibus de ſtatu Europae*, *introductioni* eius in *notitiam rerum publicarum* ſubnexis, *diſſert. III. §. XVII. p. 302.* Reliquit vero DALLAEVS & alia ingenii monumenta longe praeſtantiſſima, quae cum exquiſitam viri huius in antiquitate eccleſiaſtica peritiam arguant, de iis iam ſupra diximus, cum de theologia patriſtica exponeremus *libri* huius *II. cap. III.* ad *§. IX.* Sunt tamen ea ita comparata, vt in controuerſiis cum pontificiis, hos quippe ex inſtituto oppugnantia, nobis egregie inſeruiant. Quae enim hi nobis opponere ſolent, arma feliciter in eos conuertit, antiquitatisque, quod iactare ſolent, praeſidium illis non tantum eripuit, ſed eodem vel maxime eos debellauit. Id nimirum in *libris ſeptem de poenis & ſatisfactionibus humanis*, in *diſputatione de ſacramentali ſiue auriculari Latinorum confeſſione*, ceteriſque, cumprimis autem in *diſputatione*, vt vocat, *aduerſus Latinorum de cultus religioſi obiecto traditionem*, opere prorſus egregio, Geneuae an. 1665. 4. edito, agit, in quo cultum iſtum, quem hodie romana eccleſia euchariſtiae, ſanctis, reliquiis, imaginibus, crucibus, defert, vetuſtiſſimis chriſtianis ignotum & inuſitatum fuiſſe, luculenter demonſtrauit. De *libris duobus* IO. DALLAEI *de vſu patrum*, quibus nonnulli principem inter ſcripta eius locum tribuunt, itidem copioſe & ex inſtituto egimus *l. c.* ad *§. XIII.* Addenda, quae de DALLAEO eiusque ſcriptis more ſuo obſeruat PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Daillé p. m. 987. ſeqq.* Ad DAV. BLONDELLVM quod attinet, is non tantum DALLAEI *apologiam pro duabus eccleſiarum in Gallia proteſtantium ſynodis nationalibus* in lucem emiſit; ſed ipſemet etiam pro AMYRALDO calamum ſtrinxit, in *actis authenticis*, gallice editis, quibus GAVTIERIVS quidam *conſiderations libres & charitables ſur le recueil des actes authentiques ramaſſés par Mr. Blondel*, cum praefatione SAM. MARESII, oppoſuit. Licet autem BLONDELLVS itidem ob antiquitatis & hiſtoriae eccleſiaſticae notitiam, quam in eo omnes admirantur, magnam nominis conſequutus ſit cele-

Digitized by Google

celebritatem; minime tamen aut negligenda, aut contemnenda ſunt, quae pro dogmatum eccleſiae reformatae defenſione ſcripſit; quorſum comparatus eſt liber eius, *modeſte declaration de la ſincerité & verité des Egliſes reformées de France* inſcriptus, editusque an. 1619. *Pſeudo-Iſidorus* eius *& Turrianus vapulantes; apologia pro ſententia Hieronymi de epiſcopis & presbyteris*; porro de *iure plebis in regimine eccleſiaſtico*, alium equidem ſibi depoſcunt locum, alibique de iis agitur; ita tamen comparata ſunt, vt in controuerſiis, praeſertim cum pontificiis, vſum praebeant; quod & de libro eius, quem gallice de *primatu eccleſiae* ſcripſit, cenſendum. Librum eius de *Ioanna papiſſa*, quo inter commenta referre voluit, quidquid de ea vulgo creditur, a SAM. MARESIO, in *Ioanna papiſſa reſtituta*, refutatum, ſupra iam obſeruauimus. De ſcripto, quod ſub AMANDI FLAVIANI nomine BLONDELLVS edidit, quoue bullae Innocentii X pontificis contra pacem Monaſterienſem, obuiam iuit, conferendus VINCENTIVS PLACCIVS, in *theatro pſeudonymorum, num. MLXIV. p. 285.* Reliqua, quae de BLONDELLO ſcitu digna, ſuppeditabit PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Blondel, p. 608. ſeqq.* Succeſſit BLONDELLVS GERH. IO. VOSSIO, mortuusque eſt Amſtelodami an. 1655; hinc & inter Belgii federati theologos eius mentio fieri potuiſſet; vid. HENR. LVD. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen-Staat part. II. cap. IV. p. 366.* Praeter DALLAEVM atque BLONDELLVM, cum AMYRALDO fecerunt PAVL. TESTARDVS, IOSVA PLACAEVS, LVDOVICVS LE BLANC, LVD. CAPPELLVS, ALEXAND. MORVS, aliique, de quibus omnibus multa, ab hoc loco minime aliena, dici poſſent, niſi contrahenda vela, & ad finem properandum eſſet. Legiſſe autem de iis iuuabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM, in *ſchediaſmate de formula conſenſus heluetica cap. I. p. 11.* itemque CHRIST. EBERH. WEISMANNVM, in *introduct. in memorabil. eccleſiaſt. hiſtor. ſacr. noui teſtam. part. II. ſaec. XVII. p. 910. ſeqq.* Speciatim & de IOSVA PLACAEO, cui ob doctrinam, de imputatione peccati Adamitici immediate facta, controuerſia cum aliis interceſſit, eiusque ſcriptis & aduerſariis, conferendus idem WEISMANNVS, *l. c. p. 917. ſqq.* & PFAFFIVS, *l. c. §. VI. p. 16. ſeqq.* Inter aduerſarios AMYRALDI haud vltimum fuiſſe PETR. MOLINAEVM, antea obſeruauimus. Huc namque ſpectat *iudicium* eius *de Moſis Amyraldi & Friderici Spanhemii libro ſiue apologia pro Dei miſericordia, ſapientia & iuſtitia*; item *examen tractatus Amyraldi de praedeſtinatione* & alia. Inter reliqua ipſius ſcripta eminet liber: *nouitas papiſmi* inſcriptus, quem illum pro Iacobi I Angliae regis defenſione PERRONIO cardinali oppoſuiſſe, ſupra, cum de PERRONIO verba faceremus, obſeruauimus. Filius eius fuit PETR. MOLINAEVS, cuius itidem haud ignotum in orbe litterato nomen eſt. Vixit is in Anglia, & non tantum MILTONVM, regicidii defenſorem, in libro: *clamor regii ſanguinis*, refutauit; ſed &, praeter alia, de *tyrannide papali*, itemque, de *ſimonia eccleſiae romanae*, commentationes edidit. LVDOVICVS denique MOLINAEVS, cuius etiam antea facta eſt mentio, alter PETRI MOLINAEI ſenioris filius fuit, & itidem in Anglia vixit, ibique puritanorum, quos vocant, partes, contra epiſcopales ſcriptis acerrimis vehementiſſimisque propugnauit, librumque inter alia, *papa Vltraiectinus* inſcriptum, contra GISBERT. VOETIVM compoſuit, de quo iam alibi ex inſtituto egimus.

Sed vt ad reliquos reformatae eccleſiae, qui in Gallia floruerunt, theologos progrediamur; dubito, an recentiori aetate

tate aliquem maiori omnes proſequuti ſint veneratione, quam IO. CLAVDIVM, miniſtrum Carentonienſem, ſed qui poſt edicti Nannetenſis reuocationem, Gallia excedere coactus, at in Belgio honorifice exceptus, Hagae Comitum an. 1687 vitam cum morte commutauit. Vix vmquam ſcriptum aliquod maiori omnium adprobatione exceptum eſt, quam *reſponſio* eius ad librum de *perpetuitate fidei*, quae deinceps tot praeſtantiſſimis de hacce controuerſia lucubrationibus occaſionem dedit. Prima haecce eius *reſponſio*, vna cum eius defenſione, inſcripta: *reponſe aux deux traitéz intituléz: la perpetuité de la foi de l' Egliſe catholique touchant l' euchariſtie*, lucem adſpexit an. 1666. Rationes, cur liber hicce tantum excitauerit ſtrepitum, ſimulque auctori ſuo tantam pepererit gloriam, exponit PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Claude, p. 945.* Quae in eadem controuerſia porro vtrimque ſequuta ſint ſcripta, edifferere, huius loci non eſt; nec neceſſe erit, cum non ſemel iam celeberrimi huius certaminis a nobis facta ſit mentio. Cum autem PETR. NICOLIVS haud poſtremus inter auctores *perpetuitatis fidei* eſſet; is, vt alia quoque ratione reformatis aliquid negotii faceſſeret, *praeiudicia* ſua *legitima contra Caluiniſtas (preiugez legitimes contre les Caluiniſtes)* in lucem prodire iuſſit; quamquam non deſint, qui ANT. ARNALDO librum huncce tribuant: a Ianſeniſtis certe eum profectum, dubio caret. CLAVDIVS vero mox ei oppoſuit: *defenſionem reformationis aduerſus librum inſcriptum: praeiudicia legitima &c. (la defenſe de la reformation &c.)* Rothomagi 1673. 4. Nihil in hoc genere elegantius aut ſolidius, ab vllo reformatae eccleſiae theologo litteris conſignatum, viri quidam docti cenſent. Nec aduerſarii regerere aliquid auſi ſunt, donec demum an. 1684 PETR. NICOLIVS *reformatos, vt dici volunt, ſchiſmatis conuictos (les pretendus reformées convaincu de ſchiſme)* illi opponeret. De *reſponſione* CLAVDII *ad librum epiſcopi Meldenſis, collatio cum Claudio miniſtro Carentonienſi*, inſcriptum, legenda *acta erudito. Lipſienſ. an. 1684. menſe Auguſt. p. 374.* In *operibus* eiusdem *poſthumis* a filio auctoris in lucem protractis, excuſisque Amſtelodami an. 1688 & 89 quinque tomis in 8. plurima itidem occurrunt, quae huius loci ſunt, cumprimis etiam controuerſiis iſtius aetatis lucem egregiam adfundunt. Patet inde quoque, CLAVDIVM in doctrina de gratia vniuerſali, capitibusque connexis, cum illis feciſſe, qui a MOSIS AMYRALDI ſteterunt partibus. Idemque, cum ſingularem quamdam ſententiam propoſuiſſet, ſimulque adſeruiſſet, non omne genus bonorum operum ab apoſtolo in iuſtificatione hominis peccatoris excludi, quorum quaedam non per viam meriti, ſed per viam conditionis ibi interueniant, in *explicatione epiſtolae ſancti Pauli ad Romanos ex verſ. XXVIII. capitis III. (l' ouverture de l' epitre de ſaint Paul aux Romains &c.)* Amſtelodami anno 1685. 12. inicio auctore edita; mirum non eſt, quod quorumdam, praeſertim ex Hollandiae theologis, expertus eſt cenſuras, quibus obuiam ire voluit, in *declarationibus, ſcandalis ex libro, explicatio epiſtolae ad Romanos inſcripto, iniuſte acceptis, oppoſitis; (eclairciſſement ſur les ſcandales &c.)* Londini 1687. 12. De libro denique CLAVDII, *planctus proteſtantium* dicto, legendus CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introd. in memorabil. eccleſ. hiſt. ſacr. noui teſtamenti part. II. ſaec. XVII. p. 892.*

CLAVDIO merito iungimus PETR. IVRIEV, profeſſorem primum Sedanenſem, ſed poſtea eccleſiae gallicanae, quae Roterodami eſt, paſtorem, atque gymnaſii ibidem profeſſorem. Namque & is inter recentiores eccleſiae reformatae theologos ſcriptis plurimis, maximam partem polemicis,

micis, inclaruit. Immo res illi cum iis fuit, qui inter Gallos, romanae eccleſiae addictos, velut heroës cenſebantur. IACOBI namque BENIGNI BOSSVETI *expoſitionem Condomienſem* impugnauit, dum προφυλακτικὸν (*praeſeruatif*) illi oppoſuit, de quo, vti & eiusdem *continuatione*, qua DAV. AVGVST. BRYEISII inſultus repulit, ſupra egimus, cum de BOSSVETO verba faceremus. Quae certaminis, quod cum ANTON. ARNALDO ſubiit, fuerit ratio, quaeue in eo vtrimque edita ſint ſcripta, itidem expoſuimus, cum de ARNALDO loqueremur. Sed cum PETRVS quoque NICOLIVS librum: *les pretendus reformées convaincu de ſchiſme &c.* quem antea commemorauimus, edidiſſet; IVRIEVS illi *le vray ſyſteme de l' Egliſe & la veritable analyſe de la foy* (*verum ſyſtema eccleſiae, veramque analyſin fidei*) oppoſuit, Dordraci anno 1686. 8. Reſpondit NICOLIVS in tractatu *de l' vnité de l' Egliſe (de vnitate eccleſiae, ſiue refutatione noui ſyſtematis Iuriei)* ſimulque IVRIEO occaſionem dedit, denuo in aciem redeundi, ſuamque defendendi ſententiam, in tractatu *de l' vnité de l' Egliſe &c. (de vnitate eccleſiae, & articulis fundamentalibus)* Roterodami anno 1688. 8. Cumprimis vero & huius loci eſt opus illud IVRIEI, quod *preiuges legitimes contre le papiſme (praeiudicia legitima contra papiſmum)* inſcribitur, & Amſtelodami anno 1685. 4. lucem adſpexit. Atque in hiſce omnibus vt pontificios oppugnauit; ita, quae de Socinianis ſentiret, oſtendere voluit, *dans le tableau du Socinianiſme &c. (repraeſentatione Socinianiſmi, in qua conſpicitur dogmatum Socinianorum impuritas, & ſimul oſtenditur machinatio eorum, qui, haereſin Socinianam tolerandam, contendunt &c.)* Hagae comitum 1690. 12. Quem vero IVRIEVS compoſuit, tractatum: *de la nature & de la grace &c.* (*de natura & gratia, ſiue de concurſu generali prouidentiae & ſpeciali gratiae efficacis contra nouas hypotheſes Paionii & diſcipulorum eius*) Roterodami an. 1688. 12. ad controuerſias illas reformatorum in Gallia domeſticas, quibus CLAVD. PAIONIVS occaſionem dedit, ſpectare, ipſa inſcriptio libri oſtendit. Talia nimirum PAIONIVS docere videbatur, quae ad gratiam diuinam, in rebus ad ſalutem hominum pertinentibus, imminuendam, tendere videbantur; eſtque cumprimis obſeruatu dignum, quod, corruptionem hominis praecipue in malis cogitationibus, erroribus & praeiudiciis, ipſumque peccatum originis in inclinatione ad falſa iudicia & malas cogitationes, conſiſtere adſeruerit. Quae qui adcurate perpenderit, deprehendet, eo cuncta redire, fontem omnis mali non tam in voluntate, quam ſolum in intellectu hominis, quaerendum eſſe. Hiſtoriam controuerſiae huius Paionianae ſummatim exhibet CHR. EBERH. WEISMANNVS, in *introd. in memorabil. eccleſiaſt. hiſt. ſacr. noui teſtam. part. II. ſaec. XVII. p. 942. ſeqq.* vbi recte obſeruat, primam Paioniſmi originem ab AMYRALDI placitis deriuandam; beneque ſimul addit, haud raro contingere, vt qui fanaticiſmum ac enthuſiaſmum euitare volunt, ad alterum extremum, quod *rationaliſmum* vocare ſolent, procurrant. Ingenii ceteroquin & eruditionis laudem PAIONIO non denegant, qui ab eo diſſentiunt; quam & obtinuit, cum eccleſiae reformatae cauſſam contra NICOLIVM egit, in libro: *examen du livre, qui porte pour titre: preiuges legitimes contre les Calviniſtes &c.* Hagae Comitum an. 1683. 12. Sed ad IVRIEVM vt reuertamur, acerrimae illi lites quoque cum ELIA SAVRINO, celeberrimo reformatae eccleſiae theologo, interceſſerunt: quippe qui illi itidem ad eorum partes, quos rationaliſtas adpellitant, inclinare viſus eſt. Nimirum, cum IVRIEVS, in *animaduerſionibus*, *in librum qui inſcribitur: noua haereſis in doctrina morali de odio proximi, diſſeminata a Iurio, & omnibus eccleſiis reformatis denuntiata;*

itemque,

itemque, in *defenſione ſynodi aliorumque virorum proborum, contra calumnias ſatyrae domini de Beaual; cuius titulus: conſiderationes in duos ſermones &c.* SAVRINVM perſtrinxiſſet; hic *examen theologiae Iurii (examen de la theologie de Mr. Iurieu)* in lucem prodire iuſſit, Hagae Comitum an. 1694. 8. in quo non tantum totam contentionis iſtius ſeriem exponit, ſed & varios IVRIEI errores, ex ſcriptis eius collectos, exhibet, deque eccleſia, de ſalute eorum, qui coetui haeretico & idololatrico adhaerent, porro de neceſſitate reformationis, de efficacia baptiſmi, de principio fidei, aliisque capitibus, non recte eum ſentire, contendit. Hoc cum aegre ferret IVRIEVS, iſtum ſuum aduerſarium, vt par pari referret, grauiſſimorum in theologia errorum adcuſare, conſultum duxit, eoque comparatum eſſe voluit librum: *la religion du latitudinaire, religio latitudinarii cum apologia pro ſancta trinitate*, inſcriptum, editumque Roterodami an. 1696. 8. In eo enim primum quidem generatim de iis, quos hodie *latitudinarios* vocant, diſſerit; deinde autem probare voluit, SAVRINVM omnino in antitrinitariorum militare caſtris. Idemque cum & in *idea opinionum Saurini de myſteriis trinitatis & incarnationis (idee des ſentimens de Mr. Saurin &c.)* egiſſet; SAVRINVS illi iterum *vindicias doctrinae ſuae contra duos Petri Iurii libellos (iuſtification de la doctrine &c.)* oppoſuit, Vltraiecti an. 1697. 8. Diſputatum deinde inter vtrumque ſpeciatim fuit de principio fidei. De hoc enim non recte ſentire SAVRINVM, probandum ſibi ſumſerat IVRIEVS, in *defenſione doctrinae vniuerſalis eccleſiae &c.* neceſſitatemque adeo quamdam SAVRINO impoſuerat, edendi: *defenſionem verae doctrinae eccleſiae reformatae de principio fidei &c. (defenſe de la veritable doctrine de l' egliſe reformée &c.)* Vltraiecti anno 1697. 8. Iunctim tandem vtrumque, & PETR. IVRIEVM, & PETR. BAELIVM, licet in diuerſa abeuntes, SAVRINVS adgreſſus eſt. Cum enim BAELIVS, in libro notiſſimo: *commentarius philoſophicus ſuper haec verba: compelle eos intrare*, diſſentientium tolerantiam eousque extendiſſet, vt ad religionum ἀδιαφορίαν viam muniuiſſe, videretur; hunc vero IVRIEVS in libro: *iura duorum ſummorum imperantium* inſcripto, ita refutaſſet, vt ab altero extremo, eorum ſcilicet, qui contra quosuis diſſentientes ferro & flamma ſaeuiunt, prope abeſſe cenſeretur; SAVRINVS, mediam ſententiam tutiſſimam ratus, eamdem in *conſiderationibus iurium conſcientiae (reflexions ſur les droits de la conſcience &c.)* Vltraiecti 1697. 8. euulgatis, ita propugnauit, vt vtriusque, & IVRIEI, & BAELII, aberrationes oſtenderet. Dum autem PETR. BAELII hic mentionem fecimus; res ipſa poſtulat, vt de reliquis etiam, quae IVRIEVS contra illum edidit, aliquid ſubiiciamus ſcriptis. Inter ea eminet, quod inſcribitur: *examen d' un libelle contre la religion, contre l' Etat, & contre la revolution de l' Angleterre intitulé: Avis &c.)* Prodierat nimirum anno 1690 *avis important aux refugiéz ſur leur prochain retour en France (magni momenti admonitio ad exſules, de proximo illorum in Galliam reditu)* quae magno conſenſu BAELIO tribuebatur. Nec hodie ſatis, quis eius libelli auctor ſit, exploratum eſt. Vir etenim quidam doctus DE LA BASTIDE, cuius peculiaris hac de re exſtat diſſertatio in *hiſtoria Baelii eiusque operum &c. (l' hiſtoire de Mr. Bayle & de ſes ouvrages)* a DE LA MONNOYE ſcripta, & cum variis acceſſionibus Amſtelodami an. 1716. 8. recuſa, PAVLVM PELISSONIVM potius libelli iſtius auctorem eſſe, orbi perſuadere voluit. Sed non deſunt dubitandi rationes; nec a vero prorſus abhorret illorum ſententia, qui, BAELIVM hocce ſcripto IVRIEI *complementum vaticiniorum*, de quo deinceps, perſtringere voluiſſe, exiſtimant.

mant. Quidquid eius ſit; cum IVRIEVS librum huncce, ac ſi BAELIVM auctorem agnoſceret, refutaſſet; varia hinc inter vtrumque ſequuta ſunt ſcripta longe acerbiſſima. Eſtque omnino *admonitio* haecce ita comparata, vt, ſi ab homine reformatae eccleſiae ſacris addicto profecta eſſet, ſummam animi in eo proderet malignitatem. Non ſolum autem *admonitio* haec, ſed & *dictionarium* iſtud *hiſtoricum & criticum*, quod nemini, niſi rerum omnium, quae in orbe erudito geruntur, ignaro, ignotum eſſe poteſt, tum aliis, tum & PETRO IVRIEO, diſplicuit, qui in libello: *iugement du public & particulierement de Mr. l' Abbé Renaudot ſur le dictionaire critique de Sr. Bayle*; itemque in altero: *Philoſophus Roterodamenſis adcuſatus & conuictus*, inſcripto, id abunde teſtatus eſt. Prioris ſcripti quaenam ſit ratio, exponit DE LA MONNOYE, *dans l' hiſtoire de Mr. Bayle &c. p. 32. ſeqq.* Cumprimis *dictionarium* hocce *hiſtoricum & criticum* BAELII, cui ſe oppoſuit IVRIEVS, occaſionem dedit celeberrimae de origine mali controuerſiae, cuius hiſtoriam ſummatim exhibui, in *inſtitut. theolog. dogm. lib. III. c. II.* ad §. *XXXV.* Plura quoque de IVRIEI, aliorumque, cum PETRO BAELIO certaminibus, dabit CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introd. in memorabilia eccleſ. hiſt. ſacr. noui teſtam. ſaec. XVII. p. 963. ſeqq.* Inter tot bella IVRIEVS tamen de pace etiam cogitauit, & de concordia inter reformatos & noſtrates ineunda fuit ſollicitus, in *iudicio de methodis rigidis & laxioribus explicandi prouidentiam & gratiam, ad inueniendum medium reconciliationis inter proteſtantes; (iugement ſur les methodes rigides & relachées &c.)* Roterodami an. 1686. 12. Cui cum DAN. SEVER. SCVLTETVS *animaduerſiones* ſuas oppoſuiſſet, Hamburgi 1687. 8. IVRIEVS *conſultationem de pace inter proteſtantes ineunda* latino ſermone in lucem emiſit, Vltraiecti 1688. 8. Sed in hac quoque *conſultatione* nondum eiusmodi pacis viam, quae noſtratibus placere queat, monſtratam, idem SCVLTETVS oſtendit, in *iterata eccleſiae reformatae inuitatione, ad pium in doctrina fidei conſenſum*, Ienae 1697. 8. SAMVELEM porro PVFENDORFIVM, in *iure feciali diuino, ſiue de conſenſu & diſſenſu proteſtantium*, methodum iſtam IVRIEI ſub examen reuocaſſe, conſtat. Denique & de libro IVRIEI *complementum vaticiniorum (l' accompliſſ ment des propheties, ou la delivrance prochaine de l' egliſe &c.)* inſcripto, & Roterodami 1686 duobus voluminibus in 12. euulgato, aliquid dicendum eſt. In eo enim cum ciuibus ſuis, religionis cauſſa ex Gallia eiectis, ſpem reditus in patriam feciſſet, vaticiniumque de antichriſti interitu, magnaque eccleſiae mutatione, proxime inſtare, docuiſſet; quorumdam cenſuras, & cum euentus ſententiam eius refutaſſet, multorum ludibria expertus eſt. Interim an. 1687 *continuationem*, itemque *apologiam* iſtius *complementi*, edidit; conf. HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen- Staat part. II. cap. IV. pag. 430.*

Si omnes reformatae eccleſiae theologos, quos Gallia protulit, quiue ſcriptis inclaruere polemicis, laudare veliem; ex iis, qui, poſtquam patriam deſerere coacti ſunt, Berolinum ſe receperunt, commemorandus cumprimis eſſet vir eruditiſſimus IAC. LENFANT, cuius, praeter alia ingenii monumenta praeſtantiſſima, exſtat προφυλακτικὸν *contra reunionem cum ſede romana*, ſiue *preſervatif contre la reunion avec le ſiege de Rome, ou apologie de notre ſeparation d' avec ce ſiege*, Amſtelodami an. 1723, tomis quatuor in 8. vna cum *innocentia catechiſmi Heidelbergenſis demonſtrata*, cui & iungitur *diſcurſus de catechiſmis & confeſſionibus fidei*, ibidem, eodemque anno; commemorandus porro eſſet DE BEAVSOBRE,

ob *defenſionem doctrinae reformatorum (defenſe de la doctrine des reformés ſur la providence, ſur la predeſtination, ſur la grace, & ſur l' eucharſtie &c.)* Magdeburgi an. 1694. 8. Immo & plures alii adhuc addi poſſent; niſi maximus & fere infinitus eiusmodi ſcriptorum numerus, quosdam ſilentio praetermitti, iuberet, ne in immenſum noſtra excreſceret tractatio. Paucos itaque ſolum quosdam ex Geneuenſibus ac Heluetiis ſubnectemus; vt ibi ſubſiſtamus, vnde exorſi ſumus, cum de reformatae eccleſiae theologis agere inciperemus. Et apud Geneuenſes quidem illuſtre eſt TVRRETINORVM nomen, FRANCISCI patris, & IO. ALPHONSI filii. Inter patris ſcripti eminent, magnoque eruditis ſunt in pretio, *inſtitutiones* eius *theologiae elenchticae*, Geneuae an. 1682. 4. editae, in quibus praecipuarum, cum quibusuis circa religionem diſſidentibus, controuerſiarum, momentum exponere, & quae illarum diiudicationi inſeruire poſſint, luculenter tradere, auctori conſtitutum fuit. In *actis eruditorum Lipſienſibus* egregio opus hocce ornatur elogio: *nullum erga diuerſa in religione ſentientes niſi charitatis adfectum, auctor ſpirare videtur, procul ab omni perſonarum odio atque liuore; nec temere alienam mentem adfingere iis, quibuscum agendum fuit; nec illa ſtudio diſſimulare voluit, quae pro illorum cauſſa facere videbantur; an. 1682. menſe Iul. p. 208.* Quae virtutes eo maiorem promerentur laudem, quo rariores in illis ſunt, qui polemica tractant. Sunt vero etiam huius loci eiusdem auctoris diſſertationes de *ſatisfactione Chriſti*, Socinianis oppoſitae, itemque de *neceſſaria ſeceſſione ab eccleſia romana, & impoſſibili cum ea ſyncretiſmo*, cum *decade diſputationum miſcellanearum.* Reliqua eius ſcripta PETR. BAELIVS indicat, qui &, magnorum eum fuiſſe meritorum, eloquentia & iudicio praeditum, laborum patientem, & magno orthodoxiae zelo flagraſſe, pronuntiat, in *diction. hiſt. & crit. voc. Turretin p. 2923.* Gratiae particularis acerrimum eum fuiſſe defenſorem, obſeruat CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introduct. in memorabil. eccleſiaſt. hiſtor. ſacr. noui teſtamenti part. II. ſaec. XVII. p. 892.* vbi & alia obſeruatu digna de eo monet. Filium autem, ſiue IO. ALPH. TVRRETINVM, eruditio pariter ac moderatio, ſtudiumque, proteſtantes inter ſe conciliandi, commendat. Documento eſſe poteſt *oratio de componendis proteſtantium diſſidiis*, cum aliis eodem collineantibus monumentis, typis exſcripta Geneuae an. 1707. 4. item *oratio, de theologo veritatis & pacis ſtudioſo*, ibidem an. 1706. 4. cumprimis autem *nubes teſtium, pro moderato & pacifico de rebus theologicis iudicio, & inſtituenda inter proteſtantes concordia*, cui praemiſſa eſt *breuis & pacifica de articulis fundamentalibus diſquiſitio &c.* ibidem 1719. 4. Praeter TVRRETINOS, Geneuenſes & BENED. PICTETVM merito inter ornamenta ſua referunt. *Theologia* eius *chriſtiana & ſcientia ſalutis*, gallice ſcripta, ſed in linguam quoque germanicam translata, refutandis non minus diſſentientium placitis, quam confirmandis eccleſiae reformatae dogmatibus, inſeruire poteſt. Quae de ea ſcitu digna ſunt, iam indicauimus *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XV.* Studium ſuum, reformatos cum noſtratibus conciliandi, prodidit, in *diſſertatione de conſenſu & diſſenſu inter reformatos & Auguſtanae confeſſionis fratres*; Amſtelodami an. 1697. 12. itemque in *amica reſponſione ad amicam diſceptationem Dan. Seuerini Sculteti de rebus inter proteſtantes controuerſis* Amſtelodami an. 1700; vt & in *virorum immortalis & beatae memoriae Lutheri & Caluini conſenſu in quaeſtionibus de praedeſtinatione & redemtione Ieſu Chriſti*, Geneuae 1700. 8. Quemadmodum autem primam ex hiſce commentationibus *animaduerſionibus* ſuis quidam, qui

Digitized by Google

ſe *Lutheranum* vocat, refutauit; quibuscum recuſa eſt Lipſiae 1699. 4. quibusque PICTETVS iterum in *vindiciis aduerſus animaduerſiones, quas edidit Lutheranus,* Geneuae an. 1700. 8. obuiam iuit; ita alteri DAN. SEVER. SCVLTETVS oppoſuit *adſertionem ampliſſimam gratiae diuinae* Lipſiae 1701. 8. ſubiuncta *epicriſi ad nouiſſimum Picteti de conſenſu Lutheri & Caluini ſcriptum.* Inter helueticos denique theologos omnium inſtar eſſe poteſt IO. HENR. HEIDEGGERVS, vir ingenio & eruditione praeſtantiſſimus. De *corpore* eius *doctrinae* multa hic facere verba, neceſſe non eſt, cum nemo non intelligat, in eiusmodi ſyſtematibus controuerſiarum vel maxime haberi rationem, & ipſa quoque eius inſcriptio doceat, *doctrinam*, quam auctor vocat, *veritatis*, in eo *contra aduerſarios quoscumque, veteres & nouos, vel in fundamento fidei, vel circa illud errantes, adſeri.* Praeterea illud ſupra quoque iam commemorauimus *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XV.* De eiusdem *anatome concilii Tridentini*, itemque *tumulo concilii Tridentini*, itidem iam verba fecimus *cap. II.* ad §. *IX.* *Hiſtoria* porro eius *papatus* huius equidem loci non eſt; nemo tamen ea carere poterit, qui in controuerſiis cum pontificiis rite verſari cupit. Haecce autem *papatus hiſtoria*, vt LVDOV. MAIMBVRGII *hiſtoriae Caluiniſmi* praecipue oppoſita fuit; ita eodem collinearunt auctoris noſtri *diatribae in diui Ioannis apocalypſeos prophetiam de Babylone magna*; quas cum CAROL. SFONDRATVS, abbas tum Sanctogallenſis, poſtea cardinalis, refutare voluerit; opus tamen inchoatum, morte praepeditus, ad finem perducere non potuit. Vnde, maximopere *commentariorum Triuultienſium* auctores errare, conſtat, quando narrant, SFONDRATVM, abbatem adhuc Sanctogallenſem, tanto ſucceſſu aduerſus HEIDEGGERVM, ſcripſiſſe, vt propterea pontifex galerum cardinalitium illi contulerit. Obſeruatum hoc CHRIST. EBERH. WEISMANNO, in *introduct. in memor. eccleſiaſt. hiſt. ſacr. noui teſtament. ſaec. XVII. p. 896.* Ob alia tamen cum HEIDEGGERO certamina honorem huncce SFONDRATO obtigiſſe, negari nequit; idque confirmat auctor *hiſtoriae vitae Heideggeri, exercitationibus* eius *biblicis* praemiſſae, §. *CLXXV.* Cum pontificiis porro congreſſus eſt HEIDEGGERVS, in *diſſertatione de peregrinationibus religioſis, Eremitana inprimis, Auguſtino Redingio oppoſita,* eiusque *contra Redingium & Baldingerum defenſione,* aliisque ſcriptis, quae auctor *hiſtoriae vitae Heideggeri* ordine recenſet. Singulare fuit, quod HEIDEGGERVS cum STEPH. CVRCELLAEO ſubiit, certamen. Hic enim, cum an. 1659 *diatribam, de eſu ſanguinis inter chriſtianos* edidiſſet, *operibus* eius deinceps inſertam, qua probare voluit, decreto apoſtolico, quo ſanguinis eſus prohibetur, hodie adhuc obligari chriſtianos; HEIDEGGERVS *libertatem chriſtianorum a lege cibaria veteri, de ſanguine & ſuffocato, demonſtratam, & ab inſtantiis Stephani Curcellaei defenſam,* Amſtelodami 1662 illi oppoſuit. Lucem egregiam hiſtoriae huius controuerſiae adfundit SAM. SCHELGVIGIVS, in *exercitat. theolog. de concilio Hieroſolymitano, cap. XLIV. §. III.* De *formula conſenſus heluetica,* cuius praecipuum auctorem HEIDEGGERVM eſſe, quamue ab eo conſcriptam, conſtat, eiusque hiſtoria, legendus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *ſchediaſmate theologico de formula conſenſus heluetica,* praeſertim *cap. III. §. III. pag. 26.* Quemadmodum autem ex iſta *formula* patet, HEIDEGGERVM rigidum fuiſſe placitorum reformatae eccleſiae defenſorem; ita mirari aliquis poſſet, eum inter illos, qui pacem & concordiam inter nos & reformatos ſancire volunt, nomen ſuum fuiſſe profeſſum. Duas nimirum *de concordia proteſtantium eccleſiaſtica* diſſertationes conſcripſit,

ſcripſit, quae *tomo III. diſſertationum* eius *ſelectarum p. 379. ſeqq.* extitant, & deinceps inſcriptae: *manuductio in viam concordiae proteſtantium eccleſiaſticae* Amſtelodami prodierunt, anno 1686. 8. Sed refutauit hanc *manuductionem*, ſub CHRIST. SINCERI nomine latitans, PHIL. MVLLERVS, theologus Ienenſis, in *fuco concordiae inter proteſtantes & reformatos obducto per Io. Henr. Heideggerum &c.* vt refert auctor *hiſtoriae vitae Heideggeri* §. CXXXVI. qui ſatis acerbe eum excepit. Praetermittendae hic etiam non ſunt *diſſertationes* HEIDEGGERI *ſelectae*, quarum tomi proſtant tres, vtpote in quibus ſubinde, quae theologiae polemicae propria ſunt, attingit. Immo nec *exercitationes* eius *biblicae* ab hoc loco alienae ſunt, quippe quas CAPPELLI, SIMONIS, SPINOZAE & aliorum *ſiue aberrationibus, ſiue fraudibus oppoſitas*, ipſa nos inſcriptio docet.

Atque ita, dum praecipuos reformatae eccleſiae theologos, quorum in theologia polemica habenda eſt ratio, enarrauimus; eos ſimul commemorauimus, qui de pace inter reformatos & Lutheranos ineunda fuere ſolliciti; vt ex Germanis DAV. PAREVM, SAM. STRIMESIVM, BARTHOLT. HOLTZFVSSIVM, ex Gallis MOSEM AMYRALDVM & PETR. IVRIEVM, ex Geneuenſibus BENED. PICTETVM & IO. ALPH. TVRRETINVM, ex Helueticis IO. HENR. HEIDEGGERVM. Idemque cum & alii ſibi datum negotium crediďiſſent; nemo tamen maiori id egit conatu, quam IO. DVRAEVS, gente Scotus, qui, praeſulum quorumdam Angliae ſuffragio & adprobatione ſuffultus, nihil tam arduum eſſe exiſtimauit, quod non eius rei cauſſa promte ſibi ſubeundum eſſet. Magnis namque non tantum per Sueciam, Daniam, Germaniam, Belgium ſuſceptis itineribus cum principibus, theologisque quam plurimis colloquutus eſt; ſed & ſcripta varia, eodem collineantia, edidit; cuiusmodi ſunt; *aliquot theologorum Galliae, & trium eccleſiae anglicanae epiſcoporum* (Dauenantii, Mortoni & Halli) *ſententia de pacis rationibus inter euangelicos vſurpandis; hypomnemata de ſtudio pacis eccleſiaſticae; prodromus tractatuum irenicorum, in quo praeliminares continentur tractatus I.) de pacis eccleſiaſticae remoris e medio tollendis; II.) de concordiae euangelicae fundamentis ſufficienter iactis; III.) de reconciliationis religioſae procurandae argumentis & mediis; IV.) de methodo inueſtigatoria ad controuerſias omnes, ſine contradicendi ſtudio & pacifice decidendas &c.* & quae alia eiusdem generis, tum ab eo ſolo, tum & ſimul cum IO. MELLETO, qui in eodem inſtituto illi ſe iunxerat, edita. Tam ipſius DVRAEI, atque MELLETI, quam illorum, qui ei ſe oppoſuerunt, vt IO. HVLSEMANNI, IO. MEISNERI, IO. CONR. DANHAVERI, BALTH. BEBELII, aliorumque ſcripta adcurate & diligenter recenſet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtoriam theologiae litterariam, &c. part. II. lib. III.* ad *§. VIII. p. 182.* Irritos autem fuiſſe omnes hosce DVRAEI conatus, aliunde ſatis conſtat; idque eum ipſe intellexiſſet, eo tandem prolapſus eſt, vt in noua quadam apocalypſeos explicatione, non reformatorum modo cum Lutheranis, ſed omnium eorum, qui chriſtianorum nomine veniunt, & opinionibus a ſe inuicem diſſident, inter ſe conciliationem quaereret. Eo namque commentatio eius, *l' intelligence de l' apocalypſe par l' apocalypſe meme*, an. 1674. 12. edita, comparata eſt. Legenda, quae hac de re obſeruat PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. crit. voc. Duraeus pag. 1096.* Reliquorum ſcriptorum pro vnione inter nos & reformatos, & contra eam editorum, adcuratam & copioſam notitiam ſuppeditabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *l. c. p. 181. ſeqq.* item *pag. 192. ſeqq.*

Ad-

Digitized by Google

Addenda & , quae de iis dicta ſunt in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten*, *c. IV. ſect. III.* ad *§. III. & IV. p. 499. ſeqq.*

§. X. Cum vero & eos cognouiſſe iuuet, qui ſpeciatim in certis controuerſiarum generibus diligentiam ſuam, ingenii monumentis demonſtrarunt; primo hic ſe nobis offerunt certamina cum romanae eccleſiae defenſoribus; * tum, cum reformatis, ** & qui ab hiſce originem ducunt Arminianis ſeu remonſtrantibus; *** porro cum Socinianis, & tota antitrinitariorum cohorte; * praeterea cum fanaticis; ** itemque cum atheis, *** naturaliſtis * & indifferentiſtis; ** hinc, cum gentilibus,*** Iudaeis * & Mohammedanis: ** quibus denique & ea, quae aut nobis, aut aliis, cum Graecis orientalibusque chriſtianis *** intercedunt, addere iuuabit.

* Generatim hactenus conſiderauimus eos, qui tum ex noſtratibus, tum ex romanenſibus pariter ac reformatis, contra diſſentientes quosuis in aciem prodire, ſuarum duxerunt eſſe partium. Cum autem magnus adhuc ſuperſit eorum numerus, qui ſpeciatim cum certo hoſtium congreſſi ſunt genere, aut certe in eiusmodi conflictibus prae reliquis eminent; horum nunc, ne quid noſtrae tractationi deſit, ita habenda eſt ratio, vt nec eorum, quorum hactenus mentio facta non eſt, aduerſariorum memoria praetermittatur. Vtque ab iis, quae nobis cum pontificiis intercedunt, initium faciamus controuerſiis; primo hic in cenſum veniunt, quae primi eccleſiae reformatores, ipſe praeſertim beatus LVTHERVS, aduerſariis ſuis oppoſuerunt, victoriamque eiusmodi iis obtinuerunt, cuius ad nos quoque pertigit fructus. Atque haec ſuo iam loco ad *§. VIII.* commemorata ſunt. Succedunt deinde, qui decreta concilii Tridentini impugnarunt, quorum praecipuos *libri* huius *cap. II.* ad *§. IX.* laudauimus; ſed addendi omnino, quos CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS indicat, in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad *§. VII. p. 80. ſeqq.* qui & in antecedentibus magno numero, qui de rebus ad hocce concilium ſpectantibus commentati ſint, adducit. Quemadmodum porro certamina cum pontificiis recrudeſcere ſolent, quoties viri quidam aut dignitate, aut doctrina praeſtantes a noſtris ad illorum caſtra transeunt; ita & ſcriptis tunc polemicis occaſio ſuppeditatur, ſaepiusque ſuppeditata eſt. Cum enim, non ſine grauiſſimis rationibus hoc feciſſe, videri velint, ſed mutationis ſuae πρόφασιν quaerant; emiſſis plerumque in lucem libellis, conuiciis noſtram eccleſiam proſcindunt, romanam laudibus in caelum euehunt; quod cum noſtrates ferre nequeant, hinc noua certamina. Praecipua illorum, qui a noſtra ad romanam defecerunt eccleſiam, occaſionemque eiusmodi ſcriptis praebuerunt, exempla ſummatim recenſet GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVII. cap. III. pag. 451. ſeqq.* Addenda iterum, quae de hiſce CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS obſeruat, *l. c. p. 116. ſeqq.* Idem & de colloquiis cenſendum, quae ſubinde inter noſtrates & pontificios ſunt inſtituta. Cum enim eiusmodi colloquiorum non alius fere euentus ſit, quam vt ad pacem ac concordiam nihil iis proficiatur, vtraque con-

tra pars victoriam ſibi tribuat; fieri aliter nequit, quam vt noua inde exoriantur certamina, polemicorumque adeo ſcriptorum augeatur numerus. Sed haec omnia peculiare, idque non exiguae molis, opus requirunt. Lucem vero dabunt, qui hiſtoriam colloquiorum dederunt, quos alibi iam indicauimus. Locum porro hic inueniunt, qui praecipuis eccleſiae romanae defenſoribus, vt ROB. BELLARMINO, MART. BECANO, IAC. BENIGN. BOSSVETO, aliiſque, ſe oppoſuerunt; quos iam commemorauimus, cum de romanenſium ſcriptoribus polemicis verba faceremus; quamquam & in his ſelectus ſit inſtituendus. Licet autem illi ex noſtratibus, quos ad §. *VIII.* ordine recenſuimus, plerumque non cum vno hoſtium genere, ſed cum variis congreſſi ſint; quorumdam tamen, vt MART. CHEMNITII, HVNNII vtriusque, AEGIDII & NICOLAI, beati IO. GERHARDI, IO. MVSAEI, & aliorum, quae pontificiis oppoſita ſunt, monumenta, prae reliquis ſunt obſeruatu digna. Idemque & de reformatae eccleſiae theologis, ad §. *praecedentem* laudatis, eorumque ſcriptis cenſendum. Nonnullos enim ex iis, vt ANDR. RIVETVM, SAM. MARESIVM, PETR. MOLINAEVM, IO. DALLAEVM, IO. CLAVDIVM, aliosque non infeliciter contra romanenſes pugnaſſe certum eſt. Supereſt itaque, vt praecipua quaedam illorum, de quibus ex inſtituto ſupra dictum non eſt, ſcripta, quibus pontificiorum errores profligantur, indicemus.

IOAN. GEORG. DORSCHEVM, Argentoratenſem primum, deinde Roſtochienſem theologum, praecipuis eruditiſſimisque eccleſiae noſtrae doctoribus adnumerandum eſſe, nemo dubitauerit. Huius autem varia exſtant, ad romanenſium cumprimis dogmata refellenda, ſcripta vt: *myſteria miſſae, diſputationi liturgicae Ioan. Georgii Herberi, Argentoratenſi Ieſuitae, anno 1624 oppoſita*; quae cum acceſſionibus quibusdam, maxime autem *vindiciis contra Thomam Henrici & Simon. Felicem, Prof. Frib. qui eam paſſim vellicarunt*, iterum prodiit Argentorati anno 1644. 4. diſſertatio de *auctoritate eccleſiae, ſiue explicatio verborum Auguſtini: euangelio non crederem, niſi me auctoritas eccleſiae moueret*, Argentorati 1653; *interuentio pro myſterio ſacro-ſanctae trinitatis, ad actionem laeſi eiusdem myſterii eccleſiis Auguſtanae confeſſionis iniquiſſime intentatam a Wolffgango Hermanno, Soc. Ieſu. quo oſtenditur, ſcholaſticos & ſcholaſticorum patronos, Loiolitas illi myſterio variis rationibus iniquos eſſe*; Argentorati 1645. 4. Nimirum, quod pontificiis quibusdam ſollemne eſt, id etiam WOLFFG. HERMANNVS Ieſuita egerat, vt perſuadere aliis vellet, in dogmate de ſacro-ſancta trinitate non ſanam fuiſſe beati LVTHERI doctrinam. Hiſce itaque calumniis obuiam in hocce ſcripto DORSCHEVS ire voluit, vt & in *detectione malae fidei papalis circa probationes ſacro-ſanctae trinitatis, & ſigillatim deitatis filii Dei pro calumniis Wolffgangi Hermanni, Ieſuitae Spirenſis, ſiſtendis, &c.* Argentorati 1646. 12. Pro HERMANNO cum ad huncce DORSCHEI librum reſponderet MELCH. CORNAEVS Ieſuita; huic, ne cauſſam, quam ſemel defendendam ſuſceperat, desereret, DORSCHEVS *anti-Cornaeum* obiecit, *ſiue vindicias interuentionis pro myſterio trinitatis, telis aranearum Melchioris Cornaei, Ieſuitae Moguntini oppoſitas, [illegible] Ieſuiticae exhibentes*, Argentorati anno 1649. Atque hinc originem *anti-Cornaei* intelligere licet, cuius mentionem etiam fecimus, cum de MART. BECANO ad §. *praecedentem* loqueremur. Miſſis autem reliquis, quae idem vir doctiſſimus contra pontificios elucubrauit, quae & haud pauca ſunt, & prorſus egregia; id ſolum addimus: cum eo tempore, quo bello

Digitized by Google

bello tricennali per pacificationem Oſnabruggenſem finis imponendus eſſet, quidam, ſub ERN. DE EVSEBIIS nomine latitans, probare adniteretur, pacem, qualem proteſtantes deſiderabant, illicitam eſſe, eamdemque tibiam & alii, praeeunte peculiari bulla ipſo pontifice Innocentio X, inflarent; praeter alios & DORSCHEVS in aciem prodiit, ſcriptisque eruditiſſimis atrocia iſta romanenſium conſilia redarguit. Huc namque ſpectat *triga* σύνδρομος *anticriſeos theologicae, hoc eſt, pro pace religionis conſilium iure-conſultorum Patauinorum Marci Mantuae Bonafidii, Philippi Iacobi Portii Imatenſis, Tiberii Deciani Vtinenſis editum, caſibus praeſentibus adplicatum, & obſeruationibus illuſtratum;* Argentorati 1648. quo in ſcripto trium iure conſultorum in ſimili plane caſu data reſponſa exhibentur, eaque ſententiae ERN. DE EVSEBIIS, eorumque, qui cum illo faciebant, prorſus repugnare, oſtenditur; porro: *anticriſis theologica, oppoſita iudicio theologico Erneſti de Euſebiis, ciuis Romani, ſuper quaeſtione: an pax, qualem deſiderant proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita?* ibidem, eodemque anno: denique *prodromus anticriſeos theologicae* (poſt ipſam *anticriſin* editus) *ſeu inuectiua in vehiculum iudicii theologici;* itidem Argentorati anno 1648. ERNESTVS enim ille DE EVSEBIIS, poſt *iudicium* iſtud *theologicum, vehiculum* eius ediderat. Lingua quoque germanica DORSCHEVS concinnauit *nothwendige Entdeckung des blutdürſtigen Vrtheils, welches der vermummte Ernſt von Euſebiis, roemiſcher Bürger, über die Frage: ob der Friede in Teutſchland, wie ihn die Proteſtirenden begehren, für ſich ſelbſt vnerlaubet vnd vnrecht ſey, gefaellet &c.* Hinc, cum perſonatus quidam CHRIST. FIDELIS, ERN. DE EVSEBIIS contra ſcripta DORSCHEI vindicare adgreſſus eſſet; ANDR. quidem KVHNIVS, eo tempore DORSCHEI auditor, deinde poſt alia officia ſenior miniſterii Dantiſcani, DORSCHEI defenſionem ſuſcepit; mox tamen ipſe quoque DORSCHEVS hunc aduerſarium repulit, euulgato *triumpho federatae pacis ſaecularis, ſeu anacriſi criſeos Loioliticae, anticriſi iudicii theologici Erneſti de Euſebiis oppoſitae,* Roſtochii anno 1656. Sed de hiſce omnibus, vt & reliquis DORSCHEI ſcriptis polemicis, conferendus IO. FECHTIVS, in *praefatione de Dorſchei vita, meritis & ſcriptis, commentario* eius *in quatuor euangeliſtas,* Hamburgi anno 1706 in lucem edito, praemiſſa, lectuque longe digniſſima. Quis ſub ERN. DE EVSEBIIS nomine lateat, de eo viri docti diſputant. Sunt enim, qui FABIVM CHIGIVM pontificis legatum; ſunt, qui, alium quemdam eodem tegi, putant. DORSCHEVS, confeſſionarium electoris Moguntini, P. PRIBER, ſeu vt alii vocant, BIBER, hoc nomen adſumſiſſe, edoctus fuit, obſeruante etiam FECHTIO *l. c. lit. m. col. 1.* Sed addenda, quae hac de re in VINC. PLACCII *theatro pſeudonymorum, num. DCCCCLXXXVIII. pag. 268.* docentur.

In academia Argentoratenſi, cuius ornamentum DORSCHEVM fuiſſe, diximus, etiam docuit IO. CONR. DANHAVERVS, magni itidem nominis theologus, cuius inter alia ingenii & eruditionis monumenta etiam exſtat *hodomoria ſpiritus papaei,* Argentorati 1654. 8. itemque *anti-Chriſtoſophia,* ibidem anno 1640. 4. & alia. Ex Argentoratenſi autem academia ſi nos ad Lipſienſem conferamus; HENR. HOEPFNERVS ſeſe nobis offert, qui non vna ratione in pontificiorum profligandis erroribus diligentiam ſuam demonſtrauit. Praeter *diſſertationes* enim quaſdam, huc comparatas, praeterque tractatum prorſus egregium *de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo,* Lipſiae an. 1653. 4. excuſum, *Saxoniam* nobis dedit *euangelicam, Saxoniae pſeudo-catholicae Petri Cutſemii,* do-

doctoris, presbyteri, canonici, & chor-epiſcopi Colonienſis oppoſitam; in qua praecipuae, quae nobis cum romanenſibus intercedunt, controuerſiae ſolidiſſime explicantur. Iterum prodiit Lipſiae an. 1672. 4. in qua editione etiam epiſtolae MATTH. HOEI AB HORNEGG, & PETRI CVTSEMII ſuper quaeſtione: *an conſultum ſit, ab eccleſia ac doctrina Lutherana ad caſtra pontificia ſe conferre?* leguntur. Idem argumentum, vt hoc εἰς ἐν παρόδῳ moneam, pertractauit BALTH. MEISNERVS, in *conſultatione catholica de fide Lutherana capeſſenda & papiſtica deſerenda*, *oppoſita Leonhardo Leſſio*. LEONHARDVS namque LESSIVS, ſocietatis Ieſu theologus, ſatis notus, *conſultationem* ediderat, *quae fides & religio ſit capeſſenda, cum adpendice, vtrum quiuis in ſua fide ac religione ſaluari poſſit?* Idem MEISNERVS & alia contra pontificios ſcripſit, inter quae obſeruatu maxime digna, quae IAC. REIHINGIO, eo tempore romanae eccleſiae ſacris addicto, ſocietatisque Ieſu theologo, oppoſuit. Nimirum ediderat REIHINGIVS *muros ciuitatis ſanctae hoc eſt, fundamenta duodecim religionis catholicae, quibus inſiſtens princeps Neoburgicus, Lutheraniſmo abdicato, in eccleſiam pedem intulit*, Coloniae 1615. 4. Eodem itaque anno MEISNERVS in lucem emiſit *murum Babylonis Romanae oppoſitum duodecim muris nouae Ieruſalem catholicae Iacobi Reihingii*; cumque REIHINGIVS porro *excubias angelicas ciuitatis ſanctae, ſeu defenſionem prioris operis &c.* Neoburgi an. 1617 euulgaſſet; MEISNERVS iterum in *excubiarum papiſticarum, quas pro muris eccleſiae romanae protegendis Iacobus Reihing, quondam Ieſuita, in medium produxit, depulſione*, Wittebergae 1621. 4. illi reſpondit. Interea nimirum REIHINGIVS, rectiora edoctus, ad noſtram eccleſiam circa initium anni 1621 acceſſit, &, ex propugnatore romanae eccleſiae eiusdem oppugnator factus, praeter alia edidit *gründliche Wiederlegung ſeines fälſch-genandten catholiſchen Handbuchs*, Tubingae 1628. 8. Enimuero, cum romanae eccleſiae ſacra adhuc ſequeretur, *enchiridion catholicum* ſeu *catholiſches Handbuch*, *manuali* MATTH. HOEI *oppoſitum*, ediderat, Neoburgi anno 1617. 4. Iſtud deinceps ipſe hac ratione refutauit. In Regiomontana academia CHRISTIAN. DREIERVS, praeter alia, quae huius loci ſunt, *controuerſias cum pontificiis praecipuas* reliquit, Regiomonte an. 1688. 4. in quibus non modo ex ſcriptura ſacra, ſed & ex antiquitate eccleſiaſtica, arma, quibus romanenſes oppugnaret, depromſit. Fuit vtique vir iſte antiquitatis eccleſiaſticae haud rudis, & in patrum lectione verſatus; vnde & ſcripta eius minime ſunt contemnenda; caute tamen legenda, cum ſuis interdum nimis indulgeat opinionibus, & pontificiis plus, quam decet, largiatur; hinc & ſyncretiſmi adcuſari ſolet. Eum in quibusdam nec cum pontificiis, nec cum noſtratibus, ſed cum Graecis potius feciſſe, obſeruat CHRISTOPHOR. HARTKNOCHIVS, in *der preuſſiſchen Kirchen Hiſtorie lib. II. cap. X. pag. 638.* Ob antiquitatis quoque eccleſiaſticae exquiſitam notitiam eruditis GEORGII CALIXTI ſcripta quaedam, quae pontificiis oppoſuit, in pretio ſunt. Idem tamen itidem male audit, quod interdum pacis ac concordiae ſtudio τῆς ὀρθοδοξίας curam poſtpoſuerit. Ex commentationibus autem eius huius loci ſunt, *tractatus de coniugio clericorum*, Francofurti 1653. 4. diſſertatio *de communione ſub vtraque ſpecie*, cum GEORGII CASSANDRI de eodem argumento *dialogo* excuſa Helmſtadii an. 1642. 4. *conſideratio doctrinae pontificiae, iuxta ductum concilii Tridentini, & reformatae, iuxta ductum confeſſionis Thorunii anno 1645 exhibitae*, Helmſtadii anno 1659. 4. & alia ſcripta quam plurima, quorum nonnulla recenſet IOAN. FABRICIVS, in *hiſt. biblioth. Fabric. part. IV. p. 294.*

Digitized by Google

p. 294. ſeqq. Digreſſionem CALIXTI *de arte noua contra Bartholdum Nibuſium* ſupra iam commemorauimus.

Sed vt ad academiam Lipſienſem reuertamur, in ea IO. ADAM. SCHERZERVS ſeſe nobis ſiſtit, cuius hic iterum mentionem fieri neceſſe eſt. De *anti-Bellarmino* eius ſupra iam verba fecimus; ſed nunc aliud eiusdem auctoris opus nobis occurrit, cuius hic vel maxime habenda eſt ratio. Prodiit iſtud anno 1677 inſcriptum: *bibliothecae pontificiae tomus*, denuo vero excuſum eſt an. 1708, inſcriptione paulliſper mutata, hunc in modum: *bibliotheca pontificia*, *ſeu papiſmus vapulans*, *ex ipſorum pontificiorum ſcriptis detectus.* Nimirum exhibentur in hocce opere quaedam magnorum inter pontificios virorum ſcripta, quibus naeuos & vulnera papatus aperte fatentur & deteſtantur. Simile itaque hoc eſt illorum inſtituto, qui ex ipſis romanae eccleſiae defenſoribus teſtes veritatis producunt, quod MATTH. FLACIVM illyricum, in *catalogo teſtium veritatis*, IO. GERHARDVM noſtrum, in *confeſſione catholica*, & *Bellarmino orthodoxiae teſte*, IO. GEORG. DORSCHEVM, in *Thoma Aquinate confeſſore veritatis euangelicae*, ANT. REISERVM, in *Ioanne Launoio, teſte & confeſſore veritatis euangelico-catholicae*, aliosque feciſſe, conſtat. Dictumque hac de re, cum de IO. GERHARDO verba faceremus. Addi his ex reformatis poteſt PAVL. COLOMESIVS, ob libellum: *Rome proteſtante*, *ou temoignages des pluſieurs catholiques Romaines en faveur de la creance & de la pratiques des proteſtans*, inſcriptum, qui inter opera eius, iunctim a IO. ALB. FABRICIO edita, exſtat, *p. 733. ſeqq.* Et ipſe quoque SCHERZERVS in *dedicatione* ad sereniſſimum principem Rudolphum Auguſtum, Brunſuicenſium & Luneburgenſium ducem, de hocce diſputandi genere copioſe & erudite agit. Continentur autem in hocce opere: CAR. MOLINAEI *commentarius ad edictum Henrici II contra paruas datas & abuſus curiae Romanae &c.* eiusdem *de Tridentini concilii decretis conſilium*; item, *conſilium ſuper commodis vel incommodis nouae ſectae ſeu factitiae religionis Ieſuitarum*, cum *fragmento* (quod quartum in hac *bibliotheca* locum occupat) *epiſtolae cuiusdam epiſcopi P. T. E. C. (id eſt, Ponti Tyardaei epiſcopi Cabilonenſis) contra pſeudo-Ieſuitam Carolum; facultatis Pariſienſis cenſura contra Sanctarellum Ieſuitam*; FR. IVNIPERI DE ANCONA (id eſt, vt nonnullis videtur, CASP. SCIOPPII) *conſultatio contra Ieſuitas*; IVL. CLEM. PLACENTINI, *de poteſtate pontificia in ſocietatem Ieſu*; *iuramentum a pontifice nouiter creando cardinalibus praeſtandum*; & denique *epiſcopi Angelo-politani* (PALAFOXII) *epiſtola ad papam contra Ieſuitas.* Inter haecce monumenta cum primo loco compareant, quae CAROL. MOLINAEVM auctorem agnoſcunt; iureconſultum huncce clariſſimum romanenſibus equidem ſuſpectum fuiſſe, conſtat, ac ſi Lutheranis faueret, (quamquam nec reformatis gratus erat, quod Auguſtanam confeſſionem Geneuenſi & helueticae praetuliſſet) immo quod vitia curiae Romanae cordate notaſſet, ſolum vertere coactus eſt, & Tubingae, Argentorati, aliisque in locis, iurisprudentiam docuit, donec an. 1557 in Galliam reuocaretur. Nec mirum ideo, quod bulla Clementis VIII pontificis eum *damnatae memoriae* vocitet, eiusque libros *non aliter*, *quam igne purgari poſſe*, decernat. Fuit tamen omnium confeſſione vir erudítiſſimus, & ipſius IAC. AVG. THVANI iudicio integerrimus atque cordatiſſimus, cui etiam romanae eccleſiae ſtatus intime perſpectus fuit, vt maximum adeo merito habeat pondus teſtimonium, quod contra eccleſiam, cuius ſacris ceteroquin addictus fuit, perhibuit, THVANVS *hiſtoriar. lib. VI.*

VI. ad *an.* 1550. alibique, honorifice eius meminit; add. ANT. TEISSIERIVS, *dans les eloges des hommes ſçavans tom. I. p. 290. ſeqq.* *Conſilium de concilii Tridentini decretis* MOLINAEVS an. 1562 edidit, cum iam ex exſilio reuerſus eſſet: ſed hinc nouae turbae, adeo vt cuſtodiae iuſſu parlamenti mandaretur, mox tamen libertati regis auctoritate reſtituendus. Conferenda, quae de eo iam ſupra diximus *libri* huius *II. cap. V.* ad §. *X.* Ad *cenſuram facultatis theologicae Pariſienſis contra Sanctarellum Ieſuitam* quod attinet, ANT. SANCTARELLVS, e ſocietate Ieſu, *tractatum* ediderat, *de haereſi, ſchiſmate, apoſtaſia, ſollicitatione in ſacramento poenitentiae, & de poteſtate ſummi pontificis in his delictis puniendis;* Romae an. 1625, *ſuperiorum permiſſu.* In eo cum multa contra regum auctoritatem & iura dixiſſet; collegium Sorbonnicum, quod Pariſiis eſt, acri cenſura auctorem perſtrinxit; liber quoque ſupremae curiae decreto carnificis manu combuſtus eſt. Hanc itaque *cenſuram,* cum *decreto vniuerſitatis Pariſienſis & epitome obſeruationum in cenſuram ex ſacra ſcriptura, ſanctis decretis & canonibus conciliorum &c.* SCHERZERVS in iſta collectione exhibet. Quid hac in re in Gallia actum ſit, & qua ratione Ieſuitae gallicani culpam a ſe amoliri conati ſint, ſcitu dignum, legique poteſt apud IO. HENR. HEIDEGGERVM, in *hiſtoria papatus §. CCXXXVIII. p. 361. ſeqq.* Sed vt ad reliquos pergamus, eamdem academiam Lipſienſem ornauit VAL. ALBERTI, tum aliis ſcriptis polemicis, tum maxime antipapiſticis, clarus. De *Auguſtana* eius *confeſſione thetice & apologetice tractata,* & IO. DEZIO Ieſuitae cumprimis oppoſita; itemque, de *examine profeſſionis fidei Tridentinae, nec non expoſitionis doctrinae catholicae Iacobi Benigni Boſſueti,* iam diximus *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *IX.* & ad §. *XI.* Longe autem plura theologus hicce praeſtantiſſimus lingua germanica contra romanenſes concinnauit, inter quae eminet *die gründliche Wiederlegung eines paebſtiſchen Buches, ſo auff Befehl des Herrn Graffen Leopoldi von Kollonitſch, Biſchoffs zu Neuſtadt, in Wien herausgegeben, vnd Auguſtana & anti Auguſtana confeſſio, oder die Augsburgiſche Glaubens-Bekaentnüs vnd dero Gegenlehr genennet, vnd darin theils der Augsburgiſchen Confeſſion eine hoechſtſchaedliche Veranderung des Texts, theils denen Augsburgiſchen Confeſſionsverwandten, der allerſchaendlichſte Abfall von dero Innhalt, zur Vngebühr beygemeſſen worden,* Lipſiae 1684. 4. Vbi, ad vltimam, quae in hocce opere refellitur, calumniam quod attinet, eam non ſemel a noſtratibus repulſam, conſtat; conferenda, quae *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *VIII.* obſeruauimus. Reliqua ab eodem auctore contra pontificios elucubrata ſcripta recenſet HENR. PIPPINGIVS, in *memor. theolog. renou. p. 679. ſeqq.* MICHAELIS quoque SIRICII, theologi Mecklenburgici, *oſtenſio fundamentalis abominationum papatus, circa religioſum creaturarum cultum, tribus diſtincta libris,* cum *praefatione & ſupplemento* VAL. ALBERTI prodiit Roſtochii an. 1687. 4. Cuius libri quae ſit ratio, ex *actis erudit. Lipſ. 1687. menſ. Febr. p. 91. ſeqq.* intelligitur. Quemadmodum autem VAL. ALBERTI *Auguſtanam* ſuam *confeſſionem thetice & apologetice tractatam* IO. DEZIO Ieſuitae, eiusque libro *de reunione eccleſiarum proteſtantium cum romana,* oppoſuit; ita eumdem quoque Ieſuitam ſolide refutauit beatus PHIL. IAC. SPENERVS, in *reſponſis theologicis,* & quidem germanicis prioribus, *part. I. cap. I. ſect. XV. p. 95. ſeqq.* vti iam obſeruauimus *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *XI.* Sed idem theologus, pietate non minus quam doctrina clariſſimus, deque re chriſtiana praeclare meritus, alio quoque nomine hic nobis commemorandus

Digitized by Google

dus venit. Opus enim illud, quo IO. BREVINGIVM refutauit, *die euangeliſche Glaubens Gerechtigkeit* inſcriptum, Francofurti 1684. 4. vt ad praecipuum, de quo inter nos & romanenſes diſceptatur, caput pertinet; ita vix aliud in hocce genere exſtare, quod cum eo comparari queat, fatentur omnes, qui ad illud euoluendum ſine partium ſtudio acceſſerunt. Legenda, quae de eo commemorat CAR. HILDEBR. LIB. BARO DE CANSTEIN, in *praefatione*, *reſponſis* eius *germanicis poſterioribus* praemiſſa, §. *XXVI. p. 64. ſeqq.* Nec praetermittendus eſt eiusdem libellus, *Auffmunterung zur Beſtaendigkeit bey der reinen Lehre des Euangelii &c. Wie auch chriſtlicher Vnterricht von ſeeliger Wiederkehr zu der euangeliſchen Warheit, derer zu dem Pabſtthum verfuhrten &c.* quem cum *praefatione* erudita recudi curauit IO. GEORG. PRITIVS, vir longe doctiſſimus, Francofurti ad Moenum 1717. 8. Immo nec ille libellus praetermittendus, quem IO. ERN. GRABIO, cum is in eo eſſet, vt ad romanenſium caſtra transiret, oppoſuit, inſcriptum: *der euangeliſchen Kirchen Rettung von falſcher Beſchuldigung der Trennung vnd Gemeinſchafft mit alten Ketzereyen &c.* Francofurti 1695. 4. Exhibuerat namque GRABIVS, priusquam in Angliam abiret, conſiſtorio Sambienſi Regiomontano dubia quaedam, quae, romanae eccleſiae ſacra noſtris praeferenda eſſe, ſuadere videbantur; quibus, praeter SPENERVM, etiam IO. GVIL. BAIERVS noſter, itemque BERNHARDVS VON SANDEN, electoris Brandenburgici iuſſu, peculiaribus obuiam iuerunt ſcriptis; de quibus conferendus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. &c. part. II. lib. III.* ad §. *VII. p. 115. ſeqq.* Non ignotum quoque in hoc certaminum genere eſt IO. FRID. MAYERI nomen, quem in hac theologiae polemicae parte induſtriam haud vulgarem collocaſſe, ſcripta eius varia, plurimaeque diſſertationes, abunde teſtantur. Certe in lectione ſcriptorum pontificiorum fuit verſatiſſimus, ex quibus plurima collegit, quibus in eo diſputandi genere, quod κατ' ἄνθρωπον vocant, haud infeliciter vſus eſt. Speciatim cum MARC. SCHOENEMANNO, & GEORG. HEIDELBERGERO, Ieſuitis, illi res fuit; eoque ſpectant nonnullae eius commentationes vt, *Lutherus apocalypticus*, eiusque *vindiciae*; *Gewiſſens-Marter derer zum Pabſtthum abgefallenen Lutheraner*; *der paebſtiſche catechiſmus*; item *reines Gewiſſen wegen des paebſtiſchen Catechiſmi*, & aliae, quae iunctim prodierunt, inſcriptae; *Kriege des Herrn fur die wahre euangeliſche Kirche wider das vnheilige Pabſtthum*, Wittebergae an. 1685. 8. Vbi, ad *catechiſmum papiſticum* quod attinet, non ita, quae in eo continentur, capienda ſunt, ac ſi quorumdam eccleſiae romanae doctorum effata, aut quae inde conſequuntur, omnibus tribuenda ſint; ſed vt doceatur, quo pacto romanenſibus obuiam ire queamus, ſi ipſi nobiscum ita agant, & ex ſingulorum doctorum effatis totius eccleſiae noſtrae doctrinam aeſtiment. Ex AVG. PFEIFFERI ſcriptis, quorum haud exiguus eſt numerus, huius loci eſt: *Lutherthum vor Luthern, oder das alte euangeliſche durch Luthern erneuerte Chriſtenthum, vnd das neue roemiſche durch Lutherum auffgedeckte Pabſtthum, durch gründliche Beantwortung dreyer von P. Arnoldo Engeln ſoc. I. ausgeſtreuten fundamental-Fragen wider die Lutheriſche Religion, kürtzlich gewieſen vnd vertheidiget*, Dresdae 1697. 12. Qui vel ideo hic commemorandus libellus fuit, quod eidem *panopliam anti-papiſticam*, ſeu notitiam auctorum, a ſe laudatorum, adiecit. Ipſam autem, quam excutiendam ſibi ſumſit, quaeſtionem, alii etiam ex inſtituto pertractarunt, quorum praecipui indicati ſunt, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-*

Digitized by Google

ligions - Streitigkeiten cap. III. ſect. III. ad §. *III. p. 324.* Iis, qui ſummatim de controuerſiis, quae nobis cum romanenſibus intercedunt, erudiri cupiunt, inſeruiri poteſt CHRIST. MATTH. PFAFFII *noethiger Vnterricht von denen zwiſchen der roemiſchen vnd der proteſtantiſchen Kirchen obſchwebenden Religions - Streitigkeiten &c.* Tubingae 1721. 8. Ad animos autem noſtratium contra apoſtaſiam praemuniendos, praeter PHIL. IAC. SPENERI commentationem antea laudatam, egregie facit beati IO. DAN. HERRNSCHMIDII libellus, qui inſcribitur: *reflexions über den Abtritt von der euangeliſch-Lutheriſchen zu der roemiſch-catholiſchen Religion, ſamt einer kurtzgefaſten Auffdeckung der paebſtiſchen Staats-theologie &c.* cuius editio tertia cum praefatione IO. VLRICI HILDEBRANDI, Ienae prodiit an. 1725. 8. Nec ſine fructu, quibus conceſſum non eſt ampla euoluere volumina, aut hiſce controuerſiis pertractandis multum temporis impendere, legent SINCERI EVANGELICI, vt vir quidam doctus vocari voluit, *ſchrifftmaeſſige Prüfung des roemiſch-catholiſchen Glaubens - Bekaentniſſes &c.* itemque IO. CARTHAVSII *gründliche Anweiſung wie ein euangeliſcher Chriſt bey ſeiner Religion beſtaendig bleiben, gottſeelig leben, getroſt vnd ſeelig ſterben koenne.* Vterque libellus cum praefatione mea prodiit; hic anno 1720, ille anno 1724. Ienae 12.

** Primum hic iterum in cenſum veniunt ſcripta, quibus ſignum velut ad certamina haecce ſublatum eſt, ipſius ſcilicet MARTINI LVTHERI, IO. BRENTII, aliorumque, qui ſe HVLD. ZWINGLIO, IO. OECOLAMPADIO, ceteriſque erroris ſacramentarii auctoribus oppoſuerunt; quibus poſtea MATTH. FLACIVS illyricus, TILEM. HESHVSIVS, IOACH. WESTPHALVS, IAC. ANDREAE, MARTIN. CHEMNITIVS, aliique acceſſerunt, qui cum IO. CALVINO, THEOD. BEZA, ceteriſque eiusdem ſententiae propugnatoribus congreſſi ſunt; quos quidem omnes, vna cum eorum, quae huc comparata ſunt, ſcriptis, longa ſerie ad §. *VII.* reformatos autem ad §. *VIII.* enarrauimus. Recruduit vel maxime hoc certamen, ingentemque eiusmodi ſcriptorum copiam protulit, cum *formula concordiae* in lucem prodiret, cui praeter alia *crypto-Caluiniſmus*, in Saxonia triumphans, occaſionem dedit. Maximam librorum, quibus haec cauſſa tum agitata fuit, partem, iam commemoraui *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *VII.* item, ad §. *XI.* Synodo Dordracena noſtrates theologos itidem denuo irritatos, & ad refutanda reformatorum placita excitatos eſſe, conſtat, praeſertim in capite, de abſoluto praedeſtinationis decreto. Per remonſtrantium enim condemnationem, noſtrae quoque eccleſiae doctrinam reiectam condemnatamque eſſe, non dubitabant noſtrates; nec dubitare poterant, vt iam alibi obſeruatum. Nonnullos, qui ex noſtratibus ex inſtituto contra ſynodum iſtam Dordracenam ſcripſerunt, indicat IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *Sagittarianae introductionis ſupplementis & continuat. p. 1587.* Eminet inter eos BALTH. MENTZERVS, cuius *diſputationes de doctrina ſynodi Dordracenae* Gieſſae prodierunt, an. 1621. 4. Praeterea cum principes quidam, aut viri dignitate praeſtantes, a nobis ad reformatos tranſierunt, renouata ſunt, vt fieri ſolet, haec certamina, nouisque ſcriptis polemicis aucta & continuata. Cumprimis id contigit, cum Ioannes Sigismundus, elector Brandenburgicus, anno 1614 reformatae eccleſiae ſacra amplecteretur. Tum enim praeter alios MATTH. HOEVS AB HOENEGG edidit: *Erinnerung an alle rechte Euangeliſche, ſo zu Berlin vnd ſonſten in der Chur vnd Marck Brandenburg ſich auffhalten, daß ſie ſich mit dem caluiniſchen Seelen - Gifft nicht einnehmen*

men laſſen, Lipſiae an. 1614. 4. Huc & LEONH. HVTTERI *Caluiniſta aulico-politicus alter &c.* ſpectat, de quo ad §. *VIII.* dictum, cum de HVTTERO verba faceremus. De reliquis conferendus GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVII. cap. VII.* §. *XI. p. 499. ſeqq.* vbi & alia illorum, qui reformatorum religionem cum noſtra permutarunt, exempla adducit. Addendus iis etiam eſt Henricus dux Saxoniae, qui cum an. 1688 Deſſauiae reformatae eccleſiae nomen ſuum daret; GEORG. MOEBIVS, nomine ordinis theologici in academia Lipſienſi, edidit: *gründliche Vnterſuchung der Motiuen vnd Vrſachen, welche den hochwürdig-durchlauchtigſten &c. zu der vorgenommenen Abtretung von der euangeliſch-Lutheriſchen Kirchen zu der ſo genannten Reformirten ſollen bewogen haben &c.* Huic enimuero ſcripto ex reformatis DE BEAVSOBRE iterum oppoſuit librum, *defenſe de la doctrine des reformés ſur la providence, ſur la predeſtination &c.* inſcriptum, cuius ſupra iam facta eſt mentio. Colloquiorum, inter noſtrates & reformatae eccleſiae theologos inſtitutorum, non alius euentus fuit, quam vt diſſentientium magis inde exacerbarentur animi, idque ſcriptis publicis teſtarentur, tantum abeſt, vt pax & concordia inde promota aut ſtabilita fuerit. Notitiam iſtorum colloquiorum, ſimulque adeo ſcriptorum, quae inde enata ſunt, polemicorum, praeter IO. LVD. HARTMANNVM, *concilior. illuſtrator. tom. IV. p. 459. ſeqq.* dabunt IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *Sagittarianae introduct. ſupplementis & continuat. p. 1495. ſeqq.* HENRIC. CONR. AREND, in *diſſertat. hiſtorico-theolog. de colloquiis charitatiuis ſaeculo XVI. per Germaniam irrito euentu inſtitutis cap. III.* itemque CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſt. theolog. litterar. &c. part. II. lib. III.* ad §. *VIII. p. 175. ſeqq.* Integrorum hinc etiam quandoque collegiorum prodierunt, pro refutandis aut defendendis reformatae eccleſiae dogmatibus, ſcripta. Inter quae, ad refutationem quod attinet, eminet theologorum Haſſiaco-Darmſtadienſium *gründliche Ausführung, darinn wieder das zu Caſſel dem Titul nach an. 1632. gedruckte, erſt aber im Monat Aprilis 1634. ploetzlich ausgelaſſene &c. Buch, genannt Wechſel-Schrifften, mit ſtarcken, vnhindertreiblichen Beſtand augenſcheinlich dargethan vnd erwieſen wird &c.* Marpurgi 1636. fol. Occaſionem huius ſcripti condiſcere licet ex ABR. CALOVII *hiſtoria ſyncretiſtica &c. lib. I. cap. IV. p. 50. ſeqq.* Mirifice hoc opus laudatur ab ANDREA CAROLI, qui, *auro contra carum* illud eſſe, inquit, *pro quo maximae Deo debeantur gratiae, vnanimi ſaxonicorum theologiae profeſſorum, Wittebergenſium, Lipſienſium & Ienenſium conſenſu & iudicio;* a quibus ita pergit, *ea propter commendatur, vt ſcriptum pro adſerenda defendendaque infallibili veritate diuina eccleſiarum euangelico-Lutheranarum, & confutanda deſtruendaque Caluinianorum doctrina multifariam erronea, immo etiam calumniis & mendaciis plena, tum vtiliſſimum, tum ſolidiſſimum;* in *memorabilib. eccleſ. ſaec. XVII. lib. IV. cap. XLVII. p. 889.* Obſeruatu etiam maxime digna ſunt ſcripta amoebea Rintelenſium & Wittebergenſium; ſed de iis legendus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, *l. c. p. 179. ſeqq.* Ceterum pleroſque eccleſiae noſtrae theologos, quorum labores polemicos ad §. *VIII.* enarrauimus, contra reformatos etiam variis lucubrationibus pugnaſſe, ex ibidem dictis conſtat. Addi tamen iis adhuc poſſunt, IO. CONR. DANHAVERVS, in *hodomoria ſpiritus Caluiniani*, IO. ADAM. SCHERZERVS, in *collegio anti-Caluiniano*, poſt auctoris obitum a IO. SCHMIDIO an. 1704 edito; AVG. PFEIFFERVS, in *anti-Caluiniſmo, ſiue kurtzen, deutlichen, auffrichtigen, vnd beſcheidentlichen Bericht vnd Vnterricht von der*

der reformirten Religion &c. itidem poſt auctoris obitum an. 1699 euulgato; IVST. CHRIST. SCHOMERVS, in *collegio anti-Caluiniano*, quod HENR. ASCANIVS ENGELCKE an. 1708 in lucem protraxit, & *diſſertationem de grauiſſimis quibusdam reformatorum controuerſiis domeſticis* praemiſit, aliique. Iam vero & de illis dici poſſet, qui toties propoſitae, & a quibusdam acriter propugnatae, vnioni noſtrae & reformatae eccleſiae ſe oppoſuerunt; niſi id iam factum eſſet a IO. GEO. WALCHIO, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten cap. IV. ſect. III. §. II. ſeqq. p. 492. ſeqq.* Eos, qui pro vnione iſta ſcripſerunt, indicat CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, vt tamen ſimul interdum iungat, qui eos refutarunt; *introduct. in hiſtoriam theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad *§. VIII. p. 192. ſeqq.* Ad eos, qui vnioni iſti ſe oppoſuerunt, quod attinet, omnium inſtar eſſe poteſt ERN. SAL. CYPRIANVS, in *dem abgetrungenen Vnterricht von kirchlicher Vereinigung der Proteſtanten &c.* Lipſiae 1722. 8.

*** Variae equidem inter ipſos reformatae eccleſiae addictos enatae ſunt controuerſiae, quae partium a ſe inuicem diſſentientium excitarunt ſtudia, vt *ſupralapſariorum* & *infralapſariorum*, *hypotheticorum* & *abſolutorum*, *epiſcopalium* & *puritanorum* in Anglia, & in Belgio *Cocceianorum* & *Voëtianorum*; quae tamen vt lucem accipient ex iis, quae dicta ſunt, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten cap. IV. ſect. II. p. 435. ſeqq.* ita auctores praecipuos, qui in hiſce certaminibus inclaruerunt, eorumque ſcripta, iam commemorauimus, cum de reformatae eccleſiae theologis polemicis verba faceremus. Quae autem in eadem eccleſia inter *remonſtrantes* ſeu *Arminianos* & *contra-remonſtrantes* enatae ſunt controuerſiae, tanti momenti ſunt, vt noſtro non recte functi munere iure cenſeri poſſemus, niſi de iis ſeorſim aliquid diceremus. Auctores, qui hiſtoriam iſtarum litium tradiderunt, itidem iam indicati ſunt in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. IV. ſect. II.* ad *§. II. p. 437.* Sed addendi, quos laudat CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theologiae litter. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad *§. IX. p. 302. 303.* Summatim praecipua momenta exhibet GVST. GEORG. ZELTNERVS, in *praefatione hiſtorica*, quam *breuiario controuerſiarum cum remonſtrantibus agitatarum* praemiſit. Cumque ſynodus Dordracena vtramque in hoc negotio paginam faciat; non negligendi, qui, quid in ea geſtum ſit, expoſuerunt, aut hiſtoriae eius lucem adfuderunt, quorum nonnullos ſupra iam commemorauimus *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* Sed addendi iterum, quos CHRIST. MATTH. PFAFFIVS adducit *l. c. p. 312.* De ſcriptis, quae remonſtrantibus inſtar librorum ſymbolicorum ſunt, itidem iam dictum *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* Caput principemque eorum, qui *remonſtrantes* vocantur, IACOB. ARMINIVM, a quo & nomen ſortiti ſunt, eſſe, conſtat; quamquam & hoc notum certumque ſit, eum ſolum in doctrina de praedeſtinatione a recepta eccleſiae reformatae ſententia diſceſſiſſe; cum nonnulli contra ex eius ſectatoribus placita quaedam adſumſerint, quae in Socinianiſmi eos adduxerunt ſuſpicionem, a quibus ipſum ARMINIVM alienum fuiſſe, credere par eſt. Vitam & ſcripta ARMINII recenſet CASP. BRANTIVS, in *hiſtoria vitae Iacobi Arminii* Amſtelodami 1724. 8. edita, & cum *praefatione* ac *notis* IO. LAVR. MOSHEMII Brunſuigae an. 1725. recuſa. Copioſe etiam admodum de ARMINIO pariter ac aduerſario eius FRANC. GOMARO differit LVD. ELL. DV PIN, *dans*

dans la bibliotheque des auteurs ſeparéz &c. tom. II. part. I. p. 108. ſeqq. *Opera* ARMINII *theologica* coniunctim recuſa prodierunt Francofurti 1635. 4. Alter inter remonſtrantes locus debetur SIM. EPISCOPIO; qui tamen, ſuo plus, quam decet, ingenio indulgens, longius, quam ARMINIVS, progreſſus eſt. Atque primus is etiam fuit, qui remonſtrantium placita integro quodam ſyſtemate complecti ſecum conſtituit; hinc *inſtitutionum theologicarum libros quatuor* reliquit, at poſt mortem demum eius editos, nec ad finem perductos, auctore operi huic immortuo, priusquam dimidia eius pars perfecta eſſet. Reliqua, quae de hiſce *inſtitutionibus* obſeruatu digna, iam expoſuimus *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XV.* Prodierunt cum reliquis eius operibus Londini, aut potius Amſtelodami an. 1678, duobus tomis in fol. Ex reliquis autem EPISCOPII ſcriptis ad controuerſias remonſtrantium ſpectant, huiusque adeo loci ſunt, *examen theſium Iacobi Cappelli, de controuerſiis, quae federatum Belgium vexant; & ſatiusne fuerit, doctrinam Arminii tolerari quam damnari; tractatus breuis de libero arbitrio; examen ſententiae Ioannis Cameronis de gratia Dei & libero hominis arbitrio; reſponſio ad defenſionem Ioannis Cameronis, quam oppoſuit examini ſententiae ſuae.* Atque haec omnia *tomo primo* operum eius continentur. Inter ea, quae *tomo ſecundo* exhibentur, obſeruatu maxime digni duo aduerſus ſynodum Dordracenam libelli; vnus *ſynodi Dordracenae crudelis iniquitas*, latine ſcriptus, at mox in belgicam linguam translatus: alter: *antidotum continens preſſiorem declarationem propriae & genuinae ſententiae, quae in ſynodo nationali Dordracena, adſerta eſt, & ſtabilita.* Nec praetermittendus eiusdem *Bodecherus ineptiens, hoc eſt, euidens demonſtratio, qua oſtenditur, Nicolaum Bodecherum, vt plus quam ſeruili aſſentatione efficacem contra-remonſtrantium gratiam demereatur, inepte admodum & nugatorie confeſſionem remonſtrantium Socinianiſmi arceſſere nuper eſſe adgreſſum.* Nimirum NIC. BODECHERVS, qui antea remonſtrantibus ſe adiunxerat, poſtea vero, cum ii exauctorarentur, ac in exilium mitterentur, contra-remonſtrantium partes ſequutus eſt, librum edidit, inſcriptum: *Sociniano-remonſtrantiſmus, hoc eſt, euidens demonſtratio, qua remonſtrantes cum Socinianis, ſiue re ipſa, ſiue verbis, ſiue etiam methodo in pluribus confeſſionis ſuae partibus conſentire, oſtenditur;* quem adeo refutare EPISCOPIVS, & Socinianiſmi ſuſpicionem a remonſtrantibus remouere voluit. Nec tamen ſolus BODECHERVS conſenſum cum Socinianis obiecit remonſtrantibus, ſed idem etiam, vt alios taceam, fecit IO. PELTIVS, in *harmonia remonſtrantium & Socinianorum*, Lugduni Batauorum 1633. 4. At non omnium remonſtrantium hic vnam eamdemque eſſe rationem, poſitum eſt extra controuerſiam. EPISCOPIVM *confeſſionis*, quae anno 1622 communi remonſtrantium nomine lucem adſpexit, itemque *apologiae*, qua contra theologorum Lugdunenſium cenſuram vindicata eſt, quaeue an. 1630 prodiit, auctorem fuiſſe, ſupra iam obſeruauimus, *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *X.* NICOL. VEDELIVM *apologiam* iſtam, in *arcanis Arminianiſmi*, impugnaſſe, eique iterum *Vedelium rhapſodum &c.* oppoſitum fuiſſe, ibidem docuimus. *Vedelii rhapſodi* auctor fertur STEPH. CVRCELLAEVS, reſponditque denuo VEDELIVS, in *arcanorum Arminianiſmi parte III. & IV.* vt CASP. SAGITTARIO obſeruatum, in *introduct. in hiſtor. eccleſ. &c. cap. XXXIII. ſect. XII. p. 873.* Addendum porro, cum ANT. WALAEVS *cenſuram profeſſorum Lugdunenſium* belgice edidiſſet, eidemque epiſtolam dedicatoriam ad ordines generales praemiſiſſet, quae contra remonſtrantes varias crimina-

Digitized by Google

minationes (vt ipſi quidem putabant) continebat; EPISCOPIVS itidem *apologiam confeſſionis remonſtrantium* belgice in lucem emiſit. Eiusdem praeterea WALAEI diſputationem, *de quatuor controuerſis remonſtrantium articulis, in qua ſtatus controuerſiae nude proponitur, ac remonſtrantes ad eccleſiae belgicae vnitatem inuitantur, integra veritate*, EPISCOPIVS, in *examine diſputationis Walaei*, refutauit. Cum vero etiam profeſſores Leidenſes, contra *apologiam* ſibi oppoſitam, *ſpecimen calumniarum atque heterodoxarum opinionum, ex remonſtrantium apologia excerptarum &c.* edidiſſent; EPISCOPIVS in *reſponſione ad ſpecimen calumniarum* iis obuiam iuit. Sed de hiſce, reliquisue EPISCOPII ſcriptis, plura dabit PHIL. A LIMBORCH, in *hiſtoria vitae Simonis Epiſcopii*, Amſtelodami 1701. 8. SIM. EPISCOPIVM merito excipit STEPH. CVRCELLAEVS, qui & illius operibus *praefationem* praemiſit. Idem &, quod EPISCOPIO conſtitutum fuerat, remonſtrantium dogmata integro quodam exhibere ſyſtemate voluit; ſed praematura morte itidem impeditus fuit, quo minus *inſtitutionem* ſuam *religionis chriſtianae* ad finem perduceret. *Opera* eius *theologica*, quorum partem praecipuam hac ipſa *inſtitutio* conſtituit, prodierunt Amſtelodami 1675. fol. cura PHIL. A LIMBORCH, qui poſt POELENBVRGIVM, in munere profeſſoris theologiae CVRCELLAEVM excepit. Sed hoc iam obſeruatum eſt *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *XV.* Ad reliqua eius ſcripta quod attinet, cum in controuerſia, quae MOSI AMYRALDO cum PETR. MOLINAEO intercedebat, ſe arbitrum interponere vellet, libellum edidit, *advis d' un perſonage deſintereſſé &c.* inſcriptum; in quo cum AMYRALDI partes amplexus eſſet, SAM. MARESIVM aduerſarium expertus eſt; cui CVRCELLAEVS iterum *quaternionem diſſertationum* oppoſuit, ſcilicet *I) de vocibus trinitatis, ὑποστάσεως, perſonae &c. II) de peccato originis, III) de neceſſitate cognitionis Chriſti, IV) de hominis per fidem & per opera iuſtificatione.* Non tantum autem MARESIVS hancce *diſſertationum quaternionem* iterum in *defenſione fidei catholicae* refutauit; ſed ex noſtratibus etiam beatus IO. MVSAEVS diſſertationem tertiam, de *neceſſitate cognitionis Chriſti*, ſub examen reuocauit, in *diſſertatione theologica, de quaeſtione: an gentiles abſque fide in Chriſtum per extraordinariam Dei gratiam ad ſalutem aeternam pertingere, aut minimum ignis aeterni ſupplicium declinare poſſint;* Controuerſiae, quae CVRCELLAEO cum eodem MARESIO ob DAV. BLONDELLI librum, *de Ioanna papiſſa*, interceſſit, ſupra iam mentionem fecimus; nec ea huius eſt loci. AMYRALDI autem licet in quibusdam capitibus contra MOLINAEVM & MARESIVM in ſe ſuſceperit defenſionem; eumdem tamen rurſus impugnauit in *vindiciis, quibus ſententia Arminii de iure Dei in creaturas defenditur. Diatribam* eius *de eſu ſanguinis inter chriſtianos*, qua probare voluit, ſanguinis eſu, tum ex praecepto, quod Deus Noacho eiusque poſteris dedit, tum ex praeſcripto apoſtolorum, hodie adhuc abſtinendum eſſe, a IO. HENR. HEIDEGGERO refutatam eſſe, ſupra iam obſeruauimus. Addendus denique hiſce eſt PHIL. A LIMBORCH, praecipuis vtique remonſtrantium doctoribus non tantum adnumerandus, ſed & hoc nomine commendandus, quod ceteris, quos hactenus laudauimus, cautior fere ſit ac circumſpectior, & a nimia ſentiendi libertate ſibi temperet. Quod EPISCOPIO & CVRCELLAEO fata denegarunt, id ille conſequutus eſt, dum ſyſtema integrum theologiae ad finem perduxit, quod & anno 1686 inſcriptum: *theologia chriſtiana, ad praxin pietatis ac promotionem pacis chriſtianae vnice directa*, publicae luci expoſuit. Quartam & vltimam eius editionem, cui *relatio hiſtorica,*

de

de origine & progreſſu controuerſiarum in foederato Belgio, de praedeſtinatione, acceſſit, Amſtelodami an. 1715 prodiiſſe; CHRISTOPHORVM quoque FRANCKIVM, theologum Kilonienſem, *exercitationes anti-Limborchianas* Kilonii an. 1694. 4. edidiſſe, iam ſignificauimus *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XV.* Illuſtre equidem admodum inter remonſtrantes eſt HVG. GROTII nomen; ſed pleraque eius ſcripta ita comparata ſunt, vt alium ſibi locum vindicent. Idem & de IOANNE CLERICO cenſendum, cuius inſuper commentationes hodie omnibus ſatis notae ſunt.

Inter eos, qui ſe remonſtrantibus oppoſuerunt, primus praecipuusque fere eſt FRANC. GOMARVS, cuius varia, quae huc ſpectant, exſtant ſcripta, vt de *perſeuerantia ſanctorum*, Groeningae 1629. 4. item de *diuinae praedeſtinationis obiecto*, Amſtelodami 1650. 8. Idem fecerunt GVIL. TWISSVS, in *vindiciis gratiae, poteſtatis & prouidentiae diuinae, contra Arminium*, Amſtelodami 1648. 4. vt & in *animaduerſionibus ad Arminii collationem cum Franciſco Iunio &c.* Amſtelodami 1650. fol. IAC. TRIGLANDIVS, in *antapologia, ſiue examine & refutatione totius apologiae remonſtrantium*, aliisque, ſpeciatim SIMONI EPISCOPIO oppoſitis, de quibus, vti & iis, quae rurſus ab EPISCOPIO contra TRIGLANDIVM in lucem emiſſa ſunt, legendus PHIL. A LIMBORCH, in *hiſtoria vitae Simonis Epiſcopii p. 315.* Porro GVIL. AMESIVS, in *coronide ad collationem Hagienſem*, Amſtelodami 1634. 12. Quod quidem ſcriptum reformati prorſus eximium eſſe, cenſent, ad quod nihil hactenus regerere potuerint remonſtrantes, teſte HENR. LVDOLPHO BENTHEMIO, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen-Staat part. I. cap. XVIII. §. XI. p. 634.* vbi & de ipſa *collatione Hagienſi* agit. Idem AMESIVS edidit *ſcripta anti ſynodalia* Amſtelodami 1633. 12. item *reſcriptionem ad Greuinchouii reſponſum de redemtione generali*, Harderouici 1645. 12. in quibus itidem contra Arminianos diſputat. PETR. MOLINAEVS, cuius non ſemel iam facta eſt mentio, *anatomen Arminianiſmi*, ſeu *enucleationem controuerſiarum, quae in Belgio agitantur, ſuper doctrina de prouidentia, de praedeſtinatione &c.* edidit Lugduni Batauorum 1619, cui IO. ARN. CORVINVS, haud infimi nominis inter ſectatores ARMINII, & ex variis ſcriptis pro eo editis notus, anno 1622 refutationem oppoſuit, inſcriptam: *Petri Molinaei noui anatomici mala encheireſis, ſeu cenſura anatomes Arminianiſmi &c.* At pro MOLINAEO calamum ſtrinxit *cenſuramque* CORVINI in *anatomiam Arminianiſmi* peculiari *reſponſione* refutauit ANTON. WALAEVS, theologus Lugdunenſis, Lugduni anno 1625. 4. His iungi adhuc poſſent SAM. RHETORFORTIS, in *examine Arminianiſmi*, item in *exercitationibus apologeticis pro diuina gratia contra Arminium*; ABR. HEIDANVS, in *iudicio de vniuerſa remonſtrantium doctrina*, vt & *examine catecheſeos remonſtrantium*, IO. CLOPPENBVRGIVS, *in diſputationibus VIII. ad quinque articulos remonſtrantium*, quae *operum* eius *tomo II.* exſtant, aliique. Nec praetermittendus hic eſt FRID. SPANHEMIVS vterque, pater & filius, ille, ob *diſputationem inauguralem de quinque articulis*, hic autem ob eam *elenchi controuerſiarum* partem, in qua de controuerſiis cum remonſtrantibus agit, quippe quam ex inſtituto ſibi illuſtrandam ſumſit SAM. STRIMESIVS, in *ingenua in Arminianiſmum inquiſitione, ſemicenturia adnotationum, in Friderici Spanhemii praecipuas cum Arminianis controuerſias, lectionibus ac diſputationibus publicis pertractatas, confecta*, quae vna cum ipſius SPANHEMII *elencho* Francofurti ad Viadrum anno 1703. 8. prodiit. GVST. GEORG. ZELTNERVS, cum monuiſſet,

tutum non eſſe, reformatis, praeſertim veteribus, in controuerſiis cum Arminianis, fidem adhibere, vtpote qui adfectibus nimium quantum indulgeant; addit: *non poſſumus tamen, quin Friderici Spanhemii elenchum controuerſiarum, vt ſatis tolerabilem praedicemus, & quod ad dogmatica, inſignem Sam. Strimeſii & ingenuam, vti haud iniuria inſcripſit, in Arminianiſmum inquiſitionem, dummodo methodus commodior eſſet, inſtar omnium commendemus*; in *praefat. breuiario controuerſiarum cum remonſtrantibus &c.* praemiſſa, *p. 19.*

Ex noſtratibus ABR. CALOVIVS primus fuit, qui ex inſtituto remonſtrantes refutaret, in *conſideratione Arminianiſmi, ſententiam nouellae ſectae de omnibus religionis chriſtianae capitibus declarationis remonſtrantium e ſcriptis cumprimis publicis fideliter exhibente &c.* Wittebergae anno 1655. 4. Iterum prodiit deinde an. 1657, & 71. Spectant huc etiam eiusdem CALOVII *vindiciae Arminianiſmi, Henrico Nicolai oppoſitae &c.* Wittebergae 1658. Cuius ſcripti quaenam ſit ratio, expoſuimus, cum de CALOVIO verba faceremus. Recuſum autem fuit cum *conſideratione Arminianiſmi* anno 1671. 4. Eodem porro munere, refutandi remonſtrantes, functi ſunt IO. ERN. GERHARDVS, in *ſynopſi Arminianiſmi, ſiue ſententia remonſtrantium circa aliquot fidei chriſtianae articulos*; Ienae 1656. 4. BALTH. BEBELIVS, in *ſcepticiſmo remonſtrantium*, Argentorati 1664. 4. CHRISTOPH. SONTAGIVS, in *veneno mataeologiae Arminianae*, Altdorffi 1694. 4. Cumprimis autem concinnitate & ſoliditate, rerumque ſelectu, ſeſe commendat GVST. GEO. ZELTNERI *breuiarium controuerſiarum cum remonſtrantibus agitatarum*, quod Noribergae lucem adſpexit anno 1719. 8. Plures, qui aut remonſtrantium cauſſam defenderunt, aut contra eos ſcripſerunt, praeſertim ex reformatis, dabit HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen-Staat, part. I. cap. XVIII. p. 653. ſeqq.* & *part. II. cap. VI. p. 733. ſqq.* itemque CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtoriam theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III. pag. 302. ſeqq.* Lites autem iſtae remonſtrantium ac contra-remonſtrantium, cum etiam controuerſiae, de iure magiſtratus circa ſacra, occaſionem dederint; acriter de ea vtrimque, variisque ſcriptis concertatum fuit. Repetenda, quae iam ſupra hac de re diximus *libri* huius *II. cap. V.* ad *§. X.* Addenda, quae PFAFFIVS collegit, *l. c. pag. 316. ſeqq.*

* De veteribus anti-trinitariis iam in antecedentibus copioſe egimus. Recentiorum, inter quos eminent Sociniani, hiſtoriae inſeruit CHRISTOPH. SANDII *bibliotheca anti-trinitariorum*, cum opuſculis, eidem adiectis, cuiusmodi ſunt IO. STOINSKII, coetus Racouienſis paſtoris, *epitome hiſtoriae originis vnitariorum in Polonia*, GEO. SCHOMANNI *teſtamentum vltimae voluntatis, continens vitae ipſius, nec non variorum actuum eccleſiaſticorum ſuccinctam hiſtoriam*, & alia quaedam eiusdem generis, quae iam indicata ſunt in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. V.* ad *§. II. p. 551.* Cumprimis autem lucem in plurimis dabit STANISL. LVBIENIECIVS, in *hiſtoria reformationis polonicae*, in qua tum reformatorum, tum anti-trinitariorum origo & progreſſus in Polonia & finitimis prouinciis narrantur, Freyſtadii anno 1685. 8. Iungere hiſce iuuabit HENR. ASCANIVM ENGELCKE, in *diſſertatione de damnabili Socinianiſmi gangraena, hoc eſt, ſectae Socinianae natura, auctoribus, anteceſſoribus atque progreſſu*, quam IVSTI CHRISTOPH. SCHOMERI *collegio anti-Sociniano*, anno 1706 edito, praemiſit. Sed plena & adcurata Socinianiſmi

niſmi hiſtoria merito adhuc deſiderari poterat, quam dare tandem voluit auctor *hiſtoriae Socinianiſmi*, quae lingua gallica prodiit Pariſiis an. 1723. 4. In duas opus hocce diſtributum eſt partes, quarum prior originem Socinianiſmi & progreſſum, per diuerſa orbis chriſtiani regna, deſcribit; in poſteriori autem de praecipuis ſectae antitrinitariorum propagatoribus agit, eorumque characterem, fata, ſcripta delineat. Prius dum facit, fuſe ſatis atque copioſe, quae Socinianiſmi in Italia, vbi primum exortus eſt, Polonia, Anglia, atque Belgio federato fuerint fata, ediſſerit; cumque ſibi perſuadeat, Socinianos a remonſtrantibus in ſocietatem receptos; ſynopſin quoque quamdam hiſtoriae ſynodi Dordracenae tradere, remonſtrantium placita, & tum reformatorum, tum romanenſium, de iis exhibere iudicia, a ſua non alienum putat inſtituto; *part. I. cap. XXXIII. p. 154.* Ad Galliam vbi defertur, valde iraſcitur PETRO IVRIEO, quod ſcripſerit, plurimos in Gallia, qui romanae eccleſiae ſe placita ſequi, profitentur, ſi non deiſtarum, certe Socinianorum, infectos eſſe impietate; quam a ſuae eccleſiae hominibus ita amoliri adcuſationem adnititur, vt in reformatae, quae olim in Gallia fuit, eccleſiae, theologos eamdem coniiciat; *cap. XXXVI. ſeqq. pag. 175. ſeqq.* Dum autem eos, qui inter anti-trinitarios famam quamdam celebritatemque adepti ſunt, recenſet; CASP. quoque SCHWENCKFELDIVM, anabaptiſtarum quoſdam doctores praecipuos, STEPHAN. porro CVRCELLAEVM, HVGON. GROTIVM, ANTONIETTAM BOVRIGNONIAM, ELIAM SAVRINVM, PETR. IVRIEVM, IO. CLERICVM, alioſque in huncce ordinem refert; MALDONATVM contra & PETAVIVM Ieſuitas, ab obiecta Socinianiſmi ſuſpicione purgare quouis modo conatur. Multa equidem, fateor, auctor iſte, quiſquis ſit, congeſſit, quae hiſtoriae Socinianiſmi inſeruire poſſunt. Sed diligentiae, quam inde promeruit, laudem, candoris & τῆς ἀκριβείας defectus, qui vbique regnat, prorſus obſcurauit. Infinitis certe hoc opus ſcatere erroribus, quorum nonnulli ita comparati ſunt, vt pro typographicis reputari nequeant, deprehendet, qui illud euoluere operae pretium duxerit. Quae *part. I. cap. I.* de veteris eccleſiae antitrinitariis, & *cap. II.* de variis nominibus, quibus hodie Sociniani adpellitentur, diſſerit, documento eſſe poſſunt, qnam omnia inter ſe miſceat, atque confundat. Dumque *cap. III.* Socinianiſmi originem ab eccleſiae emendatione repetit; calumniam illam toties iam exploſam, LVTHERVM quaedam adſeruiſſe, quae ab antitrinitariorum non procul eum abfuiſſe erroribus oſtendant, recoquit. Quod quam inepte, tum ab aliis, tum ab auctore hocce fiat, a me demonſtratum in *commentatione hiſtorico-theologica de origine Socinianiſmi ab eccleſiae emendatione non repetenda.* Lucem porro quamdam hiſtoriae Socinianiſmi dabit vir doctiſſimus MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROCE, *dans les diſſertations hiſtoriques ſur divers ſuiets tom. I. pag. 1. ſeqq.* vbi comparationem inter Mohammedaniſmum & Socinianiſmum inſtituit, probatque, nullam Socinianis fieri iniuriam, ſi errorum, quos fouent, origo a Mohammedanis repetatur. De Socinianiſmo, aut, ſi mauis crypto-Socinianiſmo, ab ERN. SONERO Altdorphi excitato, deque diſcipulis ac ſectatoribus SONERI, quos inter MART. RVARVS eminet, legendus omnino vir doctiſſimus NIC. HIER. GVNDLINGIVS, in *Gundlingianis, part. I. num. II. pag. 26. ſeqq.* vbi & occaſionem, quae IAC. MARTINIO, opus illud notiſſimum *de tribus Elohim* conſcribendi, data fuit, exponit. Originem, progreſſum & fata Socinianiſmi in Polonia ex inſtituto deſcripſit SAM. FRID. LAVTERBACHIVS, in libello: *der ehmalige Polniſche Ariani-*

Digitized by Google

ſche Socinisſmus, wie er ſich in dieſen Landen eingeſchlichen, vnd ausgebreitet, welches ihre vornehmſten vnd bekandteſten Lehrer geweſen &c. Francofurti & Lipſiae 1725. 8. De fatis autem Socinianiſmi in Belgio legendus omnino PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Socinus pag. 2745. ſeqq.* Generatim etiam, quae de Socinianis ſcitu digna ſunt, neruoſe complectitur ERN. SAL. CYPRIANVS, in *continuatione compendii hiſt. eccleſ. Gothani cap. VI. p. 221. ſeqq.* Iam quod ad ſcripta antitrinitariorum attinet, eorum notitiam ſuppeditat CHRISTOPH. SANDIVS, in *bibliotheca anti-trinitariorum*, antea laudata, in qua tamen id vnice agit, vt anti-trinitariorum numerum augeat; in quem adeo haud paucos refert, de quibus tamen, an iſtos errores calculo ſuo adprobauerint, merito dubites. Primo hic in cenſum venit MICHAEL SERVETVS, Tarraconenſis Hiſpanus, profeſſione medicus, cuius fata omnibus ſatis nota ſunt. Scripſit inter alia *de trinitatis erroribus libros ſeptem*, Baſileae primum editos an. 1531. 8. itemque *dialogorum de trinitate libros duos* an. 1532. 8. Vterque licet paullo rarior ſit liber; mihi tamen lectus eſt, nihilque omnino erudito homine dignum in iis inueni; vt mirer, tantum a quibusdam ob ſolam raritatem illis ſtatui pretium. Veram & genuinam SERVETI ſententiam, quae a Sabellianiſmo haud procul diſcedere videtur, expoſui in *inſtit. theolog. dogmat. lib. II. cap. I.* ad *§. LIV.* CHRISTOPHOR. SANDIVS reliqua eius ſcripta recenſet, interque ea etiam memorat *de myſterio trinitatis ex veterum diſciplina ad Philippum Melanchthonem & eius collegas apologiam*; addit: *vocatur liber is a quibusdam, ſecunda editio librorum de trinitatis erroribus: verum multa in eo auctor immutauit, auxit & emendauit; prout mihi patuit, cum vtrosque codices inter ſe contuliſſem.* Forte in eo reſpondere PHIL. MELANCHTHONI voluit, quippe qui *refutationem erroris Serueti* ſcripſit, quae in *corpore doctrinae chriſtianae Philippico* exſtat, *p. m. 831. ſeqq.* editionis, quae Argentorati an. 1580. 8. prodiit. Ad vitam & fata SERVETI quod attinet, ea legiſſe poenitebit neminem *dans la bibliotheque Angloiſe tom. II. p. 76. ſeqq.* Socinianorum, ſpeciatim ſic dictorum, veram ac genuinam ſententiam ex *catechiſmo Racouienſi* recte hauriri, notum eſt. Sed de eo iam ex inſtituto dictum, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* Poſt eum merito in cenſum veniunt ipſius FAVSTI SOCINI ſcripta, qui, ſi a LAELIO SOCINO diſceſſeris, merito pro infauſtae huius factionis principe habetur. Primum ea in *bibliotheca*, quam vocant, *fratrum polonorum* tenent locum, & duobus abſoluuntur voluminibus, quorum alterum *exegetica* & *didactica*, alterum *polemica* complectitur. Ex *didacticis* quaedam commemorauimus *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. XV.* Inter *polemica* primum eſt: *ad Iacobi Palaeologi librum, cui titulus eſt, defenſio verae ſententiae de magiſtratu politico &c. pro Racouienſibus reſponſio.* Obſeruat PETRVS BAELIVS, aduerſarios SOCINI ex hocce libro occaſionem ſumſiſſe, Poloniae regis animum contra eum irritandi; cum tamen diſerte in eo doceat atque inculcet, nulla ratione fas eſſe, contra magiſtratum arma capere, & proteſtantium theologis vitio vertat, quod doceant, vi repellere eos licere, qui vim inferre conſcientiae velint; in *diction. hiſt. & crit. voc. Socinus p. 2742.* Sequitur liber *de Chriſto ſeruatore contra Couetum*, ſiue, vt plenius inſcribitur: *de Ieſu Chriſto ſeruatore, hoc eſt, cur & qua ratione Ieſus Chriſtus noſter ſeruator ſit, Fauſti Socini, Senenſis, diſputatio, quam ſcripſit, reſpondens Iacobo Coueto, Pariſienſi, euangelico, vt vocant, miniſtro &c. in qua multa, quae apud euangelicos, & partim etiam apud alios, ſalutaria chriſtianae religionis axiomata*

Digitized by Google

mata creduntur, pernicioſi errores eſſe demonſtrantur, & tota ſalutis noſtrae per Chriſtum ratio copioſe & dilucide explicatur. Patet inde, inter praecipua SOCINI ſcripta hocce referendum eſſe, in quo ad ſatisfactionem Chriſti, religionis chriſtianae genuinum fundamentum, impugnandam, omnes ingenii vires contulit. IACOBVS ille COVETVS, quem refellit, gallicanae, quae Baſileae erat eccleſiae miniſter fuit, cuius ſcriptum, SOCINO oppoſitum, integrum ſimul inſeritur. Reliqua SOCINI ſcripta polemica ſunt: *de ſtatu primi hominis ante lapſum, contra Franciſcum Puccium, Florentinum; de Ieſu Chriſti filii Dei, natura, ſiue eſſentia, nec non de peccatorum per ipſum expiatione aduerſus Andream Volanum; adſertiones theologicae de trino & vno Deo, aduerſus nouos Samoſatenicos, ex praelectionibus collegii Poſnanienſis exceptae, vna cum animaduerſionibus Fauſti Socini, Senenſis, quae plenae reſponſionis loco eſſe poſſint.* Poſt *miſcellanea* quaedam, vt vocantur, *ſacra*, in quibus itidem varia polemica, exſtant, ſequitur *de vnigeniti filii Dei exſiſtentia, inter Eraſmum Ioannis & Fauſtum Socinum, Senenſem, diſputatio; reſponſio* (SOCINI) *ad libellum Iacobi Wuieki, Ieſuitae, polonice editum, de diuinitate filii Dei & ſpiritus ſancti*; item, *defenſio animaduerſionum Fauſti Socini in adſertiones theologicas collegii Poſnanienſis, de trino & vno Deo, aduerſus Gabrielem Eutropium, canonicum Poſnanienſem*; porro, *de Ieſu Chriſti inuocatione diſputatio cum Franciſco Dauidis*, & alia. FAVSTVM SOCINVM in *bibliotheca fratrum polonorum* excipit IO. CRELLIVS, Francus, cuius opera itidem duobus abſoluuntur voluminibus, quorum prius *exegetica*, poſterius *didactica* & *polemica* exhibet. Exegetica, licet in iis quoque ad Socinianorum confirmandos errores omnes ingenii vires intendat, huius loci non ſunt. Didactica & polemica ſunt: *reſponſio ad Grotii librum, de ſatisfactione Chriſti*; de qua deinceps quaedam dicemus; *ethica Ariſtotelica & chriſtiana, cum elementis ethices; tractatus de vno Deo patre; de Deo & attributis eius; de ſpiritu ſancto*; & denique *vindiciae pro libertate religionis*, in quibus probare voluit, eos, qui in religione diſſentiunt, etiamſi ab orthodoxis, ſeu catholicis, pro haereticis habeantur, tolerari tamen & poſſe, & debere. Reliqua, quae ſequuntur, non magni momenti ſunt. In quinto *bibliothecae fratrum polonorum* tomo exhibentur IONAE SCHLICHTINGII DE BVCOWIEC opera, ſed exegetica tantum, ſeu *commentaria poſthuma in pleroſque noui teſtamenti libros*; reliqua autem recenſet CHRISTOPHOR. SANDIVS, in *bibliotheca anti-trinitariorum pag. 126. ſeqq.* Sextus tomus IOAN. LVDOV. WOLZOGENII *opera omnia exegetica, didactica & polemica* ſiſtit. Ad didactica & polemica ibi referuntur: *praeparatio ad vtilem ſacrarum litterarum lectionem, in qua de natura religionis chriſtianae agitur; conciones in Ioan. XVII, 3. compendium religionis chriſtianae; declaratio duarum contrariarum ſententiarum de vno Deo patre, & de vno Deo in eſſentia & tribus perſonis; adnotationes ad Ionae Schlichtingii quaeſtiones de magiſtratu, bello & defenſione; adnotationes in meditationes metaphyſicas Renati Carteſii; reſponſio ad Ionae Schlichtingii adnotationes in adnotationes de magiſtratu, bello & priuata defenſione.* Atque ex vltimo quidem hocce ſcripto, vti & ex ipſis *adnotationibus*, quas WOLZOG. SCHLICHTINGIO oppoſuit, patet, inter ipſos Socinianos de magiſtratu, bello, ſuppliciis capitalibus, ſimilibusque diſputatum fuiſſe. Conſtat idem etiam ex FAVSTI SOCINI libro *ad Iacobum Palaeologum*, antea memorato. Fuit enim hicce IAC. PALAEOLOGVS Graecus quidem gente, ex inſula Chio oriundus; ſed Socinianorum ſectae addictus, qui & in quaeſtione de adoratione Chriſti cum FRANC. DAVIDIS faciebat, quem

Digitized by Google

SOCINVS itidem in hocce capite refutauit. Non modo autem SOCINVS, ſed alii etiam ex eadem cohorte, PALAEOLOGVM impugnarunt, aut ſe contra eius inſultus defenderunt, vt ex ſcriptis, a CHRISTOPH. SANDIO adductis, intelligitur; in *bibliotheca anti-trinitariorum pag. 59.* Ad SCHLICHTINGIVM quod attinet, adſeruit ille, officium magiſtratus cum chriſtiana religione conſiſtere poſſe, quod negat WOLZOGENIVS. SAM. PRZIPCOVII, equitis poloni & conſiliarii electoris brandenburgici, *cogitationes ſacrae ad initium euangelii Matthaei & omnes epiſtolas apoſtolicas*, nec non *tractatus varii argumenti, praecipue de iure chriſtiani magiſtratus*, Eleutheropoli hoc eſt, Amſtelodami anno 1692. fol. editi, ſeptimum *bibliothecae fratrum polonorum* tomum conſtituunt. Praeter exegetica, in hocce volumine continentur: *diſſertatio de pace & concordia eccleſiae, antehac edita ſub nomine Irenaei Philalethi*; quam nonnullos SIM. EPISCOPIO tribuiſſe, CHRISTOPHOR. SANDIVS obſeruat *l. c. pag. 123. apologeticon aduerſus ſatyram Danielis Heinſii, cui titulus: cras credo, hodie nihil; panegyricus Vladislao Sigismundo regi Poloniae & Sueciae dicatus; vita Fauſti Socini, Senenſis; diſſertatio Fauſti Socini operibus praemittenda; iudicium de libello ordinibus regni Poloniae a P. Nicolao Cichouio, ſocietat. Ieſu, oblato; apologia afflictae innocentiae ad electorem brandenburgicum; hyperaſpiſtes ſeu defenſio apologiae, ab afflictis nuper in Polonia & extorribus eccleſiis in Pruſſia periclitantibus, Friderico Wilhelmo, electori brandenburgico oblatae &c. animaduerſiones apologeticae in aculeatum Io. Amoſi Comenii aduerſus eccleſias Chriſti, recens in Polonia adflictas, libellum, occaſione irenici irenicorum ab anonymo* (D. N. ZWICKERO) *propoſiti refellendi in lucem emiſſum; reſponſio ad ſcriptum Georgii Nemiritii, ſuccamerarii Kiouienſis, quo cum ipſe ad ſacra eccleſiae graecanicae tranſiiſſet, cunctos in regno Poloniae & magno ducatu Lithuaniae a religione romana diſſidentes hortatur, vt ſe in gremium eccleſiae orientalis recipiant; demonſtratio, quod neque pater domini noſtri Ieſu Chriſti per metaphoram pater, neque filius eius vnigenitus per eamdem metaphoram filius dici queat, aut debeat;* nimirum, dum Chriſtus, ex ipſius mente, tamquam nudus homo vere ex Maria virgine natus eſt, hoc intuitu Deum proprie eius patrem, & Chriſtum proprie Dei filium dici poſſe, contendit, vt incautis caliginem obfundat; *religio vindicata a calumniis atheiſmi; animaduerſiones in libellum, cui titulus: de qualitate regni domini noſtri Ieſu Chriſti, vbi inquiritur, an chriſtiano, ſiue regni eius ſubdito, terrenae dominationes conueniant;* auctorem autem libri *de qualitate regni Chriſti*, quem PRZIPCOVIVS refutat, DAN. BRENIVM eſſe, CHRISTOPH. SANDIVS nos condocet, *l. c. p. 135. de iure chriſtiani magiſtratus & priuatorum in belli paciſque negotiis; apologia prolixior tractatus de iure chriſtiani magiſtratus &c.* quam IOACH. STEGMANNO iuniori oppoſitam itidem ex SANDIO diſcimus, *l. c. pag. 124. vindiciae tractatus de magiſtratu contra obiectiones Danielis Zwickeri.*

Iam ad reliquos, quorum ſcripta in *bibliotheca fratrum polonorum* non exhibentur (quamquam & eorum, quos hactenus commemorauimus, non omnia in ea exſtent) quod attinet, prae ceteris IOAN. VOLKELIVS hic in cenſum venit, Grimmenſis Miſnicus, eccleſiae Philippouienſis, poſt Smiglenſis paſtor, inter cuius ſcripta pro Socinianorum cauſſa praecipuum eſt, quod *de vera religione* compoſuit, & quinque libris complexus eſt. Praefixus iis eſt IO. CRELLII *de Deo & eius attributis* liber, vt adeo integrum aliquod Socinianae doctrinae ſyſtema exhiberetur. Haec namque adhuc deeſſe tractatio videbatur, quam adeo vt CRELLIVS adiiceret, conſultum viſum

Digitized by Google

viſum fuit. Prodiit primum hocce VOLKELII opus Racouiae anno 1630; cumque prae aliis iſtius generis pernicioſum eſſe crederetur, Amſtelodami an. 1642 die 20 Ianuarii iuſſu magiſtratus plurima eius exempla publice combuſta ſunt. Qua quidem ratione cum rarius factum eſſet, poſtea tamen omnium velut oculis iterum expoſitum eſt, cum illud integrum, ſed cum adcurata refutatione, *hydrae* ſuae *Socinianiſmi expugnatae* SAM. MARESIVS inſeruiſſet. Cuius inſtituti rationes minime contemnendas licet MARESIVS adferat; fuerunt tamen, qui dicerent, conſilio bibliopolae illud factum, vt refutatio MARESII eo facilius venderetur. Legenda, quae more ſuo hac de rediſſerit PETR. BAELIVS in *dictíon. hiſt. & crit. voc. Volkelius, p. m. 2985.* Ceterum MARESII iſta *hydra Socinianiſmi expugnata* tribus conſtat tomis, quorum primus Groeningae an. 1651, alter ibidem an. 1654, & tertius anno 1662. 4. prodierunt, & inter ſcripta Socinianis oppoſita haud vltimum promeretur locum. Nec praetermittendi hic ſunt CHRISTOPH. OSTORODVS, Goslarienſis Saxo, qui cum ad Socinianos transiiſſet, primum Smiglae, poſtea Gedani apud eos paſtorem egit, & GEORG. ENIEDINVS, Hungarus, eccleſiarum vnitariorum in Tranſyluania ſuperintendens, & gymnaſii Claudiopolitani moderator. Scripta vtriusque recenſet SANDIVS in *biblioth. antitrinit. pag. 90. & 93.* Vtrumque etiam ex noſtratibus refutauit IVSTVS FEVRBORNIVS OSTORODVM in *anti-Oſtorodo, ſeu refutatione inſtitutionum theologicarum Chriſtophori Oſtorodi, religionem Photinianorum blaſpheme profeſſi*, Marpurgi primum an. 1628 edito, deinde tum alias, tum & Gieſſae an. 1658. 4. recuſo; ENIEDINVM autem in *anti-Eniedino poſthumo, ſiue vindicationibus locorum ſacrorum, tam in veteri, quam in nouo teſtamento occurrentium, & veram ac aeternam Chriſti deitatem inuicte demonſtrantium*, Gieſſae an. 1658. 4. PETRVS nimirum HABERKORNIVS vltimum hocce opus, poſt auctoris obitum, in lucem produxit; de vtroque autem legendus ADR. BAILLETVS *des ſatyres perſonnelles &c. tomo II. p. 11. & 17.* Eumdem OSTORODVM quoque refutauit IO. PAVL. FELWINGERVS in *anti-Oſtorodo, ſeu refutatione libri germanici Oſtorodi, cui titulum fecit: Vnterrichtung von den vornehmſten haupt-puncten der chriſtlichen Religion, in welcher begriffen iſt faſt die gantze Confeſſion oder Bekaentnis der Gemeine im Koenigreich Polen &c.* Marpurgi 1629. 4. de quo itidem BAILLETVS verba facit *loc. cit. p. 17.* FELWINGERVS autem iſte aliis quoque ſcriptis, contra Socinianos editis inclaruit. Haud ignotum porro inter Socinianos eſt VAL. SMALZII nomen. Gothae is in Thuringia natus, cum Socinianorum impietatem amplexus eſſet, primum rector Smiglae, deinde paſtor Racouiae, poſt Lublini, & tandem rurſus Racouiae fuit. Hic praeter alia haud pauca, *refutationem* ſcripſit *theſium Schopperi de ſacro-ſancta vnitate diuinae eſſentiae, & in eadem ſacroſanctarum perſonarum trinitate*, Racouiae 1614. 4. IACOBVS nimirum SCHOPPERVS theologus Altdorphinus, qui erumpenti in academia iſta crypto-Socinianiſmo ſe opponere voluit, reſpondente IO. SAVBERTO *theſes* haſce *de ſacro-ſancta vnitate diuinae eſſentiae &c.* anno 1613 ad diſputandum propoſuerat. Has itaque dum SMALZIVS adgreſſus eſt, SAVBERTVS illi iterum in *anti-Smalzio, ſeu vindiciis pro theſibus de ſacro-ſancta vnitate eſſentiae diuinae &c.* obuiam iuit. Lucem hiſce dabit GVST. GEORG. ZELTNERVS in *vitis theologorum Altdorphinorum p. 74. 85. & 184.* Ex reformatae etiam eccleſiae doctoribus calamum contra SMALZIVM ſtrinxit IO. CLOPPENBVRGIVS in *anti-Smalzio, de diuinitate Ieſu Chriſti*; Franecquerae anno 1652. 4. In eo ſpeciatim librum

brum SMALZII *de diuinitate Ieſu Chriſti*, anno 1608. 4. editum, latine ab auctore ſcriptum, ſed deinde in linguam polonicam, itemque germanicam tranſlatum, impugnat; conf. & BAILLETVS *l. c. tom. II. p. 25.* Inter recentiora, quibus Socinianorum cauſſa agitur, monumenta, haud vltimo collocandum eſt loco, quod inſcribitur: *le Platoniſme devoilé, ou eſſai touchant le verbe Platonicien;* Coloniae, 1700. 8. Id nimirum auctor eius, quem SOVVERAINIVM eſſe ferunt, agit, vt myſterium trinitatis pro commento quodam Platonico venditet. Qua in re vt haud pauci hodie illi ſuffragantur; ita praeeuntem ſibi habuit DAN. ZVICKERVM, in *iren. pag. 18. ſeqq.* Sed quam infirmo hoc figmentum nitatur talo, a me oſtenſum, in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. II. cap. I.* ad §. *LV.* Aliam rurſus viam ingreſſus eſt auctor libri: *les raiſons des ſcripturaires, par lesquelles ils font voir que les termes de l' ecriture ſuffiſent pour expliquer le dogme de la trinité;* Hamburgi 1706. 8. qui tamen nec Hamburgi impreſſus, nec, quod eadem inſcriptio docet, ex anglicana lingua in gallicanam translatus videtur. Nimirum dum id ſibi conſtitutum eſſe, auctor profitetur, vt, rationibus orthodoxorum pariter ac vnitariorum ſuper dogmate de trinitate expoſitis, demonſtraret, hos ab illis non modo ferendos, verum etiam in communionem recipiendos eſſe; ſummatim praecipua Socinianorum argumenta, eorumdemque ad obiecta reſponſiones exhibet, vt adeo ſententiam iſtorum hominum, & praecipuas, quibus eam confirmare conantur, rationes inde condiſcere liceat. Dicendum hic etiam aliquid eſſet de IO. LOCKIO, vtpote in cuius libro *de religionis chriſtianae, prout in ſacris litteris traditur, rationalitate*, haud obſcura Socinianiſmi veſtigia deprehendiſſe, nonnulli ſibi viſi ſunt; ſed de eo iam ſupra verba fecimus, cum certamina illius cum IOAN. EDVARDO, Socinianiſmi eum aperte arguente, commemoraremus. Sed longe plures in Anglia fuerunt, qui Socinianiſmum iterum in ſcenam produxerunt, & variis exornarunt coloribus, quos diligenter recenſet CHRISTOPHOR. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtoriam theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad §. *X. pag. 328. ſeqq.* vbi & IO. FRID. MAYERI *epiſtolam de controuerſiis antitrinitariis in Anglia recens agitatis*, Hamburgi 1700. 4. editam, laudat.

Arianorum placita praecipue reuocauit CHRISTOPH. SANDIVS, qui & in *nucleo* ſuo *hiſtoriae eccleſiaſticae exhibito in hiſtoria Arianorum tribus libris comprehenſa*, id agit, vt fere vniuerſum orbem chriſtianum Arianum ſemper fuiſſe nobis perſuadeat, cumprimis vt veteris eccleſiae doctores ante-Nicaenos Arianae haereſeos erroribus infectos fuiſſe, euincat; de quo tamen iam ad *capitis praecedentis §. IV.* ex inſtituto dictum eſt. Addenda, quae hac de re monui in *inſtitut. theologiae dogmat. lib. II. cap. I.* ad §. *LV.* Idem quoque SANDIVS ſub nomine HERM. CINGALLI libellum edidit, *ſcriptura trinitatis reuelatrix* inſcriptum, Goudae an. 1678. 12. quem ABR. CALOVIVS anno 1680 in *diſſertatione de ſcriptura ſacra veteris teſtamenti ſacro-ſanctae trinitatis reuelatrice*, refutauit. *Interpretationes* SANDII *paradoxae, quatuor euangeliorum, quibus adfixa eſt diſſertatio de verbo, vna cum appendice* Coſmopoli prodierunt an. 1669. 8. *problema* autem eius *paradoxum de ſpiritu ſancto, an non per illum, ſanctorum angelorum genus intelligi poſſit? vna cum refutatione opinionis Socinianorum, ſpiritum ſanctum perſonam eſſe negantium,* Coloniae anno 1678. 8. Vltimum hocce ſcriptum a IVSTO CHRISTOPH. SCHOMERO in *aſſertione endoxa fidei chriſtianae de ſpiritu ſancto, contra nouam & antehac inauditam* hae-

haereſin, ſub ſchemate problematis paradoxi nuper in lucem protruſam; itemque a CHRISTOPHORO WITTICHIO in *cauſſa ſpiritus ſancti victrice*, aliisque, refutatam, a me iam obſeruatum in *commentatione de ſeptem ſpiritibus coram throno Dei*, in *meditationibus ſacris*, *ſyntagmati diſſertationum theologicarum* ſubnexis, *pag. 105. ſeqq.* vbi & ipſemet hac de re verba feci. Longe maiori ſtrepitu noſtra aetate Arianiſmum in Anglia reſuſcitauit GVILIELMVS WHISTONVS, de quo multa dici poſſent; ſed praecipua ab eo, & contra eum in hacce cauſſa edita ſcripta, iam indicata ſunt a IO. GEORG. WALCHIO in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. c. V.* ad §. *III. p. 558. ſeqq.* Addenda, quae larga manu adfundit CHRISTOPPH. MATTH. PFAFFIVS in *introduct. in hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad §. *VIII. p. 274 ſeqq.* De SAMVELE CLARCKIO, qui neutiquam cum WHISTONO facere videri voluit, non minus tamen a recepta ratione myſterium trinitatis explicandi diſceſſit, itidem iam dictum in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung p. 561.* Plura de eo quoque dabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS *l. c. part. I. lib. II.* ad *§. VII. p. 256. 257. &* *part. II. lib. III.* ad *§. VIII. p. 279.* Non defuiſſe etiam recentiori aetate, qui Sabellianiſmum reſtaurarent, demonſtratum in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. II. cap. I.* ad §. *LIV.* LIBERIVM DE SANCTO AMORE, quo nomine virum doctiſſimum IO. CLERICVM tegi, nonnulli exiſtimant, dum in *epiſtolis theologicis ep. II.* tres perſonas per tres modos cogitandi explicat, non procul ab hoc errore abeſſe, res, puto, ipſa docet. In eamdem facile prolabuntur ſententiam, qui myſterium trinitatis ex lumine rationis cognoſci poſſe, ſibi aliisque perſuadere adnituntur, quod adeo & PETRO POIRETO contigit, in *cogitationibus rationalibus de Deo, anima & malo lib. III. cap. VIII.* Qui Sabelliana placita defendunt, hodie *modaliſtae* vocari ſolent, quod perſonas per cogitandi modos diuerſos explicent, in quorum numerum auctor libri: *les raiſons des ſcripturaires &c.* auctorem ſchediaſmatis: *remonſtrance charitable aux vnitaires*, refert *cap. II. pag. 7.* quamquam & ipſe non procul interdum inde diſcedere videatur, ſaltem in eo non errat, quod modaliſtas reuera vnitarios eſſe contendit. De reliquis, vt HERM. DEVSINGIO, & IO. WALLISIO, dictum in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c.* ad §. *III. p. 557.*

Iam quod ad eos attinet, qui antitrinitariorum, ſpeciatim Socinianorum, profligare errores, ſuarum duxerunt eſſe partium, VALENTINVS quidem SMALZIVS in *praefatione* ſcripti ſui contra WOLFG. FRANZIVM editi, gloriatur, *factum eſſe fato quodam, vt nemo fere inuentus fuerit, qui ad illorum aliquem directe reſponderit.* Sed hodie nullam amplius habebunt gloriandi cauſſam, cum ingens illorum exſtet numerus, qui ſcriptis ſuis eruditiſſimis monſtra haecce penitus confecerunt. Horum vt praecipuos quosdam, praeter eos, quorum iam facta eſt mentio, indicemus; ex noſtratibus ipſe WOLFG. FRANCIVS haud vltimum inter eos promeretur locum, de cuius tamen cum VAL. SMALZIO certamine, ſcriptisque eo ſpectantibus, iam dictum eſt, *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *X.* & ad §. *XI.* ALBERTVS GRAWERVS, cum in *examine praecipuarum ſophiſticationum, quibus recentiores Photiniani Franciſcus Dauidis, Georgius Blandrata, Fauſtus Socinus, Chriſtophorus Oſterodus, Val. Smalzius, auctores vtriusque catechiſmi Racouienſis, & alii complures argumenta aeternam Chriſti deitatem & perſonalem ſpiritus ſancti ſubſiſtentiam confirmantia oppugnant;* itemque, *in vindicatione incarnationis aeterni filii Dei ab impugnationibus* re-

recentium Photinianorum; aliisque ſcriptis, quae iunctim in *polemica* eius *ſacra*, Ienae anno 1656. 4. edita, exhibentur, Socinianos adgreſſus eſſet; aduerſarium itidem expertus eſt VAL. SMALZIVM, in *refutatione diſputationis Alberti Graweri, de ſpiritu ſancto*, Racouiae an. 1613. 4. itemque in *refutatione theſium Graweri de incarnatione filii Dei*, Racouiae 1614. 4. Sed pro GRAWERO calamum iterum ſtrinxit IO. PAVL. FELWINGERVS, philoſophus Altdorphinus, ante iam ob certamina cum Socinianis nobis laudatus, in *defenſione pro Alberto Grawero contra Smalzium*, Brunſuigae an. 1634. 4. Scripſit idem FELWINGERVS *diſputationem anti-Photinianam de ratione in theologia contra Florianum Cruſium*; quis autem FLOR. hicce CRVSIVS fuerit, intelligimus ex SANDII *bibliothec. antitrinitar. p. 140.* porro *collationem religionis euangelicorum cum religione Photinianorum contra Valentinum Baumgartum*; de quo VAL. BAVMGARTO itidem legendus SANDIVS *l. c. pag. 144.* & alia. BALTH. MEISNERO, cuius *breuis conſideratio theologiae Photinianae &c.* Wittebergae anno 1623 prodiit, nonnulla oppoſuit ION. SCHLICHTINGIVS de quibus SANDIVS *l. c. p. 127.* IAC. MARTINI varia contra Socinianos in lucem emiſit, cumprimis tamen noti ſunt *libri* eius *tres, de tribus Elohim*, erumpentibus eo tempore Photinianis, ſpeciatim GEO. ENIEDINO & AD. GOSLARIO, item quibusdam iudaizantibus & ſemi-iudaizantibus oppoſiti, Wittebergae an. 1619. 8. quorum occaſionem a NIC. HIERON. GVNDLINGIO indicatam, iam antea obſeruauimus. IOS. STEGMANNI *Photinianiſmus, hoc eſt, ſuccincta refutatio errorum Photinianorum, quinquaginta ſex diſputationibus breuiter comprehenſa*, Rinthelii 1623. 8. inter melioris notae in hoc genere libros referri ſolet. De IVSTI FEVRBORNII *anti-Oſtorodo & anti-Eniedino*, iam antea diximus. Inter ABR. CALOVII ſcripta, ea quae Socinianis oppoſuit, eruditis maximo in pretio ſunt, & reliquis omnibus a quibusdam praeferuntur. Iunctim ea prodierunt Vlmae an. 1684. fol. & recenſentur a CHRISTOPHORO MATTH. PFAFFIO in *introduct. in hiſtor. theolog. litter. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad §. *X. p. 325.* qui & reliquorum noſtrae eccleſiae theologorum, THEODORI THVMMII, IO. CONR. DANHAVERI, IO. ADAMI SCHERZERI, IVSTI CHRISTOPH. SCHOMERI, aliorumque ſcripta anti-Sociniana, ibidem enarrat. Nonnulla etiam a nobis praetermiſſa indicat ADR. BAILLETVS *des ſatyres perſonnelles &c. tom. II p. 1. ſeqq.* Nefas autem eſſet, ſilentio praeterire egregium prorſus opus beati PHIL. IAC. SPENERI, quo diuinitatem ſeruatoris noſtri ſolidiſſime demonſtrauit, quodue inſcribitur: *Vertheidigung des Zeugnüſſes, von der ewigen Gottheit vnſers Herrn Ieſu Chriſti, als des eingebohrnen Sohns vom Vater &c.* Prodiit illud cum praefatione PAVLI ANTONII Francofurti ad Moenum an. 1706. 4. Compendium aliquod ex eodem confectum inſcriptumque: *Kern vnd Safft der erbaulichen Schriffte des nun in Gott ruhenden vnd weyland hochverdienten theologi D. Phil. Iac. Speners, Vertheidigung des Zeugniſſes &c.* proſtat cum variis acceſſionibus, cuius editio ſecunda lucem adſpexit Erffurthi an. 1714. 8. Poſt SPENERVM in hocce contra Socinianos campo comparuerunt MICH. CHRIST. RVSMEYERVS in *der Lehre von der hochheiligen Dreyeinigkeit*, & PETR. SIGISM. PAPE, in *dem kurzen vnd noethigen Bericht von dem Vnterſcheid vnſerer euangeliſchen wahren, vnd der ſo genandten Socinianer falſchen Lehre &c.* de quibus dictum in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung cap. V.* ad §. *VIII. p. 580.*

Nec reformatae etiam eccleſiae theologi, in proſcribenda Socinianorum, ceterorumque antitrinitariorum impietate, ſuo

de-

deſuerunt officio. SAM. MARESII *hydram Socinianiſmi expugnatam* antea iam commendauimus, nec immerito, cum in ea Socinianorum commenta ſolide profligentur. IO. CLOPPENBVRGIVS, vt aliis quoque ſcriptis polemicis innotuit, ita & Socinianos ſtrenue oppugnauit, in *anti-Smalzio de diuinitate Ieſu Chriſti*, Franecquerae 1652. 4. item in *compendio Socinianiſmi confutati*, ibidem 1652. 4. cui & *praefationem hiſtoricam* de *origine & progreſſu Socinianiſmi* praemiſit; vt & in vindiciis *pro deitate ſpiritus ſancti, aduerſus pneumatomachum Ioan. Bidellum*, itidem Franecquerae 1652. 4. De IOANNE autem iſto BIDELLO, cui vltimum CLOPPENBVRGII ſcriptum oppoſitum fuit, obſeruandum, quod in omnibus SOCINO fuerit ὁμόψηφος, niſi quod ſpiritum ſanctum perſonam, ac velut principem quemdam angelorum ſtatuerit. Conferendus CHR. SANDIVS in *biblioth. anti-trinitar. p. 159.* vbi & docet, ſectatores eius Bidellianos dictos. Eumdem BIDELLVM NIC. ARNOLDVS refutauit, in *atheiſmo Sociniano Io. Bidelli*, Franecquerae an. 1659. 4. quem & *catecheſin Racouianam maiorem refutatam* dediſſe, iam monuimus *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *X.* Atque hos quidem praecipuos fere eſſe, puto, qui ex reformatae eccleſiae doctoribus cum Socinianis congreſſi ſunt. Omnes recenſere, animus non eſt. Parum autem abeſt, quin & HVG. GROTIVM inter eos referam, qui contra Socinianos in aciem prodierunt, ob *defenſionem fidei catholicae de ſatisfactione Chriſti aduerſus Fauſtum Socinum, Senenſem*, Lugduni an. 1617. 8. editam, & saepius deinceps recuſam; quem tamen ceteroquin a Socinianorum placitis haud adeo alienum fuiſſe, conſtat. MART. RVARVS, qui eidem Socinianorum ſectae addictus fuit, de hocce GROTII libro ita pronuntiat: *De Grotio recte ſentis, neminem hactenus eruditius contra Socinum ſcripſiſſe. Sed, vt opinor, Eſernium Pacidianus inuenit, Bithum Bacchius, vt eſt in prouerbio; id quod ex libro Crellii, quo illi reſpondit, quemque vna cum his litteris, vt ſpero, habebis, ipſemet agnoſces; epiſt. VIII. centuriae primae p. 59.* Ita CRELLIO, cuius *reſponſionem ad Grotii librum de ſatisfactione Chriſti* in *bibliotheca fratrum polonorum* exſtare, antea diximus, victoriam tribuit RVARVS. Eſt tamen ὡς ἐν παρόδῳ obſeruandum, MICH. GITTICHIVM, hominem itidem Socinianum, in *epiſtola ad Ruarum*, quae eſt *centuriae primae LXIII. p. 278.* de GROTIO valde conqueri, quod in *adnotat.* ad *Epheſ. I.* ſententiam de ſatisfactione tueatur, parum candide hoc ab eo fieri, exiſtimans. Cum enim verba GROTII recitaſſet, ſubiicit; *Non enim ille neſcius eſt, iſta, quae hic adſerit, falſa, & in gloriam ſummae Dei munificentiae & benignitatis humano generi exhibitae vehementer iniuria eſſe &c.* GROTIVM tamen defendit RVARVS, *epiſt. LXIV. p. 282. ſqq.* contendens, quae is ſcripſerat, in commodum, hoc eſt, Socinianum ſenſum, trahi poſſe. At non ſatisfecit GITTICHIO, vtpote qui longa epiſtola hanc RVARI defenſionem impugnauit, quae ad finem *partis primae* conſpicitur, *p. 465. ſeqq.* Ad rem ipſam quod attinet, SOCINVM equidem in iſto *de ſatisfactione* libro GROTIVS refutauit, ſed ita, vt aliis, quae iure meritoque iterum refutari poſſent, relinqueret. Id, cum vix liber iſte prodiiſſet, peculiari commentatione oſtendere adgreſſus eſt HERM. RAVENSPERGERVS, theologus Groeningenſis, cui mox GERH. IO. VOSSIVS oppoſuit *reſponſionem ad iudicium Hermanni Rauenſpergeri de libro ab Hugone Grotio pro catholica fide de ſatisfactione Ieſu Chriſti, ſcripto aduerſus Fauſtum Socinum*, quae exſtat *tomo I. operum* eius *p. 883. ſeqq.* IO. CRELLIVM defenſionem SOCINI in *reſponſione ad librum Hugonis Grotii de ſatisfactione* in ſe ſuſcepiſſe,

antea ſignificauimus; ad quam tantum abeſt, vt GROTIVS iterum aliquid regeſſerit, vt epiſtolam potius ad CRELLIVM ſcripſerit, qua ei pro reſponſo ad ſuum librum gratias egit. Data eſt Pariſiis die x Maii an. 1631. Conferendus omnino PAVL. COLOMESIVS, *dans la bibliotheque choiſie p. 167.* Licet autem GROTIVS nihil repoſuerit CRELLIO; fecit tamen illud deinceps ANDR. ESSENIVS, theologus Vltraiectinus, cuius exſtat: *triumphus crucis, ſeu fides catholica de ſatisfactione ac merito Chriſti adſerta ac vindicata ab exceptionibus atque obiectionibus Socinianorum: potiſſimum vero ab illis, quas Ioan. Crellius in reſponſione ſua ad librum Hugon. Grotii de eodem argumento protulit;* Amſtelodami an. 1649. 4. Sed LAMBERTVS quoque VELTHVYSIVS de *ſatisfactione Chriſti* contra eumdem CRELLIVM ſcripſit, Vltraiecti an. 1648. 12. add. HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat, part. II. cap. VI. p. 743. ſeqq.* vbi plures, qui ex reformatis contra Socinianos pugnarunt, laudat. Quos Gallia tulit, reformatae eccleſiae theologi, in profligandis Socinianae impietatis commentis, reliquis non fuere ſegniores. Eiusque rei grauiſſimas haud dubie habuere rationes, cum intelligerent, inter Gallos quoque non deeſſe, qui callidis iſtorum hominum vocibus aurem praeberent. PETRI IVRIEI *repraeſentationem Socinianiſmi &c.* iam commemorauimus, cum reliqua eius ſcripta recenſeremus. Nunc addendum, virum iſtum doctum, rationem, cur lingua gallicana hoc argumentum tractauerit, cum antea inter Gallos non adeo notum eſſet Socinianorum nomen, hanc adferre, quod libri quidam pernicioſi, vt *tumulus Socinianiſmi*, item *proteſtans pacificus*, & ſimiles, quibus tolerantia ſectarum vniuerſalis ſuadetur, lingua gallicana prodierint, & in omnium manibus verſentur. Ex hiſce, quos nominat, libris, eum qui *tumulus Socinianiſmi*, ſiue *le tombeau du Socinianiſme*, inſcribitur, & Francofurti, ſi inſcriptioni credendum, an. 1687. 8. prodiit, IVRIEO non placuiſſe, mirum non eſt, cum illi adiunctus ſit libellus *le noueau viſionaire de Rotterdam*, quo nomine IVRIEVS indicatur inſcriptus, cuius auctor ſe THEOGNOSTVM DE BEREE vocat. Licet autem auctor iſte contra Socinianos diſputare videri velit; dum tamen nouam methodum, explicandi myſterium trinitatis, & incarnationis verbi, proponit; dumque orbi perſuadere cupit, doctrinam orthodoxorum de myſterio trinitatis non niſi verbis a doctrina Sabellianorum, Paulianorum, & Socinianorum differre, aliaque paradoxa adſpergit; nihil aliud agit, quam vt praecipua religionis capita deſtruere conetur. Quae *cap. IX. p. 99.* de verbo, ſiue τῷ λόγῳ differit, plane cum MICH. SERVETI commentis conueniunt. Interim contra auctorem libri: *proteſtans pacificus*, quem DE LA GVYTONNIERE vocat, & Socinianiſmi defenſoribus adnumerat, ſubinde diſputat; etſi in eo, quod caput cauſſae eſt, cum eodem conſentit; ſimulque eum *cap. I. p. 2.* adſerit lingua gallicana haec argumenta tractare coepiſſe, vt Gallos Socinianae haereſeos veneno inficeret. Ad IVRIEVM quod attinet, poſſet huc etiam referri eiusdem liber: *la religion du latitudinaire* inſcriptus, vtpote in quo itidem apologia trinitatis contra Socinianos continetur: ſed eius occaſionem ſupra iam expoſuimus. Poſſem hic porro dicere de ABBADII (L'ABBADIE) theologi inter Gallos, qui Berolinum ſe contulerunt, clariſſimi, *tractatu de diuinitate domini noſtri Ieſu Chriſti*, gallice ſcripto, editoque Roterodami, an. 1689. 12. itemque de *epiſtola*, quam VRIGNIVS (DE VRIGNY) *contra antitrinitarios, tolerantes, & moraliſtas, cum animaduerſionibus ad librum, cuius titulus: religio naturalis &c.* itidem gallice an. 1693. 8. ſine loci mentione edidit; ſed hiſce aliisque, miſſis,

miſſis, vnicum tantum addam, qui inſtar omnium eſſe poteſt. Hic eſt THEOD. DE BLANC, cuius *principes contre les Sociniens*, ſiue *principia contra Socinianos, vbi prima fundamenta religionis chriſtianae per ſcripturam ſacram, & per rationem defenduntur*, omnibus, ni fallor, qui gallicana lingua contra Socinianos ſcripſerunt, dubiam reddent palmam. Duabus opus hocce conſtat partibus, prodiitque Hamburgi an. 1618. 8. Non multo equidem eruditionis adparatu ſuperbit; ſed defectum iſtum, ſi modo ita vocandus, ratiocinationum ἀκρίβεια abunde compenſat. Nihil, niſi quod ſolidum ſit, vimque demonſtrandi habeat, profert; & in intimos rerum, de quibus diſputatur, receſſus ita penetrat, vt diſſentientibus omnem elabendi viam intercludat. Anglorum hic eo minus praetermittendi ſunt theologi, quo maior ſe illis obtulit neceſſitas, ob incrementa, quae antitrinitariorum apud eos ſumſit impietas, malo huic acriter reſiſtendi. Eorum, qui prae ceteris in hoc certamine eminuerunt, EDVARDI STILLINGFLEETI, IO. EDVARDI, & IONATHANIS EDVARDI labores hic exantlatos iam laudauimus, cum Angliae theologos polemicos, eosque praecipuos, commemoraremus. Inter tot alios, qui in eodem campo ingenii periclitati ſunt vires, vnicum adhuc addimus PETR. ALLIXIVM, ob opus prorſus egregium, quod ex lingua anglicana in germanicam translatum, inſcribitur: *Ausſprüche der alten iüdiſchen Kirchen wieder die Vnitarios in der Streit-Sache wegen der heiligen Dreyeinigkeit vnd der Gottheit vnſers hochgelobten Heylandes*; quodue cum praefatione GOTTFR. ARNOLDI prodiit Berolini an. 1707. 4. Luculenter enim in eo demonſtrat, quae nos contra antitrinitarios defendimus dogmata, veteri eccleſiae iudaicae cognita fuiſſe atque perſpecta. Reliquos, qui ex Angliae theologis cum antitrinitariis congreſſi ſunt, quorum haud exiguus eſt numerus, recenſet CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, qui ſimul obſeruat, nonnullos, vt SOVTHVM, WALLISIVM, SCHERLOCKIVM, NYAEVM, aliosque, ita ſe illis oppoſuiſſe, vt ipſimet a recto tramite deflecterent; in *introduct. in hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad §. *X. p. 328. ſeqq.* qui & *p. 337.* & *338.* eos ex pontificiis laudat, qui Socinianos ſibi refutandos ſumſerunt.

** Vt in controuerſiis cum *fanaticis* recte progrediamur, naturam indolemque fanaticiſmi cognitam perſpectamque habere oportet. Tum enim *verum fanaticiſmum* ab *adparente* rite diſcernemus, nec homines innocentes, quod haud infrequens eſt, temere in fanaticorum referemus numerum. Plurimis equidem *fanaticiſmus* ac *enthuſiaſmus* vna eademque res eſt; ſed videtur diſcrimen aliquod inter vtrumque conſtitui poſſe, ſi per *enthuſiaſmum* eiusmodi intelligatur mentis morbus, quo homines, vehementiori imaginationis impetu abrepti, motus quosdam ac perceptiones, repraeſentationesque, etſi mere naturales, pro ſupernaturalibus atque diuinis habent, easque, a rectae rationis licet, ſcripturaeque ſacrae regulis valde aberrantes, ceu vitae doctrinaeque normam ſequuntur; *fanaticiſmus* autem generatim omnibus iis tribuatur, qui, vana quadam incertaque perſuaſione inducti, opiniones quasdam erroneas pro veris adſumunt, fouent, atque defendunt, hinc & ſubinde dogmata & abſona & inepta, maleque cohaerentia, ſpargunt, etſi nec reuelationes iactitent, nec viſiones, aut motus ſuos atque inſtinctus, pro diuinis venditent. Omnis itaque enthuſiaſta erit fanaticus, ſed non omnis fanaticus enthuſiaſta. Ita quidem mentem meam hac ſuper re explicaui in *inſtitut. theolog. mor. part. I. cap. I. ſect. V. §. XVII. & XXII.*

 Paullo

Paullo aliter tamen incedit vir longe eruditiſſimus CHRIST. AVG. HEVMANNVS. Duplicem is conſtituit *enthuſiaſmum*, alterum illorum, quorum imaginatio diuini inſtinctus coniuncta ſit cum voluntatis probitate, quam in claſſem IAC. BOEHMIVM refert; alterum illorum, quorum imaginatio diuini inſtinctus ſocium habet animum prauum, & turpiſſimis ſuccumbentem adfectibus, eiusque generis IOANNEM illum Leidenſem fuiſſe, tempore LVTHERI. Qui itaque enthuſiaſmum habeant cum pia mente coniunctum, generali vocabulo dici poſſe *enthuſiaſtas*; ceteros vero, quorum enthuſiaſmus cum turpi libidine, cum eximia ambitione vel auaritia copulatus ſit, *fanaticos*; in *poecile* ſiue *epiſtolis miſcellaneis tom. I. lib. II. num. XIII. p. 288.* Digna haec ſunt, vti & ea, quae idem vir doctiſſimus de origine vocis ἐνθουσιασμὸς ibidem diſſerit, quae paullo adcuratius ab aliis expendantur. Ad indolem autem enthuſiaſmi eo rectius intelligendam facient praeter ea, quae ipſemet in *inſtitut. theol. moral. l. c.* dixi, MERICI CASAVBONI *de enthuſiaſmo commentarius*, quem ex anglico latine reddi, edique curauit IO. FRID. MAYERVS, Gryphiswaldiae 1708. 4. HENNING. IO. GERDESII *de enthuſiaſmo ſchediaſma inaugurale*, Wittebergae 1708. 4. HENR. MORI *enthuſiaſmus triumphatus*, *tomo II. oper. philoſ. p. 188.* Nonnulla quoque, quae huc ſpectant, MICH. GOTTL. HANSCHIVS attingit, in *diatriba de enthuſiaſmo Platonico*, Lipſiae 1716. 4. edita, in qua de reditu vltimo animae humanae in eſſentiam diuinam agit, in quo primum fanaticorum errorum, certe multorum, quaerendum eſſe fontem, nonnulli contendunt. Hanc vero Platonicis forte rectius, quam ipſi PLATONI, tribui ſententiam, iam obſeruaui *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXII.* Iam ad hiſtoriam recentiorum praecipue fanaticorum quod attinet; multa ſane de iis magno ſtudio GOTTFR. ARNOLDVM in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie*, praeſertim *tomo II.* qui tertiam & quartam partem complectitur, collegiſſe, negari nequit; quamuis ad eiusmodi homines aut defendendos, aut excuſandos, iuſto ſit pronior. Iungendus illi itaque, qui iis neutiquam parcit, EHREG. DAN. COLBERGIVS, in *dem Platoniſch-Hermetiſchen Chriſtenthum, begreiffend die hiſtoriſche Erzehlung vom Vrſprung vnd vielerley Secten der heutigen fanatiſchen Theologie vnter dem Nahmen der Paracelſiſten &c.* Francofurti & Lipſiae an. 1690. 8. Duabus liber hicce conſtat partibus, quarum prior hiſtoriam praecipuarum ſectarum fanaticorum exhibet, poſterior autem theologiae fanaticae dogmata refellit. Diligenter multa congeſſit, quae de eiusmodi hominibus ſcire operae eſt pretium; nemoque temere hocce libro carebit. Non tamen omnes tum in aliis quibusdam, tum in eo maxime ſecum conſentientes habebit, quod omnia fanaticorum placita ex PLATONE ac philoſophia Platonica deriuare voluerit. Ex qualicumque dogmatum quorumdam, quae fanatici tuentur, cum Platonicis conuenientia, nondum ſtatim ſequitur, illa ex PLATONIS philoſophia fluxiſſe. Multa quoque pro Platonicis venditantur, de quibus, an ipſi PLATONI recte tribuantur, merito dubites. CHRIST. THOMASII de hocce COLBERGII ſcripto iudicium legere licet in eiusdem *orationibus academicis*, Halae 1723 editis, *orat. III. p. 479.* Huius porro loci eſt *anabaptiſticum & enthuſiaſticum pantheon vnd geiſtliches Rüſthaus wieder die alten Quacker vnd neuen Freygeiſter*; anno 1702 editum, cuius auctor IO. FRIDER. CORVINVS fertur. Licet enim quae in eo exhibentur ſcripta, a variis compoſita, non ſint vnius generis; nonnulla tamen ad hiſtoriam fanaticiſmi facientia inde hauriri poſſunt. Cum etiam in hacce ſcena haud raro mulieres quaedam comparuerint;

rint; earumdem dare hiſtoriam operae duxit pretium IO. HENR. FEVSTKINGIVS, in *gynaeceo haeretico fanatico, oder Hiſtorie vnd Beſchreibung der falſchen Prophetinnen, Quaeckerinnen, Schwaermerinnen, vnd andern ſectiriſchen vnd begeiſterten Weibes-Perſonen &c.* Francofurti & Lipſiae anno 1704. 8. Cumprimis autem commendandus hic GVST. GEORG. ZELTNERVS, ob *prolegomena de hiſtoria enthuſiaſmi*, quae *breuiario controuerſiarum cum enthuſiaſtis & fanaticis adhuc agitatarum*, Lipſiae an. 1724. 8. euulgato, praemiſit; in quibus, cum de natura & indole enthuſiaſmi, quem cum fanaticiſmo eumdem eſſe putat, quaedam differuiſſet; hiſtoriam enthuſiaſmi a prima origine, eundo per omnia ſaecula, vsque ad noſtra tempora, ſiſtit, hinc & de modo, ſeu methodo diſputandi cum enthuſiaſtis, quaedam monet, tandemque praecipuos de iis ſcriptores tum hiſtoricos tum polemicos ſubiicit.

Primus inter fanaticos recentioris aeui locus concedi ſolet *anabaptiſtis*, qui hodie a praecipuo ſectae reſtauratore, qui & meliorem illi faciem conciliauit, MENNONE SIMONIS, *Mennonitarum* nomine venire ſolent. Eos, qui de anabaptiſtis, aut contra eos, ſcripſerunt, recenſet CASP. SAGITTARIVS, in *introduct. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XXXIII. ſect. V. p. 826. ſeqq.* & IO. ANDR. SCHMIDIVS in *ſupplementis* ad *h. l.* cumprimis & CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtoriam theolog. litterar. &c. part. II. lib. III.* ad *§. XI. p. 352.* Inter praecipuos eſt IO. HENR. OTTIVS, in *annalibus anabaptiſticis, hoc eſt, hiſtoria vniuerſali de anabaptiſtarum origine, progreſſu, factionibus &c.* Baſileae 1672. 4. cui merito iungas FRID. SPANHEMII *diatriben, de origine, progreſſu &c. anabaptiſtarum.* Neruoſe praecipua exhibet ERN. SAL. CYPRIANVS, in *continuat. compendii hiſtor. eccleſ. Gothani cap. VII. p. 232. ſeqq.* Minime autem hic negligendus libellus, qui a IOACH. CHRIST. IEHRINGIO, ex belgica lingua in germanicam translatus, inſcribitur: *gründliche Hiſtorie von denen Begebenheiten, Streitigkeiten vnd Trennungen, ſo vnter den Tauffgeſinneten, oder Mennoniſten, von ihrem Vrſprung an, bis aufs Iahr 1615. vorgegangen;* quique a Mennonita quodam, rerum apud ſuos geſtarum probe gnaro, compoſitus, a IEHRINGIO adnotationibus inſuper, aliisque acceſſionibus lectu dignis, auctus, cum praefatione mea Ienae anno 1719 prodiit. Laudat autem IEHRINGIVS, in *diſſertatione praeliminari* (*Vorbericht*) *§. II. p. 3. ſeqq.* & alios, qui ex ipſis Mennonitis rerum ſuarum hiſtoriam ſcripſerunt, quos inter haud vltimi ſunt HERM. SCHYN, & CORN. VAN HVYZEN, quorum ſcripta huc ſpectantia, belgicaque lingua edita, §. *III. p. 5. & 6.* commemorat, ſimul tamen recte obſeruat, vtrumque id praecipue agere, vt euincat, quae olim ab anabaptiſtis Monaſterienſibus geſta ſint, Mennonitis tribui non poſſe. Et HERMANNVS quidem SCHYNIVS librum iſtum ex belgica lingua in latinam translatum, acceſſionibusque quibusdam auctum, & inſcriptum: *Hiſtoria chriſtianorum, qui in Belgio foederato inter proteſtantes Mennonitae adpellantur, in qua praeter eorum originem, progreſſum, ſtatum hodiernum, & fidei confeſſionem, ſimul oſtenditur ingens inter hos & anabaptiſtas Germanos & Monaſterienſes, diſcrimen &c.* in lucem emiſit, Amſtelodami an. 1723. 8. Summatim & hiſtoria anabaptiſtarum exhibita in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. VI. §. IV. ſeqq.* vbi & alii, qui eius illuſtrationi inſeruiunt, laudati. Ad ſcripta, ex quibus genuina anabaptiſtarum doctrina patet, quod attinet, cumprimis ad confeſſiones eorum attendendum, quas recenſet IEHRINGIVS *l. c.* in *dem Vorbericht, §. X. p. 24. ſeqq.* & in *den Anmerckungen*

ckungen p. 109. 155. item in *der Zugabe p. 276. ſeqq.* Ex inſtituto quoque de iis iam dictum *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* Spectant huc etiam colloquia, cum anabaptiſtis inſtituta, eorumque acta, vt Franckenthalenſe, Embdanum, & Leowardienſe; de quibus itidem legendus IEHRINGIVS, *l. c.* in *dem Vorbericht, p. 25.* & in *den Anmerckungen, p. 172. & 175.* Addenda his opera MENNONIS SIMONIS, primum an. 1646. 4. deinde an. 1681. fol. edita; itemque DIETERICI PHILIPPI (DIRCK PHILIPPS) ſcripta, quae IEHRINGIVS indicat, *l. c.* in *den Anmerckungen p. 159.* qui & in *dem Vorbericht, §. X. p. 26.* praecipuos maximeque celebres Mennonitarum doctores laudat, interque eos HERM. SCHYNIVM, & CORN. VAN HVYZEN, vtpote reliquis ſaniores, paullo propius ad nos accedere, pronuntiat. Et ſane SCHYNII *hiſtoria Mennonitarum*, antea memorata, ad dogmatica non minus, quam hiſtorica ſcripta referenda eſt; exhibetque in ea *confeſſionem* quamdam *fidei, cap. VII. p. 172.* ex qua vera & genuina Mennonitarum ſententia ſit haurienda. conferenda, quae de ea obſeruauimus *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. X.* Nec ſilentio hic praetermittendus ENGEL ARENTSON VAN DOOREGEST, cuius exſtat epiſtola ad FRID. SPANHEMIVM, ex belgica lingua in germanicam translata: *Send-Schreiben an den Herrn Frid. Spanhemius, worinne die Lehre der ſogenandten Tauffgeſinnten was naeher am Tage gegeben, vnd verthaediget, auch von vielen ſchweren Beſchuldigungen geſaubert wird &c.* anno 1694. 8. ſine loci mentione, in qua id maxime agit, vt dogmata Mennonitarum emolliat, & quae alios offendere, aut ipſis inuidiam creare poterant, in mitiorem interpretetur partem. Edidit equidem & GALENVS ABRAHAMS *apologiam pro proteſtantibus, qui credunt, non eſſe baptizandos, niſi qui iam vſu rationis pollent, cum compendio doctrinae illorum*; quae ex belgica lingua in gallicanam conuerſa, lucem adſpexit Amſtelodami an. 1704. 8. in qua mentem ad Socinianiſmum pronam haud obſcure prodidit. Sed pleriſque Mennonitarum non tantum haecce eius dogmata diſplicuerunt; ſed & foedere velut inter ſe inito ea reiecerunt, idque ſcripto quodam teſtati ſunt, quod ex belgica lingua in germanicam translatum integrum exhibet IEHRINGIVS, *l. c.* in *der Zugabe p. 275. ſeqq.* Habuit tamen & GALENVS ille ABRAHAMS ſectatores quoſdam; vnde &, accedentibus aliis quoque cauſſis, ſchiſma aliquod, qualia & ceteroquin inter eos haud infrequentia ſunt, ortum eſt. Legendus hac de IO. HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat, part. I. cap. XIX. p. 532. ſeqq.* Fuerunt ſane inter Mennonitas & alii, qui errores Socinianorum haud obſcure profiterentur; vnde nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, omnes Mennonitas eſſe crypto-Socinianos. Sed fatendum tamen, pleroſque, & quidem genuinos Mennonitas a Socinianorum placitis alienos eſſe, idque aperte ſatis eſſe teſtatos. Si quis autem contendat, eos in pleriſque ad Arminianos ſeu remonſtrantes proxime accedere; eum nullam illis facere iniuriam, inſtituta vtrorumque dogmatum comparatione, luculenter oſtendit IEHRINGIVS, *l. c. §. XI. ſeqq. p. 26. ſeqq.* Plurimos rurſus fuiſſe, qui in confutandis anabaptiſtarum ac Mennonitarum erroribus operam ſuam ſtudiumque collocauerint, neminem fugit. Immo ipſe MARTINVS LVTHERVS egregie hoc fecit, cumprimis in libro notiſſimo *aduerſus caeleſtes prophetas*, ſiue *wieder die himmliſche Propheten*, qui *tomo III. Altenburg. p. 40. ſeqq.* exſtat, de quo & plura dixi, cum ſcripta LVTHERI polemica recenſerem. Fecit id quoque PHIL. MELANCHTHON, tum in aliis ſcriptis, tum maxime in *refutatione erroris Serueti & ana-*

& anabaptiſtarum, quae & *corpori* eius *doctrinae* inſerta eſt, *p. 831. ſeqq.* editionis, quae Argentorati 1580. 8. prodiit. Sequuti deinceps ſunt IO. WIGANDVS, in *dogmatibus & argumentis anabaptiſtarum cum refutationibus*, cuius memoriam renouauit SAM. SCHELGVIGIVS in *Wigandianis, hoc eſt, anabaptiſmo D. Ioan. Wigandi, Pomeſanienſis quondam epiſcopi, ſeptem diſputationibus in athenaeo Gedanenſi excuſſo*, Gedani 1702. 4. LVC. OSIANDER, in *enchiridio controuerſiarum religionis inter Auguſtanae confeſſionis theologos & anabaptiſtas*, Francofurti 1605. 8. IO. MVLLERVS, theologus Hamburgenſis, in *anabaptiſmo, das iſt, Wiedertauffer Irrthum, wie dieſelbe in der Menniſten Glaubens-Bekaendtnis zu Hoorn gedruckt, an den Tag gegeben, vnd zu Verfuhrung einfaeltiger Chriſten ausgeſtreuet werden &c.* Hamburgi 1645. 8. IO. BOTSACCVS, in *anabaptiſmo reprobato, das iſt, Wiederlegung der wiedertaufferiſchen Lehre*, Lubecae 1661. 8. aliique quam plurimi. Speciatim, quod ad paedobaptiſmum attinet, commendandus IO. WINCKLERI, theologi Hamburgenſis, libellus: *gründlicher Beweiß der Kinder-Tauffe* inſcriptus, quem an. 1691 in gratiam nonnullorum, qui a Mennoniris ad noſtram eccleſiam tranſierunt, euulgauit. Huic autem cum quidam ex anabaptiſtarum cohorte nonnulla obiecerant; neceſſitatem ſibi impoſitam vidit, *apologiam* eius edendi, ſiue *Vertheidigung ſeines gründlichen Beweiſes der Kinder-Tauffe &c.* Hamburgi 1696. 8. Quae ANTON. VAN DALE in *hiſtoria baptiſmorum tum iudaicorum tum chriſtianorum &c. diſſertationi* eius *ſuper Ariſtea de LXX. interpretibus*, Amſtelodami 1705 editae, ſubnexa, contra paedobaptiſmum in medium attulit, ſub examen reuocauit PHILIPP. GOTTFR. HARDER, paſtor hodie Auguſtanus, in *obſeruationibus theologicis de paedobaptiſmo*, quas ſub meo moderamine publico conflictui expoſuit, Ienae 1707. 4. Sunt adhuc longe plures, qui de paedobaptiſmo ſcripſerunt, quos laudat CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad §. *XI. p. 358. ſeqq.* Ex reformatis qui contra anabaptiſtas diſputarunt, praecipui ſunt FRID. SPANHEMIVS ſenior, in *diſputationibus anabaptiſticis XXX.* Lugduni 1648. 8. editis, & IO. CLOPPENBVRGIVS, in *gangraena theologiae anabaptiſticae*, quae & ſeorſim proſtat, & *operibus* quoque eius iunctim editis inſerta eſt, *tom. II. p. 103. ſeqq.* Mitto reliquos, tum ex noſtratibus, tum ex reformatis, quos CASP. SAGITTARIVS recenſet, *l. c. p. 827. ſeqq.* & CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, *l. c. p. 349. ſeqq.*

Eodem fere tempore, quo motus anabaptiſtarum in Germania ſeſe exſerebant, CASPAR quoque SCHWENCKFELDIVS, ex nobili in Sileſia genere prognatus, placita ſua, eo tendentia, vt verbum, quod vocant, internum praeferret externo, & hoc adeo in contemtum adduceret, diſſeminare coepit; quo nomine & inter fanaticos referri ſolet. Acriter tum ab ipſo beato LVTHERO, tum ab aliis eſt refutatus, quae tamen hodie ceſſant certamina, cum pauci ſuperſint, qui eius partes tueantur; ſcriptis autem qui id recentiori aetate fecerit, nemo mihi innotuit. Veram ac genuinam SCHWENCKFEDII ſententiam ex operibus eius condiſcere licet, quae iunctim 1564 ſine loci mentione duobus tomis in fol. prodierunt; quamquam nec poſteriori tomo annus impreſſionis adſcriptus ſit. Prior tomus inſcribitur: *der erſte Theil der chriſtlichen orthodoxiſchen Bücher vnd Schrifften, des edlen, theuren, von Gott hoch begnadeten vnd gottſeeligen Mannes Caſpar Schwenckfelds vom Hauß Oſſing &c.* primoque in eo loco conſpicitur *confeſſio* eius, ſiue *Bekaentnüs vnd Rechenſchafft*

Digitized by Google

von den Haupt-Puncten des chriſtlichen Glaubens &c. ex qua ſummatim doctrinam eius intelligere licet. Eos, qui contra Schwenckfeldianos ſcripſerunt, vt MATTH. FLACIVM, CONR. SCHLVSSELBVRGIVM, LVC. OSIANDRVM, ceteroſque, refert CHR. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theol. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad *§. XI. p. 362. ſeqq.* SCHWENCKFELDIO GVST. GEO. ZELTNERVS iungit SEB. FRANCKIVM, verbi interni, ſeu Chriſti in nobis habitantis, cum contemtu quodam externi, aliorumque paradoxorum, defenſorem, eiusque praecipua ſcripta indicat, tandemque, de vtroque dici poſſe, putat, quod de SCHWENCKFELDIO quondam BVCHHOLZERVS pronuntiauerat, *non defuiſſe iis cor bonum, ſed caput regulatum;* in *prolegomenis de hiſtoria enthuſiaſmi, §. XVIII. p. 18.* Sed miſſis hiſce, aliisque eiusdem generis, ad THEOPHRASTVM potius PARACELSVM, ſeu, vti ipſemet ſe vocabat, PHIL. THEOPHR. BOMBAST AB HOHENHEIM nos conuertimus; quem viri docti pro quodam fanaticorum, qui deinceps, ſaltem in Germania, ſequuti ſunt, patriarcha reputant. Certe fratres Roſaecrucianos, VAL. WEIGELIVM, aliosque ex eius prodiiſſe ſchola, negari nequit. Ab hiſce itaque magnis in caelum euehitur elogiis, vt EHREG. DAN. COLBERGIVS docet, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum cap. IV. §. I. p. 179.* Nimirum cum ingenium illi non deeſſet; poſt multas peregrinationes, etiam in Arabiam, vicinasque regiones ſusceptas, ad reformandam medicinam, quam in academia Baſileenſi docuit, animum adiecit. Nec nulla prorſus in artem medicam eius eſſe merita, vtpote qui chemiae fuerit peritiſſimus, viri a partium ſtudio alieni fatentur. Idem vero, cum & theologica dogmata ad chemica reſtringere principia, in animum induceret, ſeque Lutherum & papam non minus, quam Galenum & Hippocratem, in ordinem redacturum gloriaretur, aliosque magno ſupercilio contemneret; fieri non poterat, quin multorum valde irritaret animos. Hinc vitia, ſummam impietatem arguentia, illi obiecta; a quibus tamen eum purgare adnititur GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- vnd Ketzer Hiſtorie part. II. lib. XVI. cap. XXII. §. VII. p. 315.* Obiectum inter alia & magiae crimen etiam ab HERM. CONRINGIO, *de Hermet. med. lib. II. cap. XIII. p. 386.* cuius tamen rationes id non euincere, oſtendi in *exercitat. an alchemiſtae in republica ſint tolerandi? §. XVII. p. 538. ſeqq.* Liberat quoque eum ab hac ſuſpicione G. NAVDAEVS, in *apologia magnorum virorum in magiae ſuſpicionem deductorum, p. m. 278. ſeqq.* Addendus OL. BORRICHIVS, in *Hermetis, Aegyptiorum & chemicorum ſapientia &c. cap. VIII. §. VI.* Dogmata PARACELSI erronea atque impia recenſet DAN. SENNERTVS, *de chemicorum cum Ariſtotelicis & Galenicis conſenſu ac diſſenſu cap. IV. p. 81. ſeqq.* Scriptorum, quae PARACELSVS compoſuiſſe dicitur, ingens eſt numerus, immo 53 libros in arte medica, & 235 in philoſophia conſcripſiſſe perhibetur. Id certe adſerit EHREG. DANIEL COLBERGIVS, *l. c. §. IV. p. 191.* DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS auctor eſt, ſe *commentariorum* eius in libros noui teſtamenti tria volumina manuſcripta in bibliotheca IS. VOSSII vidiſſe; *de metallor. transmutatione p. 140.* & *polyhiſt. lib. I. cap. X.* quod ex eo repetit GEORG. PASCHIVS, in *inuentis nou-antiquis cap. VI. §. VII. p. 324.* Quaedam eius ſcripta theologica recenſet GOTTFR. ARNOLDVS, *l. c. p. 316.* inter quae primum eſt, quod Neoſtadii an. 1618 prodiit, quodue inſcribitur: *ein theoſophiſches Büchlein, von dem wahren überbliebenen Saamen Gottes in vns, der nach dem Fall übrig geblieben, vnd daraus die heiligen Vae-*

Vaeter vnd Propheten ſo groſſe Maenner worden, dadurch noch taeglich Kinder Gottes gebohren werden, zu dem Ende in Druck gegeben, daß wir das in vns verborgene Perlein ſuchen vnd erkennen lernen. Vnde haud obſcure intelligitur, PARACELSVM lumen aliquod ſubſtantiale omnibus connatum adſeruiſſe; quod commune omnium fanaticorum eſſe principium, viri docti dudum obſeruarunt. Quod initio nemo exſiſteret, qui haecce PARACELSI placita detegeret & refutaret, inde factum, quod theologi de ſcriptis eius, ceu medici, parum eſſent ſolliciti; ſectatores quoque, quos habebat, in medicis ac philoſophicis eius opinionibus diuulgandis plus laboris ac induſtriae ponerent, quam in theologicis propugnandis. Cum vero, exortis Roſaecrucianis & Weigelianis, theologi animaduerterent, quorſum iſta PARACELSI dogmata tenderent; tum demum in ea inquirere, & cum Weigelianis erroribus profligare coeperunt. Huc nimirum ſpectat NIC. HVNNII *chriſtliche Betrachtung der neuen Paracelſiſchen vnd Weigelianiſchen theologie*; item, auctores anonymi *gründlicher Beweis, wie Theophraſtus Paracelſus, Valentinus Weigel, Paulus Felgenhauer, Nic. Teting, vnd andere ihres gleichen mit groſſer Heucheley vmgehen &c.* & alia eiusdem generis ſcripta, laudata COLBERGIO, *l. c. §. V. p. 196.* Roſaecruciani, quos ex PARACELSI diſciplina prodiiſſe, antea diximus, itidem inter fanaticos referri ſolent. Sed a vero non abhorret, quidquid de ſocietate iſta narratur, inter figmenta, lepidaque viri cuiusdam docti commenta, referendum eſſe. Nec tamen negandum, in ſcriptis quibusdam, ſub Roſaecrucianorum nomine editis, fanatica dogmata contineri; quorum nonnulla cum a PARACELSO acceperint, hactenus eorum ab illo deriuari origo poteſt. Cum tamen in his non omnia ad theologiam ſpectent, & quae ſpectant, vix digna ſint, quorum habeatur ratio; non eſt, quod iis immoremur. Legendi de illis COLBERGIVS, *l. c. cap. VI. p. 265. ſeqq.* ex quo & ſcriptorum, eo ſpectantium, notitia hauriri poteſt; GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVII. cap. XVIII. p. 640. ſeqq.* IO. GEORG. WALCHIVS, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. VI.* ad *§. XV. pag. 649. ſeqq.* Addantur, quae dicta ſunt in *diſſertatione, an alchemiſtae in republica ſint tolerandi? §. XVI. pag. 535. ſeqq.*

VAL. WEIGELIVM multa ex THEOPHR. PARACELSO hauſiſſe, omnes vere conſentiunt, resque ipſa docet; nec tamen ideo negandum, eum ex THOM. MVNTZERI, CASP. SCHWENCKFELDII, aliorumque ſcriptis profeciſſe. Eum Haynenſem, non Arterenſem, patria fuiſſe, praeeunte viro doctiſſimo ERN. SALOM. CYPRIANO, docet GVSTAV. GEORGIVS ZELTNERVS, idque etiam ex epitaphio parochiae Tſchopauienſis patere, obſeruat, in qua an. 1588 mortuus ſit. Concludit inde, *pleraque eius opuſcula, bona an mala fide? incertum eſt, poſt fata eius, & inchoato iam ſaeculo XVII prodiiſſe*; in *prolegomenis de hiſtoria enthuſiaſmi, §. XIX. p. 19.* Inter ſcripta, quae ab eo profecta creduntur, praecipua ſunt: *poſtilla*, quae an. 1607 prodiit; *theologia aſtrologizata; philoſophia myſtica; das Geſpraech vom Chriſtenthum; guldener Griff alle Dinge ohne Irrthum zu erkennen.* Atque ad vltimum quidem quod attinet, cuius editio, quae Halae Saxonum 1613. 4. prodiit, mihi ad manus eſt, id in eo praecipue agit, vt oſtendat hominem ex ſui ipſius conſideratione, ſine libris, aliisque ſubſidiis, ad veram ſolidamque eruditionem peruenire poſſe. Inter dogmata enim praecipua WEIGELII & hoc fuit, ſemina rerum cunctarum in nobis poſita eſſe; quae, ſi per adcuratam eorum, quae quisque in ſe ipſo deprehendere

Digitized by Google

queat, conſiderationem excitentur; viam ſalutis longe rectius nobis aperiant, quam quaelibet ſtudiorum genera, omnemque nos condoceant ſapientiam. Atque huc etiam liber eius: *ſtudium vniuerſale* inſcriptus, comparatus eſt. In erroribus Weigelianis refutandis ſtudium ſingulare poſuit NIC. HVNNIVS, non tantum in *der chriſtlichen Betrachtung der neuen Paracelſiſchen vnd Weigelianiſchen theologie &c.* ſed & in ſcripto, quod nomine miniſteriorum Lubecenſis, Hamburgenſis, & Luneburgenſis, compoſuit, quodue vocauit: *ausfuhrlicher Bericht von der neuen Propheten &c. religion &c.* de cuius occaſione ſupra dictum, cum de NIC. HVNNIO verba faceremus. Nunc addendum, cum ſcripto huic fanatici quidam varia oppoſuiſſent, IO. MVLLERVM, theologum Hamburgenſem, *apologiam* eius, cum antea memoratorum miniſteriorum adprobatione, edidiſſe, inſcriptam: *nothwendige Vertheidigung des ausführlichen Berichts von der neuen Propheten, die ſich Erleuchtete, Gottesgelahrte, vnd Theoſophos nennen, Religion, Lehre vnd Glauben, wieder Nicolaum Teting &c.* de qua, vti & aliis quibusdam huc ſpectantibus, omnino conferendus CASP. HENR. STARCKIVS, in *der Lübeckiſchen Kirchen-Hiſtorie part. V. p. 825.* Referri huc porro ſolent ſcripta nonnulla IO. MVLLERI, contra CHRIST. HOHBVRGIVM, ſub EL. PRAETORII nomine latitantem; quae velut continuatio quaedam belli iſtius, quod miniſterium iſtud tripolitanum fanaticis, ſpeciatim Weigelianis, indixerat, cenſeri debent. Praeter alia enim ELIAS iſte PRAETORIVS, ſiue HOHBVRGIVS, an. 1644 ſine loci mentione edidit: *Spiegel der Misbrauche beym Predig-Ampt im heutigen Chriſtenthum, vnd wie ſelbige zu reformiren, mit freundlichen glimpflichen Worten aufgeſezet.* Huic ergo IO. MVLLERVS anno ſequenti 1645 nomine miniſterii Lubecenſis, Hamburgenſis, & Luneburgenſis oppoſuit *Warnung vor dem gotteslaeſterlichen Schandbuch Eliae Praetorii, von den Misbrauchen des Predig-Ampts.* Octennio poſt, an. 1653 HOHBVRGIVS reſpondit MVLLERO in *apologia Praetoriana, ſiue der grundlichen Verthaedigung des Spiegels der Misbraeuche des Predig-Ampts, wieder die Prediger in Lübeck, Hamburg vnd Luneburg, deren Warnung von Wort zu Wort wiederlegt, vnd ihre crimina falſi in Verfaelſchung der allegaten, Verkehrung vnd Zerſtümlung der Worte, vor Augen geſtellet werden.* Obſeruat IO. MOLLERVS, *loco deinceps citando*, ſcriptum hocce tripartitum in conuictu IOACH. BETKII parochi Linumenſis concinnatum eſſe, immo ſe ab amico quodam edoctum, magnam eius partem BETKIO deberi. IO. MVLLERVS, ne ſibi, aut cauſſae, quam defendendam ſuſceperat, deeſſet, hoc iterato examini an. 1656 ſubiecit, & quidem κατὰ πόδας, vt aduerſarii ſui deſiderio ſatisfaceret, in *der Prüfung des Geiſtes Eliae Praetorii, oder Wiederlegung des giftigen famos libells, apologia Praetoriana genandt, vnd deſſen gefaehrlicher Irrthümer &c.* Dum autem arbitrum ſe in hac lite interponere voluit ADOLPH. HELDIVS, Stadenſis, idemque fanaticiſmi reus, in libello Roterodami an. 1646 excuſo: *Prüfung der Sachen eines euangeliſchen Predigers Eliae Praetorii mit den euangeliſch-Lutheriſchen Predigern;* vtriusque partis animos in ſe concitauit, & variorum errorum accuſatus fuit. Tandem cum & HENR. AMMERSBACHIVS, parochus Halberſtadienſis, in *praefatione* AEG. GVTHMANNI *maieſtatis diuinae reuelationi* praefixa, anno 1675, HOHBVRGII patrocinium contra miniſterium tripolitanum in ſe ſuſcepiſſet; huius nomine illi reſponſum eſt per SAM. POMARIVM, ſacrorum antiſtitem Lubecenſem, in *der abgenoethigten Lehr- vnd Schutz-Schrifft gegen den Guthmanniſchen Offenbahrungs-Patron, worinne die Haupt-Frage von denen ſo gerühm-*

Digitized by Google

rühmten neuen Offenbahrungen eigentlich gefuſſet, das fanatiſche Buch, Offenbahrung goettlicher Maieſtaet, ſamt deſſen Licht-ſcheuenden Vorfechter, kurtzlich wiederlegt, des Chriſt. Hobburgs theologia vnd poſtilla euangelicorum myſtica, Arndius rediuiuus, vnd praxis Arndiana auf die Probe geſtellet, vnd das wahre Chriſtenthum Io. Arndii von dem angeſchmierten Weigelianiſchen Vnflate geſaubert vnd gerettet wird. Nouiſſimum hocce eſt miniſterii Tripolitani in hacce cauſſa ſcriptum, quod duabus conſtat partibus, quarum prior anno 1677 Ratzeburgi, poſterior autem Hamburgi an. 1679 excuſa eſt. Legendus de hiſce omnibus eſt IO. MOLLERVS in *iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricae part. II. cap. VI. §. VI. p. 144. ſqq.* item *part. III. & IV. c. V. §. VII. & VIII. p. 468. ſeqq.* vbi vir ille doctiſſimus multa alia adfert, quae controuerſiis cum fanaticis, ſpeciatim Weigelianis, lucem adfundere poſſunt. Obſeruat etiam *p. 472.* FRID. BRECKLINGIVM in *anti-Calouio*, teſtari, ſe *anti-Pomarium* pro AMMERSBACHIO ſcripſiſſe. Iam ad reliquos quod attinet, qui contra Weigelianos ſcripſerunt, commemorandi hic porro, IO. SCHELHAMMERVS, in *der Wiederlegung der vermeinten Poſtill Valentini Weigelii*; THEOD. THVMMIVS in *impietate Weigeliana*, Tubingae anno 1622. 4. IO. GERHARDVS, in *octo diſputationibus*, quae *parte II. diſputationum* eius *theologicarum pag. 815. ſeqq.* exſtant; ex reformatae eccleſiae doctoribus IO. CROCIVS, in *anti-Weigelio*, ſiue *confutatione theologiae Weigelii*, Caſſellis an. 1651. 4. aliique quamplurimi laudati COLBERGIO in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum cap. V. §. II. p. 217. ſeqq.* De ſectatoribus etiam, aut propugnatoribus WEIGELII, quorum nonnullos, vt CHR. HOHBVRGIVM, IOACH. BETKIVM, aliosque iam nominauimus, quibusque prae reliquis adhuc addendi ES. STIEFELIVS, & EZECH. METH, idem COLBERGIVS *l. c.* conferendus; de duobus poſtremis quoque CHRIST. THOMASIVS in *der Hiſtorie der Weisheit vnd Thorheit part. I. p. 140. ſeqq.* De iisdem aliisque eiusdem generis, vt AEGID. GVTHMANNO, IO. BETKIO, CHR. HOHBVRGIO ceterisque agit GOTTFR. ARNOLDVS, ſed vt, more ſuo, eos aut defendat, aut excuſet, in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie part. III. cap. I. IV. XIII. XV. &c.* Addenda omnino, quae de CHR. HOHBVRGIO & FRID. BRECKLINGIO obſeruat ERNEST. SAL. CYPRIANVS in *continuat. compendii hiſt. eccleſiaſt. Gothani cap. VIII. §. III. p. 264. ſeqq.*

IACOB. BOEHMIVM ex THEOPHR. PARACELSI fontibus ſua quoque irrigaſſe arua, eo minus dubitandum, quod nonnulli obſeruant, eum in quibusdam locis ipſa PARACELSI huius retinuiſſe verba. Accedebat ingenium, ad profundiores ſubtilioresq; ſpeculationes, & pronum & aptum; quo ſi recte vti didiciſſet, forte praeclara quaedam, & eximia orbis eruditus ab eo exſpectare potuiſſet. De ἐνθουσιασμῷ eius, gemina, quam ſibi obtigiſſe ipſemet profitetur, ecſtaſis teſtatur. Scripta, quae ſub eius nomine circumferuntur, ab ipſo profecta eſſe, non dubitabit, qui cuncta adcurate ponderauerit. Sed id quoque euidens eſt, plurima eius παράδοξα, ex conceptuum vocumque chemicarum cum rebus theologicis commixtione, orta eſſe; idque documento eſt, quam infeliciter inconſulta iſta notionum theologicarum, cum aliarum diſciplinarum notionibus coniunctio, aut potius confuſio, cedat. Hiſtoriae BOEHMII, eiusque ſectatorum lucem conciliabunt CASP. SAGITTARIVS *introd. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XXXIII. ſect. XIX. p. 899. ſeqq.* IO. WOLFG. IAEGERVS in *hiſtoria politica & eccleſiaſtica ſaeculi decimi ſeptimi tom. I. lib. I. cap. VI. p. 15. ſeqq.* ABR. CALOVIVS in *praefat. anti-Boehmii.* Vt tamen & altera pars audiatur, legenda vitae,

Digitized by Google

vitae deſcriptio, operibus eius iunctim editis praemiſſa, cuius auctorem ABRAH. A FRANCKENBERG eſſe ferunt; & quae pro BOEHMII defenſione diſſerit GOTTFR. ARNOLDVS in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVII. cap. XIX.* Veram eius ac genuinam ſententiam ex ipſius ſcriptis hauriendam, ſuaderem, niſi pleraque tanta laborarent obſcuritate, vt dubitem, an a quoquam intelligi queant. Interim iunctim edita ſunt Amſtelodami an. 1682, octo tomis in 8. & inſcribuntur: *des gottſeeligen hocherleuchteten Iacob Boehmens, teutonici philoſophi, alle theoſophiſche Wercken, darinne alle tieffe Geheimniſſe Gottes, der ewigen vnd zeitlichen Natur vnd Creatur, ſamt dem wahren Grunde chriſtlicher Religion vnd der Gottſeeligkeit nach dem apoſtoliſchen Gezeugniß offenbahret werden &c.* Summam quamdam reliquorum ſcriptorum ſuorum exhibere voluit in *aurora, oder Morgenroethe im Auffgange, das iſt, die Wurtzel oder Mutter der philoſophiae, aſtrologiae vnd theologiae, aus rechtem Grunde, oder Beſchreibung der Natur, wie alles geweſen vnd im Anfange worden iſt; wie die Natur vnd Elementa creatürlich worden ſeyndt; auch von beyden Qualitaeten boeſen vnd guten, woher alle Ding ſeinen Vrſprung hat, vnd wie es iezt ſtehet vnd würcket, vnd wie es am Ende dieſer Zeit werden wird &c.* Exſtat liber hicce & inter opera BOEHMII iunctim edita, & ſeorſim quoque antea excuſus eſt, Amſtelodami, ſi inſcriptioni credendum, anno 1676. 8. Sectatores BOEHMIVS haud paucos habuit, quorum nonnulli ſcriptis etiam placita eius defendere, aut propagare, conati ſunt, quos inter eminent ABRAH. A FRANCKENBERG, nobilis Sileſius, cuius exſtant ſcripta: *noſce te ipſum; via veterum ſapientum; Erkaentnüs Gottes; mir nach, das iſt, von der Nachfolge Chriſti;* aliaque; THEOD. A TSCHESCH, itidem nobilis Sileſius, qui non tantum edi curauit, *Einleitung in den edlen Lilienzweig des Grundes vnd Erkaentnüs der Schrifften, des hocherleuchteten Iacob Boehmens, wie dieſelbe moegen geleſen, vnd verſtanden werden, geſchrieben an Henricum Brunnium* (qui ipſe libelli huius auctor a quibusdam dicitur) *medicinae candidatum &c.* Amſtelodami 1674. 8. ſed & BOEHMII defenſionem contra DAV. GILBERTI *admonition wieder Iacob Boehmens Schrifften* in ſe ſuſcepit, ab eodem iterum in *apologia* iſtius *admonitionis* refutatus; & QVIR. KVHLMANNVS & ob mirabile ingenium, & ob fata quae ſubiit, prae reliquis notus, tum in aliis libris, tum maxime in eo, qui inſcribitur: *der neu begeiſterte Boehme, begreiffend 150 Weiſſagungen, vnd mehr als 1000000000 theoſophiſche Fragen, allen theologen vnd Gelehrten zur Beantwortung vorgeleget.* Conferendus de hiſce EHREG. DAN. COLBERGIVS, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum cap. VIII. §. V. p. 321. ſeqq.* De KVHLMANNO autem praeter GOTTFR. ARNOLDVM in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie part. III. cap. XIX. pag. 192. ſeqq.* & PETR. BAELIVM in *diction. hiſt. & crit. voc. Kuhlmann p. 1738.* conf. ERN. SAL. CYPRIANVS in *contin. compend. hiſtor. eccleſ. Gothani cap. VIII. §. II. p. 254.* vbi & grauiſſimas illi cum FRID. BRECKLINGIO interceſſiſſe inimicitias, obſeruat. De IO. ROTHIO, qui ſe pro propheta venditauit, quemue KVHLMANNVS valde veneratus eſt, idem vir doctiſſimus *l. c. p. 256.* agit; de quo & PETR. BAELIVM *l. c.* legiſſe iuuabit, qui & docet, ANTONIETTAM BOVRIGNONIAM alieno prorſus & a ROTHIO & a KVHLMANNO fuiſſe animo. Sectatoribus BOEHMII etiam adnumerandus IO. IAC. ZIMMERMANNVS, qui cum contra ABR. HINCKELMANNVM, IO. CHRISTOPH. HOLTZHAVSIVM, aliosque defendere voluit. Legendus de hocce ZIMMERMANNO, eiusque ſcriptis LVD. MELCH. FISCHLINVS, in *ſupplement. ad memoriam theologorum Wirtenbergenſium, p. 230.*

p. 230. ſeqq. De libro: *Einleitung zur wahren gründlichen Erkaentnüs des groſſen Geheimnüſſes der Gottſeeligkeit, Gott geoffenbaret im Fleiſch &c.* cuius auctor inter recentiſſimos doctrinae Boehmiſticae propagatores referendus, legenda, quae obſeruata ſunt, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. VI.* ad §. *XIV. p. 647.* De EL. PRAETORIO, ſeu potius CHR. HOHBVRGIO, quem itidem nonnulli inter Boehmiſtas referunt, iam antea dictum. Plurimi contra BOEHMIVM, eiusque ſectatores calamum ſtrinxerunt, vt IOAN. MVLLERVS, in libro. *der fanatiſche atheiſt, aus des erz-enthuſiaſten Iacob Boehmens Schriffen,* ABR. CALOVIVS in *anti-Boehmio* Wittebergae an. 1684. 4. cui FRID. BRECKLINGIVS *anti-Calouium* oppoſuit; & IO. FABRICIVS in *der Wiederlegung des Iac. Boehmens Schrifften.* Atque hoſce COLBERGIVS iam laudauit, *l. c. cap. VIII.* §. *V. p. 328.* Addendi praeter alios, ceu praecipui, ERASM. FRANCISCI in *dem Gegen-Strahl der Morgenroethe;* quem eius librum cum IO. IAC. ZIMMERMANNVS, antea nobis memoratus, ſub IO. MATTHAEI nomine latitans, in adpendice ſcripti IO. CHR. HOLTZHAVSIO oppoſiti, de quo mox dicemus, ſarcaſtice, & omni modeſtia inſuper habita, perſtrinxiſſet; acriter viciſſim ab eo exceptus eſt, in *catalogo ſcriptorum* ſuorum, anno 1691 edito, & paullo poſt, in *den zerbrochenen Laeſter-Pfeilen Iſmaels & Simei;* ABRAH. HINCKELMANNVS in *detectione fundamenti Boehmiani,* itemque in *den 40 wichtigen Fragen, betreffend die Lehren in Iacob Boehmens Schrifften;* IO. CHR. HOLTZHAVSIVS in *den Anmerckungen über Iacob Boehmens auroram,* aliisque ſcriptis. Cum autem ZIMMERMANNVS ille, cuius iam facta mentio, vt ſe ſtrenuum BOEHMII defenſorem demonſtraret, illis omnibus nonnulla oppoſuiſſet, & HOLTZHAVSIO quidem *chriſtliche Vnterſuchung der Holtzhauſiſchen Anmerckungen, über vnd wieder Iacob Boehmens auroram;* HINCKELMANNO autem *verlangte chriſtliche Beantwortung der 40 wichtigen Fragen,* & alia; de hiſce & iis, quibus inde porro occaſio data fuit, conferre iuuabit CHRIST. MATTH. PFAFFIVM in *introduct. in hiſt. theolog. litterar. notis ampliſſ. illuſtrata part. II. lib. III.* ad §. *XI. p. 364. ſeqq.* Interim HINCKELMANNI, quam laudauimus, *detectio fundamenti Boehmiani,* Hamburgi 1698. 4. excuſa, omnibus maximo eſt in pretio, quippe in qua luculenter oſtendit, praecipuum BOEHMII errorem, & reliquorum velut fontem quemdam eſſe, quod res omnes ex ſubſtantia Dei deriuauerit. Quo ipſo licet proxime ad SPINOZAE impietatem accedere videatur, per imprudentiam, vt credere par eſt, quamdam, quod non ſatis perſpiceret, quae ex hacce ſententia conſequuntur; fuerunt tamen, qui diſcrimen aliquod hic inter vtrumque conſtitui poſſe putarunt. Qua de re quae mea ſit ſententia, expoſui in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, cap. II.* ad §. *V. p. 219. ſeqq.* Conferenda &, quae hac de re monet HENR. MORVS in *duarum praecipuarum atheiſmi Spinoziani columnarum ſubuerſione, tom. I. oper. philoſ. p. 629. ſeqq.* Exſtat & eiusdem HENR. MORI *cenſura philoſophiae teutonicae, ſiue epiſtola priuata ad amicum, quae reſponſionem complectitur, ad quaeſtiones quinque, de philoſopho teutonico Iacobo Boehmen, illiusque philoſophia,* ibid. *p. 531. ſeqq.* quam iterum ſub examen reuocauit IO. WOLFG. IAEGERVS, in *iudicio Henrici Mori de Iacobo Boehmio, publica diſputatione diſcuſſo & ventilato,* Tubingae 1708. 4. Hactenus commemoratis addendus adhuc IO. FRICKIVS, cuius & haud exigua in hocce certamine laus eſt, in *der grundlichen Vnterſuchung der vornehmſten Irrthümer Iac. Boehmens;* Vlmae 1679. 8. Mitto reliquos. Ex BOEHMII diſciplina prodiit IO. GEO. GICHTELIVS, nouae

Digitized by Google

nouae tamen & ipſe ſectae conditor. Qui enim placita eius ſequuntur, Gichtelianorum nomine veniunt. A BOEHMIO illos recte deriuari, vel inde patet, quod ſcriptis eius diuinam tribuant auctoritatem, eodemque cum ſcriptura ſacra loco habeant, immo omnino praeferant. Quae de illorum doctrina, deque GICHTELII ſcriptis, vti & illis, qui eos refutarunt, ſcitu digna ſunt, hauriri poſſunt ex IOAN. GEO. WALCHII *hiſtoriſcher vnd theologiſcher Einleitung &c. cap. VI.* ad *§. XV. p. 651.* Addenda, quae de iisdem commemorat ERN. SAL. CYPRIANVS in *continuat. compendii hiſtor. eccleſiaſt. Gothani*, *cap. VIII. §. II.*

Ex Germania dum in Belgium prouehimur, magna ſe nobis offert fanaticorum hominum turba. Et de anabaptiſtis quidem, ſeu Mennonitis, qui ex Germania eo delati, praecipuam ibi ſedem inuenerunt, iam antea diximus. Ex reliquis cumprimis adhuc commemoratu dignis DAVID GEORGII, ſiue IORIS, Delphenſis patria, ex qua eiectus Baſileae clam vixit, ibidemque anno 1544 ſupremum diem obiit. Nonnulli eum anabaptiſtis adnumerant; ſed ab iis reiectum potius ac reprobatum, conſtat ex iis, quae GOTTFR. ARNOLDVS refert, in *der Kirchen- vnd Ketzer Hiſtorie part. II. lib. XVI. cap. XXI. §. XLIV. p. 286.* qui tum ibidem, tum maxime *part. IV. ſect. II. num. XXXII. p. 232. ſeqq.* copioſiſſime de eo agit, vt ſimul eius innocentiam acriter propugnet. In priori quoque loco *§. L. p. 289.* ſcripta eius recenſet, inter quae eminet: *das Wunder-Buch, darinne das, was von der Welt an verſchloſſen, geoffenbahret iſt,* lingua belgica ab eo concinnatum, cuius eam editionem, quae anno 1551 in fol. ſine loci mentione prodiit, ipſemet poſſideo. Hiſtoriam GEORGII huius, itemque ſcripta pro illo, & contra illum edita recenſent IO. MOLLERVS in *iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricae part. II. cap. V. §. VIII. p. 116. ſeqq.* & *cap. VI. §. V. p. 141. ſeqq.* CASP. SAGITTARIVS, in *introduct. in hiſtor. eccleſiaſticam cap. XXXIII. ſect. XXVI. pag. 929. ſeqq.* & IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *ſupplementis* ad *h. l. p 678.* Inter eos, qui ex inſtituto hiſtoriam DAV. GEORGII ſcripſerunt, commendatur a nonnullis maxime IAC. STOLTERFOHT, paſtor Lubecenſis, cuius *hiſtoria von David Georgen, einen heilloſen Mann, vnd gotteslaeſterlichen Ertz-Ketzer, aus Iacobo Auguſto Thuano, Iobo Fincelio, Adamo Henrico Petri, Ioanne vnd Luca Oſiandro zuſammen gezogen, mit angefügten notis vnd Erinnerungen*, Lubecae prodiit an. 1635. 4. quamue integram fere exhibet CHR. THOMASIVS in *der Hiſtorie der Weisheit vnd Thorheit part. I. p. 63. ſeqq.* IO. DE LABADIE cum ſectatoribus ſuis, praecipue quidem ob ſeparatiſmum, quem vocant, ſeu Donatiſmum, male audit; ſunt tamen, qui in illorum ſcriptis quaedam, quae cum aliis fanaticis illis communia ſint, ſibi obſeruaſſe viſi ſunt. Ipſe DE LABADIE, gente Gallus, initio romanae eccleſiae ſacris addictus, Ieſuitarumque adſcriptus ſocietati, poſtea ad reformatorum ſe contulit caſtra, apud quos Montalbani, Geneuae & Middelburgi paſtoris munere functus eſt; eiectus autem ob ſingularia placita, ipſemet ſibi eccleſiam colligere coepit, cuius praecipua ſedes primum Altonae, deinde in Friſia fuit, donec inde diſperſi plerique Amſtelodamum ſe reciperent. Sectatores praecipui IO. DE LABADIE fuerunt PETRVS DE YVON, PETRVS DV LIGNON, HENR. atque PETRVS SLVTERI, & cumprimis eruditiſſima virgo ANNA MARIA SCHVRMANNIA, quorum, vt & ipſius DE LABADIE ſcripta dogmatico-apologetica, item ea, quibus SAM. MARESIVS, ANDR. ESSENIVS, IAC. BORSTIVS, IO. HVNDIVS, aliique, eos impugnarunt, recenſet IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtoriam Cher-*

Cherſoneſi cimbricae part. II. cap. V. §. X. p. 121. ſeqq. Addenda, quae de iis dicta ſunt in *der hiſtoriſchen und theologiſchen Einleitung &c. cap. VI.* ad *§. XII. p. 619.* Nonnulla, quae hiſtoriae Labadiſmi inſeruiunt, tradit ERN. SAL. CYPRIANVS in *continuat. compendii hiſtor. eccleſiaſt. Gothani c. VIII. §. IV. p. 273. ſqq.* Nefas autem eſſet, ANTON. BOVRIGNONIAM ſilentio hic praetermittere, cuius quippe in hocce hominum genere haud ignobile nomen eſt. Ea ab eccleſia pontificia, cui naſcendi illam ſors addixerat, non ad alios chriſtianorum coetus, quos omnes apoſtaticos eſſe credebat, tranſiit, ſed nouum quemdam gregem coëgit, qui eam ſupra humanam fere conditionem euexit, & tantum non diuinis proſequutus eſt honoribus. Patria, quae Flandria erat, relicta, anno 1668 Amſtelodamum ſe contulit, & inde anno 1671 in Holſatiam commigrauit, hereditatem, a CHRIST. CORDTIO in Nordtſtrandia ſibi relictam, aditura; ſed cum varia ibi experta eſſet fata, & nec Hamburgi, nec in Friſia orientali ſubſiſtere poſſet, Friſiam occidentalem petens, Franequerae an. 1680 viuis exemta eſt. Vitae ſuae hiſtoriam ipſamet *libris duobus* complexa eſt, quorum prior *vitam*, quam vocat, *interiorem*, poſterior *exteriorem* deſcribit. Excuſi ſunt cum anonymi continuatione, gallice Amſtelodami an. 1683. 8. & deinceps reliquis eius operibus additi. Exſtat etiam PETRI POIRETI epiſtola, gallice, de BOVRIGNONIAE vita, doctrina & ſcriptis, an. 1685 exarata, quam cum ſupplemento quodam exhibet PETRVS BAELIVS *dans les nouvelles de la republique des lettres an. 1685. menſ. April. artic. IX. p. 420. ſeqq.* & *Menſe Maio artic. VIII. p. 528. ſeqq.* Praeterea cum *actis eruditorum Lipſienſibus an. 1686. menſe Ianuar. p. 9.* recenſio operum eius, auctore viro ſummo VITO LVD. SECKENDORFIO, inſerta eſſet, in qua de dogmatibus & ſcriptis eius agebatur; PETRVS POIRETVS, cui ea diſplicuit, eodem an. 1686 *monitum neceſſarium* recenſioni huic oppoſuit, cui SECKENDORFIVS iterum, nulla tamen nominis ſui facta mentione, reſpondit, in *defenſione relationis de Antonia Burignonia &c.* Lipſiae 1686. 4. Iungenda & quae PETR. BAELIVS de BOVRIGNONIA differit, *diction. hiſtor. & crit. voc. Bourignon p. m. 683. ſeqq.* Plurima BOVRIGNONIA ſcripſit, quae iunctim tandem lingua gallicana excuſa ſunt Amſtelodami 1686, nouendecim voluminibus in 8. Multos autem quod nacta ſit ſiue cenſores, ſiue aduerſarios, eo minus mirandum, quod & cum aliis, qui in fanaticorum referuntur numerum, male illi conuenit. A IO. ROTHIO & QVIRINO KVHLMANNO alieno eam fuiſſe animo, antea iam obſeruauimus. Cum Amſtelodami degeret, antagoniſtas habuit PETRVM SERARIVM, chiliaſmi defenſorem, cui anno 1669 libellum oppoſuit, quo duodecim eius calumnias, quas vocat, repellere voluit; itemque Quakeros Amſtelodami commorantes, interque eos BENI. FVRLY, cuius libellum, *Bourignonia detecta* inſcriptum, & an. 1671 belgice editum, refutauit in *admonitione contra ſectam Quakerorum (aduertiſſement tegen de ſecte der Quakers;)* Amſtelodami an. 1672. 8. In Holſatia eam primum adortus eſt IO. BERCKENDAL, faber in eccleſia Altonauienſi illitteratus, gemino libello, cui opus, germanica lingua conſcriptum, oppoſuit: *Gezeugnis der Wahrheit gegeben durch eine groſſe Anzahl glaubwürdiger Leute in 24. Briefen, vnd 60. Teſtimonien, über das Leben, Sitten, Tugenden, vnd Schrifften Anton. Bourign. &c.* Huſae 1673. 8. Labadiſtae denique cum fruſtra eius amicitiam ambiiſſent, PETRVS YVON contra eam edidit, *kurtzen Begriff der gottloſen vnd irrigen Reden vnd Saetze in Ant. Bourignons Licht der Welt, vnd Grabe der falſchen theologie,* Altonae 1673. 8. Ex noſtratibus vero cum-

eumprimis commemorandus eſt GEO. HENR. BVRCHARDVS, vtpote qui publicae luci expoſuit *chriſtliche Anmerckungen über die groben Irrthümer Anton. Bourignon in ihrem Gezeugnüs der Wahrheit, vnd andern Schriff.en*, Sleswigae anno 1674. 4. Quae BOVRIGNONIA ad hocce ſcriptum regeſſit, quaeue illi repoſuit BVRCHARDVS, legi poſſunt apud IO. MOLLERVM, qui & reliqua contra illam, aut pro eius defenſione in lucem emiſſa, commemorat; in *iſagog. in hiſtor. Cherſon. cimbr. part. II. cap. VI. §. VII. pag. 151.* Conferenda &, quae dicta ſunt *in der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. VI.* ad *§. XII. p. 620. ſeqq.* Plurimos autem licet BOVRIGNONIA ſcripſerit libros, paucos tamen habuit ſectatores. Multorum inſtar fuit PETR. POIRETVS; cui vt ingenium non defuit, ita vt ſpeciem quamdam tum ſuis, tum magiſtrae adſertis conciliaret, cunctaque apte inter ſe connecteret, nihil fecit reliqui. Eum non tantum *epiſtolam* de vita, doctrina & ſcriptis BOVRIGNONIAE, ſed & *monitum neceſſarium* ad recenſionem operum eius, quae in *actis eruditorum Lipſienſibus* exſtat, edidiſſe, antea obſeruauimus. Nunc addendum, quod in *commentariolo de vita & ſcriptis Poireti p. 23.* legitur: *verum cum id monitum ipſo abſente, ita ab aliis edendum curaretur, vt eius dicendi modos, neſcio quo zelo in duriores verterent, id, quantum ad dictionem, pro ſuo agnoſcere noluit.* Ex hoc ipſo autem *commentariolo*, qui in *operibus* eius *poſthumis praefationem* excipit, vitae non tantum eius, ſed librorum quoque, ac controuerſiarum, quae illi cum aliis interceſſerunt, hiſtoriam condiſcere licet. Iungendus HENR. LVD. BENTHEMIVS in *dem hollaendiſchen Kirchen - vnd Schulen - Staat part. II. cap. IV. p. 430. ſeqq.* Ad ſcripta POIRETI, quae huius loci ſunt, & in quibus ſuam ſententiam partim propoſuit, partim defendit, referre licet *cogitationes* eius *rationales de Deo, anima & malo*, an. 1677 primum editas, & an. 1685, itemque an. 1715, non ſine acceſſionibus quibusdam recuſas. Et vltima quidem editio aucta eſt diſſertatione noua *de duplici diſcendi methodo, altera emendationis, altera curioſitatis, deque ſimulato Petri Baelii contra Spinozae atheiſmum certamine.* Licet autem auctor hypotheſes ſibi proprias in hocce quoque opere admiſceat, quaedam tamen lectu digna in eo occurrere, negari nequit; Spinociſmi cumprimis fundamenta ſolide deſtruit. Quae in *libris tribus de eruditione ſolida, ſuperficiaria & falſa*, itemque in tractatu iis praemiſſo, *de vera methodo inueniendi verum*, tradit, principiis ipſius itidem ſunt ſuperſtructa. Prodierunt primum an. 1692. 8. deinde ipſius auctoris cura correctiores locupletioresque recuſi ſunt 1707. Amſtelodami 4. in qua editione praeter eorumdem defenſionem contra GOTTL GERH. TITIVM, qui in *arte cogitandi cap. XIX. §. LXXII. ſeqq.* eos ad enthuſiaſmum fanaticum ducere adſeruerat, in altero volumine commentationes quaedam auctoris, alias iam editae, acceſſerunt, interque eas libellus *de educatione liberorum*, quem apud Hamburgenſes maximas excitaſſe turbas, notum eſt, cum *reſponſionibus ad oppoſitiones variorum*, miniſterii ſcilicet Hamburgenſis, ſpeciatim IO. FRID. MAYERI, itemque AVGVSTI PFEIFFERI; porro *irenicum vniuerſale, piis quibusque mentibus quarumcumque chriſtianiſmi partium accommodatum*, ex lingua gallicana in latinam ab amico quodam auctoris translatum. Comparet quoque hic iterum *theologiae myſticae, auctorumque praecipuorum, qui de ea ſcripſerunt, idea generalior*, de qua tamen iam alibi dictum. Subnectitur denique in fine *principiorum theologiae ſolidae ac interioris defenſio*, tum in *epiſtola* ad auctorem *bibliothecae vniuerſalis* (IO. CLERICVM) denuo recuſa, tum in *reſponſione* ad ea, quae Parrhaſius

(idem

(idem IO. CLERICVS) hac de re POIRETO oppoſuit, in qua & interpoſita legitur diſſertatio: *quomodo ſine critica poſſit ſcripturarum vera interpretatio & ſalutaris ſenſus acquiri?* Cumprimis autem adhuc commemorandi ſunt POIRETI *oeconomiae diuinae libri ſex*, gallice primum anno 1687 ſeptem tomis in 8. editi, deinde in linguam latinam conuerſi, & an. 1705 duobus voluminibus in 4. Francofurti, aut potius Lipſiae, euulgati, quippe in quibus plenum aliquod & integrum theologiae ſyſtema ex ſua & BOVRIGNONIAE mente exhibet. Auctor *commentarioli de vita & ſcriptis Poireti p. 25.* conqueritur, IO. CLERICVM in *bibliotheca* ſua *vniuerſali opus* hocce *talem in modum cauillatum eſſe, vt diſſimularet vel inuerteret eius contenta, vt ab eo, ſi poſſet, auerteret lectores, quamuis illic reperire ſit principia, quibus noua illa, quae cum Baelio ipſe & alii magno cum numero habuerunt certamina, de origine mali, de libertate &c. facillimo negotio diſſoluuntur.* Reſpondit vero POIRETVS CLERICO in *epiſtola* ad *auctorem bibliothecae vniuerſalis*, cuius iam antea mentionem fecimus. Nec tantum IO. CLERICVM, ſed & ex noſtratibus IO. WOLFG. IAEGERVM & IOACH. LANGIVM aduerſarios expertus eſt; illum quidem in *examine theologiae nouae, inprimis Poiretianae & Burignonianae &c.* cum acceſſionibus quibusdam recuſo Tubingae an. 1719. 12. hunc autem in *diſſertationibus anti-Poiretianis*, Halae anno 1719 & ſequentibus, editis. Verum & his, & CHRISTIANO quoque THOMASIO, iterum obuiam iuit POIRETVS in commentationibus, quae in *poſthumis* eius, Amſtelodami an. 1721. euulgatis, continentur. Nimirum cum in *praefatione*, primae librorum, *de eruditione ſolida, ſuperficiaria & falſa*, quae Francofurti & Lipſiae, ſeu potius Halae prodiit, editioni praemiſſa, THOMASIVS hocce opus commendaſſet; in *praefatione* alteri, quae ibidem lucem adſpexit, praefixa, quid in eo, ſpeciatim in *methodo inueniendi verum*, ſibi diſpliceret, teſtatus eſt. POIRETVS itaque *defenſionem methodi inueniendi verum contra Thomaſium* ſcripſit, in qua & contra auctorem libri *de libertate cogitandi*, itemque contra IO. LOCKIVM, diſputat; eaque in *poſthumis* exſtat, *p. 87. ſeqq.* Sequuntur ibidem *vindiciarum veritatis & innocentiae libri quatuor*, IAEGERO oppoſiti, in quorum *quarto, capite quinto*, etiam LANGII diſſertationes duas, *de ortu animae humanae a Deo, non per eſſentialem emanationem, ſed per creationem*, ſibi refutandas ſumſit. In *acceſſionibus* etiam, quae *poſthumis* additae ſunt, legitur: δωδεκαμεμψία *Langiana, in dodecade diſſertationum anti-Poiretianarum & ſimul anti-Socinianarum conſpicua, ſeu in dictas diſſertationes ſtricturae breues.* Auctor quoque *praefationis generalis, poſthumis* hiſce praemiſſae, POIRETI cauſſam contra THOMASIVM & IAEGERVM, cumprimis autem contra LANGIVM, acriter egit. Cumque in ipſo POIRETO, dum contra hosce aduerſarios ſuos diſputat, inſignem ſtili vehementiam obſeruare liceat; patet inde, facilius incommoda haecce, quae theologiam polemicam comitantur, & ſaepius iam notata ſunt, in aliis reprehendi, quam a nobis euitari. Certe cum iis, quae POIRETVS alibi inculcat, principiis non adeo hoc conuenire videtur. Inter ſectatores POIRETI referendus auctor libri *fides ac ratio collatae*, Amſtelodami anno 1707 cura & ſtudio ipſius POIRETI, & cum eiusdem praefatione editi. Contra IO. LOCKIVM is praecipue diſputat, ſed ita, vt principiis POIRETI vbique inſiſtat, & doctrinae eius quoddam velut compendium exhibeat. Conferendus auctor *commentar. de vita & ſcriptis Poireti §. LVII. p. 36.*

In Anglia cumprimis Quakeri ſeſe nobis offerunt, quippe quorum ibi quaerenda origo, licet deinde quidam in Belgium fe-

Digitized by Google

deratum, aliaque loca conceſſerint, hodie autem in Penſyluania praecipuam rerum ſuarum habeant ſedem. In hiſtoria eorum vtramque facit paginam GERH. CROESIVS, in *hiſtoria Quakeriana* Amſtelodami anno 1696. 8. primum edita, deinde an. 1704 recuſa. Ipſis ea non prorſus diſplicuit Quakeris, etſi *dilucidationes* in eam ſcripſerit, qui ex eorum fuit numero, KOHLHANSIVS, ſub PHILALETHAE nomine latitans, cui in adpendice nouae editionis CROESIVS nonnulla repoſuit. Anonymi *breuiarium hiſtoricum, de ortu & progreſſu Quakeriſmi, atque dogmatum eius*, gallice ſcriptum, editumque Coloniae 1692. 12. non magni momenti eſt. Iungere his licet IO. LASSENII *hiſtoriſche vnd ſchrifftmaeſſige Eroerterung der vor wenig Zeit in Engelland vnd Schottland entſtandenen neuen Secte der Quaker*, Ienae an. 1661. 8. itemque FRID. ERN. MEISSENI *Entwurf der Kirchen-Ordnung vnd Gebräuche der Quaker* Lipſiae 1715. 8. Conſulere quoque iuuabit ERN. SAL. CYPRIANVM in *continuat. compendii hiſt. eccleſ. Gothani cap. IX. p. 287. ſeqq.* Scripta Quakerorum, ex quibus genuina illorum haurienda eſt ſententia, exſtant varia, maximam partem lingua anglicana concinnata, quorum tamen nonnulla etiam in germanicam translata ſunt. Recenſet ea poſt EHREGOTT DAN. COLBERGIVM, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum cap. VII. §. VI. p. 302. ſeqq.* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. II. lib. III.* ad *§. XI. p. 377. ſeqq.* Omnium inſtar eſſe poteſt ROB. BARCLAIVS, in *theologiae vere chriſtianae apologia Carolo ſecundo magnae Britanniae regi oblata*, Amſtelodami 1676. 4. Compendium aliquod ex ea lingua germanica prodiit: *Catechiſmus oder Glaubens-Bekaentnüs, welches von der allgemeinen Verſamlung der patriarchen, propheten vnd apoſteln, in vnd vnter welchen Chriſtus furnehmlich das Wort geführet, gut geheiſſen iſt &c.* Amſtelodami an. 1679. 12. Iam ante BARCLAIVM GEORGIVS KEITHVS, magni quondam inter Quakeros vir nominis, ſed qui deinceps ſchiſmatis inter eos exorti auctor exſtitit, ſcriptis variis, dogmatibus illorum meliorem conciliare faciem adgreſſus eſt; qua de re legendus GERH. CROESIVS, *hiſtor. Quakerian. lib. II. p. 193.* KEITHVM huncce tandem ad eccleſiam anglicanam rediiſſe, notum eſt. Inter ſcripta Quakeris oppoſita haud vltimum eſt, quod nomine miniſterii Hamburgenſis IO. MVLLERVS edidit: *Quaecker-Greuel, das iſt, abſcheuliche, aufrühriſche, verdamliche Irrthumer der neuen Schwermer, welche genennet werden Quaecker, wie ſie dieſelbige in ihren Scartecken, Allarm, Standarte, Panniere, Koenigreich, Eckſt. in, vnd ſonſt ſchrifftlich vnd mündlich mit groſſen Aergerniß ausgebreitet;* Hamburgi 1661. 8. Quae a Quakeris ſcripto huic oppoſita, & quo pacto iterum repulſi ſint, refert IO. MOLLERVS in *iſag. ad hiſt. Cherſon. cimbr. part. II. cap. V. §. IX. p. 119.* vbi & alia, huc ſpectantia, adfert, quae legiſſe iuuabit. Praeclare praeterea in hocce cum Quakeris certamine ſe geſſerunt ANT. REISERVS, in *anti-Barclaio* Hamburgi an. 1683. 8. IO. CHR. HOLTZHAVSEN, *im teutſchen anti-Barclaio, das iſt, ausführliche Vnterſuchung der gantzen Quaeckerey vnd apologiae Roberti Barclaii*, Francofurti anno 1691. 8. IO. GVIL. BAIERVS noſter, in *collatione doctrinae Quakerorum & proteſtantium, vna cum harmonia errorum Quakerorum & heterodoxorum aliorum &c.* Ienae 1694. 4. item in *ſynopſi & examine theologiae enthuſiaſtarum recentiorum, ſeu Quakerorum, praecipue Roberti Barclaii &c.* quae ſex abſoluitur diſſertationibus, quamquam ſexta ad finem perducta non ſit; Ienae 1701. 4. IO. GEORG. NEVMANNVS, in *ſynopſi errorum fanaticorum, quos tremuli moderni fouent,*

Digitized by Google

ſouent, Wittebergae an. 1693. 8. SAM. SCHELGVIGIVS in *Quakeriſmo confutato*, cuius pars prior Francofurti & Lipſiae, aut potius Gedani prodiit anno 1696. poſterior an. 1699. 4. Reliquos, praeſertim Anglos, qui contra Quakeros ſcripſerunt, laudat CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad §. *XI. p. 376. ſeqq.* De ſocietate philadelphica, quam IANA LEADEA in Anglia condidit, & ad quam etiam IO. PORDAGIVS, ex variis libris aeque ac ipſa LEADEA notus, itemque THOM. BROMLEY referendi, idem vir doctiſſimus agit, & ſcripta, eo ſpectantia, recenſet *l. c. p. 381. ſeqq.* Conferendus de eadem ſocietate CHRISTIAN. EBERH. WEISMANNVS in *introduct. ad memorabil. eccleſ. &c. part. poſt. p. 1107. ſqq.*

Noui illi, vt vocantur, *inſpirati*, ſiue neo-prophetae Cebennenſes in Gallia orti, per Angliam primum, deinde & per Germaniam nominis ſui famam circumtulerunt, vbi & aliorum eiusdem generis hominum acceſſione numerus eorum auctus eſt. Summatim hiſtoria eorum exhibetur, indicatis ſimul ſcriptis praecipuis, aut ab iis, aut contra eos editis, a IO. GEORG. WALCHIO, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. VI. §. XVI. p. 652. ſeqq.* Ad hiſtoriam eorum ſpectant etiam IO. LYSII *wahrhaffte Erzehlung deſſen, was mit den inſpirirten zu Berlin vorgegangen*, Berolini an. 1715. 4. item CHR. HVBNERI *hiſtoriſche Nachricht von der zu Berlin bald entſtandenen vnd bald gedaempfften Quaeckerey der ſogenandten inſpirirten &c.* Berolini 1715. 4. Plurima etiam, hiſtoriam iſtorum hominum illuſtrantia, attingunt, qui eos ex inſtituto refutarunt, vt IOACH. LANGIVS, in *dem noethigen Vnterricht von vnmittelbahren Offenbahrungen &c.* Halae Saxonum 1715. 4. qui & *ſect. II. §. V. p. 97.* ſcripta nonnulla, in Anglia hac de re edita, recenſet; IO. MICH. HEINECCIVS, in *der ſchrifftmaeſſigen Prüfung der ſogenandten neuen propheten, vnd ihres auſſerordentlichen Zuſtandes &c.* itidem Halae an. 1715. 4. vbi & defenſores iſtorum hominum, MISSONVS, IO. LACY, & RICH. BVLKELEY refutantur; IO. GVSTAV. REINBECKIVS in *dem Vnterricht von noethiger Prufung der Geiſter*, Halae 1715. 4. cui praefationem praemiſit IOACH. LANGIVS, in qua ſcriptum ſuum antea laudatum contra inſpiratorum inſultus defendit, quamuis hi ne tum quidem conquieuerint, vti dictum in *der hiſtoriſch vnd theologiſchen Einleitung &c. l. c. p. 666.* MART. CHLADENIVS in *diſput. de inſpiratis ſine ſpiritu*; Wittebergae 1715. 4 quae nouae iterum cum IO. LYSIO controuerſiae occaſionem dedit, de qua ibidem actum, *p. 669.* Ex reformatis theologi Marpurgenſes BERNH. DVYSINGIVS & IO. SIGISM. KIRCHMEIERVS, inſpiratis hiſce ſe oppoſuerunt, ille in *der ſummariſchen Entdeckung derer vornehmſten irrigen, auch den Grund chriſtlicher Religion vmſtoſſenden Lehr-Puncten, welche von denen Franzoeſiſchen ſogenandten inſpirirten, als Vrhebern des in Teutſchland erregten inſpirations-Wercks, zum oeffentlichen Druck ſind befoerdert worden &c.* Marpurgi 1716. 4. hic autem in *diſquiſitione, de vnico fidei principio, verbo Dei, aliisque extra Dei verbum reuelationibus immediatis, atque in ſpecie etiam nonnullorum hodie, quos vocant, inſpiratorum enthuſiaſmis*; Marpurgi 1717. 4. Iungendus hiſce adhuc SAM. TVRRETINVS, cuius *preſervatif contre le fanatiſme*, hoc eſt, *προφυλακτικὸν contra fanaticiſmum, ſiue refutatio falſo ſic dictorum inſpiratorum vltimorum temporum*, Geneuae lucem adſpexit an. 1723. 8. Reliquorum, praeſertim ex Anglis, qui contra inſpiratos ſcripſerunt, notitiam ſuppeditabit CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *introduct. in hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata,*

ta, part. II. lib. III. ad *§. XI. pag. 385. ſeqq.*

Praeter inſpiratos iſtos, κατ' ἐξοχὴν ita dictos, & alii quam plurimi noſtra aetate exſtiterunt, qui fanaticorum auxerunt numerum, quorum alii itidem reuelationes diuinas iactitarunt, alii alloquium diuinum, quod verbum internum vocant, prae ſe tulerunt, alii omnes alias ſocietates ſacras faſtidientes, ab iis diſceſſerunt, ſibique res ſuas habere voluerunt, *ſeparatiſtarum* ideo nomen promeriti, alii aliud quid commenti ſunt, aut multa coniunxerunt παράδοξα, vt MAXIM. DAVTIVS, IO. TENNHARTVS, CHRIST. ANT. ROEMELINGIVS, & alii, quos omnes enumerare nimis longum foret. Sed reliquos vt ingenio, ita audacia & petulantia ſuperauit IO. CONR. DIPPELIVS, qui adſumto CHR. DEMOCRITI nomine, varios libellos, ad eccleſiae noſtrae dogmata euertenda, & profanorum hominum contemtui exponenda, vnice comparatos, edidit, qui iunctim tandem prodierunt, inſcripti: *eroeffneter Weg zum Frieden mit Gott vnd allen Creaturen.* Omnium copioſiſſime diligentiſſimeque eum refutauit FRANC. ALB. AEPINVS, in *compendio mataeologiae fanaticae recentioris, ex Io. Conradi Dippelii ſcriptis collecto, ac ordine ſyſtematico diſpoſito &c.* Roſtochii an. 1721. 4. cui & indicem librorum, a DIPPELIO editorum, ſubiunxit. Ad ſeparatiſtas etiam, aliosque, qui recentiori aetate in deuia prolapſi ſunt, conuincendos, ſpectat IOACH. LANGII opus, *die richtige Mittelſtraſſe* inſcriptum; quod quatuor abſoluitur partibus, quarum prima, ſeparatiſtis ſpeciatim oppoſita, Halae an. 1712. 4. altera enthuſiaſmum reiiciens, & Quakeros ſimul refellens, ibidem eodemque anno; tertia doctrinam de ſatisfactione Chriſti, contra DEMOCRITVM CHRISTIANVM, hoc eſt, HVTHMANNVM & PETR. POIRETVM vindicans, an. 1713, quarta denique, dogma de *Chriſto in nobis* recte explicans 1714 prodiit. Vltimo tandem loco etiam de chiliaſtis aliquid dici poſſet, cum plurimi ex fanaticis chiliaſmum cum reliquis erroribus ſuis coniungant, aut omnino fundamenti loco ponant; quamquam & nonnulli eumdem defendant, qui tamen cum fanaticis in reliquis non conſentiunt. Sed cum diutius hiſce immorari non liceat, conferre CHRIST. MATTH. PFAFFIVM iuuabit, in *introduct. in hiſtor. theolog. litter. notis ampliſſimis illuſtrata, part. II. lib. III.* ad *§. XI. p. 394. ſeqq.*

*** Maximae, quae inter chriſtianos regnat, corruptionis documentum eſt, quod cum atheis diſputandum ſit, quorum etiam nomen illis plane ignotum eſſe debebat. Hodie vero eouſque peruentum eſt, vt controuerſiae cum eiuſmodi monſtris, quibus nihil, niſi humana forma, relictum eſt, haud vltimam theologiae polemicae partem conſtituant. Ad hiſtoriam atheiſmi quod attinet, praecipua eius momenta me attigiſſe, puto, in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione,* per integrum *cap. I.* Exſtat vero etiam *hiſtoria atheiſmi breuiter delineata* a IENKINO THOMASIO, Altdorffi 1713. 8. Vniuerſam autem hiſtoriam litterariam atheiſmi, & capitum cum eo connexorum, plane exhauſit IO. ALB. FABRICIVS, in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptorum, qui veritatem religionis chriſtianae aduerſus atheos, Epicureos, deiſtas &c. lucubrationibus ſuis adſeruerunt,* Hamburgi 1725. 4. qui & ſpeciatim *cap. XII. p. 350.* eos recenſet, qui aut hiſtoriam atheiſmi illuſtrarunt, aut de natura indoleque eius, itemque cauſſis, ſimilibusque, commentati ſunt. Vt autem caute ac circumſpecte in hiſtoria atheiſmi verſemur, opera omnino danda, ne atheorum numerum ſine cauſſa, & citra omnem augeamus neceſſitatem. Certe qui vbique in Europa, Aſia, Africa, America atheos

ſibi inuenire videntur, vt aut mentis imbecillitatem produnt, aut ambigua vocis ſignificatione puerorum more ludunt; ita rei chriſtianae commodis parum conſulunt, certe atheis rem non adeo ingratam faciunt, qui in ipſa hominum, ita inſanientium, multitudine, impietatis ſuae aliquod inueniſſe praeſidium, ſibi perſuadebunt. Multo magis peccant, grauiſſimoque ſe obſtringunt crimine, qui viros innocentes ex mera ſuſpicione, aut verbis illorum perperam intellectis, in atheorum referunt numerum. Vt autem hac in re omnis confuſio, omnisque euitetur error, diſcrimen inter atheiſmum, qui in vera animi conſiſtit perſuaſione, & qui in quodam doctrinae ſyſtemate, ex quo per legitimam conſequutionem deduci poteſt, conſpicitur, probe obſeruandum. Ex eo enim, quod poſteriori modo atheiſmus alicui imputatur, nondum colligere fas eſt, eum in priori etiam ſenſu atheum eſſe. Fieri enim omnino poteſt, vt aliquis doctrinae aliquod ſyſtema foueat, quod ad atheiſmum ducit, vt tamen vera mentis perſuaſione atheus non ſit. Recte atque praeclare hoc obſeruauit ipſe PETR. BAELIVS in *diction. hiſt. & crit. voc. Spinoza p. 2774.* vbi de Cicerone diſſerit. Et ſane etiamſi cum ISAACO IAQVELOTIO, *diſſert. I. ſur l' exiſtence de Dieu cap. XI. p. 132.* adſerere nolim, libros *de natura deorum* a CICERONE, ad ſtabiliendum atheiſmum, ſcriptos eſſe; hoc tamen certum, eum ita in iis diſputare, vt prope ab atheiſmo abeſſe videatur. At cum alibi longe aliter loquatur, eum vera animi perſuaſione atheum fuiſſe, nemo dixerit. Addenda, quae ſupra hac de re diſputauimus *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXX.* Atque hinc patet, quo iure plerique veterum philoſophorum in atheorum referantur numerum. De vera animi perſuaſione ſi quaeratur, de pauciſſimis forte hoc adfirmare licebit. At ſyſtema doctrinae, quod ſequuti ſunt, ſi ſpectetur, plerorumque ita comparatum fuiſſe, negari nequit, vt iſtud atheorum ſuffragari impietati, iure cenſeatur. Immo cum omnes gentilium philoſophi in eo conſenſerint, materiam aeternam eſſe, & ſemper exſtitiſſe; praecipuum omnis atheiſmi eos admiſiſſe fundamentum, longe eſt manifeſtiſſimum. De Deo autem ipſo deinceps ita philoſophati ſunt, vt quidam ad atheiſmum accederent propius, alii ab eo longius recederent. Sed hoc copioſiusediſſerere, nunc non licet. Scripta recentiorum atheorum, certe praecipua, indicata ſunt in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione cap. I.* vbi & ſpeciatim de BENED. DE SPINOZA dictum, *§. XXVI. p. 163. ſqq.* De IO. TOLANDO, qui noſtra aetate reliquis impietatis & ſtultitiae palmam dubiam reddere voluit, ibidem *§. XXVII. p. 194. & ſeqq.* ſimulque de eius diſcipulo & ſectatore ANT. COLLINO, auctore *diſcurſus de libertate cogitandi*, verba feci. Addenda viri doctiſſimi IO. LAVR. MOSHEMII *commentatio de vita, fatis & ſcriptis Ioan. Tolandi*, eiusdem *vindiciis antiquae chriſtianorum diſciplinae &c.* Hamburgi 1722. 8. recuſis, praemiſſa.

Ad ſcripta, quibus atheorum impietas profligatur, veritasque in hocce doctrinae capite ſtabilitur, quod attinet, THOMAS quidem CRENIVS de eorum conqueritur paucitate. Cum enim dixiſſet, dolendum eſſe, theologos aliis laboribus ita detineri, vt infidelium, atheorum & Iudaeorum curam non eo, quo par eſt, ſtudio poſſint agere; addit: *Quamobrem & tam pauca, nec ſatis elaborata proteſtantium contra gentiles, atheos, deiſtas, naturales, iudaeos & ſemi-iudaeos, exſtant ſcripta, non quod ſummi noſtri viri rem non intelligant, aut tergiuerſentur, aut diffidant rebus ſuis, aut difficultatem metuant; ſed quod iuſtum tempus his rebus impendere nequeant. Enimuero ipſos licet addas, de veritate religionis chriſti-*

chriſtianae, ſcriptores, oppido paucos habemus contra gentes & atheos, qui pretium aliquod operae fecerint, & arma firma aptaque ſatis induerint; in praefatione, CHR. HELVICI *elenchis iudaicis*, cum aliis quibusdam Lugduni Batauorum an. 1702. 8. editis, praemiſſa, *p. 4.* Laudat deinde idem vir doctus nonnullos, qui contra atheos, gentiles, Iudaeos alioſque religionis chriſtianae hoſtes ſcripſerunt; quibus cum plurimi adhuc addi poſſint, & haud exiguus eorum ſit numerus, qui ſpeciatim atheorum impietatem profligarunt, vt ex eorum indice, quem IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptor. cap. XII. p. 341. ſeqq.* exhibet, patet, dubito, an iuſtas hodie de paucitate eiusmodi ſcriptorum conquerendi habeat cauſſas. Et licet non omnes, qui contra atheos in aciem prodierunt, eiusdem ſint generis; quosdam tamen tanto id feciſſe ſucceſſu, conſtat, vt ne minima quidem impietatis, aut excuſatio, aut πρόφασις, eiusmodi hominibus ſit relicta. Cum autem non vna ſit ratio exſiſtentiam Numinis demonſtrandi, nec vnum ſit atheorum genus, cum alii Ariſtotelicae, alii Stoicae, alii Epicureae philoſophiae ſyſtema ſequantur, alii denique Eleaticae ſectae placita reſuſcitauerint, quod BENEDICTVM DE SPINOZA feciſſe, conſtat; ne quid nunc de ſcepticis dicam; varias quoque ſcriptorum, qui in hocce campo ingenii periclitati ſunt vires, conſtitui poſſe claſſes, manifeſtum eſt. Atque ad modos quidem varios, exiſtentiam Numinis demonſtrandi, quod attinet, primo illi occurrunt, qui notitiam Dei innatam, omniumque cordibus inſcriptam, vrgent. Quam cum facilius aliquis in ſe ipſo experiatur, quam atheis, qui per ſummam ſtultitiam animum ad ea, quae in ſe ipſis, ſi vellent, ſentire poſſent, neganda & ſupprimenda obfirmarunt, perſuadeat; maiorem eius, vt quilibet ſe ipſum in iſta veritate confirmet, quam vt atheos refellat, vſum eſſe, exiſtimo; conferenda, quae dixi in *theſib. de atheiſmo &c. cap. V. §. I. p. 360. ſeqq.* Scriptores, qui de notitiis innatis egerunt, laudat IO. ALB. FABRICIVS *l. c. cap. XX. p. 464. ſeqq.* Spectat huc controuerſia de argumento REN. CARTESII, ab idea innata petito, cuius ſcriptores idem vir doctiſſimus laudat *l. c. cap. X. p. 325. ſeqq.* Quod ſi notitia iſta inſita contra atheos probanda ſit, non rectius fieri hoc poteſt, quam per vniuerſalem gentium conſenſum, de quo adeo, quae diſputari ſolent, attigi in *theſib. de atheiſmo &c. cap. V. §. I. p. 363. ſeqq.* Iungenda iterum, quae diligenter de iſto gentium conſenſu tradit IO. ALB. FABRICIVS *l. c. cap. VIII. p. 308. ſeqq.* Ad notitiam Dei, quam adquiſitam vocant, quod attinet, argumenta, quibus exſiſtentia Dei demonſtrari poteſt, ad tres commode claſſes reuocari poſſunt. Alia enim *phyſica* ſunt, *metaphyſica* alia, & alia denique *hiſtorica.* Phyſica ſunt, quae ab huius vniuerſi, corporumque omnium, quae in eo continentur, conſideratione deſumuntur. Si enim vaſtiſſimum orbis huius ambitum, ſi concinnum in innumerabili corporum numero & multitudine ordinem, ſi aptiſſimam diſpoſitionem, ſi ſingulorum ſtructuram, ita vtique comparatam, vt ne minima quidem pars ſuo deſtituatur vſu, & hinc, ad certum finem cuncta conſtituta, demonſtret, ſi haec omnia, inquam, rite & adcurate quis contempletur; eum aut ſapientiſſimum horum omnium conditorem agnoſcere, aut rationis vſu prorſus deſtitutum eſſe oportet. Cumque hocce argumentum & facilitate & iucunditate ſe commendet; paſſim viri doctiſſimi hoc ſibi tractandum ſumſerunt, quos inter vel maxime nominandus eſt FRANC. SALIGNAC DE LA MOTTE FENELON, qui ita in eo verſatus eſt, vt ſe ad captum quorumuis hominum adcommodaret, quod & inſcriptio libelli docet: *demonſtration de l' exiſtence*

Digitized by Google

exiſtence de Dieu, tirée de la connoiſſance de la nature, & proportionnée a la foible intelligence des plus ſimples. Prodiit is tum alias, tum & Amſtelodami 1713. 8. & in linguam anglicam & belgicam, immo & a IO. ALB. FABRICIO in germanicam conuerſus eſt; Hamburgi 1714. 8. Nec vltimo hic collocandus loco eſt IO. RAY, ob librum, *exiſtentia & ſapientia Dei, manifeſtata in operibus creationis*, inſcriptum, qui ex anglicana lingua in gallicanam translatus Vltraiecti, anno 1714. 8. & in germanicam a CASP. CALVOERIO conuerſus, notisque illuſtratus Goslariae 1717. 4. lucem publicam adſpexit. Quo luculentiora autem ſunt, quae iſta huius vniuerſi, ſtructurae cumprimis ſingulorum corporum, ſummam & infinitam ſapientiam arguentis, conſideratio, nobis ſuppeditat argumenta; eo magis mirandum, exſtitiſſe nonnullos, qui nodum in ſcirpo quaerentes, contenderent, non deeſſe atheis, quae excipere queant. Id enimuero egit vir celeberrimus CHRIST. WOLFIVS; quamuis non in hiſce ſolum, ſed in reliquis etiam argumentis, quibus exſiſtentia Dei contra atheos ſolidiſſime demonſtratur, aliquid, quod carperet, ſibi inueniſſe viſus eſt, vt orbi perſuaderet, vnicum illud, quod ipſe propoſuit, argumentum, vi & efficacia ſufficiente atheos conuincendi pollere; in *ratione praelectionum* Halae 1718. 8. edita, *cap. III. p. 154. ſeqq.* At recte alii obſeruarunt, quae in receptis iſtis argumentis vir ille doctus deſiderat, nullius plane eſſe momenti, adeoque firmo iſta conſiſtere talo, & inuicto ad atheorum repellendam impietatem pollere robore. Addiderunt, parum caute eum egiſſe, dum vim iſtorum argumentorum infringere conatus eſt; cum athei facile hac ratione in eam induci ſententiam queant, infirma omnia, parumque valida eſſe, quae pro Numinis adſtruenda exſiſtentia adferuntur. Certe minime illis ingratum eſſe, ſi quis iis aliquid ſuppeditet, quo argumenta validiſſima euidentiſſimaque eneruari poſſe videantur, (licet reuera non eneruentur) quilibet facile perſpicit. Ad argumentum autem, quo WOLFIVS vtitur, quod attinet, quodue a contingentia huius vniuerſi deſumtum eſt; illud, vti nouum non eſt, ita & in ſe ſpectatum, minime contemnendum; at prout cum aliis viri iſtius hypotheſibus connectitur, ita comparatum eſſe, vt iure in eo multa deſiderari queant, ab aliis abunde oſtenſum eſt. Idque cum & a me in *reſponſo* quodam obſeruatum eſſet, varia, vt hinc ſe expediret, commentus eſt; ſatis quidem infeliciter, vt ex duplici, qua ſcripta eius, mihi oppoſita, IO. GEORG. WALCHIVS excepit, apologia patet. Conferenda, quae de eadem re IOACH. LANGIVS diſputat, in *modeſta diſquiſitione noui philoſophiae ſyſtematis de Deo, mundo, & homine &c. cap. III. p. 190. ſeqq.* Alteram argumentorum, quibus exiſtentia Numinis demonſtrari poteſt, claſſem, occupant, quae *metaphyſica* vocantur, cuiusmodi ſunt, quae a motus origine, a dependentia rerum a ſuis cauſſis, a rerum creatarum contingentia, deſumuntur, & quae alia ſunt eiusdem generis; ſummatim a me expoſita in *theſib. de atheiſmo cap. V. §. III. p. 373. ſqq.* Laudandus hic cumprimis SAM. CLARCKIVS, qui ex eo, quod ſemper aliquid exſtitit, quodue id, quod ſemper exſtitit, non poſſit non eſſe ens immutabile & independens, reliqua omnia, quae ratio de Deo cognoſcere poteſt, ſumma euidentia deducit, & SPINOZAE, HOBBESII & TOLANDI cauillationes ſolide profligat. Liber eius *de exiſtentia & attributis Dei, de officiis religionis naturalis, & veritate religionis chriſtianae*, ex anglicana lingua in gallicam, a RICOTIERIO conuerſus, Amſtelodami prodiit an. 1717. 8. Pars etiam eius prior, quae de exſiſtentia & attributis Dei agit, in latinum ſermonem tranſlata eſt a IENKINO THOMASIO, & cum eiusdem

eiuſdem *hiſtoria atheiſmi breuiter delineata* publicae luci expoſita Altdorffi 1713. 8. Argumentorum hiſtoricorum quaenam in demonſtranda Dei exiſtentia ſit ratio, a me oſtenſum in *theſib. de atheiſmo cap. V. §. IX. p. 441. ſeqq.* Omnibus hic palmam praeripit ISAACVS IAQVELOTIVS, in *diſſertationibus de exiſtentia Dei, vbi veritas haecce demonſtratur, per hiſtoriam vniuerſalem de prima mundi antiquitate, per refutationem ſyſtematis Epicuri & Spinozae, & per characteres diuinitatis, qui in religione iudaica & introductione chriſtianiſmi deprehenduntur &c.* quae gallice ab eo ſcriptae Hagae Comitum editae ſunt, 1697. 4.

Ad omnes autem haſce demonſtrationes, licet certiſſimas, euidentiſſimasque, cum athei oculos claudant, & abſurdiſſima quaeuis potius, quam planam, & omnium mentibus ſe ingerentem veritatem admittere velint, ſimulque per ſummam imprudentiam miſeriae ſuae ipſimet auctores exſiſtant; recte id ſibi datum nonnulli crediderunt, vt, praeeunte ſcriptura ſacra, ſtultitiam eiusmodi hominibus exprobrarent. Hoc namque ex inſtituto egerunt RICH. BENTLEY in *ſtultitia & irrationabilitate atheiſmi &c.* qui quidem prorſus egregius liber ex anglicana lingua in latinam a DAN. ERN. IABLONSKI conuerſus, Berolini prodiit an. 1696. 8. IO. VLRIC. FROMMANNVS in *atheo ſtulto, ſiue ſtultitia atheiſmi, ex ſacra ſcriptura, probatiſſimis & recentioribus auctoribus ſub examen vocata & defenſa*, Tubingae 1716. 4. qui & varia, ad hiſtoriam atheiſmi ſpectantia, adſpergit; THEOD. VNDEREYCK, in *dem naerriſchen atheiſten &c.* Bremae 1689. 8. Propius adhuc cum eiusmodi humani generis monſtris congreſſi ſunt, qui ipſa illorum ſyſtemata, quae ad impietatem ſuam tegendam aut defendendam excogitarunt, euertere, ſuarum duxerunt eſſe partium. In id namque iſti impietatis magiſtri omnes ingenii vires intendunt, vt aliquod philoſophiae inueniant ſyſtema, per quod omnium, quae in hoc vniuerſo occurrunt, effectorum, ratio reddi queat, vt Deum admittere neceſſe non ſit. Ita namque proſcribere ex hocce mundo atque eliminare Deum volunt. Primum autem hic ſibi merito locum vindicat SAM. PARKERVS in *diſputationibus de Deo & prouidentia diuina*, Londini 1678. 4. excuſis. Cum enim *diſput. I* de philoſophis, praeſertim Graecorum antiquis, an vlli, & quinam, athei fuerint? diſceptationem inſtituiſſet, & THOM. HOBBESIVM cum EPICVRO facere demonſtraſſet, *diſput. III.* hypotheſes EPICVRI & CARTESII, de vniuerſi fabricatione, atheiſmo fauentes, euertit; *diſput. IV.* autem, dum mundum neque prorſus infectum, neque neceſſitate factum, ſed ſolo opificis conſilio exſtructum fuiſſe, demonſtrat, ARISTOTELIS cumprimis ſyſtema impugnat; tandemque *diſput. VI.* ſcepticorum & academicorum, rerum omnium certitudinem labefactare adnitentium, ſtoliditatem profligat. PARKERO iungimus IOACH. LANGIVM, vtpote qui cuncta, quae contra atheos diſputari ſolent, neruoſe complexus eſt in *cauſſa Dei & religionis naturalis aduerſus atheiſmum, & quae eum gignit, aut promouet, pſeudophiloſophiam veterum & recentiorum, praeſertim Stoicam & Spinozianam, e genuinis verae philoſophiae principiis methodo demonſtratiua adſerta*, Halae Saxonum 1723. 8. Quod ſi nunc ad eos, qui ſingula atheorum ſyſtemata deſtruxerunt, progredi vellemus, magnus ſeſe nobis dicendorum aperiret campus. Sed per ſumma ſolum rerum ire iuuabit capita. Ariſtotelicum atheiſmi ſyſtema delineaui in *theſib. de atheiſmo &c. cap. II. §. IX. p. 227. ſeqq.* Addenda, quae de atheiſmo ſtagiritae ſupra dicta ſunt *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXIII.* Cumque in hocce ſyſtemate mundi aeternitas, ſeu mundum, prout nunc eſt, ſemper

Digitized by Google

per exſtitiſſe, praecipuum momentum trahat; non alieni ab hoc loco ſunt, qui contra mundi aeternitatem diſputant, quorum nonnullos laudat IO. ALB. FABRICIVS *l. c. cap. XIII. p. 357.* Euidentiſſime mundi aeternitas refutari poteſt argumentis hiſtoricis, vti oſtenſum in *theſibus de atheiſmo &c. cap. V. §. IX. p. 441. ſeqq.* conf. & *cap. VI. §. III. p. 467. ſeqq.* EPICVRI ſyſtema exhibui in *theſib. de atheiſmo cap. II.* ad *§. IX. pag. 230. ſeqq.* & eius refutationem *cap. VI. §. V. p. 483. ſeqq.* Iungenda rurſus, quae IOAN. ALB. FABRICIVS de EPICVRI placitis adfert, ea nec pia, nec ſana eſſe, *cap. XIV. pag. 373. ſeqq.* qui & *cap. XVII. pag. 411. ſeqq.* ſcriptores recenſet, qui de prouidentia diuina egerunt, qui hic itidem in cenſum veniunt, cum, prouidentiam vel maxime ab Epicureis impugnatam, conſtet. De iisdem & ipſe copioſe diſſerui, & ad praecipuas illorum obiectiones reſpondi in *theſib. de atheiſmo &c. cap. VII. §. I. pag. 537. ſeqq.* Ibidem & contra PETRVM BAELIVM diſputaui, qui recentiori aetate in impugnanda prouidentia diuina omnem ingenii & eloquentiae vim exhauſit. Scripta, ad controuerſias Baelianas facientia, itidem recenſet FABRICIVS, *l. c. cap. XV. pag. 383. ſeqq.* Stoici atheiſmi delineationem in *theſibus de atheiſmo &c. cap. I. §. XVIII. p. 52. ſeqq.* eiusque refutationem *cap. VI. §. IV. pag. 475. ſeqq.* legere licet. Impugnarunt illum, quotquot humanae voluntatis libertatem adſeruerunt, & fati neceſſitatem reiecerunt, quorum haud exiguus eſt numerus. Magnam in iis enarrandis diligentiam poſuit IO. ALB. FABRICIVS *cap. XVI. pag. 393. ſeqq.* Exſtat etiam *theatrum fati, ſiue notitia ſcriptorum de prouidentia, fortuna & fato,* auctore PETRO FRID. ARPE, Roterodami 1712. 8. Spinociſmi ſummam lectorum oculis obtuli in *theſibus de atheiſmo &c. cap. I. §. XXVI. pag. 163. ſeqq.* fundamentorum autem eius euerſionem *cap. VI. §. VI. p. 495. ſeqq.* In priori loco *pag. 171. ſeqq.* eos etiam recenſui, qui calamos contra SPINOZAM ſtrinxerunt, eiusque & detexerunt, & refutarunt impietatem; quibus adhuc addi poſſunt, quos magno numero laudat IOAN. ALB. FABRICIVS *l. c. cap. XIII. pag. 357. ſeqq.* De iis, qui contra IO. TOLANDVM ſcripſerunt, legendus vir eruditiſſimus IO. LAVR. MOSHEMIVS in *commentatione de vita, fatis & ſcriptis Tolandi,* eiusdem *vindiciis antiquae chriſtianorum diſciplinae* praemiſſa; addenda &, quae dicta ſunt in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. VII.* ad *§. VI. p. 690.* Dogmata, cum atheiſmo coniuncta, aut ad eum ducentia, enarraui, in *theſibus de atheiſmo cap. III. p. 240. ſeqq.* eorumdem autem refutationem ſuppeditaui *cap. VII. pag. 536. ſeqq.* Inter ea haud vltimum eſt, quod athei quoque veritatem chriſtianae religionis in dubium vocent; quod tamen cum & alii faciant, deinceps hac de re dicetur. Prouidentiam diuinam eos adſtruere, qui contra Epicureos diſputant, antea iam monuimus. Reliqua itidem vir doctiſſimus, ſaepeque nobis iam laudatus, IOAN. ALB. FABRICIVS attingit; notitiamque auctorum, eo facientium, exhibet.

* *Naturaliſtarum* licet non vna eademque ratione ſumatur nomen, hic tamen eodem veniunt, qui religionem, quam vocant, naturalem, ſeu ea, quae ratio de Deo, rebusque diuinis dictitat, ad ſalutem conſequendam ſufficere contendunt. Dum ergo reuelationem non admittunt, vtpote qua ſibi opus non eſſe, exiſtimant; non poſſunt non ipſam religionem chriſtianam, quippe quae diuina reuelatione nititur, reiicere. Idq; eo magis, quod religionem omnis myſterii expertem cupiunt; cuiusmodi vera religio chriſtiana non eſt, cuius praecipuum in eo conſiſtit caput, quod aeternus Dei filius, ad hominum genus redimendum,

dum, humanam naturam induit, quod Paulus ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον adpellitat *I. Tim. III. 16.* Vnde, & quaenam iſtorum hominum de ſcriptura ſacra ſit ſententia, facile intelligitur. Hiſtoriae naturaliſmi lucem adfundit ADAM. TRIBBECHOVIVS, in *hiſtoria naturaliſmi, a prima ſua origine, ad noſtra vſque tempora per ſuas claſſes deducta*, a filio auctoris IO. TRIBBECHOVIO in lucem protracta, Ienae 1700. 4. Recte auctor hicce praeter gentilium philoſophos, & Mohammedanos, Socinianos etiam in naturaliſtarum numerum refert *cap. VII. & VIII.* Hi omnes enim in eo, quod caput cauſſae eſt, conſentiunt, nihil aliud, quam quod ratio dictitat, admittendum eſſe. Speciatim autem huc refert FRANCISC. PVCCIVM, THOM. CAMPANELLAM, EDVARDVM baronem HERBERTVM DE CHERBVRY, *cap. X. p. 47. ſeqq.* Nec vltimus inter naturaliſtas locus IO. BODINO tribui ſolet, ob *colloquium heptaplomeres de abditis rerum ſublimium arcanis*, de quo exſtat ſchediaſma eruditum & lectu dignum, ſimulque generatim hiſtoriam naturaliſmi illuſtrans, IO. DIECMANNI *de naturaliſmo cum aliorum, tum maxime Ioan. Bodini ex opere eius manuſcripto ἀνεκδότῳ, de abditis rerum ſublimium arcanis*, recuſum Ienae 1700. 4. De EDVARDO barone HERB. DE CHERBVRY, cuius haud ignotum inter naturaliſtas nomen eſt, legendus CHR. KORTHOLTVS *de tribus impoſtoribus magnis ſect. I. p. 4. ſeqq.* ERNESTVM, landgrauium Haſſiae, qui a noſtrae ad romanae eccleſiae caſtra tranſiit, in *catholico* ſuo, quem vocat, *diſcreto*, talia tradidiſſe, quae a naturaliſmo prope abſint, ſupra iam obſeruauimus, ad *§. praecedentem*, vbi & plura de eo diximus. IOAN. TOLANDVM atheis potius, quam naturaliſtis, adnumerandum eſſe, nemo, niſi cui plane ignotus eſt, dubitat. In libro tamen, *chriſtianiſmus myſterii expers* inſcripto, argumentum tractauit, quod naturaliſtis proprium eſt. Aliorum itaque in Anglia prouocauit calamos, qui dum religionem myſteriorum non expertem eſſe, nec expertem eſſe debere, probarunt, naturaliſmi ſimul labefactarunt fundamenta. Naturaliſtis porro illi omnes adſcribi poſſe videntur, qui gentilibus etiam, hominibusque adeo, nulla Chriſti ſeruatoris cognitione imbutis, ſi modo honeſte viuant, ſalutem aeternam denegari non poſſe, exiſtimant. Non vna tamen horum eſt ratio, nec vno eodemque omnes habendi ſunt loco. Quidam enim ob lumen aliquod ſubſtantiale, omnibus connatum, gentilibus quoque viam ad ſalutem patere, putant; vt nonnulli ex eorum numero, quos fanaticos adpellitant. Alii per gratiam quamdam Numinis, aut prouidentiam ſingularem, gentilibus ſalutem aeternam obtingere poſſe, contendunt, vt HVLD. ZWINGLIVS, MOS. AMYRALDVS, STEPH. CVRCELLAEVS, PETR. CHAVVINVS, aliique. Nonnulli denique gentilibus aditum ad ſalutem aeternam patefaciunt, eo quod ad eam conſequendam nulla reuelatione opus ſit, ſed ea ſufficiant, quae ratio omnes condocet; atque hi demum ſunt, qui naturaliſtarum nomine nobis veniunt, quamquam & illi, quos ſecundo loco commemorauimus, non procul hinc diſcedant. Conferenda, quae dixi in *animaduerſionibus in Petri Chauuini librum, de religione naturali cap. I. §. II.* in *parerg. Hiſtorico theolog. p. 406.*

Quemadmodum autem BODINI naturaliſmum IO. DIECMANNVS in *ſchediaſmate* antea laudato profligauit; ita EDVARDVM baronem HERB. DE CHERBVRY refutauit IO. MVSAEVS noſter, in *diſſertat. de luminis naturae & ei innixae theologiae naturalis inſufficientia ad ſalutem.* Exſtat & FRID. RAPPOLTI *oratio contra naturaliſtas* in *operibus* eius, Lipſiae an. 1693. 4. editis *p. 1383. ſeqq.* Mitto reliquos, quorum haud pauci ſuperſunt, prae-

praeſertim ex Anglis, quibus cum TOLANDO, aliisque eiusdem generis hominibus dimicandum fuit, quos laudat IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentor. & ſyllabo auctorum &c. cap. XXII. pag. 475. ſeqq.* Referre autem huc etiam licet omnes eos, qui de neceſſitate reuelationis, cumprimis autem de veritate religionis chriſtianae, commentati ſunt. Ad hanc enim labefactandam naturaliſtae cum atheis conſpirant. Nonnullos, qui prius fecerunt, ſeu qui neceſſitatem reuelationis demonſtrarunt, idem, quem laudauimus, vir eruditiſſimus, commemorat *l. c. cap. XXV. p. 499. ſeqq.* Sed & qui ad poſterius animum ſuum adiecerunt, ſeu qui chriſtianae religionis veritatem adſeruerunt, diligenter enumerat *cap. XXX. p. 539. ſeqq.* quamquam totum illud, cuius hactenus non ſemel mentionem fecimus, opus huc comparatum ſit. Fuerunt tamen, qui iam antea in eiusmodi ſcriptoribus enarrandis ſtudium, diligentiamque ſuam collocarent. Cumprimis id CAROL. ARNDIVS fecit, in *ſyſtemate*, quod vocat, *litterario hiſtorico-pragmatico*, Roſtochii an. 1714. 4. edito, *ſect. III. ſubſect. I. pag. 122. ſeqq.* Deinde HOVTTEVILLAEVS abbas, libro ſuo *la religion chretienne prouvée par les faits*, hoc eſt, *religio chriſtiana probata per facta*, inſcripto, editoque Pariſiis anno 1722. 4. *diſcurſum hiſtoricum & criticum de de methodo praecipuorum auctorum, qui pro & contra chriſtianiſmum a prima eius origine ſcripſerunt*, praemiſit, in quo praeter veteres quosdam ex recentioribus PHIL. MORNAEVM, LVD. VIVEM, HVG. GROTIVM, BLASIVM PASCALEM, LAELIVM & FAVST. SOCINVM, BENED. SPINOZAM, IAC. BENIGN. BOSSVETVM, PETRVM DAN. HVETIVM, IAC. ABBADIE, CHOISEVL DV PLESSIS PRASLIN, epiſcopum Tornacenſem, HVG. FERRANDVM, PETRVM ALLIXIVM, P. LE VASSOR, FRANC. SALIGN. DE LA MOTTE FENELON archiepiſcopum Cameraçenſem, PETR. BAELIVM, & GOTTFR. GVIL. LEIBNITIVM recenſet. Plurimos itaque praetermiſit, quamquam nec illi conſtitutum fuerit, omnes enarrare. Nec eſt, quod eorum, de quibus verba facit, vel ſcriptorum, ab iis editorum, adcuratam hic exſpectes notitiam; ſiquidem generatim ſolum, idque interdum non ſine quadam ingenii & eloquentiae oſtentatione, ſententiam de iis pronuntiat. Ad ipſum autem HOVTTEVILLAEI opus quod attinet, methodum iſtam, religionis chriſtianae veritatem per facta, hoc eſt, per argumenta, quibus, quae ſcriptores ſacri noui teſtamenti de rebus a Chriſto ſeruatore geſtis, ſpeciatim de miraculis eius narrant, perque vaticiniorum complementa, extra dubium ponuntur, probandi, iam pridem alii, & ipſe quoque HVGO GROTIVS, ſequuti ſunt: auctor autem cuncta copioſius ediſſerit, & ad argumenta quoque, ſeu exceptiones naturaliſtarum, ſiue deiſtarum *lib. III. p. 333. ſeqq.* fuſe reſpondet. Nonnulli tamen ſibi obſeruaſſe viſi ſunt, eum in proponendis deiſtarum obiectionibus maiorem vim ingenii, quam in iisdem diluendis, demonſtrare. Multo magis quibusdam diſplicuit, quod *lib. I. cap. V. p. 24.* contra SPINOZAM diſputans, diſerte adſerit, per miracula ordinem naturae non tolli, aut immutari, ſed potius ea, ſecundum ipſum naturae ordinem, quamuis nobis non cognitum ſatis & perſpectum, fieri. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, reuera nulla dari miracula. Namque & SPINOZA, cum nulla miracula admitteret, immo ea inter *libera* referret, vt incautis fucum faceret, eiusmodi naturae effectus, quorum cauſſae nos latent, miracula vocauit. Sed alia adhuc in hocce HOVTTEVILLAEI opere occurrere, quae nonnulli non ſine cenſura dimittenda exiſtimauerint, patet ex libro, qui inſcribitur: *lettres de Mr. l'abbé -- a Mr. l'abbé Houtteville au ſuiet du livre de la religion*

ligion chretienne prouvée par les faits, Pariſiis 1722. 8. Conferre & iuuabit R. ISM. BEN ABRAHAM (vt vir quidam doctus vocari voluit) *iudaei conuerſi lettre a Mr. l' abbé Houtteville ſur ſon livre intitulé la religion chretienne prouvée par les faits*, Pariſiis an. 1722. 12. cuius ſumma exhibetur *dans le iournal des ſçavans 1723. menſe Ianuar. p. 14. ſeqq.* Ceterum omnes, qui de veritate religionis chriſtianae ſcripſerunt, enarrare, noſtri non fert inſtituti ratio; nec, vt huncce ſubeamus laborem, neceſſe eſt, cum eodem viri iſti docti, quos antea laudauimus, magna cum laude functi ſint. Ex veteribus praecipuos quosdam ſuo loco iam commemorauimus; ſed vt multa adhuc addi poſſe, lubentes fateamur, quae larga manu ſuppeditat IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentorum, & ſyllabo ſcriptorum &c.* per *quinque* integra priora *capita, pag. 42. ſeqq.*

Recentiorum cum multitudo ſit longe maxima, PHIL. tamen MORNAEVM atque HVG. GROTIVM dignos prae reliquis eſſe exiſtimo, quorum hic iniiciatur mentio, quamuis & IAC. ABBADIE iis adhuc addere liceat. Et MORNAEVS quidem ſuum, *de veritate chriſtianae religionis, aduerſus atheos, Epicureos, ethnicos, Iudaeos, Mohammediſtas, & ceteros infideles, librum*, gallice primum ſcripſit, deinde ipſemet in linguam latinam transtulit. Saepius hinc excuſus, & in alias quoque linguas conuerſus eſt; commendandam tamen praecipue eam editionem exiſtimo, quae cum notis IO. FRID. BREITHAVPTII, conſiliarii ſaxonici, Ienae an. 1696. 4. lucem adſpexit, qui & librum cum gallico exemplo contulit, & recentium auctorum, res easdem attingentium, loca adiecit. Multis autem eruditiſſimorum hominum elogiis licet cumulatum ſit hoc opus, & quidem merito; non tamen defuerunt, qui in eodem quaedam deſiderarent. Abiecte prorſus de eo ſentit PETRVS DAN. HVETIVS. Cum enim dixiſſet, poſtquam & ipſe chriſtianae religionis veritatem demonſtrare adgreſſus ſit, nullum omnino eiusdem argumenti opus, ſiue veteris, ſiue recentioris aeui, inacceſſum inexploratumque praetermittere ſibi conſtitutum fuiſſe; ita pergit: *Multum praecipue lucis & ſubſidii ſperaueram ex Philippo Mornaeo, qui ſatis luculento libro eamdem materiam ſibi ſumſerat illuſtrandam. Deus bone, quam falſa, & inani ſpe productus ſum! Vere enim pro theſauro carbones reperi, vt eſt in veteri prouerbio: vanas argumentationes & futiles; teſtimonia veterum temere collecta, vel perperam intellecta, vel mala fide ſubiecta; errores infinitos; vt liquido compertum mihi ſit, aliena cum inſtructum doctrina, acceſſiſſe ad has tractandas litteras; aliena quoque opera & legiſſe libros & ſcripſiſſe; & iam inde mirari deſierim, tam patentem reprehendendi ſui, palamque coarguendi, & conuincendi anſam cardinali Perronio eum praebuiſſe*; in *commentario de rebus ad eum pertinentibus lib. V. p. 280.* Verum recte MAGN. CRVSIVS pronuntiat, HVETIVM ita forte de MORNAEI hocce opere pronuntiaſſe, vt alterius famae detrahendo ſuam in eodem argumento adhibitam induſtriam, promeritamque gloriam aliquanto magis extolleret; in *ſingularibus Pleſſiacis pag. 263.* Iniquo HVETIVM in MORNAEVM fuiſſe animo, patet etiam ex eiusdem *Huetianis numer. LVII. p. 128. ſeqq.* HOVTTEVILLAEVS abbas plurima laude digna in hocce MORNAEI opere ſibi inueniſſe viſus eſt, primumque fuiſſe, ait, inter ea, quae momentum aliquod trahant, quod gallicana lingua comparuerit, quodue magna omnium adprobatione, idque merito, fuerit exceptum. Non omnibus tamen hodie ſe probaturas, putat, longas & frequentes citationes philoſophorum, oraculorum & poëtarum gentilium, ad probandum peccatum originale & myſterium trinitatis. Eiusmodi enim ambiguis teſtimoniis dogmata iſta ho-

Digitized by Google

hominibus incredulis perſuaderi non poſſe. Diſputationem quoque MORNAEI contra idololatriam, ſuperuacaneam eſſe, putat, cum hodie nemo exſiſtat, qui eam defendat. Rectius eum laborem & tempus collocaturum fuiſſe, ſi in fundamentis, quibus chriſtianae religionis veritas innititur, certitudine hiſtoriae ſacrae & factis praecipuis euangelii confirmandis, maiorem induſtriam adhibuiſſet. Reſurrectionis Chriſti vix leuiter mentionem a MORNAEO fieri, quae tamen praecipuum caput ſit, cui vel maxime inſiſtere debeat, qui religionis chriſtianae in ſe ſuſcipit defenſionem; in *diſcurſu hiſtorico & critico &c. pag. 149.* At haec vt maximam partem ita comparata ſunt, vt ad ea haud difficulter pro MORNAEO aut defendendo, aut excuſando reſponderi queat; ita ipſi HOVTTEVILLAEO ſimilia, aut omnino grauiora obiici poſſe, patet ex iis, quae antea de eo obſeruauimus. Id tamen & aliis diſplicuit, quod MORNAEVS myſterium trinitatis ex ipſa ratione & teſtimoniis Platonicorum probare voluit. Multo autem magis hac in re peccauit PETR. DAN. HVETIVS in *quaeſtionibus Alnetanis*, dum omnia chriſtianae religionis capita gentilium ſcriptorum teſtimoniis comprobare conatus eſt; quae tamen ſi adcuratius examinentur, patebit, auctores iſtos nihil minus dicere, quam HVETIVS iſtis tribuit. De MORNAEI autem hocce opere plura dabit, quem iam laudauimus, MAGNVS CRVSIVS *l. c.* vbi & varias eius editiones ac verſiones indicat. Iam ad HVGON. GROTIVM quod attinet, quanam is inductus ratione ſit, vt egregium iſtum *de veritate chriſtianae religionis* libellum conſcriberet, ipſemet ita exponit: *Propoſitum mihi erat, omnibus quidem ciuibus meis, ſed praecipue nauigantibus, operam nauare vtilem, ut in longo illo marino otio impenderent potius tempus, quam, quod nimium multi faciunt, fallerent. Itaque ſumto exordio a laude noſtrae gentis, quae nauigandi ſolertia ceteras facile vincat, excitaui eos, vt hac arte, tanquam diuino beneficio, non ad ſuum tantum quaeſtum, ſed & ad verae, hoc eſt chriſtianae religionis propagationem vterentur. Neque enim deeſſe materiam, cum per longinqua itinera paſſim incurrerent, aut in paganos, vt in Sina & Guinea, aut in Mohammetiſtas, vt ſub imperio Turcae, Perſae, & Poenorum; tum vero Iudaeos, & ipſos iam chriſtianiſmi profeſſos hoſtes, diſperſos per maximas partes terrarum orbis; neque deeſſe impios, qui abditum metu venenum ex occaſione apud ſimplices prodant; aduerſum quae mala optare me, vt recte armati ſint noſtrates, & qui ingenio praeſtant, incumbant pro virili reuincendis erroribus, ceteri ſaltem id caueant, ne ab aliis vincantur; lib. I. §. I. p. m. 3.* Nimirum belgico primum carmine, cum Loewenſteinii captiuus teneretur, an. 1620 opus hocce praeſtantiſſimum GROTIVS compoſuit; deinde in gratiam HIER. BIGNONII latine vertit, in qua lingua primum anno 1627 ſine notis, & cum notis 1640. 12. Pariſiis prodiit, ſaepiſſimeque deinceps recuſum fuit. Editiones & verſiones adcurate recenſet IO. ALB. FABRICIVS *l. c. cap. XXX. p. 549. ſeqq.* Legenda &, quae de quibusdam verſionibus obſeruat PETR. BAELIVS in *diction. hiſt. & crit. voc. Grotius p. m. 1403.* Praeſtantiſſima omnium editionum eſt, quae non ita pridem opera & ſtudio viri clariſſimi IO. CHRISTOPH. KOECHERI in lucem emiſſa eſt Ienae 1726. 8. quippe qui, vt non tantum ipſius GROTII verba a mendis quam plurimis purgata, ſed & loca veterum, ab eo adducta, quam adcuratiſſime exhiberet, omnem adhibuit diligentiam, nec vlli labori pepercit. Notas ac diſſertationes doctorum virorum peculiari volumine complectetur, propediemque luci publicae itidem exponet. IO. HENICHII librum, *de veritate religionis chriſtianae*, Rinthelii anno 1667. 12. editum, in quo, quae

Digitized by Google

quae GROTIVS de hocce argumento ſcripſit, vberius illuſtrantur, PETR. BAELIVS, ceu ſupplementum aliquod libri Grotiani, commendat; ſimulque obſeruat, fuiſſe qui adſererent, GROTIVM praecipua pro chriſtianae religionis veritate argumenta ex neſcio quo ſcriptore arabe deſumſiſſe; in *diction. hiſt. & crit. voc. Henichius*, *p. m. 1512.* Sed ineptam eſſe hancce plagii adcuſationem, quilibet facile intelligit. Quod quaedam parum ſana, & ex Socini diſciplina hauſta, GROTIVS inſperſerit, SAM. MARESIO viſum, cuius vti & NIC. VEDELII, itidem quaedam reprehendentis, verba recitat THOM. CRENIVS, *animaduerſion. philologic. & hiſtoric. part. VIII. p. 204.* Quidquid eius ſit, IO. CLERICVM, virum cetera doctiſſimum, in *diſſertatione de eligenda inter diſſentientes chriſtianos ſententia*, quam ſuae libri huius Grotiani editioni, quae Amſtelodami, 1709. 8. prodiit, ſubiunxit, talia tradere, quae illis, qui religionum quamdam ἀδιαφορίαν ſtatuunt, & de quibus mox plura dicemus, haud ingrata eſſe poſſunt, a me iam oſtenſum, in *diſſertat. de orig. dignit. & vſu nominis chriſtiani*, *§. XXXI.* in *ſyntagm. diſſertation. theolog. p. 441.* MORNAEO atque GROTIO antea iunximus IAC. ABBADIE. Nec ſine ratione. Liber enim iſte, ſiue *tractatus de veritate religionis chriſtianae*, gallice ſcriptus, & Roterodami 1684, & 88, duobus voluminibus 8. editus, nec ſemel recuſus, magna omnium adprobatione exceptus, & iudice HOVTTEVILLAEO abbate, in *diſcurſu hiſtorico & critico p. 188.* tot doctorum virorum elogia conſequutus eſt, vt nihil iis addi queat. In germanicam quoque linguam translatus, & notis, ex recentiſſimis in hoc genere ſcriptoribus petitis, illuſtratus a C. L. BILLERBECKIO, prodiit Francofurti 1713, & iterum Lipſiae 1721. 4. Idem interpres doctiſſimus praefationem praemiſit lectu dignam, in qua inter alia & de auctoribus praeſtantiſſimis, qui in eodem argumento ingenii vires periclitati ſunt, PHIL. MORNAEO, HVG. GROTIO, BLASIO PASCALI, PETRO DAN. HVETIO, IS. IAQVELOTIO, BENED. PICTETO, IOAN. CLERICO, ceteriſque diſſerit.

** Illorum, qui ἀδιαφορίαν quamdam in religionis negotio admittunt, & hinc *indifferentiſtarum* nomine veniunt, non vnum genus eſt. Quod haud perfunctorie obſeruandum, ſi in hiſce rite verſari controuerſiis velimus. Namque & ipſi athei, cum reuera nullam religionem admittant, haud raro tamen externam cuiusdam prae ſe ferant (quamquam per turpiſſimam hypocriſin) ſpeciem; perinde vtique illis eſſe poteſt, quamcumque ad iſtam impietatem ſuam tegendam eligant. Hinc auctor *meditationum philoſophicarum, de Deo, mundo, homine*, atheorum facile impudentiſſimus: *Colo Deum talem, qualem princeps vel reſpublica me iubet. Si turca, alcoranum; ſi iudaeus, vetus teſtamentum; ſi chriſtianus, nouum teſtamentum veneror, pro lege & religionis meae norma. Papa ſi imperans, Deum credo transſubſtantiatum; ſi Lutherus, Deus mihi particulis in, cum & ſub, circumuallatur; ſi Caluinus, ſignum pro Deo ſumo. Sicque cuius regio, in qua viuo, eius me regit opinio &c. cap. I. §. XXI. pag. 17.* Talis eſt atheorum indifferentiſmus. Vt autem eiusmodi homines eo facilius impunitatem impia ſua dogmata propagandi impetrent, aliis perſuadere adnituntur, perinde eſſe, quid de Deo, deque rebus diuinis ſentias, & ita in eiusmodi indifferentiſmo atheiſmi praeſidium quaerunt. Hinc nihil magis agunt, quam vt ſentiendi philoſophandique libertatem inculcent; quod & ipſe SPINOZA egit, in *tractatu theologico-politico*, quo probare voluit, *libertatem philoſophandi non tantum ſalua pietate, & reipublicae pace poſſe concedi, ſed eamdem niſi cum pace reipublicae*

cae

Digitized by Google

cae ipſaque pietate, tolli non poſſe; refutatus ideo a beato IO. MVSAEO noſtro, in *diſſert. de libertate philoſophandi, Spinozae tractatui theologico-politico &c. oppoſita.* Atheorum huncce recentiori aetate principem imitatus eſt ANTON. COLLINVS, qui & quantum ex diſciplina magiſtri ſui IO. TOLANDI profecerit, demonſtrauit, in *commentatione de libertate cogitandi*, anglice concinnata, ſed in linguam gallicanam conuerſa, editaque Amſtelodami an. 1714. 8. Refutauit eam praeter alios IO. PETR. DE CROVSAZ, in *examine tractatus de libertate cogitandi*, gallice ſcripto, & Amſtelodami 1718. 8. edito. Eos, qui inter Anglos eidem auctori ſe oppoſuerunt, indicat IOAN. ALB. FABRICIVS *l. c. cap. XXIII. p. 488.* Praecipua iſtius rei momenta & ipſe attigi, in *commentatione theologica de libertate cogitandi* Ienae 1714. 4. Ab atheis non procul in hocce capite diſcedunt naturaliſtae. Indifferentiſmum plerumque cum naturaliſmo coniunctum eſſe, docet ADAM. TRIBBECHOVIVS in *hiſtoria naturaliſmi cap. IX. p. 42. ſeqq.* Nimirum cum naturaliſtae nullam religionem reuelatam admittant, non poſſunt non omnes ſectas, quae reuelatione quadam nituntur, vno eodemque loco, hoc eſt, pro talibus, quae miſere decipiantur, habere. Dumque ipſi, qua externam profeſſionem, plerumque vnam ſequuntur; ſe turpiſſimos omnium mortalium hypocritas demonſtrant. Vt autem non exiguum eſſe naturaliſtarum numerum, qui adeo & hic locum inueniunt, ex antea dictis conſtat; ita ſpeciatim THOM. BROVNE ac libellum, *de religione medici*, lingua anglicana ab ipſo conſcriptum, in latinam autem a IO. MERRYWEATHER conuerſum, locum hic ſibi vindicare videtur. Certe in editione huius libri, quae Francofurti & Lipſiae an. 1692. 8. prodiit, in ipſa ſtatim fronte, *ſyncretiſmi vniuerſalis, immo craſſioris, hominem in quauis religione ſaluari poſſe, patronus*, ſalutatur. Atque paſſim etiam talia tradit, quae nullam hac ratione illi factam iniuriam, demonſtrant. Ad naturaliſtas vero eum etiam recte referri, inde colligas, quod *ſect. LIII. p. 296.* ethnicis etiam, qui honeſte vixerunt, ſalutem aeternam denegari non poſſe, contendit, quamuis ſimul eorum animos, in neſcio quo limbo, contineri, ſibi perſuadeat. Addenda, quae de eo diſputaui in *theſibus de atheiſmo &c. cap. I.* ad *§. XXVII. pag. 184.* Non errauero forte, ſi huc quoque retulerim auctorem libri: *penſées libres ſur la religion, l'egliſe, & le bonheur de la nation*, qui ex anglicana in gallicam linguam translatus, Hagae Comitum an. 1722 duobus voluminibus 8. prodiit. Quemadmodum enim indifferentiſmi veſtigia haud obſcura in eo hinc inde comparent; ita a naturaliſmo auctorem non adeo alienum eſſe, ex iis, quae *tomo I. pag. 105.* de myſteriis differit, colligas.

Praeter atheos & naturaliſtas, *ſceptici* quoque hic in cenſum veniunt. Hoc ipſo enim, dum nullibi certum aliquid inueniunt, aut ſibi inuenire videntur, non poſſunt non illis omnia eſſe ἀδιάφορα. Hinc non ſine ratione IO. ALB. FABRICIVS ſcepticos & indifferentiſtas coniungit, *l. c. cap. XXIII.* Quod ſi omnino eousque progrediantur, vt de exſiſtentia Dei dubitent, eodem ac ipſos atheos habendos loco, demonſtraui in *theſibus de atheiſmo &c. cap. II. §. IV. pag. 213. ſeqq.* quemadmodum & fundamenta atheiſmi ſceptici ibidem labefactaui *cap. VI. §. I. p. 457. ſeqq.* Commemorandus hic eſt PETRVS BAELIVS, qui, vt generatim Pyrrhoniorum ſeu ſcepticorum ſubinde ſubſcribere placitis videtur; ita ſpeciatim in *commentario philoſophico ſuper haec verba: compelle eos intrare*, vt tolerantiam diſſentientium eo magis ſtabiliat, dogmata, ſuper quibus diſputatur, ita comparata eſſe, contendit, vt

Digitized by Google

certi quid de iis definiri nequeat. Quo ipſo haud obſcure viam ad indifferentiſmum ſcepticum muniuit. Ab hiſce omnibus diuerſi ſunt, qui praeter naturalem, reuelatam quoque admittunt religionem, fatenturque, vnam quamdam ſocietatem ſacram ſeu eccleſiam, quae ceteris praeferatur, eligendam eſſe: reliquos tamen ſimul tolerandos, aut omnino in communionem eccleſiaſticam recipiendos, putant, eo quod errores eorum, non adeo noxii ſint, aut cum fide in Chriſtum conſiſtere queant. Idque cum nonnulli, qui ceteroquin noſtrae eccleſiae ſacra ſequuntur, de pontificiis ac reformatis, aut etiam tantum de reformatis adſerant, qui idcirco *ſyncretiſtae* vocari ſolent, de quibus & alibi dicetur; alii tamen ad omnes eos, qui chriſtianorum nomen profitentur, Socinianos etiam & antitrinitarios extendunt. Atque hi quidem ſunt, qui ſpecialiori quadam ratione *indifferentiſtae* vocari ſolent; itemque *tolerantes*, eo quod in diſſentientium, etiam eorum, qui dogmata chriſtianae religionis maxime capitalia labefactant, tolerantia modum excedunt. Interdum & *moraliſtae* adpellantur, quoniam, dum virtutis ſtudium vnice commendant, id agunt, vt aliis perſuadeant, de dogmatibus fidei neminem magnopere debere eſſe ſollicitum. Cum etiam, ad pacem & tranquillitatem conſeruandam hoc admodum conducere, credant, plurimaque ſe euitare exiſtiment incommoda; prudentiae quadam ſpecie valde ſibi adblandiuntur. Hinc & indifferentiſmus *religio prudentum* vocari ſolet, de qua exſtant FRID. ERN. KETTNERI *exercitationes hiſtorico-theologicae* Ienae an. 1701. 4. excuſae, quae hic merito locum ſibi vindicant. Nec ignotum hodie eſt *latitudinariorum* nomen, quo itidem indifferentiſtae, maxime in Anglia, deſignantur, ideo quod, quo pauciora, quae creditu ſint neceſſaria, conſtituunt capita, eo latiorem ad ſalutem reddere viam videntur. Quod quidem maxime innotuit nomen, cum PETRVS IVRIEVS librum: *La religion du latitudinaire* inſcriptum, & ELIAE SAVRINO maxime oppoſitum, Roterodami 1696. 8. edidiſſet, de quo ad §. *IX.* plura diximus. Exſtitit autem anonymus quidam, qui latitudinarios quodammodo defendere, & doctrinae illorum aliquod exhibere ſyſtema voluit, in *latitudinario orthodoxo*, Londini 1697. 12.

Ceterum ex eo maxime tempore indifferentiſmus, ſeu religio latitudinariorum, caput extulit, cum nonnulli ex remonſtrantium numero tolerantiam diſſentientium, vltra quam par eſt, extenderent; quos inter haud vltimus eſt HVGO GROTIVS, qui & ceteris velut exemplum aliquod praeiuit. Atque hunc, vt reliquos taceam, quemadmodum in aliis, ita & hac in re, ſequutus eſt IO. CLERICVS, vir cetera doctiſſimus. In *diſſertat. de eligenda inter diſſentientes chriſtianos ſententia*, quem HVG. GROTII libro, *de veritate religionis chriſtianae*, ſubiunxit, eum talia tradere, quae indifferentiſtae haud difficulter admittere queant, iam antea obſeruauimus. Nimirum eos *omnium puriſſime doctrinam chriſtianam profiteri & docere*, contendit, *qui ea tantum quaſi neceſſaria, de quibus conſentiunt chriſtiani, credenda, facienda, ſperanda, proponunt*; §. *IX.* Haec vero cum longe pauciſſima ſint, cumque omnia iſta capita, quae myſterium aliquod continent, minus ad fidem neceſſaria cenſeat; viam vtique latiſſimam ad ſalutem pandit, quod latitudinariorum eſſe, antea diximus. Immo cum hac ratione in omnibus ſectis inueniantur, quae ad ſalutem conſequendam ſufficiant; perinde tandem erit, cuicumque nomen addixeris. Eodem tendunt, quae idem vir clariſſimus inculcat, in libro, gallice ſcripto, *de incredulitate part. II. cap. IV.* §. *III. p.* 195. *ſeqq.* Cum etiam recentiori aetate in noſtra eccleſia non-

Digitized by Google

nonnulli zelum theologorum, nouis diſſentientium opinionibus ſeſe opponentium, neceſſarium vtique atque laudandum, licet interdum forte modum excedentem, ferre non poſſent; ad alterum extremum prolapſi ſunt, taliaque docuerunt, quae religionum indifferentiſmo patrocinarentur. Hiſce ergo praecipue ſeſe oppoſuerunt viri doctiſſimi GOTTL. WERNSDORFIVS, & IO. FECHTIVS; ille in *breui & neruoſa de indifferentiſmo religionum commentatione &c.* Wittebergae 1716, hic autem in *hiſtoria & examine nouae theologiae indifferentiſticae, ſiue religionis vniuerſalis*, quam poſt beati auctoris obitum filius eius GVST. FRID. FECHTIVS publicae luci expoſuit, Roſtochii 1721. 8. Vterque multa adfert, quae & hiſtoriae indifferentiſticae lucem adfundere queunt. Vterque etiam tum contra alios, tum maxime contra ERICI cuiusdam FRIEDLIBII ſchediaſma: *Unterſuchung des indifferentiſmi religionum, da man dafür haelt, es koenne ein ieglicher ſeelig werden, er habe einen Glauben oder Religion welche er wolle*, inſcriptum, diſputat, cuius verum auctorem non vtique ENNONEM RVDOLPH. BRENNEYSEN, vt vulgo ferunt, ſed iure conſultum quemdam, tum quidem Hallenſem, poſtea autem Gieſſenſem eſſe, mihi compertum eſt.

*** Ethniciſmum in ſubtilem & craſſum diſpeſcere licet. Ille in philoſophis gentilium conſpiciebatur, qui dum a ſuperſtitione vulgi ſe remouere volebant, aut in atheiſmum prolabebantur, certe ab eo non procul ſubinde aberant, aut quod Deo prorſus indignum erat, comminiſcebantur. Interdum tamen, praeſertim cum ſuo, quod animo conceperant, non adeo inſiſtebant ſyſtemati, de Deo, rebusque diuinis, talia proferebant, quae rectae rationi ſatis erant conſentanea, & ex quibus ſyſtema aliquod theologiae naturalis conficere licet. Idque praeter alios egit TOB. PFANNERVS in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris, qua, quam prope ad veram religionem gentiles acceſſerint, per cuncta fere eius capita, ex ipſis praecipue illorum ſcriptis, oſtenditur*, Baſileae anno 1629. 8. Enimuero caute hic incedendum, ne gentilibus temere aliquid tribuamus, quod a vera & genuina illorum mente abhorret, neue ex rationis lumine iis innotuiſſe credamus, quae ex ſola reuelatione nobis conſtant, alibi iam monuimus. Quantumuis autem pura etiam ſit, minimeque corrupta gentilium, prout rectae rationis nititur principiis, theologia; minime tamen & tum quoque ad ſalutem conſequendam ſufficit, quod contra naturaliſtas, de quibus antea dictum, oſtenditur, & quorum non alia, quam gentilium, rationis ductum ſequentium, eſt conditio. Quaenam ſpeciatim de praecipuorum philoſophorum gentilium theologia naturali obſeruanda ſint, iam indicauimus *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXX.* Craſſior ethniciſmus in turpiſſima illa, foediſſimaque idololatria, quae plebeiorum, hoc eſt, omnium fere, qui philoſophi non erant, animos occupauerat, deprehenditur. Et hunc nobis ante oculos ponunt, qui de origine, progreſſu, itemque natura idololatriae gentilium, expoſuerunt, vt GERH. IO. VOSSIVS, in praeſtantiſſimo opere *de theologia gentili, ſiue de origine & progreſſu idololatriae*, aliique, quos iam laudauimus, cum de hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti verba faceremus; addenda, quae diximus in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. per. I. ſect. II.* ad *§. XII. p. 241. ſeqq.* Vanitatem autem ſtultitiamque idololatriae gentilium abunde demonſtrarunt veteris eccleſiae doctores, dum ex inſtituto contra eos diſputarunt, & religionis ſimul chriſtianae veritatem adſeruerunt, quorum monumenta, huc ſpectantia, ſuo loco iam laudauimus. Id ſolum adhuc monendum, exſtitiſſe recentiori aetate, qui theologiam

Digitized by Google

veterum gentilium ad ſuas hypotheſes adcommodarent. Sic cum BALTH. BECKERVS & ANT. VAN DALE nullas ſpirituum operationes admittant, aut omnino eorum exſiſtentiam negent; in oraculis ſimilibusque gentilium inſtitutis, omnia maluerunt ſacerdotum fraudibus tribuere, quam concedere, daemonum malignorum hic interceſſiſſe operam. Hiſce itaque ab anonymo quodam oppoſitus liber eſt, inſcriptus: *idée generale de la theologie payenne, ſervant de refutation au ſyſteme de Mr. Becker*, Amſtelodami 1699. 12. Sed in theologia polemica non tam veterum, quam recentiorum ethnicorum, qui hinc inde adhuc in Aſia, Africa, America reperiuntur, in cenſum venit ſuperſtitio. Horum autem ſententiae adcuratius pernoſcendae itineraria, relationesque hiſtoricae, ſi modo eo, quo par eſt, ſtudio conſcriptae ſint, inſeruiunt. Plurima etiam, eaque minime contemnenda ſuppeditat ABR. ROGERIVS, in *der offenen Thüre zu dem verborgenen Heydenthum*, qui liber ex belgica lingua in germanicam translatus, cum obſeruationibus & additionibus lectu dignis CHRIST. ARNOLDI, in quibus religio & theologia gentium ethnicarum per Aſiam, Africam & Americam illuſtratur, prodiit Norimbergae 1663. 8. Varia etiam exſtant virorum doctorum ſcripta, quibus aut hiſtoria ethniciſmi traditur, aut qua dogmata, qua ritus moresque is delineatur, aut errores eumdem profitentium refutantur, aut denique ratio eos conuertendi, atque ad veritatis agnitionem perducendi, oſtenditur, ſiue coniunctim, vt in quibusdam, ſiue ſeorſim, vt in aliis, hoc fiat; cuiusmodi ſunt GEBH. THEOD. MEIERI, theologi Helmſtadienſis, *hiſtoria religionum chriſtianae, iudaicae, gentilis & Mohammedanae*, Helmſtadii 1697. 4. in cuius *cap. V. ſect. XVIII. p. 312.* religionis ethnicae hiſtoriam, ſed breuiter admodum, exhibet; CHRIST. KORTHOLTI *tractatus de religione ethnica*, *Mohammedica & iudaica*, Kilonii 1665. 4. IO. HOORNBEECKII, *de conuerſione iudaeorum & gentilium libri duo*, Amſtelodami 1669. 4. GISB. VOETII *diſſertat. de gentiliſmo & vocat. gentilium part. II. diſputat. ſelectar. p. 581o. ſeqq.* & alia. Gentilium vtique, qui hodie adhuc ſuperſunt, errores, perſpectos habere, rationemque ſolide eos refutandi, illos tenere decet, qui in iis conuertendis ſtudium operamque ſuam collocare ſecum decreuerunt, quos hodie miſſionarios vocare ſolent. Hoc vero vt difficile admodum, multisque cum incommodis coniunctum, ita longe pulcherrimum munus eſt, ſi quis eo recte fungatur; quod tamen ab iis, quos romana eccleſia ad varias gentes ablegare ſolet, non exſpectes, vtpote quibus non tam vera in Chriſtum fide imbuere miſeros, quam ad romani pontificis eos perducere obſequium, conſtitutum eſt. Teſtantur hoc omnes, qui norunt, quid iſti homines agant, luculentiſſimeque demonſtrauit vir eruditiſſimus MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROZE *dans l' hiſtoire du chriſtianiſme des Indes lib. IV. p. 334. ſqq.* alibique. Maiori candore ac ſinceritate, hinc & feliciori ſucceſſu, in iſto gentiles conuertendi negotio, verſati ſunt viri illi doctrina & pietate praeſtantiſſimi, qui auſpiciis potentiſſimi Daniae regis Friderici IV gentem malabaricam erudire, & ad Chriſti ſeruatoris cognitionem veram perducere, inſtituerunt, de quibus eumdem virum doctiſſimum LA CROZE *l. c. lib. VII. p. 520. ſeqq.* legiſſe poenitebit neminem. Conferenda de iisdem relatio, ſiue *Bericht derer koenigl. daeniſchen miſſionarien in Oſt-Indien*, cum continuationibus, quarum vigeſima, hoc ipſo, quo haec ſcribo, anno 1726 prodiit. Atque in hiſce vt alia quam plurima obſeruatu digna occurrunt, ita ex ſermonibus, quos miſſionarii, praeſertim beatus BARTH. ZIEGENBALG, cum gentilibus frequenter miſcuit, veram & ge-

Digitized by Google

& genuinam rationem cum iis diſputandi, eorumque errores ſolide refutandi, condiſcere licet. Interim ſiniſtra quorumdam iudicia inſtitutum hocce omni laude dignum effugere non potuit, quibus occurrere ſuarum duxit eſſe partium celeberrimi nominis theologus HENR. MVHLIVS, in *diſſertatione*, quae omnino huius loci eſt, *de conuerſione paganorum*, *ſigillatim illa, ſub potentiſſimi Daniae regis Friderici IV. auſpicio &c. inſtituta*, Kiliae 1717. 4.

* Quando nobis cum *Iudaeis* res eſt, non veteres illos, qui doctrinae, quam a Moſe & prophetis acceperant, puritatem conſeruarunt, ſed recentiores, qui denſiſſimis errorum & ignorantiae tenebris immerſi ſunt, intelligendos eſſe, res ipſa docet. Praeterea cum recentiorum Iudaeorum duae praecipue ſectae ſint, vna *rabbanitarum*, altera *karaeorum*, quae licet in eo conſentiant, Meſſiam, quem exſpectant, nondum veniſſe, in aliis tamen capitibus maximopere diſſentiunt; ad illos, ſeu *rabbanitas*, cumprimis in controuerſiis iudaicis, reſpiciendum eſſe, cum *karaei* rarius occurrant, monet IO. BENED. CARPZOVIVS, in *introduct. in theolog. iudaic.* RAYMVNDI MARTINI *pugioni fidei* praemiſſa, *cap. III. & IV. p. 7. ſeqq.* De karaeis, quam maxime obſeruatu digna, ſummatim expoſui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VII.* ad §. *XVIII. p. 1209. ſqq.* Quod ſi religio iudaica in ſe ſpectetur, remotis traditionibus, itemque ritibus, & caerimoniis, quibus homines plebeii capiuntur, in merum tandem deſinit naturaliſmum. Vt enim myſterii eſt expers, ita ſumma eo redit, vnum eſſe Deum, eumque vitae integrae ac ſanctae ſtudio colendum eſſe. Et cum eiuſmodi religione etiam ſpes Meſſiae ſeu regis, qui regnum aliquod externum erecturus ſit, optime conſiſtere poteſt. Non ergo errauerit, qui dixerit, eos Iudaeos, qui reliquis prudentiores ſunt atque perſpicatiores, meros eſſe naturaliſtas. Vt autem in controuerſiis, quae nobis cum Iudaeis intercedunt, rite verſemur; hiſtoriam eorum, & fata, quae ad noſtra vsque tempora ſubierunt, & quae ad hodiernum eorum ſtatum pertinent, cognita perſpectaque habere iuuabit. Auctores, huc facientes, ſupra iam commendauimus, interque eos cumprimis IO. IAC. SCHVDTIVM, virum recentiorum rerum iudaicarum peritiſſimum, cuius *memorabilia Iudaeorum*, ſiue *iudiſche Merckwürdigkeiten*, Francofurti 1714 & 18, duobus voluminibus in 4. edita, plurima continent, illis non negligenda, qui rite cum Iudaeis congredi cupiunt. Hoſtium enim conditionem adcurate noſſe decet, priusquam cum iis pugnam ineamus. Sequitur, vt ſcriptorum eiuſmodi nobis comparemus notitiam, ex quibus veram & genuinam Iudaeorum in dogmatibus fidei ſententiam, aut argumenta etiam, quibus contra chriſtianos pugnant, haurire decet. Hanc autem ſuppeditant, qui *bibliothecas rabbinicas* concinnarunt, quos iam laudauimus *lib. I. cap. IV.* ad §. *VI.* quos inter eminent IVL. BARTOLOCCIVS DE CELLENO, in *bibliotheca rabbinica magna*, & IO. CHRIST. WOLFIVS, in *bibliotheca ebraea*. Et hicce quidem vir eruditiſſimus, ac praeclare de ebraicis litteris meritus, *part. II. bibliothecae* ſuae *ebraeae lib. V. ſect. IV. p. 1048. ſeqq. ſyllabum iudaicorum ſcriptorum, qui religionem chriſtianam oppugnare auſi ſunt*, exhibet, cui & *ſect. V. p. 1053. apologias Iudaeorum pro gente & religione ſua* ſubiungit. Non tantum autem ea Iudaeorum ſcripta, quibus chriſtianam religionem oppugnant, ſed & quibus ſua dogmata exponunt, hic in cenſum veniunt, vtpote ex quibus genuinam illorum condiſcere licet ſententiam. Praecipua quaedam illorum ſcripta dogmatica indicaui in *introduct. ad hiſtor. philoſoph. Ebraeorum* §. *XXXII. p. 169. ſeqq.* Immo & eamdem

Digitized by Google

dem ob rationem huc quoque referendi ſunt libri illorum catechetici, cuiusmodi eſt catechiſmus ille R. ABRAHAMI BEN CHANANIA IAGHEL, לקח טוב *doctrina bona* inſcriptus, quem integrum cum verſione latina *introductioni* ſuae *in theologiam iudaicam* inſeruit IO. BEN. CARPZOVIVS *cap. IX. p. 45. ſeqq.* Ad ſcripta autem kabbaliſtica Iudaeorum quod attinet, ea hunc in polemicis vſum praebent, quod teſtimonia quaedam veritatis ex iis depromere liceat, quae Iudaeis recte opponuntur. Obſeruatum id iam ſupra *lib. I. cap. IV.* ad *§. VI.* vbi de iis verba fecimus. His ſi addendi, qui ex chriſtianis dogmata Iudaeorum exhibent, commendandam maxime putamus IO. HENR. MAII *ſynopſin theologiae iudaicae veteris & nouae, in qua illius veritas, huiusque falſitas, ex ſacro ebraeo codice, & ipſis iudaicae gentis ſcriptoribus, antiquis & nouis, per omnes locos theologicos, ſolide iuxta ac perſpicue oſtenditur,* Gieſſae Haſſorum 1698. 4.

Quae ex inſtituto chriſtianis a Iudaeis oppoſita ſunt ſcripta, enarrare, noſtri non fert inſtituti ratio. Suffecerit itaque ea ſolum indicare, quae IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS exhibet, in opere egregio: *tela ignea ſatanae, hoc eſt, arcani & horribiles Iudaeorum aduerſus Chriſtum Deum & chriſtianam religionem libri* ἀνέκδοτοι *&c.* inſcripto, editoque Altdorffi an. 1681. 4. Primum inter ea locum tenet R. LIPMANNI *carmen memoriale*, quo auctor, ſiue R. IOM TOV LIPMAN potiora libri *nizzachon* a ſe ſcripti, memoriae tribulium conſulturus, complexus eſt. Ipſum librum ניצחון *victoria*, ſiue *triumphus*, iam antea, an. 1644 ediderat THEODORIC. HACKSPANIVS cum *tractatu, de vſu librorum rabbinicorum*, inſtar prodromi apologiae, quam pro criſtianis contra LIPMANNVM ſcribere ſecum conſtituerat. Quo pacto HACKSPANIVS codicem iſtum libri *nizzachon* a Iudaeo quodam nactus ſit, legere licet apud GVST. GEORG. ZELTNERVM, in *vitis theologorum Altdorffinorum, p. 312.* Plura de hocce libro dabit IOAN. CHRIST. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. I. p. 735.* vbi obſeruat, cum praecipue quidem chriſtianis, ſimul tamen & atheis, ſadducaeis ac karaeis oppoſitum eſſe. Ad *carmen* autem illud *memoriale*, ſummam eius exhibens, quod attinet, illud primus in lucem protraxit WAGENSEILIVS, & confutationem eruditiſſimam ſubiecit. Sequitur liber *nizzachon vetus*, auctoris ignoti, qui LIPMANNO multo antiquior, vtpote quem ſaeculo duodecimo vixiſſe, inde WAGENSEILIVS in *praefatione* colligit, quod nullum hac aetate iuniorem ex rabbinis memoret, cum tamen antiquiorum quorumdam, & alicuius, qui vndecimo ſaeculo inter ſuos floruit, iniiciat mentionem. Librum huncce ex codice manuſcripto bibliothecae Argentoratenſis, quem SEB. SCHMIDIVS cum eo communicauerat, adiuncta verſione latina, WAGENSEILIVS edidit. Tertium in hac collectione locum occupat cinnus quidem ex duabus diſputationibus, quarum prior inter R. IECHIELEM & NICOLAVM quemdam, qui a Iudaeis ad chriſtianos ſeceſſerat, Lutetiae habita; poſterior vero inter R. MOSEN BAR NACHMAN Gerundenſem, & PAVL. CHRISTIANVM, ex Iudaeo chriſtianum, & RAYM. MARTINI, praeſente Iacobo, Tarraconenſis prouinciae rege, inſtituta fuit. At an haecce diſputationis iſtius acta, quae hic ſub NACHMANIDAE nomine exhibet WAGENSEILIVS, genuina ſint, & recte auctori huic tribuantur, dubitat IAC. BASNAGIVS; immo ea a Iudaeo quodam germanico recentiori conficta eſſe, coniicit, vt eo maiorem iis conciliaret auctoritatem; *dans l'hiſtoire des iuifs tom. V. lib. VII. cap. XV. p. 1762.* Obſeruatum hoc iam ſupra eſt, ad *§. VII.* huius capitis, vbi & de iſta diſputa-

putatione plura diximus. Quarto apud WAGENSEILIVM loco comparet R. ISAACI BEN ABRAHAM חזוק אמונה *munimen fidei*, cuius equidem IO. MVLLERVS, theologus Hamburgenſis, in *iudaiſmo detecto*, paſſim meminit, illudque ſubinde refellit, ſed WAGENSEILIVS primus ex codice manuſcripto, quo eum Septae, quae Africae vrbs eſt, commorantem, Iudaeus quidam donauerat, ebraice cum verſione latina edidit. De ipſo libro hocce WAGENSEILIVS ita pronuntiat: *Eſt vehementer dignum hoc munimentum, in cuius diſturbationem chriſtiani neruos intendamus noſtros, quando non exſtat aliud Iudaeorum in hoc infelici argumento ſcriptum, quod magis eos in erroribus ſuis confirmet, agnitionemque veritatis impediat.* Idque ſane viri quidam docti deinceps praeſtiterunt. BRANDANVS namque HENR. GEBHARDI, theologus Gryphiswaldenſis clariſſimus, edidit *centum loca noui teſtamenti, quae R. Iſaac ben Abraham in ſuo* חזוק אמונה *id eſt, munimine fidei deprauauerat, vindicata*, Gryphiswaldiae 1699. 4. Eumdem quoque deinceps laborem in variis diſputationibus academicis, quibus loca quaedam prophetarum, praeſertim Zephaniae, a prauis Iudaei iſtius vindicauit interpretationibus, continuauit. Praeterea eumdem aduerſarium ſibi oppugnandum ſumſit IAC. GOVSSETIVS, in *ternione controuerſiarum aduerſus iudaeos, in ſpecimen operis iam affecti, quo R. Iſaaci chiſſuck emunah confutatur*, Dordraci 1688. 8. Prodromus nimirum hicce fuit maioris operis, pleniorem eiusdem libri confutationem continentis, quod poſt auctoris demum obitum, lucem adſpexit, inſcriberiturque: *Ieſu Chriſti euangeliique veritas ſalutifera, demonſtrata in confutatione libri, chiſſuck emunah, in qua pleraque Iudaeorum aduerſus doctrinam chriſtianam argumenta, aut difficultates, pleraeque in noui teſtamenti loca cenſurae examinantur, ac diluuntur, & teſtimonia e veteri allegata vindicantur*; Amſtelodami 1712. fol. Mitto reliquos, qui hinc inde loca quaedam ex iſto iudaicae perfidiae *munimine* adcuratiori examini ſubmiſerunt. Agmen denique in collectione Wagenſeiliana claudit ספר תולדות ישו *liber generationum Ieſu*, ex horrendis ac abominandis blasphemiis totus compoſitus. Verſionem eius latinam iam a RAYM. MARTINI *pugioni* eius *fidei* inſertam, ex quo & PORCHETVS SALVATICVS vt multa alia, ita ſtygiam hancce fabulam in ſuam aduerſus Iudaeos commentationem transſcripſerit, quam & LVTHERVS ex PORCHETO germanicam fecerit, WAGENSEILIVS in *praefatione*, libro huic praemiſſa, obſeruat. Quae quousque admittenda ſint, docet IO. CHRIST. WOLFIVS *biblioth. ebr. lib. VIII. p. 1443.* Interim WAGENSEILIVS primus hunc librum ebraice cum verſione latina edidit, ſolidamque confutationem ſubiecit. IO. IAC. HVLDRICVS Tigurinus eiusdem commatis librum in lucem protraxit, qui itidem inſcribitur תולדות ישוע הנוצרי *hiſtoria Ieſchuae Nazareni, a Iudaeis blaspheme corrupta, ex manuſcripto hactenus inedito, nunc demum edita, ac verſione ac notis, quibus Iudaeorum nequitiae propius deteguntur, ac auctoris adſerta ineptiae ac impietatis conuincuntur, illuſtrata*, Lugduni Batauorum 1705. 8. Diuerſum eum eſſe ab illo, quem WAGENSEILIVS edidit, res ipſa docet, licet non ſit melior, mendaciisque impudentiſſimis ac blasphemiis exſecrandis totus ſcateat, indignus adeo, qui lucem adſpiceret, aut tam operoſe refutaretur.

Atque ita, dum praecipua quaedam Iudaeorum ſcripta, chriſtianis oppoſita, indicauimus, nonnullos ſimul, qui illorum impietatem profligarunt, commemorauimus. Sed horum ſuperſunt adhuc longe plurimi; eosque magno numero recenſent IO. BENED. CARPZOVIVS, in *introduct.*

in

in theolog. iudaic. RAYM. MARTINI *pugioni fidei* praemiſſa, *cap. XI. pag. 83. ſeqq.* THOM. CRENIVS in *praefatione*, CHR. HELVICI *elenchis iudaicis* praemiſſa; IO. ALB. FABRICIVS, in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptorum, qui veritatem religionis chriſtianae aduerſus atheos &c. adſeruerunt, cap. XXXI. p. 567. ſeqq.* IO. CHR. WOLFIVS *bibliothec. ebr. part. II. lib. V.* vbi *ſect. I. pag. 994. ſeqq.* ſcriptores anti-iudaicos graecos & latinos veteres, *ſect. II.* ſcriptores anti-iudaicos ex Iudaeis, veteres & recentiores, *ſect. III.* ſcriptores anti-iudaicos chriſtianos recentiores exhibet. Addi his poteſt CAROL. IOSEPH. IMBONATVS, Mediolanenſis, in *bibliotheca latino-ebraica, ſiue de ſcriptoribus latinis, qui ex diuerſis nationibus contra Iudaeos, vel de re ebraica vtcumque ſcripſere &c.* quae *bibliothecae magnae rabbinicae*, a BARTOLOCCIO non prorſus ad finem perductae, tomum vltimum conſtituit. In hocce autem auctore viri docti ἀκρίβειαν deſiderant. Nobis nihil aliud relictum eſt, quam vt eos, qui nobis prae reliquis ob ſeruatu digni videntur, paucis indicemus. Et veterum quidem praecipuos per ſingula fere ſaecula, vsque ad eccleſiae emendationem, ſupra iam ſuo loco commemorauimus. Ad recentiores autem, & noſtrae quidem eccleſiae theologos, qui hocce labore defuncti ſunt, quod attinet, haud vltimum inter eos locum tenet CHRIST. HELVICVS, theologus quondam Gieſſenſis, cuius *elenchos iudaicos*, alias iam editos, cum M. ANT. PROBI *oratione de monarchia regni Iſraëlis* & RAPH. EGLINI Iconii Tigurini, *hiſtoria captiuitatis babylonicae*, recudi curauit THOM. CRENIVS Lugduni Batauorum 1702. 8. Idem *notas* addidit, & *praefationem* praemiſit, in qua de ſcriptoribus, qui pro veritate religionis chriſtianae pugnarunt, differit. Neruoſe vtique & ſolide argumenta, quibus dogmata noſtra contra Iudaeos defendi ſolent, in hiſce HELVICI *elenchis* proponuntur & confirmantur, & ad exceptiones Iudaeorum reſpondetur. Non minus & ſingulare in hocce contra Iudaeos pro religionis chriſtianae veritate certamine conſequutus eſt decus IO. MVLLERVS, theologus Hamburgenſis, in *iudaiſmo detecto, oder ausfuhrlichen Bericht von des iüdiſchen Volcks Vnglauben, Blindheit vnd Verſtockung, darinnen ſie wieder die prophetiſchen Weiſſagungen von der Zukunfft, Perſon vnd Ampt Meſſiae &c. mit groſſen Ernſt vnd Eifer ſtreiten, aus der Rabbinen eigenen Schrifften, auch mundlichem Geſpraech der Iuden entdecket, vnd mit Grunden der heiligen goettlichen Schrifft wiederleget*, Hamburgi 1644. 4. Laudant hoc opus paſſim eruditi, quod & IO. MOLLERO in *homonymoſcopiae adpendice p. 951. liber auctoris huius* ἐξοχώτατος audit. Conferendus de eo & THOMAS CRENIVS, tum in *praefat.* antea laudata *pag. 47.* tum *animaduerſion. philolog. & hiſtor. part. VI. pag. 148.* LAVRENTII porro ODHELII, Sueci, exſtat *ſynagoga bifrons, ſeu de ſcrutandis collapſae ſynagogae ruderibus, diſſertatio*, Francofurti 1691. 4. in qua id praecipue agit, vt, ſynagogam iudaicam a veteri patrum doctrina defeciſſe, demonſtret, ſimul vero de legitimo ſcriptorum iudaicorum vſu differit, & varia, ad theologiam iudaicam ſpectantia, attingit. AVG. PFEIFFERI *mataeologiae iudaicae atque Mohammedicae principia ſublesta & fructus peſtilentes*, Lipſiae 1687. 8. exercitationes quasdam commodum aliquod in hiſce controuerſiis verſaturus adferentes continent, *quinta* tamen praecipue huius loci eſt, *obtrectator apella*, inſcripta, ſeu *calumniarum iudaicarum e ſcriptis praecipue talmudicis repetita recenſio.* Poſſem his addere diſſertationes quasdam, exquiſito ſtudio conſcriptas, IO. FRISCHMVTHI, IO. ANDR. DANZII noſtri, aliorumque virorum doctiſſimorum; ſed ad ſpecialia eiusmodi argumenta deſcendere non

Digitized by Google

non lubet. CASP. autem CALVOERIVM hic praetermittere nequeo, virum variis ingenii monumentis celebrem, cuius vt ſingulare, ita laudabile ſimul eſt inſtitutum. Vt enim ingenio Iudaeorum ſe attemperaret, lingua germanica, prout Iudaeis in vſu eſt, ea ratione, vt in altera paginae parte germanicis, in altera rabbinicis litteris exprimeretur, librum edidit inſcriptum: *Gloria Chriſti, das iſt, Beweisthum der Wahrheit chriſtlicher Religion wieder die Vnglaeubigen &c.* Lipſiae 1710. 4. In eo per modum dialogi, quae ad explicandam & confirmandam religionem chriſtianam, ſimulque ad refellendas Iudaeorum obiectiones faciunt, perſpicue & ſolide proponuntur, multaque ex talmude & ſcriptis rabbinicis ad eumdem finem producuntur. Subnexus etiam eſt catechiſmus iudaicus. Enimuero quod pleraque ſcripta, Iudaeis oppoſita, omni fructu careant, mirandum non eſt, eo, quod vtplurimum lingua latina compoſita ſint, aut germanica pura, typisque aut germanicis aut latinis exſcripta, adeoq; a Iudæis aut non leguntur aut non intelliguntur. Quod ſi vero dialecto illis vſitata, aut omnino lingua ebraeo-rabbinica concinnarentur, ac typis ebraicis excuderentur, ſpem vtique de commodo maiori, ad Iudaeos inde redundaturo, animo concipere liceret. Idem & cumprimis ab illis obſeruandum eſſet, qui catechiſmos in vſum Iudaeorum componunt, quamquam & a nonnullis iam recte obſeruatum ſit, quos IO. CHRIST. WOLFIVS recenſet, *biblioth. ebr. part. II. lib. V. ſect. IX. pag. 1065.* Inter eos, qui ex romanae eccleſiae addictis Iudaeos refutarunt, maxime memorabilis eſt PETR. GALATINVS, gente Italus, ex Iudaeo chriſtianus, idemque ordini Franciſcanorum adſcriptus. Nemini enim temere ignotum eſt opus illud, quo *arcana catholicae veritatis libris XII.* complexus eſt, *quibus pleraque* (hoc inſcriptio nos porro docet) *religionis chriſtianae capita contra Iudaeos, tam ex ſcripturis veteris teſtamenti authenticis, quam ex talmudicorum commentariis confirmare & illuſtrare conatus eſt.* Prodiit primum an. 1668, tum non ſemel, praeſertim Francofurti, & alias, & etiam anno 1672 cum IO. REVCHLINI *libris III. de Kabbala* recuſum eſt. Paſſim autem GALATINVS portentoſi plagii argui ſolet, eo, quod plurima aut ex PORCHETI DE SALVATICIS *victoria aduerſus impios Ebraeos*, aut ex RAYM. MARTINI *pugione fidei*, ceu primo fonte, depromſerit. Legendus hac de re IO. MORINVS *exercitat. biblic. lib. I. cap. II.* & IAC. THOMASIVS *de plagio litterar. §. CCCCXXXVI.* IOS. IVST. SCALIGERVM, dum idem GALATINI plagium *epiſt. XCIII.* alibique notare voluit, RAYM. DE SEBONDE cum RAYM. MARTINI turpiter confudiſſe, itidem viris doctis iam obſeruatum eſt. Eumdem autem errorem, SCALIGERI haud dubie veſtigia premens, errauit GABRIEL NAVDAEVS in *bibliographia politica pag. 528.* editionis THOMAE CRENII. Praeterea malae fidei adcuſatur GALATINVS, quod veterum ſcriptorum imitatione finxerit interdum quaedam, vel e libris ſuppoſititiis deſcripſerit; quorſum illud cumprimis pertinet, quod ex libro *reuelans arcana* inſcripto, quem omnino a rabbenu hakkadoſch, miſchnaioth compilatore, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum ſecundo vixit, profectum, nobis perſuadere voluit, eiusmodi pro chriſtianae religionis myſteriis profert, quae ab homine Iudaeo profecta, omnem prorſus fidem ſuperat. Hoc praeter alios obſeruat IO. BENED. CARPZOVIVS *introduct. in theolog. iudaic. cap. XII. pag. 102.* Sed addenda, quae hac de re diligenter diſſerit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. II. lib. VIII. pag. 1274.* qui & *part. I. p. 971. ſeqq.* reliqua de GALATINO obſeruatu digna ſuppeditabit: de quo & THOM. CRENIVS nonnulla collegit, ad GABR. NAVDAEI *bibliograph. polit.*

polit. l. c. Plures adhuc, qui de GALATINO agunt, laudat IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argument. & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. XXXI. p. 577. 578.* Ad reformatae eccleſiae theologos ſi nos conferamus, IO. HOORNBEECKIVS nobis occurrit, cuius *libri VIII pro conuincendis & conuertendis Iudaeis*, Lugduni an. 1655. 4. editi, iis, qui melioris in hoc genere ſunt notae, non ſine ratione adnumerantur. ANT. HVLSII *theologiae iudaicae liber I, de Meſſia Iudaeorum*, Bredae 1653. 4. lucem adſpexit publicam; dolentque viri docti, eum tam bene coepta perficere, atque ad finem perducere non potuiſſe. THOM. CRENII haec eſt ſententia in *praefat.* antea laudata *pag. 52.* NIC. VEDELII *libri II. de Deo ſynagogae contra Caſparem Barlaeum & eius vindicias &c.* Harderouici 1637. 12. editi, obſeruatu digni ſunt, quod CASP. BARLAEVS iis occaſionem praebuit. Hic namque, cum MENASSEH BEN ISRAEL librum ſuum *de creatione* ederet, carmen in eius honorem ſcripſit, quod hiſce clauditur verſibus:

Si ſapimus diuerſa, Deo viuamus amici,
Doctaque mens pretio conſtet vbique ſuo.
Haec fidei vox ſumma meae eſt, haec crede Manaſſe,
Sic ego Chriſtiades, ſic eris Abrahamides.

In hiſce cum nimis benigne de Iudaeo iſto ſentire, immo Iudaeos aeque ac chriſtianos, ſi modo recte viuerent, Deo placere, innuere videretur; haud mediocrem, & ſibi & aliis, ex ſchola Arminii conflauit inuidiam. Speciatim autem VEDELII in libro memorato acerrimam expertus eſt cenſuram, vtpote a quo Socinianiſmi, immo blaſphemiarum, poſtulatus eſt. Legendi hac de re HENR. LVD. BENTHEMIVS, in *dem holländiſchen Kirchen- und Schulen-Staat part. II. cap. IV. p. 347. ſeqq.* & PETRVS BAELIVS in *diction. hiſtor. & crit. voc. Barlaeus pag. 486.* PHILIPPVS equidem A LIMBORCH efficere voluit, ne ſibi aut remonſtrantibus obiici poſſet, quod BARLAEO exprobratum fuit, edita *de veritate religionis chriſtianae amica collatione cum Iudaeo* Goudae an. 1687. 4. Exhibentur in illa *collatione* tria ſcripta ab ISAACO OROBIO, Hiſpano, qui cum diu iudaiſmum diſſimulauerat, adeo vt in academia Salmanticenſi metaphyſices lectorem ageret, tandem inquiſitionis crudelitati vix ſubductus, & Amſtelodamum delatus, ibi circumciſus, & aperte iudaiſmum profeſſus eſt, pro iudaicae religionis defenſione compoſita, ſubiuncta ad ſingula copioſa reſponſione. Non vtique diffitendum, LIMBORCHIVM multa ſolide ſatis pro religionis chriſtianae veritate contra Iudaeum iſtum diſputare; nec tamen diſſimulandum, quaedam in hoc opere deprehendi, quae non ſine ratione virorum doctorum reprehenſionem incurrerunt. Veniam namque, praefatur, concedendam Iudaeo, quod contra religionem chriſtianam liberius & durius ſcripſiſſet, & eum pariter ac ceteros Iudaeos ab idololatria paſſim abſoluit, vnde & ipſe OROBIVS in *quaeſito III. num. I. p. 95.* miratur, LIMBORCHIVM contra plurimos, tantumque non omnes doctores chriſtianos fateri, Iſraëlem in verum Deum adhuc credere. Hinc, *grates*, inquit, *rependo doctiſſimo viro, quod hoc nobis concedat, nec ſicut alii nos barbaros iudicet, & a vero Deo alienos.* Hoc autem concedi nec potuiſſe, nec debuiſſe, ipſemet agnoſcit Iudaeus, dum ita pergit: *Tamen propter neceſſitatem fidei in Meſſiam iam aduentum, perinde ſe habet, ac ſi non crederemus; quippe dummodo fidem in Meſſiam non habeamus, eodem prorſus modo condemnabimur, ac ſi in verum Deum Iſraëlis non cre-*

de-

deremus, *ac ſi idolum adoraremus*, *pro Deo &c.* Haec aliaque eiusdem generis iam obſeruata ſunt, in *actis eruditorum Lipſienſibus anno 1683. menſe April. pag. 212. ſeqq.* IACOBO quoque GOVSSETIO quaedam in hocce LIMBORCHII ſcripto, diſplicuiſſe, patet ex illius *monito de Philippi a Limborch pro veritate chriſtianae religionis contra Iudaeum collatione*, quod *ternioni* eius *controuerſiarum aduerſus Iudaeos*, cuius antea mentionem fecimus, ſubiunctum eſt. Atque hiſce, quos hactenus laudauimus, ſcriptoribus, qui in refellendis Iudaeorum erroribus ſtudium induſtriamque ſuam collocarunt, adhuc addendi, qui de ratione conuertendi Iudaeos commentati ſunt, quos inter vtramque fere paginam facit MART. DIEFENBACHIVS, in libro, qui inſcribitur: *Iudaeus conuertendus*, *oder verſchiedene Vrtheile vnd Vorſchlaege fürnehmer theologen vnd anderer Gelehrten*, *wie die Bekehrung eines Iuden durch Gottes Gnade zu ſuchen vnd zu befoerdern ſey*, Francofurti 1696. 4. ad cuius illuſtrationem & velut continuationem quamdam, idem alium deinceps edidit, inſcriptum: *Iudaeus conuerſus*, *oder vmſtaendliche vnd glaubhaffte Erzaehlung*, *was ſich vormahls mit einem &c. bekehrten Iuden begeben &c.* Francofurti 1709. 4. Reliquos recenſet, quem ſaepe iam laudauimus, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *biblioth. ebr. lib. V. ſect. VIII. pag. 1063. ſeqq.* Denique nec illos praetermittere decet, qui blaſphemias, calumnias & abſurdiſſimas Iudaeorum fabulas detegunt, & omnibus ante oculos ponunt, vt veram ac genuinam iudaiſmi indolem inde cognoſcere liceat. Id vero ſingulari fide ac dexteritate praeſtitit IO. ANDR. EISENMENGERVS, in *dem entdeckten Iudenthum*, *oder gründlichen vnd wahrhafften Bericht von den Laeſterungen*, *Irrthümern vnd Fabeln der Iuden*; quod opus Francofurti primum anno 1700 editum, ſed Iudaeorum artibus ſuppreſſum, denuo Regiomonte aut potius Berolini an. 1711 duobus voluminibus in 4. iuſſu Friderici I Boruſſiae regis excuſum, hodie omnium teritur manibus. Legenda, quae de fatis libri huius commemorat IO. IAC. SCHVDT, in *den iüdiſchen Merckwürdigkeiten part. I. lib. V. cap. XI. p. 426. ſeqq.* & *part. IV. continuat. I. p. 285. ſeqq.*

** Licet paucis forte ſe offerat occaſio, cum Mohammedanis diſputandi, aut ad chriſtianae religionis veritatem agnoſcendam quoſdam ex iis perducendi; controuerſiarum tamen, quae nobis cum illis intercedunt, conſideratio fructu non caret; cum religionis chriſtianae veritas atque praeſtantia luculentius intelligi nequeat, quam, ſi cum Mohammedana comparetur. Cumque hic merito primum in cenſum veniant, qui de ortu, progreſſu & fatis Mohammedaniſmi, cumprimis de ipſo Mohammede, agunt; illi quidem cumprimis conſulendi, qui ipſos ſcriptores arabicos legere, atque ex iis ſua haurire potuerunt; quamquam & in his caute incedendum ſit, cum aeque ac Iudaei ad fabulas & commenta mirum in modum proni ſint. Non ſine ratione itaque hic commemorandus eſt IO. HENR. HOTTINGERVS, ob *hiſtoriam orientalem*, *ex variis orientalium monumentis collectam*, vtpote in qua *de Mohammediſmo*, *eiusque cauſſis tum procreantibus*, *tum conſeruantibus*, *inprimis de Mohammedis ortu*, *pſeudo-prophetia*, *aemulis*, *dogmatibus*, *hegira*, *praeliis*, *ſucceſſoribus*, *morte*, aliisque ad Mohammedanae religionis hiſtoriam ſpectantibus, agit. Editio poſterior & auctior, vt inſcriptio docet, Tiguri prodiit an. 1660. 4. Idem de LVDOV. MARRACCIO cenſendum, viro linguae arabicae peritiſſimo, qui in *praefatione*, quam *prodromo ad refutationem alcorani*, de quo deinceps dicemus, praemiſit, fuſe admodum & diligenter de vita, fatis, rebusque geſtis Mohammedis, diſſerit. Cum autem MARRACCIVS plurima ex

ISMAELE ABVL FEDA *de vita & rebus geſtis Mohammedis, Moslemicae religionis auctoris, & imperii Saracenici conditoris*, depromſiſſet, eaque maxime retuliſſet, quae dedecori eſſent Mohammedi, omiſſis reliquis; IOAN. GAGNIERIVS operae pretium eſſe duxit, huncce auctorem, hactenus nondum editum, arabice & latine in lucem producere, qui & cum eiusdem praefatione ac notis prodiit Oxonii 1723. fol. Multa hic legere licet, quae alibi aut non inueniuntur, aut aliter, ſaltem a chriſtianis, narrantur, quod ſpeciminibus quibusdam oſtendit IO. CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XX. part. I. artic. II. p. 68. ſeqq.* Inter meliores porro vitae Mohammedis ſcriptores etiam refertur HVMFR. PRIDEAVX, cuius *vita Mohammedis*, ſeu vt plene inſcribitur, *vera fraudis indoles, in vita Mohammedis demonſtrata*, anglicana lingua prodiit Londini 1697. 8. & in gallicanam translata, Amſtelodami anno 1698. Addenda his, quae copioſe, at more ſuo, de Mohammede diſſerit PETR. BAELIVS in *diction. hiſtor. & crit. voc. Mahomet, p. m. 1971. ſeqq.* & D'HERBELOTIVS *dans la bibliotheque orientale voc. Mohammed p. 598. ſeqq.* alibique. Sed in tribus hiſce vltimis habet, quae deſideret IO. GAGNIERIVS, in *praefatione* operis antea laudati. Iungere his licebit IOAN. FORBESIVM A CORSE, vtpote qui *inſtruction. hiſtorico-theologic. lib. IV. p. 175. ſeqq.* & hiſtoriam Mohammedanae religionis exhibet, & praecipua eius dogmata confutat. Ad originem autem doctrinae, quam in alcorano impoſtor ille complexus eſt, quod attinet, ſatis quidem notum eſt, eum ex Iudaeorum, chriſtianorum & arabum Koreiſchitarum placitis ſua corraſiſſe, nouamque ſuam religionem conflaſſe. Nemo autem cum hactenus diſtincte, quaenam chriſtianis aut Iudaeis, aut Koreiſchitis ſuffuratus ſit, oſtendiſſet; hoc ſibi datum credidit vir eruditiſſimus DAV. MILLIVS, qui & praeclare illud praeſtitit in *diſſertat. de Mohammediſmo ante Mohammedem*, quae inter *ſelectas* eius *diſſertationes* Traiecti ad Rhenum an. 1724. 8. iunctim editas, decima eſt, & *p. 301. ſeqq.* exſtat. Idem iam antea in *oratione inaugurali*, ibidem 1718. 4. excuſa, quae Iudaeis Mohammed ſurripuit, indicauerat.

Veram & genuinam Mohammedis ac Mohammedanorum ſententiam, ex ipſo alcorano omnium rectiſſime peti, nemo dubitauerit. Huius notitiae hiſtoricae, qua textum ipſum, qua editiones verſionesque inſeruient, quae tradunt AVGVST. PFEIFFERVS in *critica ſacra, cap. XVI.* LVDOV. MARRACCIVS in *praefatione, prodromo ad refutationem alcorani* praemiſſa, *pag. 213. ſeqq.* CHR. REINECCIVS, in *introduct. & ſynopſi totius religionis Mohammedicae*; quam verſioni latinae alcorani LVD. MARRACCII ipſius ſtudio, Lipſiae an. 1721 recuſae, praefixit. Conſulere porro iuuabit IO. MICH. LANGII *diſſertationem hiſtorico-philologico-theologicam, de alcorani verſionibus variis, tam orientalibus, quam occidentalibus, impreſſis & hactenus* [illegible], Altdorfi 1704. 4. itemque aliam eiusdem *de ſpeciminibus, conatibus variis atque nouiſſimis ſucceſſibus doctorum quorumdam virorum, in edendo alcorano arabico*, ibidem, eodemque anno; non minus vero & ZACH. GRAPII *hiſtoriam litterariam alcorani* Roſtochii 1701. 4. Lectu quoque prorſus digna eſt IOAN. BVXTORFII *de alcorani editione arabica, variisque eiusdem verſionibus, diſſertatiuncula*, quae in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi* exſtat, *claſſe VI. faſcic. II. pag. 271. ſeqq.* quippe in qua demonſtrat, alcoranum iam ſaeculo decimo ſexto, Venetiis, circa an. 1530 opera PAGANINI Brixienſis, arabice excuſum fuiſſe; quae editio quod hodie nuſpiam inueniatur, inde factum, quod omnia eius exempla

Digitized by Google

pla iuſſu romani pontificis deleta, atque igne combuſta ſint. Ab hac itaque ſi diſceſſeris editione, binae tantum totius alcorani arabicae exſtant, altera ABRAH. HINCKELMANNI ſine verſione, quae inſcripta: *alcoranus, ſeu lex Islamitica Mohamedis, filii Abdallae, pſeudo-prophetae, ad optimorum codicum fidem edita*, cum erudita praefatione Hamburgi prodiit, anno 1694. 4. altera LVDOV. MARRACCII cum verſione latina, adnotationibus & refutatione; quae inſcripta: *alcorani textus vniuerſus, ex correctioribus arabum exemplaribus deſcriptus, & ex arabico idiomate in latinum translatus, adpoſitis vnicuique capiti notis, ac refutatione; praemiſſus eſt prodromus priorem tomum implens*; Patauii an. 1698. fol. Nimirum duobus tomis opus hoc abſoluitur, quorum prior *prodromum ad refutationem alcorani, in quo per quatuor praecipuas verae religionis notas Mohammedanae ſectae falſitas oſtenditur, chriſtianae religionis veritas comprobatur*, complectitur, qui iam antea ſeorſim Romae 1691 quatuor tomis 8. lucem adſpexerat.

Iam ad eos quod attinet, qui Mohammedanae impietatis dogmata refutarunt, veterum quosdam, qui ante eccleſiae emendationem id praeſtiterunt, ſupra iam ſuo loco commemorauimus. Recentiores, qui eodem munere functi ſunt, quorumque haud exiguus eſt numerus, ordine recenſet IO. ALB. FABRICIVS, in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptorum &c. cap. L. pag. 733. ſeqq.* LVDOV. MARRACCIO, quem iam laudauimus, haud vltimus hic debetur locus. Ipſe eius documento eſſe poteſt *prodromus*, in cuius quippe *parte prima*, nulla ſacrorum ſcriptorum oracula, quibus chriſtiana religio confirmatur, Mohammedi, eiusque ſectae ſuffragari, demonſtrat; *parte ſecunda*, Mohammedem aut Mohammedanos ſectam ſuam nullis vmquam veris miraculis confirmaſſe, probat; *parte tertia* chriſtianae religionis veritatem, contra Mohammedanorum obiectiones defendit, ſimulque *cap. XXIV.* de ſectis Mohammedanorum agit; *quarta* denique *parte*, ex legibus religionis chriſtianae & Mohammedicae, itemque chriſtianorum ac Mohammedanorum moribus, inter ſe collatis, Mohammedicae doctrinae falſitatem, & chriſtianae religionis veritatem euincit. Ex noſtratibus THEOD. HACKSPANIVS, *de fide & lege Mohammedis*, Altdorffi 1646. 4. CHRIST. KORTHOLTVS *de religione Mohammedana*, Roſtochii 1663. 4. IOAN. ERN. GERHARDVS, in *theologiae Mahommedis breui conſideratione*, Ienae 1664. 4. aliique, hancce theologiae polemicae partem ſcriptis ſuis exornarunt. AVGVSTI PFEIFFERI *mataeologiae iudaicae atque Mohammedicae principia ſubleſta & fructus peſtilentes* antea iam commemorauimus. IO. CONR. SCHWARZIVS, vir doctiſſimus, vt fundamenta religionis Mohammedicae labefactaret, Mohammedem plagii poſtulauit, in *libro de Mohammedi furto ſententiarum ſcripturae ſacrae*, Lipſiae 1711. 8. IO. FORBESIVM A CORSE, & IO. HENR. HOTTINGERVM, reformatae eccleſiae doctores praeſtantiſſimos, cum de iis, qui hiſtoriam religionis Mohammedicae tradunt, verba faceremus, iam laudauimus. Vterque tamen & hic merito in cenſum venit. FORBESIVS quidem eo, quod religionis iſtius dogmata confutauit; HOTTINGERVS autem, dum *lib. II. hiſtor. oriental. cap. III. pag. 361. ſeqq.* parallelismum Mohammedaniſmi & Sociniani ſmi exhibet. Quod eum non ſine ratione feciſſe, res ipſa docet; cum Mohammedanismus in ſe ſpectatus, aeque ac Socinianismus, ſit merus naturaliſmus; quod & de iudaiſmo obſeruauimus. Certe naturaliſmus, gentiliſmus ſubtilior, Mohammedanismus & iudaismus, ſi in hiſce omnibus, quae eſſentialia

Qqqqqqq 3 ſunt,

ſunt, ſpectes, res vna eademque ſunt. In eo enim omnes conueniunt, religionem ita debere eſſe comparatam, vt omnis myſterii expers ſit. Praeter HOTTINGERVM & alii comparationem inter Mohammedanos & Socinianos inſtituerunt; immo idem MATVRIN. VEYSSIERIVM LA CROZE, *dans les diſſertations hiſtoriques ſur diuers ſuiets tom. I. pag. 1. ſeqq.* feciſſe, ſupra iam obſeruauimus. Agmen denique claudat, qui vel primum hic ſibi locum vindicare poterat, ADR. RELANDVS, cuius *de religione Mohammedica libri duo*, Vltraiecti primum an. 1705, & deinde auctiores an. 1717. 8. publicae luci expoſiti, in linguam etiam gallicam, anglicam, germanicam, belgicam, conuerſi ſunt. Nimirum prior liber *compendium theologiae Mohammedicae* exhibet, *ex codice manuſcripto arabice editum, latine verſum & notis illuſtratum*; poſterior *nonnulla, quae falſo Mohammedanis tribuuntur*, examinat. Atque ad poſteriorem huncce quod attinet, vehementer laudandus eſt vir ille doctiſſimus, quod luculenter demonſtrauit, Mohammedanis a plurimis, qui contra eos ſcripſerunt, eiusmodi tributa fuiſſe dogmata, quae illis numquam in mentem venerunt, aut a quibus plane abhorrent. Quo ſollemnius enim hocce in theologia polemica eſt vitium, vt diſſentientibus placita adfingantur, quae ab illorum mente plane aliena ſunt; eo maiori hoc euitandum eſt ſtudio; eoque praeclarius de hiſce litteris, aut potius de veritate, immo ipſa religione mereri cenſendi ſunt, qui eiusmodi errores, aut, ſi mauis, fictiones atque commenta, detegunt & omnium oculis exponunt.

*** Controuerſiae, quae eccleſiae graecae cum latina intercedunt, eo minus ſilentio hic praetermittendae, quoniam nouis hinc inter proteſtantes ac romanenſes contentionibus ſuppeditata fuit occaſio. Et originem quidem ſchiſmatis inter eccleſiam orientalem ac occidentalem, eiusque continuationem vsque ad eccleſiae emendationem, in praecedentibus iam expoſuimus, ſimulque ſcripta praecipua, vtrimque edita, indicauimus. Iam ergo, vt & reliqua perſequamur, non abs re fuerit, immo inſtituti noſtri hoc poſtulare videtur ratio. Nimirum cum occidentalis eccleſia in partes ſcinderetur; proteſtantes non tantum ſchiſma illud eccleſiae graecae ac latinae, ad catholiciſmum, quem romanenſes iactitabant, infringendum, ſtrenuo vrgebant, ſed nonnulli etiam ſpem animo concipiebant, fore, vt ad ſuam eccleſiam etiam accederent Graeci, robur ingens rebus proteſtantium contra pontificios addituri. Opportune etiam contigit, vt ipſi Graeci ſub initium reformationis cupiditate cognoſcendi, qualis eſſet religio Lutherana, accenderentur. Veniebat namque Wittebergam DEMETRIVS, diaconus eccleſiae Conſtantinopolitanae, ibique per ſemeſtre commorabatur, cui domum reuertenti PHIL. MELANCHTHON epiſtolam commiſit graece exaratam, ad patriarcham Conſtantinopolitanum IOSEPHVM, vna cum Auguſtana confeſſione, graece translata, quae nomine DOLSCII edita, ſed a PHIL. MELANCHTHONE confecta fuit verſio. Legendi IO. HENR. HOTTINGERVS *hiſtor. eccleſ. ſaec. XVI.* ſeu *part. V. ſect. II. pag. 51.* CHR. KORTHOLTVS *hiſt. eccleſ. ſaec. XVI, cap. I. p. 812. ſeqq.* Rem eamdem, ſed calamo admodum venenato, narrat LEO ALLATIVS, *de perpet. eccleſ. occident. & orient. conſenſione lib. III. cap. VIII. p. 1008.* Circa annum 1575 commercium aliquod litterarium de capitibus religionis chriſtianae inter IEREMIAM Lariſſaeum, patriarcham Conſtantinopolitanum, & IAC. ANDREAE pariter ac MART. CRVSIVM, illum theologiae, hunc graecae linguae in academia Tubingenſi profeſſores, inſtitutum eſt, promouente hoc STEPH. GERLACHIO, qui legati apud Turcas caeſarei Dauidis Vngnadii

Digitized by Google

dii a concionibus ſacris fuit. Quid in iſto commercio actum ſit, quisque eius fructus ac euentus fuerit, ſummatim exponit, quem iam laudauimus CHR. KORTHOLTVS *l. c. p.* 833. Atque hinc enata ſunt *acta* illa, *atque ſcripta theologorum Wurtembergenſium & patriarchae Conſtantinopolitani Ieremiae &c.* de quibus ſupra dictum *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. IX.* Romanenſibus commercium iſtud litterarium noſtratium cum Graecis diſplicuiſſe, facile coniicere licet. Cum ergo STANISLAVS SOCOLOVIVS primum Ieremiae patriarchae reſponſum nactus eſſet; illud inſcriptum: *cenſura orientalis eccleſiae contra haereticos noſtri ſaeculi.* cum adnotationibus edidit; Cracouiae 1582. fol. & Dillingae itemque Coloniae eodem anno, 8. Sed GVIL. quoque LINDANVS, epiſcopus Ruremondanus, & IO. BAPT. FICKLERVS, iure conſultus Salisburgenſis, aliique, ex iſto Ieremiae patriarchae reſponſo, graecae eccleſiae in quibusdam capitibus a noſtra diſſenſum colligentes, mirum in modum exſultarunt, iamque ſe inueniſſe, quod iure nobis exprobrare poſſent, arbitrati ſunt. Sed horum intempeſtiui inſultus ſtrenue repulſi ſunt in *praefatione*, *actis* illis *atque ſcriptis theologorum Wurtembergenſium &c.* praemiſſa, ſimulque ſolide demonſtratum, Graecos non minus a romana eccleſia diſſentire, quam a noſtra. Sequuta vero hinc ſunt, vt fieri ſolet, alia ſcripta eriſtica, quae IO. MICH. HEINECCIVS recenſet, in *der Abbildung der alten vnd neuen griechiſchen Kirche*, & quidem in *adpend. ſect. VII. §. XVI. pag.* 80. LEO ALLATIVS equidem itidem hiſtoriam iſtius commercii litterarii, & certaminis inter theologos Tubingenſes, & patriarcham Conſtantinopolitanum, refert, ſed ita, vt cuncta more ſuo detorqueat, & in malam interpretetur partem, *de perpetua eccleſiae occident. & orient. conſenſ. lib. III. cap. VIII. §. III. p.* 1069. *ſeqq.* reprehenſus ideo ab ELIA VEIELIO, in *exercitat. hiſtorico-theolog. de eccleſia graecanica hodierna pag.* 48. *&* 49.

Ex hocce interim tempore pontificii intellexerunt, quo magis diſſenſus eccleſiae orientalis rebus ſuis noceret, eo enixiori ſtudio & cura id ſibi agendum eſſe, vt conſenſum iſtius eccleſiae aut promouerent, aut fingerent. Eum in finem Gregorius XIII pontifex, magnifica egregiisque reditibus donata collegia pro omnibus fere nationibus, maxime orientalibus inſtituit, vt ita Romam allicerentur, quorum opera pontifices in amplificanda & dilatanda eccleſia ſua vti poſſent. Nec plane ſucceſſu hoc inſtitutum caruit, cum plures inde prodierint viri eruditi, commodisque romani pontificis addicti, qui, vt limites imperii eius per Graeciam orientemque vniuerſum proferrent, omnem nauarunt operam. Diligenter eos recenſet laudatque LEO ALLATIVS, *de perpetua eccleſ. occid. & orient. conſenſ. lib. III. cap. VII. §. VII. pag.* 986. Atque iſti cum hinc inde adſeclas quosdam conſequuti eſſent, qui itidem romani pontificis ſe ſubmiſerunt imperio; orbi perſuaſum voluerunt, eccleſiam graecam egregie conſentire cum romana, etiam in iis capitibus, in quibus haec vel maxime ab illa grauiſſimorum errorum arguitur. Inter reliquos, qui ex hoc ſeminario prodierunt, eminet PETRVS ARCVDIVS Corcyraeus, cuius vitam IANVS NIC. ERYTHRAEVS exhibet, *pinacoth. I. pag.* 225. Vixit adhuc circa initium ſaeculi decimi ſeptimi, mortuus quippe circa annum 1621. Varia is ſcripſit ad iſtum, quem ſibi propoſuerat ſcopum, collineantia, vt: *de concordia eccleſiae occidentalis & orientalis, in ſeptem ſacramentorum adminiſtratione libros VII.* item *de purgatorio, vtrum detur, & an ſit per ignem?* & alia. Idem etiam *opuſcula aurea*, ſeu ſcripta quaedam IO. VECCI, GREGORII PALAMAE, aliorumque ad controuerſias vtriusque eccleſiae ſpectantia, & cauſſae

cauſſae Latinorum patrocinantia, in linguam latinam translata, graece & latine edidit Romae an. 1630. 4. LEO ALLATIVS de ARCVDIO ita pronuntiat: *vir pius, integer, veritatis amans, ſectariorum hoſtis, quorum & nomina abhorruit, plus tamen aequo ardentius; & cum poſſet ſaepenumero rationibus, iniuriis maluit tutari ſententiam; ſic dum omnia, quaecumque excerpſerat, in quocumque argumento dicere ſtudet, plerumque a propoſito digreſſionibus, iisque longiſſimis, rem & orationem perturbat &c. de eccleſ. occid. & oriental. perpet. conſenſ. lib. III. cap. VII. §. XIII. p. 999.* Iungendus ARCVDIO eſt IO. MATTH. CARYOPHILVS, Cretenſis, archiepiſcopus Iconienſis, qui cum, auctore LEONE ALLATIO, inter Graecos non poſſet vitam tuto ducere, Romam reuerſus in collegio Graecorum litteras humaniores docuit. Multa is quoque ſcripſit, vt *confutationem Nili Theſſalonicenſis de primatu papae*, graece & latine Pariſiis 1626. 4. *refutationem pſeudo-chriſtianae catecheſeos a Zacharia Gergano editae*, graece & latine Romae 1631. 4. *cenſuram confeſſionis fidei, ſeu potius perfidiae Caluinianae, quae nomine Cyrilli, patriarchae Conſtantinopolitani, circumfertur*, & alia LEONI ALLATIO memorata, *l. c. lib. III. cap. VII. §. XIV. p. 999. ſeqq.* Reliquis denique omnibus, quos ex Graecis defenſores nacta eſt romana eccleſia, palmam praeripere voluit ipſe LEO ALLATIVS, ex inſula Chio oriundus, bibliothecae Vaticanae praefectus, ſcriptor ſaeculi decimi ſeptimi longe celeberrimus. Plurima is elucubrauit ſcripta, in quibus pontificiae auctoritatis, contra diſſentientes, ipſosque Graecos, ſtrenuum defenſorem ſe demonſtrauit; principem tamen inter ea locum obtinet, opus illud non ſemel nobis iam laudatum *de eccleſiae occidentalis & orientalis perpetua conſenſione, libris tribus* comprehenſum, & cura BARTH. NIHVSII editum, Coloniae Agrippinae an. 1648. 4. Rectius forte quorumdam iudicio, inſcriptionem ita feciſſet: *de perpetua occidentalis & orientalis eccleſiae diſſenſione.* Quantumuis enim id omni ſtudio agat, vt lectoribus fucum faciat; ipſa tamen eius tractatio vtriusque eccleſiae diſſenſum potius, quam conſenſum prodit. Hinc & plurimi tum ex noſtratibus, tum ex reformatae eccleſiae doctoribus naeuos ac errata ALLATII detexere; & ex his quidem cumprimis IO. CLAVDIVS conferendus, *dans la reponſe au livre de Mr. Arnaud lib. III. cap. XII.* Nimirum inter CLAVDIVM huncce, atque ANT. ARNALDVM, de conſenſu eccleſiae graecae cum romana, in doctrina de ſacra euchariſtia, acriter diſputabatur, cumque ARNALDVS maxime ALLATII auctoritate niteretur, CLAVDIO viſum eſt, hunc qualis eſſet, depingere. Speciatim nimiam in eo notat acerbitatem, & vehementiam, qua in eos inſurgat, quos refutandos ſibi ſumſit, vti ſunt CHYTRAEVS, CREYGHTON, & ANT. CAVCVS, archiepiſcopus Corcyrenſis. Nec ipſe RICH. SIMON ALLATIO parcit, quin potius in libro: *hiſtoire critique de la creance du levant* inſcripto, *cap. I.* in eo totus eſt, vt oſtendat, ſine ratione ANT. CAVCVM ab eo reprehendi, ac ſi Graecis opiniones ac ritus, a quibus alieni eſſent, tribuiſſet; placere potius ALLATIVM Vrbano VIII pontifici voluiſſe, cui conſtitutum fuerit, graecae ac latinae eccleſiae vnionem placidiori quadam ratione tentare, ideoque & ALLATIVM Graecorum dogmata quauis ratione emolliuiſſe. Hoc vero perinde eſt, ac ſi rotunde dixiſſet, ALLATIVM Graecorum dogmata bona fide non exhibuiſſe. Conferendus de hiſce & PETR. BAELIVS in *diction. hiſt. & crit. voc. Allatius p. 174.* Summum vtique ſuum romanis pontificibus ſe probandi ſtudium, quod a turpi ac ſeruili adulatione parum abeſt, non poterat ALLATIVS luculentius demonſtrare, quam cum

Digitized by Google

cum ita ſcripſit: *Quare romanus pontifex nulli ſubiectus omnes iudicat, a nemine iudicatur; etiamſi inique gubernet, obedientiam non amittit; leges aliis dat, non accipit, & pro arbitrio mutat; magiſtratus creat; de fide quid ſentiendum ſit, decernit; & maiora eccleſiae negotia, vt ſibi videtur, diiudicat. Qui, etiamſi vellet, errare non poteſt; cum perfidiae in eum acceſſus intercluſus ſit, nec praeſtigias recipiat; etiamſi angelus aliter nuntiet, quam praedictum eſt, Chriſti auctoritate munitus mutari non poteſt; de eccleſ. occident. & oriental. perpet. conſenſ. lib. I. cap. II. §. VI. p. 12.* Commemorari hic porro ex eiusdem ALLATII ſcriptis poſſent, liber *de octaua ſynodo Photiana* Romae 1662. 8. *de aetate & interſtitiis in collatione ordinum, etiam apud Graecos ſeruandis*, Romae 1638. 8. *vindiciae ſynodi Epheſinae & ſancti Cyrilli, de proceſſione ſpiritus ſancti ex patre & filio*; Romae 1661. 8. & alia; ſed miſſis hiſce, id ſolum addimus, ALLATIVM praecipua Graecorum quorumdam, vt NICEPHORI BLEMMIDAE, IO. VECCI, ceterorum, pro eccleſia romana militantium, ſcripta, maximam partem ſuo loco a nobis laudata, iunctim in *Graecia*, quam vocat, *orthodoxa* edidiſſe, Romae 1652 & 59 duobus voluminibus in 4. BARTHOLDVS NIHVSIVS, cuius antea facta eſt mentio, non tantum opus illud LEON. ALLATII, de *perpetua eccleſiae occidentalis & orient. conſenſione*, imprimi curauit, ſed & ad diſſertationem ALLATII, *de miſſa praeſanctificatorum*, eidem operi ſubiunctam, *adnotationes de communione orientalium ſub ſpecie vnica*, cum *epilogo ad omnes academias confeſſioni Auguſtanae deditas*, adiecit. Idem NIHVSIVS & *ſymmicta* ALLATII & *confutationem fabulae de Ioanna papiſſa, ex monumentis graecis*, aliaque, Coloniae excudi curauit. Nec enim apoſtatam decebat aliter, quam laceſſendo, qua poterat, ratione, eccleſiam veram, illis, ad quos defecerat, ſtudium ſuum atque adfectum probare. Conferendus PETR. BAELIVS in *diction. hiſt. & crit. voc. Nihuſius p. m. 2231. ſeqq.* Eiusdem NIHVSII, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, ſtudio prodiit etiam *concordia nationum chriſtianarum, per Aſiam, Africam & Europam, in fidei catholicae dogmatibus, apud borealis Europae proteſtantes deſeri contra fas pronuper coeptis, indicata ab* ABR. ECCHELLENSI, Maronita, & LEONE ALLATIO, Graeco; cum *catalogo librorum chaldaeorum*, auctore HEBED IESV, interprete ABR. ECCHELLENSI, *qui & notas addidit*, & ipſius NIHVSII *duobus ad proteſtantium academicos programmatibus*, Moguntiae 1655. 8. Vbi merito quaeras, quaenam illae nationes chriſtianae in Aſia & Africa ſint? ad quarum conſenſum prouocatur. Sunt nimirum *Maronitae, Armeni, Neſtoriani, Melchitae, Iacobitae &c.* vt ABR. ECCHELLENSIS in ipſa inſcriptione profitetur, adeoque tales, qui ab ipſa eccleſia romana pro haereticis habentur, immo tales, qui, vt ipſe iterum ABR. ECCHELLENSIS in *praefat.* libro HEBED IESV praemiſſa *p. 6.* loquitur, *inueterata, intima, atque incredibilia, tam inter ſeſe, quam cum eccleſia romana exercent odia &c.* Nimirum, etiamſi iſti homines in grauiſſimis doctrinae chriſtianae capitibus errent, & ab ipſis romanenſibus diſſideant; modo tamen in traditionibus quibusdam, aut omnino ritibus ſuperſtitioſis cum latino coetu conſpirent, omnino triumphandum eſt; vt recte ELIAS VEIELIVS pronuntiat in *exercitat. de eccleſia graecanica hodierna, p. 2.*

Atque hi quidem, quos hucusque enumerauimus, dum conſenſum eccleſiae graecae cum latina, ſeu romana oſtendere voluerunt, ſe a vera & genuina graecae eccleſiae doctrina alienos eſſe, demonſtrarunt; hinc & non ſine ratione inter eos, qui eccleſiam graecam impugnarunt, referuntur.

runtur. Horum numerum augent qui idem ex Latinis fecerunt; quamquam pauci hoc fecerint aperte, ac directe, eo, quod conſultius ducerent, eccleſiae graecae inſtitare conſenſum, quam dogmata eius impugnando, diſſenſum apertius prodere. Nonnullos tamen, qui ex Latinis contra Graecos recentiori aetate diſputarunt, indicat IO. MICH. HEINECCIVS, in *der eigentlichen vnd wahrhafftigen Abbildung der alten vnd neuen griechiſchen Kirche*, & quidem in *adpendice ſect. VII. §. XIV. p. 75.* itemque IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. X.* ſiue *lib. V. cap. XLIII. p. 444. & ſeqq.* qui & ibidem *p. 383. ſeqq.* eos recenſet, qui ex Graecis Latinorum cauſſam egerunt, aut vtriusque eccleſiae promouere voluerunt vnionem. Fuerunt nihilo ſecius & in hocce temporis interuallo, qui Latinis ſe opponerent, & genuina eccleſiae graecae dogmata contra eos defenderent, quos inter primo nominandus eſt loco MELETIVS PEGA, Cretenſis, patriarcha Alexandrinus. *Poſtremis hiſce temporibus*, inquit LEO ALLATIVS, *Meletius patriarcha Alexandrinus, Latinos acriter inſectatus eſt;* qui & ſcripta eius recenſet, & fata, vt iniquum tamen adfectum ſatis prodat, exponit, *de eccleſ. occident. & orient. perpetua conſenſione lib. III. cap. VII. §. XI. p. 996.* Poſt MELETIVM idem fecerunt MAXIMVS MARGVNIVS, GABR. SEVERVS, GEORG. CORESIVS, de quibus iterum ALLATIVM audire iuuat: *Poſt Meletium idem conati ſunt Maximus Margunius, qui dialogum de proceſſione ſpiritus ſancti compoſuit, editum Londini; Gabriel Seuerus, Monembaſienſis, Philadelphiae metropolita, qui Venetiis diutiſſime ſemper ſchiſmatis fautor, vitam egit, contra quinque concilii Florentini capita, prolixum tractatum vernacula Graecorum lingua ſcripſit, editum ibidem; Georgius Coreſius Chius, profeſſione medicus, ingenio rudis & contumax, dictione barbarus, & loquens magis quam eloquens, pietate amphibius, religione ex ſchiſmate, Latinis, per quos profecerat, (Piſis namque ſtuduit) improbus &c. l. c. §. XII. p. 997.* Haec recitauimus, inde vt adpareat, quanta humanitate ALLATIVS eos excipiat, qui eccleſiam graecam romanorum pontificum imperio ſubmittere noluerunt. Miſſis autem reliquis eccleſiae graecae propugnatoribus, vnicum adhuc commemorandum nobis exiſtimamus, NECTARIVM, patria Cretenſem, patriarcham Hieroſolymitanum, anno 1565 vita functum, vtpote cuius exſtat *confutatio imperii papae in eccleſiam*, graece Iaſſi in Moldauia excuſa, an. 1682, quae latine deinceps interprete PETR. ALLIXIO Londini prodiit an. 1702. 8. Eam vero ex inſtituto ſibi refutandam ſumſit STEPH. DE ALTIMVRA, ſeu potius, qui hocce nomine tegitur, MICH. LEQVIEN, in *panoplia contra ſchiſma Graecorum, qua romana & occidentalis eccleſia defenditur, aduerſus criminationes Nectarii, nuperi patriarchae Hieroſolymitani, quas congeſſit in libro de primatu papae*, Pariſiis 1718. 4.

Et ita quidem Latini & Graeci *λατινόφρονες* contra Graecos genuinos, & hi rurſus contra vtrosque pugnarunt. Dimicatum vero etiam eſt inter Graecos & proteſtantes. Quae inter theologos Tubingenſes & Ieremiam patriarcham Conſtantinopolitanum geſta ſint, antea iam commemorauimus. Maioris momenti ſunt certamina, quibus CYRILLVS LVCARIS, patriarcha Conſtantinopolitanus, occaſionem dedit, cum is in *confeſſione*, a ſe edita, haud obſcure reformatae eccleſiae doctrinam profeſſus eſſet. Dum enim eam ob cauſſam a reliquis Graecis, certe pleriſque, reiectus fuit, atque damnatus; illorum ſimul valde in proteſtantes irritati ſunt animi, vt ex eo tempore hos non minori, quam romanenſes, proſequantur odio. Sed ipſi quoque romanenſes ſuas ſtrenue hic ege-

egerunt partes, omnemque mouerunt lapidem, vt Graecorum magis a proteſtantibus abalienarent animos. De *confeſſione* CYRILLI LVCARIS, itemque de *confeſſione eccleſiae graecae orthodoxa*, quae illi oppoſita fuit, ſupra diximus, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. IX.* Conferendus & IO. MICH. HEINECCIVS, in *der eigentlichen vnd wahrhafftigen Abbildung der alten vnd neuen griechiſchen Kirche &c. part. I. cap. III. §. XLVI. ſeqq. p. 194. ſeqq.* qui & in *adpendice ſect. VII. §. XV. p. 78. ſeqq.* ex Graecis, qui ſpeciatim & ex inſtituto proteſtantes impugnarunt, recenſet; quales ſunt GABRIEL Philadelphienſis, GEORG. CORESIVS, GREGOR. PROTOSYNCELLVS, MELETIVS SYRIGVS, qui iuſſu ſynodi Conſtantinopolitanae, & patriarcharum mandato, anno 1638 contra CYRILLI LVCARIS *confeſſionem* ſcripſit, NECTARIVS patriarcha Hieroſolymitanus, & denique NIC. COMNENVS PAPADOPOLVS. Cum autem non omnia iſtorum Graecorum ſcripta typis excuſa ſint, ea etiam, quae excuſa ſunt, ad paucorum peruenerint notitiam; mirum non eſt, a proteſtantibus nihil ad ea reſponſum eſſe. Recte hoc obſeruat IO. MICH. HEINECCIVS *l. c.* in *adpend. p. 79.* qui tamen & IO. HOCKSTONVM, Anglum, memorat, qui contra NIC. COMNENVM PAPADOPOLVM ſcripſerit. Illis contra, qui aut ex ipſis Graecis, aut ex romanenſibus, conſenſum eccleſiae latinae & graecae, orbi perſuadere voluerunt, acriter nonnulli tum ex noſtratibus, tum ex reformatis obuiam iuerunt. Et ex noſtratibus quidem id egit ELIAS VEIELIVS, in *exercitat. hiſtorico-theologica, de eccleſia graecanica hodierna, Leoni Allatio potiſſimum, Petro Arcudio, & Barth. Nihuſio oppoſita*, Argentorati 1666. 4. ex reformatis autem IO. HENR. HOTTINGERVS, in *Leone Allatio, nimiae temeritatis conuicto, & de perpetuo eccleſiarum latinae & graecae diſſenſu*, quae diſſertatio in *enneade diſſertationum philologico-theologicarum Heidelbergenſium*, Tiguri an. 1662. 4. edita, nona eſt, exſtatque *p. 179. ſeqq.* Cumprimis autem magnis animorum motibus renouatum eſt hocce certamen, in Gallia, cum liber *la perpetuité de la foy de l' egliſe catholique touchant l' euchariſtie* inſcriptus, cuius ſupra iam, cum de ANT. ARNALDO loqueremur, mentionem fecimus, prodiiſſet, & tum propugnatores, tum oppugnatores acerrimos, eosque ingenio & doctrina praeſtantiſſimos, nactus eſſet. Enimvero pro conſenſu Graecorum ac Latinorum, praeſertim in doctrina de ſacra euchariſtia, dimicarunt, ANT. ARNALDVS, PETR. NICOLIVS, IAC. NOVETVS, ANSELMVS DE PARIS, EVSEB. RENAVDOTVS; diſſenſum vtriusque eccleſiae in hocce capite ſtrenue defendente IO. CLAVDIO, eccleſiae reformatae theologo eruditiſſimo, & PETR. ALLIXIO. Praecipua quaedam huc ſpectantia ſcripta enarrat LVD. ELL. DV PIN, in *noua biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XVIII. p. 110. ſeqq.* Sed longe plenius adcuratiusque controuerſiae huius hiſtoriam recenſet CHR. MATTH. PFAFFIVS, in *diſſertat. anti-Rogeriana p. 7. ſeqq.* Iis, qui diſſenſum Graecorum a Latinis demonſtrarunt, omnino addendus FRID. SPANHEMIVS, in *diſſertat. de eccleſiae graecae & orientalis a romana, & papali perpetua in hunc diem diſſenſione, aduerſus Abrahamum Ecchellenſem, Petrum Arcudium, Leonem Allatium & nuperos ὁμόφρονας, tom. II.* operum eius *lib. IV. p. 485. ſeqq.* Nec praetermittendus hic eſt IO. AYMONIVS, ob librum: *monumens authentiques de la religion des Grecs &c.* inſcriptum, editumque Hagae Comitum anno 1708. 4. in quo inter alia probare voluit, plurimas confeſſiones fidei chriſtianorum orientalium, quas defenſores *perpetuitatis fidei* in Gallia contra reformatos produxerunt, ſpurias fuiſſe, ac ſuppoſititias; ſed oppoſuit ei EVSEBIVS RENAV-

neuen griechiſchen Kirche &c. in *adpendice ſect. VII. §. III. p. 57. ſeqq.* Et ipſe ſane iſte vir doctiſſimus, ob opus iſtud plane egregium, vel primum praecipuumque hic promeretur locum, cum non credam, maiori quemquam id egiſſe ſtudio, vt veram ac genuinam veteris ac recentioris eccleſiae graecae deſcriberet faciem, aut copioſiori, vt hoc facere poſſet, inſtructum fuiſſe adparatu. In hiſce omnibus autem aliquid quod reprehenſione dignum ſit, ſibi inueniſſe viſus eſt ALEX. HELLADIVS, homo graecus, isque litterarum minime rudis, ſed nimio gentis ſuae amore excaecatus. Librum enim is edidit, inſcriptum: *ſtatus praeſens eccleſiae graecae, in quo etiam cauſſae exponuntur, cur Graeci moderni noui teſtamenti editiones, in graeco barbara lingua factas, acceptare recuſent &c.* Altdorffi 1714. 8. eum quidem minime contemnendum, ſed in quo eos, qui de rebus Graecorum, ſtatuque eorum recentiori commentati ſunt, praeſertim ſi aliquid, quod Graecis parum honorificum ſit, ſcripſerunt, mirum in modum exagitat. At temeritatis ſuae poenas iuſtiſſimas dedit viro clariſſimo, IO. MATTH. GESNERO, in *obſeruatione de eruditione Graecorum, qui hodie viuunt, contra Alexandrum Helladium*, quae in *miſcellaneis Lipſienſibus* exſtat, *tom. II. p. 399. ſeqq.* vbi & veram rationem, qua inductus HELLADIVS librum huncce ſcripſerit, aperit, & ambitionem eius inuidiamque caſtigat, perperam quoque dicta refellit. Nouiſſimus, qui de ſtatu praeſenti eccleſiae graecae aliquid litteris mandauit, eſt IO. COVEL, cuius *relatio de eccleſia graeca, eiusque, ad doctrinam ac diſciplinam quod attinet, praeſenti ſtatu, praeſertim intuitu euchariſtiae, & ſeptem ſic dictorum ſacramentorum &c.* lingua anglicana prodiit Londini 1722. fol. Summam eius exhibet ARMANDVS DE LA CHAPELLE, *dans la biblioth. angloiſe tom. X. part. I. artic. VII. p. 214. ſeqq.*

* Varia ea ſunt, nec vnius generis. Omnia autem perſequi, animus non eſt, multo minus ea, quae ſingulis ſaepe theologis cum aliis interceſſerunt. Infiniti hoc laboris foret, & nonnulla quoque iam attigimus, cum eos ex theologis noſtratibus, qui prae reliquis ſcriptis polemicis inclaruerunt, in ſcenam produceremus, ad *capitis* huius *§. VIII.* Quae maxime notatu dignae, & totam fere eccleſiam noſtram turbarunt, controuerſiae, ad tres commode reuocari poſſunt claſſes; quarum *prima* eas complectitur, quae poſt mortem beati Lutheri eruperunt, & per formulam concordiae vtcumque conſopitae ſunt; *altera* eas, quibus theologi quidam Helmſtadienſes ac Regiomontani occaſionem dederunt, quaeue *ſyncretiſticae* vocari ſolent; *tertia* denique eas, quae hodie adhuc noſtram eccleſiam adfligunt, quaeue *pietiſticae* adpellitantur.

In iis, quae ad primam claſſem ſpectant, vtramque fere paginam facit CONR. SCHLVSSELBVRGIVS, in *catalogo haereticorum*, in quo non tantum eorum, qui a recepta eccleſiae noſtrae ſententia diſceſſerunt, dogmata recenſet, ſed ea etiam refellit. Opus illud tredecim conſtat *libris*, ſiue *tomis*, quorum primus anno 1597, vltimus 1599 Francofurti in 8. prodierunt. Et in *primo* quidem cum *antitrinitariis* illi res eſt, de quibus hic dicendi locus non eſt. In *ſecundo* de Manichaeis, quos vocat, recentioribus, agit, MATTH. FLACIVM illyricum, eiusque ſectatores, hoc nomine deſignans, quippe quibus Manichaeiſmum ob dogma de peccato originis, quod ſit hominis ſubſtantia, exprobratum, conſtat. *Tertius* Caluinianis eſt oppoſitus, qui hic itidem in cenſum non veniunt. In *quarto* antinomorum veterum ac recentiorum, quorum auctor IO. AGRICOLA, cuius & alias nomen haud eſt ignotum, fuit, argumenta repetit ac refutat. In

quinto ſynergiſtas, ſeu eos, qui docebant, hominem in ſui conuerſione aliquid cooperari poſſe, ſiſtit, eorumque rationes profligat. Oſiandriſtis deſtinatus eſt liber *ſextus*, & *ſeptimus* Maioriſtis. In *octauo* pontificiorum, ſpeciatim Ieſuitarum, theologiam ſub examen reuocat, de quibus nunc rurſus non ſumus ſolliciti, cum ſcripta, iis oppoſita, ſupra iam indicata ſint. Stanckariſtarum errores enarrat & reiicit *libro nono*, & Schwenckfeldianorum, quos Stenckfeldiſtas adpellitat, *libro decimo*. In *vndecimo* cum MICH. SERVETO & ſectatoribus eius congreditur, in *duodecimo* cum anabaptiſtis, & denique in *decimo tertio* cum adiaphoriſtis; ex quibus iterum vltimi, & quae cum iis agitatae ſunt controuerſiae, ad praeſens noſtrum inſtitutum ſpectant. De SCHLVSSELBVRGIO hocce CASP. SAGITTARIVS ita pronuntiat: *Sunt, qui virum interdum modum exceſſiſſe putant, ac aduerſariis quaedam adfinxiſſe, aut conſequentias nexuiſſe duriores; introduct. in hiſtor. eccleſ. cap. XXXII. §. XXV. p. 815.* Hiſtoriae iſtarum controuerſiarum lucem etiam adfundent ADAM. RECHENBERGIVS, in *adpendice tripartita ad libros ſymbolicos, part. III. cap. IX.* & GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVI. cap. XX.* item *XXIV. ſeqq.* caute tamen legendus, cum ſubinde in orthodoxos ſit iniquior. Conferendi porro omnes illi, qui *formulam concordiae* commentationibus ſuis illuſtrarunt, vtpote qui iſta non poſſunt non attingere certamina, quorum praecipuos iam enarrauimus, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. XI.* Laudauimus ibidem praecipue, & merito quidem, beati IO. MVSAEI noſtri *praelectiones in epitomen formulae concordiae*, Ienae anno 1701. 4. editas, atque hoc nomine commendauimus, quod ſingulis theſibus hiſtoriam controuerſiarum ſaeculo decimo ſexto agitatarum, ad quas formula concordiae reſpicit, praemittat. Ad controuerſias *interimiſticas* & *adiaphoriſticas* quod attinet, conſulere de iis iuuabit IO. ERDM. BIECKII librum, *das dreyfache interim &c.* inſcriptum, excuſumque Lipſiae 1721. 8. in quo non tantum earum exhibetur hiſtoria, ſed ſcripta quoque, quibus vtrimque pugnatum eſt, certe praecipua, indicantur, *interimiſtica* quidem *cap. II. §. XXVI. p. 123. ſqq. adiaphoriſtica* autem *cap. III. §. XXIV. p. 191. ſeqq.* Praeterea cum non tantum in interimiſticis & adiaphoriſticis, ſed ſynergiſticis etiam, & quae hinc de peccato originali enatae ſunt, aliisque, haud extremae MATTH. FLACII illyrici partes fuerint; ex vita ſcriptisque huius viri, hiſce omnibus multum lucis accedet. Praecipua equidem, quae de eo obſeruatu digna ſunt, momenta, ſupra iam ad *§. VIII.* huius capitis attigimus; ſed iungere omnino iuuabit IO. BALTH. RITTERI *vitam Matthiae Flacii illyrici*, germanice ſcriptam, cuius altera editio acceſſionibus quibusdam auctior prodiit Francofurti anno 1725. 8. Maximum autem in iſto temporis interuallo ſtrepitum dederunt *crypto-Caluiniſtae*, vt vocari ſolent, quibus adeo & praecipua quadam ratione *formula concordiae* oppoſita fuit. Sed de hiſce pro noſtri inſtituti ratione pariter, ac de ipſa *formula concordiae* ſatis ſupra dictum eſt, *libri* huius *II. cap. II.* ad *§. VII.* Reliqua, quae de controuerſiis, ante *formulam concordiae* in noſtra eccleſia excitatis, adhuc addi poſſent, ſuppeditabit CHR. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theolog. litterar. part. II. lib. III.* ad *epilogum p. 408. ſqq.* qui & ſpeciatim, quae de omnipraeſentia humanae Chriſti naturae inter noſtrates diſputata ſunt, diligenter recenſet *p. 412. ſeqq.*

Ad *ſyncretiſticas controuerſias*, quae alteram claſſem conſtituunt, quod attinet, occaſionem iis praecipue dedit GEORG. CALIXTVS, theologus Helmſtadienſis celeberrimus. Hic iam anno 1611 in heterodoxiae

rodoxiae ſuſpicionem venit, cum diſſertationes de *praecipuis chriſtianae religionis capitibus* edidiſſet, quippe in quibus parum aequus in formulam concordiae eſſe nonnullis videbatur. Cum etiam deinceps *epitomen theologiae* edidiſſet, aucta eſt ſuſpicio, quippe in qua partim in ſcholaſticorum, partim in reformatorum gratiam quaedam adſeruiſſe, exiſtimabatur, non adprobanda. Id quod iam an. 1620 BALTH. MENTZERO, Gieſſenſi, & HENR. HOEPFFNERO, Lipſienſi theologo, obſeruatum. Repetenda hic, quae de iſta *epitome* diximus *libri* huius *II. cap. I.* ad §. *XIV.* In apertum autem tandem res iſta erupit certamen circa annum 1639, cum STATIVS BVSCHERVS, eccleſiaſtes Hannoueranus, *crypto-papiſmum nouae theologiae Helmſtadienſis* edidiſſet, GEO. CALIXTO & CONR. HORNEIO oppoſitum, cui theologi iſti Helmſtadienſes obuiam iuerunt, in *der gründlichen Wiederlegung eines vnwahrhafften Gedichts, vnterm Titul: crypto-papiſmus &c.* Luneburgi 1641. De vtroque hocce ſcripto legendus IO. FABRICIVS, in *hiſtoria bibliothec. Fabric. part. IV. p. 299. & 330.* Latius tum hoc certamen diffuſum, cum plures theologi in aciem prodirent. Cum etiam CALIXTVS an. 1645 colloquio charitatiuo, quod Thoruni inſtituebatur, iuſſu electoris Brandenburgici intereſſet, reliqui theologi Lutherani, IO. HVLSEMANNVS, IO. BOTSACCVS, & ABR. CALOVIVS eum pro ſuo, hoc eſt, theologo orthodoxo agnoſcere noluerunt. Legendus de hocce colloquio ABR. CALOVIVS in *hiſtor. ſyncretiſt. lib. III. cap. III. p. 199. ſeqq.* & ſpeciatim de CALIXTO *cap. IV. p. 5..* CHRIST. HARTKNOCHIVS, in *der preuſſiſchen Kirchen-Hiſtorie lib. IV. cap. VI. p 934. ſeqq.* Quod ſi ABR. CALOVIO credimus, in colloquio iſto Thorunienſi inter CALIXTVM, & theologos Regiomontanos, ea concluſa ſunt, quae poſtea ab his Regiomonte ſunt geſta; in *praefat. digreſſionis de noua theol. Helmſtadio-Regiomontan. tom. I. ſyſtemat. theolog. p. 888.* Quidquid eius ſit; aucta ſunt ex eo tempore mirum in modum haec certamina, & ſcriptis quam plurimis, nec minori animorum vehementia, continuata. Cum GEO. CALIXTO fecerunt ex Helmſtadienſibus CONR. HORNEIVS, IOACH. HILDEBRANDVS, GERH. TITIVS, & deinceps FRID. VLR. CALIXTVS, GEORGII filius; ex Regiomontanis CHRIST. DREIERVS, IO. LATERMANNVS, MICH. BEHMIVS & MELCH. ZEIDLERVS; ex Rintelenſibus praecipue IO. HENICHIVS, atque PETR. MVSAEVS. Horum autem omnium huc ſpectantia enarrare ſcripta, vt noſtri nunc non permittit inſtituti ratio, ita plerorumque notitiam ex IO. FABRICII *hiſtoria bibliothecae Fabricianae*, praeſertim *parte IV.* haurire licet. Et de ipſo quidem GEORG. CALIXTO, duce iſtarum partium, atque anteſignano *p. 49. ſeqq.* agit, elogiaque, quibus a viris doctis ſubinde ornatus fuit, diligenter collecta exhibet. Scripta eius, praeſertim quae huc faciunt, paſſim recenſet, inter quae cum haud vltimum locum teneant *Wiederlegung der vnchriſtlichen vnd vnbilligen Verleumbdungen D. Iac. Wellers*, item, *Verantwortung auf dasienige, was ihm in Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen vnd D. Iacob Wellers an die Herzoge zu Braunſweig vnd Lüneburg ausgelaſſene Schreiben auffgerücket vnd beygemeſſen wird*; porro, *Antwort auf D. Ioan. Hülſemanns meiſterliches Muſter*; de hiſce omnibus verba facit *l. c. p. 300.* Index autem omnium CALIXTI ſcriptorum excuſus eſt, cum eiusdem *conſultatione, de tolerantia reformatorum circa quaeſtiones inter ipſos & Auguſtanam confeſſionem profeſſos, controuerſas.* prout ea denuo typis eſt exſcripta, Helmſtadii an. 1697. 4. cui editioni itidem praemittitur FRID. VLR. CALIXTI *mutuae chriſtianorum in ſacro romano imperio, publico & libero religionis exer-*

exercitio gaudentium, *citra omnem religionum miſcellam, tolerantiae, preſſior declaratio*. Atque hic ipſe FRID. VLR. CALIXTVS, acerrimus doctrinae, nominisque paterni exſtitit vindex, certamenque iſtud ſcriptis variis continuauit, quorum index ſcriptorum patris eius iam memorato adiungitur, ſed & in HENR. PIPPINGII *memor. theologor. &c. pag. 902. ſeqq.* exhibetur. Non minor autem eorum fuit numerus, qui Helmſtadienſibus, & illis, quos ſyncretiſtas vocabant, ſeſe oppoſuerunt. Eminent tamen inter eos IAC. WELLERVS, IOAN. HVLSEMANNVS, ABRAH. CALOVIVS, AEGID. STRAVCHIVS, IOAN. CONR. DANHAVERVS, IO. GEO. DORSCHAEVS, ceterique theologi Argentoratenſes, itemque Gieſſenſes, & ex Regiomontanis COELEST. MISLENTA, & miniſterium tripolitanum. Atque de HVLSEMANNO ac CALOVIO, eorumque ſcriptis, ad hancce cauſſam ſpectantibus, iam ad §. *VIII.* diximus. Ex reliquis plerosque IO. FABRICIVS in *hiſtor. bibliothec. Fabric.* commemorat, eorumque, quae huc faciunt, commentationes indicat. Nec vnum erat, quae tum in diſceptationem trahebantur, controuerſiarum genus. Namque & de principio fidei ſecundario, & de reuelatione myſterii trinitatis, in veteri teſtamento, & de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, aliisque ſacrae doctrinae capitibus, diſputabatur, quae ex IOACHIMI HILDEBRANDI *collegio* quodam *manuſcripto*, ordine recenſet, vt ſingularum ſimul quaeſtionum originem, ſeu occaſionem detegat, CHR. EBERH. WEISMANNVS, in *introduct. in memorab. eccleſ. hiſtor. ſacr. noui teſtam. part. poſt. ſaec. XVII. p. 1195. ſeqq.* Caput tamen cauſſae redibat ad quaeſtionem de vnione religionum, tum Lutheranae & reformatae inter ſe, tum vtriusque cum pontificia. Hanc namque defendebat CALIXTVS, eo, quod diſſenſus inter noſtrates, reformatos & pontificios minime fundamentalis eſſet. Eum in finem porro docebat, fundamentales chriſtianae religionis articulos in ſymbolo apoſtolico contineri, adeo vt, qui iſtud ſecundum ſenſum, in conciliis oecumenicis expreſſum, admittat, a communione verae eccleſiae non poſſit excludi. Dum itaque certamina haecce, praeſertim inter FRID. VLR. CALIXTVM & ABRAH. CALOVIVM, feruebant, hicce cum illis, qui eius partibus fauebant, id egit, vt ſyncretiſtae, vt vocabantur, tandem prorſus a communione & ſocietate eccleſiae Lutheranae excluderentur. Eumque in finem, *conſenſus* ille *fidei vere Lutheranae ex libris ſymbolicis repetitus*, ab eo Wittenbergenſium ac Lipſienſium theologorum nomine concinnatus, Wittebergae an. 1666. 4. in lucem emerſit, qui inſtar noui libri ſymbolici eſſet, in quo etiam omnia iſta continebantur capita, in quibus CALIXTVS a recepta eccleſiae noſtrae doctrina diſſentire videbatur. Tum vero FRIDER. VLR. CALIXTVS, ne cauſſam ſuam deſerere cenſeretur, *liquidiſſimam* edidit *demonſtrationem, quod ille iactatus conſenſus fidei vere Lutheranae nec conſenſus fidei vere Lutheranae ſit, nec fidei vere Lutheranae conſenſui, Georgius Calixtus & Conradus Horneius, contraria docuerint*; Helmſtadii 1667. 4. AEGID. contra STRAVCHIVS *conſenſus* iſtius *repetiti* in ſe ſuſcepit defenſionem, in *conſenſu repetito fidei vere Lutheranae, in LXXXVIII punctis, quae contra puram & inuariatam Auguſtanam confeſſionem, aliosque libros ſymbolicos in formula concordiae, & ipſomet corpore doctrinae Iulio comprehenſos, ſcriptis publicis ita impugnarunt Georgius Calixtus, eiusdemque complices, vt Lutheranorum titulo indignos ſeſe omnino reddiderint, a calumniis, mendaciis & iniquis cenſuris, D. Frid. Vlrici Calixti, iuſſu & auctoritate collegii theologici in academia Wittebergenſi, vindicato*; Wittebergae anno 1668. 4. Inſertus hiſce *vindiciis* eſt ipſe *conſenſus repetitus*, qui & in *conſiliis* theo-

theologicis Wittebergenſibus exſtat, *part. I. p.928. ſeqq.* Facere nequeo, quin hic addam, quae IO. FABRICIVS in *hiſtor. bibliothec. Fabric. part. IV. p. 412.* de hiſce *conſenſus repetiti vindiciis* obſeruat. *Mirum*, inquit, *auctorem hunc* (AEGID. STRAVCHIVM) *tam cito immutatum fuiſſe, vt conſenſum non ab eccleſia Lutherana, ſed D. Calouio fabricatum, vindicare ſuſtineret, qui N. H. O. a S. patricio inclytae alicuius vrbis imperialis, ipſum anno 1667 inuiſenti, & de iniquitate conſenſus Calouiani, (ratione eorum, quae in antitheſi exſtant, contra doctores Helmſtadienſes) conquerenti, ſancte adfirmauerat, non ſe videre, quo ille modo defendi poſſet. Id quod collocutor ille, pia anima, in qua nullus erat dolus, nullum commentum, mendacium nullum, ſaepius poſtea, nec ſine dolore, multis narrauit. Hoc autem eſt certum, non omnia venerandae facultatis membra concurriſſe, ad onus defenſionis Strauchio adſeſſori imponendum; isque mutati animi habuerit rationes, nobis nec cognitas, nec rimandas.* Cum in *vindiciarum* iſtarum inſcriptione poſitum eſſet: in *formula concordiae*, pro: in *libro formulae concordiae*, eius rei cauſſa peculiarem declarationem, ſiue *Erklaehrung des Titels &c.* STRAVCHIVS edidit, negans, id ſibi imputari poſſe, cum ab aliis inſcriptio ita concinnata eſſet. *Vindiciis* denique hiſce *Strauchianis* ſcriptum, quod ſub nomine *pietatis academiae Iuliae*, interprete HERM. CONRINGIO, an. 1668 prodiit, praecipue oppoſitum fuiſſe quem iam laudauimus, IO. FABRICIVS *l. c. pag. 413.* nos condocet. Eumdem vero virum doctiſſimum CALIXTI, ſaltem ad vnionem eccleſiae noſtrae, tum cum reformatis, tum cum pontificiis, quod attinet, veſtigia premere & aliunde ſatis notum eſt, & ex *conſideratione* quoque eius *controuerſiarum, quae euangelicos inter & Romano-catholicos reformatosque agitantur*, cuius altera editio Helmſtadii anno 1715 prodiit conſtat. Ad ipſum *conſenſum repetitum* vt redeamus, quae theologorum Ienenſium, quorum eo tempore princeps IOAN. MVSAEVS erat, de illo fuerit ſententia, patet ex eorumdem *reſponſo*, ſiue *der theologiſchen Facultaet zu Iena Bedencken an ihre hochfürſtliche Durchlauchtigkeit Herrn Io. Ernſt, vnd Herrn Fridrich, Herzogen zu Sachſen &c. vom conſenſu repetito, vnd von dem Calixtiniſchen ſyncretiſmo*, quod ipſemet exhibet ABRAH. CALOVIVS, in *hiſtoria ſyncretiſtica lib. III. cap. VIII. p. 999. & ſeqq.* vt tamen ſtatim refutationem ſubiungat, ſiue *Bericht über der Herren Ienenſium theologorum Bedencken &c. p. 1091. ſeqq.* Enimuero, cum Ienenſium iſta de *conſenſu repetito* ſententia, & moderati animi in hiſce controuerſiis ſtudium Wittebergenſibus non placeret; nouae inde inter hos atque illos enatae ſunt contentiones, id agentibus Wittebergenſibus, ſpeciatim ABRAH. CALOVIO, vt Ienenſes quoque in variorum errorum ſuſpicionem deducerentur. Atque huc varia comparata ſunt ſcripta, vt: *diſſenſus theologorum Ienenſium ab orthodoxis electoralibus, e Ienenſium declaratione hauſtus, in Abrahami Calouii ſyſtemate theologico ad verbum deſcriptus*; item *diſſenſus theologorum Ienenſium hodiernorum a ſuis maioribus &c.* cumprimis ſchediaſma illud: *theologorum Ienenſium errores, ex variis eorumdem ſcriptis dilucide monſtrati*, in quo nonaginta trium errorum arguebantur, & cui theologorum Ienenſium nomine beatus IO. MVSAEVS oppoſuit *der Ieniſchen theologen ausführliche Erklaehrung über drey vnd neunzig Religions-Fragen oder controuerſien, wie, was vnd aus was vormotiuen vnd Gründen ſie, oder auch nach Beſchaffenheit der Sache, ihre Vorfahren bey der Fürſtlichen Saechſiſchen Vniuerſitaet Iena, von einer ieden, priuatim oder publice, gelehret oder nicht gelehret haben &c.* Ienae 1677. 4. Quo in ſcripto, magno vtique cum iudicio compoſito, Ienenſium theo-

theologorum innocentia ſtrenue vindicatur, & omnibus aduerſariorum obiectionibus aut inculpationibus ſolidiſſime occurritur. Eumdem MVSAEVM, in *quaeſtionibus* quoque *theologicis inter noſtrates hactenus agitatis*, *de ſyncretiſmo & ſcriptura ſacra*, an. 1679. 4. Ienae editis, ſpeciatim in *praefatione*, iis praemiſſa, ſuam atque collegarum ſuorum cauſſam egiſſe, ſupra iam obſeruauimus, cum de theologo hocce praeſtantiſſimo verba faceremus, vbi & alia, quae huius loci ſunt, monuimus. De Helmſtadienſium controuerſiis cum ſaxonicis electoralibus vnicum hocce non addere nequeo, magnum in iis momentum trahere librum, qui inſcribitur: *eines chriſtlichen hochgelahrten Lehrers der ohngeaenderten Augſpurgiſchen Confeſſion*, *beſcheidenes*, *vnvorgreiffliches vnd gründliches Bedencken über die zwiſchen etzlichen Chur-Saechſiſchen vnd Helmſtaedtiſchen theologen entſtandenen controuerſien*, 1662. 4. Auctorem eius SALOM. GLASSIVM, cuius in eccleſiam noſtram merita nemo ignorat, eſſe, conſtat, quamuis poſt beatum eius obitum demum in lucem protractus ſit. Rigidioribus eum non placuiſſe, nonnulli obſeruant, eo, quod moderate admodum de hiſce controuerſiis ſententiam pronuntiauerit. Legendi VINC. PLACCIVS, in *theatro anonymor. p. 423.* IO. FABRICIVS, in *hiſtor. bibliotb. Fabric. part. IV. pag. 333.* Plura autem de omnibus hiſce dabit CHR. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſt. theolog. litterar. &c. part. II. lib. III.* ad *epilogum p. 433. ſeqq.* Hiſtoriae quoque iſtorum certaminum, praeter CHR. HARTKNOCHIVM, & CHR. EBERH. WEISMANNVM, quos iam laudauimus, lucem adfundet, circumſpecte tamen legendus, GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVII. cap. XI.* Cumprimis autem hic conſulenda ABRAH. CALOVII *hiſtoria ſyncretiſtica*, *das iſt*, *chriſtliches wohlgegründetes Bedencken über den lieben Kirchen-Frieden vnd chriſtliche Einigkeit*, *in der heilſamen Lehre der himmliſchen Wahrheit*, *in dreyen Büchern verfaſſet*; edita primum 1682, & an. 1685 recuſa. Licet enim CALOVIVS, praecipuus Helmſtadienſium & ſyncretiſtarum, quos vocant, fuerit aduerſarius; licet etiam ſubinde diſputatorem potius, quam hiſtoricum agat; nonnulla tamen momenta exhibet, quae ab iis omnino legenda ſunt, qui de hiſce controuerſiis adcurate erudiri cupiunt.

Supereſt tertia & vltima claſſis controuerſiarum, inter noſtrae eccleſiae theologos agitatarum, quae *pietiſticae* vocari ſolent. Earum plenam hiſtoriam etſi hucusque nemo dederit, quod & ob varias non potuit fieri rationes; legiſſe tamen initio iuuabit ipſius PHIL. IAC. SPENERI *wahrhafftige Erzehlung deſſen*, *was wegen des ſogenandten pietiſmi in Teutſchland von einiger Zeit vorgangen*, *aus Gelegenheit Herrn Gerhard Croeſii ſeiner hiſtoriae Quackerianae einuerleibten hiſtoriae pietiſtarum*, *vnd zu dero Verbeſſerung auffgeſetzet*, cuius libelli altera editio Francofurti prodiit, an. 1698. 12. Atque hinc vt originem praecipue iſtarum concertationum condiſcere licet; ita eodem etiam ſpectat VITI LVDOVICI SECKENDORFII *Bericht vnd Erinnerung auf eine im Druck lateiniſch vnd teutſch ausgeſtreuete Schrifft*, *im latein imago pietiſmi*, *zu teutſch aber Ebenbild der pietiſterey genandt &c.* Quae viri ſummi commentatio, cui & ipſum illud ſchediaſma, *imago pietiſmi* inſcriptum, inſertum eſt, cum praefatione PHIL. IAC. SPENERI, itidem *hiſtoriam* quamdam *pietiſmi* exhibente, anno 1692. primum prodiit, & deinde Halae Magdeburgicae an. 1713. 4. recuſa eſt. In *reſponſis* quoque, ſeu *conſiliis theologicis* ipſius SPENERI plurima occurrere, quae hiſtoriam harum controuerſiarum conditeris, inſeruire poſſunt, deprehendet, qui ea euoluere

uere voluerit; quod feciſſe, nem nem forte poenitebit. Locum hic ſibi porro vindicat: *ausfuhrliche Beſchreibung des Vnfugs, welchen die Pietiſten zu Halberſtadt im Monat Decembri 1692 vm die heilige Weinachts-Zeit geſtifftet, dabey zugleich von dem pietiſtiſchen Weſen in gemein etwas gründlicher gehandelt wird*, ſine loci mentione anno 1693. 4. Huic enim libello, dum PHIL. IAC. SPENERVS in *der gründlichen Beantwortung einer mit Laeſterungen angefülleten Schrifft &c.* Francofurti 1693. 4. PAVLVS ANTONIVS in *dem ausfuhrlichen Bericht wegen eines iüngſtausgebrachten ſcripti anonymi &c.* Ienae 1693. 4. HENR. FERGENIVS, ſacrorum antiſtes ſupremus Gothanus, in *dem wahrhafftigen Bericht an ſtatt einer gründlichen Beantwortung &c.* Ienae 1694. 4. AVG. HERM. FRANCKIVS, in *der Verantwortung gegen die ſo genandte Beſchreibung des Vnfugs der Pietiſten, vnd die darinne enthaltene alte vnd neue Aufflagen &c.* Halae, ſine anni mentione 4. aliique, apologias ſuas oppoſuerunt, plurima ſimul attigerunt & illuſtrarunt facta, quae haud vltimam hiſtoriae certaminum iſtorum partem conſtituunt. Pari ratione cum IO. FRID. MAYERVS ſub *theologi ſuecici* nomine *breuem relationem*, ſiue *kurtzen Bericht von Pietiſten*, an. 1706 edidiſſet, variis ſcriptis illi reſponſum fuit; in quibus dum obiecta diluebantur, non poterat non factorum, quae hic in cenſum veniunt, haberi ratio. Speciatim huc ſpectant: *der theologiſchen Facultaet auf der Vniuerſitaet zu Halle Verantwortung gegen Herrn D. Io. Friderich Mayers vnter dem Nahmen eines Schwediſchen theologi herausgegebenen ſo genandten kurtzen Bericht von Pietiſten*, Halae 1706. 12. cui MAYERVS mox oppoſuit *recepiſſe, daß er der theologiſchen Facultaet zu Halle Verantwortung wohl empfangen habe*, Gryphiswaldiae anno 1707. 12. qui & ſimul *diſſertationem* ſuam *de lenitate Philippi Melanchthonis, in gratiam facultatis theologicae Hallenſis*, recudi curauit ibidem, eodemque anno, 12; tandemque & *gelinde vnd gründliche Antwort auf der theologiſchen Facultaet zu Halle ſehr hefftige vnd gantz vngegrundete Verantwortung* euulgauit, Lipſiae 1707. 4. porro IO. SAM. STRYKII *Verantwortung gegen Herrn D. Ioan. Fr. Mayers &c. ſogenandten kurtzen Bericht von Pietiſten*, Halae 1707. 12. item AVG. HERM. FRANCKII *wahrhafftiger Bericht von denen obſeruationibus biblicis, oder Anmerckungen über einige Oerter heiliger Schrifft, ietzt auffs neue herausgegeben mit einer Vorrede, darinne die Gelegenheit vnd Vrſache dieſer neuen Aufflage gezeiget wird*; Halae 1707. 12. Atque idem etiam vir celeberrimus, cum eodem tempore in lucem emiſiſſet: *Antwort-Schreiben an einen Freund zu Regenſpurg, geſchrieben den 25. Februarii 1706. eine ihm von demſelben aus Regenſpurg communicirte Relation, von einer ſich damahls zu Schwarzenau befindenden gottloſen Geſellſchafft, vnd Herrn D. Mayers zu Greiffwald diſputation, de noua atque abominanda trinitate pietiſtarum, betreffend*, Halae 1707. 12. MAYERVS rurſus prodire iuſſit, *Warnung an die ſtudioſos theologiae, ſo dem Schwediſchen Scepter vnterthaenig ſeynd, ſich für denen obſeruationibus biblicis Herrn M. Aug. Hermann Franckens wohl fürzuſehn, ſamt einer Vorrede, welche Herr M. Franckens iüngſte Schrifften, ſo er wieder den Bericht von Pietiſten, als auch von der diſputation de trinitate pietiſtarum herausgegeben, beantwortet*, Gryphiswaldiae 1707. 12. FRANCKIVS vero tum ei oppoſuit: *gründliche vnd gewiſſenhaffte Verantwortung gegen D. Ioan. Frid. Mayers harte vnd vnwahrhaffte Beſchuldigungen, ſo dieſer ohnlaengſt, bey abermahliger edirung ſeiner ehemahls geſchriebenen Warnung &c. in der Vorrede ſelbiger Warnung ausgeſchüttet &c.* Halae 1707. 12. In hiſce omnibus ab vtraque parte varia adferuntur, adcuratiori eorum, quae in hocce certamine con-

contigerunt, diiudicationi inſeruientia; vnde ea neutiquam praetermittenda eſſe, exiſtimaui. Ad pleniorem tamen iſtorum certaminum notitiam comparandam, conſulenda vtique ſcripta VAL. ERN. LOESCHERI atque IOACH. LANGII, in quibus de cauſſa hacce pietiſtica ex inſtituto diſceptatur, & momenta quamplurima, ad eius hiſtoriam facientia, diſcutiuntur. Cum enim LOESCHERVS *Timotheum* ſuum, quem vocat, *Verinum*, *oder treugemeintes Zeugnis vor die Wahrheit, über die bisherigen ſchwehren Streitigkeiten, vnd einreiſſende Zerrüttung vnſerer Kirchen*, cuius *erſte Vorſtellung* exſtat in *denen vnſchuldigen Nachrichten* ad *annum 1711. fünffte Ordnung num. XVIII. p. 672. ſeqq.* edere coepiſſet; LANGIVS ſtatim illi oppoſuit *die Geſtalt des Kreutz-Reichs Chriſti in ſeiner Vnſchuld, mitten vnter den falſchen Beſchuldigungen vnd Laeſterungen, ſonderlich unbekehrter vnd fleiſchlich geſinnter Lehrer &c.* Halae 1713. 8. Non tantum autem pro LOESCHERO pugnauit IO. DAV. STEVCKARDVS, in *der Vnſchuld des Timothei Verini, mitten vnter denen falſchen Beſchuldigungen, vnd Laeſterungen*; Dresdae 1715. 8. ſed ipſe quoque LOESCHERVS in lucem emiſit *den vollſtaendigen Timotheum Verinum, oder Darlegung der Wahrheit, vnd des Friedens, in denen bisherigen pietiſtiſchen Streitigkeiten &c.* cuius pars prima Wittebergae an. 1718. 8. prodiit. Tela haec iterum excepit LANGIVS, in *der abgenoethigten voelligen Abfertigung des ſo genandten vollſtaendigen Timothei Verini, in der Lehre von der Erleuchtung vnd zugehoerigen Materien &c.* Halae 1719. 4. itemque in *der apologetiſchen Erlaeuterung der neueſten Hiſtorie bey der euangeliſchen Kirche von an. 1689. bis 1719. &c.* ibidem, eodemque anno, 4. LOESCHERVS contra, quod inceperat, opus continuauit, edita *des vollſtaendigen Timothei Verini, oder Darlegung der Wahrheit vnd des Friedens &c. parte II.* Wittebergae 1721. Sed nec hanc ſine cenſura dimittendam cenſuit LANGIVS, in *den abgenoethigten abermahligen Zeugnis der Wahrheit vnd Vnſchuld gegen Herrn D. Val. Ernſt Loeſchers zweyten Theil ſeines ſogenandten vollſtaendigen Timothei Verini &c.* Halae 1722. 4. cui tamen quidam VINC. CASPERSOHNIVS oppoſuit *noethige vnd nützliche Beylage zu Hr. D. Ioachim Langens Zeugnis der Wahrheit vnd Vnſchuld &c.* Holmiae 1724. 8. Ipſae porro *innocuae*, vt vocantur, *relationes*, ſiue *vnſchuldige Nachrichten*, de quibus iam alibi dictum, locum hic ſibi vindicant, vtpote in quibus omnia ſcripta, in hacce cauſſa edita, recenſentur. Prodiit equidem anno 1710 *wahrhafftige vnd gründliche hiſtoriſche Erzaehlung alles deſſen, was zwiſchen denen heut zu Tage ſo genandten Pietiſten geſchehen vnd vorgegangen*; quae narratio cum, ex recitationibus meis in hiſtoriam eccleſiaſticam recentiſſimam excerpta, me inſcio atque inuito, in lucem emerſerit; me illam pro mea non agnoſcere, iam dudum publice profeſſus ſum, denuoque profiteor. Minimam inſuper eorum partem, quae in hacce cauſſa geſta ſunt, complectitur. Addi nunc poſſent, qui in compendiis aut inſtitutionibus hiſtoriae eccleſiaſticae, ad hancce vſque aetatem progrediuntur, adeoque & horum certaminum, mentionem faciunt; ſed miſſis hiſce ad ſcripta potius dogmatico-polemica ipſa progredior. Horum vero cum tantus ſit numerus, vt eorum deſignatio ingens aliquod volumen requirat; praecipua ſolum indicare, ſuffecerit. Nec aliud quid inſtituti noſtri poſtulat ratio. Primo autem loco hic merito in cenſum venit *chriſt-Lutheriſche Vorſtellung in deutlichen aufrichtigen Lehr-Saetzen, nach Gottes Wort vnd den ſymboliſchen Kirchen-Büchern, ſonderlich der Augſpurgiſchen Confeſſion, vnd vnrichtigen Gegenſaetzen aus Herrn D. Philippi Iacobi Speneri Schrifften &c.* Quod ſcriptum, nomine theologorum Witteber-

gen-

genſium, a IO. DEVTSCHMANNO concinnatum, lucem adſpexit Wittebergae an. 1695. 4. Reſpondit ad illud, ſuamque in omnibus ſacrae doctrinae capitibus, in quibus grauiſſimorum errorum arguebatur, ſententiam declarauit SPENERVS, in *der aufriechtigen Vbereinſtimmung mit der Augſpurgiſchen Confeſſion, zu noethiger Vertheidigung ſeiner reinen Lehre, von ihm ſelbſt entgegen geſetzt der ſogenandten chriſt-Lutheriſchen Vorſtellung &c.* Francofurti an. 1696. 4. Defendendum equidem rurſus, vindicandumque illud theologorum Wittebergenſium ſcriptum in ſe ſuſcepit IO. DEVTSCHMANNVS in *der Antwort der theologiſchen Facultaet zu Wittenberg über die chriſt-Lutheriſche Vorſtellung wieder die Vbereinſtimmung D. Speners mit der Augſpurgiſchen Confeſſion,* Wittebergae 1696. 4. Sed regerere aliquid ad haſce vindicias noluit SPENERVS, vt ipſemet paſſim teſtatur. Conferendus IOACH. LANGIVS, in *der Erlaeuterung der neueſten Hiſtorie,* & quidem in *dem hiſtoriſchen Vorbericht &c. §. XV. p. 59. 60.* Summatim ex vna parte controuerſias haſce complexi ſunt SAM. SCHELGVIGIVS, in *ſynopſi controuerſiarum ſub pietatis praetextu motarum,* cuius editio ſecunda *emendatior & altero fere tanto auctior,* Gedani prodiit, 1703. 8. *ſupplementum* autem *exhibens theſes ex ſynopſi controuerſiarum &c. cum antitheſibus, quae ipſiſmet nouatorum verbis bona fide allegatis traduntur,* lucem adſpexit Gedani 1708. 8. IO. GEORG. NEVMANNVS in *theologia aphoriſtica, in qua ſententia orthodoxa, recentioribus potiſſimum aduerſariis oppoſita, ſuccinctis aphoriſmis perſpicue proponitur, & ſelectis argumentis confirmatur &c.* Wittebergae 1710. 8. GEORG. FRID. NIEHENCK in *compendio errorum pietiſticorum &c.* Roſtochii 1709. 8. ex altera, IO. GVIL. ZIEROLDVS, in *ſynopſi veritatis diuinae, oppoſita ſynopſi controuerſiarum Samuelis Schelguigii &c.* Francofurti & Lipſiae 1706. 8. HENR. LYSIVS, in *ſynopſi controuerſiarum a veritatis, paciſque ac pietatis hoſtibus domeſticis, ſub orthodoxiae praetextu hoc tempore motarum &c.* Halae Saxonum an. 1712. 8. cumprimis autem IOACH. LANGIVS, in *antibarbaro orthodoxiae dogmatico-hermenevtico, ſiue ſyſtemate dogmatum euangelicorum, ſolide demonſtratorum, a pſeud-euangelicis autem temere impugnatorum &c.* cuius *pars I. & II.* Berolini anno 1709. *III.* autem & *IV.* Halae 1711. 4. in lucem emiſſae ſunt. Hoc ipſo autem, dum haec ſcribo, tempore anno 1726 in conſpectum orbis eruditi prodiit *Salome Chriſto affinis, hoc eſt, ſynopſis logomachiarum, vt vulgo vocant, pietiſticarum breuiter recognitarum conciliandis fratrum animis & aduerſariorum calumniis abſtergendis, deſtinata,* a GEORGIO AVGVSTO PACHOMIO, quo ſub nomine GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS, theologus Altdorffienſis clariſſimus, latitare dicitur; Francofurti & Lipſiae 8. Quod viri doctiſſimi inſtitutum nemo bonus vituperauerit, etſi, quisnam eius futurus ſit ſucceſſus, incertum ſit. Ad ſpecialia deſcendere, cum noſtri non ferat inſtituti ratio, id ſolum monemus, cum nulla fere maioribus animorum motibus agitata ſit recentiori aetate quaeſtio, quam illa, de theologia & illuminatione irregenitorum; ſcripta, quibus ea diſceptata fuit, magno numero laudat CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theologor. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. I. lib. II.* ad *§. X. pag. 281. ſeqq.* qui & reliqua, ad haſce controuerſias ſpectantia, ſuppeditat *part. II. lib. III.* ad *epilogum pag. 444. ſeqq.*

Digitized by Google

§. XI. Cum denique abuſus theologiae polemicae non minor fere ſit quam eiusdem vſus, quo inducti nonnulli eamdem prorſus damnarunt & reiecerunt; noſtrarum erit partium, circumſpecte hic incedere, operamque dare; vt ſobrie atque prudenter in controuerſiis tractandis verſemur, ne, ſi aliter nos geramus, veritatem, quam defendendam ſuſcepimus, prodere potius ac deſtruere, quam confirmare ac ſtabilire videamur. *

* Plurima & fere infinita cum controuerſiarum tractatione coniuncta eſſe incommoda, ex iis, quae hucusque commemorauimus, abunde liquet. Idque cum in ſaeculis antiquioribus ſubinde indicatum ſit, in recentioribus longe ſaepius fieri potuiſſet, ſi numquam non ſemel dicta repetere libuiſſet. Ipſa certaminum theologicorum per omnia a Chriſto nato ſaecula ad noſtram vsque aetatem multitudo facile aliquem in ſtuporem coniicere poſſet. Iam ſi quis porro conſideret, quantis animorum motibus haud raro de rebus aut nullius, aut exigui momenti, fuerit dimicatum, quotue acerrimae contentiones in meras abierint λογομαχίας: ſi perpendat, eos etiam, qui pro veritate ſteterunt, eam ſubinde rationibus ineptis & friuolis defendiſſe, aut pro rationibus omnino, calumniis, conuiciis, contumeliis, vſos, aut miſeris ſophismatibus; ſi cogitet, ſaepiſſime alteram partem alteri ſententiam adfinxiſſe, a qua prorſus aliena fuit, aut vtramque, quaeſtionis non recte conſtituto ſtatu, aerem verberaſſe, & quae alia ſunt eiusdem generis; miſeram merito mortalium ſortem, tanto conatu nihil agentium, immo potius grauiſſimis peccatis ſe obſtringentium, veritatisque, cuius ſe propugnatores iactitant, fructus impedientium, foedamque ſimul & ſordidam eccleſiae, turbis bellisque perpetuis hac ratione inuolutae, faciem, deplorandi iuſtiſſimas ſe habere cauſſas, deprehendet. Enimuero, cum per veritatis, a Deo reuelatae, cognitionem ad fidem, hinc & ad vitae ſanctae ſtudium, pacemque ſimul ac concordiam, cum omnibus colendam, excitari homines debeant; belliis iſtis ac dimicationibus perpetuis, ira, odio, liuore, replentur omnia, multorumque animi abripiuntur, vt omnia potius alia cogitent, quam quae ſerium ſalutis conſequendae ſtudium exigit. Cumque iſti, qui eiusmodi certaminum minus neceſſariorum auctores exſiſtunt, aut non recte in iis verſantur, veritatis cauſſam agere, aut pro aliorum ſalute vigilare, videri velint; plerumque contingit, vt ipſimet non tantum cum veritate ſalutem amittant, ſed alios etiam ſecum in perniciem abripiant. Atque ita, quod remedium ad errores repellendos, veritatemque conſeruandam, eſſe debebat, plurimorum intuitu in venenum, quo iis pereundum eſt, conuertitur.

In hiſce ergo omnibus vt maximus grauiſſimusque theologiae polemicae abuſus conſpicitur; ita eodem inducti, nonnulli ſtudium eius atque culturam damnarunt prorſus ac reiecerunt, atque ex orbe chriſtiano eliminare voluerunt. Iſtos vero abuſum ab vſu diſcernere oportebat, atque cogitare, ob incommoda quaedam, quantumuis magna, non ſtatim genus aliquod ſtudiorum, quod ſua ſe vtilitate commendat, reiiciendum eſſe. Nec vero vtilis tantum eſt theologia polemica, verum pro praeſenti eccleſiae chriſtianae ſtatu prorſus neceſſaria. Cum enim omnino plurimi, infernalis genii inſtinctu inducti, id agant, vt veritatem diuinam, quae miſeris mortalibus viam pandit ad ſalutem, obſcurent, peruertant, labefactent, opprimant; ecquis neget, a veris ac genuinis eccleſiae do-

doctoribus, vt hiſce obuiam eatur, eam rurſus adſerendam, vindicandam, fortiterque propugnandam eſſe? Nec ipſi iſti, qui theologiam polemicam reiiciunt, ſi ſuam defendere ſententiam vellent, aliter hoc facere poſſent, quam vt rationibus eam munirent, & ſecus ſentientium argumenta refutarent, adeoque ſuo ſtatim exemplo neceſſitatem eius confirmarent. Subinde tamen eos, qui theologiae polemicae reiicere videntur ſtudium, de eius ſolum loqui abuſu, iam ad §. *I.* huius capitis obſeruatum eſt. Rectius itaque ſapiunt, qui agnoſcunt, polemica theologia, eccleſiam carere non poſſe, ſimulque vt vitia, quae illam comitari ſolent, emendentur, incommodaque euitentur, omnem nauandam operam, ſuadent. Idque fieri poſſe, non eſt, quod dubitemus, ſi modo illi, qui id ſibi datum credunt, vt pro veritatis defenſione in aciem prodeant, prudentiae, viam, quam, hic ingredi debeamus, monſtrantis, monita obſeruare velint.

Horum autem primum eſt, vt non alium, quam quem prae ſe ferunt, ſibi conſtitutum habeant finem, nempe veritatem, prout eius cognitio ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt, defendendi & conſeruandi. Qui enim ad ingenii ſolum oſtentandas vires, vel laudis gloriaeque cupiditate ducti, eiusmodi certamina ineunt, aut odio, atque liuore abrepti, hoc ſolum agunt, vt victoria potiantur, vt noceant hoſti, vt habeant, quo ſe efferant, iactitent, quoue triumphent; vt palam omnibus oſtendunt, nihil minus, quam veritatis conſeruationem, ſibi curae cordique eſſe; ita non poſſunt non praecipiti lapſu ruere in ea vitia, quae in certaminibus theologicis tam frequenter occurrunt, eaque aliis tam inuiſa reddunt. Nec rectius aut ſibi, aut veritati conſulunt, qui, armis legitimis non inſtructi, ad pugnam accedunt, hoc eſt, qui nec iis ingenii dotibus pollent, nec litteris illis imbuti ſunt, quibus feliciter dimicaturos inſtructos eſſe decet. Alterum enim hoc eſt prudentiae monitum, ne quis eiusmodi quid ſuſcipiat, quod ſupra vires ſuas poſitum eſſe, nouit. Ex ignorantia nimirum, iudiciique pariter ac ſolidae eruditionis defectu interdum prouenit, vt aliquid, ceu erroneum, reiiciamus, quod veritati eſt conſentaneum, aut vt mentem alterius non recte percipiamus, vel aliquid illi tribuamus, quod a ſe adſeri, negat, & quae his ſunt ſimilia; quamquam & horum omnium aliae cauſſae eſſe queant. Cumprimis ſe ipſum exploret, neceſſe eſt, qui in arenam hanc deſcendere cupit, an adfectus ita ſubigere ac perdomare didicerit, ne eorum in transuorſum agatur impetu. Horum enim niſi imperium teneat, & aduerſariorum tela, iniurias, contumelias, forti & patienti animo excipere paratus ſit; maximo & ſe ipſum, & veritatem, quam propugnandam ſuſcepit, exponet periculo. Se ipſum quidem, ſi irritatus, & par pari redditurus, conuicia conuiciis penſaturus, ea agat, dicatue, quibus offendat alios, & eorum ſibi conciliet odium aut contemtum: veritatem autem, ſi, intellectu per adfectuum furorem, vt fieri ſolet, tenebris repleto, planeque excaecato, ad vera a falſis, bona a malis rite diſcernenda, plane ineptus reddatur. Enimuero, quaenam hinc in theologiam polemicam redundent incommoda, vt copioſius ediſſeram, neceſſe non eſt, cum quilibet facile hoc percipiat. Iam ſi ita inſtructus, riteque praeparatus veritatis vindex, non temere in pugnam ruat, ſed tempus exſpectet, quo eccleſiae ſalus doctrinae ſacrae defenſionem poſtulat, ſi probe prius perpendat, an tanti momenti quaeſtio ſit, vt ad arma ſit proſiliendum; ſique neceſſaria a non neceſſariis, fundamentalia ab acceſſoriis, rite diſcernat; ſi porro non ſophiſmatibus, non conuiciis aut contumeliis, ſed argumentis ſolidis ac selectis pugnet; ſi non minori erga diſſentientes caritate, ſtudioque eorum ſalutem promouendi,

Digitized by Google

uendi, quam zelo veritatem conſeruandi, ſe flagrare, oſtendat; ſi denique pacem ac tranquillitatem eccleſiae, aeque ac doctrinae puritatem, ſibi curae eſſe demonſtret; tum ſpem certam animo concipere licet, fore, vt, ſi non omnia, certe pleraque incommoda, quae controuerſiarum tractationem premunt, euitentur. Idque ſi ab omnibus, aut plerisque, qui huncce campum ingrediuntur, obſeruaretur, adflictis eccleſiae rebus conſuli vtcumque poſſet, fructus certe egregii ad multorum ſalutem inde eſſent exſpectandi. Copioſius haec omnia ediſſerui in commentatione *de theologiae polemicae ſtudio ſolide ac ſobrie inſtituendo*, in *ſyntagm. diſſertation. theolog. p. 678. ſeqq.* Conferenda & quae IO. GEO. WALCHIVS hac de re dixit in *der hiſtor. und theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten c. II. p. 26. ſeqq.*

LIBRI POSTERIORIS
CAPVT OCTAVVM
DE
THECLOGIA EXEGETICA.

Σύνοψις.

THeologiae exegeticae nomine quid intelligatur? §. I.
Viam ad illam pandunt, tum qui de ratione interpretandi ſcripturam ſacram praecipiunt, tum qui hiſtoriae eius inſeruiunt; §. II.
De libris ſacris veteris teſtamenti, eorumque hiſtoria quid obſeruandum? §. III.
itemque de libris noui teſtamenti; §. IV.
Verſiones praecipuae veteris teſtamenti; paraphraſes chaldaicae; verſio graeca ſeptuaginta interpretum; ſyriaca noui teſtamenti; §. V.
Latinae verſiones, ſpeciatim vulgata; §. VI.
Inter verſiones in linguas, in Europa hodie vſitatas, ad germanicas, & inter has ad eam, quam beatus Lutherus dedit, cumprimis reſpiciendum; §. VII.
Patres trium priorum ſaeculorum, qui in ſcripturae explicatione elaborarunt; §. VIII.
ſaeculi quarti, quinti & ſexti; §. IX.
Quaenam ſaeculo ſeptimo & ſequentibus, vsque ad eccleſiae emendationem, theologiae exegeticae fuerit ratio; §. X.
Fata eius apud Iudaeos; §. XI.
Melior apud chriſtianos, poſt litterarum bonarum reſtitutionem & eccleſiae emendationem, facies; §. XII.
Caute in exegeticae theologiae ſtudio verſandum, ne fine, qui nobis conſtitutus eſſe debet, excidamus; §. XIII.

§. I.

THeologiae exegeticae nomine nobis venit pars theologiae, quae ſcripturam ſacram recte interpretari, eiusque verum ac genuinum ſenſum, in locis praeſertim obſcurioribus, eruere, ac inueſtigare docet, ad veritatis diuinae cognitionem & confirmationem, hinc & ad fidei, vitaeque vſum, aeternamque tandem ſalutem conſequendam. *

Digitized by Google

* Vel ipſum theologiae *exegeticae* nomen, omnes, quod circa ſcripturae ſacrae verſetur explicationem, condocere poteſt. Id quod praecipue de locis obſcurioribus, ſeu quae illuſtratione quadam indigent, intelligendum eſt. In claris enim & perſpicuis, ſeu quorum ſenſus nulla difficultate laborat, hoc ſuperuacaneum foret. Immo interdum contingit, vt, qui plana & perſpicua explicare volunt, caligine quadam atque obſcuritate ea inuoluant. Scripturam ſacram equidem ita perſpicuam eſſe, nouimus, vt omnes, qui animum attentum, ac diſcendi cupidum, ad eius lectionem ſecum adferunt, inde haurire queant, quae ad ſalutem conſequendam ſufficiunt; ſed ideo non negamus, loca quaedam in ea occurrere difficiliora, obſcurioraque, quibus per legitimam interpretationem lux ſit adfundenda. Atque huc dum theologiam exegeticam comparatam eſſe, dicimus, ſimul innuimus, eum, qui rite hac in re verſari cupit, ea eruditione, iisque animi, qua intellectum, qua voluntatem, dotibus praeditum eſſe oportere, quibus idoneum ſcripturae interpretem inſtructum eſſe decet. Quaenam autem iſtae dotes ac virtutes ſint, exponere ſolent, qui de ratione interpretandi ſcripturam ſacram praecipiunt, quos deinceps laudabimus. Summatim praecipua, quae hac de re dici poſſunt, complexus eſt vir clariſſimus IO. IAC. RAMBACHIVS, in *diſſertatione, de idoneo ſacrarum litterarum interprete*, ſub meo moderamine 1720 eruditorum conflictui expoſita. Aliud itaque eſt legere ſcripturam ſacram, aliud eamdem interpretari. Illud omnium hominum eſt, qui ſalutem ſuam ſerio quaerunt: hoc illorum, qui alios iterum docere, iisque viam ſalutis monſtrare cupiunt. Hinc & qui theologiae operam nauant, ab ineunte ſtatim aetate, ſeu quamprimum rationis vſu pollere incipiunt, ſcripturam ſacram legere debent; quemadmodum & Timotheum ſuum Paulus apoſtolus laudat, quod ἀπὸ βρέφους ſacras didiciſſet litteras, *II. Tim. III. 15.* cum ad interpretationem tum demum illis accedendum ſit, cum iis litteris, artibusque ſunt imbuti, ſine quibus rite feliciterque inſtitui nequit. De lectione autem iſta ſcripturae, prout ab interpretatione diſtinguitur & quo pacto inſtituenda ſit, ſupra iam expoſuimus *lib. I. cap. III.* ad *§. XX.* vbi & AVGVST. HERM. FRANCKII *breuem & luculentam, ſcripturam ſacram cum fructu legendi, inſtitutionem*, commendauimus. Interpretatio praeterea, cum ad veri ſenſus, in locis praeſertim obſcurioribus, inueſtigationem tendat; de ipſo equidem ſcripturae ſacrae ſenſu, num vnicus vbique, an vero multiplex ſit, aut eſſe queat, deque veri ac genuini ſenſus criteriis, & quae alia ſunt eiusdem generis, dici nonnulla poſſent; ſed haec alterius loci eſt tractatio. Id potius omnes, qui ſacra haecce attingunt, ſi modo ſapiunt, agere decet, vt cuncta ad veritatis cognitionem, & cognitae confirmationem, & ita porro ad fidei vitaeque vſum referant, vt hac ratione non modo doctiores, ſed meliores ſapientioresque fiant, & ita aeternam tandem conſequantur ſalutem. Tum enim vero experientur, veriſſimum eſſe, quod Paulus apoſtolus dixit, ſacras litteras poſſe nos σοφίσαι *erudire*, vel *ſapientes reddere, ad ſalutem per fidem in Chriſtum Ieſum II. Tim. III. 15.* Atque ita qui ipſemet eruditus eſt, alios etiam eadem ratione ad veram ſapientiam vitamque aeternam erudire poteſt.

§. II. Vt rite in ea proficiamus, obſeruare initio tum eos iuuat, qui de ratione ſacram ſcripturam rite interpretandi commentati ſunt;* tum eos, qui hiſtoriam theologiae exegeticae qua ipſum textum originalem,

nalem, qua verſiones, itemque commentarios praecipuos viam nobis muniunt. **

* A veteris eccleſiae doctoribus, ſeu patribus, vt hic ordiamur, pauci eorum fuerunt, qui de modo, rationeque interpretandi ſcripturam ſacram aliquid litteris conſignarunt. Primus eorum, ni fallor, AVGVSTINVS fuit, cuius, qui exſtant, *libros quatuor de doctrina chriſtiana* huc comparatos eſſe, vtpote in quibus veram rationem interpretandi ſcripturam ſacram tradat, quamuis in *libro quarto*, ſeu vltimo oratorem ſacrum ſimul inſtruat, ſupra iam *lib. I. cap. I.* ad *§. II.* obſeruauimus, vbi & eos cum eiusdem AVGVSTINI libro *de fide & ſymbolo*, ac VINCENTII Lerinenſis *commonitorio* a GEORG. CALIXTO editos, ſignificauimus. Licet vero hocce argumentum non exhauriat; multa tamen ſe recte monet, vt neminem iſtud opus legiſſe poenitere queat. Eodem ſaeculo quarto TICONIVS, ſiue TICHONIVS Afer vixit, qui in quibusdam, non autem in omnibus, cum Donatiſtis fecit, & a ſe diſſentientes acerrime impugnauit. Hic, cum & diuinis litteris eruditus, nec profanarum ignarus eſſet; *regulas ſeptem* ſcripſit, *ad inueſtigandam & inueniendam intelligentiam ſacrarum ſcripturarum.* Recenſet eas, & ſub examen reuocat AVGVSTINVS, *de doctrina chriſtiana, lib. III. cap. XXX. ſeqq. p. m. 114. ſeqq.* Sunt autem iſtae regulae *prima,* de domino & eius corpore, id eſt, eccleſia, *ſecunda,* de domini corpore bipartito, ſeu de eccleſia permixta, *tertia* de promiſſis & lege, *quarta* de ſpecie & genere, *quinta* de temporibus, *ſexta* de recapitulatione, *ſeptima* denique de diabolo & eius corpore. *Quae quidem,* inquit AVGVSTINVS, *conſiderata, ſicut ab illo aperiuntur, non parum adiuuant, ad pentranda, quae tecta ſunt, diuinorum eloquiorum. Nec tamen omnia, quae ita ſcripta ſunt, vt non facile intelligantur, poſſunt his regulis inueniri, ſed aliis modis pluribus, quos hoc numero ſeptenario adeo iſte non eſt complexus, vt idem ipſe multa exponat obſcura, in quibus harum regularum adhibet nullam, quoniam nec opus eſt; l. c. p. 114.* Exſtant iſtae TICHONII regulae, tum alibi, tum & in *bibliotheca maxima patrum tom. VI. p. 49.* MARC. AVREL. CASSIODORVS, dum de eiusmodi libris loquitur, TICHONIO atque AVGVSTINO iungit ADRIANVM, EVCHERIVM, & IVNILIVM. *Primum eſt,* inquit, *poſt huius operis inſtituta, vt ad introductores ſcripturae diuinae, quos poſtea repetimus, ſollicita mente redeamus, id eſt, Ticonium Donatiſtam, ſanctum Auguſtinum de doctrina chriſtiana, Adrianum, Eucherium, Iunilium, quos ſedula curioſitate collegi, vt quibus erat ſimilis intentio, in vno corpore adunati codices clauderentur; diuin. lection. lib. I. cap. X. p. m. 457.* Et ad ADRIANVM quidem quod attinet, licet viri docti, quando is vixerit, inter ſe non conueniant; eum tamen CASSIODORO antiquiorem fuiſſe, ex hoc ipſo, quem recitauimus, loco, patet. Exſtat eius *iſagoge in ſacram ſcripturam,* graece cum ſcholiis quibusdam, & aliis eiusmodi ſcriptoribus, edita a DAVID. HOESCHELIO, Auguſtae Vindelicorum anno 1602. 4. & *bibliis criticis* inſerta, *tomo VI.* editionis, quae Francofurti ad Moenum prodiit, *p. 10. ſeqq.* EVCHERIVS autem gente Gallus, epiſcopus fuit Lugdunenſis, ſaeculoque quinto floruit. Praeter alia ſcripta is itidem reliquit *inſtructionum ad Salonium filium libros II,* quorum alter de difficilioribus ſacrae ſcripturae quaeſtionibus agit, alter interpretationem ebraeorum nominum in eadem occurrentium exhibet. Opera eius, & inter ea *libri* iſti *duo inſtructionum* tum ſeorſim edita proſtant, tum & in *bibliotheca maxima patrum tom. VI. p. 839.*

p. 839. ſeqq. IVNILIVS epiſcopus africanus, eodem, quo CASSIODORVS, vixit ſaeculo, & ad Primaſium, itidem epiſcopum africanum, *libros duos de partibus diuinae legis* ſcripſit, qui *tomo decimo bibliothecae maximae patrum* exhibentur *p. 340. ſeqq.* Ipſe equidem etiam CASSIODORVS in *libris duobus de diuinis lectionibus,* ſiue *de inſtitutione diuinarum ſcripturarum,* ſubinde quaedam de ſcripturae ſacrae interpretatione tradit; ſed cum praecipue illi conſtitutum ſit, eos enarrare, qui ſcripturae ſacrae ſingulos libros explicarunt, rectius de eo deinceps dicemus. Si qui autem in ſequentibus ſaeculis eiusmodi quid ſuſceperunt, digni non ſunt, vt eorum habeatur ratio.

Ad ea itaque ſtatim progredimur tempora, quibus melior lux tum reliquis litteris, tum & theologiae exegeticae adfulſit. Vt enim plurimi tum exſtiterunt viri praeſtantiſſimi, qui in ſacris litteris illuſtrandis ſtudium operamque ſuam collocarunt; ita nec defuerunt, qui de via rationeque eas rite interpretandi eſſent ſolliciti, idque longe meliori ſucceſſu, quam hucusque per tot a Chriſto nato ſaecula factum erat. Noſtrae eccleſiae theologis primas hic deberi partes, adeo manifeſtum eſt, vt nemo, niſi quem liuor plane excaecauerit, hoc negare auſus fuerit. Cum enim beatus MARTINVS LVTHERVS ipſa experientia didiciſſet, quantum ſibi diligens litterarum ſacrarum tractatio in doctrina caeleſti, ab erroribus grauiſſimis repurganda, & tenebris plus quam Cimmeriis, quae orbem chriſtianum circumdederant, diſpellendis, profuiſſet; & doctrina & exemplo ſuo alios, vt ad ſcripturae ſacrae explicationem, verique in ea ſenſus inueſtigationem, omne ſtudium conferrent, excitauit. Quod cum noſtrates certatim facerent; ipſi etiam tandem romanenſes, velut ex ſomno altiſſimo expergefacti, itidem ad adcuratiorem ſacrae ſcripturae acceſſerunt ſcrutationem. Inter eos autem, qui de ratione recte interpretandi ſacram ſcripturam egerunt, primum praecipuumque locum tenet MATTH. FLACIVS illyricus, immo ita tenet, vt omnes, qui ante illum eiusmodi quid adgreſſi ſunt, longe poſt ſe relinquat interuallo. Id namque egit in *claue ſcripturae ſacrae*, cuius duae ſunt partes, quarum prior voces formulasque loquendi, in ſcriptura ſacra occurrentes, ſecundum litterarum ordinem explicat, vt veluti lexicon aliquod biblicum exhibeat, poſterior, varios tractatus complectitur, quorum *primus* cauſſas difficultatis ſacrarum litterarum exponit, *ſecundus* ſententias ac regulas patrum, de ratione cognoſcendi ſacras litteras, ſiſtit, *tertius* de partibus orationis, *quartus* de tropis & ſchematibus ſacrarum litterarum, *quintus* de ſtilo ſacrarum litterarum agit, & ſic porro, adeo, vt iſti tractatus iunctim ſumti integrum velut quoddam hermeneuticae ſacrae ſyſtema efficiant. Editio optima eſt, quae an. 1675 Ienae fol. cum praefatione IO. MVSAEI noſtri prodiit, in qua & refutatio libri exſtat, *de peccato originis*, alteri parti inſerti, & admonitio, de locis nonnullis in vtraque parte, certo ſigno, eo quod cautum lectorem deſiderent, notatis, auctore eodem IO. MVSAEO. RICH. SIMON, licet varia conquirat, quae in hocce FLACII opere reprehendere queat; quae tamen nullius momenti ſunt, & facili negotio dilui poſſunt, e. g. quod, quae de cauſſis difficultatis ſacrarum litterarum diſſeruit, ſententiam noſtram de ſcripturae ſacrae perſpicuitate, euertant; quod regulae iſtae, quas praeſcribit, hermeneuticae, magnam partem ex patribus ſint deſumtae, ceterae autem parum tutae, & quae reliqua ſunt eiusdem generis; tandem tamen fateri cogitur, ſi FLACIVS praeiudicatis Lutheraniſmi opinionibus non fuiſſet imbutus, quibus inductus in adplicatione aberrauerit, magna cum laude eum hoc argumen-

Digitized by Google

gumentum pertractaturum fuiſſe; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XIII. p. 430. 431.* FLACIO iungimus WOLFG. FRANZIVM, cuius *tractatus theologicus nouus & perſpicuus, de interpretatione ſacrarum ſcripturarum maxime legitima*, multorum adprobatione exceptus, quintum prodiit Wittebergae an. 1708. 8. Ad duas autem cuncta reuocat regulas, quarum altera ſcripturam ſacram in ipſis fontibus, ſeu linguis originalibus legendam ſuadet; altera cohaerentiae, ſeu nexus ſermonis, qua antecedentia & conſequentia, diligentem conſiderationem commendat. Et huic quidem multum tribuit, nec ſine ratione, modo & reliqua ſubſidia hermeneutica non negligantur. Eumque in finem cum aſſidua ſcripturae ſacrae lectio ſit neceſſaria; de modo legendi ſacra biblia, priusquam ad ipſam tractationem accedat, commentatur. Regulis autem iſtis, rite expoſitis, centum quinquaginta duo exempla, ſeu dicta difficiliora ſubiicit, quae ſecundum iſtas regulas explicat atque illuſtrat. Accedat nunc etiam SAL. GLASSIVS noſter, cuius *philologiae ſacrae, qua totius ſacro-ſanctae veteris & noui teſtamenti ſcripturae, tum ſtylus & litteratura, tum ſenſus & genuinae interpretationis ratio, expenditur, libri quinque*, tum alias, tum & cum praefatione mea Lipſiae an. 1713. 4. editi. Nimirum liber *primus* & *ſecundus* generalia de ſacrae ſcripturae ſtilo & ſenſu complectitur, cui ſubiuncta eſt oratio *de linguae ebraeae neceſſitate & vtilitate*; *tertius* & *quartus* grammaticam ſacram, & *quintus* rhetoricam ſacram exhibet. Addita denique in editione Lipſienſi an. 1705 eſt eiusdem auctoris logica ſacra. Certatim hocce opus tum a noſtratibus, tum ab exteris laudatum eſt, vt ad eius commendationem aliquid adiungere ſuperuacaneum foret. Conferendus THOM. CRENIVS *animaduerſion. philog. & hiſtor. tom. I. cap. IV. §. II. p. 58.* & *cap. VI. §. VIII. p. 109.* Non errauero, ſi dixerim, triumuiros hosce FLACIVM, FRANZIVM, GLASSIVM, in hocce doctrinae genere principatum tenere, & cuncta ita exhauſiſſe, vt, qui poſt eos hancce viam ingreſſi ſunt, pauca dicere potuerint, quae ab iis dicta non ſint. Laude interim ſua defraudandi non ſunt, qui poſt eos ſummatim hermeneuticae ſacrae, ſeu theologiae exegeticae praecepta tradiderunt, vt IO. CONR. DANHAVERVS, in *hermeneutica ſacra*, itemque in *idea boni interpretis & malitioſi calumniatoris*; IO. GVIL. BAIERVS, in *compendio theologiae exegeticae*, poſt auctoris obitum edito, AVG. PFEIFFERVS, in *hermeneutica ſacra*, AVG. HERM. FRANCKIVS, in *praelectionibus hermeneuticis*, IO. HENR. MAIVS, in *introductione ad ſtudium philologicum, criticum & exegeticum, breui ac perſpicua, in qua ſimul Io. Clerici ars critica, & Marci Meibomii nouum ſpecimen biblicarum emendationum, & interpretationum, examinatur*, ſubnexa eiusdem *repetito examini hiſtoriae criticae textus noui teſtamenti Rich. Simonis*; VAL. ERN. LOESCHERVS, in *breuiario theologiae exegeticae, legitimam ſcripturae ſacrae interpretationem, nec non ſtudii biblici rationem ſuccincte tradente &c.* in cuius *part. II. cap. I.* hiſtoriam quoque theologiae exegeticae breuiter exhibet; aliique; ne quid de iis dicam, qui in *locis* ſuis *theologicis*, vt IO. GERHARDVS noſter, & aliis ſcriptis, doctrinam de interpretatione ſcripturae ſacrae ſimul attingunt. Omnibus autem dubiam hic palmam reddidit IO. IAC. RAMBACHIVS, in *inſtitutionibus hermeneuticae ſacrae, variis obſeruationibus, copioſiſſimisque exemplis biblicis illuſtratis*, in quibus plene, perſpicue, ſolide, cuncta, quae ſacrarum litterarum interpretem inſtruere poſſunt, complexus eſt. Prodierunt cum *praefatione* mea Ienae 1723. 8. Iungere adhuc iuuabit ANDR. IVL. DORNMEIERI *philolo-*

Digitized by Google

lologiam biblicam, Lipſiae anno 1713. 8. editam, in qua inter alia oſtendit, quam ex qualibet fere eruditionis parte vtilitatem ſcripturae interpres capere queat.

Ex romanenſibus SANCTES PAGNINVS, Lucenſis, ordini praedicatorum adſcriptus, *iſagogen* ſeu *introductionem ad ſacras litteras* edidit, Lugduni 1528. 4. FRANC. SIXTVS Senenſis, *bibliothecae ſanctae lib. III.* equidem de arte exponendi ſacro-ſancta volumina agit; ipſa tamen haecce eius *bibliotheca* ſcriptis potius iſtis, quae hiſtoriae theologiae exegeticae lucem adfundunt, de quibus deinceps dicemus, adnumeranda eſt. Sic & NICOL. SERARIVS, IAC. BONFRERIVS, ALPHONSVS SALMERON, IO. STEPH. MENOCHIVS, IAC. TIRINVS, aliique, in ſuis *praeloquiis* ſeu *prolegomenis* ſcripturae ſacrae, vel librorum, quos commentariis ſuis illuſtrarunt, plerumque hancce de ſcripturae ſacrae interpretatione doctrinam attingunt; etſi alia quoque, quae huius loci non ſunt, haud raro admiſceant. Iidem, tametſi quaedam recte moneant; dum tamen eccleſiae ſuae hypotheſibus addicti ſunt; talia ſimul tradunt, quae a recto tramite lectores auertunt, tantum abeſt, vt veram ac genuinam viam ad ſacras litteras, prout decet, intelligendas, pandant, quaeue adeo bene ab illis dicta euertunt, certe obſtant, quo minus fructum inde percipere queant. Exemplo regularum hermeneuticarum, quas recentiori aetate AVG. CALMETVS praeſcripſit, hoc demonſtraui in *praefatione*, IO. IAC. RAMBACHII *inſtitutionibus hermeneuticae ſacrae* praemiſſa. Inter reformatae eccleſiae theologos praecipue ANDR. RIVETVS hic occurrit, cuius quippe *iſagoge ſeu introductio generalis ad ſcripturam ſacram veteris ac noui teſtamenti*, Lugduni Batauorum an. 1627. 4. edita, celebrari ſolet. Et agit quidem in ea de ſcripturae interpretatione, praeſertim *cap. XIV. ſeqq.* cumprimis tamen in controuerſias cum pontificiis ſe diffundit; cumque *cap. IX. ſeqq.* de variis ſcripturae ſacrae verſionibus diſſerat; illis etiam adnumerandus eſt, qui hiſtoriae theologiae exegeticae inſeruiunt, de quibus nunc ex inſtituto dicemus.

** Non vnius itaque ſunt generis, qui hic in cenſum veniunt ſcriptores. Quidam enim ipſius textus originalis hiſtoriam illuſtrant, alii verſionum, rurſus alii commentariorum in ſcripturam ſacram, notitiam ſuppeditant; nonnulli denique aut omnes haſce partes, aut quaſdam ſimul complectuntur. Nos praecipuos ita enarrabimus, vt ſimul, ad quam quisque referendus ſit claſſem, indicemus. Ex veteribus locum hic inuenit MARC. AVREL. CASSIODORVS, cuius de *inſtitutione diuinarum ſcripturarum* libros duos antea iam laudauimus. Id namque praecipue agit, vt veteris eccleſiae doctores, qui ſingulos ſcripturae ſacrae libros commentariis ſuis illuſtrarunt, laudet; quamquam & alia deinceps ſubiungat. Poſſent hic etiam commemorari, qui libros ſcripturae ſacrae recitant; ſed de illis in ſequentibus dicemus, cum de canone ſcripturae ſacrae verba faciemus. Ad recentiores itaque, & quidem noſtrates, ſi nos conferamus; primum ſe nobis offert MICH. WALTHERI *officina biblica nouiter adaperta, in qua perſpicue videre licet, quae ſcitu cognituque maxime ſunt neceſſaria, de ſacra ſcriptura in genere, & in ſpecie de libris eius canonicis, apocryphis, deperditis, ſpuriis &c.* Tertia editio prodiit Wittebergae an. 1703. fol. quae licet tamquam *emendata, & in aliquot locis aucta* in inſcriptione praedicetur; eam plurimis tamen mendis typographicis ſcatere, viris doctis obſeruatum eſt. Non autem auctor tantum de ipſis libris biblicis, eorumque auctoribus, ſed & de praecipuis ſcripturae ſacrae verſio-

nibus differit. ABRAH. CALOVIVS hic locum inuenit ob *criticum ſacrum biblicum*, in quo *de ſacrae ſcripturae auctoritate*, *canone*, *lingua originali*, *fontium puritate*, *ac verſionibus praecipuis*, *inprimis vero vulgata latina*, *& graeca ſeptuaginta interpretum*, fuſe copioſeque verba facit. Editio altera prodiit Wittebergae anno 1673. 4. Huic ſi iungantur eiusdem auctoris *praeloquium generale ad libros ſacri codicis*, itemque *prolegomena* ſeu *praefationes*, quas ſingulis libris ſcripturae ſacrae in *bibliis* ſuis *illuſtratis* praemiſit; pauca in hocce argumento ſupererunt, quae ille non attigerit. CHRIST. KORTHOLTI *de variis ſcripturae editionibus tractatus theologico-hiſtorico-philologicus, quo de textu diuinarum litterarum originario, diuerſis eius translationibus, & celebrioribus operibus biblicis fuſe agitur &c.* Kiloni an. 1686. 4. lucem adſpexit. Conſtitutum illi initio fuit, ea dumtaxat ſub examen reuocare, quae ROB. BELLARMINVS cardinalis, eiusque ὑπέρμαχοι IACOB. GRETSERVS & VIT. ERBERMANNVS, Ieſuitae, de variis ſcripturae editionibus diſputarunt; deinde autem, vt plenior euaderet tractatio, de verſionibus orientalibus nonnulla addidit, quae BELLARMINVS non attigit. De verſionibus itaque ſcripturae ſacrae praecipue in hocce opere auctor doctiſſimus agit; cumprimis autem *cap. X. & ſeqq.* de vulgata latina fuſe differit, eiusque auctoritatem recte a proteſtantibus impugnari, contra pontificios euincit. Quam difficile ſit, adcuratam omnium ſcripturae verſionum notitiam tradere, ipſemet agnoſcit, dum in *praefatione* lectorem ita adloquitur: *vnum te volo rogatum amplius, ne ſcilicet iniquum te ſtatim praebeas cenſorem, ſi quando, vbi de verſionibus bibliorum vulgaribus ago, non ſemper rem acu tetigi (ecquis enim adeo eſſet lynceus, vt in argumento tam vario, & vbi aliena ſaepius fide oportet niti, nihil ipſum fugeret?) ſed candide mecum communices, de quibus tibi, quam mihi, hic conſtat rectius.* Exſtat etiam eiusdem KORTHOLTI *de canone ſacrae ſcripturae diſſertatio*, Kiloni 1669. 4. Nec alienus prorſus ab hoc loco eſt eiusdem *de lectione bibliorum in linguis vulgo cognitis, deque ſacris publicis idiomate populari peragendis, commentarius*, Ploenae 1692. 4. Summatim omnia, quae ad ipſum textum originalem, itemque verſiones ſpectant, ceteraque quae huius loci ſunt, complexus eſt AVG. PFEIFFERVS, in *critica ſacra, de ſacri codicis partitione, editionibus variis, linguis originalibus, & illibata puritate fontium, interpretatione ſcripturae legitima, nec non eiusdem translatione in linguas totius vniuerſi, de maſora & kabbala, talmude denique & alcorano*; Dresdae anno 1680. 8. Nonnulla huius argumenti capita exhibet IO. HENR. MAIVS, in *diſſertationibus quatuor ſelectioribus, de inſpiratione librorum ſacrorum, de eorumdem in arcam repoſitione, de canonis conſignatione, & denique de verſione germanica Lutheri*; Francofurti & Wezlariae 1690. 8. Veteris ſpeciatim teſtamenti rationem habuit LAVR. FABRICIVS, in *partitionibus codicis ebraei, in quibus per quatuor ſectiones, quibus biblia ebraea doctoribus diuiſa, omnia abſtruſiora textibus ſacris adiecta, explicantur; marginalia & finalia* ἐπισάγματα *varia enodantur, chronologia, nomina librorum & virorum ſecundum Ebraeos, & ſummae ſingulorum librorum diligenter tractantur, prophetarum vitae, tempus officii, & quot annos ante Chriſtum quilibet vixerit, breuiſſime monſtrantur &c.* Prodierunt primum Wittebergae an. 1610. 4. & tum alias, tum & in THOM. CRENII *theſauro librorum philologicorum & hiſtoricorum* recuſae ſunt *tomo I. p. 219. ſeqq.* Pari ratione circa vetus ſolum teſtamentum occupatus fuit vir doctiſſimus IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introduct. ad libros canonicos bibliorum veteris teſtamenti omnes prae-*

Digitized by Google

praecognita critica & hiſtorica, ac auctoritatis vindicias exponente, Lipſiae anno 1721. 4. In ea non tantum cuncta, quae de ſingulis codicis ebraei libris ſacris obſeruatu digna ſunt, adcurate diligenterque perſequitur, ita, vt atheorum ſimul, hominumque profanorum circa eos obiectionibus obuiam eat; ſed commentatores etiam in eosdem enarrat, immo *part. I. cap. I.* eos, qui vniuerſam ſcripturam ſacram commentariis ſuis illuſtrarunt, recenſet. In *praefatione* autem nonnullos, qui in eodem argumento ingenii periclitati ſunt vires, laudat, deque iis ſententiam ſuam pronuntiat. Fuſe etiam de ſcriptoribus ſacris veteris teſtamenti agit GEO. SERPILIVS, in *perſonalibus*, vt vocat, ſeu *vita Moſis, Ioſuae* & reliquorum ad *Danielem* vsque, qui vltimus eſt; in quibus non quidem copiam rerum, ſed ſelectum ac ordinem viri docti, ipſeque CARPZOVIVS, deſiderant. Sed de hiſce iam dictum, cum de ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti verba faceremus. Nouo teſtamento hac ratione laborem ſuum ſtudiumque conſecrauit vir itidem eruditiſſimus celeberrimusque IO. GEORG. PRITIVS, in *introductione in lectionem noui teſtamenti, in qua, quae ad rem criticam, hiſtoriam, chronologiam, & geographiam pertinent, breuiter & perſpicue exponuntur*; Lipſiae an. 1704 12. Recuſa eſt haecce *introductio*, omnibus, qui ad noui teſtamenti lectionem accedere cupiunt, commendanda, ibidem an. 1722. vid. IO. CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XXII. part. I. artic. II. p. 52. ſeqq.* Eorum, qui commentariis, aut adnotationibus, ſcripturam ſacram illuſtrarunt, notitiam ſuppeditat IO. FRID. MAYERVS, in *bibliotheca biblica, ſiue diſſertationum de notitia auctorum, pontificiorum, reformatorum & Lutheranorum, immo & Iudaeorum, qui in ſacram ſcripturam commentarios ſcripſerunt, decade*, cuius editio altera prodiit Francofurti & Lipſiae an. 1709. 4. Cum autem vir ille doctiſſimus opus hocce ad finem non perduxiſſet; quae illi deerant, ſupplere voluit CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca beati Mayeri biblica, eaque continuata, hoc eſt, inſtructione iſagogica, eaque hiſtorico-critica de notitia auctorum Lutheranorum, eorumque optimorum pariter ac ſelectiſſimorum, qui vel generales in omnes, aut certe plerosque ſacri codicis libros ſcripſerunt, commentarios, vel ſpeciales in ſingulos bibliorum ſacrorum libros &c.* Roſtochii an. 1713. 4. Atque MAYERVS quidem *diſſertat. I. II. & III.* eos quoque indicat, qui ad eiusmodi ſcriptorum notitiam comparandam nos manuducunt, ſeu qui *catalogos commentatorum in ſacram ſcripturam vulgarunt*; cuiusmodi ſcriptores etiam recenſet CAROL. ARNDIVS, in *praefatione*, libro iam laudato praemiſſa. Addendus omnino, qui non vno nomine locum hic ſibi vindicat, IO. CHR. WOLFIVS, vtpote qui, in altera *bibliothecae ebraeae* parte non tantum de canone biblico, deque libris biblicis, diligenter praecipit, ſed & eos, qui *introductiones in ſcripturam ſacram*, tum *mnemonicas*, tum *hiſtoricas*, tum *criticas* dederunt, recenſet, immo *p. 275. ſeqq.* eos etiam, qui interpretes ac commentatores ſcripturae ſacrae enarrarunt, exhibet. Inter noſtrates, qui ſcripturae ſacrae commentatores generales & ſpeciales indicarunt, praetermittendus non eſt IO. CAROL. POETIVS, ob *bibliothecam portatilem exegetico-biblicam, hoc eſt, ſyllogen commentariorum omnium in vniuerſa biblia tam generalium quam ſpecialium &c.* Lipſiae anno 1703. 8. de qua tamen quid cenſendum ſit, exponit CAROL. ARNDIVS *l. c. p. 8 ſeqq.* Ἀκρίβειαν in ea omnes deſiderant. Commendandus itaque potius THEOPH. ALETHAEVS, vt vir quidam doctus vocari voluit, qui dum *ſolidam illuſtrationem*, ſeu *gründliche Erleuterung der dunckelſten Oerter vnd Steine*

des

des Anſtoſſens alten vnd neuen Teſtaments, per partes edidit, ſimul ſubiunxit *einen ausführlichen Bericht von denen commentariis vnd Auslegern der heiligen Schrifft*; qua in relatione de praecipuis auctoribus, qui ſcripturam ſacram, aut certos eius libros commentariis ſuis illuſtrarunt, haud perfunctorie agit. Prodierunt operis iſtius huc uſque *tomi*, quantum mihi conſtat, *quinque*, vt quilibet *tomus* duodecim partes, & *relationem de commentariis quibusdam*, complectatur.

Ad romanae eccleſiae addictos dum progredimur, primum ſe nobis offert FRANCISCVS SIXTVS Senenſis, ob *bibliothecam ſanctam, ex praecipuis catholicae eccleſiae auctoribus collectam & in octo libros digeſtam*; ſed de ea iam ex inſtituto diximus, *libri I. cap. III.* ad *§. XXII.* Addenda, quae de SIXTO hocce diſſerit IO. FRID. MAYERVS, in *bibliotheca biblica diſſertat. I. §. I. p. 1. ſeqq.* vbi tandem de eo ita pronuntiat: *Nos in Sixto improbamus, quod interpretes a commentatoribus, edita ab ineditis, quae hodie ſuperſunt, a deperditis, expoſitionem partis alicuius libri, a iuſto commentario, non diſtinguat, illorum, qui a romana curia abeunt, ſuam tamen eccleſiae & pietatem & induſtriam in explicandis ſcripturae oraculis, probarunt, nullam prorſus faciat mentionem.* RICH. SIMON de eodem verba faciens, *quamuis*, inquit, *non plane in critica ſacra exercitatus fuerit, in eo tamen opere, plus quam in quouis alio, & ſumma eruditio, & ſubactum iudicium cum magna libertate coniuncta, adparent; hiſtor. crit. vet. teſt. lib. III. cap. XVII. p. 457.* ANT. POSSEVINI inſtitutum in *adparatu* eius *ſacro* latius patet, ſiquidem non tantum ſcripturae ſacrae interpretes & commentatores, ſed & alios cuiuscumque generis libros theologicos recenſet, hinc & de eo iam dictum eſt *lib. I. cap. III.* ad *§. XXII.* Quod idem in *bibliotheca* ſua *ſelecta lib. II. p. 114. ſeqq.* praecipuos ſcripturae commentatores recenſeat, itidem iam obſeruatum *lib. I. cap. I.* ad *§. II.* NIC. SERARIVS, IAC. BONFRERIVS, aliique, qui ſuis in ſcripturam ſacram, & eius quosdam libros *praeloquia* ſeu *prolegomena* praemittere ſolent, quosue antea iam laudauimus, praeter doctrinam de ſcripturae interpretatione, etiam ea, quae ad hiſtoriam, aut textus originalis, aut verſionum, ſpectant, delibare ſolent. Quemadmodum autem hoc plerumque ab aliis longe fit adcuratius; ita praeiudicatis eccleſiae ſuae opinionibus praepediti, non ſemper, quae vera, quaeue recta ſunt, perſpicere poſſunt. PETR. DAN. HVETIVS in praeſtantiſſimo *demonſtrationis euangelicae* opere, tum alias, tum & Pariſiis an. 1679. fol. edito, & deinceps non ſemel recuſo, de libris biblicis veteris teſtamenti, eorumque auctoribus erudite diſſerit, vt ſimul BEN. DE SPINOZA, THOM. HOBBESII, & ISAACI PEIRERII obiectiones diluat, ſubinde tamen & ipſe eccleſiae ſuae placitis inhaeret. RICH. SIMONIS circa hocce opus conatum ipſemet HVETIVS hunc in modum enarrat: *Poſtquam venit opus noſtrum in manus hominum, contulit ſe ad Michaletum librarium Richardus Simonius, in voluminum cum aliorum omnium, tum praecipue ad res eccleſiaſticas pertinentium, tractatione & diiudicatione criticus longe peritiſſimus, ſi ingenio ſuo moderari ſciuiſſet. Demonſtrationem ille meam calculo ſuo adprobare ſe, palam profeſſus, eam quoque dixit velle ſe in epitomen contrahere. Gauiſus ſum enimuero vehementer, contigiſſe mihi egregium cogitationum mearum cognitorem, & ſpectatorem, in huiusmodi commentationibus longo vſu ſubactum, qui ſcriptionem meam ſuſciperet recudendam in breuiorem formam, qualem a multis deſiderari ſciebam; atque eum ſibi laborem imponeret, ad quem demittere mentem meam nullo modo poſſem, vt velut foetum eumdem bis parturirem.*

Verum

Digitized by Google

Verum longe alia agitabat animo Simonius, interpolare enim, recoquere, diſſecare membratim, & ad vſus ſuos cogitabat adcommodare librum meum, & ſuum plane facere. Quae cum intellexiſſem, rogaui per Michaletum, mea omnino ne attingeret, ſuis ſe contineret; in *commentar. de rebus ad eum pertinentibus lib. V. p. 283.* Non alieni quoque ab hoc loco ſunt eiusdem HVETII *de interpretatione libri duo, quorum prior eſt, de optimo genere interpretandi, alter de claris interpretibus.* Editio tertia lucem adſpexit Lipſiae an. 1683. 8. Enimuero dum in poſteriori libro claros interpretes recenſet; de variis quoque ſcripturae interpretationibus praecipit. Veſtigia HVETII, qua ipſius textus ſacri praecipue hiſtoriam, preſſit CLAVD. FRASSENIVS, in *diſquiſitionibus biblicis*, Pariſiis an. 1682. 4. editis, quae operis integri tomum primum conſtituunt, vti ſecundum *diſquiſitiones biblicae in pentateuchum*, ibidem an. 1705. 4. euulgatae. Certe ex HVETII *demonſtratione euangelica* eum plurima exſcripſiſſe, NAT. ALEXANDER, vt ſe ob crimen plagii, a FRASSENIO ſibi obiectum, vlciſceretur, adſeruit, in *vindiciis diſſertationis* ſuae *de vulgata ſcripturae ſacrae verſione*, ſeu *anticritica*, quae inſerta eſt *hiſtoriae* eius *eccleſiaſticae*, & quidem *diſſertationibus ſaec. IV. num. XL. p. 402. ſeqq.* Litis huius iam ſupra facta eſt mentio, *cap. praeced.* ad *§. V.* LVDOV. ELL. DV PIN *diſſertatio praeliminaris, ſiue prolegomena in biblia*, gallice ſcripta, & Pariſiis primum edita, recuſa ſunt Amſtelodami anno 1701. 4. Duobus conſtant tomis, quorum prior vetus, poſterior nouum teſtamentum complectitur. In priori de canone ſcripturae ſacrae, deque eius auctoritate, porro de libris veteris teſtamenti, de textu ebraeo, de pentateucho ſamaritano, de graecis, aliisque veteris teſtamenti verſionibus, itemque de ſtilo & ſenſu ſcripturae ſacrae, deque variis modis eam interpretandi; in poſteriori autem de auctoritate, & canone librorum noui teſtamenti, de libris ipſis, eorumque auctoribus, de textu graeco, de verſionibus, diuiſione, tandemque & de libris apocryphis noui teſtamenti diſſerit, immo & de gentilium monumentis, quae pro veritate chriſtianae religionis adlegari ſolent, quaedam ſubiicit. Fuſius itaque & copioſius in hiſce *prolegomenis* exponit, quae iam breuiter de eodem argumento dixerat, in *diſſertatione praeliminari, de auctoribus librorum biblicorum, tomo I. nouae biblioth. ſcriptor. eccleſ.* praemiſſa. Non equidem neſcio, ſiniſtra quorumdam iudicia *diſſertationem* hancce *praeliminarem*, vt reliqua viri huius ſcripta, expertam eſſe; negari tamen nequit, eum omnia, quae de hocce argumento tradi ac diſputari ſolent, plene & admodum perſpicue exhibere, tantumque vbique animi candorem demonſtrare, quantus ab homine, romanae eccleſiae ſacris addicto, exſpectari poteſt. Quaedam etiam, quae *diſſertationi* huic *praeliminari* pariter ac ipſi *bibliothecae nouae ſcriptor. eccleſiaſtic.* obiecta fuerunt, diluit in *reſponſione ad obſeruationes in bibliothecam ſcriptorum eccleſiaſticorum; tomo ſexto* ſubiecta. Inter eos, quorum cenſuras DVPINIVS expertus eſt, eminet RICHARDVS SIMON, qui reliquis omnibus dubiam in hacce eruditionis parte, palmam reddere voluit. *Hiſtoria* eius *critica veteris teſtamenti* gallice lucem primum vidit, Pariſiis an. 1678. Vix autem prodierat, cum omnia eius exempla Pariſiis ſupprimerentur, cenſorum iſtorum iudicio aeternis conſepelienda tenebris; at euentu, vt fieri ſolet, plane contrario. Eo enim auidius quaeſita, non tantum recuſa aliquoties, ſed & in linguam latinam a NAT. ALBERTO DE VERSE conuerſa eſt, parum quidem feliciter, iudice ipſomet SIMONE, ob varios eosque grauiſſimos admiſſos errores. Editio quinta, quae Roterodami an. 1685. 4. prodiit, praecedentibus praeferenda, vtpote

Digitized by Google

pote quae non tantum adcuratior, & ad primam Pariſienſem adornata, ſed & praefatione apologetica, obſeruationibus criticis & commentationum quarumdam, quibus *hiſtoria* haecce *critica* occaſionem dedit, acceſſione eſt locupletior. De reliquis editionibus, vt & aliis quibusdam obſeruatu dignis, legendus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *bibliothec. ebr. part. II. lib. I. ſect. I. pag. 31. ſeqq.* De aduerſariis autem, quos SIMON ob παράδοξα varia operi huic inſerta nactus eſt, deque ſcriptis, quae iis oppoſuit, in ſequentibus dicemus. Progreſſus vero RICH. SIMON etiam eſt ad nouum teſtamentum, & gallicana lingua edidit primum quidem *hiſtoriam criticam textus noui teſtamenti,* Roterodami 1689. 4. tum *hiſtoriam criticam verſionum noui teſtamenti,* ibidem 1690, & denique *hiſtoriam criticam praecipuorum commentatorum noui teſtamenti,* ibidem 1693. In hiſce omnibus autem, licet ingenio ſuo interdum plus, quam decet, indulgeat; multa tamen etiam eruditionis haud vulgaris eum edere ſpecimina, apud omnes in confeſſo eſt. Idem de reliquis eius ſcriptis, in quibus haud raro, quae ad hocce argumentum ſpectant, attingit, cenſendum, vti ſunt: *epiſtolae ſelectae; bibliotheca critica;* item *noua bibliotheca ſelecta*, & alia. Commemorari hic etiam poſſent SCIPIONIS SGAMBATI *archiuorum veteris teſtamenti libri tres;* ſed de iis iam dictum, cum de hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti verba faceremus ad *capit. praeced.* §. *III.* De CHERVBINI A. S. IOSEPHO *bibliotheca criticae ſacrae, circa omnes fere ſacrorum librorum difficultates,* itemque de IOSEPHI MARIAE TORRE *inſtitutionibus ad verbi Dei ſcripti intelligentiam*, legendus IOAN. GOTTL. CARPZOVIVS, in *praefatione, introductioni* eius *ad libros canonicos bibliorum veteris teſtamenti* praemiſſa. Nefas autem eſſet hic praetermittere IAC. LE LONG, cuius *bibliotheca ſacra, ſeu ſyllabus omnium ferme ſacrae ſcripturae editionum ac verſionum, ſecundum ſeriem linguarum, quibus vulgatae ſunt, notis hiſtoricis & criticis illuſtratus, adiunctis praeſtantiſſimis codicibus manuſcriptis*, Pariſiis primum lucem adſpexit anno 1708, deinde vero CHRIST. FRID. BOERNERVS, theologus Lipſienſis erudititiſſimus, *totum opus cum additamentis ſuo loco in noua hac editione collocatis, recenſuit, & caſtigauit, nouis praeterea editionibus, verſionibus, codicibus, manuſcriptis, notisque auxit*, Lipſiae 1709. 8. Et ita quidem longe meliori facie *bibliotheca* haecce *ſacra* adparuit, quam cum primum ederetur. Interim & alteram operis huius partem, quae notitiam auctorum, qui ſcripturam ſacram, vel aliquam eius partem illuſtrarunt, exhibet, elaborauit, quacum & prior recuſa fuit. Atque ita tandem prodiit *bibliotheca ſacra, in binos ſyllabos diſtincta, quorum prior, qui iam tertio auctior prodit, omnes ſiue textus ſacri, ſiue verſionum eiusdem, quauis lingua expreſſarum, editiones, nec non praeſtantiores manuſcriptos codices cum notis hiſtoricis & criticis exhibet: poſterior vero continet omnia eorum opera quouis idiomate conſcripta, qui hucusque in ſacram ſcripturam quidpiam ediderunt, ſimul collecta, tum ordine auctorum alphabetico diſpoſita, tum ſerie ſacrorum librorum &c.* Pariſiis anno 1723, duobus tomis in fol. Nimirum ad alterum iſtum tomum quod attinet, in eo primum ſecundum litterarum ſeriem exhibentur omnes, qui quacumque ratione aliquid ad ſcripturae ſacrae illuſtrationem, aut explicationem contulerunt, ſcriptaque ipſa indicantur. In quibus tamen non ſine ratione interdum maiorem ἀκρίβειαν deſideres. Certe dum auctori doctiſſimo placuit, *pag. 656.* & mei mentionem facere, ſcripta quaedam mihi tribuit, quae a me profecta non ſunt. Quare ſi BOERNERVS aliquis ad huncce etiam tomum accederet, & eum augeret ac emendaret; tum demum eximii quid de hocce opere

opere ſperare liceret. Poſtquam autem in priori tomi huius poſterioris parte auctores ipſos cum eorum ſcriptis exhibuit; in altera parte primum ſiſtit eos, qui tractatus iſagogicos in ſacram ſcripturam ediderunt, deinde eos, qui tum vniuerſam ſcripturam ſacram, tum ſingulos eius libros, commentariis aut adnotationibus illuſtrarunt. Sola autem indicat nomina, cum ſi ea in priori parte euoluantur, reliqua inde condiſci queant. *Adpendix* denique operi huic ſubnexa *grammaticos & lexicographos ad vſum linguarum orientalium & graecae noui teſtamenti* complectitur.

Reformatae eccleſiae doctorum vt inſignia prorſus in theologiam exegeticam ſunt merita; ita nec defuerunt inter eos, qui hiſtoriam eius commentationibus ſuis illuſtrarent. SIXTINVS AMAMA in *antibarbaro* ſuo *biblico* de textu originali codicis ſacri, deque eius verſionibus, ſpeciatim ſeptuaginta interpretum, & vulgata, multa tradit, quae huius loci ſunt. Prodiit primum Franecquerae 1628. 4. & libro quarto, ac aliquot diſſertationibus auctior ibidem 1656. Cum auctor eos, qui linguarum ſcripturae originalium ſtudium contemnunt, pro barbariei patronis ac defenſoribus reputet, idcirco librum huncce *antibarbarum* inſcripſit; vid. ADR. BAILLETVS *des ſatyres perſonnelles &c. tom. II. p. 315.* Quanta ſint IO. HENR. HOTTINGERI in philologiam orientalem merita, nemo ignorat. Cumque in ſcriptis ſuis hinc inde attingat, quae huic inſtituto inſeruiunt; praecipue tamen huc comparatus eſt *theſaurus* eius *philologicus*, *ſeu clauis ſcripturae*, vtpote in qua praeter alia de *variis bibliorum exemplaribus, fontium ebraeorum integritate; ſcripturae accidentibus, partibus, diſtinctionibus, ſenſu, & commentariis; de targumim ſeu paraphraſibus chaldaicis, ſyriacis, arabicis, perſicis, ſamaritanis, graecis, latinis, de maſora, kabbala &c.* agit, vt ipſa inſcriptio nos condocet. Editio ſecunda priori auctior & emendatior prodiit Tiguri an. 1659. 4. BRIANI quoque WALTONI non temere cuiquam ignotum nomen eſt, niſi qui ipſa *biblia polyglotta Londinenſia*, eius maxime ſtudio euulgata ignorauerit. Hiſce autem *adparatum biblicum*, *chronologico-topographico-philologicum* praemiſit, qui deinceps ſeorſim excuſus eſt Tiguri anno 1673. fol. In eo praeter tractatus varios, eosque integros doctorum quorumdam virorum, vt LVDOV. CAPPELLI *chronologiam ſacram*, EDOVARDI BREREWOODI *de ponderibus & pretiis veterum nummorum*, aliosque eiusdem generis, ipſius WALTONI exhibentur *prolegomena*, de linguarum natura, origine, diuiſione, de litteris ſiue characteribus, de lingua ebraica, de bibliorum editionibus praecipuis, de eorumdem verſionibus, de variantibus in ſcriptura lectionibus; ceteriſque ad eumdem ſcopum collineantibus. Multa in hiſce erudite tradi, & egregie prorſus diſputari, negari nequit; etſi quaedam etiam admixta ſint, quae non omnibus probantur. Ipſe IOAN. HENR. HEIDEGGERVS, qui editioni *adparatus* huius Tigurinae *praefationem* praemiſit, *fatemur certe*, inquit, *in hoc ipſo adparatu paſſim nonnulla admixta eſſe, quibus integritas fontium & ſcripturarum certitudo nonnihil labefactari queat, veluti cum hypotheſes neotericae de corruptione fontium, verſionum quarumdam ſupra originales ſcripturas praerogatiua, punctorum vocalium nouitate &c. alicubi adoptantur, & aequo pertinacius retinentur.* Sane LVDOV. CAPPELLI placitis in textum originalem ſcripturae ſacrae iniuriis eum nimis addictum fuiſſe, vt tamen ſibi vbique non conſtet, aliis quoque viris doctis obſeruatum eſt. Mirum itaque non eſt, RICH. SIMONI, eadem quippe chorda oberranti, huncce WALTONI *adparatum* valde placuiſſe. Licet enim varia more ſuo in eo deſideret; mirifice tamen eumdem laudat, atque WALTO-

NVM omnes eos, qui ante eum eiusmodi quid adgreſſi erant, multum ſuperaſſe, pronuntiat. Satis egregio iudicio eum praeditum fuiſſe, ait, vt praeſtantiores in hoc argumento auctores ſeligeret, ſatisque idoneum, vt praeiudicatas plerorumque proteſtantium opiniones euitaret. Cauſſam praecipuam in eo quaerit, quod WALTONVS partibus epiſcopalium in Anglia fuerit addictus, qui vt in aliis, ita in hocce quoque capite propius ad romanenſes accedant, quod ſcripturae ſacrae veteris quoque eccleſiae doctorum auctoritatem atque traditionem adiungant, hinc & pro textus originalis integritate non tam acriter pugnent, quam reliqui proteſtantes; in *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XXI. ſeqq. pag. 481. ſeqq.* Sed & alibi paſſim WALTONI RICH. SIMON meminit. IOANNES autem HENR. HEIDEGGERVS, quem editioni Tigurinae *adparatus* WALTONI *praefationem* praemiſiſſe, antea diximus, hic etiam in cenſum venit, ob *enchiridion biblicum* ἱερομνημονικὸν, quippe in quo non tantum analyſin generalem ſingulorum veteris & noui teſtamenti librorum, ac capitum argumenta exhibet, ſed & de libri cuiusque auctore, ſumma, ſcopo, chronologia, partitione ſummatim praecipit, quin & interpretes & commentatores, ſubnectit. Prodiit Tiguri anno 1681. 8. & non ſemel deinceps recuſum eſt. In quibusdam, praeſertim interpretum, ſeu commentatorum, enarratione, nonnulli ἀκρίβειαν deſiderant. Eum namque quosdam laudare commentarios, qui nuſpiam exſtent, certe iis auctoribus illos tribuere, a quibus profecti non ſunt, exemplis quibusdam docet THOMAS CRENIVS, *animaduerſion. hiſtoric. & philolog. part. II. cap. IV. pag. 101. ſeqq.* Sic inter eos, qui pentateuchum ex noſtratibus illuſtrarint, refert METTINGERVM & NAZENIVM, *lib. I. cap. II. p. 40.* Sed aut METTINGERVM aut NAZENIVM quidquam in pentateuchum ſcripſiſſe, ſe inuenire potuiſſe negat CRENIVS. Ego quidem IOAN. METTINGERI *harmoniam vtriusque teſtamenti* a quibusdam laudatam, vidi; hanc vero ſi HEIDEGGERVS innuat, non tamen METTINGERVS inter eos, qui ſpeciatim pentateuchum explicarunt, referri poterat. Interim vtriusque & METTINGERI & NAZENII inter eos, qui in pentateuchum ſcripſerunt, haud dubie HEIDEGGERVM incaute ſequutus, meminit IO. CAROL. POETIVS, in *bibliotheca portatili exegetico-biblica, pag. 25.* Illuſtrando HEIDEGGERI *enchiridio*, SALOM. VAN TIL *opus analyticum, comprehendens introductionem in ſacram ſcripturam ad Io. Henrici Heideggeri enchiridion* ἱερομνημονικὸν, Traiecti ad Rhenum an. 1720. duobus tomis in 4. editum, inſeruire, exiſtimare poterat, qui ſolam inſcriptionem conſiderauerit. Sed in toto ſaltem *tomo priori* vix vllam *enchiridii* illius rationem habet, analyſinque librorum biblicorum, ad quam praecipue opus hocce comparatum eſt, ab ea, quam HEIDEGGERVS tradidit, plane diuerſam exhibet. In *poſteriori* autem *tomo* preſſius HEIDEGGERI veſtigiis inſiſtit, quaeue ab eo recte dicta ſunt, confirmat, aut maiori luce perfundit, quae perperam ipſius quidem iudicio, corrigit atque emendat, quae denique omiſſa, ſupplet, in analyſi autem aliam itidem, aut plane nouam viam ingreditur. Ad Anglos, ex quorum gente WALTONVS fuit, vt reuertamur, commendandus nobis maxime adhuc venit HVMFR. HODIVS, ob *libros quatuor, de bibliorum textibus originalibus, verſionibus graecis & latina vulgata*, Oxonii anno 1705. fol. euulgatos. Nimirum cum ISAAC. VOSSIVS pſeudo-ARISTEAE, *hiſtoriaeque LXX interpretum*, quae ſub eius nomine exſtat, patrocinium magno conatu in ſe ſuſcepiſſet; HVMFR. HODIVS librum aduerſus iſtam ARISTEAE *hiſtoriam* compoſuit, editum Oxonii anno 1684. Hunc vero cum VOSSIVS in

Digitized by Google

in *reſponſione*, quam ad finem *adpendicis obſeruationum in Pomponium Melam* attexuit, iterum excepiſſet; HODIO inde enata eſt occaſio, adcuratiori ſtudio, ampliorique deductione idem argumentum pertractandi, idque in opere antea memorato praeſtitit. Licet autem in libro *primo* contra hiſtoriam pſeudo-ARISTEAE, & in *ſecundo* de verſionis LXX interpretum veris auctoribus, eamque conficiendi tempore & ratione diſputet; in *tertio* tamen *hiſtoriam*, quam vocat, *ſcholaſticam textuum originalium, verſionisque graecae LXX dictae, & latinae vulgatae* exhibet, *qua oſtenditur, qualis fuerit ſingulorum auctoritas, per omnia retro ſaecula, & textus originales maximo in pretio ſemper habitos fuiſſe*; in quarto denique de *reliquis verſionibus graecis, aliisque editionibus antiquis* differit, ſimulque *breuem, ſed plenam ac iuculentam hiſtoriam canonis ſcripturae ſacrae*, lectorum oculis animisque offert. Vt autem ad textum originalem, verſionesque graecas, ac latinam vulgatam, hicce HODII ſpectat labor; ita eorum praecipue, qui ſcripturam ſacram commentariis illuſtrarunt, notitiam, ex eadem Anglorum gente dare voluit GVIL. CROWAEVS, in *elencho ſcriptorum in ſcripturam, tam graecorum, quam latinorum, in quo exhibentur eorum genus, patria, profeſſio, religio, librorum tituli, volumina, editiones variae, quo tempore claruerint, vel obierint, elogia item aliquot virorum clariſſimorum; quibus omnibus praemiſſa ſunt ſacra biblia, partesque bibliorum variis linguis, variis vicibus edita*, Londini an. 1672. 8. Parum autem feliciter eum munere ſuo functum, viris doctis obſeruatum eſt. *Ceterum liber iſte*, inquit IOAN. FRID. MAYERVS, *etſi non leuem induſtriam laboremque teſtetur auctoris, neque methodus adſpernanda eſſe videatur, minime tamen meretur adcurationis elogium, quod ei tribuit Mabillonius, longeque verius eſt Richardi Simonis iudicium, qui lib. III. hiſtor. critic. p. 125. edit. latin. nomine auctoris praeterito, illum perſtringit, parumque adcuratum eſſe, adfirmat. Certe innumeris magnisque (ſcatet) erroribus &c.* in *bibliotheca biblica diſſertat. III. cap. I. p. 35. 36.* Idem & aliorum ſuffragiis confirmat CAROL. ARNDIVS, in *bibliotheca Mayeri biblica continuata, proem. pag. 6.* Atque hi, ni fallor, praecipui ſunt, qui hiſtoriae theologiae exegeticae inſeruire poſſunt. Omnes recenſere animus non fuit. Reliquos etiam ex iis, qui eiusmodi ſcriptorum notitiam ex inſtituto tradunt, quosue antea laudauimus, cognoſcere licet.

§. III. Atque ad ipſum textum originalem quod attinet, libri primum tum canonici veteris teſtamenti, horumque auctores, tum apocryphi in cenſum veniunt.* Nec negligenda, quae de lingua originali librorum veteris teſtamenti, deque litteris ebraicis, de punctis vocalibus, eorumque antiquitate, vt & de textus integritate, diſputari ſolent.** Cumprimis & variae codicis ſacri veteris teſtamenti editiones obſeruatu dignae ſunt.***

* Vt in hiſtoria ipſius codicis ſacri, & quidem veteris teſtamenti, rite proficiamus; initio de ipſis, quos complectitur, libris, eorumque auctoribus, nos ſollicitos eſſe oportet. Plurimum enim ad veritatem pariter ac diuinam auctoritatem ſcripturae ſacrae in tuto collocandam, refert, vt certi ſimus, quemlibet ſacrae ſcripturae librum ab eo auctore ſcriptum eſſe, a quo ſcriptus eſſe dicitur. Quanam autem via incedendum ſit, vt hoc certo cognoſcamus, ſummatim a me expoſitum in *inſtitut. theolog.*

Digitized by Google

log. dogm. lib. I. c. II. ad §. *X. p. 128.* Licet autem in hocce argumento viri quidam doctiſſimi, quos antea laudauimus, ex inſtituto, & magna cum laude verſati ſint; iuuabit tamen praecipua quaedam paucis delibare momenta.

Quemadmodum primus ſcriptorum ſacrorum Moſes eſt; ita etiam de eo maxime diſputari ſolet. Non diſquiram nunc, an fuerit ſcriptor omnium primus? Sufficit nobis, quod inter ſcriptores canonicos & θεοπνεύστας omnium primus fuerit. Nec enim rationibus firmis innituntur, qui Moſen ſcriptorem omnium primum perhibent. Fieri enim potuit, vt iam ante eum quaedam litterarum monumentis ſint conſignata, quae hodie non amplius exſtant. Legenda GVIL. SALDENI *diſſertatio de ſcriptore primo*, quae *prima* eſt *libri primi otiorum*, eius *theologicorum p. 2. ſeqq.* Addenda, quae ipſemet ea de re diſputaui in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. per. II. ſect. I.* ad §. *XI. pag. 540. ſeqq.* Quod ſi ſcripta quaedam ante Moſen exſtiterunt; cum tamen perierint, non conſtat, quaenam ea fuerint. Hoc certum, non fuiſſe θεόπνευστα, quorum nullum vmquam periit, aut perire potuit. Suppoſititia enim iſta ſcripta Adami, Henochi, Noachi, Abrahami, nunc non moramur; cum quid de iis cenſendum, iampridem expoſitum ſit ab aliis. Conferendus PETR. LAMBECIVS in *prodromo hiſtor. litterar. lib. I. cap. III. & IV.* De libro Henochi copioſe & erudite diſſerit THOMAS BANGIVS, in *caelo orientis exercit. I. quaeſt. V. pag. 16. ſeqq.* Speciatim huc etiam pertinet *teſtamentum* illud *duodecim patriarcharum, filiorum Iacob*, quod *tomo I.* ſpicilegii ſui *ſanctorum patrum & haereticorum* inſeruit IOAN. ERNEST. GRABIVS, qui & in *praefatione*, ei praemiſſa, quid de illo cenſendum ſit, pluribus exponit. Sed tum de hiſce, tum de reliquis eiusdem generis ſcriptis ipſemet paſſim in *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti* verba feci, vbi & eos laudaui, qui plura de iis ſuppeditant. Omnium diligentiam ſuperauit IO. ALB. FABRICIVS, dum quidquid ex iis ſupereſt, aut vlla ratione ad eorum notitiam ſpectat, magno ſtudio collegit, & cuncta adnotationibus illuſtrauit, in *codice pſeudepigrapho veteris teſtamenti &c.* Hamburgi anno 1713. 8. cui & alterum volumen deinceps addidit, ibidem anno 1723. 8.

Sunt vero nonnulli, qui omnino Moſen reuera iſtorum librorum, qui ſub eius nomine in ſacra ſcriptura exſtant, eſſe auctorem, inficiati ſunt. Id ſane, neſcio maiorine impietate, an impudentia egerunt THOM. HOBBESIVS, *Leuiath. part. III. cap. XXXIII.* auctor *ſyſtematis praeadamitici*, ſiue IS. PEIRERIVS, & qui impietate ac ſtultitia omnes ſuperat, BEN. DE SPINOZA, in *tractatu theologico politico de libertate philoſophandi cap. VIII.* Nimirum cum SPINOZA in libro hiſpanica lingua concinnato, atque *apologia pro Spinozae a iudaiſmo apoſtaſia* inſcripto, ſcurrilia ſua contra auctoritatem veteris teſtamenti commenta effutiiſſet, amicorum autem ſuaſu premere monſtroſum iſtum foetum conſtituiſſet; illa nihilominus *tractatui* ſuo *theologico-politico*, tectius licet, poſtmodum infarcire, fumosque ſuos lumini offundere, auſus eſt, obſeruante SALOM. VAN TIL, in *atrio gentium omnibus infidelibus aperto &c. pag. 5.* Sed hiſce omnibus, qui Moſen pentateuchi auctorem eſſe, negari conati ſunt, ſpeciatim & SPINOZAE, abunde ſatisfecerunt, PETR. DAN. HVETIVS *demonſtr. euangel. prop. IV. p. m. 254. ſeqq.* FRID. SPANHEMIVS *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. p. m. 260. ſeqq.* item *p. 330. ſeqq.* HERM. WITSIVS *miſcellan. ſacr. part. I. lib. I. cap. XIV.* PETRVS ALLIXIVS in *conſiderat. rational. librorum ſacrae ſcripturae ad veritatem religionis chriſtianae demonſtrandam*, ex gallicana lingua in germanicam translata, *part. I. cap. V. p. 32. ſeqq.* SAL. VAN TIL

loco

loco iam *citato*, & ex noſtratibus IO. GOTTLOB CARPZOVIVS in *introduct. ad libros canonicos biblior. vet. teſtam. part. I. c. III. §. II. p. 38. ſeqq.* alibique, quibus & addendi, quos laudat IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. II. lib. I. ſect. II. p. 63. ſeqq.* Conſulere & iuuabit, quae ipſemet hac de re dixi *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. I. per. II. ſect. I.* ad *§ XI. p. 540. ſeqq.* Integrum SPINOZAE ſyſtema, quod ad labefactandam ſcripturae ſacrae auctoritatem diuinam conſtruxit, adcurate exhibet IO. MVSAEVS noſter, in *diſſertat. de libertate philoſophandi*, quam SPINOZAE oppoſuit §. *IV.* qui & in ſequentibus ſolidiſſimam eius refutationem ſubiunxit. In partes autem impietatis ſuae SPINOZA vocare non dubitat doctiſſimum Iudaeorum magiſtrum ABRAH. ABEN ESRA, vtpote qui itidem Moſen pentateuchi non crediderit eſſe auctorem; licet ſuam hac ſuper re mentem prodere auſus non ſit; in *tract. theologico-polit. &c. cap. VIII. p. 104.* Hoc certum, ABRAHAMVM huncce ABEN ESRA argumenta quaedam ſuppeditaſſe SPINOZAE, quibus ſententiam ſuam exornauit; obſeruante hoc etiam PETRO DAN. HVETIO *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. m. 258.* & GVIL. SALDENO in *otiis theolog. lib. I. exercit. II. §. VI. p. 25.* Non procul a SPINOZA, eiusque commentis abeſſe videtur RICH. SIMON. In eo certe proxime ad illum accedit, quod Moſen vniuerſi pentateuchi auctorem eſſe, diuerſis licet hypotheſibus innixus, neget. Iura namque ſeu leges, in pentateucho occurrentes, a rebus geſtis, ſeu hiſtoriis, quae in eo narrantur, diſcernit, & illarum auctorem eſſe Moſen, largitur, harum autem non item. Nimirum iam ab antiquiſſimis temporibus, in bene conſtitutis rebus publicis, praeſertim apud gentes orientales, ſcribas publicos fuiſſe introductos, qui res notatu dignas, ad rempublicam ſpectantes, litteris conſignarent, & earum documenta in tabulariis conſeruarent. Moſen itaque, in aula aegyptiaca educatum, rerumque ciuilium ſatis peritum, in prima reipublicae iſraeliticae origine itidem ſcribas eiusmodi publicos conſtituiſſe, a ſcribis priuatis, qui plerumque commodi ſui cauſſa tantum ſcribant, multum diſtinctos. Hoſce ſcribas *prophetas* dictos eſſe, contendit, indeque rationem arceſſit, cur maxima pars librorum hiſtoricorum ſcripturae ſacrae apud Iudaeos hodie adhuc *propheticorum* nomine veniat, quia ſcilicet a ſcribis publicis, ſeu *prophetis* iſtis, fuerint compoſiti. Eosdem itaque ſcribas hiſtoriarum quoque rerumque geſtarum in libris Moſaicis auctores eſſe; cumque dicatur: *Moſes ſcripſit, quae ei Deus iuſſerat*, ſenſum eſſe: *Moſes per ſcribas publicos ſcribi fecit, quae ei Deus iuſſerat.* Habuiſſe porro eos poteſtatem, non tantum ſuorum temporum acta colligendi, ſed actis etiam, a praedeceſſoribus ſuis collectis, addendo, detrahendo, immutando, prout expedire putabant, nouam quaſi formam inducendi. Atque hinc plurimarum iſtarum, quas circa textum ſacrum contigiſſe putat, variationum, e. g. circa nomina propria, rationem arceſſit, idque fuſius explicat *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. III. & IV.* Cum vero acta iſta ſcribarum publica non omnibus paterent; hinc epitomas ab aliis ex iis congeſtas, ac populo, ceu regulam fidei & vitae, traditas fuiſſe, adſerit; quae epitomae diuerſis temporibus varie a variis prophetis interpolatae, ac gloſſematis illuſtratae, *canonicae* adpellatae fuerint, & codicem iſtum ſacrum, quem hodie habemus, conſtituant. Moſen vero totius pentateuchi auctorem non eſſe, probare adnititur *cap. V. & VI.* rationesque ſecus ſentientium, ſpeciatim Iudaeorum, diluere conatur. Atque iſtud quidem totius ſyſtematis, quod SIMON exſtruendum ſibi ſumſit; eſt fundamentum; quod tamen, quam infirmum, quamue lubricum ſit, nemo non intelligit; vnde

Digitized by Google

vnde & ad illud euertendum multis verbis opus non eſt. Nec enim vllo idoneo argumento probauit, aut probare potuit, apud Ebraeos eiusmodi ſcribas publicos exſtitiſſe, aut eos prophetarum veniſſe nomine. Prouocat equidem ad teſtimonium FL. IOSEPHI. Sed ſi quis paullo adcuratius expendat, quae IOSEPHVS *lib. I. contra Apionem p. m. 1036.* tradit, eum ſententiae SIMONIS plane refragari, deprehendet. Primo namque pentateuchum diſerte ipſi Moſi tribuit. *Horum ergo*, inquit (librorum) *quinque quidem ſunt Moſeos, qui natiuitates continent, & humanae generationis traditionem habent, vsque ad eius mortem.* Tum porro addit: *A morte vero Moſeos vsque ad Artaxerxem Perſarum regem, qui fuit poſt Xerxem, prophetae ſuorum temporum res geſtas conſcripſerunt, in tredecim libris.* Vbi eum per *prophetas* ſcribas publicos intelligere, ne per ſomnium quidem alicui in mentem venire poterat. Viros enim θεοπνεύστους eum hac voce deſignare, res ipſa docet. De reliquis tandem ſubiungit: *Reliqui vero quatuor, hymnos in Deum & vitae humanae praecepta noſcuntur continere.* Manifeſtum itaque, ſcribas publicos, quales SIMON ſibi finxit, apud IOSEPHVM non occurrere; multo minus eum ſacrorum librorum compoſitionem illis tribuere. Legenda, quae de hocce IOSEPHI loco diſſerit LVD. ELL. DV PIN in *diſſertat. praelimin. in biblia lib. I. cap. I. §. III. pag. 6. ſeqq.* Iſtud autem de ſcribis publicis παράδοξον cum SIMON fundamenti loco poneret; hinc & libros biblicos veteris teſtamenti a ſcriptoribus iſtis ſacris, quibus tribuuntur, profectos, negaret, & hac ratione ipſam ſcripturae ſacrae θεοπνευστίαν labefactaret; praeterea de punctorum vocalium nouitate, de textu ebraeo corrupto, & per verſiones antiquas corrigendo, deque traditionis in vero ſcripturae ſacrae ſenſu adſequendo neceſſitate, ſimilibusue talia traderet, quae non omnibus placebant; mirum non eſt, quod multos nactus ſit aduerſarios, atque cenſores. Primus, qui contra eum in aciem prodiit, fuit CAROL. MARIA DE VEIL, ex Iudaeo chriſtianus, & verbi diuini in Anglia miniſter, cuius *epiſtola ad Robertum Boyle*, vna cum *reſponſione* SIMONIS, vtraque gallice ſcripta, ſubiuncta eſt editioni *hiſtoriae criticae vet. teſtam.* quae Roterodami an. 1685 prodiit, *p. 549. ſeqq.* Cumprimis autem VEILIVS hoc SIMONIS adſertum impugnauit, nihil plane in religione chriſtiana certum eſſe, niſi ſcripturae ſacrae adiungatur traditio. Quae SIMON regeſſerat, iterum repulit in *epiſtola ad Maimburgium equitem*, Londini an. 1685. 4. Sequutus eſt EZECH. SPANHEMIVS, maioremque ingenii & eruditionis ad hoc certamen ſecum attulit adparatum, in *epiſtola ad amicum*, quae itidem cum *reſponſione* SIMONIS ſubiuncta eſt editioni *hiſtor. crit. vet. teſtam.* antea memoratae *p. 565. ſeqq.* Non ſine ratione autem SPANHEMIVS pronuntiat, per principia iſta SIMONIS, non modo proteſtantium, ſed & latinae & graecae eccleſiae, totiusque adeo religionis chriſtianae fundamenta concuti, atque labefactari. Cum etiam SIMON ISAAC. VOSSIVM, verſioni LXX interpretum plus, quam decet, tribuentem, in *hiſtor. critic. vet. teſtamenti* perſtrinxiſſet; hic ſibi deeſſe noluit, ſed *reſponſionem* edidit *ad obiectiones nuperae criticae ſacrae.* Ad hancce excepit, ſub nomine *theologi cuiusdam Pariſienſis* latitans, SIMON, in *caſtigationibus ad opuſculum Iſaaci Voſſii de oraculis Sibyllinis, & eiusdem reſponſionem ad obiectiones nuperae criticae ſacrae*, quae additae ſunt *diſquiſitionibus criticis de variis per diuerſa loca & tempora bibliorum editionibus*, editis Londini anno 1684. 4. Anno etiam ſequenti 1685 Edimburgi prodierunt RICH. SIMONIS *opuſcula critica aduerſus Iſaacum Voſſium*, quae easdem *caſtigationes* iam memoratas continent, & ex *diſquiſitionibus* iſtis *criticis*, iti-

Digitized by Google

itidem iam laudatis, excerpta, aduerſus eumdem VOSSIVM. Non ergo mirandum, quod & hic ad pugnam redierit, prodireque in lucem iuſſerit *ad iteratas Simonii obiectiones reſponſionem*; cui rurſus SIMON, adſumto HIERONYMI LE CAMVS nomine, obuiam iuit, in *iudicio de nupera Iſaaci Voſſii ad iteratas Simonii obiectiones reſponſione*, Edimburgi 1685. 4. Sed ne tum quidem ſibi tacendum putauit VOSSIVS, quin potius in *reſponſione ad tertias Simonii obiectiones* cum hocce aduerſario ſuo congreſſus eſt. Prima atque ſecunda VOSSII *reſponſio* cum eiuſdem *commentatione de Sibyllinis, aliisque, quae Chriſti natalem praeceſſere, oraculis*, ſubnexa eſt eiuſdem *variarum obſeruationum libro*, Londini an. 1685. Reſponſio autem *tertia*, ſeu *ad tertias Simonii obiectiones* cum *adpendice obſeruationum* eius *ad Pomponium Melam*, Londini prodiit anno 1686. 4. cui etiam adiuncta eſt PAVLI COLOMESII *ad Henricum Iuſtellum epiſtola*, gallice ſcripta, in qua ſe itidem contra SIMONIS, effuſas ab eo in ISAAC. VOSSIVM laudes aegre ferentis, criminationem defendit, varias tamen ſimul ſubiungit obſeruationes, quibus ſe SIMONIS *hiſtoriam criticam* non tam refutaturum, quam illuſtraturum profitetur. Hiſce, quos hactenus commemorauimus, SIMONIS aduerſariis acceſſerunt adhuc auctores libri: *ſentimens de quelques theologiens de Hollande &c.* id eſt, *iudicia theologorum quorumdam Hollandiae, de Richardi Simonis hiſtoria critica veteris teſtamenti*, inſcripti, qui IO. CLERICVS, & NAT. ALB. DE VERSE eſſe perhibentur, quamquam praecipue IO. CLERICO tribui ſoleat. Prodierunt iſta *iudicia* Amſtelodami an. 1685. 12. Multa autem eorum auctores SIMONI concedunt, quae alii non aeque facile conceſſerint, e. g. de punctorum vocalium nouitate, de textus ebraei corruptione, eiuſque per verſiones antiquas emendatione inſtituenda, & quae alia ſunt eiuſdem generis. Quod ad ſententiam SIMONIS de modo collecti ex annalibus, per ſcribas publicos ſumma fide conditis, inque publicis monumentis adſeruati, pentateuchi, attinet, eam ſacrae aduerſari hiſtoriae ex *II. paralip. XXXIV. 15.* probare adnituntur. Cum enim ibi legatur, librum legis, poſtquam diu latuiſſet, tempore Ioſiae regis rurſus in templo inuentum; annales eiuſmodi publicos in vſu non fuiſſe, inde concludunt; ſiquidem hi quotidie euolui, pluraque ex iis, quam ex ipſo legis libro, peti potuiſſent. Quando de auctore pentateuchi quaeritur; in eo cum SIMONE amice conſpirant, Moſen totius pentateuchi auctorem non eſſe, Chriſtumque & apoſtolos, libros pentateuchi tamquam Moſis adlegando, vulgari Iudaeorum opinioni ſe adcommodaſſe; ſed nec Eſram eius auctorem eſſe concedunt, quin potius adlata amici coniectura, Bethelanum illum ſacerdotem *II. reg. XVII. 18.* virum nec Samaritanis ſuſpectum, nec Iudaeis, ſiue ſolum, ſiue aliorum aduocata opera, quinque illos libros antiquis, ſeu ſamaritanis, exaraſſe characteribus. Obuiam iuit hiſce auctoribus, ſpeciatim IO. CLERICO, quem praecipue horum *iudiciorum* auctorem eſſe, exiſtimat, RICH. SIMON, ſub prioris DE BOLLEVILLE nomine latitans, in *reſponſione ad librum, qui inſcribitur: iudicia quorumdam theologorum Hollandiae, de hiſtoria critica veteris teſtamenti*, gallice ſcripta, editaque Roterodami anno 1686. 4. cui eodem anno eademque lingua IO. CLERICVS iterum oppoſuit *defenſionem iudiciorum quorumdam theologorum Hollandiae, de Richardi Simonis hiſtoria critica veteris teſtamenti, contra reſponſum prioris Bollevillani*, Amſtelodami anno 1686. 8. RICH. vero SIMON, adſumto iterum prioris BOLLEVILLANI nomine, *epiſtolam de inſpiratione librorum ſacrorum*, gallice itidem ſcriptam, in lucem emiſit, cum *reſponſo ad librum, qui inſcribitur: defenſio iudiciorum* quo-

Digitized by Google

quorumdam theologorum Hollandiae &c. Roterodami an. 1687. 4. Qua in epiſtola etiam EZECH. SPANHEMIVM, CLAVD. FRASSENIVM, atque LVD. ELL. DV PIN, perſtringit. Atque haec quidem hiſtoriae certaminis iſtius praecipua ſunt momenta. Haud exiguus equidem illorum eſt numerus, qui, etſi non ex inſtituto, oblata tamen occaſione, commenta iſta SIMONIS profligarunt; ſed eos recenſere omnes, non permittit noſtri conſilii ratio. Ad IOANNEM autem CLERICVM quod attinet, cum is intellexiſſet, ſuam de auctore pentateuchi ſententiam multis diſplicuiſſe; eamdem reuocauit, Moſenque pentateuchi auctorem faſſus eſt, & copioſe probauit in *diſſertatione de ſcriptore pentateuchi, Moſe*, quae inter eas, quas *commentario* ſuo *in pentateuchum* praemiſit, tertia eſt.

De reliquis libris ſacris veteris teſtamenti, & quidem hiſtoricis, quaenam SPINOZAE, itemque SIMONIS, vt & eorum, qui *theologorum Hollandiae* nomine *iudicia* ſua, ſuper SIMONIS *hiſtoria critica* expoſuerunt, ſit ſententia, ex iis, quae hucusque diximus, facile coniicere licet. Diuerſam enim quamuis ingrediantur viam; ad vnum tamen eumdemque omnes tendunt ſcopum, qui eſt, ſcripturae ſacrae diuinam labefactare auctoritatem. Eo minus vero, vt, ad commenta iſtorum hominum aut recenſenda, aut refellenda, ad ſingulos libros biblicos deſcendamus, neceſſe eſt; quod hoc iam factum eſt ab aliis, quos antea laudauimus. Generatim tamen adhuc quaedam obſeruare non abs re fuerit. BENEDICTVS nimirum DE SPINOZA, cum omnes ingenii vires intendiſſet, vt probaret, libros hiſtoricos veteris teſtamenti ab iis non eſſe ſcriptos, a quibus vulgo ſcripti eſſe creduntur; tandem eorum ad paralipomena vsque conſcriptionem non tantum Eſrae tribuit, ſed eum quoque perfunctorie admodum atque indiligenter ea in re verſatum, audacter non minus quam impudenter pronunciat; in *tractatu theologico politico &c. cap. IX. p. 115.* Nec adeo procul hinc diſcedit THOM. HOBBESIVS *Leuiathan. cap. XXXIII. p. 179.* Immo & RICH. SIMON; dum ex ſua hypotheſi libros, quos hodie habemus, veteris teſtamenti hiſtoricos, ex ſcribarum, quos fingit, publicorum commentariis excerptos, contendit, haud obſcure ab Eſra id factum, innuit; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. I. p. 4.* Omnes iſti praeſidium aliquod ſententiae ſuae in commento iſto de pentateucho, ceteriſque ſcripturae ſacrae, qui ea aetate exſtabant, libris, tempore captiuitatis babylonicae deperditis, & ab Eſra ex adflatu diuino reſtitutis, inuenire ſibi videntur, cuius origo ex *libro IV. Eſrae cap. XIV. v. 21. ſeqq.* repetenda, quodue nonnullis romanae eccleſiae addictis non diſplicet. Verum *quarti* huius *Eſrae* libri nullam prorſus hodie eſſe auctoritatem, conſtat inter omnes; recteque ex ipſis romanenſibus IVL. BARTOLOCCIVS obſeruat, non poſſe eum recipi, niſi ſimul putidiſſimas Iudaeorum admittere velimus fabulas; in *bibliotheca rabbinica magna part. I. p. 239.* Immo PETR. DAN. HVETIO auctor eius *homo male & inepte fraudulentus* audit; *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 264.* Prouocare equidem nonnulli, qui libros ſacros in captiuitate babylonica deperditos aut combuſtos, & ab Eſra reſtitutos eſſe, nobis perſuadere volunt, ad patres quoſdam, ſeu veteris eccleſiae doctores, ſolent, vt IRENAEVM, CLEMENTEM Alexandrinum, IO. CHRYSOSTOMVM, auctorem *ſynopſeos ſcripturae*, quae inter opera ATHANASII exſtat, alioſque. Verum nonnullis eorum, vt IRENAEO atque CLEMENTI Alexandrino, perperam hanc ſententiam tribui, luculenter a me demonſtratum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad §. *XII. p. 1025.* Ad reliquos quod attinet, qui ita loquuntur,

Digitized by Google

tur, vt dubitari nequeat, quin fabulae, ab auctore *libri IV Esrae* proditae, habuerint fidem, non eſt, quod illorum quemquam magnopere moueat auctoritas; ſiquidem veteris eccleſiae doctores in eiusmodi rebus decipi facile potuiſſe, & ſaepius deceptos eſſe, exploratum eſt. Hinc & qui ex ipſis romanenſibus, cautiores reliquis, prudentioresque ſunt, vt ROB. BELLARMINVM *lib. II. de verbo Dei, cap. I.* PETR. DAN. HVETIVM *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 264.* NAT. ALEXANDRVM *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. aetat. mundi VI. diſſert. IV. p. 338. ſeqq.* aliosque hanc de libris ſacris deperditis, atque per Esram reſtitutis, fabulam, magno conſenſu reiicere, a me iam *l. c. p. 1026.* obſeruatum eſt; vbi & plures, qui hac de re conſuli poſſunt, laudaui.

Inter libros metricos, vt vocari ſolent, ſeu poëticos, primus eſt Iobi; de quo, vti & ipſo Iobo multa omnino inter viros doctos diſputari ſolent. Condiſcere ea cumprimis licet ex FRID. SPANHEMII *hiſtoria Iobi*, ſeu, vt plenius inſcribitur, *de antiquitate & obſcuris hiſtoriae Iobi*, quae *operum* eius iunctim editorum, *tomo II.* exſtat, *lib. I. p. 1. ſeqq.* Atque is ſtatim ab initio ſeu *cap. I.* ſolide illos refellit, qui nullum vmquam Iobum exſtitiſſe, autumant, totamque eius hiſtoriam in drama aliquod, ſeu figmentum poëticum conuertunt. Eamdem ſententiam beato LVTHERO noſtro a ROB. BELLARMINO & NAT. ALEXANDRO perperam tribui, iam obſeruatum in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. I. per. I. ſect. III.* ad *§. XVI. p. 364.* De aetate Iobi licet itidem mira inter viros eruditos ſit diſſenſio; in eo tamen adcuratiores fere conſentiunt, eum ad tempora patriarcharum referendum eſſe, adeoque Moſe eſſe antiquiorem, vt SPANHEMIVS docet *l. c. cap. VIII. & IX.* Non magis de libro Iobi, quis eius auctor ſit, inter ſe conueniunt. Ab ipſo equidem Iobo eum conſcriptum eſſe, exiſtimat IO. DE PINEDA *praefat. comment. in Iob. p. 7. ſeqq.* ſed eiusmodi nititur rationibus, quae hoc vix alicui perſuaſerint. Moſen eius auctorem eſſe, probare voluit PETR. DAN. HVETIVS, *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 376.* Pari ratione & beatus IO. GERHARDVS noſter, Iobum lingua arabica hiſtoriam ſuam vtcumque adnotaſſe, adſerit, & prima iſtius libri rudimenta tradidiſſe, Moſen vero eum, vt hodie eſt, lingua ebraea elaboraſſe; in *exegeſi loci de ſcriptura ſacra, §. CXXXVII.* IO. HARDVINVS autem pro Salomone pugnat, in *chronolog. vet. teſtam. p. m. 533.* Alii aliter de auctore huius libri ſentiunt, vti ex GEORG. SERPILII *perſonalibus*, quae vocat, *Iobi*, intelligere licet, *cap. I.* Mihi iampridem placuit ſententia FRID. SPANHEMII, quam *l. c. cap. XV.* proponit, quamue & HERM. WISTIVS ſequitur, *miſcellan. ſacror. part. I. lib. I. cap. XVI. §. XXVIII. p. 176.* ab ipſo forte Iobo vel eius amicis lingua arabica aut ſyriaca conſcriptos commentarios, Iobi fata & colloquia cum amicis continentes, ex quibus deinceps ſcriptor aliquis θεόπνευστος, quicumque etiam fuerit, librum huncce, quem hodie habemus, confecerit. Id teſtatus ſum in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr. §. X. p. 34.* & in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. l. c. p. 367.* Reliqua de hocce libro legi poſſunt in IO. GOTTL. CARPZOVII *introduct. ad libros canonicos biblior. vet. teſt. part. II. cap. II.* qui & *§. XIII. p. 66.* profana SPINOZAE & aliorum de eo commenta explodit. Addendus IO. CHRIST. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. II. lib. I. ſect. II. ſubſect. VI. p. 101. ſeqq.*

Ad pſalmos quod attinet, non deſunt, qui omnes omnino ab vno Dauide compoſitos contendunt, vt praeter Iudaeos quosdam nonnulli ex veteris eccleſiae tum latinis, tum graecis doctoribus; ex illis quidem praecipue AVGVSTINVS *de ciui-*

tate Dei lib. XVII. cap. XIV. ex his autem EVTHYMIVS ZYGABENVS, in *praefat. in pſalmos* apud STEPH. LE MOYNE *varior. ſacror. tom. I. p. 172.* Taceo recentiores quoſdam, qui idem ſibi perſuaſerunt. Sed hi non minus ac illi errant, qui Dauidem nullius plane pſalmi auctorem eſſe, ſed aliorum ſolum, vt Adami, Abrahami, Moſis, collegiſſe hymnos, exiſtimant; quae nonnullis ebraeae gentis magiſtris tribuitur ſententia. Recte ſentiunt, qui pſalmos illis tribuendos, quorum prae ſe ferunt nomina, arbitrantur; niſi quod in quibusdam illi commemorentur, quibus ad canendum commiſſi ſunt. Dubia, quae circa quoſdam occurrunt, facili negotio expediri poſſunt, vt a me oſtenſum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. III.* ad *§. XXVI. p. 282.* vbi & de pſalmis iſtis XXV qui ſunt ἀνεπίγραφοι. dictum eſt. Plura autem de hiſce omnibus dabunt THOM. GATAKERVS, *aduerſar. miſcellan. lib. I. cap. X.* aliique, quos ibidem laudaui. De collectione pſalmorum viri docti itidem in varias abeunt ſententias. Mihi illorum maxime placet, qui ab ipſo Dauide initium collectionis factum, exiſtimant, idque inde euincunt, quod pſalmo LXXII haecce adiecta reperiatur clauſula: *finiuntur orationes Dauidis filii Ieſſei*, cuius hunc ſenſum eſſe putant, quod hucusque collectio ipſius Dauidis proceſſerit; continuatam deinde ab Aſapho, aliisque viris ſanctis, donec Esra vltimam ei impoſuerit manum. Si enim obiiciatur, inter pſalmos, qui ſeptuageſimum ſecundum ſequuntur, occurrere, qui extra controuerſiam Dauidis ſint; reſponderi poteſt, hoſce pſalmos a Dauide compoſitos, cum primam collectionem abſoluiſſet. Eo redit ſententia HVG. GROTII, in *adnot.* ad *pſalm. LXXII. v. vlt.* a qua nec alienus eſt THOM. GATAKERVS *l. c. p. 234.* Singularia plane & de auctoribus & de collectione pſalmorum commentus eſt PETR. DAN. HVETIVS, quae fuſius expoſui, ſimulque ſub examen reuocaui, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. l. c. p. 284. ſeqq.* Theologorum Hollandiae, aut ſi mauis, IO. CLERICI, in *iudiciis de hiſtoria critica veteris teſtamenti Richardi Simonis p. 226.* incaute SPINOZAM ſequentium, & cum eodem adſerentium, Dauidem in pſalmis *caſu*, *inſcium*, *& longe aliud cogitantem, praedictiones protuliſſe*, temeritatem caſtigauit IO. HENR. MAIVS in *diſſertationibus ſacris, in quibus ſelectiora veteris teſtamenti oracula ſecundum ſeriem locorum theologicorum explicantur &c. loco I. cap. II. §. XXII. p. 41. ſeqq.* & in *ſelectioribus diſſertationibus quatuor de ſcriptura ſacra, diſſ. I. §. V. p. 12.* Cum autem pſalmi eum in finem fuerint compoſiti, vt decantarentur, hinc & qua ſtilum ac dicendi genus ad muſicam ſint adcommodati; occaſio inde oritur viris doctis, cum de pſalmis agunt, de muſica quoque & poëſi veterum Ebraeorum, commentandi; quamquam de vtraque pauca nobis comperta ſint. Inter eos, qui de muſica veterum Ebraeorum, immo & de poëſi ex inſtituto ſcripſerunt, laudandus maxime SAL. VAN TIL, cuius liber *de poëſi & muſica veterum*, lingua germanica, qua Francofurti anno 1706. 4. prodiit, inſcribitur: *Dicht-Sing- und Spiel-Kunſt, ſowohl der Alten, als ins beſondere der Hebreer, durch neugierige Unterſuchung der Antiquitaet aus ihrer vorigen Dunckelheit wieder aufgeklaehret &c.* De nominibus inſtrumentorum, aliisque, ad muſicam veterum Ebraeorum ſpectantibus, & in pſalmis occurrentibus, legere iuuabit THOM. GATAKERVM *aduerſarior. miſcellaneor. lib. I. cap. X. p. 237.* Ad poëſeos veterum Ebraeorum naturam, indolemque perſcrutandam ac detegendam, plurimi animum adiecerunt ſuum, ſed ſucceſſu parum proſpero. FL. IOSEPHVS, Ebraeorum poëſin ex poëſi Graecorum aeſtimans, hexametra, pentametra, lyricaque carmina in ſacro codice

Digitized by Google

codice ſibi inueniſſe viſus eſt; *antiquit. iudaic. lib. VII. cap. X. p. 242.* in eamdemque ſententiam ORIGENEM, EVSEBIVM, HIERONYMVM aliosque auctoritate ſua pertraxit. SALOMON equidem VAN TIL exiſtimat, hoſce omnes non recte intellexiſſe IOSEPHVM, vtpote qui, etſi *carminis trimetri & pentametri* mentionem faciat, non tamen pedum, ſed cantus, ſeu melodiae menſuram reſpiciat, ita autem loquutus ſit, vt ethnici, quid ſibi vellet, intelligere poſſent; *de poëſi & muſica veterum part. II. cap. VI. p. 242.* Sed verba IOSEPHI mitiorem hanc explicationem non admittere, intelliget, qui ea paullo adcuratius conſiderauerit. Recentiores quidam, cum eiusmodi carmina in ſacro codice non deprehenderent, id inde prouenire rati, quod poëſeos ebraeae indoles iis ignota eſſet; ad eam inueſtigandam omnes ingenii vires contulerunt. Omnium hac in re recenſere conatus, noſtri non fert inſtituti ratio. Dubiam reliquis reddidiſſe palmam viſus eſt FRANC. GOMARVS, edita anno 1637 *lyra Dauidica, ſeu noua ebraeae ſcripturae ſacrae arte poëtica.* Probauitque hicce eius labor ſe viris quibusdam doctiſſimis, IO. BVXTORFFIO, DAN. HEINSIO, aliisque: quemadmodum rurſus aliis diſplicuit, qui regulas metri ebraei ab eo traditas ita comparatas eſſe obſeruarunt, vt per eas quilibet ſermo in metricum facili negotio conuerti poſſit. Id ex inſtituto oſtendit LVD. CAPPELLVS, in *animaduerſionibus ad nouam* illam *lyram Dauidis*, cui praeter alios adſtipulatur SAL. VAN TIL *de poëſi & muſica vet. part. II. cap. VII. p. 241.* hoc ſolum improbans, quod acerbe nimis GOMARVM perſtrinxiſſet. MARCI MEIBOMII metricae Ebraeorum arcanum, cum vltimis prophetarum, Ieremia, Dauide, Ezechiele conſepultum, & exinde omnibus ignoratum, ſibi tandem innotuiſſe, iactitantis, deliria, caſtigarunt IO. HENR. MAIVS, in *introduct. ad ſtudium philologicum, criticum, & exeget. cap. VIII.* & BRANDAN. HENR. GEBHARDI, in *diſquiſit. de Metro Marci Meibomii.* Et hi quidem, quos commemorauimus, aliique, poëſin metricam in antiquis Ebraeorum monumentis ſe inueniſſe, aut inuenire poſſe, ſibi perſuaſerunt; quam cum ibi fruſtra quaeri, alii crederent, de rythmica potius, aut rythmico-metrica cogitarunt. Placuit haec ſententia praeter alios IO. CLERICO, qui & canticum Moſis, quo laudes Dei ob ſubmerſum in mari rubro Pharaonem celebrauit *Exod. XV.* & alterum illud *Deut. XXXII.* in *notis* ad *haec loca* ita diſpoſuit, vt verſus ὁμοιοτέλευτοι in iis obſeruare liceat; placuit etiam BLASIO GAROFALO in *conſiderationibus de poëſi Graecorum & Ebraeorum*, italice ſcriptis, & Romae an. 1707 editis. Cum vero & huic varia, eaque non exigui momenti, opponi queant; rectius, mea opinione, hic ſapiunt, qui agnoſcunt, de poëſi veterum Ebraeorum nihil aliud dici poſſe, quam eam tum in ſtili ſublimitate, tum in vocum quadam ad muſicam adcommodatione, conſtitiſſe; quorſum & tendunt, quae hac de re pronuntiat SAL. VAN TIL *l. c. lib. II. cap. VII. p. 247.* Summa haec eſt eorum, quae fuſius de pſalmis itemque de muſica & poëſi Ebraeorum diſſerui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. III.* ad *§. XXVI. p. 280. ſqq.* vbi & plures, qui de iisdem agunt, laudaui, quibus adhuc addendus IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in *introduct. ad libros canonicos biblior. vet. teſtam. part. II. cap. III. p. 86. ſqq.* De libris Salomonis genuinis, *prouerbiis*, *eccleſiaſte* & *cantico canticorum*, ſpeciatim aliquid monere, neceſſe non erit. Praecipua, quae de iis obſeruatu digna ſunt, iam attigi in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. IV.* ad *§. XXXIII. p. 639. ſeqq.* reliqua dabit, quem iam laudauimus, vir doctiſſimus CARPZOVIVS *l. c. cap. IV. ſqq. p. 153. ſeqq.* qui & SPINOZAE, RICH. SI-

MONIS, IO. CLERICI aliorumque in hoſce libros inſultus ſtrenue repedit. Quae IOAN. CLERICVS parum ſobrie de tribus hiſce Salomonis libris ſcripſerat, refutanda quoque ſibi ſumſit HERM. WITSIVS, *miſcellaneor. ſacror. part. I. lib. I. cap. XVIII. §. XXX. ſeqq. p. 222. ſeqq.* De *kobeleth*, ſeu *eccleſiaſte* Salomonis, itemque de *cantico canticorum*, lectu dignae ſunt diſſertationes IO. HENR. MICHAELIS, theologi Hallenſis clariſſimi, & de *prouerbiis* diſſertatio CHRIST. BEN. MICHAELIS; quorum virorum doctiſſimorum & aliae exſtant de libris quibusdam biblicis diſſertationes, exquiſita conſcriptae diligentia, meritoque commendandae; qui & in *prolegomenis*, ſingulis libris, in editione bibliorum ebraicorum Hallenſi praemiſſis, quae huius loci ſunt, tradiderunt. Adſerta IO. CLERICI profana, de *cantico canticorum*, ſub examen etiam reuocat IO. VAN DER WAYEN in *diſſert. de vocab.* λόγος *p. 120. ſeqq.*

Superſunt libri, qui ſpeciatim *prophetici* dicuntur, de quibus, vt & eorum auctoribus, iidem viri docti, qui de libris biblicis veteris teſtamenti agunt, conſulendi ſunt. Inter EPIPHANII opera exſtat liber περὶ τῶν προφητῶν πῶς ἐκοιμήθησαν, καὶ ποῦ κεῖνται, *de prophetis, eorumque obitu ac ſepultura tom. II. p. 235. ſeqq.* Sed eum ſuppoſititiis adnumerandum eſſe, dudum viri docti obſeruarunt. Qui ſub DOROTHEI Tyrii, quem ſaeculo quarto vixiſſe perhibent, nomine exſtat liber, ſeu, vt alii vocant, ſynopſis, *de vita & morte prophetarum, apoſtolorum, ac diſcipulorum Chriſti*, fabulis atque commentis prorſus illepidis ſcatet; hinc nullius apud eruditos eſt auctoritatis. Exhibetur latine in *bibliotheca maxima patrum tomo III. p. 422. ſeqq.* graece autem atque latine, cum aliis eiusdem generis monumentis, eam *libris tribus de vita & morte Moſis* a GILB. GAVLMINO cum obſeruationibus euulgatis, & Hamburgi anno 1714. 8. recuſis, ſubiunxit IO. ALB. FABRICIVS. Incerti cuiusdam auctoris *ſynopſin prophetiarum* cum ADRIANI *iſagoge ſacrarum litterarum*, ſupra nobis iam commemorata, graece edidit DAV. HOESCHELIVS, quae adeo & *tomo VI. criticor. ſacror. p. 23.* editionis, quae Francofurti ad Moenum prodiit, exſtat. Promittitur ibidem in ſyllabo auctorum, quos HOESCHELIVS HADRIANO ſubiecerit, alterius anonymi *ſynoptica hiſtoria de vita & obitu prophetarum*; ſed ea ibi non inuenitur. Recentiorum, qui de prophetia & prophetis, tum generatim, tum ſpeciatim egerunt, haud exiguus eſt numerus. Luculenter tamen admodum prae reliquis in hocce argumento verſatus eſt HERM. WITSIVS *miſcellaneor. ſacror. part. I.* per integrum *librum primum*, vbi omnium prophetarum hiſtoriam exhibet. Nec laude ſua defraudandus eſt DAV. KNIBBE, in *hiſtoria prophetarum, in quatuor libros diſtributa*, quae ex lingua belgica in germanicam translata, Bernae prodiit 1709. 4. Succincte etiam & neruoſe, ſimulque erudite *de prophetis & prophetiis* agit CAMPEGIVS VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae*, qui eiusdem *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae*, Franecquerae an. 1708. 8. editae, ſubnexus eſt. De reliquis conferendus IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in *introduct. ad libros canonicos bibliorum veteris teſtamenti, part. III. cap. I. §. XXVIII. p. 84. ſeqq.*

Iam & de librorum canonicorum veteris teſtamenti collectione, ſeu canonis conſtitutione, aliquid dicendum eſt. RICH. SIMON hic iterum ſcribas ſuos publicos, quos & prophetas vocat, in ſcenam producit. Ab hiſce enim anteceſſorum ſuorum monumenta, ex commentariis eorum publicis excerpta, & varia ratione immutata, collecta fuiſſe; vltimam vero collectionem factam, cum plerique iſtorum ſcribarum publicorum, ſeu prophetarum, iam diem ſuum obiiſſent, ab auctoribus ab hiſce

ce temporibus iam multum remotis. Illis nimirum, qui vltimam librorum veteris teſtamenti collectionem ab Esra factam, exiſtimant, neutiquam ſuffragatur. Probabile tamen illi videtur, Iudaeos ex captiuitate babylonica reduces, commentariorum a ſcribis, ſeu prophetis illis compoſitorum, quemdam inſtituiſſe ſelectum, & partem eorum publicaſſe, reliquos in tabulariis adſeruaſſe; prioresque *librorum canonicorum* nomine veniſſe. Qui quidem libri, cum diuerſorum auctorum ſint commentarii, fruſtra eſſe, qui connexionem, ordinemque, aut iuſtam temporis ſeriem in illis quaerat. Duraſſe porro ſcribarum iſtud officium ac poteſtatem, quamdiu Iudaeorum ſteterit respublica, mirumque adeo non eſſe, in collectione librorum canonicorum exſtare libros, poſt Esram ſcriptos. Libros, poſt vltimam compilationem collectos, *apocryphos* dictos, forte quod ſynedrii auctoritate publica non fuerint comprobati. Cum vero deinceps ab eccleſia in numerum librorum canonicorum fuerint recepti; nefas eſſe, de diuina illorum dubitare auctoritate. Haec ſumma eorum eſt, quae de canonis veteris teſtamenti conſtitutione SIMON fuſius ediſſerit, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. VIII. p. 55.* alibique. Quae tamen omnia, cum lubrico fundamento de ſcribis publicis ſuperſtructa ſint, hoc labefactato atque euerſo, ſponte ſua corruunt. Theologorum batauorum, aut ſi mauis, IO. CLERICI ſententiam, priuatis piisque hominibus librorum ſacrorum collectionem tribuentium, donec in ſynagogis cum libro legis reliqui quoque libri ſacri praelegi inciperent, in *iudic. ſuper Simonii hiſtor. crit. vet. teſt. p. 216.* ſub examen reuocauit IO. HENR. MAIVS, in *diſſertationibus ſelectioribus quatuor de ſcriptura ſacra, diſſertat. III. cap. II. § IV. p. 101.* Alii rurſus, iique haud pauci, canonis, qua vetus teſtamentum, conſtitutionem, a *ſynagoga* illa *magna*, de qua tam multa, tamque mirifica Iudaeorum magiſtri nobis narrant, deriuandam cenſent. Conſeſſum nimirum huncce magnum, quem כנסת הגדולה *ſynagogam magnam*, vocant, quemue a ſynedrio magno diligenter diſtinguunt, ab Esra inſtitutum perhibent, eumque elogiis non inuidendis modo, ſed commenta etiam, fabulasque redolentibus, cumulant. Eumdem porro cxx conſtitiſſe viris, perhibent, ſecundum alios autem pauciores fuerunt. Non enim ſatis hacce in re inter ſe conueniunt. Communi vero conſenſu tres vltimos prophetas Haggaeum, Zachariam, Malachiam iis adnumerant; vltimum autem Simeonem iuſtum, ſacerdotem ſummum, fuiſſe, autumant. Conferendus IO. BVXTORFIVS *Tiberiad. lib. I. cap. X. p. 90. 92.* Inter plurima autem, eaque magni momenti, a viris iſtis ſynagogae magnae geſta, hoc quoque, ſi iſtis credimus, fuit, quod de colligendis libris ſacris, atque rite diſponendis, fuerint ſolliciti. Idque eſſe, quod dici ſoleat, reſtituiſſe viros ſynagogae magnae *coronam ſuae antiquitati.* Collecti vero ſunt, vt porro autumant, qui iam tum exſtabant, libri canonici, hisque additi, qui nuper, aut non ita pridem acceſſerant, Ieremiae vaticinia cum threnis, Ezechielis item, Danielis, Zachariae, & Malachiae, quibus Esra & Nehemias ſuos quoque ex adflatu diuino ſcriptos libros adiecerint. Plura de ſynagoga hacce magna, ex Iudaeorum ſcriptis diligenter collecta, dabunt IO. BVXTORFIVS, *Tiberiad. lib. I. cap. X.* & IVL. BARTOLOCCIVS, in *bibliotheca rabbinica magna, part. IV. p. 2. ſeqq.* Conſtitutum hac ratione canonem veteris teſtamenti, pro certo & explorato habet IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſ. philolog. lib. I. cap. II. p. 111.* Romanenſibus ideo haec ſententia placet, quod putant, ſe hoc pacto eccleſiae facultatem, canonicam libris quibusdam tribuendi auctoritatem, vindicare poſſe. Fatetur autem PETR. DAN. HVETI-

Digitized by Google

HVETIVS, ſolidis rationibus hucusque probatum non eſſe, Esram cum ſynagoga magna canonis conditorem exſtitiſſe, quas ipſe primum excogitaſſe, & attuliſſe ſibi viſus eſt: *demonſtrat. euangel. part. I. prop. IV. p. 467.* Alii vero, quidquid de ſynagoga illa magna dicitur, inter fabulas & inania Iudaeorum referunt commenta. Ita RICH. SIMON *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. VIII. p. 52.* quem & hac in re ſequuntur theologi, vt ſe vocant, Bataui, in *iudiciis* ſuper *hiſtoria* eius *critica &c. p. 198.* Nec ſine ratione Iudaeorum de ſynagoga iſta traditiones in dubium vocantur. De eius enim inſtitutione, quam Esrae tribuunt, nec in ipſius Esrae, nec in Nehemiae libro, nec in aliis monumentis fide dignis, quidquam legitur. Immo nec in duobus Esrae libris apocryphis, nec apud FL. IOSEPHVM vlla eius mentio. Talmudici primum eius meminere doctores, quorum vt alias in rebus hiſtoricis exigua fides eſt, ita in rebus, ab illorum aetate adeo remotis, multo adhuc minorem promerentur. Accedit, quod quaedam aperte falſa narrent, quae totam iſtam traditionem ſuſpectam reddunt. Interim lubens conceſſerim, Esram, poſt ſolutam captiuitatem babylonicam, cum aliis quibusdam viris piis, id egiſſe, vt libri ſacri, quosue eccleſia pro θεοπνεύστοις agnouerat, per captiuitatem babylonicam hinc inde forte diſperſi, colligerentur, ſpuriique, ſi qui irrepſerant, a genuinis diſcernerentur, ſimulque curaſſe, vt in plurium vſum emendate deſcriberentur. Si verum eſt, quod EPIPHANIVS in libro *de ponderibus & menſuris cap. IV.* innuit, quodue alii confirmant, libros, quos eccleſia iudaica pro canonicis habuit, in arca foederis fuiſſe repoſitos, reliquos inde excluſos; non eſt, quod de canonis collectione multum ſimus ſolliciti. Legenda IO. HENR. MAII *diſſertatio de libris canonicis, in arca foederis reconditis*, quae inter *quatuor ſelectiores de ſcriptura ſacra*, ſecunda eſt, *p. 51. ſeqq.* Hoc certum, eos, qui ab eccleſia iudaica pro diuinitus inſpiratis habebantur, ſuisque characteribus ſe tales demonſtrabant, prioribus, quos a maioribus ſuis acceperant, fuiſſe additos, donec tandem eadem ratione liber Malachiae, ceu vltimi ex viris θεοπνεύστοις veteris teſtamenti, reliquis adiiceretur, & ita canon clauderetur. Alium enim modum canonem conſignandi, vt fingamus, neceſſe non eſt. Legenda iterum IO. HENR. MAII *diſſertatio de conſignato canone ſcripturae ſacrae*, quae inter *diſſertationes* antea memoratas, tertia eſt, *p. 85. ſeqq.* Conferenda &, quae de canone biblico erudite diſſerit IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. I. ſect. I. §. II. ſeqq. p. 2. ſqq.* qui & *§. V. p. 9.* eos laudat, qui de canone veteris teſtamenti ex inſtituto egerunt. Nonnulla ex iis, quae hucusque diximus, etiam attigimus in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XII. p. 987. ſqq.*

Praeter canonicos etiam *apocryphi* veteris teſtamenti libri hic in cenſum veniunt. Hos nonnulli inde ita dictos putant, quod in κιβωτῷ *arcula*, ſiue armario iudaico, non fuerint repoſiti. Quod tamen longius petitum, licet res ipſa, cuius EPIPHANIVS meminit, vt antea iam obſeruauimus, non plane reiicienda videatur. Rectius cenſent, qui a verbo ἀποκρύπτειν *occulere, abſcondere*, libros quosdam *apocryphos* adpellitatos, docent, quia ſint *occulti, abſconditi*, hoc eſt, non ea polleant auctoritate, nec in tam clara luce poſiti ſint, quam alii, qui iis opponuntur. Qua ratione, quodnam inter canonicos & apocryphos libros intercedat diſcrimen, facile intelligitur. Veteres eccleſiae chriſtianae doctores a libris canonicis *eccleſiaſticos*, & ab his iterum *apocryphos* diſtinguebant. Ita ſane RVFFINVS, per *canonicos* eos intelligens, qui & nobis hoc nomine hodie veniunt, per *eccleſiaſticos* eos, qui

qui non quidem canonici erant, ob vtilitatem tamen, quam ex eis haurire licet, in eccleſia legebantur. *Apocryphorum* autem nomine veniebant iſtiusmodi libri, quos canon ſexageſimus apoſtolorum vocat ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία *falſo inſcriptos impiorum libros.* Dictum hac de re copioſius *inſtitut. theolog. dogm. lib. I. cap. II.* ad §. *XXXII. p. 194. ſeqq.* Librorum apocryphorum veteris teſtamenti tres hodie conſtitui poſſunt claſſes. Ad primam referuntur liber *Iudith*, *ſapientiae*, *Tobiae*, *Siracidis* ſeu *eccleſiaſticus*, *Baruchi*, *primus & ſecundus Maccabaeorum*, cum fragmentis quibusdam *Estherae* atque *Danielis*, itemque *oratio Manaſſis.* Hi libri cum apocryphi ſint, & in canone quoque Ebraeorum non exſtent; a pontificiis tamen pro canonicis habentur, eo, quod perperam ſibi perſuadent, eccleſiam gaudere poteſtate, libro alicui canonicam tribuendi auctoritatem. Quem illorum errorem ſaepe tum noſtrates, tum reformatae eccleſiae theologi, profligarunt; omnibus autem dubiam in hocce argumento palmam reddidit IO. RAINOLDVS, in opere amplo & erudito, & alibi nobis iam, prout meretur, laudato, quod inſcribitur: *cenſura librorum apocryphorum veteris teſtamenti, aduerſum pontificios inprimis Robertum Bellarminum &c.* Oppenheimii anno 1611 duobus tomis in 4. Praecipuos ex hiſce, *librum* ſcilicet *Tobiae*, *Iudith*, *orationem Manaſſae*, *ſapientiam* & *eccleſiaſticum*, graece & latine edidit vir doctiſſimus IO. ALB. FABRICIVS, Francofurti & Lipſiae anno 1691. 8. qui & in *prolegomenis*, quae iisdem praemiſit, adcuratiorem eorum notitiam ſuppeditat. Altera claſſis eos complectitur libros apocryphos, qui etiam a pontificiis pro talibus reputantur, & ſubinde nihiloſecius quibusdam bibliorum editionibus adiungi ſolent, vt *liber III. & IV. Eſrae*, *III. Maccabaeorum*, *pſalmus CLI.* adpendix *libri Iobi*, & praefatio *threnorum*, de quibus legendus MICH. WALTHERVS in *officina biblica*, §. *MCCCLXXXI. ſeqq.* itemque IO. ALB. FABRICIVS *bibliothec. graec. lib. III. cap. XXIX. p. 746. ſeqq.* vbi & de reliquis apocryphis agit. Conferendus etiam de hiſce omnibus IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. I. ſect. III. p. 192. ſeqq.* ipſemet etiam de iisdem paſſim in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam.* verba feci. Tertia denique claſſis ea monumenta complectitur, quae rectius *pſeudepigrapha* vocantur, vt *teſtamentum duodecim patriarcharum*, *pſalterium Salomonis*, & alia, quorum iam antea facta mentio, cum de ſcriptis, quae ante Moſen edita perhibentur, diſputaremus, vbi & auctores, qui de iis conſuli poſſunt, laudauimus.

** Linguam originalem librorum veteris teſtamenti ebraeam eſſe, paucis quibusdam locis, quae chaldaice ſcripta ſunt, exceptis, neminem fugit. Quae autem de lingua ebraea, ipſisque eius litteris, diſputari inter viros eruditos ſolent, certe, quae prae reliquis obſeruatu digna ſunt, maximam partem ſupra iam delibauimus, *lib. I. cap. IV.* ad §. *VI.* Attigimus ibidem celeberrimam iſtam, de litteris Ebraeorum controuerſiam, num, quas hodie ita vocamus, veteres illae & genuinae ſint, an vero ſamaritanae potius? Notum namque eſt, eſſe viros doctiſſimos, qui ſibi aliisque perſuadere adnituntur, litterarum characteres, quos hodie ſamaritanos vocamus, eos ipſos eſſe, quibus Moſes & prophetae in libris ſuis conſcribendis vſi ſunt; eos autem, quos hodie ebraeos adpellamus, chaldaeos potius, ſeu aſſyriacos eſſe, quos Iudaei, in captiuitate babylonica conſtituti, adſumſerint; a quibus tamen alii non minus ingenio & doctrina praeſtantes viri diſſentiunt. Vtriusque partis rationes fuſe, & ni fallor, luculenter edisſerui in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad §. *XII. p. 997. ſeqq.* Inter

ter argumenta, quae pro litteris ſamaritanis proferuntur, praecipuum momentum trahere videtur, quod nummi, ſiue ſicli, inſcriptionibus ſamaritico charactere gaudentes, ſuppeditant, quales ATHANAS. KIRCHERVS *tom. II. oedip. aegypt. part. I. pag. 94. ſeqq.* IO. HENR. HOTTINGERVS, *diſſertat. de nummis oriental.* STEPH. MORINVS, *de lingua primaeua exercitat. II. cap. IX. pag. 258. ſeqq.* & qui omnium diligentiſſime hac in re verſatus eſt, HADR. RELANDVS, in *diſſertationibus quinque de nummis veterum Ebraeorum, qui ab inſcriptarum litterarum forma, ſamaritani adpellantur;* Traiecti ad Rhenum an. 1709. 8. editis, aliique exhibent. Sed bene eſt, quod hodie a viris harum rerum peritiſſimis euidentiſſime demonſtratum, & in aprico poſitum eſt, nummos hoſce diu poſt captiuitatem babylonicam cuſos, & ad Haſmonaeorum aetatem referendos eſſe. Luculenter id HADR. RELANDVS in *diſſertationibus citatis* euicit; ipſeque huic ſententiae ſuffragatur IO. HARDVINVS, in *chronologia vet. teſtam.* quae in *operibus* eius *ſelectis* exſtat *pag. 600.* Speciatim a Simone, principe & ſummo ſacerdote Iudaeorum, in ſignum recuperatae libertatis, eiusmodi nummos cuſos eſſe, probabile admodum, argumentisque minime contemnendis demonſtrari poteſt. Quod ſi quaeras, cur Hasmonaei principes in nummorum iſtorum inſcriptionibus litteris vſi ſint ſamaritanis, cum ebraeo eo tempore apud Iudaeos in vſu fuerint? non vna quidem ratione hinc ſe viri docti expedire conantur. Proxime forte ad verum accedunt, qui obſeruant, litteras, quae in nummis hiſce conſpiciuntur, ſamaritanis quidem eſſe perſimiles, nec tamen diſſimiles plane iis, quae hodie ebraeae dicuntur, nonnumquam etiam tantum a ſe ipſis fere differre, quantum differunt ab ebraeis; indeque porro colligunt, non alias eſſe has litteras, quam ebraeas, ſed tachygraphicas, ex celeriori ſcribendi ſtudio ortas. Ita vir celeberrimus VALENT. ERN. LOESCHERVS *de cauſſis linguae ebraeae lib. II. cap. I. §. V. pag. 206.* Nec tamen contemnenda coniectura IOAN. HARDVINI, Simonem, principem ac pontificem Iudaeorum, cum facultatem cudendi monetam impetraſſet, & forte religione legis Moſaicae *Exod. XX. 4.* quo minus ipſe illud faceret, prohiberetur, exemplo tamen aliarum gentium ſui memoriam hac ratione ad poſteros transmitti cuperet, a Samaritis ditioni ſuae obnoxiis nummos iſtos cudi voluiſſe, & ſamaritico charactere inſigniri, vt eo minus in ſuſpicionem neglectae legis Moſaicae veniret; in *chronolog. vet. teſtam. pag. 602.* Sed de hiſce omnibus iam *loco* antea *citato* copioſius dictum. Litterarum vero ſamaritanarum dum facta eſt mentio; non abs re fuerit, de pentateucho ſamaritano aliquid addere. Iacuit iſte per multa ſaecula in tenebris, & ab HIERONYMI fere aetate vsque ad ſaeculum decimum ſeptimum chriſtianis vix viſus eſt, donec tandem in eruditorum hominum manus veniret. Qua ratione id contigerit, ſummatim exponit CHR. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionibus, cap. XVI. pag. 288. ſeqq.* Varia quoque, ad hiſtoriam huius rei ſpectantia, legere licet in R. P. AMELOTI *monumentis epiſtolicis variorum doctorum virorum, qui ſcripſerunt de antiquitatibus eccleſiae orientalis,* Lugduni Batauorum an. 1699. 8. editis; itemque in *vita Io. Morini,* iisdem *monumentis* praefixa. Hodie itaque pentateuchus ille ſamaritanus ſatis obuius eſt, typis quippe publicis exſcriptus, & bibliis polyglottis tum Pariſienſibus, tum anglicanis inſertus; ne quid de codicibus manuſcriptis, qui hinc inde inueniuntur, dicam. Eos autem, qui hodie exſtant, codices, eosdem eſſe ac vetuſtos illos, quorum apud veteres fit mentio, oſtendere adnititur BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico prolegom. XI. §. XIV.*

§. *XIV. p. 372. ſeqq.* itemque IOAN. MORINVS *exercit. III. in pentateuch. ſamarit. cap. I. ſeqq.* Neque id negant, qui ceteroquin auctoritatem codicis iſtius ſamaritani acriter impugnant. Nimirum, cum de pentateucho hocce ſamaritano, hoc eſt, ebraeo, ſed litteris ſamaritanis ſcripto, & apud ſamaritanos recepto, diuerſae eſſent virorum doctorum ſententiae, nonnullis eum cum ebraeo, prout apud Iudaeos ac chriſtianos receptus eſt, prorſus conſentire, contendentibus, aliis eum, vtpote corruptum, ebraeo poſtponentibus, quibusdam denique ebraeo multum praeferentibus; vltimis IOAN. MORINVS, congregationis oratorii presbyter, acceſſit, aut potius, eorum, qui ita cenſuerunt, princeps fuit, idque, vt aliis perſuaderet, omnes ingenii neruos intendit, in *praefatione ad verſionem LXX interpret.* Pariſiis an. 1628 edita; in *exercitationibus ad pentateuchum ſamaritan.* Pariſiis 1631, in *opuſculis ſamariticis* Pariſiis 1657 alibique. Suffragatus MORINO eſt LVDOV. CAPPELLVS, in *critica ſacra lib. III. cap. XX.* Omni autem fundamento cum ea deſtitueretur ſententia; oppoſuerunt ſe eidem viri doctiſſimi, SIMEON DE MVIS, in *adſertione veritatis ebraicae prima*, Pariſiis 1631. 8. & *altera* ibidem 1634, quam, cum MORINVS *diatriben elenchticam* Pariſiis an. 1639 in lucem emiſiſſet, ſequuta eſt *tertia*, ſiue *caſtigatio animaduerſionum Io. Morini in cenſuram exercitation. eccleſiaſt. ad pentateuchum ſamaritanum*, Pariſiis an. 1639. 8. IOAN. HENR. HOTTINGERVS, in *exercitationibus anti-Morinianis, de pentateucho ſamaritano eiusque vdentica authentia* Tiguri 1644. 4. & vt reliquos taceam, STEPH. MORINVS in *exercitationibus de lingua primaeua, exercit. II. cap. VII. pag. 199. ſeqq.* Immo nec ipſi RICH. SIMONI hocce MORINI inſtitutum ſe probauit, vti ex eiusdem *hiſtoria critica vet. teſtam.* patet, *lib. I. cap. XI. & XII. pag. 69. ſeqq.* Pentateuchum iſtum ſamaritanum ἀντίγραφον eſſe, & quidem vitioſe ſatis ex ebraeo transſumtum, ſummatim CHR. KORTHOLTVS docet, *de variis ſcripturae editionibus cap. XVI. §. II. pag. 290.* Plura de eodem pentateucho dabit IOAN. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. II. ſect. VI. p. 425. ſeqq.* qui & de eiusdem verſionibus ſamaritana, aut ſamaritano-chaldaica, arabica, & quam nonnulli olim exſtitiſſe putant, graeca verba facit, *pag. 431. ſeqq.* De prioribus duabus verſionibus legendus etiam KORTHOLTVS *l. c.* §. *III. pag. 292.*

De punctorum, quae vocantur, vocalium, in codice ebraeo, origine & antiquitate, multa itidem inter viros doctos diſputari ſolent. Sed & ea iam delibauimus *lib. I. cap. IV.* ad §. *VI.* Supereſt itaque, vt de illis adhuc quaedam addamus, qui textum originalem corruptum, varieque deprauatum eſſe, adſerunt. Hoc autem, vt & alia quaedam eiusdem generis, tum demum praecipue nonnullis in mentem venit, cum quaeſtio, an verſiones quaedam praeferendae ſint textui originali? exorta eſſet. De ea vero nullum apud veteres erat dubium. Certe non tantum patres, quos vocant, ſeu veteris eccleſiae doctores, ſed & praeſtantiſſimos omnium ſaeculorum viros eruditos, textum originalem verſionibus ſemper praetuliſſe, HVMFREDVS HODIVS, *de bibliorum textibus originalibus, verſionibus graecis, & latina vulgata*, per integrum *librum tertium p. 218. ſeqq.* tam luculenter euicit, vt nemo amplius ea de re dubitare queat. Aliter deinceps nonnulli ſentire coeperunt, cum per emendationem eccleſiae, a beato LVTHERO ſuſceptam, nouae, & magnam partem nondum hucusque auditae controuerſiae excitarentur. Tum enim & verſionum quarumdam ita nonnulli voluerunt conſulere auctoritati, vt textus originalis in dubium vocarent integritatem; quamquam

& aliae cauſſae eſſent, quae eos ad textus originalis auctoritatem imminuendam induxerunt. Pontificii nimirum cum in ipſo iſtorum certaminum primordio intelligerent, ſe inferiores ex iſta pugna diſceſſuros, ſi ſcripturae ſacrae teſtimonio & auctoritate ſtandum eſſet; praeter eccleſiae deciſionem etiam traditiones in ſubſidium vocabant. Harumque vt euincerent neceſſitatem, certitudini ſcripturae ſacrae tantum detrahebant, quantum tribuebant traditionibus. Inter alia itaque & textum ebraeum corruptum ac deprauatum eſſe, contendebant, idque obſtare omnino, quo minus ſcripturae quis inniti queat teſtimonio. Accedebat verſionis vulgatae auctoritas, Tridentini etiam concilii decreto firmata, quae, vt ſalua eſſet, ſollicitandi quovis modo erant fontes ebraei atque graeci. Certatim itaque eccleſiae huic addicti in eam ingreſſi ſunt ſententiam, textum ebraeum corruptum eſſe atque deprauatum. Ita namque IOAN. MARIANA, WILH. LINDANVS, MELCH. CANVS, GREG. DE VALENTIA, THOM. STAPLETONVS, ALPH. SALMERON, ANTONIVS POSSEVINVS, aliique quamplurimi ſentiunt, quos magno numero laudat CHR. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionibus, cap. II. §. I. pag. 7.* Dignus vero prae ceteris, qui hic commemoretur, eſt LEO CASTRIVS ſiue DE CASTRO, cui cum BENED. ARIA Montano celebre ſuper hocce argumento certamen interceſſit; de quo NIC. ANTONIVM audire iuuabit. *De ſacris*, inquit, *iisdem litteris, magno & valido auſu, cui tamen forſan ſucceſſus defuit, bene mereri adgreſſus fuit, lucubrationum publicatione argumenti non vulgaris; quod vtique ei cum ſummis eius aetatis viris fuit decertandum. Contendit Leo nempe, ebraicis bibliis, vtpote vitiatis, & vna cum introductione punctorum corruptis, non eam fidem habendam, quam exiſtimabat doctorum vulgus; veramque potius & indubitatam eorum librorum ſententiam in vulgata ſancti Hieronymi, atque item in graeca ſeptuaginta ſeniorum translationibus, perquirendam. Super quo cum Benedicto Aria Montano, viro vndiquaque clariſſimo, qui bibliorum regiae Antwerpienſi editioni praeeſſe iuſſus, contentionis diu funem traxit, quaſi nimium credulo veritati, vt ipſe loquebatur, ebraicae; cui tamquam originali & illibatae, vna cum translationibus graeca, latina, & aliis compertae fidei dari debere locum in editione illa, peruicaciter Leo pernegabat.* Addit recte ANTONIVS: *In hoc tamen fruſtra eum laboraſſe, nec ebraeorum librorum auctoritatem ſic facile conuelli poſſe, virorum excellentium, quos huius linguae vſu atque eius gentis hiſtoriae cognitione praeſtantes habuit hoc & ſuperius ſaeculum, communis fuit exiſtimatio; biblioth. hiſp. noua tom. II. p. 12.* Egit autem CASTRIVS praecipue hanc cauſſam in *apologetico, pro lectione apoſtolica, & euangelica, pro vulgata D. Hieronymi, pro translatione ſeptuaginta virorum, proque omni eccleſiaſtica lectione, contra eorum obtrectatores*, Salmanticae anno 1585. fol. Quod eius ſcriptum, vt & reliqua, recenſet NIC. ANTONIVS *l. c.* Vt autem aemulatio cum BENED. ARIA Montano, CASTRIVM ad impugnandum textum ebraeum praecipue induxiſſe videtur; ita linguae ebraeae ignorantiam adeo prodidit, vt popularibus quoque & religionis ſuae ſociis hoc nomine vapulet. IOANNES namque DE PINEDA in *Salomone praeuio lib. V. cap. IV. pag. 352.* eum *vel ignoratione ebraizationum, vel vehementiori adfectione extra fines veritatis abreptum fuiſſe*, fatetur. Idem & calculo ſuo comprobat RICH. SIMON, qui de eo ex inſtituto diſſerit *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XVII. p. m. 459.* Atque hoc de plerisque forte, qui textus originalis integritatem oppugnant, dici poteſt, tum partium ſtudio, tum linguae ebraeae ignoratione eos ad hoc induci. Commemorari vero

inter

inter romanenſes adhuc poſſent IACOBVS BONFRERIVS, in *praeloquiis*, *commentario* eius *in pentateuchum* praemiſſis, *cap. XIII. p. 43. ſeqq.* IO. LORINVS *comment.* in *II. Petr. I. 19.* & ex recentioribus PETR. DAN. HVETIVS, LVDOV. ELL. DV PIN, aliique. RICH. SIMONEM praecipua quadam ratione hic locum ſibi vindicare, ex ſyſtemate eius, quod ſupra exhibuimus, facile perſpicitur. Idem de IO. MORINO cenſendum. Pentateuchi enim ſamaritani auctoritas ei tanta viſa eſt, vt in eius gratiam ad ebraei codicis integritatem labefactandam omnes ingenii vires contulerit. Huc pertinent certamina illa, quae ei cum SIMONE DE MVIS aliisque intercesſere, de quibus ſupra dictum. MORINI veſtigia preſſit CLAVD. CAPPELLANVS, doctor & ſocius Sorbonnicus, cuius *mare rabbinicum infidum ſeu quaeſtio rabbinico-talmudica, num talmudiſtae aliter aliquando referant ſacrum contextum, quam nunc ſe habeat in noſtris exemplaribus ebraicis, & num ſit fidendum rabbinis?* recuſa proſtat in *faſciculo decimo opuſculorum ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectantium*, Roterodami 1700. 8. *pag. 265. ſeqq.* Id enim in illo opuſculo CAPPELLANVS agit, vt demonſtret, talmudiſtas, aliosque iudaicae gentis doctores aliter interdum referre textum ſacrum, quam hodie in codicibus noſtris legitur; indeque euincere adnititur, textum ebraeum corruptum eſſe atque deprauatum. Nihil tamen fere adfert, quod non a MORINO, CAPPELLO, aliisque iam dictum ſit.

Inter reformatos IOSEPH. IVSTVS SCALIGER dictatoria quadam poteſtate, textum ebraeum ſacri codicis eodem, quo ſcriptores profanos, loco habuit. Hinc rectius eos agere, pronuntiauit, qui id ſequuntur, quod eccleſia Alexandrina nobis dedit, ſcilicet verſionem graecam, quam ebraiſmum eccleſiae Hieroſolymitanae, vt alibi iam nobis obſeruatum eſt; cui viris cetera doctiſſimi, iudicio, non multum tribuendum eſſe, facile intelligent, qui cogitant, quod ab aliis non vno exemplo demonſtratum eſt, eum graecarum, latinarumque litterarum peritiorem fuiſſe, quam ebraicarum. Sequuti tamen illum ſunt criticorum principes, CLAVD. SALMASIVS, HVGO GROTIVS, aliique; ſcilicet ne ſapere cum vulgo viderentur. Reliquis omnibus fere hoc in genere palmam praeripere voluit LVDOV. CAPPELLVS, linguae ebraeae in academia Salmurienſi quondam profeſſor, in *critica ſacra, ſiue de variis, quae in ſacris veteris teſtamenti libris occurrunt, lectionibus libris ſex*, Pariſiis anno 1650. in fol. edita. In ea enim non vna ratione textum ebraeum, quem hodie tenemus, in corruptionis ſuſpicionem adducere, atque pro ſua libidine emendare adgreſſus eſt, eadem temeritate, qua critici profanos ſolent, ſacros libros tractans. Varios itaque & merito quidem, nactus eſt aduerſarios, quos inter eminet IOAN. BVXTORFIVS, filius, qui ei *anticriticam* ſuam, *ſiue vindicias veritatis ebraicae* oppoſuit, Baſileae anno 1653. 4. Eodem quoque, quo CAPPELLI *critica ſacra* prodiit, an. 1650. ARN. BOOTIVS *epiſtolam ad Iacobum Vſſerium de textus ebraici veteris teſtamenti certitudine & authentia* in lucem emiſit; ad quam CAPPELLVS in *epiſtola apologetica, de critica nuper a ſe edita, ad eundem Vſſerium, in qua Arnoldi Bootii temeraria criticae cenſura refellitur*, reſpondit, Salmurii an. 1651; BOOTIO ei iterum obuiam eunte in *vindiciis ſeu apodixi apologetica pro ebraica veritate contra duos noviſſimos & infenſiſſimos eius hoſtes Io. Morinum & Lud. Cappellum*, Pariſiis 1654. 4. Sed ipſe quoque IAC. VSSERIVS *diſſertationem epiſtolicam* prodire iuſſit, *ad Ludouicum Cappellum de variantibus textus ebraici lectionibus*, Londini 1652. 4. quae cum eiusdem *ſyntagmate*

te de graeca verſione ſeptuaginta interpretum recuſa eſt, Lipſiae 1695. 4. CAPPELLI autem, qua ad eam reſpondit, epiſtola lucem adſpexit Salmurii 1652. Et ſane pleriſque reformatorum hocce CAPPELLI inſtitutum valde diſplicuit, adeo, vt *critica* eius *ſacra* nec Sedani, nec Geneuae, nec Lugduni Batauorum, omnem licet mouente lapidem CLAVD. SALMASIO, amico eius, inprimi potuerit. Hinc romanenſium implorare auxilium opus habuit, quos inter IO. MORINVS, MARIN. MERSENNVS, & DIONYS. PETAVIVS cauſſae eius patrocinium in ſe ſuſceperunt. Horum ergo opera iſta *critica* tandem Pariſiis prodiit, priuilegio regis munita, typorum vitia emendante, & negotium promouente CAPPELLI filio, qui romanae eccleſiae ſacra amplexus erat. Rem omnem intelligere licet ex IOANNIS MORINI ad FRANC. BARBERINVM cardinalem epiſtola, quae in *monumentis epiſtolicis*, ab AMELOTO editis, exſtat *num. LXXXII. p. 430. ſeqq.* Atque idem MORINVS, quid pontificii ſibi de hocce opere polliciti ſint, haud obſcure indicat. Cum enim memoraſſet, librum CAPPELLI nec Geneuae, nec Lugduni Batauorum, nec Sedani imprimi potuiſſe, renitentibus reformatae eccleſiae theologis; addit: *ſentiebant ſcilicet miniſtri, validiſſimum argumentum ac pene vnicum, quo hactenus in vulgatam vſi fuerant, validiſſime ſubduci, hoc nempe, textus ebraeus eſt plane incorruptus, qualis a Moſe & prophetis eſt ſpiritu ſancto dictante fuſus; ergo translatio omnis, huic primogenio textui non conſentiens, ad hunc textum corrigenda eſt; at translatio vulgata innumeris locis ab ebraeo textu differt; ergo innumeris locis caſtiganda eſt, & tota reficienda. Adſumtionem plurimis exemplis docent; ſpecioſum iſtud fontium nomen, a quo translationum riuuli fluunt, veros catholicos multos aut decepit, aut ſuſpenſos tenuit; totus eſt Capellus in hoc fundamento euertendo, quod ſane magno molimine tentat, & feliciter exſequitur.* Hinc totum CAPPELLI inſtitutum luculenter ediſſerit. *Res*, ita pergit, *erat probatu admodum difficilis, antiquiſſimi codices ebraei nulli ſunt. Mirificus enim eſt bibliorum ebraicorum editorum conſenſus; ideo, qui ab vno codice diſcedit, ab omnibus aequo ſpatio diſtat. Quid ille, vt hoc adſequatur? Varios teſtamenti veteris libros, in quibus eadem repetuntur, inter ſeſe comparat, indeque neceſſario variantes lectiones colligit; idem praeſtat in locis noui teſtamenti ex veteri deſumtis; deinde ad keri & ketib Iudaeorum digreditur, pleraque ſalebroſae & reconditae maſoreticae criticae arcana denudat; poſtea varia teſtimonia ſeptuaginta interpretum cum hodierno textu ebraeo comparat, quorum differentia aliunde prouenire non poteſt, quam ex differentia exemplaris, quo vſi ſunt ſeptuaginta, ab hodierno textu ebraeo; idem facit in paraphraſi chaldaica, atque in variis locis, quae ſuperſunt, antiquarum translationum graecarum Aquilae, Symmachi, & Theodotionis, quibus & inter ſe, & cum hodierno textu ebraeo collatis, euincitur, tot codicibus vſos & inter ſe & cum hodierno textu non ita conſentientibus, vt biblia Iudaeorum neoterica inter ſe nunc conſentiunt. Denique vulgatam cum textu ebraeo plurimis locis comparat &c.* Quemadmodum vero CAPPELLVS cauſſam omnino peſſimam defendendam ſuſcepit; ita viribus quoque ad id exſequendum eum deſtitutum fuiſſe, alii iampridem obſeruarunt. Linguae ebraeae non tam peritum fuiſſe, vt tantum decebat criticum, IO. BVXTORFIVS euincit, *de orig. & antiquitat. punctorum pag. 427. ſeqq.* & poſt eum VAL. ERN. LOESCHERVS, *de cauſſis linguae ebraeae lib. I. cap. XIII. §. VI. pag. 177. 178.* Idem confirmat RICH. SIMON in *epiſtolis ſelectis (lettres choiſies) epiſt. IV. p. m. 14. 15.* vbi diſerte profitetur, BVXTORFIVM linguae ebraeae longe peritiorem fuiſſe, quam

MO-

MORINVM atque CAPPELLVM. Iam ante, quam *criticam* ſuam *ſacram* ederet, multorum animos CAPPELLVS irritauerat *arcano punctationis reuelato*, quod THOMAS ERPENIVS edidit Lugduni Batauorum 1624. 4. cui IO. BVXTORFIVS filius *tractatum de punctorum vocalium, & accentuum, in libris veteris teſtamenti ebraicis, origine, antiquitate & auctoritate*, oppoſuit, Baſileae 1648. 4. Sed MATTHIAS quoque WASMVTHVS in *vindiciis ſacrae ebraeae ſcripturae* in hacce cauſſa contra CAPPELLVM in aciem prodiit, Roſtochii euulgatis, anno 1664. 4. BVXTORFIO autem CAPPELLVS *vindicias arcani punctationis* oppoſuit, quae cum ipſo *arcano punctationis* recuſo, ac *commentariis* eius ac *notis criticis in vetus teſtamentum &c.* Amſtelodami lucem adſpexerunt anno 1689. fol. Denique nec diſſertatio CAPPELLI *de antiquis Ebraeorum litteris*, Amſtelodami 1645. 12. euulgata, omnibus placuit, vtpote in qua ſententiam de antiquitate & authentia litterarum ſamaritanarum amplexus eſt. Non vna itaque ratione cum a receptis in hiſce proteſtantium placitis diſceſſiſſe viſus eſſet; mirum non eſt, ſententiam eius de punctis vocalibus ebraici codicis, litteris haud coaeuis, in *formula conſenſus heluetica* reiectam fuiſſe atque proſcriptam. Conferre iuuabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *ſchediaſma theologicum, de formula conſenſus heluetica cap. I. §. VIII. p. 20. ſqq.* Sed vt ad reliquos pergamus qui textum ebraeum corruptum adſeruerunt; commemorandus nunc eſt ISAAC. VOSSIVS, qui, quantum ſeptuaginta, quos vocant, interpretibus, iis omnino θεοπνευστίαν vindicans, tribuit, tantum derogauit textui ebraeo. Abiecte itaque prorſus de lingua ebraea ſentit, eam, quae hodie eſt, Moſi & Dauidi, prorſus ignotam fore contendens, nec incertam modo, ambiguamque, ſed mirifice corruptam ac deprauatam eſſe. Cumprimis vero perſuadere nobis cupit, in codice ebraeo chronologiam patriarchalem antediluuianam integris ſex ſaeculis, poſtdiluuianam vero nouem ſaeculis mutilatam eſſe, conſpirante Iudaeorum & Samaritanorum perfidia, ne promiſſum Meſſiae tempus iam effluxiſſe videretur. Cui commento vt fidem conciliet, fabuloſiſſimos annales gentilium, Aegyptiorum, Phoenicum, Chaldaeorum, Perſarum, cumprimis & Chinenſium, in ſubſidium vocare non dubitat. Hanc ſuam de textu ebraeo ſententiam VOSSIVS paſſim tuetur; in *diſſertat. de ſeptuaginta interpretibus & chronologia ſacra*, quam MATTH. WASMVTHVS in *vindiciis ſacrae ebraeae ſcripturae part. I. pag. 18. impium & deteſtabile ſcriptum* vocat; *de oraculis ſibyllinis*, vt & in *diſſertat. de vera aetate mundi, qua oſtenditur, natale mundi tempus, annis minimum 1440 vulgarem aeram anticipare &c.* Tanta autem id facit audacia, tantoque faſtu, vt in *diſſertat.* citata *de ſeptuaginta interpretibus pag. 350.* ſcribat: *plane delirare eos, qui annos antediluuianos ſecundum hodiernum ebraeum codicem accipiunt*, obſeruante, quem iam laudauimus, WASMVTHO, *l. c.* Conſentientem ſecum, ſpeciatim ad chronologiam quod attinet, VOSSIVS habuit PAVL. PEZRONIVM, in libro: *l' antiquité des tems retablie & defendue contre les Juifs & les nouveaux chronologiſtes*, inſcripto, atque recuſo Amſtelodami 1687. 8. Dictum hac de re a me ipſo in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. per. I. ſect. I.* ad *§. X. p. 83. ſeqq.* Plurimi autem exſtiterunt, qui haecce VOSSII commenta refellerent, ac profligarent, vt CHR. SCHOTANVS, GEORG. HORNIVS, ROBERT. BAILIVS, ANTON. HVLSIVS, IOAN. COCCEIVS, quorum nonnullos etiam laudat VALENT. ERNEST. LOESCHERVS *de cauſſis linguae ebraeae lib. I. cap. XIII. p. 181.* vbi & ipſemet haec eius placita perſtrinxit. Cumprimis autem acerrimum VOSSII aduerſarium

rium ſe profeſſus eſt MATTH. WASMVTHVS, in *vindiciis ſacrae ebraeae ſcripturae*, in quibus ſimul contra LVD. CAPPELLVM & BRIANVM WALTONVM, tum codicis ebraei integritatem, tum punctorum vocalium & accentuum antiquitatem vindicat. Pars *prima* & *ſecunda* iſtarum *vindiciarum* lucem adſpexerunt Roſtochii anno 1664. 4. quas deinceps excepit *vindiciarum anti-Capell-Waltonianarum pro ſacro ebraeo textu pars III.* ſiue *anti-Conringius &c.* Kiloni anno 1669. 4. Cur autem CAPPELLO, WALTONO atque VOSSIO adiungat HERM. CONRINGIVM, intelligere licet ex iis, quae *lib. I. cap. IV.* ad *§. VI.* tradidimus. Lites, quae VOSSIO cum RICHARDO SIMONE interceſſerunt, & ſcripta vtrimque edita, antea iam commemorauimus. Ex recentioribus, illis, qui codicem ebraeum omnis corruptionis minime expertem eſſe cenſuerunt, adnumerandus etiam eſt IOAN. CLERICVS. Is equidem, in *differtat. de lingua ebraea*, quae *prima* eſt in *prolegomenis, paraphraſi & commentario* eius in *pentateuchum* praemiſſis, circa *finem*, ſuam hac de re ita aperit ſententiam: *Ad me quidem quod attinet, re anxie expenſa, nullos puto libros ex vltima antiquitate ad nos perueniſſe aeque emendatos, ac ſunt ſacri Ebraeorum codices; quamquam omnium ſunt antiquiſſimi, eosque intelligo, qui maſoretharum diligentia deſcripti, ac poſteritati commendati ſunt.* Id vero cum non ſine prouidentia factum, recte monuiſſet, addidiſſetque, receptas lectiones contra aliorum coniecturas a ſe paſſim defendi; ſubiicit: *Non ii tamen ſumus, qui virum doctiſſimum & diligentiſſimum Lud. Cappellum optime de ſacris litteris meritum eſſe, critica ſua ſacra, & arcano punctationis, negemus.* Maſorethicum porro codicem omnium adcuratiſſimum eſſe, fatetur; nec tamen varias ex ſamaritico veteribusque interpretibus lectiones negligendas eſſe, cenſet. Vnde quae eius de codicis ebraei integritate ſit ſententia, patet, quam & ex ipſo hocce in *pentateuchum* commentario, itemque *artis criticae part. III. ſect. I. cap. II. pag. 20. ſeqq.* aliisque locis intelligere licet. Tandem & GVIL. WHISTONVS, celebris ille paradoxarum opinionum architectus, prodeat. Namque & is in codicis ebraei integritate labefactanda ingenii ſui experiri vires voluit; in *tentamine, tradente modum reſtituendi genuinum veteris teſtamenti textum, & vindicandi citationes inde in nouo teſtamento factas*; quod lingua anglicana ſcriptum, Londini prodiit, anno 1722. 8. Sententia eius huc redit: ad Chriſti & apoſtolorum aetatem vsque veteris teſtamenti textum illibatum manſiſſe, & integrum, eique exacte reſpondiſſe graecam ſeptuaginta ſenum verſionem, nec non pentateuchum ſamaritanum; at cum, vergente ſaeculo poſt Chriſtum natum primo, oraculis ſcripturae a chriſtianis doctoribus grauiter vrgerentur Iudaei, ſub initium ſaeculi ſecundi hoc temerarium eos iniiſſe conſilium, dicta illa corrumpendi ac deprauandi, quae aduerſus perfidiam ipſorum in aciem producebantur. Hoc fine eos I) primaeuum codicis ebraei characterem, qui ſamaritanus fuerit, cum alio, chaldaeo ſiue aſſyrio, permutaſſe, quo illatae corruptiones minus perciperentur; II) multis etiam in locis volumina tam ebraea, quam graeca, ex inſtituto & data opera corrupiſſe, quo dicta ſcripturae aliter obiicere, & excitare poſſent, quam legebantur ea, & citabantur a chriſtianis; vnde conſequatur, licet ebraeus & graecus veteris inſtrumenti textus, qualem hodie tenemus, generaliter & ſummatim loquendo, idem ille ſit, qui a ſuis initiis exſtitit; inſigniter tamen illum compluribus in locis diſſentire ab exemplis illis, quae Chriſti & apoſtolorum tempore in hominum manibus verſabantur. Ita ſummam eorum, quae hac de re commentatus eſt, exhibet, qui

Digitized by Google

qui & ſolidiſſime ſimul haecce commenta profligauit, IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in diſſertatione, *vindiciae criticae codicis ſacri ebraei, aduerſus criminationes Guil. Whiſtoni, in tentamine reſtaurandi textum ebraicum &c. eidem nuper impactas*, inſcripta, Lipſiae anno 1724. 4.

Ad noſtrae eccleſiae theologos quod attinet, nonnullos inter eos corruptionem quamdam textus ebraei admiſiſſe, negari nequit. Immo ipſum beatum MARTIN. LVTHERVM noſtrum ab hacce non alienum fuiſſe ſententia, eumdemque puncta, quae vocant vocalia, atque accentus, litteris ipſis minime eſſe coaeuos, ſtatuiſſe, conſtat. Loca ex ſcriptis eius, quae exceptionem non admittunt, producit HERMANNVS CONRINGIVS, in *vindicatione ſuorum, in epiſtola gratulatoria ad sereniſſimum quondam, nunc aeternae memoriae principem, Auguſtum &c. dictorum ab iniquiſſimis calumniis Matthiae Waſmuth p. 39.* LEONH. HVTTERI, WOLFG. FRANZII, SALOMON. GESNERI, aliorumque, LVTHERI hac in re veſtigia prementium, teſtimonia laudat *pag. 40.* At nondum, vt puto, ſequitur, quod inde vir doctiſſimus *pag. 42.* infert, *a ſuis partibus heic ſtare conſenſum verae ſcholae Lutheranae; longe vero ab illa diſſidere & Waſmuthum & eodem calumniatore ſpiritu agitatum Calouium; quorum hic* (ita pergit) *in ipſa Lutheri cathedra non erubuit ſimpliciter reiicere, ex coetu Lutheranam fidem profitentium, eos, qui inficiantur, libros ſacros, quos habemus, ſinceros & incorruptos eſſe.* Non minor enim eſt noſtratium numerus, qui, textum ſacrum integrum, & omnis corruptionis expertem eſſe, adſerunt. Nec diſſentientium nobis obſtat auctoritas, cum tempore LVTHERI, & eorum, qui illum proxime ſequuti ſunt, eiusmodi controuerſiarum iſtarum erat facies, vt, praeſertim lingua ebraea nondum ſatis exculta, nec periculo, quod veritati diuinae ex ſententia contraria imminebat, ſatis intellecto, vitio iſtis vertendum non ſit, quod rem acu non tetigerint. Cum etiam recentiores quidam theologi in vno alterove loco textum ebraeum corruptum adſerunt, longe alia id faciunt ratione, quam pontificii, aut temerarii iſti critici, qui inter codicem ſacrum, & ſcriptores profanos nullum diſcrimen ſtatuunt. Scilicet diſtinguunt primum tempora, atque concedunt, ante tempora maſoretharum fieri potuiſſe, vt σφάλματα quaedam orthographica irreperent, & continuata deinceps ſerie, in plura diffunderentur ſacri codicis exempla; poſtquam autem maſora non ſine diuino ductu conſcripta ſit, remedium ampliſſimum huic periculo oppoſitum, nec fieri potuiſſe, vt erratum aliquod vniuerſale textui ebraeo inſerretur. Ita SALOMO GLASSIVS *philolog. ſacr. lib. I. tract. I. pag. 7.* Nimirum id porro obſeruandum contendunt, cum de textus ebraei corruptione quaeritur, non de eo controuerti, an in vno alterove codice corruptio quaedam, aut per errorem ſcribarum, aut alia ratione, contigerit? ſed de eo quaeſtionem eſſe, an textus ebraeus vniuerſaliter, & in omnibus codicibus ita ſit corruptus, vt ex aliorum probatorum & integrorum exemplorum inſpectione corrigi nequeat. Adfirmant hoc critici iſti, qui ideo ex verſionibus, aliisque fontibus criticis textum corrigendum cenſent; negant contra noſtrates, etiam illi, qui loca quaedam ſecundum receptam lectionem corrupta fatentur. Legenda, quae hac de re monet CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionibus, cap. II. §. XVI.* Praeferendam interim illorum ſententiam cenſeo, qui, textum ebraeum ſecundum receptam hodie in codicibus noſtris lectionem integrum & incorruptum eſſe, ſtatuunt. Id namque diuinae prouidentiae circa verbi ſui conſeruatio-

tionem ratio, id ſalus hominum, id ſumma & incredibilis Iudaeorum, praeſertim maſoretharum, in textu ſacro ſine labe ad nos transmittendo, diligentia, nobis facile perſuadebit. Atque hanc ſententiam tuentur ABRAH. CALOVIVS, in *critico ſacro biblico diatribe VI. pag. 161. ſeqq.* AVGVST. PFEIFFERVS, in *critica ſacra cap. IV. quaeſt. V.* & in *dubiis vexatis, centur. III. loc. LX. p. 584.* MATTH. WASMVTHVS, in *vindiciis ſcripturae ſacrae ebraeae*, aliique quam plurimi. Ceterum, qui corruptionem quamdam, & quidem vniuerſalem, codicis ebraei ſtatuunt, Iudaeos huius criminis poſtulare ſolent, idque & GVIL. WHISTONVM feciſſe, antea obſeruauimus. Fecerunt autem longe plures, & ex ipſis quidem Iudaeis karaei eiusmodi quid rabbanitis interdum exprobrare videntur; ex veteris autem eccleſiae doctoribus IVSTINVS martyr cumprimis, atque EVSEBIVS hoc Iudaeis obiiciunt, quos recentiores magno agmine ſequuntur; parum ſecum perpendentes, quam alienum planeque remotum hoc ſit a iudacia ſuperſtitione. Hinc & alii Iudaeos equidem ab iſto crimine abſoluunt; incuria tamen librariorum, aut temporum iniuria, codices ebraeos, vt alios veterum libros, corruptos, exiſtimant. Quod vt facilius fieri potuit, & in quibusdam etiam codicibus factum eſſe, non negauerim; vniuerſalem tamen quamdam inde ortam deprauationem, vt recepta in noſtris codicibus lectio deſerenda ſit, id vero eſt, quod mea opinione inde colligi nequit. Plura de vtroque, vt illis, de quibus loquimur, videtur, corruptionis fonte dici poſſent; ſed cuncta iam exhauſit vir doctiſſimus IO. CHR. WOLFIVS, qui & reliquis, hucusque a nobis adlatis, lucem vberiorem adfundet, *biblioth. ebr. part. II. lib. I. ſect. I. p. 15. ſeqq.*

Vt textus ſacer codicis ebraei integer ac incorruptus ad nos perueniret, plurimum contulit ſtudium ac diligentia maſoretharum; de quibus vt aliquid addamus, inſtituti noſtri omnino poſtulat ratio. *Maſorah* lingua ebraea ſignificat *traditionem*; ſecundum vſum receptum autem denotat doctrinam criticam ſapientum Ebraeorum, circa textum ſacrum, eiusque verſus, voces & elementa, ad genuinam eius lectionem conſeruandam. Iam ſi quaeratur, quinam maſorae huius fuerint auctores? nonnulli quidem ex doctoribus talmudicis originem eius ad ipſum Moſen referunt, nullo fundamento, nullaue ratione, quae fidem mereatur, inducti. In alterum contra extremum prolapſus eſt ELIAS LEVITA, in *maſoreth hammaſoreth*, nomine *maſoretharum* magiſtros quosdam Iudaeorum intelligens, Tiberiade ſexto fere poſt Chriſtum natum ſaeculo congregatos, qui puncta vocalia textui ſacro addiderint, eumque emendauerint, & artem ſuam criticam circa eum exercuerint. Ita quidem vulgo ſententia eius proponitur. Et verum ſane eſt, quod Iudaeos Tiberienſes punctorum vocalium, & accentuum faciat auctores; ſed omnem illis maſoram non tribuit, quin potius innumeros eius fuiſſe auctores, diuerſis ſaeculis, tempusque principii & finis ipſorum eſſe incertum, adſerit. Vnde in hocce capite eum a reliquis Iudaeis non magnopere diſſentire, nonnullis obſeruatum eſt. Auide interim hanc eius ſententiam, etſi in omnibus non recte intellectam, amplexi ſunt IO. MORINVS, in *exercitationibus* ſuis *biblicis*, LVDOV. CAPPELLVS in *critica ſacra*, aliique, qui id ſibi datum crediderunt, vt ad textus originalis auctoritatem labefactandam omnes ingenii vires conferrent; quorum nonnulli maſorae originem adhuc recentiorem faciunt, RICH. SIMON hic prae reliquis ſibi ſapere viſus eſt. *Morinus atque Cappellus*, inquit, *Buxtorfio e diametro ſe opponentes, non ſatis moderate de maſora loquuti ſunt, praeiudicio contra eam abrepti. Euidenter tamen*, (ita pergit) *demonſtrarunt, nec Esrae,*

Digitized by Google

nec congregationi eius temporis tribui poſſe, quae Iudaei maſorae tribuunt. Arias Montanus ante Buxtorfium in compendio hoc argumentum tractauit, ſed loquutus eſt de re, quam non intellexit. Plerique proteſtantium coeco impetu Buxtorfium ſequuti ſunt, cum ex fundamento hac de re iudicare nequeant. Brianus tamen Waltonus, vir iudicio praeditus, nec pertinax, Cappelli opinionem amplexus eſt, & licet difficultates omnes hoc in negotio occurrentes, non intelligeret, hactenus tamen rem omnem perſpexit, vt verum diſcernere a falſo poſſet; hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. XXIV. p. 132. Satis quidem pro imperio. Quaſi ſolus SIMON tanta eruditione praeditus eſſet, vt praeter eum nemo hac de re ferre poſſet iudicium. Interim ELIAE LEVITAE ſententiam reliquis praefert; adeoque cum de proteſtantibus dicat, eos caeco impetu ſequi BVXTORFIVM, longe rectius de eo dici poteſt, quod caeco impetu ſequatur CAPPELLVM atque MORINVM. Non procul hinc diſcedit IAC. BASNAGIVS. De aetate namque, quando maſorethae exorti ſint, fruſtra diſputari, exiſtimat, cum maſorah ſit opus aliquod plurimorum grammaticorum, qui diuerſas codicis ebraei lectiones ſecundum traditionem collegerint, nec tamen vmquam ſocietatem quamdam conſtituerint, aut ſua ſecum inuicem communicauerint cogitata; in eam tamen tandem ingreditur ſententiam, originem maſorae ad ſaeculum vndecimum referendam eſſe; *hiſt. des Iuifs tom. II. lib. III. cap. IX. §. VII. & XI. p. 761. ſeqq.* Verum hoſce omnes magnopere falli, vel inde conſtat, quod iam in vtroque talmude, tum babylonico, tum Hieroſolymitano, & illo quidem *tract. nedarim cap. IV. & megilla cap. I.* in hoc autem *tract. megilla cap. IV.* maſorae iniiciatur mentio, vti IO. BVXTORFIVS, teſtimoniis inde prolatis, demonſtrauit, *Tiberiad. lib. I. cap. VIII. p. 33. ſeqq.* Nec magni momenti ſunt, quae in contrarium adferri ſolent. Quod enim RICH. SIMON obiicit, Iudaeis, res ſuas, quas ſemper exaggerare ſoleant, commemorantibus non eſſe credendum, non ſine exceptione quadam admittendum eſſe, quilibet facile perſpicit. Non temere illis credendum, fateor, nec ſine ratione tamen fides eis deroganda. Ad ELIAM LEVITAM quod attinet, quem omnes iſti, ceu ducem & anteſignanum, ſequuntur, ſunt, qui obſeruant, eum opinionem ſuam, prout vulgo accipitur, de maſorethis Tiberienſibus ex ABEN ESRA hauſiſſe, qui tum in libro grammatico, *zachut* dicto, tum in commentario ad *exod. XXV. 31.* fundamenta eius iecerit, quam deinceps palam extulerit, ornauerit, perpoliuerit ELIAS, quamquam & hic non ſatis ea in re ſibi conſtet, & interdum pugnantia ſecum proloquatur. Quidquid eius ſit, auctoritas ELIAE huius tanta non eſt, vt ad ſententiam hancce amplectandam aliquem inducere queat. Legere autem de eo iuuabit IVL. BARTOLOCCIVM, in *bibliotheca rabbinica magna tom. I. p. 135. ſeqq.* Plerique gentis ebraeae magiſtri in eo conſentiunt, originem maſorae ad Eſram, viroſque ſynagogae magnae, referendam eſſe; vtpote qui non tantum canonem ſcripturae conſtituerint, eamque in certas partes, immo verſus diſtribuerint, ſed veram qnoque & genuinam lectionem ſtabiliuerint, immo litterarum, vocum & verſuum iniuerint numerum. Ita R. ASARIAS, in *meor enaim fol. 179.* R. GEDALIA in *ſchalſcheleth hakkab fol. 21.* R. ISAAC ABARBANEL in *praefatione* libri *nachale abboth*, aliique, quorum teſtimonia producit IO. BVXTORFIVS *Tiberiad. lib. I. cap. XI. p. 96. ſeqq.* qui & ipſe ſententiae huic ſuffragatur. Eaque omnino praeferenda eſt reliquis, modo recte capiatur. Enimuero ſynagogam eiusmodi magnam, qualem Ebraeorum magiſtri fingunt, tempore Eſrae numquam exſtitiſſe, ſupra iam obſeruauimus; ſimul tamen,

Digitized by Google

Eſram, alioſque viros pios, ſoluta captiuitate babylonica, codicis ſacri curam geſſiſſe, vt in plurium vſum ſaepe, & quidem emendate deſcriberetur, a vero non abhorrere, ibidem docuimus. Hocce exemplo haud dubie excitati deinceps & alii viri, pietate & ſapientia praeſtantes, in ſacrorum codicum integritate conſeruanda ſtudium, operamque ſuam collocarunt. Cum vero poſt alterum Hieroſolymae vrbis excidium Iudaei hinc inde diſperſi eſſent, nouumque corruptionis periculum codex ſacer ſubire videretur; magiſtri quidam Ebraeorum, de eo conſeruando ſolliciti, non tantum obſeruationes priorum collegerunt, ſed maiori ſtudio ac induſtria in id incubuerunt, vt perpetuae ſacri codicis integritati conſuleretur, atque tum *maſorae* ac *maſoretharum* nomen ortum eſt. Hos inter cum ſaeculo poſt natum Chriſtum quinto, aut ſexto, vt aliis videtur, Tiberienſes magiſtri eminerent; factum inde, vt a quibusdam pro auctoribus maſorae reputarentur. Atque haec ſententia, vt magna ſe commendat veroſimilitudinis ſpecie; ita praeſtantiſſimis hodie probatur viris. Legendi hac de re IO. BEN. CARPZOVIVS, in *colleg. bibl. in libellum Ruth diſſert. III. praelim. p. 33.* AVG. PFEIFFERVS, *diſſertat. de maſora, ſiue critica ſacra Ebr. cap. II.* & in *critica ſacra cap. VI. ſect. II. qu. I. p. 261.* VALENT. ERN. LOESCHERVS, *de cauſſis linguae ebr. lib. I. cap. VIII. p. 91.* Hunc in modum & ipſemet iam mentem meam hac ſuper re declaraui, in *hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1030.* Cum a Iudaeis, in Palaeſtina degentibus, ſpeciatim Tiberienſibus, ad Babylonios quoque maſorae ſtudium tranſiiſſet; inter hos ſaeculo XI floruerunt, celebritatemque conſequuti ſunt BEN ASCHER & BEN NAPHTALI, ſeu, vt plenius eorum nomina efferuntur, R. AARON BAR BERABBI MOSIS de tribu Aſſer, & R. MOSES BEN DAVID de tribu Naphtali, qui de litteris & accentibus pentateuchi diſceptarunt, vnde variarum lectionum inter ſcholam Aſſer & Naphtali ortae ſunt diſcrepantiae. Vterque autem BEN ASCHER & BEN NAPHTALI, cum in Babylonia vixerit; LVD. CAPPELLVM magnopere falli, qui illum pro Tiberienſi habuerit, IVL. BARTOLOCCIVS docet; obſeruatque, eum Tiberienſem creditum, quia eius lectiones receptae fuerunt a Tiberienſibus, & ab omnibus ſynagogis, per romanum imperium diſperſis, ſicut contra ſcholae babylonicae lectiones BEN NAPHTALI ſequutae ſunt; in *biblioth. rabbin. magna tom. I. p. 93.* Obſeruationum autem maſorethicarum cum indies creſceret numerus, tanta earum tandem exſtitit multitudo, vt integra implerent volumina. Neque enim ad biblia, ſiue ſeorſim, ſiue ad textum ſparſim adſcribebantur, ſed in ſeparata folia, & libros ſeparatos referebantur, quos docebant, & explicabant in ſcholis publice, vt omnes artis huius maſorethicae vſum, ac modum, quo textus ſacer integer conſeruari poſſit, intelligerent. Docet hoc ipſe ELIAS LEVITA, cuius hac de re verba producit IO. BVXTORFIVS *Tiberiad. lib I. cap. XIX. p. 181.* Ex horum librorum maſorethicorum numero ille fuit, qui אכלה ואכלא inſcribitur, de quo legendus IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. lib. VIII. p. 1259.* Progreſſu autem temporis conſultum quidam duxerunt, praecipua quaedam momenta maſorae, ex maioribus voluminibus excerpta, certisque ſignis ac ſcriptionum compendiis comprehenſa, margini textus ſacri inſcribere; vnde *maſora*, quae hodie *parua* dicitur, enata eſt. Quae cum haud dubie ſuccincta nimis & obſcura nonnullis videretur; ea, quae *magna* hodie adpellitatur, & tandem *maxima* ſeu *finalis*, addita eſt. Enimuero, cum per iſtam maſorae ad marginem ſacri codicis adſcriptionem, breuitatis ſtudio multa omitterentur; librario-

rum

rum porro aut incuria, aut imperitia, aut etiam audacia, multa corrumperentur, mutarentur, adderentur, demerentur; dici non poteſt, quanta hinc rerum omnium orta ſit confuſio, quantaque obſcuritate, quantiſue tenebris inuoluta ſit maſora. Ex his vero vt tandem emergeret, ſtudio ſuo rem ebraicam iuuandi DAN. BOMBERGVS, typographus Venetus celeberrimus, effecit. Cum enim is ſecum conſtituiſſet, nouam bibliorum ebraeorum editionem, commentariis Iudaeorum & maſora locupletatam, in lucem emittere; Iudaeum, in hoc litterarum genere probe verſatum, R. IAC. BEN CHAIIM, ex Africa Tunetanum, qui tunc Venetiis exul erat, conduxit, qui maſoram ad fidem codicum manuſcriptorum recognoſceret, ſuppleret, emendaret, diſponeret; qua quidem ratione maſora primum in iſta bibliorum editione an. 1526 lucem publicam adſpexit. Fatetur IO. BVXTORFIVS, Iudaeum huncce (R. IAC. BEN CHAIIM) *conquiſitis per Bombergum magno pretio variis maſorae manuſcriptis libris, ingenti labore, ſtudio immani, & vigilantia horribili, maſoram magnam ex tanta confuſione, in eum ordinem, quem in hodie impreſſis libris videmus, digeſſiſſe, & ad textum ſingularum paginarum diſpoſuiſſe*; interim addit: *induſtria quidem hominis & diligentia neutiquam improbanda, quod tantam adhibuerit, quantam in re tam difficili, intricata, ac confuſa materia potuerit; iudicium tamen, & meliores animi conatus, rei difficultas & moleſtia ſaepe vicit, ita, vt & in hoc labore innumeri errores permanſerint, quorum magnam partem hac noſtra editione correximus; Tiberiad. lib. I. cap. XIX. p. 186.* Legendus de hocce R. IAC. BEN CHAIIM, IVL. BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabbin. magna, tom. III. p. 849.* Licet autem BVXTORFIVS in *bibliis rabbinicis*, Baſileae anno 1618 editis, plurima, quae ſupererant, vitia correxerit; efficere tamen non potuit, quin quaedam ab aliis adhuc emendanda relinqueret, quod & ipſemet non diffitetur. Immo vt aliis, ad maiorem in hoc ſtudiorum genere ἀκρίβειαν adhibendam, difficultatesque, quae hic ſe offerunt, ſuperandas, viam muniret, *Tiberiadem*, ſiue *commentarium maſorethicum triplicem, hiſtoricum, didacticum, criticum*, non ſemel nobis iam laudatum, edidit, *ad illuſtrationem operis biblici Baſileenſis conſcriptum*, cuius pars, ſiue liber primus *hiſtoriam maſorethareum Tiberienſium*; ſecundus *clauem maſorae* tradit, tertius autem *caſtigationes innumerorum mendorum per vniuerſam maſoram*, proponit. Prodiit primum Baſileae anno 1620; deinde *recognitus, & additamentis non paucis hinc inde* a IO. BVXTORFIO filio *locupletatus, editionem hanc nouam accurante* IO. IAC. BVXTORFIO nepote, itidem Baſileae an. 1665. 4. Sed nec hac ratione maſoram ad iſtud perfectionis faſtigium perductam eſſe, vt nihil in ea deſiderari queat, viris doctis obſeruatum eſt. Conferenda, quae IO. CHRIST. WOLFIVS monet *biblioth. ebr. part. II. lib. III. ſect.* ſiue *cap. I. §. VIII. IX. p. 470.* Iam de vtilitate maſorae ſi quaeſtio inſtituatur, non vnam de ea virorum doctorum deprehendemus eſſe ſententiam. Generatim quidem ſi maſoretharum labor aeſtimetur; plurimum eos ad ſacri textus integritatem conſeruandam contuliſſe, negari nequit. Ad ſpecialia autem ſi deſcendamus; recte mihi ſentire videntur, qui maſorethicas obſeruationes diſtinguunt, & quaſdam ſuperuacaneas, alias ſuperſtitioſas, nonnullas vero vtiles & neceſſarias eſſe, pronuntiant. Conferendus LVD. ELL. DV PIN *diſſert. preliminaire ſur la bible, part. I. lib. I. cap. IV. p. 160.* Inter vtiliſſimas obſeruationes haud dubie referendae ſunt, quae ad τὸ keri & τὸ ketibh pertinent; vbi tamen rurſus tum de origine & cauſſis iſtarum obſeruationum, tum de eo, num τὸ keri an τὸ ketibh praeferendum ſit? an vtrumque reti-

neri queat? multae magnaeque inter viros doctos exortae ſunt diſſenſiones. Mihi omnium rectiſſime ſentire, & via tutiſſima incedere videntur, qui maſorethas per τὸ keri & τὸ ketibh tantum variantes lectiones, praecipue e minus tritis, ſeu vulgaribus codicibus, indicare voluiſſe, exiſtimant. Vnde & ſponte ſua conſequitur, nec τὸ keri nec τὸ ketibh ſemper ſequendum, ſed ex circumſtantiis, regulisque criticis, quodnam praeferendum ſit, diiudicandum eſſe. Plura de maſora & maſorethis, praeter IO. BVXTORFIVM in *Tiberiade*, dabunt SAL. GLASSIVS in *philologia ſacra lib. I. tract. I. p. 6. ſeqq.* IO. HENR. HOTTINGERVS in *theſauro philologico lib. I. cap. III. ſect. IV. p. 396. ſeqq.* IO. LEVSDENIVS in *philologo ebraeo diſſert. XXII. ſeqq.* THEOD. HACKSPANIVS *ad nizzachon cap. II. ſect. I. p. 297. ſeqq.* AVG. PFEIFFERVS in *diſſertat. de de maſora, ſeu critica ſacra Ebraeorum*, item in *critica ſacra cap. VI. p. 246. ſeqq.* IO. HEINR. MICHAELIS in *praefatione, bibliis ebraicis* an. 1720. Halae editis praemiſſa, *cap. IV. p. 19. ſeqq.* cumprimis autem IO. CHRIST. WOLFIVS *bibl. ebr. part. II. lib. III. p. 460. ſeqq.* vbi *cap. I.* de *nomine, origine & fatis maſorae, cap. II.* de *ipſa maſorae conditione & argumento* agit, *cap. III.* ſcriptores maſorethicos, tum iudaeos, tum chriſtianos recenſet.

*** Incipiendum hic nobis eſſet ab ipſis Moſis aliorumque veteris teſtamenti virorum θεοπνεύστων autographis, ſi modo adhuc exſtarent. Ea autem iamdudum periiſſe, longe eſt certiſſimum. Codicem equidem quemdam, ipſius Esrae manu ſcriptum, Bononiae in templo ſancti Dominici exſtare, teſtatur FINVS ADRIANVS FINVS, Ferrarienſis, in *flagello Iudaeorum*, anno 15[illegible]7 Ferrarae, & 1638 Venetiis, 4. edito, *lib. IX. cap. II. p. 557.* cuius hac de re verba recitat GEORG. SERPILIVS in *perſonalibus*, vt vocat, *Eſrae*, ſiue *Lebens-Beſchreibung der bibliſchen ſcribenten, part. IV. cap. XII. p. 222.* vbi & libri huius rariſſimi adcuratiorem notitiam ſuppeditat. Verum codicem huncce ſatis equidem antiquum, Esrae tamen tribui non poſſe, agnoſcunt IO. MORINVS in *exercitat. biblicis, p. 15.* BERNH. DE MONTFAVCON in *diario italico, p. 399.* aliique, quos magno numero laudat IO. CHRIST. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. II. lib. II. ſect. I. §. VI. p. 287.*

Apographa ſcripturae ſacrae, vel manuſcripta ſunt, vel typis expreſſa. Ex codicibus manuſcriptis apud Iudaeos maxime celebrantur Hillelianus, aegyptius, babylonius, ſinaiticus, Hierichuntinus, Hieroſolymitanus, item codices palaeſtini & hiſpanici. Legendus hac de re IO. HENR. HOTTINGERVS in *theſauro philolog. lib. I. cap. II. ſect. IV. p. 105. ſeqq.* IO. MORINVS omnium horum codicum antiquitatem in dubium vocat, apud Iudaeos codices manuſcriptos annis quingentis vetuſtiores non reperiri, contendens, in *exercit. bibl. p. 7.* quem ideo refutat HOTTINGERVS *l. c.* itemque in *exercitat. anti-Morin. §. LXIV.* Paullo liberalior eſt RICH. SIMON, difficile eſſe, adſerens, reperire exempla codicis ebraei manuſcripta, annis 700 aut 800 antiquiora; *hiſt. critic. vet. teſtam. lib. III cap. I. p. 354.* item in *catalogo praecipuarum codicis ſacri editionum*, quem *hiſtor. critic. vet. teſtam.* ſubiunxit *p. 512.* immo alibi difficulter codices manuſcriptos 900 annis antiquiores reperiri, adfirmat, *hiſt. critic. vet. teſtam. lib. I. cap. XXIII. p. 130.* Ipſos codices manuſcriptos, qui hinc inde exſtant, aut qui prae reliquis celebrantur, recenſere, noſtri non fert inſtituti ratio. Praeſtiterunt id IAC. LE LONG in *bibliotheca ſacra cap. II. p. 59. ſqq.* editionis, quae Lipſiae an. 1709. 8. prodiit, & IO. CHRIST. WOLFIVS *biblioth. ebr, part. II. lib. II. ſect. III. p. 293. ſeqq.* Nonnullos quoque codices maxime memora-

Digitized by Google

morabiles laudat IO. ANDR. BOSIVS, *introduct. in notitiam ſcriptor. eccleſiaſt. cap. VI. §. IV. ſeqq.* De ratione, melioris notae codices manuſcriptos a reliquis diſcernendi, deque eorumdem ſelectu inſtituendo, praecipit RICH. SIMON *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. I. cap. XXII. p. 121. ſeqq.* item in *catalogo praecipuarum codicis ſacri editionum, p. 511. 512.* obſeruatque inter alia, eos, qui apud Iudaeos in vſum ſynagogarum ſcripti ſunt, praeferendos eſſe, cum in iis, qui in vſum ſingulorum concinnati ſunt, raro tantum ſtudium, tantaque deprehendatur ἀκρίβεια; exempla quoque hiſpanica, ſeu quae a Iudaeis hiſpanis profecta ſunt, multum praeſtare germanicis, gallicis & italicis; cuiusmodi hodie Conſtantinopoli, Theſſalonicae, & in aliis orientis vrbibus, in quas Iudaei, ex Hiſpania expulſi, magno numero ſe receperunt, reperiantur. Addenda autem omnino, quae de criteriis codicum vere antiquorum erudite diſſerit vir, harum rerum, ſi quis alius, gnarus, DAN. ERN. IABLONSKI in *praefatione bibliis ebraicis*, a ſe editis praemiſſa, *§. XXXVII.* Sequentia nimirum ponit: *I) ſi ſcriptura ſit elegans ſine artificio, & priſca ſimplicitate venerabilis*; addit: *abſentiam litterarum maiuſcularum, minuſcularum, inuerſarum &c. (quarum parcior fere in antiquis, quam recentioribus vſus eſt) vrgere hic non auſim, cum talia etiam priſcis ante talmud temporibus obtinuerint, puto tamen keri & ketibh a codice vere antiquo abeſſe debere; II) ſi maſora vel nulla adſit, vel parca; eam enim in libros ſeparatos relatam fuiſſe, notum eſt;* quod & ſupra nobis obſeruatum eſt; *III) vetuſtiſſimi codicis iudicium eſſet, ſi quinque libros Moſis non magis, quam reliquas legis ſectiones ab inuicem diſtingueret; priſcis temporibus totam legem omnis diſtinctionis nota caruiſſe, ac vnum velut* פסוק *ſeu verſum, immo vnam* תיבה *vocem fuiſſe & antiqui Iudaeorum kabbaliſtae tradiderunt, & chriſtianorum non pauci perſuaſum habent; maxime quia in priſca aliarum quoque linguarum ſcriptura idem obſeruant &c. IV) Vt vero non ſolum antiquos libros, verum etiam antiquam librorum faciem habeamus, ii maxime eſſent procurandi, qui a multis ſaeculis inter chriſtianos cuſtoditi, hocque pacto a recentiorum maſoretharum vel punctatorum interpolatione immunes fuerunt &c.* Ad inſcriptiones autem quod attinet, iis neutiquam fidendum eſſe, idem vir erudititiſſimus iam antea *§. XXXV.* monuerat. *Verumtamen*, inquit, *caue, credas, antiqua eſſe, quorum inſcriptio longam aetatem praefert. Quae enim inſcriptiones verae ſunt, eaedem ſunt recentes; quae vetuſtae, eas ſuppoſititias eſſe, nullus ambigo. Mihi non contigit videre librum hebraicum, inſcriptione genuina ornatum, cuius aetas annum 1336. ſuperaret. Waltonus habebat exemplar manuſcriptum biblicum, ſcriptum an. 1304. vt in fine libri notatur. Simonius vidit manuſcriptum biblicum, ſcriptum Perpiniani an. 1300; & aliud tribus voluminibus conſtans elegantiſſimum, ſcriptum an. 1207; Morinus meminit codicis in bibliotheca oratoriana, deſcripti an. 1208. &c. Ex his collatis coniicere licet, conſuetudinem, annum ſcriptionis libris inſcribendi, apud Iudaeos, initio ſaeculi decimi tertii haud multo antiquiorem eſſe &c.* Quaeri autem poſſet, an omnino faciant, quod operae pretium ſit, qui in conquirendis codicibus manuſcriptis tantum ſtudium, tantumque collocant laborem? Eos, qui codices, quos hodie, ad maſoretharum fidem exactos, tenemus, in corruptionis ſuſpicionem adducere, quouis modo laborant, IO. MORINVM, LVD. CAPPELLVM, RICH. SIMONEM, aliosque, codices manuſcriptos crepare, mirum non eſt; cum neſcio quod cauſſae ſuae ex iis ſibi promittant praeſidium. Alii contra, ſuperuacaneum fere iſtud ſtudium, quod in conferendis eiusmodi codicibus collocatur, eſſe, exiſtimant, parum-

parumque inde ad nos redundare vtilitatis, cum adcuratiores codices cum textu, qui typis exſcriptus eſt, dudum comparati ſint, nullumque amplius ex iis ſperari queat commodum. Mihi prorſus illorum ſententia placet, qui media quadam via incedunt, & illorum non equidem improbant ſtudium, qui codices manuſcriptos conferendos cenſent, ſimul tamen fatentur, ex iis, qui hodie ſuperſunt, & hucusque collati ſunt, vix quidquam, quod momentum trahat, hauriri poſſe, ſaltem illos magnopere falli, qui exiſtimant, euinci per eiusmodi codices poſſe, textum, prout hodie receptus eſt, corruptum eſſe, ac emendatione indigere. Ita vir doctiſſimus IO. CHRIST. WOLFIVS, qui omnino hac de re legendus, *bibliotb. ebr. part. II. lib. II. ſect. III. p. 328. ſeqq.*

Biblia typis impreſſa, vel ſolum textum ebraeum, vel ſimul verſiones quasdam, vel denique ſcholia aut explicationes Iudaeorum, lingua ebraea ſcriptas, exhibent. Quae cum textu ebraeo verſiones quasdam ſiſtunt, *polyglotta* vocari ſolent; quae ſcholia aut commentarios quosdam Iudaeorum, *gloſſata*, itemque *rabbinica*. De omnibus hiſce, ſpeciatim de polyglottis, diligentiſſime diſſerunt, praeter CHR. KORTHOLTVM *de variis ſcripturae editionibus cap. XXXII. p. 374. ſeqq.* IACOB. LE LONG tum in *bibliotheca ſacra, ſeu ſyllabo omnium ferme ſacrae ſcripturae editionum ac verſionum cap. I.* tum in *diſcurſu hiſtorico de praecipuis editionibus bibliorum polyglottorum*, gallice ſcripto, editoque Pariſiis 1713. 8. & IO. CHR. WOLFIVS, *bibliotb. ebr. part. II. lib. II. ſect. IV. p. 332. ſeqq.* Nos de praecipuis pauca quaedam monebimus. Exemplum quidem biblia polyglotta edendi iam in veteri eccleſia aliis praeiuiſſe videtur ORIGENES; vtpote cuius tetrapla, hexapla, & octapla apud veteres celebrantur. Praeterquam vero, quod nonnulli negent, ea ad polyglotta referri poſſe, eo quod plures quidem verſiones, ſed vnius linguae, ſiue graecae, iis complexus ſit; commodior etiam de hiſce dicendi ſeſe nobis offeret locus, cum de doctoris huius Adamantii laboribus exegeticis ex inſtituto agemus. Ad recentiora itaque, vt nos conuertamus opera, eodem fere tempore, quo curiae romanae bellum indixit beatus MART. LVTHERVS, diſponente ſic diuina prouidentia, vt ipſi aduerſarii ad regnum veritatis promouendum aliquid conferrent, FRANC. XIMEN. DE CISNEROS, romanae eccleſiae cardinalis & archiepiſcopus Toletanus, ſuis ſumtibus biblia πολύγλωττα Compluti, opera & ſtudio theologorum academiae Complutenſis, quibus vetuſtiſſimos codices, magno pretio comparatos, ſuppeditauit, edi curauit. Sex autem abſoluuntur voluminibus, quae textum veteris teſtamenti ebraeum, & vulgatam verſionem latinam, graecam porro LXX interpretum, cum verſione latina, paraphraſin pentateuchi chaldaicam ONKELOSI, itidem cum interpretatione latina, nouum teſtamentum graeco-latinum, denique adparatum, in quo grammatica, lexica, indices, exſtant, complectuntur. Legendus praeter alios FLECHERIVS, Nemauſenſis epiſcopus, in *hiſtoria cardinalis Ximenii*, gallice ſcripta, quae Amſtelodami an. 1693 prodiit, *lib. I.* Laudandum maximopere in XIMENIO, quod, vti ex epiſtola eius ad Leonem X pontificem ſcripta, patet, exiſtimauerit, in ſcripturae interpretatione textus originalis maxime habendam rationem, verſionesque omnes ad hunc exigendas. Interim, quod in laudem textus originalis dixerat, ipſe in *prolegomenis ad lectorem* deſtruere videtur, quando teſtatur, ſe verſionem latinam HIERONYMI inter textum ebraeum & graecum LXX interpretum, medio collocaſſe loco, tamquam inter ſynagogam & eccleſiam

ſiam

Digitized by Google

ſiam orientalem, vt ſeruatorem noſtrum in cruce inter duos latrones pendentem repraeſentaret. RICH. SIMON haec ſecum expendens, *prolegomenorum* ſiue *dedicationis ad Leonem pontificem & ad lectorem*, vnum eumdemque auctorem eſſe, vix ſibi perſuadere poteſt; ex methodo autem in hocce opere obſeruata ſatis adparere, putat, textum ebraeum normae & regulae loco fuiſſe habitum, ad quem verſiones omnes eſſent exigendae. In nouo teſtamento accentus omnes eſſe omiſſos, eo, quod editores crederent, in exemplis graecis originalibus nullos adfuiſſe, idem monet, in *catalogo praecipuarum ſacri codicis editionum*, *hiſtoriae* eius *criticae vet. teſt.* ſubiecto, *p. 515. 516.* Eodem circiter tempore ſimile quid tentauit AVG. IVSTINIANVS, Genuenſis, Nebienſis in Corſica inſula epiſcopus; at, quod molitus eſt opus lucem non adſpexit, praeter *pſalterium*, Leoni X pontifici dicatum, idque octaplum vtpote praeter textum ebraeum, latinam ipſius IVSTINIANI verſionem, itemque vulgatam, porro graecam, arabicam, paraphraſin chaldaicam, cum verſione latina eidem reſpondente ipſius itidem IVSTINIANI, & denique ſcholia eius ſeu adnotationes exhibens; Genuae anno 1516. Cur integra biblia in lucem emittere non potuerit, hunc in modum indicat PETR. DAN. HVETIVS: *Id* (pſalterium) *ſi indocta illa aetas maiori fauore excepiſſet, & nobiles eruditi hominis labores adiumento aliquo & opibus promouiſſet, vniuerſam ſcripturam ſimili ornatu decoratam, & pari interpretationum numero ab eo ditatam haberemus; de interpretat. lib. II. p. 184.* Complutenſia itaque biblia exceperunt *Antwerpienſia*, etiam *regia* dicta, quod auſpiciis ac ſumtibus Philippi II Hiſpaniae regis edita ſunt. Non modo chartae & characterum ſplendore, ſed plurimis etiam acceſſionibus Complutenſia multum ſuperant. Ad has illud quoque ſpectat, quod Complutenſia paraphraſin ſolum chaldaicam pentateuchi, quae ONKELOSVM auctorem agnoſcit, exhibeant, eo, quod XIMENIVS cardinalis religioni ſibi duceret, reliquas operi ſuo biblico inſerere; qui tamen eas in linguam latinam transferri, & a fabulis talmudicis repurgatas, ab academia Complutenſi adſeruari iuſſit. BENEDICTVS autem ARIAS Montanus, cuius cura opus polyglotton Antwerpienſe prodiit, non adeo ſuperſtitioſus fuit, ſed quidquid paraphraſeon chaldaicarum nanciſci potuit, demtis tamen fabulis, bibliis inſeruit; indignantibus & aegre illud ferentibus quibusdam Hiſpaniae theologis. Legendus RICHARD. SIMON, qui tum in hocce *Antwerpienſi*, tum in *Complutenſi* opere deſiderat, quod in vtroque verſio graeca 70 interpretum atque vulgata, ſecundum textum ebraeum emendata, hoc eſt, vt ipſe quidem putat, corrupta, exhibeantur; in *catalogo praecipuarum codicis ſacri editionum p. 516. 517.* Plura non addo, cum nihil de hocce opere dici queat, quod non iam dictum ſit ab aliis. Idemque & de reliquis cenſendum. Nimirum, cum non adeo magno temporis ſpatio exempla operis huius Antwerpienſis diſtracta eſſent; de noua bibliorum polyglotton editione Pariſiis conſilium ſuſcepit GVIDO MICH. LE IAY, ſtudium operamque conferentibus GABRIELE SIONITA, Maronita, IO. MORINO, & ABRAHAMO ECCHELLENSI, aliisque. Lucem opus hocce ſplendidiſſimum, decemque conſtans voluminibus, adſpexit Pariſiis 1645. Ad verſionem graecam 70 interpretum & latinam vulgatam quod attinet, in illo eosdem naeuos, qui in Complutenſibus & Antwerpienſibus bibliis exſtant, deprehendi, obſeruat RICHARD. SIMON *l. c.* qui & miratur, cur IO. MORINVS verſionem 70 interpretum, ſecundum codicem Vaticanum, ex quo eam ſeparatim edidit, huic operi non inſeruerit, item, quod verſionem vul-

Digitized by Google

gatam in eodem exſtare noluerit, ſecundum correctionem Romanam. Id equidem prae Antwerpienſibus Pariſienſia haecce biblia peculiare habent, quod pentateuchum ſiſtant ebraeo-ſamaritanum, vna cum verſione chaldaeo-ſamaritana, huiusq; interpretatione latina ſyriacam praeterea translationem teſtamenti veteris, & tam veteris quam noui verſionem arabicam. Non tantum autem adparatus neceſſarius & ſufficiens in hoc opere deeſt, cuius defectus cauſſam in contentiones & diſſidia editorum nonnulli coniiciunt; ſed & alia viri docti in eodem deſiderant, ſpeciatim BRIANVS WALTONVS *intolerandam illorum incuriam* notat, *qui correctioni inuigilare debuerunt. Vnde innumeris*, ita pergit, *mendis & erratis ſcatet haec editio, quae ſplendorem eius multum obſcurarunt*, in *adparatu biblico*, *prolegomen. IV. §. XIV. pag. 265.* Conferenda IOAN. HENR. HOTTINGERI diſſertatio de *heptaplis Pariſienſibus*, in *analectis* eius *hiſtorico-theologicis*, *p. 83. ſqq.* item VALER. FLAVIGNII *de ingenti bibliorum opere epiſtolae quatuor*, an. 1646, 47, & 48 editae. Varia etiam, ad hiſtoriam huius operis facientia, occurrunt in AMELOTI *monumentis epiſtolicis variorum doctorum virorum, qui ſcripſerunt de antiquitatibus eccleſiae orientalis*, alibi iam a nobis laudatis. Ad reliqua opera polyglotta vt pergamus, omnium, qui in hoc campo deſudarunt, induſtriam ſtudiumque vicerunt Angli, qui, conquiſitis ex oriente praeſtantiſſimis codicibus manuſcriptis, longe auguſtiorem eiusmodi bibliorum editionem, quam hucusque factum, euulgarunt. Auctor tanti operis BRIANVS WALTONVS, qui adſcitis in laboris ſocietatem viris per Angliam celeberrimis, non adeo magno temporis ſpatio illud ad finem perduxit. Prodiit Londini an. 1657 ſex tomis in fol. Non vno nomine opus hocce Pariſienſi praeferendum eſſe, fatentur omnes. Praeterquam enim, quod verſiones cum textu originali per varias columnas in ſingulis paginis ita ſint diſpoſitae, vt ſimul lectorum oculis obiiciantur; nonnulla in hac editione exhibentur, quae in Pariſienſi non exſtant, quaeue ſummatim indicant CHR. KORTHOLTVS *de variis ſcripturae editionibus c. XXXII. §. VII. pag. 381.* & RICH. SIMON, in *catalogo praecipuarum codicis ſacri editionum pag. 520.* Atque hic quidem etiam fatetur, non tantum anglicana haecce biblia polyglotta multis modis praeſtare Pariſienſibus, ſed & nihil hucusque in hoc genere perfectius prodiiſſe, & nihiloſecius in *obſeruatione* quadam *huic loco pag. 521.* ſubiecta pronuntiare non dubitat, *biblia haecce polyglotta anglicana poſſe publicum aliquod latrocinium vocari, cum paucis quibusdam exceptis, deſumta ſint ex polyglottis Guidonis Michaëlis le Iay.* Quo pacto eiusmodi opus polyglottum adhuc perfectius reddi queat, idem RICH. SIMON exponit, tum *l. c.* tum & in *disquiſitionibus criticis cap. XXVII.* vbi & obſeruat, ex erroribus innumeris, quibus biblia polyglotta Pariſienſia, maxime in verſionibus ſyriacis & arabicis, nec non in latinis illarum interpretationibus, abundant, haud paucos adhuc in anglicanis conſpici. Sunt vero & alii viri docti, qui in anglicanis hiſce bibliis polyglottis quaedam non ſine ratione deſiderant. Interim qui cuncta conſiderauerit, facile concedet, fieri non poſſe, vt eiusmodi opus ſine omnibus naeuis in lucem prodeat. Haud etiam adeo difficile eſſe, vt inuentis aliquid addatur, nemo non intelligit. Superſunt & alia biblia polyglotta, vt FRANC. VATABLI, aut potius ROB. STEPHANI, itemque ELIAE HVTTERI; ſed de hiſce, vt & reliquis omnibus, conſulere iuuabit, praeter IAC. LE LONG *l. c.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVM, *biblioth. ebr. part. II. lib. II. ſect. IV. ſubſect. II. pag. 339. ſeqq.* qui & *ſubſect. III. p. 354. ſeqq.* eos recenſet, qui partes quasdam bibliorum polyglottorum ediderunt.

derunt. IOAN. DE LA HAYE *biblia maxima*, quae Pariſiis 1660 nouemdecim tomis in fol. prodierunt, cum textum ſcripturae ſacrae originalem non exhibeant, ſed eius loco latinam vulgatam, cum aliarum verſionum interpretationibus latinis, & variorum adnotationibus, ad polyglotta referri nequeunt. Auctorem vanae potius gloriae, qua laborauerit, cupiditati, quam lectorum commodis hocce opere conſulere voluiſſe, RICH. SIMON pronuntiat, qui acriter iſtud perſtringit *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XI. pag. 417.* Legendus quoque de eo CHR. KORTHOLTVS *de variis ſcripturae editionibus cap. XXXII. §. XIII. XIV. pag. 388. ſqq.*

Ad *rabbinica*, vt vocari ſolent, *biblia* quod attinet. in iis excudendis maxime enituit ſtudium & induſtria DANIELIS BOMBERGII, typographi Veneti, non vno nomine de re ebraica praeclare meriti. Prima, quam is dedit, editio lucem adſpexit anno 1518 quamuis praefatio latina ſcripta ſit an. 1517, vnde a nonnullis hoc anno prodiiſſe dicitur. In ea cum textu ebraeo, & paraphraſibus chaldaicis, inſigniores Ebraeorum quorumdam commentarii exhibentur, & praeter alia, variantes quoque lectiones BEN ASCHER & BEN NAPHTALI accedunt. Diſplicuit haec editio maximopere ELIAE LEVITAE, aliiſque Iudaeis, quod tamen ex odio erga FELIC. PRATENSEM, qui a Iudaeis ad chriſtianos tranſierat, cuiusue opera BOMBERGIVS in *bibliis* hiſce edendis vſus fuerat, profectum eſſe, nonnulli monent. Certe non omnia, quae ELIAS LEVITA in hocce opere reprehendit, digna reprehenſione eſſe, alii obſeruarunt. Maſoram tamen in eo magna adhuc laborare confuſione, negari nequit. Sunt, qui exiſtimant, beatum MART. LVTHERVM in verſione germanica lectiones huius editionis reliquis praetuliſſe; quod inde forte factum, alii obſeruant, quod haec editio, ſi textum originalem ſpectes, cum Brixienſi, quae 1494 a GERSONE BEN MOSE, Soncinate, in lucem emiſſa eſt, conſentiat. Brixienſi enim hac editione beatum LVTHERVM in verſione germanica adornanda vſum, poſt HENR. OPITIVM *praefat. ad biblia ebraea p. 2.* docet IO. CHRIST. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. II. lib. II. ſect. V. p. 365.* Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Cum deinde BOMBERGIVS ad nouam editionem euulgandam animum adiungeret, vſus eſt opera & ſtudio R. IAC. BEN CHAIIM, de quo ſupra dictum, cum de maſora verba faceremus. In ea magna pariter ac parua continentur maſora emendata, & in meliorem ordinem diſpoſita, paraphraſes porro chaldaicae, & praecipuorum Iudaeorum commentarii. Praemittuntur operi huic praefatio iam laudati R. IAC. BEN CHAIIM, qua de maſora, de keri & ketibh, de diſcrepantiis inter talmudiſtas & maſorethas, de *tikkun ſopherim*, ſiue correctionibus ſcribarum, deque maſorae magnae ordine diſſerit; indices porro capitum, ſiue paraſchioth, ſectionum, ordinum, partium totius ſcripturae, ſecundum maſorethas; item R. ABEN ESRAE praefatio *de ratione commentandi in ſcripturam ſacram*, *deque quinque modis legem interpretandi*, & quae alia ſunt eiusdem generis. Lucem vidit haec editio Venetiis an. 1526, & licet inter biblia rabbinica, a BOMBERGIO excuſa, ſecunda ſit, prima tamen vocari ſolet, quia primum opera & ſtudio R. IAC. BEN CHAIIM prodiit, & reliquae, quae deinceps in lucem emiſſae ſunt, eam ceu regulam quamdam ſequuntur. Repetita nimirum fuit haec editio anno 1549, quae adeo ſecunda erit, anno 1568, quae eſt tertia, & an. 1617, quae eſt quarta. Ex his editionibus ſecundam & tertiam praeſtantiores reliquis eſſe, notat RICH. SIMON, cum quarta per inquiſitores reformata ſit, demtis in rabbinorum

commentariis iis locis, quae in religionem chriſtianam iniuria eſſe videbantur; in *catalogo praecipuar. codicis ſacri edition. p. 513.* Et ſecundam hancce tertiamue editionem Bombergianam ſequutus eſt IOAN. BVXTORFIVS, qui Baſileae an. 1619 itidem *biblia rabbinica* in lucem emiſit. In iis praeter textum ebraeum paraphraſes exhibentur chaldaicae, itemque maſora magna & parua, cum ſelectiſſimis commentariis R. SAL. IARCHI, R. ABEN ESRAE, R. DAVID KIMCHI, aliorumque. In paraphraſibus chaldaicis adcurate exhibendis magnum ſtudium induſtriamque collocauit, quas etiam diligentius, quam antea factum, punctis vocalibus inſtruxit; quod tamen eius inſtitutum non adeo probatur RICH. SIMONI, qui in targumim eam punctationem, quae in Danielis & Esræ libris conſpicitur, recte adhibitam negat, eo, quod alia in his ſit linguae chaldaeae dialectus, quam in illis; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XVIII. pag. 300. & 302.* Operam porro dedit idem BVXTORFIVS, vt loca in maſora transpoſita, deficientia, pugnantia, numeris deprauata, diuerſorum codicum & concordantiarum ſubſidio reponerentur, reſtituerenturue, & inter ſe conciliarentur. Vnde & hanc editionem reliquis omnibus & correctiorem, & longe nobiliorem eſſe, concludit CHRISTIAN. KORTHOLTVS *de variis ſcripturae editionibus cap. XXXII. §. XI. p. 387.* Iudaeis tamen non adeo magno in pretio hanc editionem eſſe, auctor eſt RICHARD. SIMON, idque ob errores typographicos varios, in commentariis praeſertim rabbinorum occurrentes; ſiquidem & eos, qui in praecedentibus editionibus admiſſi fuerant, BVXTORFIVS retinuerit, & nouos etiam admiſerit; in *catal. praecipuarum ſacri codicis editionum pag. 513.* Extant etiam partes quaedam codicis ebraei, cum paraphraſibus chaldaicis, & commentariis quibusdam rabbinicis ſeorſim editae, vt *pentateuchus*, qui opera & ſtudio DAN. ERN. IABLONSKI, Berolini an. 1705 prodiit, & aliae; ſed haſce recenſere, huius loci non eſt.

Eorum denique bibliorum ebraeorum, quibus nec verſiones vllae, nec commentarii rabbinici additi ſunt, quaeue typis ſunt exſcripta, magnus omnino proſtat numerus. Omnia enarrare, noſtri iterum nec requirit, nec permittit inſtituti ratio; factumque id inſuper iam eſt ab aliis. De praecipuis itaque ſolum aliquid monebimus. Maximo autem omnium conſenſu commendantur editiones DAN. BOMBERGII, CHRISTOPH. PLANTINI & ROB. STEPHANI, quas & IO. BVXTORFIVS indicat, in *bibliotheca rabbinica p. m. 301.* Licet vero deinceps quoque plurimi in textu ebraeo adcurate imprimendo operam ſtudiumque collocauerint; ſemper tamen, quod corrigendum emendandumque eſſet, ſupereſſe viſum fuit. Circa medium circiter ſaeculi decimi ſeptimi in curandis emendatioribus codicis ebraei editionibus diligentiam ſuam comprobarunt R. MENASSE BEN ISRAEL & R. IOSEPH ATHIAS, Iudaei percelebres; ex quibus, quae iterum cum IO. LEVSDENII *praefatione* an. 1667 prodiit, reliquis omnibus, quae eam praeceſſerunt, praeſtare, exiſtimata fuit; vnde & eam praecipue, quam in ſua editione ſequeretur, dignam iudicauit DAN. ERN. IABLONSKI, cuius in hoc litterarum genere merita non ſemel iam laudauimus; eo quod *textum ebraeum*, vt ipſemet loquitur, *a rudimentis Complutenſibus, per varia varii temporis incrementa, ad adultam quamdam maturitatem, ita eluctatum exhibeat, vt omnibus quae eam praeceſſerunt, palmam praeripere, merito cenſeri debeat.* Enimuero, quantumuis magno ſtudio adornata eſſet iſta ATHIAE & LEVSDENII editio; aliis tamen, pluribus eam adhuc ſcatere erroribus, obſeruatum fuit. Inde ad nouam adcuratioremque

que in lucem emittendam, animum adiecit DAVID CLODIVS, philologus Gieſſenſis, quae & an. 1677 prodiit. Adſerit vero in editionis huius *praefatione* CLODIVS, in ATHIAE editione, plus quam ſexcenta ſphalmata a ſe notata eſſe; quod quidem tantum abeſt, vt a quoquam negari poſſe, DAN. ERN. IABLONSKI pronuntiet, vt libere potius profiteatur, plus quam bis mille ſibi obſeruata & ſublata eſſe; interim & ipſum CLODIVM plurima, quae ſtilum cenſorium merebantur, intacta praeteriiſſe, & quaedam, quae bene ſe habebant, cum mendum in iis eſſe putaret, corrupiſſe, alibi errores Athianos nouo errore auxiſſe, non tollendo menda, ſed mutando, typothetarum denique & correctorum incuria plurimis in locis ſphalmata irrepſiſſe, adfirmat, quibus adeo rebus factum ſit, vt, quamuis CLODIVS aliquod paroramatum centurias in ATHIA feliciter correxerit, bibliorum tamen Clodianorum paroramata (quibus ſecunda inprimis editio ad nauſeam ſcatet) Athiana aliquot millibus vincant. Addit porro, eo minus CLODII laborem ſibi ex aſſe feciſſe ſatis, quod is ſolius fere analogiae grammaticae, & codicum quorumdam impreſſorum ſubſidio fretus, ad biblici textus recenſionem acceſſiſſet, absque manuſcriptis codicibus, absque maſorae collatione, absque recentis illius & docti Ebraeorum critici R. MENACHEM DE LONZANO in tractatu *orthora* ſuffragio, immo absque accuratiore accentuationis metricae cognitione &c. in *praefat. bibliis ebraic.* praemiſſa §. *IV.* & *V.* Atque haec cum ita ſe haberent, proprio ſtudio nouam bibliorum ebraicorum recenſionem adgreſſurus idem vir eruditiſſimus IABLONSKI, ex editionibus impreſſis, eas, quae reliquarum quaſi cardinales videbantur, ſelegit, *Bombergianam* Venetam, *regiam* ſeu BENED. ARIAE Montani, (quam polyglotta anglicana ſequuntur) Baſileenſem BVXTORFII, quae Venetam pluribus in locis caſtigauit, & *Hutterianam*, quae in accentuatione reſtituenda diligentem, ſubinde tamen audaculam, nec auctoritate ſuffultam operam praeſtitit, quibuscum editionem MENASSIS BEN ISRAEL & aliorum paſſim contulit. Vſus praeterea eſt variis codicibus manuſcriptis, quos ipſemet indicat in *praefat.* laudata, §. *VI.* Plurimis itaque ſubſidiis inſtructus, ſummo ſtudio ac labore ad finem tandem perduxit editionem iſtam, quae Berolini an. 1699 lucem adſpexit. Palmam ei inter omnes, quae hactenus prodierunt, deberi, viri praeſtantiſſimi, harumque rerum peritiſſimi, faſſi ſunt; etſi nec deeſſent, qui in ea nonnulla deſiderarent. DAVID. CLODII interim illa editio, curante beato IOAN. HENR. MAIO, repetita, ſimul tamen emendata fuit an. 1716, quemadmodum & IOSEPHI ATHIAE a IO. LEVSDENIO denuo recognita & recenſita, ſummo ſtudio adornata, & variis acceſſionibus locupletata, ab EVERHARDO VAN DER HOOGHT an. 1705 iterum in lucem emiſſa eſt, quae multis magno eſt in pretio. Nec praetermittenda eſt, quae Kilonii anno 1709 opera & ſtudio HENR. OPITII prodiit. Habet vtique, quo ſe aliis praeferat; licet nec hanc omnium prorſus naeuorum expertem eſſe, nonnulli contendant. Omnium denique induſtriam ſuperauit IO. HENR. MICHAELIS, theologiae & linguarum orientalium in academia Hallenſi profeſſor longe clariſſimus, qui, adſcitis in laboris ſocietatem & aliis quibusdam viris praeſtantiſſimis doctiſſimisque, quos ipſemet laudat, editionem iſtam prorſus egregiam ad finem perduxit, quae typis & ſumtibus orphanotrophei Hallenſis, an. 1720 lucem publicam adſpexit. Eam ex aliquot manuſcriptis, & compluribus impreſſis codicibus, item ex maſora tam edita, quam manuſcripta, aliisque Ebraeorum criticis, diligenter recenſitam, ex rei veritate ipſa inſcriptio docet. Codices

Digitized by Google

dices autem iſti tum manuſcripti, ex quibus nonnulli minime contemnendae fuerunt auctoritatis, tum impreſſi indicantur in *praefat. cap. I. §. III.* ex qua etiam *§. IV.* conſtat, quod IABLONSKII editionem, quae Berolini 1699 prodiit, fundamenti loco poſuerint. Praeterea praeter *noua lemmata textus in pentateucho*, acceſſerunt *loca ſcripturae parallela, verbalia & realia, breueſque adnotationes, quibus nucleus graecae ſeptuaginta interpretum, & omnium verſionum exhibetur, difficiles in textu dictiones & phraſes explicantur, ac dubia reſoluuntur, vt ſuccincti commentarii vicem praeſtare poſſint; ſingulis denique columnis ſelectae variantes lectiones ſubiiciuntur.* Ita ſummatim porro, quid in hacce editione contineatur, inſcriptio oſtendit; quibus vberior lux in *praefatione*, praeſertim *cap. V. pag. 24. ſeqq.* adfunditur. In eadem praefatione etiam *cap. III.* de *variis lectionibus codicis ebraei*, & *cap. IV.* de *maſora, ſiue doctrina critica Ebraeorum* erudite diſſeritur. Cur adnotationes in geneſin rariores, minuſque frequentes, quam in reliquos libros, praeſertim propheticos, ſint, eius rei ratio ibidem redditur *cap. V. §. VII. pag. 27.* Cum vero libri, qui vocantur, hagiographi, ampliores adnotationes requirerent; placuit maxime neceſſarias, ac praeſertim philologicas, ipſi textui ſtatim ſubiungere; *vberiores* autem deinceps *adnotationes philologico-exegeticas* ſeparatim edere, quae & an. 1719 & 20 tribus voluminibus in 4. auctoribus IO. HENR. & CHRIST. BENED. MICHAELIS, & ad librum Ruth, eccleſiaſten & Eſther quod attinet, IO. IAC. RAMBACHIO, lucem publicam adſpexerunt. Licet autem editor praecipuus modeſte admodum de hocce opere ſentiat, immo *praefat. cap. V. §. II.* non omnium prorſus naeuorum, qui tamen non magni momenti ſunt, id expers eſſe fateatur; hucusque tamen, quantum mihi quidem conſtat, nemo exſtitit, qui aliquid reprehenſione dignum in eo inuenerit; quin potius laborem maximum, felici prorſus ſucceſſu in illud impenſum, omnes vno ore, idque merito, laudant.

§. IV. Tum & de ſcriptoribus ſacris noui teſtamenti ſollicitos nos eſſe oportet,* ſimulque de eius canone, & quando, quaue ratione is clauſus dicatur.** Addenda, quae de lingua originali ſcriptorum noui teſtamenti, de textus graeci integritate, deque variantibus, quas vocant, lectionibus;*** de editionibus porro codicis ſacri noui teſtamenti,* deque libris apocryphis diſputari ſolent.**

* Libros canonicos noui teſtamenti ab illis auctoribus ſcriptos eſſe, a quibus ſcripti dicuntur, iisdem argumentis probari poteſt, quibus alias libri cuiusdam γνησιότης probari ſolet; ex teſtimonio ſcilicet ſcriptorum veterum, qui proximo poſt ſcriptores ſacros aeuo vixerunt, & hoſce libros, tamquam ab iis, quorum nomina praeferunt, profectos, laudarunt; porro, ex teſtimonio eccleſiarum chriſtianarum, etiam antiquiſſimarum, quae hos libros tamquam ab iis, quorum nomina praeferunt, ſcriptos, receperunt; & denique ex ipſa horum librorum inſpectione, quippe in quibus nullus ſuppoſitionis, aut νοθείας character, nullum indicium deprehenditur, cuncta contra veritatis & antiquitatis documenta conſpiciuntur, ex quibus eos genuinos eſſe, firmiter colligas. Conferendus LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible lib. II. cap. I. §. III.* Non abs re autem fuerit, hoc loco monere, quaeſtionem,

Digitized by Google

nem, de auctoribus librorum ſacrorum, non eſſe confundendam cum quaeſtione, de diuina eorumdem auctoritate. Cum enim romanenſibus facile largiamur, in priori quaeſtione teſtimonium antiquorum ſcriptorum, veteriſque eccleſiae, vtramque facere paginam; de poſteriori non perinde cenſendum; cum de diuina librorum ſacrorum auctoritate ex longe aliis argumentis certi reddamur. Interim romanenſes haſce quaeſtiones, etſi valde diſtinctas, data opera inter ſe miſcent, atque confundunt; idque & RICH. SIMONEM facere, recte monent IO. HENR. MAIVS in *exam. hiſt. crit. textus noui teſtamenti Rich. Simonis cap. II. §. III. pag. 19.* itemque ANT. COVLAN, in *exam. hiſtor. critic. noui teſtamenti*, gallice ſcripto, *ep. III. p. 52. ſeqq.* vbi ſollicite has quaeſtiones diſtinguit, & circa vtramque, SIMONIS ſententiam excutit. Scilicet quae de veritate librorum noui teſtamenti contra veteres haereticos RICH. SIMON *hiſtor. crit. textus noui teſtamenti cap. I.* diſſerit, eo redeunt, vt ad traditionem cuncta referat; indeque pontificiarum traditionum neceſſitatem nobis obtrudere conatur, recte ideo ab vtroque IOAN. HENR. MAIO & ANT. COVLANO caſtigatus. De inſcriptionibus, quas alii *titulos* vocant, librorum ſacrorum, quae prima ſtatim fronte auctores eorum produnt, ita pronuntiat SIMON, vt neget, vllum nos in antiquitate ſolidum habere fundamentum, quo demonſtretur, inſcriptiones euangeliis praefixas ab eorum auctoribus eſſe profectas. CHRYSOSTOMVM diſertis verbis in diuerſam abire ſententiam, & *homil. I. in epiſt. ad Rom.* dicere, *neque Moſen, neque hunc ſequutos ſcriptores, nomina ſua ſcriptis praemiſiſſe.* Idem ergo de Matthaeo, Marco, Luca, Ioanne adfirmandum. Paulum vero, ad abſentes ſcribentem, nomen ſuum in epiſtolarum initiis expreſſiſſe, ea, quae ad Ebraeos eſt, excepta, quod illi opus non habuerint, qui ad praeſentes ſcripſerint. Atque hinc porro colligit, ex ſolis euangeliorum inſcriptionibus non poſſe probari, ea ab illis compoſita eſſe auctoribus, quorum nomina praeferunt. Nos vero libenter concedimus, inſcriptiones ab ipſis auctoribus euangeliorum iis non eſſe praemiſſas; nec repudiamus teſtimonium veteris eccleſiae, ſi de auctoribus, non de auctoritate librorum noui teſtamenti ſermo ſit. Antiquiſſimas eſſe haſce inſcriptiones, EX TERTVLLIANO *lib. IV. contra Marcionem cap. II.* recte ipſemet RICH. SIMON docet; patetque inde, haud contemnendam eſſe earum auctoritatem; immo & patet, perperam negare SIMONEM, eam tantam eſſe, ac ſi ab ipſis ſcriptoribus ſacris libris hiſce eſſent praefixae, vti IO. HENR. MAIVS oſtendit *l. c. §. VI. p. 21.*

Ad ſpecialia deſcendere, noſtri equidem non patitur inſtituti ratio. Quaedam tamen monere, non prorſus abs re fuerit. Quatuor, quae dicuntur, euangelia, iudice FRID. SPANHEMIO, *loco deinceps citando*, tam ſuperuacaneum foret, ſuis auctoribus adſerere, vel eorum auctoritatem adſtruere, quam eſt temerarium, ea de re controuertere. Antiquiſſimorum eccleſiae patrum, IVSTINI martyris *apolog. II. pag. 130.* edit. IO. ERN. GRABII, IRENAEI *lib. III. cap. XI.* TERTVLLIANI *lib. IV. contra Marcion. cap. V.* aliorumque teſtimoniis ſatis conſtat, quatuor haecce euangelia, ceu genuina, & authentica, a veteri eccleſia fuiſſe recepta. Immo non tantum hoc adſeruerunt patres, ſed & rationes adduxere, cur nec plura numero, nec pauciora ſint euangelia, quam quatuor illa. Sic IRENAEVS, *quoniam*, inquit, *quatuor regiones mundi ſunt, in quo ſumus & quatuor principales ſpiritus*, (venti cardinales) *& diſſeminata eſt eccleſia ſuper omnem terram, columna autem & firmamentum eccleſiae eſt euangelium, & ſpiritus vitae, conſequens eſt, quatuor eam habere columnas,* vn-

vndique fontes incorruptibilitatem & viuificantes homines; l. c. Cuiusmodi rationes allegoricae, licet nihil ad rem faciant; ſatis tamen demonſtrant, de auctoribus & auctoritate quatuor iſtorum euangeliorum nullum prorſus apud veteres fuiſſe dubium. Legenda, quae de illis rationibus allegoricis, quibus veteres probare voluerunt, quare nec plura nec pauciora, quam quatuor ſint euangelia, obſeruat IO. ALB. FABRICIVS in *codice apocrypho noui teſtamenti tom. I. pag. 382. ſeqq.* Atque haec cum ita ſe habeant; mirum eſt, exſtitiſſe, qui genuinam iſtorum euangeliorum originem in dubium vocarent. Compellandus hic iterum nobis eſt RICH. SIMON, qui, ſaltem ſi FRID. SPANHEMIVM audiamus, id vnum ſibi datum negotium credidit, vt euangeliorum praecipue dubiam redderet originem, & auctoritatem conuelleret. *Hinc ille*, ita pergit SPANHEMIVS, *modo collectanea eſſe, ex praedicationibus apoſtolicis, nulla habita ratione ordinis & temporis; modo fuiſſe a diſcipulis collecta, quae hi ab apoſtolis aut viris apoſtolicis accepiſſent; vnde* κατὰ Ματθαῖον *ſecundum Matthaeum, non* τοῦ Ματθαίου *Matthaei ipſius euangelium; modo nusquam a veteribus proferri ea vt authentica, vel ab ipſis apoſtolis accepta &c.* in *adpendice diſſertat. de auctore epiſt. ad Ebraeos*, ſeu *de hiſtoriae euangelicae ſcriptoribus, & in ſpecie de Marco &c. tom. II. operum pag. 266.* Et ſane paſſim talia inſpergi a SIMONE, quae originem & auctoritatem euangeliorum labefactare queant, negandum non eſt. Ea tamen omnia, quae a SPANHEMIO illi tribuuntur, diſerte ita non docet. Namque, formulam κατὰ Ματθαῖον ita capi poſſe, vt inde colligatur, euangelia fuiſſe collectanea, ab euangeliſtarum diſcipulis congeſta, per modum obiectionis tantum proponit, ad quam ſtatim reſpondet, eam corruere ſua ſponte, cum κατὰ Ματθαῖον idem ſit ac Ματθαίου; *hiſt. crit. textus noui teſtam. cap. II. pag. 21.* Non minus in quatuor euangeliſtas admodum iniurius eſt HENR. DODWELLVS, vir vtique doctus, ſed ad παράδοξα nimis pronus; *diſſert. I. in Irenaeum pag. 62. ſeqq.* Non aliam nimirum eos habere infallibilitatem, contendit, quam quod fuerint fidi teſtes eorum, quae vel viderant, vel audiuerant, ratione tradendi ordinaria, nullo interuentu alicuius adflatus, aut θεοπνευστίας; traditionem itaque, cui innititur fides librorum noui teſtamenti, ſpeciatim euangeliorum, non eſſe firmiorem, quam ſit illa IRENAEI, cuius vt & CLEMENTIS ac reliquorum ſaeculi ſecundi patrum eadem ſit infallibilitas ac euangeliſtarum, in rebus hiſtoriae & facti; primum numeri quaternarii meminiſſe IRENAEVM, quaſi iam nuper recepti conſtitutique; ne vnum quidem euangeliſtarum nomine ſuo compellatum legi in ſcriptis CLEMENTIS Romani, BARNABAE, HERMAE, IGNATII, POLYCARPI; nec vllam adparere notam, vnde colligas, minus eos tribuiſſe apocryphis euangeliis quam veris; pari honore laudari apocrypha, v. g. ab IGNATIO Antiocheno, quo & vera; vnde pateat, *nullum adhuc euangeliorum delectum fuiſſe, cum ſcriberet Ignatius*; ſic omnes noui teſtamenti libros, praecipue & euangelia pendere ex traditione ſeniorum ſub Traiano, vti ex teſtimonio PAPIAE, IRENAEI, CLEMENTIS Alexandrini &c. Ita ſummatim ſententiam DODWELLI exhibet SPANHEMIVS *l. c. pag. 266.* qua vtique omnem euangeliſtarum prorſus euerti auctoritatem, palam eſt. Si enim cuncta ad teſtimonium ſeniorum ſub Traiano, PAPIAE, IRENAEI & CLEMENTIS Alexandrini, redeunt; lubrico admodum nituntur fundamento, ſiquidem eo tempore multa iam falſo fuiſſe tradita, etiam PAPIAE, ceteriſque credita, neminem fugit. Infirma autem omnia eſſe, quibus DODWELLVS ſententiam ſuam ſuperſtruxit, & ita comparata, vt facili negotio dilui queant, SPANHEMIVS

iam

Digitized by Google

iam *l. c.* ex inſtituto, ſimulque erudite demonſtrauit.

Iam ſi de ſingulis euangeliſtis verba facere vellemus; latiſſimus ſeſe nobis offerret de iis dicendi campus. Sed id quidem nunc nobis conſtitutum non eſt. Nec deſunt, qui eorum notitiam ſuppeditant. Qui generatim de apoſtolis agunt, etiam euangeliſtarum, certe Matthaei & Ioannis, mentionem facere ſolent. Veterum, quae hic lucem dare poſſent, monumenta, aut ſpuria ſunt, ac ſuppoſititia, aut non magni momenti. Ad ſpuria pertinet ABDIAE, primi, vt ferunt, Babyloniae epiſcopi, *hiſtoria certaminis apoſtolici*, quae *decem* conſtat *libris*, & a IO. ALB. FABRICIO exhibetur, in *codice apocrypho noui teſtamenti, tom. I. pag. 388. ſeqq.* vbi & fragmenta aliorum actuum apoſtolicorum apocryphorum, cum iis, quae illorum notitiae inſeruiunt, inuenire licet. Pſeudo-DOROTHEI Tyrii librum, *de ſanctis prophetis, apoſtolis, & LXX Chriſti diſcipulis*, cum *libris tribus de vita & morte Moſis*, cum *obſeruationibus* GILB. GAVLMINI primum euulgatis, iam autem recuſis, graece & latine edidit idem vir doctiſſimus, Hamburgi anno 1714. 8. eidemque ſubiunxit HIPPOLYTI commentationem *de duodecim apoſtolis, vbinam quisque eorum praedicauerit, ac vbi conſummatus ſit*, quae & apud FRANC. COMBEFISIVM exſtat, *auctarii noui tom. II. p. 831.* item ISIDORI iunioris, Hiſpalenſis archiepiſcopi, *de vita & obitu ſanctorum, qui Deo placuerunt*, quo in libello & apoſtolorum, & euangeliſtarum mentio iniicitur; denique & SOPHRONII fragmentum, *de baptiſmate apoſtolorum*. De euangeliſtis ſpeciatim legendae *vitae euangeliſtarum quatuor*, quas ex codice arabico edidit PETR. KIRSTENIVS, Vratiſlauienſis, medicinae doctor, anno 1608. in fol. De apoſtolis rurſus ex recentioribus IOACH. PERIONIVS & IOACH. CAMERARIVS egerent, vterque in libro *de vitis apoſtolorum*. Sed horum, vt & reliquorum omnium diligentiam ſuperauit GVIL. CAVE, in *antiquitatibus apoſtolicis*, anglice ſcriptis, ſed in linguam germanicam translatis, editisque Lipſiae an. 1696. 4. in quibus & de Marco atque Luca agit. Nec praetermittenda, quae de apoſtolis & euangeliſtis diligenter tradit SEBAST. NANVS TILLEMONTIVS, *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire eccleſiaſtique &c. tom. I. part. III. pag. 887. ſeqq.* item *tom. II. part. I. p. 159. & 237. ſeqq.* editionis Bruxellenſis. Cumprimis autem lectu digna, quae de iisdem obſeruat THOM. ITTIGIVS, in *diſſertat. de patribus apoſtolicis*, eiusdem *bibliothecae patrum apoſtolicorum graeco latinae* praemiſſa. Propius adhuc ad noſtrum inſtitutum accedunt, quae de quatuor euangeliſtis diſputant FRID. SPANHEMIVS, in *adpend. diſſert. de auctore epiſt. ad Ebraeos, ſeu de hiſtoriae euangelicae ſcriptorib. tom. II. oper. p. 266. ſeqq.* IAC. BASNAGIVS *hiſt. de l'egliſe tom. I. part. II. lib. VIII. cap. I. ſeqq. pag. 419. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible tom. II. cap. II. §. III. ſeqq. pag. 22. ſeqq.* RICH. SIMON, in *hiſtor. crit. textus noui teſt. cap. VI. p. 56. ſeqq.* cui tamen iungendus, qui eum corrigit, & aberrantem in rectam viam reducit, IO. HENR. MAIVS, in *repetito examine hiſtor. crit. noui teſtam. cap. X. & ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS *bibliotb. graec. lib. IV. cap. V. p. 126. ſeqq.* IO. GEO. PRITIVS *introduct. in lection. noui teſtam. cap. XIII. pag. 114. ſeqq.* Qui de Luca agunt, non tantum de *euangelio* ab eo ſcripto, ſed & de *actis apoſtolorum*, quorum auctor eſt, verba facere ſolent; vnde vt de his aliquid ſpeciatim addamus, neceſſe non eſt.

Praeter libros hiſtoricos in nouo teſtamento occurrunt *dogmatici*, interque eos primum locum tenent *epiſtolae Pauli*. Eas omnino genuinas eſſe, hoc eſt, a Paulo, cuius nomen praeferunt, profectas, vel ſingularum inſcriptiones docent, quas nec ipſe in

in dubium vocare audet RICH. SIMON. De *epiſtola ad Ebraeos*, quae eiusmodi inſcriptione deſtituitur, deinceps dicemus. Idem vero & aliis argumentis, quibus libri cuiusdam γνησιότης probari ſolet, ſpeciatim, quod in hiſce epiſtolis nullum ſuppoſitionis aut νοθείας argumentum occurrat, euinci poteſt. Accedit conſenſus & teſtimonium veteris eccleſiae, patrumque omnium. Haereticos vero, ſpeciatim Marcionitas, qui non omnes Pauli epiſtolas receperunt, & quas receperunt, non niſi corruptas & interpolatas, non eſt quod moremur. Legendi EPIPHANIVS *haereſi XLII.* ORIGENES, vel quisquis auctor eſt, *dialogi contra Marcionitas*, *ſect. I. p. 8.* addendaque, quae ad *h. l.* notauit IO. RODOLPH. WETSTENIVS *pag. 18.* porro IRENAEVS *lib. I. cap. XXIX. pag. 104.* ex editione IO. ERN. GRABII; TERTVLLIANVS *lib. IV. aduerſus Marcionem, cap. V. p. 505.* & *lib. V. cap. I. & II. pag. 575. ſeqq.* Immo & ipſe legendus RICH. SIMON, *hiſtor. crit. textus noui teſtam. cap. XV. pag. 158. ſeqq.* vt tamen iungatur IO. HENR. MAIVS in *repetito examine hiſtor. critic. textus noui teſtamenti cap. XV. pag. 173. ſeqq.* Cumprimis de *epiſtola ad Ebraeos*, num eius auctor Paulus ſit, acriter iam pridem diſputatum fuit; hinc Arianis & Socinianis, ob luculentiſſima, quae pro diuinitate Chriſti continet teſtimonia, omnem mouentibus lapidem, vt eam Paulo apoſtolo abiudicent, illinc patribus nonnullis orthodoxis haeſitantibus, quod dogmata quaedam, Nouatianis fauentia, continere videretur, ſimulque ipſo inter recentiores abrepto beato MARTINO LVTHERO, vt ob δυσνόητα quaedam ſcriptam a Paulo hanc epiſtolam abnueret. Poſitum autem hodie extra dubium eſt, auctorem huius epiſtolae eſſe Paulum, idque argumentis tam validis comprobatum, vt animum, ad euidentiſſima quaeque in dubium vocanda, obfirmatum, demonſtraturus ſit, qui hoc negare velit. Luculentiſſime hoc euicit FRID. SPANHEMIVS, in diſſertatione *de auctore epiſtolae ad Ebraeos*, quae *operum* eius *tomo II.* exſtat, *lib. II. pag. 171. ſeqq.* Conferendi porro IOAN. BRAVNIVS in *prolegom. comment. in epiſt. ad Ebraeos §. II. pag. 8. ſeqq.* RICH. SIMON, qui itidem veram hic tuetur ſententiam, in *hiſtor. crit. textus noui teſtamenti cap. XVI. pag. 171. ſeqq.* IO. HENR. MAIVS, in *repetito examine hiſtor. crit. &c. cap. XVI. p. 187. ſeqq.* HERM. WITSIVS in *meletemat. Leidenſibus de vita Pauli ſect. XII. §. XVII. ſqq. p. 199. ſqq.* ABR. CALOVIVS in *prolegomenis in epiſt. ad Ebr.* LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible lib. II. cap. II. §. VIII.* IAC. BASNAGIVS *hiſt. de l'egliſe tom. I. part. II. lib. VIII. cap. VI. pag. 431. ſeqq.* Dici adhuc multa alia de epiſtolis Pauli poſſent; ſed ea huius loci non ſunt. Cum autem ex vita, rebusque geſtis apoſtoli huius lux inſignis illis adfundi queat; conſulere omnino iuuabit, qui de iis commentati ſunt; quod praeter eos, qui generatim vitam apoſtolorum deſcripſerunt, quos antea iam laudauimus, ex recentioribus praeſtiterunt IOANNES PEARSONIVS, in *annalibus Paulinis*, & HERM. WITSIVS, in *praelectionibus de vita Pauli apoſtoli*, quae in *meletematibus* eius *Leidenſibus*, an. 1703. 4. editis, exſtant. Atque hi omnium inſtar eſſe poſſunt. CLAVD. DAVSQVEIVM, ANTONIVM GODELLVM, BARTHOL. GAVANTVM, THOM. MASSVTIVM & IOAN. BRANT, aliosque, qui itidem *de vita Pauli* commentati ſunt, laudat IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. p. 151.* qui & ipſe de epiſtolis Pauli varia lectu digna ibidem obſeruat.

Quae ſequuntur epiſtolae ſeptem, tres ſcilicet Ioannis, duae Petri, vna Iacobi & vna Iudae, *catholicae* a quibusdam vocari ſolent. Ita EVSEBIVS dicit, epiſtolam Iacobi *primam* eſſe *earum, quae catholicae vocantur*, & Iudae *in ſeptem catholicarum numero*

ro recenſeri; hiſt. eccleſ. lib. II. cap. XXIII. p. 66. Conferendi & ATHANASIVS, vel quisquis eſt auctor *ſynopſeos ſcripturae, tom. II. operum* eius *p. 59.* & HIERONYMVS, in *catalogo ſcript. eccleſ. cap. II. p. 23.* Rationes, cur id nominis hiſce epiſtolis haeſerit, variae adferri ſolent; veroſimillima haec eſt, eas vno volumine fuiſſe comprehenſas; vtue a Paulinis itidem vno volumine comprehenſis, nomine quodam διακριτικῷ diſcernerentur, *catholicas* dictas. Quamuis enim Pauli quoque epiſtolae, totius quippe eccleſiae vſui deſtinatae, ita adpellari poſſent; his tamen potius hoc nomen impoſitum eſt epiſtolis, quod a diuerſis auctoribus ſint conſcriptae, & ita ab vno eorum peculiare aliquod ſortiri nomen nequirent; vnde commune iis, idque condignum atque venerabile, tributum eſt. Conferendus ABR. CALOVIVS in *prolegom. in epiſt. Iacobi.* Etſi vero, proprie loquendo, quinque tantum hac ratione ſunt catholicae; cum duae poſteriores Ioannis priuatae ſortis hominibus ſint inſcriptae; vſu tamen obtinuit, vt & hae ita vocarentur, eo, quod cum reliquis vno continerentur volumine. Legenda, quae hac de re obſeruat IO. HENR. MAIVS in *repetito exam. hiſt. crit. text. noui teſtam. &c. cap. XVII. p. 201. ſeqq.* Et ſane fuiſſe, qui de quarumdam ex hiſce epiſtolis auctoritate dubitarent, notum eſt. Ipſe EVSEBIVS epiſtolam Iacobi, ſecundam & tertiam Ioannis, vt & eam, quae Iudae eſt, inter ἀντιλεγόμενα, ſiue illa ſcripta refert, quae non vbiuis in eccleſiis recepta fuerunt; *lib. III. hiſt. eccleſ. cap. XXV. p. 97.* Conferendus & LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible lib. II. cap. II. §. IX. p. 58.* Cumprimis de epiſtolae, quae Iacobo tribuitur, & auctoritate, & auctore, diſputatum fuit, conſtatque, quae ipſius beati LVTHERI noſtri de eadem mens fuerit ac ſententia. Feruore namque certaminis contra pontificios abreptus, diſerte negat, hanc epiſtolam ab apoſtolo eſſe profectam, immo *ſtramineam* vocat, (forte ex *I. Cor. III. 12.*) in *praefat.* primae *bibliorum germanicorum* editioni praemiſſa; occaſionemque hac ratione aduerſariis ſuis dedit, varias in ſe coniiciendi calumnias, a quibus praeter alios eum vindicat IO. HENR. MAIVS, in *repetito exam. hiſt. crit. textus noui teſtam. Richard. Simonis cap. XVII. §. VI. p. 205. ſeqq.* Enimuero, a Iacobo apoſtolo hancce epiſtolam ſcriptam, extra omnem hodię poſitum eſt dubitationem. Sub nomine enim apoſtoli ſancti, fratrisque domini, eam ab ORIGENE, ATHANASIO, HILARIO, CYRILLO Hieroſolymitano, BASILIO, AMBROSIO, aliisque laudari, paſſim viris doctis obſeruatum eſt. Et licet EVSEBIVS *l. c.* & HIERONYMVS in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſt. cap. II. p. m. 23.* referant, fuiſſe quosdam, qui de epiſtolae huius auctoritate, ac auctore dubitauerint; ſimul tamen teſtantur, eam ſuo tempore inter libros canonicos ſcripturae ſacrae fuiſſe receptam. Conferendus LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible lib. II. cap. II. §. IX.* Nouum equidem hic oritur dubium, quisnam ille Iacobus ſit, cuius nomen inſcriptio huius epiſtolae oſtendit? Duorum namque apoſtolorum, communi hocce Iacobi nomine gaudentium, in ſcriptura ſacra, & antiquitate eccleſiaſtica fit mentio; quibus tamen tertium, qui Hieroſolymorum epiſcopus, non autem apoſtolus, & cognomento *frater domini* nuncupatus fuerit, praeeunte auctore *conſtitution. apoſtolicar. lib. VI. cap. XII.* addunt EVSEBIVS, EPIPHANIVS, GREGORIVS Nyſſenus, aliique veterum, & ex recentioribus RICH. SIMON, veſtigia HVGONIS GROTII premens, *hiſtor. crit. textus noui teſtamenti cap. XVII. p. 193.* At refragantur alii, duosque tantum Iacobos ſtatuunt, &, fratrem domini ac Iacobum Alphaei vnum eumdemque eſſe, contendunt. CLEMENTIS Alexandrini atque HIPPOLYTI teſtimoniis, aliisque argumen-

gumentis hoc comprobat SAM. BASNAG. FLOTTEMANVILLAEVS, in *exercitat. hiſtorico-crit. anti-Baron. p. 507. ſeqq.* Legendi quoque de hacce quaeſtione IO. DALLAEVS, *de pſeudepigraph. apoſtol. lib. I. cap. XVII.* GVIL. CAVE in *antiquit. apoſtolic. in vita Iacobi minoris p. 579. ſeqq.* IO. PEARSONIVS in *lectionibus in acta apoſtolor. lect. IV. p. 58.* IO. ALB. FABRICIVS in *notis ad codicem apocryphum noui teſtam. tom. I. p. 598.* Ex duobus autem iſtis apoſtolis, qui Iacobi nomine adpellati fuerunt, minorem, ſiue fratrem domini, qui & Alphaei dictus eſt, quemue Hieroſolymorum fuiſſe epiſcopum, haud pauci veterum tradiderunt, huius auctorem eſſe epiſtolae, poſitum eſt extra controuerſiam. Conferendus IO. HENR. MAIVS in *repetito examine hiſtor. crit. textus noui teſtam. &c. cap. XVII. § XII.*

Vltimum in canone noui teſtamenti locum tenet *apocalypſis* Ioannis, de cuius itidem & auctore & auctoritate multa iam pridem fuere diſputata. Veterum namque nonnulli apocalypſeos auctorem CERINTHVM haereticum, praeſcripto Ioannis nomine, auctoritatem commentis ſuis conciliare conantem, fuiſſe, exiſtimarunt. Ita non modo ex haereticis *alogi*, quorum aduerſus apocalypſin obiectiones refert atque refellit EPIPHANIVS, *haereſi L. p. m. 454. ſeqq.* ſed & catholici quidam, DIONYSIO Alexandrino antiquiores. DIONYSIO vero huic hac ſuper re controuerſia interceſſit cum NEPOTE, epiſcopo aegyptio. Cum enim hicce regni millenarii adſertor orthodoxos a ſe diſſentientes, ſcripto *allegoriſtarum elencho*, impugnare auſus eſſet; DIONYSIVS illi commentarios περὶ ἐπαγγελιῶν, ſeu *de promiſſionibus* oppoſuit, in quibus de apocalypſi ita diſputat, vt eius non plane reiiciat auctoritatem, interim non a Ioanne apoſtolo & euangeliſta, ſed a presbytero quodam eiuſdem nominis ſcriptam, contendat, apud EVSEBIVM *hiſt. eccleſiaſt. lib. VII. cap. XXV. p. 273. ſeqq.* Atque presbyteri iſtius, qui Ioannes itidem dictus, & ab apoſtolo huius nominis diuerſus fuerit, etiam ex PAPIA meminit EVSEBIVS, *lib. III. hiſt. eccleſ. cap. XXXIX. p. 111.* quamquam alii, quae de eo dicuntur, inter fabulas referant. De DIONYSII huius & NEPOTIS iſta concertatione fuſe differit RICH. SIMON in *hiſtor. critic. textus noui teſtam. cap. XIX. p. 222. ſqq.* Vt autem CERINTHO tribueretur *apocalypſis*, id duplici de cauſſa factum, viri docti autumant. Nam primum legi quaedam in *apocalypſi*, quae a NEPOTE apud EVSEBIVM *hiſtor. eccleſ. lib. VII. cap. XXIV. p. 271.* & aliis nonnullis iudaizantibus tam craſſe explicabantur, vt Cerinthianis fabulis frigidam ſuffundere viderentur. Deinde CERINTHVS ipſe crepabat *apocalypſin*, in plerisque cum ea, quae Ioannis eſt, conſentientem, quamquam locis quibusdam a ſe interpolatam; quod ex verbis CAII presbyteri, apud EVSEBIVM *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XXVIII. p. 100.* & NICEPHORVM *lib. III. cap. XIV.* colligi poteſt. Obſeruatum hoc quoque IO. ALB. FABRICIO in *cod. apocrypho noui teſtam. tom. II. p. 956.* Praeter *alogos* & alii veterum haereticorum, vt Cerdoniani, Marcionitae, & Theodotiani, apocalypſin reiecerunt; quod & ex orthodoxis nonnullos feciſſe, tum aliunde conſtat, tum & ex EVSEBIO, qui de ea *in vtramque partem opinionum varietate certari*, pronuntiat, *hiſt. eccleſ. lib. III. cap. XXIV. p. m. 96.* Immo ad orthodoxos quod attinet, HIERONYMVS ab eccleſiis graecis *apocalypſin* non magis recipi dicit, quam *epiſtolam ad Ebraeos* a latinis. *Quod ſi eam*, inquit, de *epiſtola ad Ebraeos* verba faciens, *Latinorum conſuetudo non recipit inter ſcripturas canonicas, nec Graecorum quidem eccleſiae apocalypſin Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt; epiſt. ad Dardanum, tom. II. operum* eius *p. 608.* edit. IO. MARTIANAEI. Indeque

Digitized by Google

que haud dubie factum, vt in *canone LX* concilii Laodiceni, vbi libri canonici ſcripturae ſacrae recenſentur, nulla apocalypſeos fiat mentio; quemadmodum & a GREGORIO Nazianzeno, CYRILLO Hieroſolymitano, aliisque ſcriptoribus graecis, qui libros canonicos enarrant, praetermittitur. Ratio vero hinc etiam patet, cur in quibusdam codicibus noui teſtamenti ſyriacis & arabicis non compareat. Hodie vero apocalypſin, ceu librum diuinum, & a Ioanne profectum, ab omnibus eccleſiis orientalibus recipi, monet RICH. SIMON *hiſtor. crit. textus noui teſt. cap. XIX. p. 226.* Ex recentioribus DES. ERASMVM Roterodamenſem, HVLD. ZWINGLIVM, IO. CALVINVM, aliosque, immo ipſum beatum LVTHERVM noſtrum de apocalypſi dubitaſſe, notum eſt. Atque LVTHERVM quidem hoc nomine cenſuram ROB. BELLARMINI, aliorumque effugere non potuiſſe, adſerit RICH. SIMON *l. c. p. 227.* ſimul tamen recte monet, CHRIST. KORTHOLTVM *de canone ſcriptur. ſacr. cap. XVIII.* cauſſam LVTHERI egiſſe, atque demonſtraſſe, nihil hic LVTHERO a pontificiis obiici poſſe, quod non eadem ratione veteris eccleſiae quibusdam doctoribus, ſeu patribus, exprobrari queat. LVTHERVM non tam de auctoritate, quam de auctore *apocalypſeos* dubitaſſe, obſeruat IO. HENR. MAIVS in *repetito exam. hiſtor. critic. &c. cap. XIX. p. 254.* De controuerſia, quae DES. ERASMO hac ſuper re cum theologis Pariſienſibus interceſſit, legendus itidem RICH. SIMON *l. c. p. 227.* Hodie apud omnes fere poſitum eſt extra controuerſiam, Ioannem apoſtolum & euangeliſtam apocalypſeos auctorem eſſe. Recte in *proloquio* ad hunc librum HVGO GROTIVS: *apoſtoli Ioannis eſſe hunc librum, credidere illi, quibus merito creditur. Iuſtinus contra Tryphonem, Irenaeus, Tertullianus aduerſus Marcionem, & aliis multis in locis, quibus conſentiunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, & poſt eos alii multi.* Sed plura hac de re dabunt ABR. CALOVIVS in *prolegom. ad apocalypſin*; STEPH. LE MOYNE, in *notis ad varia ſacra, p. 1011. ſeqq.* IAC. BASNAGIVS *hiſt. de l' egliſe tom. I. part. II. lib. VIII. cap. VII. p. 434. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible tom. II. cap. II. §. XIII. p. 67.* IO. ALB. FABRICIVS *cod. apocr. noui teſtam. tom. II. p. 955. ſeqq.* item *bibl. graec. lib. IV. cap. V. p. 147. ſeqq.*

** Vt de librorum canonicorum noui teſtamenti collectione, ſeu canonis, vt loqui ſolent, conſtitutione, aliquid dicamus, res ipſa, & inſtituti noſtri omnino poſtulat ratio. Atque veteris quidem teſtamenti canon quo pacto in gente atque eccleſia iudaica conſtitutus ſit, ſupra iam docuimus. Hunc ipſum vero veteris teſtamenti canonem, prout apud Iudaeos exſtat, in eccleſia chriſtiana, in tribus prioribus ſaeculis ad quartum vsque, ſine vlla additione receptum fuiſſe, vel ex MELITONIS conſtat teſtimonio, apud EVSEBIVM, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XXVI. p. m. 149.* itemque ex ORIGENE in *pſalm. I. commentarior.* eius a PETR. DAN. HVETIO editorum *tom. I. p. 41.* Omittuntur equidem apud ORIGENEM duodecim prophetae minores; ſed ſcribentium id factum incuria, vel inde manifeſtum eſt, quia alias ſibi non conſtaret numerus librorum XXII, quem ipſe indicauit etiam *philocal. cap. III.* id quod, praeeunte HVETIO *ad Orig. l. c. p. 9.* iam a me obſeruatum in *inſtitutionibus theolog. dogm. tom. I. lib. I. cap. II.* ad §. *XXXI. p. 186.* Reliquos deinceps indicabimus, cum eos, qui libros canonicos recenſuerunt, ordine ſumus enarraturi. Plura etiam hac de re dabit IAC. BASNAGIVS *hiſt. de l' egliſe tom. I. part. II. lib. VIII. cap. IX. p. 441.* Ad noui teſtamenti libros quod attinet, iam antiquiſſimis temporibus quamdam eorum exſtitiſſe collectionem, negari nequit. Nec ratio-

ratione deſtituuntur, qui primum euangelia, deinde & epiſtolas Pauli & reliquorum apoſtolorum, in vnum corpus coactas, contendunt; obſeruantque nonnulli, euangeliſtarum collectionem εὐαγγελίου, epiſtolarum autem ἀποστολικοῦ nomine veniſſe. Legenda, quae hac de re diſſerit IO. MILLIVS *prolegom. in nou. teſtam. num. CXCIX. p. 24.* Quemadmodum autem certum eſt, & ex teſtimoniis deinceps adducendis patet, canonem quemdam noui quoque teſtamenti in veteri eccleſia, ſaltem quarto poſt Chriſtum natum ſaeculo, conſtitutum fuiſſe; ita quando & qua ratione is conſtitutus ſit, varie diſputari ſolet. Atque ad tempus quidem quod attinet, diligenter in illud inquiſiuit IO. ENS in *bibliotheca ſacra, ſiue diatribe de librorum noui teſtamenti canone*, quae Amſtelodami an. 1710. 8. prodiit, *cap. V. p. 75. ſeqq.* In eam vero vir iſte doctus ingreditur ſententiam, canonem euangelicum, ſeu qui quatuor euangelia complectebatur, ante Ioannis euangeliſtae mortem fuiſſe conſtitutum, quippe cuius ipſe collector fuiſſe videatur; poſt mortem vero Ioannis reliquos etiam noui teſtamenti libros in canonem receptos. Quod quouſque admitti queat, in *inſtitutionibus theolog. dogmat. tom. I. lib. I cap. II.* ad *§. XXXI. p. 193.* expoſui; apoſtolos ſcilicet ipſos, aeque ac alios, qui eadem aetate vixerunt, de aliorum apoſtolorum ſcriptis teſtimonium, quod genuina eſſent, perhibuiſſe; quod omnium rectiſſime Ioannes, qui inter omnes quam diutiſſime vixit, facere potuerit; ab his cum alii id accepiſſent, in vnum tandem aliquod corpus libros, qui pro genuinis habiti ſunt, collectos, & ita canonem aliquem, ſeu collectionem ſacrorum librorum exortam eſſe; id vero, cum non vnica vice, ſed ſenſim factum ſit, conſequi inde, certum aliquod tempus aut annum definiri non poſſe. Addidi ibidem, non aliter hanc canonis conſtitutionem capiendam, quam quod hac ratione ex teſtimonio hominum fide dignorum, quiue certi hac de re eſſe potuerint, conſtiterit, quinam libri genuini eſſent, & quo idiomate fuerint ſcripti; publica autem eccleſiae auctoritate canonem aliquem conſtitutum, & hoc pacto definitum, quinam libri pro diuinitus inſpiratis habendi ſint, perperam & ſine fundamento adſeri. Vt autem intelligamus, quinam libri in veteri eccleſia pro genuinis reputati fuerint; cognita & explorata habere iuuabit teſtimonia illa, in quibus libri ea aetate recepti & adprobati recenſentur, quae ſimul hiſtoriae canonis ſcripturae ſacrae lucem adfundunt. Ipſa equidem haecce teſtimonia collegit, iunctimque notis quibusdam illuſtrata edidit GERH. VAN MASTRICHT, in *canone ſcripturae ſacrae eccleſiaſtico, ſecundum ſeriem ſaeculorum poſt Chriſtum natum collecto, notiſque illuſtrato*, quem ſeorſim *notulis, indiculiſque quibusdam & praefatione auctum*, CHR. KOERBERVS Ienae anno 1725. 8. recudi curauit. Nos itaque fontes ſolum, ſeu loca, vbi teſtimonia haecce exſtant, paucis indicabimus.

Primam autem hic occuparent ſedem *canones*, qui vocantur *apoſtolici*, ſi modo genuini eſſent, quippe in quorum *vltimo* ſiue *octogeſimo quinto* veteris nouique teſtamenti libri recenſentur. Enim vero licet canones iſti, ceu ſpurii ac ſuppoſititii, merito reiiciantur, vti *libri* huius *II. cap. V.* ad *§. III.* ex inſtituto demonſtratum, ſpeciatim &, vltimum huncce tum ab aliis, tum & a IO. MILLIO *prolegom. in nouum teſt. num. CCI. p. 24.* repudiari, conſtet; non tamen nullius plane ponderis eſt hocce teſtimonium, cum ſententiam eccleſiae iſtius, qua auctor illius collectionis, quiſquis etiam ſit, vixit, aetatis inde cognoſcere liceat. A veteris autem eccleſiae doctoribus in eo diſſentit, quod inter canonica veteris teſtamenti ſcripta *libros tres Maccabae-*

cabae-

Digitized by Google

cabaeorum refert; iuuenes etiam adhortatur, vt diſcant τὴν σοφίαν τῦ πολυμαθῦς Σίραχ *ſapientiam admodum eruditi Sirachi*; dum noui porro teſtamenti libros enarrat, *apocalypſeos* nullam facit mentionem, addit contra CLEMENTIS Romani *epiſtolas* & *conſtitutiones apoſtolicas*, a ſemetipſo, quem CLEMENTEM eſſe fingit, ſcriptas. Conferenda, quae hac de re monui in *inſtitut. theolog. dogmat. l. c. p. 188.* Sed faceſſant canones iſti pſeud-apoſtolici. Prodeat potius, primumque occupet locum MELITO Sardicenſis epiſcopus, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum ſecundo, circa annum 170 floruit, cuiusue canonem biblicum veteris teſtamenti exhibet EVSEBIVS *hiſt. eccleſiaſt. lib. IV. cap. XXVI. p. 148.* Conſentit is plane cum canone ebraeo, ſeu prout a Iudaeis receptus eſt, niſi quod librum *Estherae* omittat, quod & alii quidam veterum faciunt. *Nehemiae* librum equidem itidem non commemorat; ſed hunc ſub *Esrae* nomine comprehendit, quod & aliis ſollemne. *Prouerbia Salomonis* etiam σοφίαν, ſiue *ſapientiam*, vocat. Canoni huic MELITONIS, qui tantum veteris teſtamenti libros continet, GERHARD. VAN MASTRICHT *l. c. p. 24.* non ſine ratione antiquiſſimam recenſionem librorum noui teſtamenti, quam ex primis eccleſiae chriſtianae temporibus EVSEBIVS exhibet, *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XXV. p. 97.* iunxit, vt adeo, qualis integer totius ſcripturae ſacrae primis ſaeculis fuerit canon, inde pateat. Succedat ORIGENES, cuius magnam hac in re, ob ſummam, quam in ſacrarum litterarum perſcrutatione poſuit, diligentiam, eſſe auctoritatem, nemo negauerit. Canonem veteris teſtamenti is recenſuit in expoſitione *pſalmi I.* quem itidem exhibet EVSEBIVS *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap. XXV. p. 225.* exſtatque & in *commentariis* eius a PETR. DAN. HVETIO editis, *tom. I. p. 41.* Prorſus conuenit cum canone ebraeo; immo & librum Esther diſerte commemorat, cuius MELITO nullam fecerat mentionem. *Duodecim* autem *prophetas minores*, non ab ipſo ORIGENE, ſed ſcribentium incuria omiſſos, antea iam obſeruauimus. *Epiſtola Ieremiae*, quae poſt *lamentationes* laudatur, haud dubie ea eſt, quae *Ierem. XXIX.* legitur. Additur etiam, extra librorum canonicorum cenſum eſſe *libros Maccabaeorum*, qui inſcribantur *ſarbet ſarbaneel*. Ad noui teſtamenti canonem quod attinet, idem EVSEBIVS *l. c.* ex *libro primo expoſitionum* ORIGENIS *in Matthaeum* quatuor euangelia, vtpote quae citra controuerſiam in vniuerſa Dei eccleſia admittantur, commemorat. Deinde de *epiſtolis apoſtolorum* ſententiam eius ex *libro quinto expoſitionum in Ioannem* ſubiungit. Vbi quidem Pauli epiſtolas ſpeciatim non enumerat, ſed ſolum generatim dicit, quod *non omnibus eccleſiis, quas docuerat, ſcripſerit, ſed & iis, quibus ſcripſit, paucas admodum lineas exarauerit.* Haud dubie ſuperuacaneum duxit, ſpeciatim Pauli epiſtolas enarrare, quod de iis nulla ea aetate eſſet controuerſia, ſi eam, quae *ad Ebraeos* eſt, excipias, de qua mox ſeorſim agit. Idem & de *actibus apoſtolorum* cenſendum, quorum tamen alibi mentionem facit. Iacobi & Iudae *epiſtolas* omittit. De *apocalypſi*, quin a Ioanne profecta ſit, non dubitat. Alteram Petri *epiſtolam*, & duas Ioannis poſteriores, non reiicit, etſi de iis dubitatum fuiſſe, innuit. De *epiſtola ad Ebraeos* quid ORIGENES exiſtimauerit, ex *homiliis*, quas in hancce epiſtolam ſcripſit, EVSEBIVS ediſſerit; ſummaque huc tandem redit, ſententias quidem ipſas apoſtoli eſſe, dictionem vero & compoſitionem verborum, eſſe alterius cuiusdam. Interim non praetermittendum, quod nonnulli obſeruant, ORIGENEM, vbi quorumdam librorum ſacrorum γνησιότητα in dubium vocat, ex ſua hoc facere ſententia; alibi autem, vbi publicum eccleſiae iſtius aetatis iudicium

ſequitur,

ſequitur, eosdem plane libros ceu genuinos recenſere, qui & hodie pro talibus ab omnibus habentur. Legenda, quae hac de re dixi in *inſtitutionibus theolog. dogmat. tom. I. lib. I. cap. II.* ad §. *XXXI. p. 189.*

Dum ad quartum ſaeculum progredimur, cumprimis ATHANASIVS ſeſe nobis offert. *Epiſtolae XXXIX.* ſeu *feſtalis*, ab eo ſcriptae, fragmentum exſtat *tomo II operum* eius *p. 38. ſeqq.* in quo cum monuiſſet, fuiſſe nonnullos, qui ſcripta apocrypha contexere, eaque ſcripturae, diuinitus inſpiratae, libris admiſcere auſi ſint; hinc & ſibi viſum, addit ἐκθέσθαι τὰ κανονιζόμενα, καὶ παραδοθέντα, πιστευθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία, *exponere iure conſtitutos*, ſeu in canonem receptos, *& traditos, creditosque, diuinos eſſe libros.* Quo ipſo haud obſcure ſignificat, iam eo tempore certum librorum ſacrorum canonem exſtitiſſe. Recenſet hinc veteris nouique teſtamenti libros; & illos quidem eadem ratione, qua in canone ebraeo exhibentur, niſi quod Ieremiae Baruchum adiungat, & epiſtolam quoque quamdam Ieremiae commemoret; librum autem *Esther* inter eos referat, qui *canone quidem non ſunt probati*, *veterum tamen auctoritate, illis, qui pietatis elementis imbuendi eſſent, propoſiti.* Noui teſtamenti libros plane eosdem enumerat, quos & hodie recipimus, ita vt ſpeciatim alteram *epiſtolam* Petri, poſteriores duas Ioannis, Iacobi itidem, Iudae, & *apocalypſin* Ioannis in illorum referat ordinem. Et eadem quoque eſt ſententia auctoris, cuius *ſynopſis ſcripturae* inter opera ATHANASII *tom. II. p. 55. ſeqq.* legitur, qui & ipſe ſatis vetuſtus eſt, etſi doctorum virorum iudicio ipſi ATHANASIO *ſynopſis* haecce tribui nequeat. In eo ſolum in diuerſum abit, quod *Baruchi* & *epiſtolae* Ieremiae nullam facit mentionem, de libro autem Ruth & Esther haec addit: *Quidam ex veteribus apud Ebraeos pro canonicis reputari dixerunt librum Esther & hiſtoriam Ruth, quam cum hiſtoriis iudicum vno libro comprehendi; Esther vero ad aliud quoddam volumen canonicum pertinere, atque ita numerum XXII canonicorum librorum apud illos compleri volunt; l. c. p. 59.* Iam antea quoque inter libros *non canonicos, qui catechumenis tantum leguntur*, librum Esther retulerat. Libros noui teſtamenti eodem prorſus modo, quo hodie recepti ſunt, recenſet. An in concilio Nicaeno canon aliquis ſcripturae conſtitutus ſit? diſquirit, recteque hoc negat GERH. VAN MASTRICHT *l. c. cap. III. p. 54.* HILARIVS Pictauienſis epiſcopus, in *prologo in pſalmos p. m. 9.* editionis quae Pariſiis an. 1693. fol. prodiit, ORIGENEM ſecutus, libros veteris teſtamenti ita enarrat, prout in canone ebraeo exhibentur. Viginti nimirum duos conſtituit, aeque ac ORIGENES, vt litterarum ebraearum numero reſpondeant; cumque ſingulos indicaſſet, addit: *Quibusdam autem viſum eſt, additis Tobia & Iudith, viginti quatuor libros ſecundum numerum graecarum litterarum connumerare.* Doctoribus hiſce veteris eccleſiae iungatur concilium Laodicenum, an. 365 aut potius 67, congregatum, vt GVIL. CAVE oſtendit in *hiſtor. litterar. ſcript. eccleſ. parte altera p. 74.* Qui hocce concilium Nicaeno antiquius eſſe contendunt, haud dubie falluntur. In eius autem canone *vltimo*, ſeu *ſexageſimo*, veteris nouique teſtamenti libri canonici ita praecius enarrantur, prout in noſtra eccleſia recepti ſunt, niſi quod *apocalypſis* omittatur. Idque adeo integri concilii quin magni momenti ponderisque in hac cauſſa ſit teſtimonium, dubitari nequit. Inter praeſtantiſſimos ſaeculi quarti doctores, iure meritoque locum ſibi vindicat GREGORIVS Nazianzenus, cuius exſtat carmen περὶ τῶν γνησίων βιβλίων τῆς θεοπνεύστου γραφῆς: *de veris & germanis ſcripturae libris, tomo II. operum p. 98.* editionis, quae Coloniae, aut potius Lipſiae anno

anno 1690 prodiit. In eo omnes veteris & noui teſtamenti libros pro genuinis agnoſcit, quos hodie recipimus, niſi quod inter veteris teſtamenti libros *Estherae*, & inter noui *apocalypſeos* nullam faciat mentionem. Eadem aetate & AMPHILOCHIVS Iconienſis epiſcopus vixit, ipſi GREGORIO Nazianzeno & BASILIO magno in pretio habitus, cuius ſuperſunt *iambi ad Seleucum*, in quibus inter alia, *de libris ſcripturae, qui ſint legendi*, agitur. Exſtant graece & latine inter opera AMPHILOCHII a FRANC. COMBEFISIO Pariſiis an. 1644. fol. edita, & latine in *bibliotheca maxima patrum tomo V. p. 1076. ſeqq.* Immo & inter GREGORII Nazianzeni *opera* leguntur *tom. II. p. 190. ſeqq.* vnde inter viros doctos certamen exortum eſt, num GREGORIO Nazianzeno tribuendi ſint, an AMPHILOCHIO, pro hoc militantibus aliis, aliis pro illo. Quidquid huius ſit, & veteris, & noui teſtamenti libri, & in iis ita recenſentur, prout hodie apud nos recepti ſunt; ſola excepta apocalypſi, de qua ita loquitur:

> Τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δέ γε νόθον λέγουσιν·
>
> *Quidam inſerendam codici ſacro adſerunt;*
>
> *nothum eſſe maior pars ait rurſum altera.*

Eadem prorſus ratione, ſola ſcilicet *apocalypſi* omiſſa, vtriusque & veteris & noui teſtamenti libros exhibet CYRILLVS Hieroſolymitanus *catecheſi IV. p. 66.* editionis THOM. MILLES. Apocrypha quaevis ſerio reiicit: πρὸς δὲ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν· *nihil cum apocryphis habeto commune; &* iterum: τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἔξω κείσθω ἐν δευτέρῳ· καὶ ὅσα μὲν ἐν ἐκκλησίαις μὴ ἀναγινώσκεται, ταῦτα μηδὲ κατὰ σαυτὸν ἀναγίνωσκε, καθὼς ἤκουσας· *Reliqua omnia extranea ſecundoque loco habeantur; & quae in eccleſiis non leguntur, ea omnia neque per te legas, quemadmodum audiſti.* EPIPHANIVS canonem veteris teſtamenti, prout apud Ebraeos & nos quoque receptus eſt, refert, *haereſi VIII.* ſiue *tomo I. operum p. 19. & de menſuris & ponderib. c. IV.* ſiue *tom. II. operum p. 161.* De HIERONYMO nullum plane eſt dubium, quin eosdem nobiscum vtriusque teſtamenti libros pro genuinis agnoſcat; idque vel ex *epiſtola* eius *ad Paulinum* patet, cuius eam, quae huc comparata eſt, partem *tomo I. operum* HIERONYMI, ſpeciatim *geneſi*, praemiſit IO. MARTIANAEVS. Idem & de RVFFINO, Aquileienſi illo presbytero, cenſendum, cuius eſt *expoſitio* illa in *ſymbolum apoſtolorum*, quae & inter HIERONYMI, & inter CYPRIANI quoque opera exſtat, in qua *p. m. 165.* ſecundum editionem operum CYPRIANI, quae Amſtelodami 1700. fol. prodiit, veteris nouique teſtamenti libros eodem plane modo, ac HIERONYMVS recenſet, niſi quod ſine vlla admonitione *epiſtolam ad Ebraeos* in canonem recipiat, de qua HIERONYMVS, *l. c.* obſeruauerat, quod *a plerisque extra numerum ponatur.* Enumeratis autem omnibus libris hiſce canonicis, RVFFINVS addit: *haec ſunt, quae patres intra canonem concluſerunt, & quibus fidei noſtrae adſertiones conſtare voluerunt.* Quo ipſo non ſuum ſolum, ſed patrum, adeoque & ipſius eccleſiae veteris, hac de re exponit iudicium. Addenda & reliqua, quae de RVFFINO monui in *inſtitut. theolog. dogmat. tom. I. lib. I. cap. II.* ad *§. XXXI. p. 190.* AVGVSTINVS, dum *lib. II. de doctrina christiana cap. VIII. p. m. 44.* itidem vtriusque teſtamenti libros canonicos recenſet, ab HIERONYMO aliisque in eo diſcedit, quod *Iudithae, Tobiae*, itemque *Maccabaeorum duos libros*, in huncce numerum refert; immo & *librum ſapientiae* & *eccleſiaſticum*, de quibus tamen adſerit, quod *de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicantur, & quod Ieſus filius Sirach eos ſcripſiſſe, conſtantiſſime perhibeatur*; ſed id, quod

Digitized by Google

de libro *ſapientiae* adfirmauit, deinceps emendauit, *lib. II. retractat. c. VIII.* HIERONYMI autem longe maiorem hac in cauſſa eſſe auctoritatem, quam AVGVSTINI, nemo non intelligit. Interim ea aetate inualuiſſe, vt libri *Tobiae*, *Iudith* & *duo Maccabaeorum*, itemque *ſapientiae* & *eccleſiaſticus*, inter canonicos veteris teſtamenti referrentur, licet ſine vlla ratione hoc fieret, etiam ex canone INNOCENTII I, romani epiſcopi, condiſcimus, qui exſtat in *epiſtola* eius ad *Exuperium epiſcopum Tholoſanum*, quam DIONYSIVS exiguus exhibet, in *collectione decretorum pontificum Romanorum*, in GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *bibliotheca iuris canonici veteris tom. I. p. 201.* Nimirum dum ibi Salomoni quinque libros tribuit; haud dubie librum *ſapientiae* & *eccleſiaſticum* iis, qui a Salomone profecti ſint, adnumerat; qua in re tamen pontificem huncce errasſe, vix quisquam hodie ex romanae eccleſiae addictis dubitabit. Cum iſto INNOCENTII canone prorſus conuenit, qui *canone XXIV.* conciliorum Carthaginenſium, qui alias *XLVII.* concilii Carthaginenſis III vocari ſolet, exhibetur, in GVIL. VOELLI, & HENR. IVSTELLI *biblioth. iur. can. veteris tom. I. p. 147.* Addenda autem, quae de hocce concilio monet GERH. VAN MASTRICHT *l. c. p. 50. 51.* Tandem & GELASIVS pontifex hic commemorandus eſt, qui decretum aliquod de *libris recipiendis & non recipiendis*, in ſynodo, Romae an. 496 conuocata, condidiſſe fertur. In eo vero decreto non tantum canon biblicus, ſed & ſcripta patrum, quae eccleſia romana, ceu genuina, admiſerit, vti & ea, quae ceu apocrypha reiecerit, exhibentur. Partem huius decreti, omiſſis libris ſcripturae ſacrae, refert GRATIANVS *can. ſancta Romana diſtinct. XV.* Hinc ex editionibus conciliorum, quae puriores ſunt, canonem ſcripturae, ſecundum mentem GELASII, lectorum oculis ſubiecit GERH. VAN MASTRICHT *l. c. p. 56.* qui & obſeruat, decretum iſtud, etiam hancce partem ſi ſpectes, non eadem ratione ab aliis canonum & decretorum compilatoribus, BVRCHARDO, YVONE, & conciliorum collectoribus, recenſeri. Confirmatur inde, quod antea diximus, iam ea aetate inualuiſſe, vt libri *ſapientiae*, *eccleſiaſticus*, *Tobiae*, *Iudith* & *Maccabaeorum*, canonicis adiungerentur; quamquam GELASIVS vnum tantum librum *Maccabaeorum* commemoret, cum INNOCENTIVS duorum mentionem faciat. Diſputant autem vehementer viri docti, an omnino hoc decretum GELASIVM auctorem agnoſcat. Negat illud praeter alios, ſaltem contra receptam ſententiam pugnat, IO. PEARSONIVS in *vindiciis epiſtolarum Ignatii, part. I. cap. IV.* in *monumentis patrum apoſtolicorum* IO. BAPT. COTELERII *tom. II. p. 277.* cui ſe oppoſuit MATTH. LARROQVANVS in *obſeruationibus ad Pearſonianas vindicias p. 35. ſeqq.* Id enimuero iam ſupra docuimus, ad *libri* huius *II. cap. VI. §. VI.* Decreti huius neque Damaſum, neque Hormiſdam, ſed omnino Gelaſium auctorem eſſe, acriter contendit FRANC. PAGI in *breuiario geſtorum pontificum Romanorum tom. I. ſaec. V. p. 227. ſeqq.* Verum cum viris doctis obſeruatum ſit, in codicibus manuſcriptis hoc decretum interdum ad Damaſum, quandoque ad Gelaſium, nonnunquam ad Hormiſdam, referri; colligunt inde, primum forte eius auctorem eſſe Damaſum, interpolatores multos, non Gelaſium modo, ſed & Hormiſdam, aliosque recentiores. Atque huic ſententiae quoque ſubſcribit IO. ALB. FABRICIVS, in *codice apocrypho noui teſtam. tom. I. p. 135.* vbi & decreti huius partem, quae de libris apocryphis agit, notis illuſtratam exhibet; qui & *p. 65.* alibique de eo verba facit. Iis, quae hucusque commemorauimus, addi adhuc poſſent loca CASSIODORI, IVNILII, epiſcopi

Digitized by Google

ſcopi africani, LEONTII, ISIDORI Hiſpalenſis, IO. DAMASCENI, NICEPHORI patriarchae Conſtantinopolitani, RHAB. MAGN. MAVRI, aliorumque, in quibus libri ſcripturae ſacrae canonici recenſentur; ſed cum horum omnium, vtpote qui poſt quintum a Chriſto nato ſaeculum vixerunt, cum de libris in veteri eccleſia receptis quaeritur, aut nulla, aut exigua ſit auctoritas; quamuis ex iis perpetuam canonis ſacri in eccleſia conſeruationem & propagationem intelligere liceat; non eſt, quod hiſce diutius immoremur. Legi inſuper teſtimonia haecce poſſunt in GERH. VAN MASTRICHT libro, non ſemel nobis laudato *pag. 58. ſeqq.*

*** Libros canonicos noui teſtamenti lingua graeca ſcriptos eſſe, conſtat inter omnes. De *euangelio* ſolum *Matthaei & Marci*, itemque de *epiſtola ad Ebraeos*, diſputari ſolet. Sunt namque, qui *euangelium Matthaei* & *epiſtolam ad Ebraeos* lingua ebraea ſcripta contendunt, vt ROB. BELLARMINVS *lib. II. de verbo Dei cap. VII.* CAES. BARONIVS in *annalibus ad annum Chriſti XXXIV.* aliique romanae eccleſiae addicti. Origo fabulae, ad Matthaeum quod attinet, a PAPIA repetenda, quem tradidiſſe, quod *Matthaeus ebraico ſermone diuina ſcripſerit oracula*, auctor eſt EVSEBIVS *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XXXIX. pag. 113.* PAPIAM ſequuti ſunt IRENAEVS, ORIGENES, aliique patrum, laudati THOM. ITTIGIO in *diſſertat. de haereſiarchis aeui apoſtolici &c. ſect. I. cap. VII. pag. 71.* Atque iſta patrum auctoritate abrepti, eamdem amplexi ſunt ſententiam, GERH. IO. VOSSIVS, CLAVD. SALMASIVS, PAVLVS COLOMESIVS, STEPH. LE MOYNE, HENR. DODWELLVS aliique, commemorati IO. ALB. FABRICIO in *cod. apocrypho noui teſtamenti tom I. pag. 355.* Immo ISAAC. VOSSIVS tam firmiter hoc ſibi perſuaſit, vt Matthaeum graece ſcripſiſſe, *nouum delirium* vocet; in *adpend de ſeptuaginta interpretibus pag. 36.* vt eidem viro doctiſſimo obſeruatum. Sed & ex noſtratibus nonnulli, euangelium a Matthaeo ebraice ſcriptum eſſe, inficiari nolunt, dum modo id maneat, verſionem graecam, a Iacobo, vt putant, apoſtolo profectam, omni tempore pro ipſo textu authentico habitam fuiſſe. Vnde & SAL. GLASSIVS noſter libertatem, ſententiam, quam velint, hic amplectendi, omnibus relinquit, modo textui graeco authentica ſua conſtet auctoritas, *philolog. ſacr. lib. I. tract. IV. ſect. II. cap. I. pag. 231.* Verum cum res omnis tandem ad auctoritatem PAPIAE redeat, cui non multum tribuendum eſſe, omnes norunt; hunc vero reliqui patres caeco impetu ſequuti ſint; nec rurſus ex patribus deſint, qui ſecus ſentiant; praegnantes adeo nondum deprehendere potui rationes, quae nobis ita perſuadere queant, Matthaeum ebraica lingua euangelium ſuum ſcripſiſſe, vt diſſentire non liceat. Accedit, quod illi, qui Matthaeum ebraice ſcripſiſſe contendunt, nec de ſermone, num lingua ebraea pura, an chaldaea, an ſyriaca, an alia quadam dialecto vſus ſit? nec de interprete, qui in graecam linguam hocce euangelium transtulerit, aut certi quid adferant, aut inter ſe conſentiant. Quamquam, ad linguam quod attinet, ſi ponamus, Matthaeum ebraice ſcripſiſſe; haud difficulter ſuffragatus fuerim RICH. SIMONI, hoc intelligendum eſſe de lingua ebraea, qua eo tempore vſi ſint Iudaei, chaldaica ſcilicet, vel ſyro-chaldaica, quippe quae etiam apud veteres ebraea dicebatur; *hiſtor. crit. textus noui teſtam. cap. V. pag. 47.* quod & pluribus confirmat LVD. ELL. DV PIN *prolog m. ſur la bible tom. II. cap. II. §. III. pag. 24.* Vnde & omnino argumentum illud corruit, quo nonnulli euincere voluerunt, Matthaeum ebraice non ſcripſiſſe, quia lingua ebraea pura eo tempore non amplius fuerit vſu recepta. RICH. SIMON

pro adſerendo ebraico Matthaei euangelio argumentum a Nazaraeis deſumit, vtpote qui ebraico Matthaei euangelio vſi ſint. Horum autem originem ad Iudaeos refert, qui omnium primum chriſtianam fidem amplexi, & per contemtum a Iudaeis Nazareni cognominati ſint. A Nazaraeis porro Ebionitas prodiiſſe, adſerit, eosque in hoc a Nazaraeis diſcrepaſſe, quod, cum Nazaraei integrum veteris teſtamenti codicem cum Iudaeis retinuerint, Ebionitae ſolum pentateuchum vſurpauerint; vnde quodammodo colligi poſſe, putat, Nazaraeorum progenitores Iudaeos, Ebionitarum vero maiores, Samaritanos fuiſſe. Aliam Nazaraeorum & Ebionitarum differentiam in eo conſtituit, quod Nazaraei ebraicum Matthaei euangelium integrum ſeruauerint, Ebionitae contra illud corruperint, & adulterauerint. Atque hinc, authenticum Matthaei euangelium apud Nazaraeos quaerendum, ſtatuit, praeſertim cum Matthaeus euangelium ſuum in gratiam Iudaeorum Hieroſolymis commorantium, dialecto, eo tempore ibi vſitata, ſcripſerit; *hiſtor. critic. textus noui teſtamenti cap. VII. pag. 71.* Enim vero non vno nomine in hiſce omnibus cenſuram SIMON promeretur. Quae de Nazaraeis dicit, ita adpellatos, qui omnium primum ex Iudaeis fidem chriſtianam amplexi ſint; itemque a Nazaraeis prodiiſſe Ebionitas, & horum originem ad Samaritanos, illorum autem ad Iudaeos referendam eſſe; neutiquam poſita ſunt extra controuerſiam. Legenda, quae tum de Nazaraeis, tum de Ebionitis, & vtrorumque diſcrimine diligenter diſſerit IO. LAVR. MOSHEMIVS in *vindiciis antiquae chriſtianorum diſciplinae aduerſus Io. Tolandi Nazarenum, ſect. I. cap. V. ſeqq. pag. 86. ſeqq.* Nec id omnibus perſuaſerit, Nazaraeos & Ebionitas, vno eodemque euangelio ebraico Matthaei vſos, hoc ſolum diſcrimine, quod illi iſtud integrum ſeruauerint, hi autem corruperint. Veritati enim potius conſentaneum, Ebionitarum euangelium prorſus diuerſum fuiſſe ab euangelio Nazaraeorum; licet vtrique illud Matthaeo tribuerint, & ebraicum vocauerint. Legenda iterum, quae hac de re monet MOSHEMIVS *l. c. pag. 111.* conf. & IOANNIS ALBERTVS FABRICIVS *cod. apocryph. nou. teſtament. tom. I. pag. 367.* Multo adhuc magis fallitur SIMON, dum euangelium Nazaraeorum idem quod Matthaei euangelium, fuiſſe, exiſtimat. Diuerſum enim vtrumque fuiſſe, patet ex fragmentis euangelii Nazaraeorum, quae ex veteribus diligenter collecta exhibet IO. ALB. FABRICIVS *cod. apocryph. noui teſtam. tom. I. pag. 355. ſeqq.* Plura de ebraico Matthaei euangelio dabunt AVG. PFEIFFERVS *crit. ſacr. cap. III. ſect. II. quaeſt. X. p. 86.* & quos ibi laudat, cumprimis autem THOM. ITTIGIVS *de haereſiarchis aeui apoſtol. ſect. I. cap. VII. §. V. & IX. pag. 73. & 79.* De verſionibus, quae exſtant, ebraicis euangelii Matthaei, legendus PETR. DAN. HVETIVS de *interpretat. lib. II. pag. 181.* Ad *epiſtolam ad Ebraeos* quod attinet, fuerunt itidem ex veteribus, qui eam lingua ebraea ſcriptam, & a Luca, aut Clemente Romano, aut alio quodam, in ſermonem graecum traductam, adfirmarent, non alio fere argumento, quam quod ad Ebraeos ſcripta eſſet: quo quidem primus omnium vſus eſt CLEMENS Alexandrinus, teſte EVSEBIO *hiſtor. eccleſ. lib. VI. cap. XIV.* At graece ſcriptam eſſe, ſolidis argumentis iamdudum demonſtrarunt viri eruditi; ſpeciatim IO. BRAVNIVS in *prolegom. comment. in epiſt. ad Ebraeos pag. 22. ſeqq.* & FRID. SPANHEMIVS *de auctore epiſt. ad Ebraeos part. III. cap. II. tom. II. operum pag. 246.* Marcum euangelium ſuum latine ſcripſiſſe, pontificiorum quorumdam eſt ſententia. Originem fabula trahit ex male intellectis veterum adſertis, Marcum interpretem fuiſſe Petri apoſtoli. Hinc enim Romae, Romanis, tan-

tandemque romano ſermone ſcripſiſſe, colligebant. Recte hoc obſeruat FRIDER. SPANHEMIVS in *adpendic. diſſertat. de auctore epiſt. ad Ebraeos, ſeu de hiſtoriae euangelicae ſcriptoribus & in ſpecie de Marco §. XX. tom. II. operum pag. 282.* CAESAR BARONIVS, cardinalis, haud vltimum inter eos locum tenet, qui, Marcum latine ſcripſiſſe, autumant, ad *annum XLV. num. XXXVIII.* caſtigatus ideo a SAM. BASNAGIO FLOTTEMANVILLAEO, in *exercitationibus hiſtorico-criticis anti Baronianis pag. 395.* Dubitatum a pluribus, graecene an latine ſcripſerit Marcus? ait BARONIVS. Sed id quoque perperam, cum ex veteribus nemo adduci queat, qui hac de re dubitauerit, multo minus, qui adſeruerit, Marcum latine ſcripſiſſe; ſed tantum ad *pontificale* DAMASI in *vita Petri* prouocant, qui ex romanenſibus hanc ſententiam tuentur. Magno potius conſenſu veteres tradunt, omnes noui teſtamenti libros graeco ſermone ſcriptos, exceptis *euangelio Matthaei*, quod, vt antea dictum, ebraea litteris conſignatum lingua, nonnulli crediderunt, & *epiſtola ad Ebraeos*, de qua idem ſibi perſuaſerunt. Mirum itaque non eſt, quod BARONIVS hic paſſim a ſuis deſeratur, ſpeciatim a RICH. SIMONE de *hiſtor. crit. textus noui teſtam. cap. XI. pag. 111.* & LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible, tomo* ſiue *lib. II. cap. II. §. IV. p. 33.* Si verum eſſet, quod nonnulli tradunt, autographum Marci latinum Venetiis adſeruari, res omnis confici facili negotio poſſet. Sed fabulae iſtius iam dudum viros eruditos inter ipſos pontificios puduit. Codex praeterea ille, qui Venetiis oſtenditur, vetuſtate ita detritus & exeſus eſt, vt litterae graecaene an latinae ſint? dignoſci nequeant; fueruntque, qui, omnino graecas eſſe, contenderent. Sed plura hac de re praeter SAM. BASNAGIVM, FRID. SPANHEMIVM, RICH. SIMONEM, LVD. ELL. DV PIN, quos iam laudauimus, dabunt ABR. CALOVIVS in *crit. ſacr. diatr. VII. §. V.* AVG. PFEIFFERVS in *critica ſacra cap. III. ſect. II. quaeſt. XI. p. 88. ſeqq.* IOAN. HENR. MAIVS in *repetito examine hiſtor. critic. noui teſtam. cap. XI. §. VII. pag. 135.*

De ipſa lingua graeca, qua ſcriptores ſacri noui teſtamenti vſi ſunt, magna iterum, vehemensque inter viros doctos exorta eſt dimicatio. Cum enim ſtilus ſcriptorum noui teſtamenti haud parum a modo loquendi aliorum ſcriptorum graecorum differat; primus quidem IOSEPH. IVST. SCALIGER, peculiarem dicendi formam peculiari etiam nomine deſignandam cenſuit, dictionemque noui teſtamenti *helleniſticam* vocauit; *animaduerſion. in Euſeb. p. 124.* Vlterius progreſſus eſt DAN. HEINSIVS, & non tantum *linguam*, ſed peculiarem quoque *gentem helleniſticam*, Iudaeorum ſcilicet extra Palaeſtinam degentium, & *ebraiſtis* in Palaeſtina oppoſitorum finxit; in *exercitationibus ad Nonnum*, & in *praefat. in exercitationes ſacras in nouum teſtam.* cumprimis in *exercitat. de lingua helleniſtica & helleniſtis.* Sequuti eamdem dem ſententiam ſunt doctiſſimi viri, HVGO GROTIVS, CONST. L'EMPEREVR, LVDOV. DE DIEV, aliique, cumprimis & RICH. SIMON *hiſtor. critic. textus nou. teſtam. cap. XXVII. pag. 315.* vbi iisdem fere verbis ſuam de helleniſtis ſententiam exprimit, ac DAN. HEINSIVS, obſeruante IO. HENR. MAIO, in *repetito examine hiſtor. critic. noui teſtam. cap. XXVII. §. IV. pag. 361.* Summo contra ſtudio huic ſe oppoſuit ſententiae CLAVD. SALMASIVS, idque egit, vt linguam illam helleniſticam, vna cum helleniſtis, prorſus proſcriberet; in *commentario de lingua helleniſtica*; item in *funere helleniſtico, ſiue confutatione exercitationis de helleniſtis & lingua helleniſtica*; vt & in *oſſilegio, ſiue adpendice ad confutationem exercitationis de lingua helleniſtica*; in qua & *pag. 387.* IO. DRVSIVM primum

mum ſententiae de helleniſtis auctorem vocat. Eum ſequuti deinceps ſunt IO. CROIVS, in *obſeruationibus ad nouum teſtam. cap. XXX. ſeqq.* cui HEINSIVS iterum *apologiam* oppoſuit; MATTH. COTTERIVS in *exercitationibus ſecundariis de helleniſtis & lingua helleniſtica*, aliique, quemadmodum nec defuerunt, qui pro HEINSIO contra SALMASIVM pugnarent. Tota autem haecce in meram tandem abire videtur λογομαχίαν controuerſia, vti a me iam obſeruatum *inſtitut. theol. dogmat. tom. I. lib. I. cap. II.* ad §. *XI. p. 134.* Enimuero, ſi *helleniſticae linguae* nomine nihil aliud intelligatur, quam lingua graeca, cui ebraiſmi admixti ſint; nihil obſtat, quo minus concedamus, dictionem noui teſtamenti hoc ſenſu *helleniſticam* dici poſſe. Si quis vero *helleniſticae linguae* nomine graecam corruptam, impuram, barbariſmis ſcatentem deſignet; eum in errore verſari, &, ſi non animum profanum, imperitiam tamen ſuam prodere, nulli prorſus dubitamus. Id autem helleniſticae linguae adſertores facere videntur; tametſi quidam apertius hoc agant, barbariſmos & ſoloeciſmos ſcriptoribus noui teſtamenti obiicientes. Hiſce dum alii ſe oppoſuerunt, nonnulli eousque progreſſi ſunt, vt nec ebraiſmos in nouo teſtamento admitterent, dictionem eius puriſſimam eſſe, contendentes. Exemplum iis praeiuit HENR. STEPHANVS in *praefatione noui teſtamenti*, an. 1576 editi, quae recuſa eſt in *ſyntagmate diſſertationum de ſtylo noui teſtamenti graeco*, quod TACO HAIO VAN DEN HONERT collegit, atque in lucem emiſit, vt deinceps dicemus. Poſtea vero hoc ſibi datum credidit SEB. PFOCHENIVS, in *diatribe de linguae graecae noui teſtamenti puritate*, in qua, fictitiis ebraiſmis ſe detraxiſſe laruam, exiſtimat; at non adeo feliciter, vt viris doctis obſeruatum eſt. Maiori ingenii & eruditionis laude in vindicanda a barbariſmorum & ſoloeciſmorum ſordibus ſacri textus dignitate, praeter ERASM. SCHMIDIVM in *adnotationibus ad nouum teſtamentum* & ERICVM OSTERMANNVM, in variis *diſſertationibus*, verſatus eſt BALTH. STOLBERGIVS in *tractatu de ſoloeciſmis & barbariſmis graecae noui foederis dictioni falſo tributis*, Wittebergae an. 1685. 4. edito, in quo & de *Cilciſmis*, *aliisque Paulo noue vſurpatis*, differit. Nec praetermittendus hic eſt TACO HAIO VAN DEN HONERT, vtpote qui in *epiſtola ad Abrahamum Boddens, paſtorem eccleſiae Amſtelodamenſis gallo-belgicae*, anno 1701 ſcripta, ſuam de ſtilo noui teſtamenti ſententiam ita exponit, vt adſerat, illum, ſi ebraiſmos, quibus quaſi vocabulis artis vtantur ſcriptores ſacri, exceperis, cum ſtilo DEMOSTHENIS AESCHINIS, XENOPHONTIS, de maieſtate & efficacia, de puritate cum ſtilo ſcriptorum, qui circa tempora apoſtolorum graece ſcripſerunt, certare poſſe; ebraiſmos vero nullo prorſus iure inter barbariſmos referri. In iſta autem epiſtola cum nonnulla occurrerent, quae in ſe dicta exiſtimabat ELIAS BENOIST, eccleſiae gallicanae Delphenſis miniſter; *amicam expoſtulationem aduerſus epiſtolam Taco Haio van den Honert, de ſtilo noui teſtamenti*, in lucem emiſit Delphis an. 1703. 4. in qua adſerere non dubitauit, ſcriptores ſacros plebeio dicendi genere vſos, elegantias & floſculos ſermonis non curaſſe, poſſeque citra iniuriam in ſacri codicis θεοπνευςίαν, quam ſumma veneratione proſequatur, iis barbariſmos tribui. Tum vero in aciem rediit TACO HAIO VAN DEN HONERT in *epiſtola de ſtilo noui teſtamenti graeco, a barbariſmis & ſermonis vitiis ei nuper ab Elia Benoiſt adfictis, vindicato*; in qua, vt inſcriptio porro docet, *de vera purioris helleniſmi origine diſſerit; commentitiam de* τῶν ἐυδαιμονούντων *helleniſmo opinionem explodit; ſtili noui teſtamenti graeci caſtitatem defendit &c.* Binae iſtae auctoris huius *epiſtolae* vna cum HENRICI STEPHANI *prae-*

praefatione ſeu *diſſertatione*, *de ſtilo noui teſtamenti graeco*, & aliis quibusdam eiusdem generis monumentis, exſtant in eiusdem *ſyntagmate diſſertationum de ſtilo noui teſtamenti graeco*, quod Amſtelodami lucem publicam adſpexit an. 1703. 4. Laudandum illud HONERTI inſtitutum, quo doctorum virorum de ſtilo noui teſtamenti commentationes collegit, iunctimque edidit. Similem, ampliorem tamen, paullo antea, collectionem dederat IAC. RHENFERDIVS. Huius namque *diſſertationum philologico-theologicarum de ſtylo noui teſtamenti ſyntagma* Leouardiae prodiit an. 1702. 4. in quo IO. OLEARII, IOAN. HENR. BOECLERI, SEB. PFOCHENII, IO. COCCEII, BALTH. BEBELII, MOS. SOLANI, MART. PETRI CHEITOMAEI, IO. HENR. HOTTINGERI, IO. LEVSDENI, IO. VORSTII. ANDR. KESLERI, IOACH. IVNGII commentationes ad hocce argumentum ſpectantes, continentur; ipſe autem RHENFERDIVS diſſertationem *de ſaeculo futuro* adiecit. Quae vltimum in hoc *ſyntagmate* locum tenent *de ſtilo ſacrarum litterarum, & praeſertim noui teſtamenti graeci, nec non de helleniſtis & helleniſtica dialecto, doctiſſimorum quorumdam tam veteris quam recentioris aeui ſcriptorum ſententiae*, collectae & editae ſunt a IOACH. IVNGIO Hamburgi an. 1639. 4. occaſione litis, quae illi cum quibusdam, ſpeciatim cum IAC. GROSSIO, paſtore Hamburgenſi, interceſſit, cuius hiſtoriam, lectu non indignam, quaeue omnino huius loci eſt, tradit IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſon. cimbr. part. III. cap. X. §. XV. pag. 585. ſeqq.* Conferendus & IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. pag. 225.* Scriptis hiſce de ſtilo noui teſtamenti, quorum hucusque facta eſt mentio, iungi adhuc meretur THOMAE GATAKERI *de ſtylo noui teſtamenti aduerſus Pfochenium diſſertatio*, Londini an. 1648. 4. edita, & cum reliquis eius operibus criticis recuſa, Traiecti ad Rhenum an. 1698. fol. Nec omittendum HORATII VITRINGAE, CAMPEGII filii, *ſpecimen animaduerſionum ad Io. Vorſtium de ebraiſmis noui teſtamenti*, ſubnexum *obſeruationibus miſcellaneis* LAMB. BOS, Franequerae 1707. 8.

Sitne textus graecus noui teſtamenti integer & incorruptus, an vero vel iniuria temporum vel hominum aut malitia aut negligentia, vitiatus ac deprauatus, itemque quaenam origo & ratio ſit variantium, quas vocant, lectionum? ſaepe multumque inter viros doctos diſceptatum fuit. Quae pontificiorum, & audaciorum quorumdam criticorum, cumprimis RICH. SIMONIS, LVD. ELL. DV PIN, itemque profanorum hominum quorumuis, id vnici agentium, vt ſacri codicis auctoritatem, ea, qua poſſunt, ratione labefactent, ſit ſententia, neminem fugit. IOANNES quoque CLERICVS in *bibliotheca* ſua *ſelecta tom. XIV. pag. 407.* vbi IO. MILLII editionem noui teſtamenti recenſet, eousque progreſſus eſt, vt variantes quasdam lectiones in textum recipiendas, ipſumque adeo, quem hodie habemus textum, corrigendum ac emendandum, cenſeat. Et ſane codices quosdam noui teſtamenti graecos variis in locis corruptos ac deprauatos eſſe, tantum abeſt, vt negari queat, vt ipſa hoc nos condoceat experientia. Suntque diuerſi omnino eiusmodi corruptionum fontes, librariorum incuria, criticorum audacia, impoſtorum malignitas; quibus ipſa denique codicum addenda eſt vetuſtas. Legenda, quae de hiſce omnibus diſſerit CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *diſſertat. critica de genuinis librorum noui teſtamenti lectionibus &c. feliciter indagandis &c.* Amſtelodami 1709. 8. edita, *cap. VIII. ſeqq. pag. 135. ſeqq.* An etiam haeretici veteris eccleſiae codices ſacros noui teſtamenti corruperint? diſputari inter viros eruditos ſolet. Negari hoc eo minus poſſe, nonnulli

nulli contendunt, quod iam ipſe ORIGENES haereticos quosdam huius criminis reos agat, *lib. II. contra Celſum pag. 77.* Exempla plurima, quibus hoc probari queat, congeſſit BARTHOL. GERMON *de veteribus haereticis, eccleſiaſticorum codicum corruptoribus, lib. I. part. I. pag. 18. ſeqq.* Nec tamen omnibus iure hoc obiici, agnoſcit, & contra GERMONIVM probat, PETRVS COVSTANT in *vindiciis veterum codicum confirmatis, part. II. pag. 50. ſeqq.* Haereticis ſacri codicis corruptoribus ipſos etiam orthodoxos addit vir doctiſſimus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *diſſertat. critic.* iam laudata, *de genuinis librorum noui teſtamenti lectionibus, &c. cap. XI. §. II. p. 192.* Hiſce corruptionum fontibus nonnulli & hoc addunt, quod de Anaſtaſio imperatore VICTOR Tunonenſis in *chronico* ad *annum 506.* refert, eius ſcilicet iuſſu immutata atque correcta fuiſſe quatuor euangelia. Atque haec omnia, aliaue, nonnulli mirum in modum exaggerant, inde vt euincant, codices noui teſtamenti omnes prorſus corruptos eſſe, atque ita porro omnem illis fidem, omnemque derogent auctoritatem. Eo certe, vt alios taceam, tendere, quae ANT. COLLINVS in *tractatu de libertate cogitandi ſect. II. p. m. 133.* hac de re diſſerit, nemo dubitabit. Sed falli magnopere omnes eos, qui ex hiſce, aut aliis eiusmodi argumentis vniuerſalem omnium codicum corruptionem demonſtrare volunt, a me iam oſtenſum *inſtitution. theolog. dogmat. tom. I. lib. I. cap. II.* ad *§. XXVII. pag. 171.* Ex VICTORIS Tunonenſis teſtimonio nihil, quod noſtrae ſententiae obſtet, confici poſſe, peculiari *diſſertatione de euangeliis ſub Anaſtaſio imperatore non corruptis*, CHRISTOPHOR. MATTH. PFAFFIVS demonſtrauit; legendique de eodem hocce teſtimonio IO. MILLIVS in *prolegom. noui teſtamenti num. 1014. pag. 95.* & IAC. BASNAGIVS in *hiſtor. eccleſiae lib. VIII. cap. II. §. VIII.* Lubentes interim fatemur, plurimas dari in codice noui teſtamenti variantes lectiones, quarum conſideratio eo pertinet, vt veram & genuinam lectionem inde cognoſcamus, eamque confirmare queamus. Laudandi itaque, qui in illis colligendis ſtudium operamque collocarunt; quos hic enarrare, neceſſe non eſt, cum id iam praeſtiterint IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. pag. 150.* IAC. LE LONG in *bibliotheca ſacra &c. cap. XV. p. 425. ſeqq.* CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS in *diſſert. crit. de genuinis librorum noui teſtam. lectionibus cap. VI. pag. 103. ſeqq.* & cumprimis vir doctiſſimus G. D. T. M. D. qui graecum nouum teſtamentum Amſtelodami an. 1711. ſummo ſtudio edidit, in *prolegomenis pag. 17. ſeqq.* Caute interim & circumſpecte in iſta variantium lectionum collectione verſandum, recte & ſapienter viri quidam docti monuerunt. Nec ſine ratione idem vir ille eruditiſſimus G. D. T. M. D. cuius cura graecum nouum teſtamentum Amſtelodami anno 1711 prodiiſſe diximus, pronuntiauit: *doctis quibusdam oborta eſt ſuſpicio, ex criticis poſteriores aliquot fere in hunc finem collegiſſe & coaceruaſſe lectiones etiam futiles ſaepe & orthographicas, vt fidem teſtamenti ſuſpectam facerent; vel ſaltem iſtam libertatem obtinerent, ex quocumque codice adſumendi lectionem, quae ipſis, eorumque dogmatibus conueniret quam maxime. Id quod de Socinianis vix dubium. Idem & Curcellaeo a plurimis imputatur*; in *prolegomenis pag. 18.* Omnium equidem, qui in variantibus noui teſtamenti lectionibus colligendis operam ſtudiumque collocarunt, induſtriam ſuperauit IO. MILLIVS, in ſua *noui teſtamenti graeci* editione, incredibilem viri huius diligentiam, laboremque ſtupendum, arguente. Sed aliorum euitare reprehenſionem non potuit; fueruntque, qui dubitarent, plusne vtilitatis an damni ex hocce opere ad eccleſiam chriſtianam ſit redundaturum; immo

Digitized by Google

mo profanis hominibus, etſi praeter opinionem, & velut inuitum, arma eum, quibus ſacri codicis integritatem labefactarent, ſuppeditaſſe, nonnulli iudicarunt, quos inter & DAN. WITHBY eſt, in *examine variantium lectionum Io. Millii.* Ipſe etiam LVDOLPH. KVSTERVS, qui nouum iſtud teſtamentum graecum, cum duodecim codicibus manuſcriptis, quibus IO. MILLIVS vſus non eſt, collatum Amſtelodami anno 1710. fol. recudi curauit, agnoſcit, virum iſtum doctiſſimum haud paucas lectiones variantes editioni ſuae inſeruiſſe, quae tamen pro talibus habendae non ſint. Nimirum cum quatuor, in *praefatione ad lectorem*, conſtituiſſet variantium lectionum genera, I) falſo ita dictarum, ſiue quae tales videntur, at reuera non ſunt; II) dubiarum; III) vere quidem talium, ſed nullius momenti; IV) vere itidem talium, ſed alicuius, vel magni momenti; tandem de falſo ita dictis variantibus lectionibus quaerit, an MILLIO eiusmodi pro vere talibus interdum obrepſerint; atque reſpondet, *haud paucas certe lectiones variantes falſo ita dictas in collectione hac Milliana reperiri*; *quas*, ita pergit, *ſi vir μακαρίτης pro veris omnes habuit, (quod tamen minime credibile eſt, cum ipſe ſaepe ſcribarum errores redarguat) absque dubio deceptus ſaepe fuit; ſin ſciuit quidem, non eſſe veras lectiones variantes, at tamen eas quoque adnotandas eſſe cenſuit, ne quidquam eius generis praetermitteret; exactiſſimam eius diligentiam merito laudandam eſſe, arbitror.* Eſto; laudanda ſit MILLII diligentia; eſt tamen diligentia parum conſulta, & intempeſtiua, cum & vtilitatem nullam adferat, & codicem ſacrum pro anorum hominum ludibrio exponat. Legenda omnino IOAN. GVIL. BAIERI, theologi Altdorffini clariſſimi, diſſertatio *de variantium lectionum ſcripturae noui teſtamenti vſu & abuſu.* Summatim etiam, quae de variantibus lectionibus noui teſtamenti obſeruatu digna ſunt, complexus eſt ADAM. RECHENBERGIVS, in *diſſertatione de variantibus graecis noui teſtamenti lectionibus*, quae inter *exercitationes* eius *in nouum teſtamentum*, *hiſtoriam eccleſiaſticam & litterariam*, iunctim editas, prima eſt. Rectius vtique ſacri codicis & integritati, & auctoritati, conſulunt, qui de numero variantium lectionum imminuendo potius quam augendo ſunt ſolliciti, quod praeter DAN. WITHBY, is, quem iam laudauimus, auctor noui teſtamenti Amſtelodami an. 1711 typis exſcripti, praeſtitit, qui & in *prolegomenis p. 11. canones criticos*, *ſecundum quos variantes lectiones noui teſtamenti examinandae, & de iis iudicandum*, tradit; quos deinceps *pag. 48. ſeqq.* copioſius illuſtrat, atque confirmat. Pleroſque ex hiſce canonibus exhibet etiam CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *diſſert. critic. de genuinis librorum noui teſtamenti lectionibus cap. VII. p. 124. ſeqq.*

* Cum autographa ſcriptorum noui teſtamenti non magis, quam veteris, hodie exſtent; vt de iis ſimus ſolliciti, neceſſe non eſt. Nec veteres in primis ſaeculis chriſtianos adeo magnam autographorum apoſtolicorum curam geſſiſſe, nonnulli ex verbis IGNATII *epiſt. ad Philadelphenſes* §. *VIII. p. m. 64.* colligunt, quae cum obſeruatu digna ſint, ea hic recitare, non abs re fuerit: παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς μηδὲν καθ' ἐριθείαν πράσσειν, ἀλλὰ κατὰ χριστομαθείαν· ἐπεὶ ἤκουσά τινων λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις (alii: ἀρχαίοις) εὕρω, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω· καὶ λέγοντος μου αὐτοῖς, ὅτι γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι, ὅτι πρόκειται (alii: οὐ πρόκειται) ἐμοὶ δὲ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς Χριστὸς, τὰ ἄθηκτα (alii: ἄθικτα) ἀρχεῖα, ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος, καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ, καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ. ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι. *Obſecro autem vos nihil per contentionem facere, ſed iuxta Chriſti diſciplinam; quandoquidem audiui quosdam dicentes, niſi inuenero in archiuis, euangelio non credo; & dicente me ipſis: ſcriptum eſt; re-*

reſponderunt mihi: praeiacet. Mihi vero pro archiuis eſt Ieſus Chriſtus; illibata archiua, crux eius & mors, & reſurrectio eius & fides quae per ipſum, quibus iuſtificari cupio, per precationes veſtras. Paullo obſcuriora cum haecce verba ſint; grauiſſimis acerrimisque virorum doctorum contentionibus occaſionem praebuerunt; quas perſequi, huius loci non eſt. Senſus autem huc tandem redire videtur, de archiuis, in quibus repoſita ſint ſcripta apoſtolica, non multum laborandum eſſe, cum vera in Chriſtum fides inſtar optimorum archiuorum ſit; quippe per quam de iis, quae nobis ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria, longe certiſſimi reddamur. Neque tamen inde inferendum, ac ſi veteres nullam prorſus autographorum apoſtolicorum curam geſſerint. Secus enim ſe rem habere, vel ex hocce TERTVLLIANI teſtimonio liquet: *age iam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuae; percurre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſae adhuc cathedrae apoſtolorum ſuis locis praeſident, apud quas ipſae authenticae litterae eorum recitantur, ſonantes vocem, & repraeſentantes faciem vniuscuiusque; de praeſcriptionibus contra haeret. cap. XXXVI. p. 561.* editionis CHR. LVPI. Per *authentica* nimirum ſcripta licet non ſemper intelligantur *autographa;* ea tamen indicantur, quae non minorem, quam ipſa *autographa*, promerentur fidem. Sed plura non addo, cum, quidquid de autographis apoſtolicis dici queat, erudite ediſſeruerit CHR. MATTH. PFAFFIVS, in *diſſertat. critic. de genuinis librorum noui teſtam. lectionibus cap. II. pag. 28. ſeqq.* Quantumuis autem nulla hodie amplius exſtent ſcriptorum noui teſtamenti autographa; ſuperſunt tamen apographa quam plurima, interque ea codices manuſcripti antiquitate & auctoritate commendabiles, quorum beneficio vera & genuina lectio ad nos transmiſſa fuit. Horum notitiam adcuratiorem ſuppeditant RICH. SIMON in *diſſert. critic. de codicibus manuſcriptis noui teſtam.* itemque in *hiſtor. crit. textus noui teſtam. cap. XXIX. ſeqq. pag. 336. ſeqq.* IO. MILLIVS in *prolegom. noui teſtam. num. MCCLXVIII ſeqq. pag. 132. ſeqq* item *num. MCCCCXVII. ſeqq. p. 154. ſeqq.* alibique; IAC. LE LONG in *bibliotheca ſacra ſiue ſyllabo omnium ferme ſacrae ſcripturae editionum ac verſionum, cap. III. pag. 365. ſeqq.* auctor editionis *noui teſtamenti graeci*, quae Amſtelodami 1711 prodiit, ſiue G. D. T. M. D. in *prolegom. part. II. pag. 29. ſeqq.* vbi de manuſcriptorum qualitatibus agit; LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible tomo* ſiue *libro II. cap. III. §. II. p. 75.* cumprimis CHR. MATTH. PFAFFIVS in *diſſert. critic.* non ſemel iam laudata, *de genuinis librorum noui teſtamenti lectionibus &c. cap. IV. p. 64. ſeqq.* vbi & de ratione, antiquitatem codicum manuſcriptorum inueſtigandi, quaedam monet, & inter eos, qui regulas, quibus de antiquitate iſtorum codicum iudicari queat, tradiderunt, maxime laudat BERNH. DE MONTFAVCON, qui tum in *diario* ſuo *italico*, tum in *palaeographia graeca*, abunde hoc praeſtiterit; nec tamen diſſimulat, eum erroris cuiusdam, non facile excuſandi, argui a SAINIORIO, ſiue RICH. SIMONE, *biblioth. critic. tom. I. cap. XIII. p. 170. 180.* Editiones noui teſtamenti graeci typis exſcriptas, partim praecipuas, partim pleraſque, recenſent BRIANVS WALTONVS in *adparatu biblico, prolegomeno IV.* quod eſt *de bibliorum editionibus praecipuis p. 266.* IOAN. MILLIVS in *prolegomenis noui teſtamenti num. MLXXXIX. pag. 108. ſeqq.* IAC. LE LONG in *bibliotheca ſacra cap. III. p. 441. ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS *bibliothec. graec. lib. IV. cap. V. p. 185. ſeqq.* Nobis id ſolum relictum eſt, vt de praecipuis quibusdam pauca moneamus. Inter veteres eminent *Complutenſis*, quae in opere biblico Complutenſi, de quo ſupra dictum, exſtat, & grae-

Digitized by Google

& graecum textum ſine accentibus ſiſtit; DESID. ERASMI Roterodamenſis, cum eiusdem verſione latina & commentariis, Baſileae an. 1516. fol. apud Io. Frobenium, ab eo deinceps ſubinde emendata, & ſaepe etiam ſine commentariis recuſa; & denique *Aldina*, quam in editione bibliorum graecorum ALDVS dedit, Venetiis an. 1518. fol. Ceterum cum ERASMI illa an. 1519 recuſa eſſet, & NIC. GERBELIVS, nouam editionem an. 1521 Hagenoae euulgaſſet; diſputatum inter viros doctos fuit, quamnam ex his beatus MARTINVS LVTHERVS in verſione ſua germanica ſequutus ſit? Pro vltima ſeu ea, quam NIC. GERBELIVS dedit, pugnat TOB. ECKHARDVS in *coniecturis de codice graeco noui teſtamenti, quo Lutherus in concinnanda verſione germanica vſus ſit*, Halberſtadii an. 1722 editis; pro Frobeniana autem ERASMI, ADOLPH. BOYSEN, in *diſſertatione critica & theologica de codice graeco noui teſtamenti, & conſilio quo vſus eſt beatus Lutherus in conficienda interpretatione germanica &c.* Lipſiae an. 1723. Poſt antiquiores illas, quas laudauimus, noui teſtamenti editiones, maxime in cenſum veniunt Pariſienſes illae ROB. STEPHANI patris, anno 1546 & 1549 in 12. excuſae, in quarum poſteriori nullum exſtare dicitur vitium typographicum; item, maior illa cum veterum κεφαλαίων notatione, variisque lectionibus ex ſedecim codicibus manuſcriptis, an. 1550. fol. porro ROB. STEPHANI filii, quae an. 1569. 12. cum variis lectionibus ſelectis ac inſignioribus prodiit, vt & HENR. STEPHANI, quae cum eius *diſſertatione de ſtylo noui teſtamenti*, & lectionibus atque interpunctionibus ſacri textus, ex editione THEOD. BEZAE, an. 1576. 12. lucem adſpexit. Nec contemnendae ſunt Argentoratenſes, curante IO. HENR. BOECLERO, qui praeter editiones praeſtantiores, codices quoque manuſcriptos quosdam conſuluit, & ex iis EVTHALII *prologum in epiſtolas Pauli* graece addidit. Nonnullis quoque STEPHANI CVRCELLAEI editio in pretio eſt, quae cum locis parallelis & variis lectionibus Amſtelodami an. 1658, 75, & 85. 8. prodiit. At eum in ſuſpicionem veniſſe, ac ſi, in variis lectionibus coaceruandis cumulandisque, id ſubinde egerit, vt Socinianorum cauſſae praeſidium aliquod adferret, tum aliis, tum & auctori editionis *noui teſtamenti graeci*, quae Amſtelodami 1711 prodiit, obſeruatum eſt, in *prolegomenis p. 20.* vti iam ſupra monuimus. Non equidem deſunt, qui eum excuſant; ſed, cum ipſemet in *praefatione* fateatur, ſe *nonnullas* HENR. STEPHANI *aliorumque emendationes ex coniectura intermiſcuiſſe*; non omni prorſus haecce ſuſpicio deſtitui fundamento videtur. Conferenda hic IO. GOTTL. MVLLERI diſſertatio, quam inſcripſit: *Curcellaeus in editione noui teſtamenti Socinianizans*, Roſtochii 1696. 4. euulgata. Mirum itaque non eſt, FELBINGERVM, qui itidem in Socinianorum caſtris militabat, in verſione noui teſtamenti germanica, hanc editionem ſequutum eſſe. Ob variantium lectionum multitudinem celebratur etiam editio Oxonienſis, quae anno 1675. 8. lucem adſpexit, & in *bibliis graecis* Lipſienſibus anno 1697, deinde vero ſeparatim recuſa eſt Halae an. 1702. 8. cum *praefatione* AVG. HERM. FRANCKII, in qua de *vera ratione tractandi ſcripturam ſacram, inprimis libros noui teſtamenti*, diſſerit. Vſibus etiam omnium adcommodatae ſunt Lipſienſes quaedam, vt ea, quae minori forma ad Leusdenianae exemplum concinnata, cum beati ADAMI RECHENBERGII praefatione, prodiit, itemque quam locis parallelis locupletioribus ſelectisque lectionibus variantibus inſtructam in lucem emiſit vir doctiſſimus, egregiisque in eccleſiam noſtram meritis conſpicuus, IO. GEORG. PRITIVS. Sed ſplendore

dore & inſigni adparatu omnium oculos animosque in ſe conuertunt duae iſtae editiones anglicanae, IO. GREGORII altera, altera IO. MILLII. Illa qua textum, loca parallela, & lectiones variantes, ſequitur editionem, quae Oxonii an. 1675 prodiit; adiunctaque praeterea habet ſcholia graeca, tam ex eccleſiaſticis, quam exteris ſcriptoribus deſumta. Et ad eccleſiaſticos quidem quod attinet, CHRYSOSTOMI, OECVMENII, THEOPHYLACTI, aliorumque explicationes in compendium redactae hic leguntur; ex profanis autem voces quaedam graece explicantur. Lucem vidit haec editio Oxonii anno 1703. fol. operam nauante IO. ERN. GRABIO, cum IOAN. GREGORIVS iam antea diem obiiſſet ſupremum. Scholia iſta, editioni huic addita, ieiuna quandoque eſſe, atque ſine vllo ſelectu congeſta, obſeruat IO. CLERICVS *biblioth. choiſie tom. XIV. p. 348.* IO. MILLII editio ita inſcribitur: *nouum teſtamentum cum lectionibus variantibus manuſcriptorum exemplarium, verſionum, editionum, ſanctorum patrum & ſcriptorum eccleſiaſticorum, & in eaſdem notis; accedunt loca ſcripturae parallela, aliaque ἐξηγητικὰ, & adpendix ad variantes lectiones; praemittitur diſſertatio, in qua de libris noui teſtamenti & canonis conſtitutione agitur, hiſtoria ſacri textus noui federis, ad noſtra vsque tempora deducitur; & quid in hac editione praeſtitum ſit, explicatur*, Oxonii an. 1707. fol. De *prolegomenis*, editioni huic praemiſſis, in quibus omnem hiſtoriam criticam noui teſtamenti, qua textum ipſum, qua verſiones, editionesque & codices manuſcriptos, ceteraque eodem ſpectantia, non ſine inſigni eruditionis adparatu complectitur, nihil dicemus, cum non ſemel iam eorum facta ſit mentio. Quod ad opus ipſum attinet, in textu imprimendo ſequutus eſt elegantiſſimam illam ROB. STEPHANI editionem, quae anno 1550 prodiit, quamue antea laudauimus. In margine interiori addidit diuiſiones veterum, non tantum qua euangelia, ſed & qua reliquos noui teſtamenti libros. Infra textum variantes ponit lectiones, ex codicibus manuſcriptis, verſionibus, & patribus collectas, ea quidem ratione, vt ſubinde iudicium ſuum interponat. Et id quidem in hac editione praecipue laude & admiratione dignum videtur. Cum enim ab eo tempore, quo bonae litterae reſtitutae ſunt, vsque ad noſtram aetatem, plurimi fuerint, qui in variantibus lectionibus noui teſtamenti operam ſtudiumque ſuum collocarent; omnium induſtriam IO. MILLIVS citra controuerſiam ſuperauit. Eum tamen etiam modum hac in re exceſſiſſe, & haud paucas lectiones variantes falſo ſic dictas pro veris venditaſſe, numerumque adeo variantium lectionum ſine neceſſitate auxiſſe, antea iam docuimus. Rurſus, non omnes eum lectiones variantes exhibere, plurimasque ex patribus, quorum ſcripta tanto, ac par erat, ſtudio, in huncce finem non perlegerit, adhuc addi poſſe, ſatisque magnum eum reliquiſſe ſpicilegium illis, qui in eodem campo ingenii vires exercere velint, aliis obſeruatum eſt. Haec aliaque MILLIO obiecerunt, qui hanc eius editionem ſub cenſuram vocarunt; cuius tamen praeſtantiae nihil hoc ipſo derogatum voluerunt viri doctiſſimi IO. CLERICVS *biblioth. choiſie tom. XIV. artic. VIII. p. 351. ſqq.* & in *epiſtola* quadam latino ſermone ſcripta, quae exſtat *tom. XVI.* eiusdem *bibliothecae ſelectae artic. VI. p. 311. ſeqq.* & deinceps praemiſſa eſt editioni iſtius *noui teſtamenti*, quam LVDOLPH. KVSTERVS dedit; IAC. LENFANT in *obſeruationibus in editionem noui teſtamenti Io. Millii*, quae in eadem *bibliotheca ſelecta* exhibentur, *tom. XVI. artic. V. p. 275. ſeqq.* & in *epiſtola* latine ſcripta ibidem *tom. XVIII. artic. V. p. 209. ſeqq.* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *diſſert. crit. de genuinis libror. noui teſta-*

teſtamenti lectionibus &c. feliciter indagandis &c. cap. VI. p. 113. Immo ipſe LVD. KVSTERVS, cuius opera ſtudioque editio haecce Milliana *meliori ordine diſpoſita, nouisque acceſſionibus locupletata*, recuſa eſt Amſtelodami 1710. fol. tantum abeſt, vt, MILLIVM in quibusdam erraſſe, aut neget, aut diſſimulet, vt vltro in *praefatione ad lectorem* fateatur, & exemplis comprobet, quasdam in hacce editione lectiones variantes occurrere, quae tales non ſint. Simul tamen idem vir eruditiſſimus oſtendit, a reliquis cenſoribus, ſpeciatim IAC. LENFANT, reprehenſum interdum MILLIVM, vbi nullam reprehenſionem promerebatur. Quid ipſe autem KVSTERVS in ſua editione praeſtiterit, iam ſupra indicatum. Supereſt praeſtantiſſima illa editio, quae Amſtelodami anno 1711. 8. prodiit, cuius non ſemel iam mentionem fecimus, quaeue, licet mole Millianae multum cedat, non huic tamen ſolum, ſed reliquis omnibus, dubiam reddere palmam poteſt. Ex ea quid ſibi lector polliceri queat, ipſa inſcriptio hunc in modum docet: *nouum teſtamentum poſt priores Stephani Curcellaei, tum & Oxonienſium labores, quibus parallela ſcripturae loca, nec non variantes lectiones ex plus centum manuſcriptis codicibus & antiquis verſionibus collectae, exhibentur; accedit tantus locorum parallelorum numerus, quantum nulla adhuc, ac ne vix quidem ipſa profert praeſtantiſſima editio Milliana; variantes praeterea ex manuſcripto Vindobonenſi, ac tandem criſis perpetua, qua ſingulas variantes, earumque valorem aut originem ad XLIII canones examinat G. D. T. M. D. cum eiusdem prolegomenis & notis in fine adiectis.* Nec lectorem inſcriptio haecce fallit. Quin potius ſummo ſtudio ac diligentia editionem hancce adornatam, ipſa quemlibet condocebit inſpectio. In *prolegomenis* poſt *canones criticos*, ſupra iam memoratos, de *collectionibus & collectoribus variantium lectionum*; de *manuſcriptorum qualitatibus*; de *canonum criticorum confirmatione*; deque *vſu huius criſeos* diſſeritur. Poſt prolegomena ſequuntur *praefatio* STEPH. CVRCELLAEI, item, quae *nouo teſtamento*, Oxonii anno 1675 edito, praefixa eſt; porro *praefationis Whitbyanae capita vel argumenta*: vt & *operis Whitbyani* partitio. Commemorari nunc etiam poſſent editiones noui teſtamenti cum verſione vna, aut pluribus, praeter eas, quae in *bibliis polyglottis* exſtant, itemque ERASMI illas, quarum antea facta eſt mentio; verum cum praecipuas etiam ex iis iam recenſuerit IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. p. 188.* hiſce nos diutius immorari, neceſſe non eſt. Addimus ſolum eam, quae cura ſtudioque viri clariſſimi CHRIST. REINECCII, Lipſiae an. 1713. fol. prodiit, & cuius rationem ipſa iterum nos condocet inſcriptio: *biblia ſacra quadrilinguia noui teſtamenti graeci, cum verſionibus ſyriaca, graeca vulgari, latina & germanica; vniuerſa ad optimas quaeque editiones recognita; adiectis variantibus lectionibus, tum graecis ex editionibus noui teſtamenti Io. Millii praecipue excerptis, tum ſyriacis ex polyglottis anglicanis & editione Schaafii petitis, tum etiam germanicis nonnullis e diuerſis beati Lutheri editionibus adnotatis; quibus accedunt loca parallela vberrima, tantoque numero ex bibliis & commentariis comportata, quantum nulla adhuc editio protulit; & adnotationes philologicae & exegeticae ad loca difficiliora pleraque, & quae aliqua illuſtratione indigere videbantur, ex celeberrimis philologis, theologis, & ſcripturarum interpretibus congeſtae.*

** Librorum, vt vocantur, *apocryphorum* noui teſtamenti non vna eſt ratio. Quidam enim perperam pro apocryphis reputantur, aut reputati ſunt, vt *epiſtola ad Ebraeos, poſterior Petri, ſecunda & tertia*

Digitized by Google

tia Ioannis, porro *epiſtola Iacobi* & *Iudae*, & denique *apocalypſis Ioannis*. Nonnulli equidem hoſce libros *deutero-canonicos*, aut *canonicos ſecundi ordinis*, adpellare maluerunt, quam *apocryphos*; verum eos genuinos eſſe, atque inter canonicos referendos, hodie poſitum eſt extra controuerſiam. Rectius *apocryphorum* nomine veniunt ſcripta iſta ſuppoſititia, quae ſub Chriſti, Mariae & apoſtolorum, aliorumque virorum ſanctorum nomine, olim edita fuerunt, quorumue, ſi pauca quaedam exceperis, non niſi fragmenta ad nos peruenerunt. In hiſce vero aut recenſendis & excutiendis, aut colligendis, cum eruditiſſimorum virorum opera iam pridem occupata fuerit; nihil nobis aliud relictum, quam vt horum commendemus labores. Praeter eos itaque, qui generatim de ſcriptoribus eccleſiaſticis agunt, ex inſtituto hoc argumentum tractant, qui ſcripta ſuppoſititia a genuinis diſcernere docent, vt ANDR. RIVETVS & ROB. COCVS, ille quidem in *critico ſacro lib. I. cap. I. & ſeqq. p. 96. ſeqq.* hic autem in *cenſura quorumdam ſcriptorum veterum p. 3. ſeqq.* Longe maiori diligentia in eodem verſatus eſt THOM. ITTIGIVS in *diſſertat. de pſeudepigraphis Chriſti, virginis Mariae & apoſtolorum*, quae in *heptade diſſertationum*, eiusdem *diſſertationi de haereſiarchis aeui apoſtolici &c.* adiecta, prima eſt *p. 97. ſeqq.* Nec praetermittendus hic eſt IO. ERN. GRABIVS quippe qui in *ſpicilegio ſanctorum patrum vt & haereticorum ſaeculi poſt Chriſtum natum I. II. & III.* & quidem *tomo primo*, qui Oxoniae 1598. 8. prodiit, varia eiusmodi ſcriptorum apocryphorum fragmenta & reliquias exhibet, ſingulisque praemiſſa praefatione, quae eorum notitiae inſeruiunt, condocet. His iungendus IOAN. ANDR. SCHMIDIVS, in *pſeudo-nouo teſtamento*, Helmſtadii 1699. 4. edito. Sed omnium induſtriam longiſſime ſuperauit IO. ALB. FABRICIVS in *codice apocrypho noui teſtamenti collecto, caſtigato, teſtimoniisque, cenſuris & animaduerſionibus illuſtrato*, cuius *pars prima & ſecunda* anno 1703. 8. lucem adſpexit, quibus anno 1719 *pars tertia* acceſſit. Summatim etiam idem vir doctiſſimus de libris apocryphis noui teſtamenti diſſerit, & varia obſeruatu digna de illis adfert, *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. p. 168. ſeqq.* Sed hos iam alia occaſione me laudaſſe, memini, *libri* huius *II. cap. III.* ad *§. X.* Agunt vero etiam de libris *apocryphis* noui teſtamenti IO. MILLIVS in *prolegom. noui teſtamenti num. CXXX. ſeqq. p. 15. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN *prolegom. ſur la bible*, *tomo* ſiue *libro II. cap. VI. p. 87. ſeqq.* aliique. *Apocryphorum* denique nomine comprehendi etiam ſolent ſcripta quaedam virorum apoſtolicorum, quae, licet forte genuina ſint, in numerum tamen librorum canonicorum non ſunt recepta, nec recipienda, licet quibusdam noui teſtamenti codicibus addita conſpiciantur. Speciatim *epiſtolae* BARNABAE atque CLEMENTIS Romani huc ſpectant. Sic in NICEPHORI Conſtantinopolitani *στιχομετρίᾳ* quam ANASTASIVS bibliothecarius latine vertit, inter ſcripta noui teſtamenti, quibus contradicitur, etiam refertur *epiſtola Barnabae*; conferendus GERH. VAN MASTRICHT *canon ſcripturae ſacrae eccleſiaſticus &c. p. m. 73.* Nec defuiſſe olim, qui *duas* CLEMENTIS *epiſtolas* ſcripturae ſacrae libris ſubiungerent, oſtendit GVIL. BEVEREGIVS in *codice canonum eccleſiae primitiuae vindicato & illuſtrato, lib II. cap. IX. §. XII. p. 288.* vbi & obſeruat, in codice manuſcripto Alexandrino haſce epiſtolas libris canonicis ſubnecti. Priorem vtique *in plerisque eccleſiis ſua & ſuperiori memoria palam recitari conſueuiſſe*, teſtatur EVSEBIVS *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XVI. p. m. 88.* Verum ad BARNABAE *epiſtolam*, quae & inter *patrum apoſtolicorum* monumenta, a IO. BAPT. COTELERIO edita, *tom. I. p. 15. ſeqq.* & in STEPH. LE MOYNE *variis ſacris*

Digitized by Google

eris tom. I. p. 17. ſeqq. exſtat, quod attinet, ſunt, qui omnino dubitant, an ea BARNABAE ſit, tantum abeſt, vt, canonicam eſſe, exiſtiment. CLEMENS equidem Alexandrinus *lib. II. ſtrom. p. 489.* ex editione IO. POTTERI, alibique, ſub BARNABAE, nomine hancce epiſtolam allegat; vnde HENR. HAMMONDVS, in *diſſertationibus de epiſcopatu, diſſertat. I. p. 22.* GEO. BVLLVS in *defenſione fidei Nicaenae p. 29.* aliique, eam BARNABAM auctorem agnoſcere, adſerunt. Verum cum iam olim EVSEBII & HIERONYMI aetate *epiſtola* haecce inter ſcripta apocrypha & *ἀντιλεγόμενα* relata fuerit, & in epiſtola ipſa nonnulla occurrant, quae a BARNABA Pauli comite profecta non videntur; THOM. ITTIGIVS probabiliorem illorum ſententiam putat, qui alium huius *epiſtolae* auctorem quaerendum cenſent, laudatque etiam hanc in rem GVIL. LAVDVM, qui in *epiſtola ad Hugonem Menardum*, variis rationibus euicerit, hancce epiſtolam a BARNABA, Pauli adiutore, ſcriptam non eſſe; *diſſertat. de patribus apoſtolicis*, eiusdem *bibliotheca patrum apoſtolicorum* praemiſſa, *§. LIV. p. 183.* Conferenda &, quae idem vir eruditiſſimus de haecce *epiſtola* diſſerit in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſ. ſaec. I. cap. I. §. XIV. p. 21. ſeqq.* De CLEMENTIS Romani *priori ad Corinthios epiſtola* aliter equidem cenſendum, genuinam ſcilicet eam eſſe, & omnino a CLEMENTE ſcriptam. Quae enim vulgo, vt ſuſpecta reddatur, adferuntur, rationes, nullius plane ſunt momenti, vt THOM. ITTIGIVS oſtendit *diſſertat. de patribus apoſtolic. §. LXXVIII. p. 243.* Addenda, quae hac de re diſputat in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſ. ſaec. I. cap. I. §. XXII. p. 62.* At eam canonicam eſſe, aut in numerum librorum ſacrorum recipiendam, inde non ſequitur, nec vllo idoneo argumento comprobari poteſt. Idque multo magis de *altera* CLEMENTIS *ad Corinthios epiſtola* pronuntiandum, quam ab ipſis iam patribus tamquam adulterinam reiectam fuiſſe, IOAN. MORINVS obſeruat in *exercitationibus biblic. lib. I. exercitat. IX. cap. IV.* Quamquam nonnulli fragmentum illud, quod tamquam *ſecunda ad Corinthios epiſtola* adlegari ſolet, non ad epiſtolam aliquam CLEMENTIS, ſed ad librum, qui διδαχὴ ſeu *doctrina* CLEMENTIS dictus eſt, pertinere, exiſtiment; qua in ſententia HENR. DODWELLVS verſatur in *diſſertationibus ad Irenaeum p. 53.* non refragante THOM. ITTIGIO in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſ. ſaec. I. cap. I. §. XXII. p. 65.* Sed praeter ITTIGIVM plura de hiſce BARNABAE atque CLEMENTIS epiſtolis dabunt IOAN. BAPT. COTELERIVS in *operibus patrum apoſtolicorum tom. I. p. 5. 141. & 181.* GVIL. CAVE *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. part. I. pag. 13. ſeqq.* & IOAN. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. pag. 173. ſeqq.* vbi & earum editiones diligenter recenſet.

§. V. Inter verſiones librorum ſacrorum veteris teſtamenti *paraphraſes chaldaicae*,* &, ad graecas quod attinet, ea, quae vulgo *ſeptuaginta interpretum* vocatur;** noui autem teſtamenti *ſyriaca*,*** prae reliquis curam noſtram ſtudiumque merito ad ſe conuertunt, dignaeque ſunt, quarum varias ob cauſſas praecipue habeatur ratio.

* Poſtquam ipſum textum ſacrum veteris nouique teſtamenti conſiderauimus; ordo nunc, & inſtituti noſtri poſtulat ratio, vt praecipuas quoque ſcripturae ſacrae verſiones commemoremus, & quae de iis maxime obſeruatu nobis videntur digna, paucis indicemus. Atque hic inter eas, quae ſpeciatim ad vetus teſtamentum

tum ſpectant, primo ſe ſtatim loco nobis offerunt verſiones chaldaicae, quae ab Ebraeis *targumim* vocari ſolent. Licet enim vox *targum* generatim verſionem quamdam ſeu interpretationem denotet; vſu tamen inualuit, vt in Iudaeorum ſcriptis ſpeciatim chaldaicis verſionibus tribuatur; quamquam ſimul liberiorem quamdam vertendi rationem, qua non tam vocibus, litteraeque ſacri textus preſſe inſiſtitur, quam ſenſus circumſcriptione quadam exprimitur, denotet; quippe qua interpretes illi chaldaici vſi ſunt; vnde & verſiones iſtae chaldaicae *paraphraſeon*, & ipſi interpretes *paraphraſtarum* nomine plerumque veniunt. Paraphraſeon chaldaicarum, quae hodie exſtant, antiquiſſima omnium conſenſu ea eſt, quae IONATHANEM auctorem agnoſcit, qui prophetas priores & poſteriores transtulit. Filius is fuit Vzielis, Hillelis diſcipulus, & Simeonis iuſti, vt ferunt, condiſcipulus, qui Chriſtum infantulum vlnis excepiſſe, memoratur. De tempore, quo vixerit, adeoque quando paraphraſis haecce confecta ſit, viri docti inter ſe non conueniunt. Quod talmudici doctores tradunt, in pueritia ſeu adoleſcentia eum fuiſſe diſcipulum Haggaei, Zachariae, & Malachiae prophetarum, & in ſenectute ONKELOSVM vidiſſe, quem inſuper poſt templum ſecundum exuſtum adhuc in viuis fuiſſe, autumant; inter portentoſa illorum commenta referendum eſt, cum ea ratione quadringentos, & quod excedit, annos, viuendo eum transegiſſe, oporteat; niſi forte, quod nonnulli volunt, ita hoc intelligendum ſit, quod ab vltimis iſtis prophetis verum ſcripturae ſenſum per traditionem oralem acceperit. Sed & quae alii de aetate, qua IONATHAN vixerit, tradunt, incerto admodum nituntur fundamento. In eo tamen omnes conſentiunt, eum ante Chriſtum natum vixiſſe, adeoque & paraphraſin ſuam concinnaſſe; quemadmodum & hoc extra dubium poſitum cenſetur, eum Hillelis ſenioris fuiſſe diſcipulum. Legenda quae de eo diſſerit IVL. BARTOLOCCIVS in *bibliotheca rabbinica magna tom. III. p. 792.* Diſputari autem ſolet, annon ante IONATHANIS paraphraſin aliae verſiones chaldaicae in gente ebraea exſtiterint? Nec a vero prorſus abhorret, ab eo tempore, quo lingua ebraea purior apud Iudaeos in vſu eſſe deſiit, interpretationes quasdam in lingua chaldaica textui ebraeo additas fuiſſe. Quod licet initio viua voce factum fuerit; litteris tamen etiam tandem conſignari potuerunt. Certe IONATHANEM primum, deinceps & ONKELOSVM, paraphraſes antea exſiſtentes emendaſſe, atque in ordinem redegiſſe, quorumdam eſt ſententia. Hoc iam a me obſeruatum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VII.* ad *§. XVII. p. 1198.* In contrarium autem currunt, qui paraphraſium chaldaicarum originem longe recentiorem faciunt, immo ad quintum poſt Chriſtum natum ſaeculum referunt. Ita IO. MORINVS *exercitation. biblicar. lib. II. exercitat. VIII. cap. II. p. 321.* Atque hi illud praecipue vrgent, quod nec FL. IOSEPHVS, nec ex antiquis eccleſiae doctoribus ORIGENES ac HIERONYMVS, qui rerum ebraicarum prae ceteris fuerunt peritiſſimi, vllam iſtarum paraphraſium faciant mentionem. Atque id omnino mirum alicui videri poſſet; nec tamen rem prorſus conficit, cum probabiles quaedam, cur auctores iſti nullam harum paraphraſium mentionem iniecerint, afferri rationes queant; quod & ab aliis factum, ſpeciatim ab AVG. PFEIFFERO, in *crit. ſacr. cap. VIII. ſect. II. quaeſt. I. p. 329.* itemque IO. CHRIST. WOLFIO *bibliotb. ebr. part. II. lib. VI. cap. I. §. IX. p. 1145.*

Iam vt ad ſingulas paraphraſes deſcendamus, primo ſe nobis loco offert ONKELOSVS, qui pentateuchum vniuerſum maxime

Digitized by Google

xime litteraliter tranſtulit. Nimirum ordinis, quo libri biblici diſpoſiti ſunt, nunc habemus rationem. Aetatem enim ſi ſpectes, ONKELOS IONATHANE iunior eſſe traditur; idque vel inde probari poteſt, quod Gamalielis, qui Pauli apoſtoli praeceptor fuit, morti interfuiſſe, eique iuſta feciſſe, & in eius funere LXX libras opobalſami inſumſiſſe dicitur, in *tractat. anodah ſarah cap. I.* Vnde porro colligitur, eum ſeruatori noſtro fuiſſe *σύγχρονον*; qua in re & viri doctiſſimi conſentiunt. Repugnare equidem videtur, quod nonnulli ex Ebraeorum magiſtris, eum ſororis Titi imperatoris fuiſſe filium, referunt, vt talmudici doctores in *tract. gittim. cap. V. fol. 56.* Sed illum ONKELOSVM filium KALONYMOS, cuius ibi mentio iniicitur, diuerſum eſſe a paraphraſte noſtro, viri docti luculentis rationibus oſtenderunt. Conferendus IVL. BARTOLOCCIVS in *biblioth. rabbin. magna tom. I. p. 405.* Non minus vero egregie falluntur, qui paraphraſten huncce ONKELOSVM eumdem cum AQVILA Pontico faciunt, qui codicem ebraeum in linguam graecam tranſtulit; quem errorem praeter alios in ROB. BELLARMINO caſtigauit CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus, cap. III. p. 35.* Recteque omnino PETR. DAN. HVETIVS pronuntiat: *Qui Onkelon & Ionathanem, aliqua fortaſſe nominum ſimilitudine ducti, Aquilam & Theodotionem fuiſſe volunt, bonam iis mentem precamur; de interpretatione lib. II. p. 157.* In eamdem nihilominus ſententiam, ONKELOSVM & AQVILAM eumdem eſſe, ingreſſus eſt ISAACVS VOSSIVS, in *tract. de ſeptuaginta interpretibus*; quem ideo refutat PETR. DAN. HVETIVS, in *epiſt. ad Iſaacum Voſſium*, quam TILLADETVS abbas exhibet *dans les diſſertations ſur diverſes matieres de religion & de philologie &c. tom. II. p. 455.* Dum autem idem vir doctiſſimus dicit: *Nec leue illud eſt, quod Aquilam eumdem eſſe ſtatuis ac Onkelon, idque ex rabbinis ipſis, quibus tamen adcurate diſtinguuntur; hunc enim conſtanter* אונקלוס *adpellant, illum* עקילס. vir quidem doctiſſimus IO. CHRIST. WOLFIVS, poſtquam eadem haecce verba recitauit, addit: *Nollem ſane virum magnum tam confidenter ad diſtinctionem Onkeloſi & Aquilae a rabbinis factam, prouocaſſe. Illa enim adeo non perpetua eſt, vt potius is, qui in talmude babylonico, megilla cap. I. ſect. X. vocatur* אונקלוס *idem in hieroſolymitano dicatur* עקילס; *biblioth. ebr. part. II. lib. VI. cap. II. ſect. I. §. II. p. 1149.* ONKELOSVM excipit IONATHAN filius VZIELIS, de cuius aetate iam antea diſputauimus. Ab eo *prophetas priores poſterioresque* tranſlatos, itidem iam diximus. Circumfertur equidem ſub eius nomine etiam paraphraſis pentateuchi; ſed eam ſuppoſititiam eſſe, ex ſtili diuerſitate, aliisque rationibus viri docti euicerunt. Fuerunt tamen nonnulli, qui & huius paraphraſeos auctorem IONATHANEM eſſe exiſtimarunt; aut ſi non ſit, aliam quamdam ab eo confectam quae non amplius exſtet; eo quod parum probabile ſit, IONATHANEM, lege praetermiſſa, prophetas tranſtuliſſe. Nimirum adſumunt, ONKELOSI paraphraſin in pentateuchum poſt IONATHANIS paraphraſin editam eſſe; quod qui negant, facile hinc ſe expediunt, quibus tamen rurſus vtriusque obſtat aetas. Sed nihil impedire, quo minus adſeramus, iam ante IONATHANIS paraphraſin prophetarum aliam quamdam pentateuchi exſtitiſſe ex iis, quae antea diximus, liquet. *Paraphraſis* autem illa *in prophetas priores & poſteriores*, cuius mentionem fecimus, vti recte IONATHANI huic tribuitur; ita non integram puramque, ſed variis in locis mutatam ac interpolatam, ad nos veniſſe, viris doctis obſeruatum eſt. Legenda omnino, quae hac de re docet PETR. ALLIXIVS, in *dem Auſſpruch der alten iüdiſchen Kirchen*

chen wieder die Vnitarios, *cap. VII. p. 70.* Praeter ONKELOSI, & eam, quae perperam IONATHANI tribuitur, & alia exſtat *pentateuchi*, ſecundum dialectum Hieroſolymitanam, vnde & *targum Hieroſolymitanum* vocatur, cuius auctor incertus eſt. Immo cum targum hoc non continuum ſit, ſed interdum commata plura, aut omnino integra tranſiliat capita, ſubinde etiam ad vnum idemque comma duplicem adferat interpretationem; illud pro excerptis ex aliis targumim habendum eſſe, quae a variis auctoribus ſint locupletata, ita vt collectionis quoque iſtius diuerſa exſtiterint exempla, tum pleniora, tum minus plena, non ſine ratione contendit IO. CHRIST. WOLFIVS *l. c. lib. VI. cap. II. ſect. III. pag. 1169.* Occurrere autem in hacce *paraphraſi* nonnulla, quae cum ſententiis, formulisque quibusdam loquendi in nouo teſtamento conueniant, obſeruat HVMFR. PRIDEAVX, in *concordia veteris nouique teſtamenti cum Iudaeorum gentiumque vicinarum hiſtoria &c. part. II. lib. VIII. p. 657.* editionis germanicae. Ceterum nulla paraphraſis antiquitatis notam fert genuinam, praeter illas IONATHANIS & ONKELOSI, quas antea memorauimus. Hinc &, quid de paraphraſi *hagiographorum* & *megilloth* cenſendum ſit, patet. Plurimi paraphraſeos hagiographorum auctorem R. IOSEPHVM *luscum* ſiue *caecum* eſſe ferunt; qua quidem ratione ad ſaeculum poſt Chriſtum natum quartum referenda fuerit. Sed quousque hoc admitti queat, luculenter exponit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *l. c. ſect. IV. §. III. pag. 1175.* vbi & docet, paraphraſium, quae in hagiographa & megilloth exſtant, plures eſſe auctores, atque hinc illam, quae tum in dictione, tum in ratione commentandi conſpicitur, repetendam eſſe varietatem. Paraphraſis in *libros chronicorum* conſepulta hactenus iacuit, donec anno 1680 & 83 eam in lucem protraheret, & cum verſione latina ac notis Auguſtae Vindelicorum ederet MATTH. FRID. BECKIVS. Nouam *paraphraſeos* iſtius in *libros chronicorum* editionem in lucem emiſit DAVID WILKINS, qui & nouam addidit verſionem, praefationemque praemiſit; Amſtelodami 1715. 4. Inſcribitur ea: *paraphraſis chaldaica in librum priorem & poſteriorem chronicorum, auctore R. Ioſepho, rectore academiae in Syria, nunc demum e manuſcripto Cantabrigienſi deſcripta, ac cum verſione latina in lucem miſſa.* Circa quam inſcriptionem IOAN. CHRISTOPH. WOLFIVS *l. c. pag. 1179.* monet, R. IOSEPHO hanc paraphraſin non alio argumento adſcribi, quam quod is vulgo auctor paraphraſeos in *hagiographa*, quibus & *libri chronicorum* adnumerantur, dicatur. Deinde pro *rectore academiae in Syria* rectius editorem ſcripturum fuiſſe *rectorem academiae Soranae*, ſcilicet in Babylonia. In librum *Danielis*, *Eſrae & Nehemiae*, nullam exſtare paraphraſin, iamdudum viris doctis obſeruatum eſt. Eiusque rei haec reddi ratio ſolet, quod in libro Danielis & Eſrae nonnulla legantur chaldaice ſcripta, vt adeo in iis interpretatio chaldaica minime neceſſaria fuerit. Praeterquam vero, quod in vtroque libro etiam quaedam ebraea occurrant; in *libro Nehemiae* haec ratio non procedit. Probabilius itaque aliis videtur, vt reliquorum veteris teſtamenti librorum, ita horum quoque olim paraphraſes exſtitiſſe, quae tamen aut perierint, aut alicubi adhuc deliteſcant. Namque & de *libris chronicorum* olim dubitabatur, an in eos paraphraſis exſtiterit, donec ea in lucem proferretur. Legendus praeter alios hac de re HVMPHREDVS PRIDEAVX *loco* antea *citato part. II. lib. VIII. pag. 648.*

De verſionibus & editionibus paraphraſeon chaldaicarum legendi AVGVST. PFEIFFERVS *crit. ſacr. cap. VIII. §. XV. p. 305.* & IO. CHR. WOLFIVS *biblioth. ebr. part.*

Digitized by Google

part. II. lib. VI. cap. II. p. 1147. ſeqq. cumprimis & IAC. LE LONG, in *bibliotheca ſacra, ſeu ſyllabo omnium ferme ſacrae ſcripturae editionum, ac verſionum, cap. II. ſect. II. pag. 157. ſeqq.* Exhiberi autem paraphraſes chaldaicae etiam ſolent in *bibliis polyglottis*, itemque *rabbinicis*, de quibus ſupra dictum. Quae in *bibliis rabbinicis Baſileenſibus* IO. BVXTORFII conſpiciuntur, id praecipui habent, quod punctis vocalibus, quantum fieri potuit, adcurate ſint instructae. Nimirum paraphraſes illas initio, vt alia ſcripta rabbinica, ſine punctis vocalibus exaratas fuiſſe, conſtat, viriſque doctis obſeruatum eſt. Defectum iſtorum punctorum quodammodo ſuppleuerunt litterae, יוא quae *matres lectionis* vocari ſolent. Succeſſu temporis ab incertis auctoribus puncta vocalia paraphraſibus chaldaicis addita ſunt; ſed nulla nec analogiae, nec orthographiae habita ratione, relictaeque ſimul in textu ſunt litterae iſtae vocalium indices; vnde confuſa, parumque exacta punctatio orta, quam Venetae, aliaeque bibliorum editiones retinuerunt. Huic malo etſi medela adhiberi coepta ſit in editionibus bibliorum Complutenſi & Antwerpienſi; plurima tamen remanſerunt, quae emendationem deſiderarent. Quod itaque vix ſperari poterat, tandem perfecit quodammodo IO. BVXTORFIVS, & paraphraſes chaldaicas ad analogiam libri Danielis & Esrae, punctis vocalibus inſtructas, emendataſque adeo & correctas, exhibuit. Inſtitutum equidem hocce, textum chaldaicum punctis inſtruendi, valde diſplicuit RICH. SIMONI, eo quod primi iſti, qui ex Iudaeis textui chaldaico puncta addiderunt, homines fuerint imperiti, eoque iam tempore vixerint, quo lingua chaldaica non amplius in vſu erat. Omnium vero minime illi placet punctatio IO. BVXTORFII, etſi alii hanc ceu adcuratiſſimam reliquis omnibus praeferant, eo quod *per eam ſenſus textus nimium limitetur*; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XVIII. p. 302.* Quaſi vero tum demum laudandae ſint interpretationes, ſi ſenſum vagum, ambiguum, incertum fundant, qui a quolibet pro lubitu detorqueri poſſit. Talem quidem totius ſcripturae ſacrae ſenſum SIMON vellet. Regulas punctationis ſibi formauerat BVXTORFIVS, ſecundum eam, quae in *libris Esrae* & *Danielis*, exſtat: quod recte fieri SIMON negat, vti iam ſupra obſeruauimus. Sed erraſſe hac in re BVXTORFIVM, probari nequit. Eſto, diſcrimen aliquod inter linguam chaldaicam paraphraſeon, & librorum Danielis ac Esrae intercedat; hoc tamen tantum eſſe, vt eadem vtrobique punctatio locum non inueniat, id enimuero euincendum erat.

Sed miſſis hiſce, de auctoritate & pretio iſtarum paraphraſium aliquid addendum eſt. Apud Iudaeos auctoritas paraphraſtarum, praeſertim ONKELOSI & IONATHANIS, irrefragabilis & fere diuina eſt, adeo, vt eorum interpretationes textui ſacro aequiparare non dubitent. Hinc & miracula quaedam dum paraphraſes iſtae conficiebantur, contigiſſe, fingunt. Nec tamen ab illis interdum diſcedere, ſibi religioni ducunt; quamuis non niſi ſumma quadam neceſſitate coacti hoc faciant; vt, quando locis iſtis, quae paraphraſtae de Meſſia explicant, vrgentur. Paſſim hoc iam viris eruditis, BRIANO WALTONO, in *adparatu biblico, prolegom. XII. §. XVI. p. 386.* MICH. WALTHERO, in *officina biblica p. m. 256.* AVG. PFEIFFERO, *crit. ſacr. cap. VIII. ſect. II. quaeſt. XVI. p. 371.* aliiſque obſeruatum eſt. Chriſtiani doctores de pretio & vſu iſtarum paraphraſeon itidem inter ſe diſſentiunt. Diſputatum ea de re fuit, cum iuſſu & auctoritate XIMENII cardinalis biblia polyglotta Complutenſia imprimerentur, & deinceps iterum, cum ſub Philippo II Hiſpaniae rege biblia Antwerpienſia in lucem emitterentur.

rentur. Nonnulli namque impia & ſuperſtitioſa in hiſce paraphraſibus contineri, contendebant, dignasque adeo eſſe, quae aeternis tenebris conſepultae iacerent, tantum abeſt, vt tam ſplendidis bibliorum editionibus deberent inſeri. Bibliis itaque Complutenſibus ONKELOSI tantum inſerta eſt paraphraſis pentateuchi; reliquae in linguam latinam translatae, ſimulque correctae, reſectis gloſſis, quae inutiles & ſuperſtitioſae videbantur, atque bibliothecae academiae Complutenſis incluſae ſunt; vti ſupra iam docuimus, cum de bibliis Antwerpienſibus verba faceremus. BENED. ARIAS tamen Montanus paraphraſes chaldaicas, quas nanciſci potuit, a fabulis tamen iudaicis repurgatas, bibliis Antwerpienſibus inſeruit; quamobrem non illi tantum, ſed & doctoribus Louanienſibus, qui verſionem latinam paraphraſeon cenſura ſua adprobauerant, controuerſia mota eſt, ac ſi aliquid, quod in chriſtianam religionem iniurium eſſet, admiſiſſent. Ea re inductus FRANC. LVCAS Brugenſis, theologus Louanienſis, tractatum *de chaldaica ſcripturae ſacrae paraphraſi* edidit, in quo theologos Louanienſes, contra eos, qui iudaicam ab illis ſuperſtitionem adprobatam, clamitabant, defendit; vti RICH. SIMONI obſeruatum *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XVIII. pag. 303.* Cum biblia polyglotta Pariſienſia, curante GVID. MICH. LE IAY, imprimerentur; monachus quidam Hiſpanus, ANDR. DE LEON Zamorenſis, ad illum epiſtolam ſcripſit, qua eum dehortatur, ne paraphraſes chaldaicas ob impia & blaſphema, quae contineant, operi huic insereret. Exſtat ea epiſtola in AMELOTI *monumentis epiſtolicis virorum doctorum, qui ſcripſerunt de antiquitatibus eccleſiae orientalis num. III. pag. 131. ſeqq.* & ob hominis inſcitiam ſatis lepida eſt. Sed parum iſte ſua dehortatione profecit, paraphraſibus chaldaicis omnino huic etiam operi inſertis. Et merito quidem. Quae enim impia & ſuperſtitioſa in iis occurrunt, facile a perito lectore diiudicari poſſunt, nec cum noxiis ſtatim reiicienda ſunt aut proſcribenda vtilia. RICH. SIMONE iudice vtilitas, quae ad chriſtianos ex hiſce translationibus redundare poteſt, neutiquam tanta eſt, ac multi credunt; cum certum contra ſit, in Iudaeorum hoc commodum cedere, quod paraphraſes iſtae noſtris bibliis inſerantur, eo quod ſibi perſuadeant, ſuas ſimul comprobari nugas, dum eodem loco has translationes a nobis haberi putant, quo veteres iſtae verſiones habentur, quibus adiunctae conſpiciuntur. Non equidem negat, PETRVM GALATINVM, aliosque harum paraphraſeon auctoritate & teſtimonio, in quibusdam fidei articulis, ſpeciatim in doctrina de Chriſto, contra Iudaeos, vſos eſſe; quantumuis autem haecce teſtimonia contra Iudaeos efficaciſſima videantur, cum paraphraſeon iſtarum magna apud eos ſit auctoritas; exiguum tamen eſſe, quod ad religionem chriſtianam redundet, commodum, ſi libri fabulis atque commentis referti in ſubſidium aduocentur; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XVIII. pag 304.* Verum, etſi concedatur, fabulis iudaicis refertas eſſe paraphraſes iſtas; quod tamen de poſterioribus potius, quam prioribus intelligendum: recte nihiloſecius κατ' ἄνθρωπον opponuntur Iudaeis, apud quos maximam earum eſſe auctoritatem, antea obſeruauimus, nec ipſemet SIMON hoc diffitetur. Rectius alii, iique doctiſſimi viri, inſignem prorſusque egregium iſtarum paraphraſeon eſſe vſum, agnoſcunt. Non tantum enim textus ebraei, cui conformes ſunt, integritatem confirmant, locisque obſcurioribus paſſim lucem adfundunt, antiquitatumque ebraearum notitiae comparandae inſeruiunt; ſed in controuerſiis quoque iudaicis ingens nobis ſubinde contra Iudaeos adferunt praeſidium, dum loca varia veteris teſtamenti de Meſſia explicant, quae

quae recentiores Iudaei de eo intelligenda eſſe negant. Copioſius haec omnia ediſſerunt CHR. HELVICVS, in *tractatu hiſtorico & theologico de chaldaicis bibliorum paraphraſibus &c. cap. IV. ſeqq.* BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico, prolegom. XII. §. XVI. ſeqq. pag. 387. ſeqq.* AVG. PFEIFFERVS *crit. ſacr. cap. VIII. ſect. II. qu. XVII. pag. 376. ſeqq.* LVDOV. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VIII. §. I. p. 211.* PETR. ALLIXIVS, in *dem Ausſpruch der alten iüdiſchen Kirchen wieder die Vnitarios &c.* paſſim, qui & ideo *cap. VII. p. 66. ſeqq.* de auctoritate & antiquitate iſtarum paraphraſeon agit; HVMFREDVS PRIDEAVX, in *dem alten vnd neuen Teſtament in eine connexion mit der Iuden vnd benachbarten Voelcker Hiſtorie gebracht &c. part. II. lib. VIII. pag. 666.* Cumprimis autem obſeruatu digna eſt iſta loquendi formula: מימרא דיי *verbum domini*, quae ſaepiſſime in paraphraſibus chaldaicis occurrit, ea quidem ratione, vt haud obſcure ὑπόστασιν quamdam diuinam, ſpeciatim eam, quam nos filium Dei vocamus, denotare videatur. Loca quae huc faciunt, exhibet PETR. ALLIXIVS, in *dem Ausſpruch der alten iüdiſchen Kirche wieder die Vnitarios &c. cap. XVI. pag. 202. ſeqq.* Haud leue itaque in doctrina de myſterio trinitatis, deque Chriſto vero non tantum homine, ſed & vero Deo, hic ſibi praeſidium viri docti inueniſſe viſi ſunt, idque contra Iudaeos poſt RAYM. MARTINI, atque PETR. GALATINVM, vrgent CHRIST. HELVICVS *de paraphraſibus chaldaicis cap. V.* aliique quamplurimi; conf. AVG. PFEIFFERI *critica ſacra cap. VIII. ſect. II. quaeſt. XVIII. p. 384. ſeqq.* Magnopere contra non tantum Iudaeis, ſed & Socinianis diſplicere, quilibet facile intelligit; vnde hanc loquendi rationem in longe alium trahere ſenſum, ſimulque nobis perſuadere adnituntur, nihil minus paraphraſtis in mentem veniſſe, quam de filio Dei, ceu ὑποστάσει quadam diuina, loqui. Quae hinc recentiori aetate ortae ſint contentiones, poſtquam IONAS SCHLICHTINGIVS in *animaduerſionibus, Georgii Vechneri concioni in Ioan. I.* oppoſitis, id agere coepit, iam expoſui *inſtitut. theol. dogmat. tom. I. lib. II. cap. I.* ad *§. LV. p. 430. ſqq.* Ex noſtratibus THEOD. HACKSPANIVS in eamdem ingreſſus eſt ſententiam, hanc loquendi formulam ex indole genioque linguae chaldaicae explicandam eſſe, adeoque nihil quod Iudaeos feriat, inde colligi poſſe, ad *R. Lipmanni nizzachon pag. 365. ſeqq.* cui ſe praeter alios oppoſuit MICH. HAVEMANNVS, in *prolegomenis ad theognoſiam antiquiſſimam §. IX. ſeqq.* RICH. SIMON illis itidem adnumerandus eſt, qui, chriſtianos nullum in hacce formula contra Iudaeos inuenire praeſidium, exiſtimant; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XXIV. p. 507.* cui etiam in hocce capite ſuffragatur HVMFR. PRIDEAVX *loco ſupra citato part. II. lib. VIII. p. 673.* Verum etſi formula haecce מימרא דיי non eamdem vbique obtineat ſignificationem; quaedam tamen loca tam euidentia eſſe, vt non aliter, quam de ὑποστάσει diuina, & quidem filio Dei explicari queant, intelliget, qui cuncta adcurate, & animo a partium ſtudio remoto, conſiderauerit. Conferenda IO. HENR. MICHAELIS, aut ſi mauis, IO. IOACH. LANGII *diſſertatio de targumim, ſeu verſionum ac paraphraſium veteris teſtam. chaldaicarum, vſu inſigni anti-iudaico in doctrina de perſona Chriſti &c.* Halae an. 1720. 4. Cumprimis addenda, quae more ſuo erudite hac de re diſſerit IOAN. CHR. WOLFIVS, *bibliotb. ebr. part. II. lib. VI. cap. III. §. IV. pag. 1185. ſeqq.* qui & *§. V. pag. 1189. ſeqq.* auctores, qui plura de paraphraſibus chaldaicis dabunt, laudat.

** Chaldaicas paraphraſes veteris teſtamenti merito excipiunt *verſiones graecae;* quas inter primum locum occupat,

Digitized by Google

quae LXX interpretum vulgo vocatur. Exſtiteritne autem verſio graeca adhuc antiquior, ſaltem pentateuchi, ante Alexandri magni tempora confecta, ex qua Graecorum philoſophi Pythagoras, Plato, aliique, gentis ebraeae myſteria hauſerint, quod ARISTOBVLVS adſerit, apud CLEMENTEM Alexandrinum *lib. I. ſtrom. p. 342.* & EVSEBIVM *praeparat. euangel. lib. XIII. cap. XII.* de eo acriter inter eruditos diſputatur. Sunt, qui huc adfirmant, ſunt, qui negant. Qui adfirmant, non tantum ad ARISTOBVLI iſtud teſtimonium, ſed & ad DEMETRII PHALEREI epiſtolam ad Ptolomaeum philadelphum prouocant, quae apud FL. IOSEPHVM exſtat, *antiquitat. iud. lib. XII. cap. II.* Sed ARISTOBVLI teſtimonium tanti non eſſe, vt fidem mereatur, dudum viri docti demonſtrarunt. Legenda quae de ARISTOBVLO hocce copioſe diſputat HVMFR. HODIVS, *de bibliorum textibus originalibus &c. lib. I. cap. IX. pag. 49. ſeqq.* DEMETRII PHALEREI hoc itidem non euincere verba, iam a me obſeruatum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad §. *XII. p. 1031.* PETR. DANIEL. HVETIVS, adlatis vtriusque partis argumentis, mediam quamdam ſententiam amplecti voluit, ſcilicet non totum pentateuchum, ſed partes tantum eius quasdam, ante Alexandrum graece redditas fuiſſe, contendens; *demonſtrat. euangel. prop. IV. cap. XII. p. m. 239.* At eiusmodi pugnat rationibus, quae hoc vix euincunt. Graecorum philoſophos, ſpeciatim Platonem, ab Ebraeis quaedam accepiſſe, nondum probatum eſt. Etſi enim nonnulli, praeeuntibus IVSTINO martyre, CLEMENTE Alexandrino, aliisque patribus, hoc adſerunt; non deſunt tamen, qui hoc negant, vti ſupra *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXII.* docuimus. Quodſi etiam hoc concedatur, nondum inde ſequitur, verſionem quamdam graecam codicis ebraei eo tempore exſtitiſſe; cum nihil obſtet, quo minus ex colloquiis cum Iudaeis, in Aegypto aut alibi, quaedam diſcere potuerint; quod ſpeciatim de Pythagora nonnulli adfirmant. Plura de verſionibus graecis, quae ante ſeptuaginta-viralem confectae dicuntur, dabit BRIANVS WALTONVS in *adparatu biblico, prolegom. IX. §. VI. p. 313.*

Ad eam vero verſionem, quae ſeptuaginta interpretibus tribuitur, quod attinet, hiſtoria eius, prout vulgo traditur, ſatis nota eſt, & ſummatim exhibetur a FRIDER. SPANHEMIO in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtamenti p. 425. ſeqq.* itemque a me ipſo itidem in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtamenti tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XII. p. 1032.* Nititur ea narratio maximam partem auctoritate ARISTEAE, qui ſe pro Ptolomaei philadelphi, Aegypti regis, miniſtro venditat, a quo cum Andrea, eiusdem regis ἀρχισωματοφύλακι, ad Eleazarum pontificem, librorum ſacrorum, interpretumque impetrandorum cauſſa, miſſus fuerit, cuiusue *hiſtoria* iſta *ſeptuaginta interpretum*, quae hodie adhuc exſtat, eſſe dicitur. Ab hocce certe auctore eam profectam, magno conſenſu veteres pariter ac recentiores crediderunt, propugnante acriter hanc ſententiam BRIANO WALTONO, *loco* antea *citato*, cumprimis autem ISAACO VOSSIO, *de LXX interpretibus cap. IV.* alibique, itemque NIC. LE NOVRRI, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum tom. I. diſſert. XI. p. 225. ſeqq.* Alii contra, non ab ARISTEA, qui tempore Ptolomaei philadelphi vixerit, ſed a Iudaeo quodam Alexandrino, librum huncce ſcriptum, contendunt, qui, ad auctoritatem, verſioni graecae, quae inter Iudaeos helleniſtas obtinebat, conciliandam, ARISTEAE nomine tegi voluerit. Iudaeos enim helleniſtas, praeſertim Alexandrinos, omnem mouiſſe lapidem, vt verſio graeca, qua vtebantur, non minoris fieret, quam codex ebraeus, quem Iudaei ebraizantes tantopere extollebant, viris doctis ob-

Digitized by Google

obſeruatum eſt. Ex eorum itaque numero, qui apocrypha Tobiae, Iudith, aliaque, procudere auſi ſunt, huius quoque libri auctorem fuiſſe, ANT. VAN DALE coniicit, qui & illud addit, cum auctor gentilis videri velit, tam male tamen hancce ſuſtinere perſonam, vt ſubinde talia admiſceat, quae Iudaeum prodant; *diſſertat. ſuper Ariſtea cap. I. p. 2.* Primum, qui de auctore hocce dubium mouit, LVDOV. VIVEM fuiſſe, conſtat, ad *Auguſtin. de ciuit. Dei lib. XL. cap. XLII.* quem praeter alios ſequutus eſt IOSEPH. IVST. SCALIGER, ad *Euſebii chron. num. MDCCXXXV. pag. 133.* cui licet IAC. VSSERIVM & ISAAC. CASAVBONVM opponat BRIANVS WALTONVS, in *adparatu bibl. prolegom. IX. §. IV. pag. 312.* fuerunt tamen plurimi, qui SCALIGERO ſuffragarentur, quod ex ipſis quoque romanenſibus RICH. SIMON fecit, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. II. p. 187.* Cum vero ISAAC. VOSSIVS pſeudo-Ariſteae huius patrocinium magno conatu in ſe ſuſcepiſſet; HVMFR. quidem HODIVS aduerſus *hiſtoriam Ariſteae* librum conſcripſit, editum Oxonii anno 1684. Contra quem cum iterum VOSSIVS, in *adpendice obſeruationum in Pomponium Melam*, in aciem prodiiſſet; HODIO hinc occaſio enata fuit, adcuratiori ſtudio idem argumentum pertractandi, in *libris quatuor de bibliorum textibus originalibus, verſionibus graecis, & latina vulgata*, Oxonii an. 1705. fol. editis. Non minus vero in explodendis pſeudo-Ariſteae huius fabulis atque commentis ingenii vires exercere voluit ANTON. VAN DALE, in *diſſertatione ſuper Ariſtea de ſeptuaginta interpretibus*, Amſtelodami 1705. 4. euulgata. Praecipuas rationes, quibus probari queat, librum huncce perperam tribui ARISTEAE, ipſemet exhibui in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XII. pag. 1038.* Editiones varias *hiſtoriae* huius ARISTEAE verſionesque recenſet IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. cap. XII. §. II. p. 317. ſeqq.* Eminet inter eas, quae Oxonii anno 1691. 8. cura praecipue EDVARDI BERNHARDI prodiit, quam ſequuti ſunt, ipſam ARISTEAE *hiſtoriam* hancce operibus, quibus ſpuriam & ſuppoſititiam eam eſſe, probare adgreſſi ſunt, quaeue iam laudauimus, inſerendo, HVMFR. HODIVS, atque ANTON. VAN DALE.

Ceterum pſeudo-ARISTEAE de LXX interpretibus commenta nouis deinde figmentis aucta ſunt atque locupletata. Huc iſta de diuino iſtorum interpretum adflatu perſuaſio ſpectat, quae, cum iam PHILONIS animo haeſerit, vt ex *libro* eius *ſecundo de vita Moſis p. 510.* conſtat; non ſine ratione viri docti inde colligunt, iam tum a Iudaeis Alexandrinis eiusmodi quid excogitatum fuiſſe, vt haberent, quod Iudaeis ebraizantibus, & diuinam ebraei codicis auctoritatem extollentibus, opponerent; conf. HVMFR. HODIVS *de librorum textibus original. &c. lib. II. cap. VI. pag. 136.* Eadem deinceps IRENAEO, CLEMENTI Alexandrino, aliisque veteris eccleſiae doctoribus, placuit ſententia, quorum loca iam indicaui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. l. c. pag. 1033.* a qua nec CAES. BARONIVM, ROB. BELLARMINVM, aliosque recentiorum, alienos eſſe, ibidem docui; quam tamen vel ipſe refellit pſeudo-ARISTEAS, dum interpretes hosce de ſingulis inter ſe contuliſſe, refert, & ſi conſentirent, tum demum litteris ea conſignaſſe. Qua quidem collatione opus non fuiſſet, ſi diuino perculſi fuiſſent adflatu. Nihil de eo dicam, quod verſio haecce plurimis grauiſſimisque ſcateat erroribus; quod perperam irritoque plane conatu ab IS. VOSSIO negari, deinceps dicemus. Acceſſit alia, eaque ſatis famoſa fabula, de 72 cellulis diuerſis, in quibus interpretes a ſe inuicem ſeparati, verſionem ſinguli adornauerint, conſpirantes amice inter ſe inuicem, nec in vno verbo

Digitized by Google

verbo aut apice diſcrepantes. Primus, qui iſtarum cellularum meminit, IVSTINVS martyr eſt, qui &, veſtigia earum in inſula Pharo ſibi monſtrata fuiſſe, adfirmat: in *cohortat. ad Graecos p. m. 74.* editionis HVTCHINI. IVSTINI exemplo & auctoritate inducti idem adſerunt IRENAEVS, *adu. haereſes lib. III. cap. XXV.* cuius locum & EVSEBIVS exhibet, *hiſtor. eccleſ. lib. V. cap. VIII.* CYRILLVS Hieroſolymitanus *catecheſi IV. p. 37.* aliique veterum pariter ac recentiorum. EPIPHANIVS a reliquis in eo diſcedit, quod non ſingulis, ſed binis, vnam cellulam adſignat; *de menſuris & ponderib. tom. II. oper. p. m. 161.* Sic & IVSTINIANVS imperator, ad ſingularem verſioni huic conciliandam auctoritatem hoc pertinere, credit, quod interpretes iſti κατὰ δύο διαιρεθέντες *bini numero iuncti, ſicque ab inuicem & locis quoque diſcreti, tamen omnes eamdem interpretationem reddiderint; nouel. CXLVI.* Ad Iudaeos quoque famam de cellulis iſtis transiiſſe, oſtendunt ANT. VAN DALE & HVMFR. HODIVS, ille in *diſſertat. ſuper Ariſtea cap. XVII. pag. 134.* hic autem *de biblior. textibus originalib. &c. lib. II. cap. VI. pag. 138. 139.* Praeterquam vero, quod nec ARISTEAS ipſe, nec FLAVIVS IOSEPHVS, cellularum iſtarum vllam mentionem fecerint; aliae quoque obſtant rationes grauiſſimae, quo minus, quod de iis dicitur, admitti queat. Recte itaque ab HVMFR. HODIO atque ANT. VAN DALE cellulae iſtae inter fabulas inaniaque referuntur commenta. Addenda iterum, quae de iiſdem diſputaui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. l. c. p. 1034. ſeqq.* Originem fabulae nonnulli inde repetunt, quod verſio codicis ebraei graeca a ſynedrio Iudaeorum Alexandrino, quod LXX conſtiterit membris, adprobata ſit; qua de re deinceps dicemus. Hinc enim perſuaſio primum de ſeptuaginta interpretibus, deinde & fabula de totidem cellulis, enata videtur. Addunt, qui de verſione iſta LXX interpretum nihil niſi miracula nobis narrant, & hoc verſionem iſtam LXXII dierum ſpatio confectam eſſe; quod pſeudo-ARISTEAS, FLAVIVS IOSEPHVS, aliique veterum tradunt, ſuffragantibus & recentioribus quibusdam cumprimis BRIANO WALTONO, in *adparatu bibl. prolegom. IX. §. X. pag. 316.* Sed non conueniunt inter ſe, qui hoc adſerunt, num vniuerſos libros, qui eo tempore in Iudaeorum canone exſtabant, in Ptolomaei gratiam interpretes iſti transtulerint, an tantum pentateuchum? Prius IRENAEVS, CLEMENS Alexandrinus, EPIPHANIVS, aliique adfirmant; poſterius praeter ipſum pſeudo-ARISTEAM, atque FL. IOSEPHVM, PHILO, *lib. II. de vita Moſis p. 510.* cui & plurimi ex recentioribus ſuffragantur ſententiae, vt IAC. VSSERIVS, IO. GROIVS, WILHELM. SCHICKARDVS, CLAVD. SALMASIVS, IO. LIGHTFOOTVS, aliique, quos laudat HVMFR. HODIVS *de biblior. textibus originalibus lib. II. cap. VII. p. 159. ſeqq.* qui ipſe quoque eamdem tuetur, quod & ANT. VAN DALE facit, *diſſertat. ſuper Ariſtea p. 179. ſeqq.* Eaque ſi admittatur, ſine miraculo fieri potuiſſe videtur, vt 72 dierum ſpatio verſio pentateuchi abſolueretur. Totius tamen etiam codicis ebraei verſionem ſi ſinguli partem eius aliquam transtulerint, 72 dierum ſpatio abſolui potuiſſe, oſtendit CHR. KORHOLTVS, *de variis ſcripturae editionib. cap. VI. pag. 53. ſeqq.* Sed non eſt, quod hac de re multum ſimus ſolliciti, cum tota iſta narratio, de verſione hacce 72 dierum ſpatio confecta, fide nitatur pſeudo-ARISTEAE, hoc eſt, admodum incerta, immo prorſus nulla.

Si autem quaeratur, quid ergo tandem de iſta verſione graeca, quae ſub 70 interpretum nomine exſtat, cenſendum ſit? iam alibi, ſcilicet in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XII. pag. 1039.* profeſſus ſum, illorum maxime mihi probari

bari ſententiam, qui, reiecta abſona illa, de LXX interpretibus a Ptolomaeo philadelpho in Aegyptum arceſſitis, fabula, veteris teſtamenti libros canonicos non ab vno eodemque auctore, ſed a variis, non multum tamen diuerſo tempore, Alexandriae in gratiam Iudaeorum, qui graeca lingua vtebantur, translatos, ſtatuunt. Quemadmodum porro iidem viri docti in eo fere conſentiunt, ſub Ptolomaeo philadelpho verſionis iſtius factum initium; ita vtrum tota iam ſub hocce rege, an paullo ſerius, an ſub Ptolomaeo demum philometore, qui in agro Heliopolitano Iudaeis templum condere permiſit, tempore Iudae Maccabaei, ad finem ſit perducta, non conueniunt; videturque hoc eiusmodi eſſe, vt certo definiri nequeat. Fuſius haec ediſſerunt HVMFR. HODIVS & ANTON. VAN DALE, *locis* ſaepe iam *citatis*; ſummatim rem omnem exponit IOAN. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. cap. XI. §. V. p. 324.* HVMFR. HODIO probabile videtur, verſionem hanc confectam eo tempore, quo ſimul regnarunt Ptolomaeus Lagi, & filius eius philadelphus; *lib. II. cap. II. p. 91. ſqq.* Auctores praeterea verſionis, librorum ſaltem plurimorum, Alexandrinos fuiſſe, ex dialecto Alexandrina, quae hinc inde deprehendatur, idem vir doctus probat *l. c. cap. IV. p. 110. ſeqq.* Sunt vero etiam nonnulli, qui, vt iam antea indicauimus, Alexandriae ſynedrium aliquod fuiſſe, contendunt, LXX conſtans membris, a quo cum verſio iſta adprobata ſit, haud difficulter intelligi, putant, vnde opinio iſta de LXX interpretibus orta ſit, quae aliis deinde fabulis ac commentis occaſionem praebuit. Ingreſſus in eam ſententiam eſt FRANC. LEE, cuius opera & ſtudio *tomus ſecundus LXX interpretum*, ſecundum codicem Alexandrinum, vt deinceps dicemus, prodiit, in *prolegomenis*; cui tamen, quod ad ſynedrium iſtud Alexandrinum attinet, dubia quaedam opponit IO. CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XX. part. I. artic. II. p. 55. ſeqq.* Eamdem ſententiam, ſaltem in eo, quod caput cauſſae eſt, calculo ſuo adprobauit DAVID MILLIVS, in *praefatione*, editioni *LXX interpretum*, quae Vitraiecti anno 1725 duobus tomis in 8. prodiit, praemiſſa, ex qua illam repetit, vt non prorſus refragari videatur IO. CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XXIV. part. II. artic. IV. p. 395.*

Quidquid eius ſit, magnam olim apud ipſos Iudaeos verſionis huius fuiſſe auctoritatem, negari nequit; quam pſeudo-ARISTEAS etiam iſte, aliique, variis commentis, fictisque miraculis augere, conati ſunt. Eos tamen partes primas detuliſſe textui ebraico, & credidiſſe, verſionem tum legis Moſaicae, tum reliquorum librorum, ad illius dignitatem non adſurrexiſſe, ſed verborum pondere & efficacia ei ceſſiſſe, patet ex prooemio *eccleſiaſtici*, vbi interpres ſe ipſum inde excuſat; quod ipſa *lex*, *prophetae*, & *reliqui libri*, cum textu ebraico comparati habeant οὐ μικρὰν διαφορὰν *non paruam differentiam.* Interim verſionis huius apud Iudaeos ebraizantes non minorem, quam apud helleniſtas, fuiſſe auctoritatem, ex eo videtur colligi poſſe, quod pſeudo-ARISTEAE aliorumque de eadem commentis, ad dignitatem eius extollendam vnice comparatis, & ipſi fidem adhibuerint; vti ſupra obſeruauimus. Ab aliis tamen nonnulla adferuntur, ex quibus colligas, Iudaeis ebraizantibus hancce verſionem neutiquam probatam. Prouocant namque ad talmudicos doctores, qui in tractatu *ſopherim cap. I. §. VII.* diem illum, quo lex translata fuit, Iſraëli non minus grauem, ac luctuoſum accidiſſe, teſtantur, ac illum, quo maiores eorum vitulum conflarant. Addunt, commemorare Iudaeos, eamdem ob cauſſam ieiunium anniuerſarium inſtitutum fuiſſe, cuius & IO. SELDENVS mentionem facit, *de anno ciuili Iudaeorum cap. VIII.* Mitto reliqua, quae eiusdem ſunt gene-

generis. Atque hinc robur accipere eorum ſententia videtur, qui, ob iſtam verſionem, ſimultates, quae, inter Iudaeos ebraizantes & helleniſtas intercedebant, auctas, exiſtimant, quibus exemplum praeiuit IOSEPH. IVST. SCALIGER, ad *Euſeb. num. MDCCXXXIV.* At refragatur hiſce omnibus maximopere HVMFR. HODIVS, negans, eiusmodi ieiunium vmquam apud Iudaeos inſtitutum fuiſſe, aut tantas inter Iudaeos illorum temporum, ob legem in aliam linguam translatam, fuiſſe ſimultates; cum FL. IOSEPHVS, ipſe Iudaeus Hieroſolymitanus, vir magnus & eruditus, idemque ſacerdos, de graeca hacce verſione, totoque interpretandi negotio ex ARISTEA tam magnifice loquatur. Haec aliaque eiusdem generis copioſe edifferit *lib. III. part. I. cap. I. pag. 221. ſeqq.* vbi etiam helleniſtas verſionem graecam in ſynagogis lectitaſſe, contra IO. LIGHTFOOTVM probat. Forte & quae a Iudaeis ebraizantibus contra hancce verſionem, & rurſus in eius fauorem aut dicta, aut facta ſunt, ita inter ſe conciliari poſſunt, ſi dicamus, eos initio aegre eam tuliſſe, deinceps autem in mitiorem conceſſiſſe ſententiam. Subſequenti autem aetate, & quidem ſub initium ſecundi poſt natum mundi ſeruatorem ſaeculi, ipſi quoque helleniſtae verſionis huius auctoritatem in dubium vocare coeperunt. Videbant namque Iudaei, chriſtianos ex graeca hacce verſione teſtimonia contra ſe depromere. Iis ergo vt obuiam irent, ad textum ebraeum prouocabant, immo, vt chriſtianorum argumenta eluderent, ebraica aliter vertere & explicare conabantur. Qua quidem ratione, dum textum ebraeum ac verſionem graecam inter ſe conferebant, magnamque vtriusque in plurimis deprehendebant diſcrepantiam; vileſcebat tandem quodammodo interpretatio graeca, priſtinamque amittebat auctoritatem. Luculento IVSTINI martyris, ex *dialogo* eius *cum Tryphone Iudaeo*, teſtimonio hoc comprobat HVMFR. HODIVS, *lib. III. part. I. cap. I. pag. 234. ſeqq.* Immo fuerunt inter helleniſtas, qui, reiecta LXX interpretum interpretatione, de nouis verſionibus graecis concinnandis cogitationes ſuſciperent, vt AQVILA Sinopenſis, aliique, de quibus deinceps dicemus.

Non minorem olim apud chriſtianos, quam initio apud Iudaeos, verſionis huius fuiſſe auctoritatem, vel inde intelligitur, quod omnino quidam exiſtimauerint, interpretes hoſce diuino adflatu fuiſſe perculſos, vt, de IRENAEO, CLEMENTE Alexandrino, aliisque, antea obſeruauimus. Enimuero, cum plurimi ex Iudaeis helleniſtis ad chriſtianorum caſtra transiiſſent; qui ex his linguae ebraeae rudes erant, non poterant alia, quam hacce verſione, vti. Accedebat, quod eadem ſubinde vſi eſſent ipſi euangeliſtae & apoſtoli. Semper enim & vbique hanc eos ſequutos verſionem, dici nequit: licet magna fiducia adſerat ISAAC. VOSSIVS, *Chriſtum & apoſtolos eadem verba, & eosdem, quos LXX interpretes* VBIQVE *expreſſiſſe ſenſus; de orac. Sibyllinis cap. XIV. p. m. 277.* Equidem & IRENAEVS adfirmat, *apoſtolos conſonare LXX ſeniorum interpretationi, & interpretationem conſonare apoſtolorum traditioni &c. lib. III. cap. XXV.* Haec CAES. BARONIVS, ROB. BELLARMINVS, BRIANVS WALTONVS, aliique, ita accipiunt, ac ſi dixiſſet, omnia quotquot ex veteri teſtamento ab apoſtolis & euangeliſtis proferuntur teſtimonia, ex graeca hacce verſione petita eſſe. Sed recte alii monent, hoc ſolum ſibi velle IRENAEVM, apoſtolorum de aduentu Chriſti doctrinam conſentire cum prophetarum praedictionibus, quae in graeca iſta verſione legantur. Verſione nimirum hacce ita vſi ſunt euangeliſtae & apoſtoli, vt ab ea interdum etiam diſcederent, & textum ebraeum ſequerentur; qua in re reliqui eccleſiae chriſtianae doctores ſiue patres eos ſequuti ſunt, vti eundo per omnia

omnia ſaecula copioſe oſtendit HVMFR. HODIVS *l. c. lib. III. part. I. cap. II. ſeqq. p. 243. ſeqq.*

Hodie viri docti, harumque rerum periti, in eo fere conſentiunt, haud contemnendam, tum ob antiquitatem, tum quod ipſi viri θεόπνευστοι eadem interdum vſi ſunt, verſionis huius LXX interpretum eſſe auctoritatem. Fatentur etiam, vſum eius tum ad loca quaedam veteris teſtamenti rectius explicanda, tum ad priſcorum Iudaeorum de vero nonnullorum ſacri codicis oraculorum ſenſu ac interpretatione, mentem pernoſcendam, patrum denique, ſiue veteris eccleſiae doctorum, qui ea vſi ſint, ſcripta intelligenda, inſignem eſſe, prorſusque egregium. Cumprimis autem ſtilo ſcriptorum noui teſtamenti lucem pulcherrimam ex hacce verſione adfundi, poſitum adeo eſt extra controuerſiam, vt nemo hoc abnuat; hinc & vel ex hocce capite lectionem eius, ceu vtilem ac neceſſariam, omnes commendant. Ex inſtituto hoc egit theologus Halenſis longe doctiſſimus IO. HENR. MICHAELIS, in *diſſertat. philolog. de vſu LXX interpretum in nouo teſtamento*, Halae 1715. 4. ſuntque huc etiam comparatae IOAN. CONR. SCHWARZII, viri clariſſimi, *obſeruationes quaedam de ſtilo ſeptuaginta interpretum* quas IO. OLEARII *libro de ſtilo noui teſtamenti, animaduerſionibus & notis illuſtrato &c.* & Coburgi 1721. 8. recuſo, adiecit *p. 294. ſeqq.* vbi & varia doctorum quorumdam virorum de hacce verſione iudicia adfert. Addenda &, quae de interpretum horum ſtilo erudite monet IO. GOTTL. CARPZOVIVS, *criticae ſacrae codicis ebraei part. II. cap. II.* ſiue *diſſertat. de verſione LXX interpretum graeca §. V. p. 514. ſeqq.* Naeuorum interim, eorumdemque interdum haud leuium, eam neutiquam eſſe immunem, negari nequit, nec negant, qui animo praeiudicatis opinionibus non impedito, ad ſententiam de ea ferendam accedunt. Hoc certum, quod ſaepe mirum in modum a textu ebraeo diſſentiant; cuius rei cum variae cauſſae eſſe poſſunt, tum haud vltima eſt, quod codice non punctato vſi ſunt. Atque hoc praeter alios recte obſeruat, quem iam laudauimus, vir clariſſimus IO. GOTTL. CARPZOVIVS, *diſſert. cit. §. IV. p. 509. ſeqq.* vbi ſimul recte oſtendit, interpretes hoſce ipſum textum ebraeum; non autem, quae nonnullorum eſt ſententia, paraphraſin chaldaicam, aut, quod alii volunt, codicem ſamaritanum, transtuliſſe. Caute equidem ac circumſpecte hic incedendum eſſe, lubens largior; cum integra prorſus haecce verſio ad nos non peruenerit, ſed quibusdam in locis corrupta ſit, & interpolata; id quod & PETR. DAN. HVETIVS monet *de interpretatione lib. I. p. 57.* fieri etiam queat, vt linguae graecae ignorantia interdum reprehendantur, quae reprehendenda non ſint. Haec omnia vero, vti & reliqua, quae pro hacce verſione dici poſſunt, etiamſi quam adcuratiſſime obſeruentur; remanebunt tamen ſemper naeui plurimi grauiſſimique, qui non aliunde, quam ab ipſorum interpretum aut inſcitia, aut incuria, proficiſci potuerunt. Operam itaque prorſus, oleumque perdidit ISAACVS VOSSIVS, dum magno quidem, ſed vano prorſus, irritoque conatu, ſibi aliisque perſuadere voluit, omnium prorſus naeuorum expertem hanc verſionem, hinc & textui ebraeo non modo aequiparandam, ſed omnino praeferendam, & tantum non θεόπνευστον eſſe. Id namque in *diſſertationib. de ſeptuaginta interpretibus, eorumque translatione & chronologia;* item in *diſſertat. de vera mundi aetate*, praeſertim *cap. II.* porro in *caſtigationibus ob obiecta Georgii Hornii*, & *reſponſione ad obiecta Chriſtiani Schotani*, alibique egit; cumprimis & in ſcriptis, quibus cauſſam ſuam contra RICH. SIMONEM defendit, quae ſupra iam commemorauimus, cum

eben wieder die Vnitarios, cap. VII. p. 70. Praeter ONKELOSI, & eam, quae perperam IONATHANI tribuitur, & alia exſtat *pentateuchi*, ſecundum dialectum Hieroſolymitanam, vnde & *targum Hieroſolymitanum* vocatur, cuius auctor incertus eſt. Immo cum targum hoc non continuum ſit, ſed interdum commata plura, aut omnino integra tranſiliat capita, ſubinde etiam ad vnum idemque comma duplicem adferat interpretationem; illud pro excerptis ex aliis targumim habendum eſſe, quae a variis auctoribus ſint locupletata, ita vt collectionis quoque iſtius diuerſa exſtiterint exempla, tum pleniora, tum minus plena, non ſine ratione contendit IO. CHRIST. WOLFIVS *l. c. lib. VI. cap. II. ſect. III. pag. 1169.* Occurrere autem in hacce *paraphraſi* nonnulla, quae cum ſententiis, formulisque quibusdam loquendi in nouo teſtamento conueniant, obſeruat HVMFR. PRIDEAVX, in *concordia veteris nouique teſtamenti cum Iudaeorum gentiumque vicinarum hiſtoria &c. part. II. lib. VIII. p. 657.* editionis germanicae. Ceterum nulla paraphraſis antiquitatis notam fert genuinam, praeter illas IONATHANIS & ONKELOSI, quas antea memorauimus. Hinc &, quid de paraphraſi *hagiographorum* & *megilloth* cenſendum ſit, patet. Plurimi paraphraſeos hagiographorum auctorem R. IOSEPHVM *luſcum* ſiue *caecum* eſſe ferunt; qua quidem ratione ad ſaeculum poſt Chriſtum natum quartum referenda fuerit. Sed quousque hoc admitti queat, luculenter exponit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *l. c. ſect. IV. §. III. pag. 1175.* vbi & docet, paraphraſium, quae in hagiographa & megilloth exſtant, plures eſſe auctores, atque hinc illam, quae tum in dictione, tum in ratione commentandi conſpicitur, repetendam eſſe varietatem. Paraphraſis in *libros chronicorum* conſepulta hactenus iacuit, donec anno 1680 & 83 eam in lucem protraheret, & cum verſione latina ac notis Auguſtae Vindelicorum ederet MATTH. FRID. BECKIVS. Nouam *paraphraſeos* iſtius in *libros chronicorum* editionem in lucem emiſit DAVID WILKINS, qui & nouam addidit verſionem, praefationemque praemiſit; Amſtelodami 1715. 4. Inſcribitur ea: *paraphraſis chaldaica in librum priorem & poſteriorem chronicorum, auctore R. Ioſepho, rectore academiae in Syria, nunc demum e manuſcripto Cantabrigienſi deſcripta, ac cum verſione latina in lucem miſſa.* Circa quam inſcriptionem IOAN. CHRISTOPH. WOLFIVS *l. c. pag. 1179.* monet, R. IOSEPHO hanc paraphraſin non alio argumento adſcribi, quam quod is vulgo auctor paraphraſeos in *hagiographa*, quibus & *libri chronicorum* adnumerantur, dicatur. Deinde pro *rectore academiae in Syria* rectius editorem ſcripturum fuiſſe *rectorem academiae Soranae*, ſcilicet in Babylonia. In librum *Danielis*, *Eſrae & Nehemiae*, nullam exſtare paraphraſin, iamdudum viris doctis obſeruatum eſt. Eiusque rei haec reddi ratio ſolet, quod in libro Danielis & Eſrae nonnulla legantur chaldaice ſcripta, vt adeo in iis interpretatio chaldaica minime neceſſaria fuerit. Praeterquam vero, quod in vtroque libro etiam quaedam ebraea occurrant; in *libro Nehemiae* haec ratio non procedit. Probabilius itaque aliis videtur, vt reliquorum veteris teſtamenti librorum, ita horum quoque olim paraphraſes exſtitiſſe, quae tamen aut perierint, aut alicubi adhuc deliteſcant. Namque & de *libris chronicorum* olim dubitabatur, an in eos paraphraſis exſtiterit, donec ea in lucem proferretur. Legendus praeter alios hac de re HVMPHREDVS PRIDEAVX *loco antea citato part. II. lib. VIII. pag. 648.*

De verſionibus & editionibus paraphraſeon chaldaicarum legendi AVGVST. PFEIFFERVS *crit. ſacr. cap. VIII. §. XV. p. 305.* & IO. CHR. WOLFIVS *biblioth. ebr. part.*

Digitized by Google

part. II. lib. VI. cap. II. p. 1147. ſeqq. cumprimis & IAC. LE LONG, in *bibliotheca ſacra, ſeu ſyllabo omnium ferme ſacrae ſcripturae editionum, ac verſionum, cap. II. ſect. II. pag. 157. ſeqq.* Exhiberi autem paraphraſes chaldaicae etiam ſolent in *bibliis polyglottis*, itemque *rabbinicis*, de quibus ſupra dictum. Quae in *bibliis rabbinicis Baſileenſibus* IO. BVXTORFII conſpiciuntur, id praecipui habent, quod punctis vocalibus, quantum fieri potuit, adcurate ſint inſtructae. Nimirum paraphraſes illas initio, vt alia ſcripta rabbinica, ſine punctis vocalibus exaratas fuiſſe, conſtat, virisque doctis obſeruatum eſt. Defectum iſtorum punctorum quodammodo ſuppleuerunt litterae, און quae *matres lectionis* vocari ſolent. Succeſſu temporis ab incertis auctoribus puncta vocalia paraphraſibus chaldaicis addita ſunt; ſed nulla nec analogiae, nec orthographiae habita ratione, relictaeque ſimul in textu ſunt litterae iſtae vocalium indices; vnde confuſa, parumque exacta punctatio orta, quam Venetae, aliaeque bibliorum editiones retinuerunt. Huic malo etſi medela adhiberi coepta ſit in editionibus bibliorum Complutenſi & Antwerpienſi; plurima tamen remanſerunt, quae emendationem deſiderarent. Quod itaque vix ſperari poterat, tandem perfecit quodammodo IO. BVXTORFIVS, & paraphraſes chaldaicas ad analogiam libri Danielis & Eſrae, punctis vocalibus inſtructas, emendataſque adeo & correctas, exhibuit. Inſtitutum equidem hocce, textum chaldaicum punctis inſtruendi, valde diſplicuit RICH. SIMONI, eo quod primi iſti, qui ex Iudaeis textui chaldaico puncta addiderunt, homines fuerint imperiti, eoque iam tempore vixerint, quo lingua chaldaica non amplius in vſu erat. Omnium vero minime illi placet punctatio IO. BVXTORFII, etſi alii hanc ceu adcuratiſſimam reliquis omnibus praeferant, eo quod *per eam ſenſus textus nimium limitetur; hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XVIII. p. 302.* Quaſi vero tum demum laudandae ſint interpretationes, ſi ſenſum vagum, ambiguum, incertum fundant, qui a quolibet pro lubitu detorqueri poſſit. Talem quidem totius ſcripturae ſacrae ſenſum SIMON vellet. Regulas punctationis ſibi formauerat BVXTORFIVS, ſecundum eam, quae in *libris Eſrae & Danielis*, exſtat: quod recte fieri SIMON negat, vti iam ſupra obſeruauimus. Sed erraſſe hac in re BVXTORFIVM, probari nequit. Eſto, diſcrimen aliquod inter linguam chaldaicam paraphraſeon, & librorum Danielis ac Eſrae intercedat; hoc tamen tantum eſſe, vt eadem vtrobique punctatio locum non inueniat, id enimuero euincendum erat.

Sed miſſis hiſce, de auctoritate & pretio iſtarum paraphraſium aliquid addendum eſt. Apud Iudaeos auctoritas paraphraſtarum, praeſertim ONKELOSI & IONATHANIS, irrefragabilis & fere diuina eſt, adeo, vt eorum interpretationes textui ſacro aequiparare non dubitent. Hinc & miracula quaedam dum paraphraſes iſtae conficiebantur, contigiſſe, fingunt. Nec tamen ab illis interdum diſcedere, ſibi religioni ducunt; quamuis non niſi ſumma quadam neceſſitate coacti hoc faciant; vt, quando locis iſtis, quae paraphraſtae de Meſſia explicant, vrgentur. Paſſim hoc iam viris eruditis, BRIANO WALTONO, in *adparatu biblico, prolegom. XII. §. XVI. p. 386.* MICH. WALTHERO, in *officina biblica p. m. 256.* AVG. PFEIFFERO, *crit. ſacr. cap. VIII. ſect. II. quaeſt XVI. p. 371.* aliiſque obſeruatum eſt. Chriſtiani doctores de pretio & vſu iſtarum paraphraſeon itidem inter ſe diſſentiunt. Diſputatum ea de re fuit, cum iuſſu & auctoritate XIMENII cardinalis biblia polyglotta Complutenſia imprimerentur, & deinceps iterum, cum ſub Philippo II Hiſpaniae rege biblia Antwerpienſia in lucem emitterentur.

rentur. Nonnulli namque impia & ſuperſtitioſa in hiſce paraphraſibus contineri, contendebant, dignasque adeo eſſe, quae aeternis tenebris conſepultae iacerent, tantum abeſt, vt tam ſplendidis bibliorum editionibus deberent inſeri. Bibliis itaque Complutenſibus ONKELOSI tantum inſerta eſt paraphraſis pentateuchi; reliquae in linguam latinam translatae, ſimulque correctae, reſectis gloſſis, quae inutiles & ſuperſtitioſae videbantur, atque bibliothecae academiae Complutenſis incluſae ſunt; vti ſupra iam docuimus, cum de bibliis Antwerpienſibus verba faceremus. BENED. ARIAS tamen Montanus paraphraſes chaldaicas,quas nanciſci potuit, a fabulis tamen iudaicis repurgatas, bibliis Antwerpienſibus inſeruit; quamobrem non illi tantum, ſed & doctoribus Louanienſibus, qui verſionem latinam paraphraſeon cenſura ſua adprobauerant, controuerſia mota eſt, ac ſi aliquid, quod in chriſtianam religionem iniurium eſſet, admiſiſſent. Ea re inductus FRANC. LVCAS Brugenſis, theologus Louanienſis, tractatum *de chaldaica ſcripturae ſacrae paraphraſi* edidit, in quo theologos Louanienſes, contra eos, qui iudaicam ab illis ſuperſtitionem adprobatam, clamitabant, defendit; vti RICH. SIMONI obſeruatum *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XVIII. pag. 303.* Cum biblia polyglotta Pariſienſia, curante GVID. MICH. LE IAY, imprimerentur; monachus quidam Hiſpanus, ANDR. DE LEON Zamorenſis, ad illum epiſtolam ſcripſit, qua eum dehortatur, ne paraphraſes chaldaicas ob impia & blaſphema, quae contineant, operi huic insereret. Exſtat ea epiſtola in AMELOTI *monumentis epiſtolicis virorum doctorum, qui ſcripſ runt de antiquitatibus eccleſiae orientalis num. III. pag. 131. ſeqq.* & ob hominis inſcitiam ſatis lepida eſt. Sed parum iſte ſua dehortatione profecit, paraphraſibus chaldaicis omnino huic etiam operi inſertis. Et merito quidem. Quae enim impia & ſuperſtitioſa in iis occurrunt, facile a perito lectore diiudicari poſſunt, nec cum noxiis ſtatim reiicienda ſunt aut proſcribenda vtilia. RICH. SIMONE iudice vtilitas, quae ad chriſtianos ex hiſce translationibus redundare poteſt, neutiquam tanta eſt, ac multi credunt; cum certum contra ſit, in Iudaeorum hoc commodum cedere, quod paraphraſes iſtae noſtris bibliis inſerantur, eo quod ſibi perſuadeant, ſuas ſimul comprobari nugas, dum eodem loco has translationes a nobis haberi putant, quo veteres iſtae verſiones habentur, quibus adiunctae conſpiciuntur. Non equidem negat, PETRVM GALATINVM, aliosque harum paraphraſeon auctoritate & teſtimonio, in quibusdam fidei articulis, ſpeciatim in doctrina de Chriſto, contra Iudaeos, vſos eſſe; quantumuis autem haecce teſtimonia contra Iudaeos efficaciſſima videantur, cum paraphraſeon iſtarum magna apud eos ſit auctoritas; exiguum tamen eſſe, quod ad religionem chriſtianam redundet, commodum, ſi libri fabulis atque commentis referti in ſubſidium aduocentur; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XVIII. pag 304.* Verum, etſi concedatur, fabulis iudaicis refertas eſſe paraphraſes iſtas; quod tamen de poſterioribus potius, quam prioribus intelligendum: recte nihiloſecius κατ' ἄνθρωπον opponuntur Iudaeis, apud quos maximam earum eſſe auctoritatem, antea obſeruauimus, nec ipſemet SIMON hoc diffitetur. Rectius alii, iique doctiſſimi viri, inſignem prorſusque egregium iſtarum paraphraſeon eſſe vſum, agnoſcunt. Non tantum enim textus ebraei, cui conformes ſunt, integritatem confirmant, locisque obſcurioribus paſſim lucem adfundunt, antiquitatumque ebraearum notitiae comparandae inſeruiunt; ſed in controuerſiis quoque iudaicis ingens nobis ſubinde contra Iudaeos adferunt praeſidium, dum loca varia veteris teſtamenti de Meſſia explicant,

quae

Digitized by Google

quae recentiores Iudaei de eo intelligenda eſſe negant. Copioſius haec omnia diſſerunt CHR. HELVICVS, in *tractatu hiſtorico & theologico de chaldaicis bibliorum paraphraſibus &c. cap. IV. ſeqq.* BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico, prolegom. XII. §. XVI. ſeqq. pag. 587. ſeqq.* AVG. PFEIFFERVS *crit. ſacr. cap. VIII. ſect. II. qu. XVII. pag. 376. ſeqq.* LVDOV. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VIII. §. I. p. 211.* PETR. ALLIXIVS, in *dem Ausſpruch der alten iüdiſchen Kirchen wieder die Vnitarios &c.* paſſim, qui & ideo *cap. VII. p. 66. ſeqq.* de auctoritate & antiquitate iſtarum paraphraſeon agit; HVMFREDVS PRIDEAVX, in *dem alten vnd neuen Teſtament in eine connexion mit der Iuden vnd benachbarten Voelcker Hiſtorie gebracht &c. part. II. lib. VIII. pag. 666.* Cumprimis autem obſeruatu digna eſt iſta loquendi formula: מימרא דיי *verbum domini*, quae ſaepiſſime in paraphraſibus chaldaicis occurrit, ea quidem ratione, vt haud obſcure ὑπόστασιν quamdam diuinam, ſpeciatim eam, quam nos filium Dei vocamus, denotare videatur. Loca quae huc faciunt, exhibet PETR. ALLIXIVS, in *dem Ausſpruch der alten iüdiſchen Kirche wieder die Vnitarios &c. cap. XVI. pag. 202. ſeqq.* Haud leue itaque in doctrina de myſterio trinitatis, deque Chriſto vero non tantum homine, ſed & vero Deo, hic ſibi praeſidium viri docti inueniſſe viſi ſunt, idque contra Iudaeos poſt RAYM. MARTINI, atque PETR. GALATINVM, vrgent CHRIST. HELVICVS *de paraphraſibus chaldaicis cap. V.* aliique quamplurimi; conf. AVG. PFEIFFERI *critica ſacra cap. VIII. ſect. II. quaeſt. XVIII. p. 384. ſeqq.* Magnopere contra non tantum Iudaeis, ſed & Socinianis diſplicere, quilibet facile intelligit; vnde hanc loquendi rationem in longe alium trahere ſenſum, ſimulque nobis perſuadere adnituntur, nihil minus paraphraſtis in mentem veniſſe, quam de filio Dei, ceu ὑποστάσει quadam diuina, loqui. Quae hinc recentiori aetate ortae ſint contentiones, poſtquam IONAS SCHLICHTINGIVS in *animaduerſionibus, Georgii Vechneri concioni in Ioan. I.* oppoſitis, id agere coepit, iam expoſui *inſtitut. theol. dogmat. tom. I. lib. II. cap. I.* ad *§. LV. p. 430. ſqq.* Ex noſtratibus THEOD. HACKSPANIVS in eamdem ingreſſus eſt ſententiam, hanc loquendi formulam ex indole genioque linguae chaldaicae explicandam eſſe, adeoque nihil quod Iudaeos feriat, inde colligi poſſe, ad *R. Lipmanni nizzachon pag. 365. ſeqq.* cui ſe praeter alios oppoſuit MICH. HAVEMANNVS, in *prolegomenis ad theognaſiam antiquiſſimam §. IX. ſeqq.* RICH. SIMON illis itidem adnumerandus eſt, qui, chriſtianos nullum in haece formula contra Iudaeos inuenire praeſidium, exiſtimant; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XXIV. p. 507.* cui etiam in hocce capite ſuffragatur HVMFR. PRIDEAVX *loco ſupra citato part. II. lib. VIII. p. 673.* Verum etſi formula haecce מימרא דיי non eamdem vbique obtineat ſignificationem; quaedam tamen loca tam euidentia eſſe, vt non aliter, quam de ὑποστάσει diuina, & quidem filio Dei explicari queant, intelliget, qui cuncta adcurate, & animo a partium ſtudio remoto, conſiderauerit. Conferenda IO. HENR. MICHAELIS, aut ſi mauis, IO. IOACH. LANGII *diſſertatio de targumim, ſeu verſionum ac paraphraſium veteris teſtam. chaldaicarum, vſu inſigni anti-iudaico in doctrina de perſona Chriſti &c.* Halae an. 1720. 4. Cumprimis addenda, quae more ſuo erudite hac de re diſſerit IOAN. CHR. WOLFIVS, *bibliotb. ebr. part. II. lib. VI. cap. III. §. IV. pag. 1185. ſeqq.* qui & *§. V. pag. 1189. ſeqq.* auctores, qui plura de paraphraſibus chaldaicis dabunt, laudat.

** Chaldaicas paraphraſes veteris teſtamenti merito excipiunt *verſiones graecae;* quas inter primum locum occupat,

quae LXX interpretum vulgo vocatur. Exſtiteritne autem verſio graeca adhuc antiquior, ſaltem pentateuchi, ante Alexandri magni tempora confecta, ex qua Graecorum philoſophi Pythagoras, Plato, aliique, gentis ebraeae myſteria hauſerint, quod ARISTOBVLVS adſerit, apud CLEMENTEM Alexandrinum *lib. I. ſtrom. p. 342.* & EVSEBIVM *praeparat. euangel. lib. XIII. cap. XII.* de eo acriter inter eruditos diſputatur. Sunt, qui huc adfirmant, ſunt, qui negant. Qui adfirmant, non tantum ad ARISTOBVLI iſtud teſtimonium, ſed & ad DEMETRII PHALEREI epiſtolam ad Ptolomaeum philadelphum prouocant, quae apud FL. IOSEPHVM exſtat, *antiquitat. iud. lib. XII. cap. II.* Sed ARISTOBVLI teſtimonium tanti non eſſe, vt fidem mereatur, dudum viri docti demonſtrarunt. Legenda quae de ARISTOBVLO hocce copioſe diſputat HVMFR. HODIVS, *de bibliorum textibus originalibus &c. lib. I. cap. IX. pag. 49. ſeqq.* DEMETRII PHALEREI hoc itidem non euincere verba, iam a me obſeruatum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad §. XII. *p. 1031.* PETR. DANIEL. HVETIVS, adlatis vtriusque partis argumentis, mediam quamdam ſententiam amplecti voluit, ſcilicet non totum pentateuchum, ſed partes tantum eius quasdam, ante Alexandrum graece redditas fuiſſe, contendens; *demonſtrat. euangel. prop. IV. cap. XII. p. m. 239.* At eiusmodi pugnat rationibus, quae hoc vix euincunt. Graecorum philoſophos, ſpeciatim Platonem, ab Ebraeis quaedam accepiſſe, nondum probatum eſt. Etſi enim nonnulli, praeeuntibus IVSTINO martyre, CLEMENTE Alexandrino, aliisque patribus, hoc adſerunt; non deſunt tamen, qui hoc negant, vti ſupra *lib. I. cap. IV.* ad *§. XXII.* docuimus. Quodſi etiam hoc concedatur, nondum inde ſequitur, verſionem quamdam graecam codicis ebraei eo tempore exſtitiſſe; cum nihil obſtet, quo minus ex colloquiis cum Iudaeis, in Aegypto aut alibi, quaedam diſcere potuerint; quod ſpeciatim de Pythagora nonnulli adfirmant. Plura de verſionibus graecis, quae ante ſeptuaginta-viralem confectae dicuntur, dabit BRIANVS WALTONVS in *adparatu biblico, prolegom. IX. §. VI. p. 313.*

Ad eam vero verſionem, quae ſeptuaginta interpretibus tribuitur, quod attinet, hiſtoria eius, prout vulgo traditur, ſatis nota eſt, & ſummatim exhibetur a FRIDER. SPANHEMIO in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtamenti p. 425. ſeqq.* itemque a me ipſo itidem in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtamenti tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XII. p. 1032.* Nititur ea narratio maximam partem auctoritate ARISTEAE, qui ſe pro Ptolomaei philadelphi, Aegypti regis, miniſtro venditat, a quo cum Andrea, eiusdem regis ἀρχισωματοφύλακι, ad Eleazarum pontificem, librorum ſacrorum, interpretumque impetrandorum cauſſa, miſſus fuerit, cuiusue *hiſtoria* iſta *ſeptuaginta interpretum*, quae hodie adhuc exſtat, eſſe dicitur. Ab hocce certe auctore eam profectam, magno conſenſu veteres pariter ac recentiores crediderunt, propugnante acriter hanc ſententiam BRIANO WALTONO, *loco* antea *citato*, cumprimis autem ISAACO VOSSIO, *de LXX interpretibus cap. IV.* alibique, itemque NIC. LE NOVRRI, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum tom. I. diſſert. XI. p. 225. ſeqq.* Alii contra, non ab ARISTEA, qui tempore Ptolomaei philadelphi vixerit, ſed a Iudaeo quodam Alexandrino, librum huncce ſcriptum, contendunt, qui, ad auctoritatem, verſioni graecae, quae inter Iudaeos helleniſtas obtinebat, conciliandam, ARISTEAE nomine tegi voluerit. Iudaeos enim helleniſtas, praeſertim Alexandrinos, omnem mouiſſe lapidem, vt verſio graeca, qua vtebantur, non minoris fieret, quam codex ebraeus, quem Iudaei ebraizantes tantopere extollebant, viris doctis ob-

Digitized by Google

obſeruatum eſt. Ex eorum itaque numero, qui apocrypha Tobiae, Iudith, aliaque, procudere auſi ſunt, huius quoque libri auctorem fuiſſe, ANT. VAN DALE coniicit, qui & illud addit, cum auctor gentilis videri velit, tam male tamen hancce ſuſtinere perſonam, vt ſubinde talia admiſceat, quae Iudaeum prodant; *diſſertat. ſuper Ariſtea cap. I. p. 2.* Primum, qui de auctore hocce dubium mouit, LVDOV. VIVEM fuiſſe, conſtat, ad *Auguſtin. de ciuit. Dei lib. XI. cap. XLII.* quem praeter alios ſequutus eſt IOSEPH. IVST. SCALIGER, ad *Euſebii chron. num. MDCCXXXV. pag. 133.* cui licet IAC. VSSERIVM & ISAAC. CASAVBONVM opponat BRIANVS WALTONVS, in *adparatu bibl. prolegom. IX. §. IV. pag. 312.* fuerunt tamen plurimi, qui SCALIGERO ſuffragarentur, quod ex ipſis quoque romanenſibus RICH. SIMON fecit, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. II. p. 187.* Cum vero ISAAC. VOSSIVS pſeudo-Ariſteae huius patrocinium magno conatu in ſe ſuſcepiſſet; HVMFR. quidem HODIVS aduerſus *hiſtoriam Ariſteae* librum conſcripſit, editum Oxonii anno 1684. Contra quem cum iterum VOSSIVS, in *adpendice obſeruationum in Pomponium Melam*, in aciem prodiiſſet; HODIO hinc occaſio enata fuit, adcuratiori ſtudio idem argumentum pertractandi, in *libris quatuor de bibliorum textibus originalibus, verſionibus graecis, & latina vulgata*, Oxonii an. 1705. fol. editis. Non minus vero in explodendis pſeudo-Ariſteae huius fabulis atque commentis ingenii vires exercere voluit ANTON. VAN DALE, in *diſſertatione ſuper Ariſtea de ſeptuaginta interpretibus*, Amſtelodami 1705. 4. euulgata. Praecipuas rationes, quibus probari queat, librum huncce perperam tribui ARISTEAE, ipſemet exhibui in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XII. pag. 1038.* Editiones varias *hiſtoriae* huius ARISTEAE verſionesque recenſet IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. cap. XII. §. II. p. 317. ſeqq.* Eminet inter eas, quae Oxonii anno 1691. 8. cura praecipue EDVARDI BERNHARDI prodiit, quam ſequuti ſunt, ipſam ARISTEAE *hiſtoriam* hancce operibus, quibus ſpuriam & ſuppoſititiam eam eſſe, probare adgreſſi ſunt, quaeue iam laudauimus, inſerendo, HVMFR. HODIVS, atque ANTON. VAN DALE.

Ceterum pſeudo-ARISTEAE de LXX interpretibus commenta nouis deinde figmentis aucta ſunt atque locupletata. Huc iſta de diuino iſtorum interpretum adflatu perſuaſio ſpectat, quae, cum iam PHILONIS animo haeſerit, vt ex *libro* eius *ſecundo de vita Moſis p. 510.* conſtat; non ſine ratione viri docti inde colligunt, iam tum a Iudaeis Alexandrinis eiusmodi quid excogitatum fuiſſe, vt haberent, quod Iudaeis ebraizantibus, & diuinam ebraei codicis auctoritatem extollentibus, opponerent; conf. HVMFR. HODIVS *de librorum textibus original. &c. lib. II. cap. VI. pag. 136.* Eadem deinceps IRENAEO, CLEMENTI Alexandrino, aliisque veteris eccleſiae doctoribus, placuit ſententia, quorum loca iam indicaui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. l. c. pag. 1033.* a qua nec CAES. BARONIVM, ROB. BELLARMINVM, aliosque recentiorum, alienos eſſe, ibidem docui; quam tamen vel ipſe refellit pſeudo-ARISTEAS, dum interpretes hoſce de ſingulis inter ſe contuliſſe, refert, & ſi conſentirent, tum demum litteris ea conſignaſſe. Qua quidem collatione opus non fuiſſet, ſi diuino perculſi fuiſſent adflatu. Nihil de eo dicam, quod verſio haecce plurimis grauiſſimisque ſcateat erroribus; quod perperam irritoque plane conatu ab IS. VOSSIO negari, deinceps dicemus. Acceſſit alia, eaque ſatis famoſa fabula, de 72 cellulis diuerſis, in quibus interpretes a ſe inuicem ſeparati, verſionem ſinguli adornauerint, conſpirantes amice inter ſe inuicem, nec in vno verbo

Digitized by Google

verbo aut apice diſcrepantes. Primus, qui iſtarum cellularum meminit, IVSTINVS martyr eſt, qui &, veſtigia earum in inſula Pharo ſibi monſtrata fuiſſe, adfirmat: in *cohortat. ad Graecos p. m. 74.* editionis HVTCHINI. IVSTINI exemplo & auctoritate inducti idem adſerunt IRENAEVS, *adu. haereſes lib. III. cap. XXV.* cuius locum & EVSEBIVS exhibet, *hiſtor. eccleſ. lib. V. cap. VIII.* CYRILLVS Hieroſolymitanus *catecheſi IV. p. 37.* aliique veterum pariter ac recentiorum. EPIPHANIVS a reliquis in eo diſcedit, quod non ſingulis, ſed binis, vnam cellulam adſignat; *de menſuris & ponderib. tom. II. oper. p. m. 161.* Sic & IVSTINIANVS imperator, ad ſingularem verſioni huic conciliandam auctoritatem hoc pertinere, credit, quod interpretes iſti κατὰ δύο διαιρεθέντες *bini numero iuncti, ſicque ab inuicem & locis quoque diſcreti, tamen omnes eamdem interpretationem reddiderint; nouel. CXLVI.* Ad Iudaeos quoque famam de cellulis iſtis tranſiiſſe, oſtendunt ANT. VAN DALE & HVMFR. HODIVS, ille in *diſſertat. ſuper Ariſtea cap. XVII. pag. 134.* hic autem *de biblior. textibus originalib. &c. lib. II. cap. VI. pag. 138. 139.* Praeterquam vero, quod nec ARISTEAS ipſe, nec FLAVIVS IOSEPHVS, cellularum iſtarum vllam mentionem fecerint; aliae quoque obſtant rationes grauiſſimae, quo minus, quod de iis dicitur, admitti queat. Recte itaque ab HVMFR. HODIO atque ANT. VAN DALE cellulae iſtae inter fabulas inaniaque referuntur commenta. Addenda iterum, quae de iisdem diſputaui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. l. c. p. 1034. ſeqq.* Originem fabulae nonnulli inde repetunt, quod verſio codicis ebraei graeca a ſynedrio Iudaeorum Alexandrino, quod LXX conſtiterit membris, adprobata ſit; qua de re deinceps dicemus. Hinc enim perſuaſio primum de ſeptuaginta interpretibus, deinde & fabula de totidem cellulis, enata videtur. Addunt, qui de verſione iſta LXX interpretum nihil niſi miracula nobis narrant, & hoc verſionem iſtam LXXII dierum ſpatio confectam eſſe; quod pſeudo-ARISTEAS, FLAVIVS IOSEPHVS, aliique veterum tradunt, ſuffragantibus & recentioribus quibusdam cumprimis BRIANO WALTONO, in *adparatu bibl. prolegom. IX. §. X. pag. 316.* Sed non conueniunt inter ſe, qui hoc adſerunt, num vniuerſos libros, qui eo tempore in Iudaeorum canone exſtabant, in Ptolomaei gratiam interpretes iſti tranſtulerint, an tantum pentateuchum? Prius IRENAEVS, CLEMENS Alexandrinus, EPIPHANIVS, aliique adfirmant; poſterius praeter ipſum pſeudo-ARISTEAM, atque FL. IOSEPHVM, PHILO, *lib. II. de vita Moſis p. 510.* cui & plurimi ex recentioribus ſuffragantur ſententiae, vt IAC. VSSERIVS, IO. CROIVS, WILHELM. SCHICKARDVS, CLAVD. SALMASIVS, IO. LIGHTFOOTVS, aliique, quos laudat HVMFR. HODIVS *de biblior. textibus originalibus lib. II. cap. VII. p. 159. ſeqq.* qui ipſe quoque eamdem tuetur, quod & ANT. VAN DALE facit, *diſſertat. ſuper Ariſtea p. 179. ſeqq.* Eaque ſi admittatur, ſine miraculo fieri potuiſſe videtur, vt 72 dierum ſpatio verſio pentateuchi abſolueretur. Totius tamen etiam codicis ebraei verſionem ſi ſinguli partem eius aliquam tranſtulerint, 72 dierum ſpatio abſolui potuiſſe, oſtendit CHR. KORHOLTVS, *de variis ſcripturae editionib. cap. VI. pag. 53. ſeqq.* Sed non eſt, quod hac de re multum ſimus ſolliciti, cum tota iſta narratio, de verſione hacce 72 dierum ſpatio confecta, fide nitatur pſeudo-ARISTEAE, hoc eſt, admodum incerta, immo prorſus nulla.

Si autem quaeratur, quid ergo tandem de iſta verſione graeca, quae ſub 70 interpretum nomine exſtat, cenſendum ſit? iam alibi, ſcilicet in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XII. pag. 1039.* profeſſus ſum, illorum maxime mihi probari

bari ſententiam, qui, reiecta abſona illa, de LXX interpretibus a Ptolomaeo philadelpho in Aegyptum arceſſitis, fabula, veteris teſtamenti libros canonicos non ab vno eodemque auctore, ſed a variis, non multum tamen diuerſo tempore, Alexandriae in gratiam Iudaeorum, qui graeca lingua vtebantur, translatos, ſtatuunt. Quemadmodum porro iidem viri docti in eo fere conſentiunt, ſub Ptolomaeo philadelpho verſionis iſtius factum initium; ita vtrum tota iam ſub hocce rege, an paullo ſerius, an ſub Ptolomaeo demum philometore, qui in agro Heliopolitano Iudaeis templum condere permiſit, tempore Iudae Maccabaei, ad finem ſit perducta, non conueniunt; videturque hoc eiusmodi eſſe, vt certo definiri nequeat. Fuſius haec ediſſerunt HVMFR. HODIVS & ANTON. VAN DALE, *locis* ſaepe iam *citatis*; ſummatim rem omnem exponit IOAN. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. cap. XI. §. V. p. 324.* HVMFR. HODIO probabile videtur, verſionem hanc confectam eo tempore, quo ſimul regnarunt Ptolomaeus Lagi, & filius eius philadelphus; *lib. II. cap. II. p. 91. ſqq.* Auctores praeterea verſionis, librorum ſaltem plurimorum, Alexandrinos fuiſſe, ex dialecto Alexandrina, quae hinc inde deprehendatur, idem vir doctus probat *l. c. cap. IV. p. 110. ſeqq.* Sunt vero etiam nonnulli, qui, vt iam antea indicauimus, Alexandriae ſynedrium aliquod fuiſſe, contendunt, LXX conſtans membris, a quo cum verſio iſta adprobata ſit, haud difficulter intelligi, putant, vnde opinio iſta de LXX interpretibus orta ſit, quae aliis deinde fabulis ac commentis occaſionem praebuit. Ingreſſus in eam ſententiam eſt FRANC. LEE, cuius opera & ſtudio *tomus ſecundus LXX interpretum*, ſecundum codicem Alexandrinum, vt deinceps dicemus, prodiit, in *prolegomenis*; cui tamen, quod ad ſynedrium iſtud Alexandrinum attinet, dubia quaedam opponit IO. CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XX. part. I. artic. II. p. 55. ſeqq.* Eamdem ſententiam, ſaltem in eo, quod caput cauſſae eſt, calculo ſuo adprobauit DAVID MILLIVS, in *praefatione*, editioni *LXX interpretum*, quae Vltraiecti anno 1725 duobus tomis in 8. prodiit, praemiſſa, ex qua illam repetit, vt non prorſus refragari videatur IO. CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XXIV. part. II. artic. IV. p. 395.*

Quidquid eius ſit, magnam olim apud ipſos Iudaeos verſionis huius fuiſſe auctoritatem, negari nequit; quam pſeudo-ARISTEAS etiam iſte, aliique, variis commentis, fictisque miraculis augere, conati ſunt. Eos tamen partes primas detuliſſe textui ebraico, & credidiſſe, verſionem tum legis Moſaicae, tum reliquorum librorum, ad illius dignitatem non adſurrexiſſe, ſed verborum pondere & efficacia ei ceſſiſſe, patet ex prooemio *eccleſiaſtici*, vbi interpres ſe ipſum inde excuſat; quod ipſa *lex*, *prophetae*, & *reliqui libri*, cum textu ebraico comparati habeant οὐ μικρὰν διαφορὰν *non paruam differentiam.* Interim verſionis huius apud Iudaeos ebraizantes non minorem, quam apud helleniſtas, fuiſſe auctoritatem, ex eo videtur colligi poſſe, quod pſeudo-ARISTEAE aliorumque de eadem commentis, ad dignitatem eius extollendam vnice comparatis, & ipſi fidem adhibuerint; vti ſupra obſeruauimus. Ab aliis tamen nonnulla adferuntur, ex quibus colligas, Iudaeis ebraizantibus hancce verſionem neutiquam probatam. Prouocant namque ad talmudicos doctores, qui in tractatu *ſopherim cap. I. §. VII.* diem illum, quo lex translata fuit, Iſraëli non minus grauem, ac luctuoſum accidiſſe, teſtantur, ac illum, quo maiores eorum vitulum conflarant. Addunt, commemorare Iudaeos, eamdem ob cauſſam ieiunium anniuerſarium inſtitutum fuiſſe, cuius & IO. SELDENVS mentionem facit, *de anno ciuili Iudaeorum cap. VIII.* Mitto reliqua, quae eiusdem ſunt gene-

omnia ſaecula copioſe oſtendit HVMFR. HODIVS *l. c. lib. III. part. I. cap. II. ſeqq. p. 243. ſeqq.*

Hodie viri docti, harumque rerum periti, in eo fere conſentiunt, haud contemnendam, tum ob antiquitatem, tum quod ipſi viri θεόπνευστοι eadem interdum vſi ſunt, verſionis huius LXX interpretum eſſe auctoritatem. Fatentur etiam, vſum eius tum ad loca quaedam veteris teſtamenti rectius explicanda, tum ad priſcorum Iudaeorum de vero nonnullorum ſacri codicis oraculorum ſenſu ac interpretatione, mentem pernoſcendam, patrum denique, ſiue veteris eccleſiae doctorum, qui ea vſi ſint, ſcripta intelligenda, inſignem eſſe, prorſusque egregium. Cumprimis autem ſtilo ſcriptorum noui teſtamenti lucem pulcherrimam ex haccе verſione adfundi, poſitum adeo eſt extra controuerſiam, vt nemo hoc abnuat; hinc & vel ex hocce capite lectionem eius, ceu vtilem ac neceſſariam, omnes commendant. Ex inſtituto hoc egit theologus Halenſis longe doctiſſimus IO. HENR. MICHAELIS, in *diſſertat. philolog. de vſu LXX interpretum in nouo teſtamento*, Halae 1715. 4. ſuntque huc etiam comparatae IOAN. CONR. SCHWARZII, viri clariſſimi, *obſeruationes quaedam de ſtilo ſeptuaginta interpretum* quas IO. OLEARII *libro de ſtilo noui teſtamenti, animaduerſionibus & notis illuſtrato &c.* & Coburgi 1721. 8. recuſo, adiecit *p. 294. ſeqq.* vbi & varia doctorum quorumdam virorum de hacce verſione iudicia adfert. Addenda &, quae de interpretum horum ſtilo erudite monet IO. GOTTL. CARPZOVIVS, *criticae ſacrae codicis ebraei part. II. cap. II.* ſiue *diſſertat. de verſione LXX interpretum graeca §. V. p. 514. ſeqq.* Naeuorum interim, eorumdemque interdum haud leuium, eam neutiquam eſſe immunem, negari nequit, nec negant, qui animo praeiudicatis opinionibus non impedito, ad ſententiam de ea ferendam accedunt. Hoc certum, quod ſaepe mirum in modum a textu ebraeo diſſentiant; cuius rei cum variae cauſſae eſſe poſſunt, tum haud vltima eſt, quod codice non punctato vſi ſunt. Atque hoc praeter alios recte obſeruat, quem iam laudauimus, vir clariſſimus IO. GOTTL. CARPZOVIVS, *diſſert. cit. §. IV. p. 509. ſeqq.* vbi ſimul recte oſtendit, interpretes hoſce ipſum textum ebraeum; non autem, quae nonnullorum eſt ſententia, paraphraſin chaldaicam, aut, quod alii volunt, codicem ſamaritanum, transtuliſſe. Caute equidem ac circumſpecte hic incedendum eſſe, lubens largior; cum integra prorſus haecce verſio ad nos non peruenerit, ſed quibusdam in locis corrupta ſit, & interpolata; id quod & PETR. DAN. HVETIVS monet *de interpretatione lib. I. p. 57.* fieri etiam queat, vt linguae graecae ignorantia interdum reprehendantur, quae reprehendenda non ſint. Haec omnia vero, vti & reliqua, quae pro hacce verſione dici poſſunt, etiamſi quam adcuratiſſime obſeruentur; remanebunt tamen ſemper naeui plurimi grauiſſimique, qui non aliunde, quam ab ipſorum interpretum aut inſcitia, aut incuria, proficiſci potuerunt. Operam itaque prorſus, oleumque perdidit ISAACVS VOSSIVS, dum magno quidem, ſed vano prorſus, irritoque conatu, ſibi aliisque perſuadere voluit, omnium prorſus naeuorum expertem hanc verſionem, hinc & textui ebraeo non modo aequiparandam, ſed omnino praeferendam, & tantum non θεόπνευστον eſſe. Id namque in *diſſertationib. de ſeptuaginta interpretibus, eorumque translatione & chronologia;* item in *diſſertat. de vera mundi aetate*, praeſertim *cap. II.* porro in *caſtigationibus ob obiecta Georgii Hornii*, & *reſponſione ad obiecta Chriſtiani Schotani*, alibique egit; cumprimis & in ſcriptis, quibus cauſſam ſuam contra RICH. SIMONEM defendit, quae ſupra iam commemorauimus, cum

de ipſo SIMONE verba faceremus. Cum vero, quantum verſioni huic LXX interpretum tribuebat, tantum textui ebraeo detraheret; non modo RICH. SIMONEM, ſed & CHRIST. SCHOTANVM, GEORG. HORNIVM, aliosque aduerſarios expertus eſt; quos itidem iam indicauimus, cum VOSSIVM inter eos referremus, qui textum ebraeum corruptum atque deprauatum ſtatuunt. Iungendus his omnino eſt HVMFR. HODIVS, in *libris quatuor de bibliorum textibus originalibus, verſionibus graecis, & latina vulgata*, ſaepius iam a nobis laudatis, quippe in quibus non tantum de ARISTEA cum VOSSIO diſputat, ſed & per integrum *librum tertium* fuſe & magno eruditionis adparatu contra eumdem probat, veteris eccleſiae doctores, textum ebraeum verſioni LXX interpretum praetuliſſe. Ceterum de vero, quod verſioni LXX interpretum ſtatuendum eſt, pretio, lectu digna eſt IO. PEARSONII *praefatio paraenetica*, praemiſſa primum editioni verſionis huius Cantabrigienſi, deinde vero & Oxonienſi, quam IO. ERN. GRABIVS dedit, & de qua mox plura dicemus.

Illud nimirum ſupereſt, vt de editionibus etiam verſionis huius aliquid addamus. Diligenter eas recenſet IACOB. LE LONG in *bibliotheca ſacra &c. cap. III. ſect. V. p. 402. ſeqq.* editionis, quae Lipſiae anno 1709. 8. prodiit; eius vero, quae deinceps Pariſiis an. 1723. fol. lucem adſpexit, *tom. I. p. 185. ſeqq.* vbi adhuc recentiores quaedam editiones adduntur. Conferendi & IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. cap. XII. §. VI. p. 324. ſeqq.* itemque IO. ERN. GRABIVS, *prolegom. in LXX interpretum octateuchum cap. III.* Nos de praecipuis tantum quaedam monebimus. Praeter *Complutenſem*, ſeu quae in *bibliis Complutenſibus*, ſupra iam laudatis, exſtat, itemque *Aldinam* Venetiis anno 1518 ab ALDO primum e codice manuſcripto editam, maxime memorabilis eſt *Romana*, ex codice manuſcripto Vaticano antiquiſſimo, vtpote qui mille amplius annorum eſſe dicitur, auctoritate Sixti V pontificis, cura ANT. CARAFFAE cardinalis, operam conferentibus & aliis viris doctis, praeſertim FLAMIN. NOBILIO, cum variis lectionibus, itemque ſcholiis graecis ex antiquis codicibus, & veteribus interpretibus, Aquila, Symmacho, & Theodotione a PETR. MORINO collectis, Romae an. 1587. fol. luci publicae expoſita. Conferendus de ea IAC. LE LONG *l. c. p. 409.* editionis Lipſienſis. Atque haec, cum integrior, multisque nominibus reliquis praeſtantior videretur editio, licet & ipſa naeuorum omnium expers non eſſet; eam aliae deinceps quam plurimae ſequutae ſunt, interque ceteras, Londinenſis, quae an. 1653. 8. prodiit, quae tamen in ordine librorum, pſalmorum numero, & aliis quibusdam a Romana iſta diſcrepat; itemque Cantabrigienſis, an. 1565 duobus tomis in 12. cui IO. PEARSONIVS *praefationem* illam, antea laudatam, praemiſit, quaeue cum Londinenſi plane conuenit; quod &, vt reliquas mittam, de Lipſienſi illa obſeruandum, quae an. 1697 duobus tomis in 8. *cum parallelis ſcripturae locis, & variantibus lectionibus e pluribus manuſcriptis, & impreſſis codicibus, ſtudioſe collectis*, lucem adſpexit. *Variantes* illae *lectiones*, vna cum *ſcholiis*, libris apocryphis veteris teſtamenti ſubiectae ſunt. Complectitur namque haec editio *libros apocryphos veteris teſtamenti*, itemque *nouum teſtamentum*, debeturque diligentiae viri doctiſſimi IO. FRICKII, qui & prolegomena lectu prorſus digna praemiſit. Recentiori vero aetate IO. ERN. GRABIVS in animum induxit, LXX interpretum verſionem, qualis ab ORIGENE recenſita fuit, ex codice Alexandrino, eccleſiae reſtituere, cuius conſilii ſui rationes in *epiſtola* ad HVMFREDVM HODIVM, quam hic *lib. IV.*

Digitized by Google

IV. de bibliorum textib. originalib. &c. cap. III. p. 639. exhibet; item in alia ad IOAN. MILLIVM, Oxonii an. 1705 ſeorſim excuſa, expoſuit. Immo ipſa tandem ſequuta eſt editio, & primus quidem tomus Oxonii an. 1707. fol. lucem adſpexit, hac ratione inſcriptus: *Septuaginta interpretum tomus I. continens octateuchum, quem ex antiquiſſimo codice Alexandrino adcurate deſcriptum, & ope aliorum exemplarium ac priſcorum ſcriptorum, praeſertim vero hexaplaris editionis Origenianae, emendatum atque ſuppletum, additis ſaepe aſteriſcorum ac obelorum ſignis, ſumma cura edidit* IO. ERN. GRABIVS. Primum huncce tomum excepit *quartus* ſiue *vltimus*, continens *pſalmorum, Iobi, ac tres Salomonis libros, cum apocrypha eiusdem, nec non Siracidae ſapientia*, Oxonii an. 1709. fol. Rationibus enim quibusdam impeditus, librorum hiſtoricorum & propheticorum editionem differre coactus eſt. *Secundus* itaque *tomus*, continens *veteris teſtamenti libros hiſtoricos omnes ſiue canonicos, ſiue apocryphos*, lucem demum adſpexit Oxonii an. 1719. fol. Cum autem interea GRABIVS vitam cum morte commutaſſet; FRANC. LEE, vt tomus hicce prodiret, curauit, qui & eidem *prolegomena* praemiſit. Tandem vero & *tertius tomus* acceſſit, *continens veteris teſtamenti libros propheticos omnes, ſiue canonicos ſiue apocryphos &c.* Oxonii 1720. fol. Vir quidam doctus, qui nomen ſuum ignorari voluit, curam tomum huncce in lucem proferendi, in ſe ſuſcepit, eo quod FRANC. LEE itidem iam obiiſſet. Omnes hoſce quatuor tomos, integrumque adeo opus, recenſet, vberioremque adeo eius notitiam ſuppeditat IO. CLERICVS *bibliotb. anc. & mod. tom. XX. part. I. artic. I. & II. p. 1 ſeqq.* & *part. II. num. I. & II. p. 137. ſeqq.* Ad codicem Alexandrinum, quem in hacce editione GRABIVS expreſſit, quod attinet, id nominis accepit, quod eumdem Alexandria ſecum Conſtantinopolin detulit CYRILLVS LVCARIS, primum in illa, poſt in hac vrbe graecae eccleſiae patriarcha, qui illum Carolo I Angliae regi, dono dedit, adiecta ſchedula, qua docet, *librum hunc ſcripturae veteris ac noui teſtamenti, prout ex traditione habeat, ſcriptum eſſe manu Theclae nobilis feminae aegyptiae, ante mille & trecentos annos circiter, paullo poſt concilium Nicaenum.* Ex inſtituto de codice hocce Alexandrino, eiusque praeſtantia prae editione Romana, diſſerit IO. ERN. GRABIVS *prolegom. cap. I.* Quantacumque autem codicis iſtius Alexandrini ſit praeſtantia; nondum tamen viri docti in animum ſuum inducere potuerunt, vt Vaticanum prorſus negligerent, aut poſtponerent. Eum ſane ſibi ſequendum duxit LAMB. BOS, cuius ſtudio *biblia graeca, ſeu vetus teſtamentum ex verſione LXX interpretum ſecundum exemplar Vaticanum Romae editum, adcuratiſſime denuo recognitum, vna cum ſcholiis eiusdem editionis, variis manuſcriptorum codicum, veterumque exemplarium lectionibus, nec non fragmentis verſionum Aquilae, Symmachi & Theodotionis*, Franecquerae prodierunt an. 1709. 4. Idem fuit inſtitutum DAV. MILLII, viri doctiſſimi, quippe qui non tantum *vetus teſtamentum ex verſione LXX interpretum, ſecundum exemplar Vaticanum Romae editum, denuo recognitum,* edidit, ſed & *praefationem vna cum variis lectionibus, e praeſtantiſſimis manuſcriptis codicibus bibliothecae Leidenſis deſcriptis,* praemiſit, Vltraiecti 1725, duobus voluminibus 8.

Quo pacto Iudaeis diſplicere tandem coeperit verſio LXX interpretum, chriſtianis tela ſua erga eos inde depromentibus, antea obſeruauimus. Factum inde, vt nonnulli in illorum gratiam de nouis verſionibus graecis concinnandis cogitationes ſuſciperent. Primum inter eos locum tenet AQVILA, natione ponticus, patria Sinopen-

nopenſis, qui ex ethnico chriſtianus factus, & baptizatus Hieroſolymis, ad Iudaeos tandem defecit, quod chriſtiani aſtrologicas eius ſuperſtitiones probare nollent. Plura de eo tradit EPIPHANIVS *de ponderib. & menſuris cap. XIV.* Num R. AKIBHAE fuerit diſcipulus, diſputatur; hoc certum, eum, cum iam iudaicam amplexus eſſet ſuperſtitionem, ad nouam verſionem graecam concinnandam animum adieciſſe, idque eum in finem, vt verſionis LXX interpretum auctoritatem imminueret, & loca quaedam, quae fidem chriſtianam confirmant, peruerteret. Conferendus HVMFREDVS HODIVS, *de bibliorum textibus originalib. lib. IV. cap. I. p. 576.* HIERONYMVS in ſuo de AQVILA iudicio non ſatis ſibi conſtat, dum alibi eum laudat, alibi vituperat; in eo tamen tandem cum reliquis conſentit, quod textum ebraeum maxime ſecundum litteram transtulerit. Vnde & omnino factum, vt veteres ad hancce AQVILAE verſionem, ceu ad ipſum textum ebraeum, prouocauerint. Legenda, quae de interpretandi, quam AQVILA tenuit, ratione diſſerit PETR. DAN. HVETIVS, *de interpretatione lib. I. p. 60. & 83. & lib. II. p. 152.* Plura de AQVILA dici poſſent, ſed inſtituti noſtri memor, ea mitto. Dabunt illa LVD. CAPPELLVS, *crit. ſacr. lib. V. cap. II.* IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſaur. philolog. lib. I. cap. III. ſect. III. p. 376. ſeqq.* ABR. CALOVIVS, *crit. ſacr. diatrib. X. p. 467.* HVMFR. HODIVS, *de biblior. textib. originalib. lib. IV. cap. I. p. 573. ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XII. p. 332. ſeqq.* IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 958. ſeqq.* AQVILAM excipit THEODOTIO Epheſius, non, vt alii volunt, Ponticus. Error forte inde natus, quod Marcionis Pontici fuerit ſectator; quamquam alii tradunt, eum Ebionitam, tandemque Iudaeorum proſelytum fuiſſe. Cum in ORIGENIS *hexaplis* SYMMACHVS ante THEODOTIONEM poneretur, nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, hunc quoque poſt illum vixiſſe; quos tamen falli, certum eſt. Enimuero licet, quo anno, & ſub quonam imperatore aut THEODOTIO, aut SYMMACHVS verſionem ſuam concinnauerit, definiri nequeat; ex eo tamen, quod IRENAEVS, AQVILAE & THEODOTIONIS, non autem SYMMACHI, mentionem facit, videtur colligi poſſe, THEODOTIONIS verſionem iam extitiſſe, cum IRENAEVS ſcriberet, SYMMACHI poſtea demum eſſe confectam. Conferendus HVMFR. HODIVS *l. c. p. 579. 580.* Ad ipſam illius verſionem quod attinet, eam ad verſionem LXX interpretum proxime accedere, veteres obſeruant. Confirmat idem PETR. DAN. HVETIVS, *de interpretat. lib. I. p. 61.* item *p. 84.* & *98.* Factum etiam inde, vt ORIGENES, cum verſionem LXX interpretum cum textu ebraeo conferret, ex THEODOTIONE eam potiſſimum ſuppleret; immo integrum *librum Danielis*, plurimaque Iobi loca, quae in verſione LXX interpretum deſiderabantur, ex THEODOTIONIS verſione hodie in bibliis graecis legi, iam pridem viris doctis obſeruatum eſt. Conferendus IAC. VSSERIVS, *ſyntagm. de LXX. interpretib. cap. VI.* Sunt, qui THEODOTIONEM primum libros apocryphos veteris teſtamenti collegiſſe, ſaltem omnia, quae Danieli obtruduntur, Ebraeis ignota, ei vel ceu auctori, vel ceu editori, accepta referenda; ſpeciatim *hiſtoriam Suſannae* foetum eius eſſe, contendunt; qua de re inter viros doctos diſputatur. Sed tum de hacce quaeſtione, tum de reliquis ad THEODOTIONEM ſpectantibus, plura dabunt, praeter alios, HVMFR. HODIVS, & IO. ALB. FABRICIVS, *locis* antea *citatis*, quibus, ſi placeat, iungi poterit diſſertatio mea *de Theodotione*, quae in *parergis hiſtorico-theologicis* extat, *p. 31. ſeqq.* Sequitur

Digitized by Google

quitur SYMMACHVS, quem poſt opus ab IRENAEO *aduerſus haereſes* ſcriptum, adeoque poſt THEODOTIONEM, verſionem ſuam in lucem emiſiſſe, antea iam docuimus. Fuit SYMMACHVS gente & religione ſamaritanus, poſtea autem ad Iudaeorum caſtra tranſiit, tandemque inter chriſtianos Ebionitarum partibus ſe addixit. Conferendus EPIPHANIVS *de menſuris & ponderib. cap. XVI.* Immo a SYMMACHO hocce Ebionitas *Symmachianos* dictos, quos tamen diuerſos eſſe ab iis, quorum PHILASTRIVS *cap. LXIII. & LXIV.* meminit, HENR. VALESIVS autumat, ad EVSEBII *hiſtor. eccleſ. lib. VI. cap. XVII.* obſeruante hoc THOM. ITTIGIO, *de haereſiarchis aeui apoſtolici ſect. I. cap. VI. §. IX. p. 68.* Samaritanus porro cum fuerit SYMMACHVS; pentateuchum ex codice ſamaritano ab eo translatum, nonnulli ſibi perſuadent; quae inde quoque videtur confirmari ſententia, quod veteres eccleſiae chriſtianae doctores, quando σαμαρειτικὸν laudant, ad SYMMACHI huius verſionem reſpiciant; vti rationibus minime contemnendis oſtendit IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. cap. XII. p. 337* Ad ipſam, quam SYMMACHVS tenuit, interpretandi rationem, quod attinet; in eo fere viri docti conueniunt, illum maiorem ſenſus, quam verborum, curam in ſe ſuſcepiſſe; vti AQVILA contra omnem nauauit operam; vt verba verbis reſponderent. Quo nomine ſaepe SYMMACHVS ab HIERONYMO ceteris praefertur; a quo tamen & interdum notatur, quod nimis tum a textu ebraeo, tum a verſione LXX interpretum, receſſerit. Conferendus PETR. DAN. HVETIVS, *de interpretat. lib. I. p. 61. 84. & 98.* qui ſimul obſeruat, quod & alias conſtat, eum *in eadem interpretandae ſcripturae palaeſtra bis induſtriam ſuam nobilitaſſe*; *p. 61.* Plura de hocce quoque interprete dabunt viri iſti docti, quos antea laudauimus, cumprimis HVMFR. HODIVS, *l. c. p. 588.* & IO. ALB. FABRICIVS itidem *l. c. p. 338. ſeqq.* Frequentiſſimum trium horum interpretum, AQVILAE, THEODOTIONIS & SYMMACHI apud veteres fuiſſe vſum, praeſertim poſtquam ab ORIGENE in *tetraplis* & *hexaplis*, cum verſione LXX interpretum, editi erant, neminem fugit. Vnde & ſubinde ſub *trium interpretum* nomine commemorari ſolent. Vnum quoque eumdemque omnibus conſtitutum fuiſſe finem, negari nequit. *Summam praeterea*, inquit PETR. DAN. HVETIVS, *interpretandis ſcripturis vafritiem adhibuiſſe hanc haereticorum trigam, vno ore patres vniuerſi clamant, &, eleuandae LXX. ſenum auctoritati, has a Iudaeis adornatas editiones, & Chriſto fauentibus teſtimoniis ſubdole corrumpendis, conqueruntur; de interpret. lib. I. p. 84. 85.* Qui in reliquiis harum verſionum ſe aliquid inuenire poſſe, putant, quo probent, textum ebraeum eo tempore aliter fuiſſe comparatum, ac hodie eſt, eumque adeo, quem tenemus, corruptum eſſe, operam oleumque perdere, patet ex iis, quae ſupra de textus ebraei integritate diſputauimus. Nec praetermittendum, quod viri docti obſeruarunt, horum interpretum verſiones ſubinde cum verſione LXX interpretum ita fuiſſe permixtas, vt quid LXX hiſce interpretibus, quid AQVILAE, quid THEODOTIONI, aut SYMMACHO tribuendum ſit, difficulter diſcerni queat. Cum etiam verſiones iſtae cum ORIGENIS *tetraplis* & *hexaplis* dudum perierint; hodie earum tantum fragmenta quaedam ſuperſunt, quae primum FLAMIN. NOBILIVS collegit, *in notis ad Sixtina biblia*, Romae an. 1588. fol. edita, & deinde IO. DRVSIVS, vtpote qui *veterum interpretum graecorum in totum vetus teſtamentum fragmenta, collecta, verſa & notis illuſtrata*, dedit, poſt eius obitum euulgata Arnhemiae an. 1622. 4. Sed vtriusque diligentiam vicit BERNH. DE MONT-

FAVCON,

FAVCON, dum *hexaplorum Origenis, quae ſuperſunt, multis partibus auctiora, quam a Flaminio Nobilio & Ioanne Druſio edita fuerint, ex manuſcriptis & libris editis eruta & notis illuſtrata*, in lucem emiſit Pariſiis an. 1713 duobus tomis in fol. Praeter hucusque memoratas verſiones graecas aliae tres exſtiterunt, quarum auctores ignorantur, quasue omnes aut ipſe, aut aliorum ſtudio, reperit ORIGENES, atque primus in lucem produxit. Non tamen eae fuerunt totius codicis ebraei, ſed tantum quorumdam librorum; vocanturque ab ordine *quinta, ſexta, ſeptima*. Quae de hiſce ſcitu digna ſunt, ſuppeditat HVMFR. HODIVS, *de bibliorum textibus originalibus &c. lib. IV. cap. IV.* Conferendus & IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graecae lib. III. cap. XII. p. 341.*

*** Non tantum noui, ſed & veteris teſtamenti, ſyriaca exſtat verſio. Et veteris quidem teſtamenti iterum duplex eſt, ex ebraeo altera, altera ex graeco codice LXX interpretum expreſſa; quarum illam *ſimplicem*, hanc *figuratam* dicere conſueuerunt. Duplicis huius verſionis mentionem facit GREG. ABVLPHARAIVS, in *hiſtoria dynaſtiarum, dynaſt. VI. p. m. 64.* Praeſtantior eſt *ſimplex* illa, ex ebraeo expreſſa, qua ſola etiam Maronitae vtuntur, quaeue in opere biblico Pariſienſi & anglicano exſtat. Huic tantum quidam antiquitatis tribuunt, vt, Hirami rogatu, qui Tyri regnum tenuit, ſi non ab ipſo Salomone, certe tempore Salomonis, maximam eius partem confectam, arbitrentur, reliquam vero, nouumque ipſum foedus, ab apoſtolis, ſpeciatim Thaddaeo, regnante apud Edeſſenos Agbaro. At iſta omnia, quae de verſionis iſtius antiquitate dicuntur, cum incerta ſint, & lubrico admodum nitantur fundamento; merito a viris doctis reiiciuntur, ſpeciatim a PETR. DAN. HVETIO, *de interpretat. lib. I. p. 165* & RICH. SIMONE, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XV. p. 271.* Alteram iſtam, quae ex graeco expreſſa eſt, & *figurata* vulgo dicitur, vti aetate recentiorem, ita inferiorem auctoritate eſſe, agnoſcunt omnes. Sed de veteris teſtamenti verſione ſyriaca plura dabunt IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſaur. philolog. lib. I. cap. III. p. 262.* BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico prolegom. XIII. p. 394.* CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus cap. IV. p. 41.* Nos de ſyriaca noui teſtamenti verſione praecipue ſumus ſolliciti, quam longe antiquiſſimam eſſe, omnes vno fatentur ore. Immo ſi non ab apoſtolo quodam, certe apoſtolico viro, eam confectam, nonnulli arbitrantur. Ita IMMAN. TREMELLIVS, in *epiſt. dedicat. noui teſtam. ſyriaci ad Eliſabetham Angliae reginam*; IAC. MARTINI, *praefat. in nouum teſtam. ſyriac. Troſtii*, AVG. PFEIFFERVS, *critic. ſacr. cap. X. §. III. p. 393.* aliique. Immo vlterius progreſſus eſt GVIDO FABRIC. BODERIANVS *praefat. noui teſtam. ſyr. tom. V. biblior. reg.* adſerens, a Marco euangeliſta hanc verſionem profectam, idque ſibi narratum a Syris, aut potius a GVIL. POSTELLO, qui, ſe a Syris hoc accepiſſe, adfirmauerit. Verum quantum Syrorum, aliarumque gentium orientalium traditionibus, tribuendum ſit, nemini temere ignotum eſſe poteſt. In eo certe fallitur BODERIANVS, quod dialectum iſtam, qua nouum teſtamentum ſyriacum ſcriptum eſt, eam eſſe cenſet, qua Chriſtus & apoſtoli vſi ſint. Hos enim Hieroſolymitana vſos eſſe, conſtat, qualis in targum & talmude Hieroſolymitano conſpicitur, cum nouum contra teſtamentum ſyriacum conſcriptum ſit dialecto Maronitica. Recte hoc obſeruauit RICH. SIMON, *hiſtor. critic. verſion. noui teſtam. cap. XIII. p. 160.* conf. AVG. PFEIFFERVS, *crit. ſacr. cap. III. quaeſt. XII. p. 90. ſeqq.* Ad ipſam verſionem

ſionem ſyriacam vt redeamus, recte omnino ſentiunt, qui, eam antiquiſſimam eſſe, fatentur, licet non conſtet, a quibus auctoribus, aut quo tempore ſit confecta. Vt vero antiquitas auctoritatem ei conciliat; ita hoc etiam nomine apud omnes merito in pretio eſt, quod textum graecum plurimis in locis optime declaret; vti ſubinde a viris doctis demonſtratum eſt. Primum typis, iisque elegantiſſimis, verſionem hanc ſyriacam excudi curauit IO. ALB. WIDMANSTADIVS, iure conſultus, & prouinciarum Auſtriae orientalis cancellarius, Viennae anno 1562. 4. IGNATIVS ſcilicet, patriarcha Antiochenus, presbyterum quemdam MOSEN MEREDINAEVM ex Meſopotamia in Europam miſerat, vt nouum teſtamentum ſyriacum ibi imprimi curaret, in vſum chriſtianorum orientalium. Iſte vero MOSES, cum fruſtra & Romae, & Venetiis, aliorum auxilia hac in re imploraſſet; Viennam tandem delatus WIDMANSTADIVM negotii iſtius promotorem promtiſſimum inuenit, Ferdinando I imperatore ſumtus liberaliter ſubminiſtrante. Cumque MOSIS codex manuſcriptus, quem ſecum attulerat, non magis quam reliqui, quos conſulebant, *poſteriorem epiſtolam Petri, ſecundam & tertiam Ioannis, epiſtolam Iudae & apocalypſin*, contineret; factum inde, vt iſti libri in prima hac editione non comparerant. WIDMANSTADIVM ſequutus eſt IMMAN. TREMELLIVS, qui nouum teſtamentum ſyriacum charactere ebraeo, vna cum verſione latina ad ſyriacam facta, addito etiam textu graeco & verſione THEODORI BEZAE, typis Henrici Stephani, Geneuae an. 1569. in fol. edidit. Recuſa etiam deinceps WIDMANSTADII eſt charactere ebraeo & ſyriaco, in *tomo V. biblior. polyglottor. Antwerpienſium*, cum verſione latina GVID. FABR. BODERIANI, qui & naeuos quosdam editionis Widmanſtadianae ex antiquo codice manuſcripto, quem ex oriente ſecum attulerat GVIL. POSTELLVS, correxit. Idem BODERIANVS ſeorſim etiam anno 1584 Pariſiis nouum teſtamentum ſyriacum in lucem emiſit charactere ebraeo, cum verſione interlineari, verſione vulgata e regione poſita, ſubiecto in fine paginae textu graeco. Hinc MART. TROSTIVS an. 1621 Cothenis Anhaltinorum charactere ſyriaco hancce verſionem edidit, ſubnexa ſingulis paginis interpretatione IMMAN. TREMELLII, & adiectis in calce quinque praecedentium editionum variantibus lectionibus. Exſtat praeterea nouum teſtamentum ſyriacum in *bibliis polyglottis Pariſienſibus & Londinenſibus*, in quibus, vt & in editione omnium vſibus perquam adcommodata, quam AEGID. GVTBIERIVS an. 1663. 8. dedit, etiam *epiſtola poſterior Petri, ſecunda & tertia Ioannis, Iudae* porro & *apocalypſis Ioannis*, conſpiciuntur. Has epiſtolas, *poſteriorem* ſcilicet *Petri, ſecundam & tertiam Ioannis*, itemque *Iudae*, primus edidit EDV. POCOCKIVS, Lugduni Batauorum, 1630. 4. cum iam antea an. 1627 LVD. DE DIEV *apocalypſin Ioannis* ex codice manuſcripto Scaligeriano, qui eſt in bibliotheca Lugdunenſi, cum verſione Latina, euulgaſſet. GVTBIERIVS non tantum textum punctis tam diacriticis, quam vocalibus; ornatum exhibuit, addita verſione Matthaei latina, ſed lexicon etiam breue, variantesque lectiones, adiecit. Commemoranda etiam eſt editio noui teſtamenti ſyriaca, quae Lugduni Batauorum an. 1709. 4. cura & ſtudio IO. LEVSDENII & CAR. SCHAAFII lucem adſpexit; in cuius *praefatione* SCHAAFIVS etiam editiones, quae hucusque prodierunt, recenſet. Ex iis autem maxime ſibi profuiſſe fatetur Viennenſem, Pariſienſem maiorem, & anglicanam. Viennenſem, cum ſit omnium prima & originaria, inſtar normae ſibi fuiſſe, dicit: Pariſienſem maiorem & anglicanam, cum genu-

genuinam Syrorum punctationem perfectiſſime pleniſſimeque exprimant, eas quoque in punctis adponendis ſe eſſe ſequutum. Omnes quoque noui teſtamenti libri, aeque ac in Gutbieriana, aliisque editionibus antea memoratis, in hacce editione Lugdunenſi exhibentur, adiuncta verſione latina, ex omnibus verſionibus latinis, maxime Tremelliana, compoſita, ſubinde tamen & plane noua concinnata; ne quid de variantibus lectionibus, quae ex reliquis editionibus diligenter collectae ſiſtuntur, dicam. Cum etiam duplex ſit noui teſtamenti ſyriaci punctatio, alia eorum qui in Syriacis chaldaizant, alia eorum, qui purum ſyriaſmum obſeruant; & vero initio LEVSDENIVS & SCHAAFIVS iunctis operis in editione hac laborarent, quorum ille priorem punctationem maxime probauit; factum eſt, vt quamdiu LEVSDENIVS viueret, priorem illam punctationem ſequerentur; at eo mortuo SCHAAFIVS, ſibi ſoli relictus, poſteriorem adhibuit. Hinc prior punctatio ab initio noui teſtamenti vsque ad *Luc. XVIII. 27.* in reliquis poſterior conſpicitur. Lexicon denique etiam ſyriacum editioni huic additum eſt, in cuius praefatione lexica ſyrica, ab aliis concinnata, recenſentur. In *bibliis ſacris quadrilinguibus noui teſtamenti graeci &c.* quae Lipſiae anno 1713. fol. opera & ſtudio CHRIST. REINECCII prodierunt, *verſionem* quoque *ſyriacam* exhiberi, ſupra iam commemorauimus. De reliquis verſionis huius editionibus praeter CAR. SCHAAFIVM, *loco* iam *citato*, conferendi IAC. LE LONG in *biblioth. ſacr. &c. cap. II. ſect. III. p. 192. ſeqq* & IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. p. 201.* Libros iſtos noui teſtamenti, qui in editione Widmanſtadiana deſunt, in antiquiſſimis etiam codicibus manuſcriptis deeſſe, docet RICH. SIMON *hiſt. crit. verſion. noui teſtam. cap. XIII. p. 165. ſeqq.* vbi & locum, de quo tam acriter diſputatur, de *tribus teſtibus in caelo I. Ioan. V. 7.* in verſione ſyriaca, illis certe codicibus, qui nobis innotuerunt, non inueniri, monet; primumque fuiſſe IMMAN. TREMELLIVM, qui huncce verſiculum ex graeco in ſyriacum verterit, ſed margini tantum adſcripſerit. Hinc AEG. GVTBIERIO iraſcitur, quod eumdem in ipſum textum receperit. At cum aliunde conſtet, & a viris doctiſſimis euidenter demonſtratum ſit, huncce verſiculum genuinum eſſe; nihil, quod reprehendi debeat, GVTBIERIVS fecit, dum eum textui ipſi inſeruit. Quid vero de titulis & ſectionibus capitum verſionis huius ſyriacae, ex quibus varia in vſus ſuos colligunt pontificii, ſentiendum ſit, ex inſtituto oſtendit CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus, cap. IV. §. IV. ſeqq. p. 43. ſeqq.* Iam & de aliis verſionibus ſcripturae ſacrae orientalibus, arabica, perſica, aethiopica, reliquis, dicendum eſſet; ſed cum hiſce diutius immorari nobis non liceat, conſulere de iis iuuabit BRIAN. WALTONVM, in *adparatu biblico prolegom. XIV. ſeqq. p. 401. ſeqq.* CHRIST. KORTHOLTVM, *de variis ſcripturae ſacrae editionib. cap. XVII. ſeqq.* PETR. DAN. HVETIVM, *de interpretat. lib. II. ſiue de claris interpretibus p. 169. ſeq.* AVG. PFEIFFERVM, *critic. ſacr. cap. X. p. 392. ſeqq.* IAC. LE LONG, in *bibliotheca ſacra cap. II. ſect. V. ſeqq. p. 214. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VIII. p. 211. ſeqq.* & ſpeciatim, ad nouum teſtamentum quod attinet, IO. ALB. FABRICIVM, *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. p. 191. ſeqq.* ad vetus autem IO. CHRISTOPH. WOLFIVM, *bibliothec. ebr. part. II. lib. II. ſect. VI. p. 419. ſeqq.* vbi dum verſiones codicis ebraei, quae a Iudaeis vel ex Iudaeis profectae ſunt, recenſet, etiam de *arabica* verba facit, *p. 437. ſeqq.*

§. VI.

Digitized by Google

§. VI. Latinae veteris nouique teſtamenti verſiones cum ſint plurimae; ea tamen, quae *vulgata* hodie dicitur, vel hoc nomine obſeruanda, quod de eius auctoritate, & cum textu originali conuenientia, ſaepe inter viros doctos diſputatur. Licet autem naeuorum non ſit expers; ideo tamen minime eſt contemnenda, ſed vſum interdum eximium praebet; quod & de reliquis adſerendum eſt. *

* Cum inter eccleſias priſcas non vltimum locum teneat *latina*, iam apoſtolorum tempore maxime effloreſcens, vt vel ex Pauli apoſtoli ad Romanos epiſtola patet; nullum eſt dubium, quin ſtatim etiam nonnulli ſcripturam ſacram in linguam conuertere latinam adgreſſi ſint. Cum etiam verſio LXX interpretum praecipue apud chriſtianos recepta fuerit, graecaeque linguae vſus in Italia eſſet frequentiſſimus; veroſimile admodum eſt, antiquas verſiones latinas qua vetus teſtamentum ex verſione LXX interpretum expreſſas fuiſſe. Nec ratione illorum deſtituitur coniectura, qui, haud paucos eo tempore libertatem ſibi vindicaſſe, putant, verſionem latinam ad textum graecum emendandi, aut omnino nouam cudendi; vnde plures non tantum exſtiterint verſiones, ſed maxima etiam codicum vnius eiusdemque verſionis exorta ſit varietas. Teſtis eius rei eſt HIERONYMVS: *maxime cum apud Latinos tot ſint exemplaria, quot codices; & vnusquisque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt &c. praefat. in librum Ioſuae, operum* eius *tom. I. p. 247.* edit. IO. MARTIANAEI. AVGVSTINVS, tot exſtitiſſe verſiones latinas, adfirmat, vt numerari non potuerint. *Qui enim ſcripturas,* inquit, *ex ebraea lingua in graecam verterunt, numerari poſſunt, latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, & aliquantulum facultatis ſibi vtriusque linguae habere videbatur, auſus eſt interpretari; de doctrina chriſtiana lib. II, cap. XI. p. m. 47.* Prae ceteris tamen eminuit, quae *itala* dicebatur, item *vulgata*, vt & *vetus*, quod cum ipſa eccleſia latina nata videretur, cuius etiam auctor ignoratur. De ea iterum AVGVSTINVS: *in ipſis autem interpretationibus itala ceteris praeferatur. Nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiae; l. c. lib. II. cap. XV. p. 52.* Cum dudum ea verſio perierit, reſtituere tamen eam conatus eſt FLAMINIVS NOBILIVS, omnia, quae potuit, ſcripturae loca ex patribus latinis colligendo, reliqua ſecundum LXX interpretes, ſtilo fragmentis illis, quantum fieri potuit, conformi, exprimendo. Edidit iſtam verſionem Romae an. 1588, quam vna cum textu graeco recudi curauit IO. MORINVS Pariſiis an. 1628. Verum vanum fuiſſe iſtum NOBILII conatum, recte iudicant viri docti. Incertum enim, an patres ſemper in ſuis adlegationibus verſionem iſtam vulgatam ſequuti ſint; idque eo magis, quod vnus idemque locus interdum diuerſa ratione, non modo a diuerſis, ſed ab vno eodemque ſcriptore, referatur. In iſtis etiam, quae ſuppleuit NOBILIVS, ſcire profecto non potuit, an eadem, qua ipſe, voce vſus ſit vetus interpres, vel eo modo ſenſum expreſſerit. Conferendi RICH. SIMON, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XI. p. 243.* & LVD. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. c. VII. p. 199.* Interim & IO. MARTIANAEVS verſionis huius ſpecimen, *euangelium* ſcilicet *Matthaei*, edidit Pariſiis an. 1695. 12. IOANNES quoque ALB. FABRICIVS, totius fere noui teſtamenti verſionem, quae ante HIERONY-

MVM fuit, e codice antiquiſſimo THEOD. BEZAE, & altero regio Pariſienſi vel Claromontano, reſtitui poſſe, exiſtimat; *bibliotb. graec. lib. IV. cap. V. p. 198.* Sed & RICH. SIMON, verſionem iſtam noui teſtamenti in quibusdam codicibus manuſcriptis adhuc ſupereſſe, docet, *biſtor. critic. verſion. noui teſtam. cap. IV. p. 29.* Idem etiam vir doctus, quid in iſta verſione reprehendendum ſit, more ſuo oſtendit, tum *l. c.* tum in *biſtor. critic. vet. teſtam. lib. II. cap. XI. p. 243. ſeqq.*

Iam quid HIERONYMVS circa verſionem latinam praeſtiterit, paucis diſpiciendum eſt. Iuuenis nimirum adhuc primum totum vetus teſtamentum latinum cum graecis hexaplorum codicibus collatum, emendauit, additis, vbi aliquid mutaret, notis & aſteriſcis. Quosdam etiam libros, & in his pſalmos, e graeco adcurate conuertit; quae tamen iam pridem periit verſio. Quin & pſalterium poſtea latinum a Damaſo rogatus, ex Lucianea LXX interpretum editione bis correxit, quod ita a Romana eccleſia ſtatim vſurpari coepit, & in bibliis vulgatis hodie adhuc extat. Praeterea ad graecam LXX interpretum verſionem, ex melioris notae codicibus emendatam, edidit. Aetate prouectior in ſeceſſu Bethlehemitico, omnes veteris teſtamenti libros, qui in Iudaeorum canone exſtant, ex ebraeo in latinum ſermonem conuertit, quibus etiam addidit libros Iudithae & Tobiae ex lingua chaldaea translatos. Ex hacce verſione hodie ſuperſunt *liber pſalmorum*, qui inter opera eius legitur, & *prophetae.* Prophetarum enim verſionem Hieronymianam in bibliis vulgatis, leuem admodum mutationem paſſam, inueniri, integram vero & puram inter commentarios eius in *prophetas* exſtare, viris doctis obſeruatum eſt. Conferendus GVIL. CAVEVS, in *biſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. part. I. ſacc. IV. p. 156.* Ex hiſce vero liquet, an & quousque HIERONYMVS auctor verſionis, quae hodie *vulgata* vocatur, & a pontificiis pro authentica venditatur, cenſendus ſit. Nimirum *pſalterium* vulgatae editionis latinae, non eſſe illud, quod HIERONYMVS ex ebraeo, neque illud, quod ex verſione LXX interpretum transtulit, ſed illud, quod ipſe emendauit, vt antea dictum, fatetur ROBERT. BELLARMINVS, cuius ſententiam expendit CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionibus, cap. IX. pag. 94. ſeqq.* Fatetur idem LVD. ELLIES DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VII. §. II. pag. 201.* Libros *ſapientiae, eccleſiaſtici & Maccabaeorum,* non ex verſione HIERONYMI, ſed ex antiqua translatione, cuius auctor ignoratur, ſupereſſe, at reliqua omnia veteris teſtamenti ex HIERONYMI verſione ex ebraeo in editione vulgata exhiberi, idem contendit BELLARMINVS, ſuffragante praeter alios LVD. ELL. DV PIN *l. c. p. 203.* Hic tamen concedit, verſionem vulgatam non eſſe in omnibus conformem genuinae verſioni HIERONYMI; cuius rei cauſſam ex editionum & codicum, quorum quidam corrupti ſint, varietate deriuare adnititur. Verum etſi non diffiteamur, in verſione vulgata reliquorum librorum veteris teſtamenti, praeſertim prophetarum, multa occurrere, quae HIERONYMVM auctorem agnoſcunt; ipſam tamen horum librorum verſionem vulgatam, eamdem prorſus eſſe, ac verſionem HIERONYMI, adſeri nequit. Res enim ipſa docet, in vulgata iſta horum librorum verſione, multa aliter verſa eſſe, ac HIERONYMVS ea vertit, aut vertenda cenſuit. Praeterea HIERONYMVS ipſe teſtatur, ſe cuncta adcurate ex fontibus ebraicis transtuliſſe, *lib. II. aduerſus Ruffinum tom. IV. operum part. II. p. m. 429.* idemque confirmat AVGVSTINVS *lib. XVIII. de ciuit. Dei cap. XXIII.* qui &, Iudaeos ipſos hocce teſtimonium HIERONYMO perhibuiſſe, auctor eſt; quod vtrique

que de verſione vulgata, ſaltem plurimis in locis, adfirmare non licet. Quod vero hic poſt ROB. BELLARMINVM excipit LVD. ELL. DV PIN, librariorum culpa accidiſſe, vt verſio vulgata a textu ebraeo diſſentire videatur, rem nondum conficit; vti iam pridem CHR. KORTHOLTVS demonſtrauit, *de variis ſcripturae S. editionib. cap. IX.* §. *IX.* Scilicet etſi negandum non eſt, mendis librariorum ſcatere verſionem vulgatam, ſimul tamen fatendum, plurima in ea occurrere loca ab ebraeo textu diſcrepantia, quae in omnibus codicibus, antiquis, & recentioribus, eodem modo exſtant, adeoque librariorum tribui nequeunt incuriae. De *libris* equidem *propheticis* antea iam obſeruauimus, eorum, quae in bibliis vulgatis legitur, verſionem pro Hieronymiana reputari poſſe, licet itidem variis in locis mutata ſit; de reliquis vero veteris teſtamenti libris canonicis non ſine ratione viri docti ita cenſent, quidquid in iis verſionis Hieronymianae exſtat, cum antiqua verſione latina ita permixtum, atque confuſum eſſe, vt quaenam ſint HIERONYMI, quaenam antiquae verſionis, vix dignoſci queat. Ita GVIL. CAVEVS, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. part. I. ſaec. IV. p. 156.* Ad nouum teſtamentum quod attinet, verſionem eius antiquam ab HIERONYMO ad fontes graecos emendatam, atque repurgatam eſſe, conſtat; eamque ipſam verſionem, quam HIERONYMVS emendauit, in bibliis vulgatis hodie contineri, plurimi pontificiorum ſibi perſuadent. Nec tamen defuerunt, qui hac de re dubitarent. DESID. ERASMVS Roterodamenſis diſerte negat, verſionem, quae hodie exſtat, noui teſtamenti vulgatam, eam eſſe, quam correxit & emendauit HIERONYMVS; in *ſchol. in epiſt. Auguſtini ad Hieronymum.* IAC. FABER Stapulenſis peculiarem quoque ſcripſit *apologiam, quod vetus interpretatio epiſtolarum beatiſſimi Pauli, quae paſſim legitur, non ſit translatio Hieronymi*; in qua plurima ex epiſtolis Pauli collegit loca, quae vt in verſione vulgata exſtant, cum emendationibus HIERONYMI non conueniunt. Quamobrem nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, verſionem noui teſtamenti vulgatam ad minimum per omnia non eſſe eamdem illam verſionem, ab HIERONYMO ipſo emendatam. Atque hiſce dum RICH. SIMON, in *hiſtor. crit. verſion. nou. teſtam. cap. VII. p. 71.* ita reſpondet, vt contendat, ſi iſtae rationes aliquid probarent, eodem modo euinci poſſe, HIERONYMVM nec verſionis latinae veteris teſtamenti auctorem eſſe; parum apud eos proficiet, qui & hoc in dubium vocant. Sed valeat hoc argumentum κατ' ἄνθρωπον apud illos, qui verſionem vulgatam veteris teſtamenti HIERONYMI eſſe, adſeuerant. Vt reliquis etiam ſatisfaciat SIMON, reſpondet porro, teſtari ipſum HIERONYMVM, ſe non omnia correxiſſe, quae corrigenda putauerit, ne nimis multa immutaſſe videretur. Hinc itaque fieri potuiſſe, vt in commentariis quaedam corrigeret, quae tamen non correxerit in verſione. Iam ante SIMONEM eadem reſponſione vſus fuerat ROB. BELLARMINVS; hinc & eam iam, ceu parum idoneam, reiecit CHR. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionib. cap. IX. §. IV. p. 95.* Tametſi enim HIERONYMVS dicat, ſe non omnia correxiſſe; ſimul tamen profitetur, *ſe correxiſſe ea, quae ſenſum videbantur mutare.* Iam vero in verſione vulgata hodie omnino talia ſupereſſe, quae, ipſo HIERONYMO iudice, ſenſum mutant, exemplis docet KORTHOLTVS *l. c.* BELLARMINI & SIMONIS veſtigia premit LVDOV. ELL. DV PIN, niſi quod addat, cum librariorum culpa valde corrupta ſit verſio vulgata; rationem inde itidem arceſſendam, cur non in omnibus cum correctionibus, quae in commentariis HIERONYMI conſpiciuntur, conueniat; *prolegom. ſur la bible lib. II. cap. IV. §. I. p. 83.* At nec hac ratione dubium

bium iſtud tolli, ex iis, quae antea diſputauimus, intelligitur. Ceterum vt HIERONYMVS nouam veteris teſtamenti verſionem cudere adgrederetur, grauiſſimas ſibi habere videbatur rationes. Septuaginta interpretum verſionem & corruptam pluribus in locis, & a textu ebraeo ſubinde recedere, intelligebat; reliquis verſionibus graecis, maximam partem a Iudaeis, aut iudaizantibus, profectis, non multum tribuendum iudicabat; latinas autem ad graecas, praeſertim LXX interpretum, confectas, haud ignorabat; hinc non poterat non labor eius eccleſiae longe vtiliſſimus cenſeri. Non tamen defuerunt, qui eum hoc nomine reprehenderent, qua de re ipſe in ſingulis fere *praefationibus* conqueritur. Quibuſdam enim ſcripturae corruptor audiebat; alii aegre ferebant, eum Iudaeorum interpretationem praeferre verſioni LXX interpretum in eccleſia iam receptae, & euangeliſtarum ac apoſtolorum calculo adprobatae; qui reliquis aequiores erant, verſionem eius minime culpandam, fatebantur, non tamen conſultum putabant, eam legi in eccleſiis, eo, quod hoc in verſionis LXX interpretum, & vulgatae, contemtum vergere videretur. Ipſe AVGVSTINVS in ea fuit ſententia; cumque initio reprehendiſſet HIERONYMVM, quod verſionem a LXX interpretibus diſcrepantem feciſſet; tandem agnoſcit, vtilem eſſe HIERONYMI verſionem poſſe, etſi non legenda ſit in eccleſia, ne inde praebeatur ſcandalum. Legenda, quae de oppugnatoribus huius verſionis diſſerit IO. MARTIANAEVS, in *prolegom. in diuinam Hieronymi bibliothecam*, ſiue *operum* eius *tomum I. prolegomeno I.* §. *IV.* Quemadmodum autem haud difficile HIERONYMO fuit, ad obiecta ſibi reſpondere; ita mox recepta fuit eius verſio, eaque vſi ſunt SALVIANVS, EVCHERIVS, PROSPER, FVLGENTIVS, IVNILIVS, PETR. CHRYSOLOGVS, GREGORIVS magnus, aliique. His AVGVSTINVM ipſum nonnulli addunt; quippe quem maxime in *ſpeculo*, quod *operum* eius *tomo III. pag. 507. ſeqq.* editionis monachorum Benedictinorum, quae Antwerpiae 1700 prodiit, exſtat, hac verſione vſum, poſt IO. MORINVM obſeruat IO. MARTIANAEVS *l. c. prolegomeno II.* §. *III.* In *ſpeculo* iſto, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, AVGVSTINVS ex veteri & nouo teſtamento ſummatim exhibet, quae ad vitam recte inſtituendam pertinent; quod & POSSIDIVS docet in *vita Auguſtini c. XXVIII.* At *ſpeculum* hocce AVGVSTINI interpolatum eſſe, contendit RICH. SIMON in *critica* ſiue *cenſura bibliothecae Hieronymianae p. 26. ſeqq.* quod & iam antea mouerat GVIL. CAVEVS in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. IV. pag. 170.* Vt autem de vertendi, quam HIERONYMVS tenuit, ratione aliquid dicamus; id maxime operam dedit, vt licet verba reſpondere quam maxime verbis vellet, quod inter graecos interpretes AQVILAM obſeruaſſe, conſtat, ſenſum tamen ipſum, ea, qua poſſe, fide, exprimere adniteretur. Quod ſi etiam ſemper adſequutus non ſit; ipſe tamen conatus laude non caret. Praeterea, vt linguae latinae puritatem & nitorem, quantum res ipſa permittebat, ſeruaret, ſe omni ſtudio elaboraſſe, ipſemet profitetur. *Hoc ſequimur*, inquit, *vt vbi nulla eſt de ſenſu mutatio, latini ſermonis elegantiam conſeruemus*; *epiſt. CXXXV.* ſiue *ad Sunniam & Fretelam, tomo II. operum* eius *p. 651.* Quo nomine & veteribus iam laudata eſt haecce verſio, vt AVGVSTINO, *de ciuitate Dei lib. XVIII. c. XLII.* GREGORIO magno, *lib. XX. moral. cap. XXIII.* quod & PETRO DAN. HVETIO obſeruatum, *de interpretat. lib. I. pag. 65.* Conferendus & LVDOV. ELL. DV PIN, *prolegomen. ſur la bible lib. I. cap. VII. pag. 201.* Verſiones HIERONYMI e vetuſtiſſimis codicibus manuſcriptis *tomo I. operum* eius edidit IO. MARTIANAEVS, quem inſcripſit:

plit: *diuina bibliotheca antehac inedita, complectens translationes latinas veteris ac noui teſtamenti, cum ex ebraeis, tum e graecis fontibus deriuatas; innumera quoque ſcholia marginalia antiquiſſimi ebraei cuiuſdam ſcriptoris anonymi, ebraeas voces preſſius exprimentis &c.* Pariſiis 1693, fol. Quod inſtitutum MARTIANAEI vt omni laude dignum; ita non defuerunt, qui in eo quaedam reprehenderent, quod & praeter alios IO. CLERICVS fecit, in *quaeſtionibus Hieronymianis, quaeſt. IX. p. 290. ſeqq.*

Quemadmodum autem ex iis, quae hucusque diſputauimus, origo eius verſionis, quae hodie *vulgata* vocatur, conſtat; ita eamdem non tantum in eccleſia romana receptam, ſed maximam etiam in eadem obtinuiſſe auctoritatem, neminem fugit. Immo licet verſio iſta a textu originali plurimis in locis diſcederet, variisque ſcateret erroribus hermeneuticis, theologicis, hiſtoricis, topographicis, chronologicis; quorum indicem poſt MART. CHEMNITIVM, IO. GERHARDVM, GVIL. WHITAKERVM, aliosque, exhibent MICH. WALTHERVS, in *officina biblica* §. CCCLXXXIII. *ſeqq.* & ABR. CALOVIVS, in *critico ſacro diatrib. IX. pag. 334. ſeqq.* nihilominus in concilio Tridentino pro *authentica* declarata fuit; eo quod ad tuendos eccleſiae romanae errores hanc illi conciliari auctoritatem, maximopere pontificis & eius adſeclarum intereſſet. Quamquam quo ſenſu verſio haecce vulgata in concilio Tridentino *authentica* declarata ſit, inter ipſos romanenſes non conueniat. Sunt enim, qui putant, mentem intentionemque concilii fuiſſe, verſionem hanc, & quidem ſolam, ita eſſe authenticam, vt ipſi textui originali praeferenda ſit; alii contra authenticam eam declaratam volunt, intuitu reliquarum verſionum latinarum, quibus praeferenda ſit vulgata, ſalua auctoritate textus originalis; alii rurſus, eam ideo authenticam dictam, cenſent, quod omnium plane errorum ſit expers; alii denique errores leuioris momenti in hac verſione agnoſcunt, qui ſecundum textum originalem ebraeum & graecum corrigendi ſint, conciliumque hoc ſolum ſibi voluiſſe, eiusmodi errorum, qui ad fidem bonosque mores pertineant, immunem eſſe hanc verſionem. LVD. ELL. DV PIN, qui haſce fidei ſuae ſociorum de auctoritate vulgatae verſionis retulit opiniones, cum porro, quotuplici ratione vox *authentica* ſumatur, expoſuiſſet; ipſe tandem in eam ingreditur ſententiam, authenticam ex mente concilii Tridentini dici verſionem vulgatam, quod ex omnibus verſionibus latinis ſola publice in concionibus, diſputationibus, & collationibus adhiberi debeat; inde vero non ſequi, eam prorſus & vbique cum textu originali, illo quidem, qui a ſpiritu ſancto fuit dictatus, conuenire, aut errorum omnium expertem eſſe; ſatis eſſe, quod *moraliter*, vt auctori loqui placuit, textui conformis ſit originali, meritoque eam aliis verſionibus, tum ob antiquitatem, tum ob fidelitatem, praeferri; *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VII. §. III. p. 204.* Quae eius explicatio, an menti patrum concilii Tridentini reſpondeat, nunc non diſquiram; nec de eo, an patres concilii iſtius iuſtas habuerint cauſſas, verſionem, tot vitiis ſcatentem, aliis praeferendi, diſputabo; ſufficit, quod inde intelligamus, multos hodie ex romanenſibus ſapientiores factos, dum ſententiam illorum, qui verſionem vulgatam textui originali praeferendam contendunt, ipſimet refutant, atque explodunt. Ceterum cum patres Tridentini intelligerent, verſionis vulgatae editiones plurimis ſcatere vitiis typographicis; in eodem concilio decretum fuit, vt editio correctior concinnaretur. Quae conſtitutio cum an. 1546 fieret; exſequutioni tamen demum mandata fuit, cum pontificatum teneret Sixtus V, qui an. 1585 Romanae ſedi prae-

eſſe

Digitized by Google

eſſe coepit. Licet enim ſub Pio IV & V pontificibus in hoc inſtituto fuerit laboratum; ſub Sixto tamen V demum iſtud ad finem perductum eſt, prodiitque emendata haec editio an. 1590. Methodum correctores hanc adhibuiſſe dicuntur, vt textum verſionis vulgatae ad codices manuſcriptos adcurate reuiderent, & ſi quid dubii aut ambiguitatis in manuſcriptis iſtis codicibus occurreret, ad textum ebraeum vel graecum ſe conferrent, & lectionem in textum recipiendam hac ratione determinarent. Praemiſſa etiam huic editioni bulla Sixtus V pontifex conſtituit, hanc editionem ſecundum decretum concilii Tridentini, ceu authenticam, eſſe recipiendam. Vix autem lucem adſpexerat, cum ea iterum ſupprimeretur; biennioque elapſo, Clemens VIII pontifex aliam, multis in locis a priori diuerſam, in lucem emitti iuſſit, quam itidem ſolam authenticam declarauit, bulla hunc in finem promulgata, die IX Nouembr. 1592. Hinc THOMAE IAMESIO enata occaſio, librum edendi, quem *bellum papale* inſcripſit, & in quo vtramque editionem inter ſe conferens, vltra bis mille loca notauit, in quibus editiones iſtae a ſe inuicem diſcrepent. Prodiit Londini an. 1600. 4. Neque in leuioris ſolum, ſed interdum magni momenti rebus, diſcrepantiam deprehendi, fatetur LVD. ELL. DV PIN, qui & hoc addit, Clementinam iſtam editionem magis ad textum ebraeum exactam, adeoque citra controuerſiam correctiorem eſſe Sixtina; *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VII. §. III. p. 208.* Fuerunt autem, qui & latinitatem vulgatae verſionis reprehenderent, quod ex noſtratibus cumprimis AEGID. HVNNIVS fecit, *de verbo Dei contra Bellarminum lib. II. cap. XIV.* Sed defendere contra in hocce capite iſtam verſionem adgreſſus eſt ALB. GENTILIS, cuius *diſſertatio, de latinitate veteris bibliorum verſionis male adcuſata*, cum duabus aliis eiusdem *diſſertationibus, de libris iuris canonici* & *de libris iuris ciuilis*, recuſa eſt Helmſtadii anno 1674. 4. Non equidem diffitetur, occurrere in hac verſione barbariſmos & ſoloeciſmos; plurimas tamen voces vt barbaras, parumque latinas reiici, contendit, quae omnino latinae ſint, & melioris notae ſcriptoribus vſurpatae. Quidquid eius ſit, cum in confeſſo eſſet apud viros doctos, harumque rerum peritos, multis ſcatere naeuis verſionem hancce vulgatam, ceteroquin minime contemnendam; in ea corrigenda ac emendanda ſtudium ſuum atque laborem collocare, operae duxerunt eſſe pretium. Et ex romanae quidem eccleſiae addictis hoc ſibi datum credidit ISIDOR. CLARIVS, Brixianus, epiſcopus Fulginas; quem acriter hoc nomine perſtringit MELCH. CANVS, *de locis theologicis lib. II. cap. XIII.* excuſat contra PETRVS DAN. HVETIVS, *de interpretat. lib. II.* ſiue *de claris interpretib. pag. 186.* Sed CANO ſubſcribunt RICH. SIMON, *hiſtor. critic. vet. teſtament. lib. II. cap. XX.* & CLAVD. FRASSENIVS, *diſquiſit. biblicar. lib. II. c. VII.* Ex noſtratibus LVC. OSIANDER vulgatam latinam & ipſe emendauit, *ſed ita, vt verſionis Lutheri, quam ipſius textus ebraei, potiorem interdum habuerit rationem*, iudice CHRIST. KORTHOLTO *de variis ſcripturae ſacrae editionibus cap. XV. §. XXI. p. 278.* vbi & de PAVLI EBERI & CONR. PELLICANI, reformatae eccleſiae theologi, eodem ſpectantibus laboribus, verba facit. De EBERI autem inſtituto conferendus IO. FR. MAYERVS, in *hiſtor. verſion. german. Lutheri cap. VI. §. IX. p. 73.* addenda tamen, quae de eodem monet IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis &c. §. XVII. p. 35. ſeqq.* Ad nouum teſtamentum ſpeciatim quod attinet, in emendanda verſione vulgata poſt L. VALLAM, & DESID. ERASMVM Roterodamenſem, ſuis *in nouum teſtamentum adnotationibus*, diligenter verſati ſunt, quorum

prae

prae ceteris probandae ſunt editiones, ROBERT. STEPHANVS, FRANC. LVCAS Brugenſis, & theologi Louanienſes. IAC. FABER Stapulenſis vulgatam quatuor euangeliorum verſionem, aſteriſcis & obeliſcis diſtinctam, ad graeca exegit, epiſtolas autem Pauli ex duplici verſione, veteri & ſua recens elaborata, dedit, additis commentariis; quod & IO. ALB. FABRICIO obſeruatum, *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. p. 199.* Varias verſionis vulgatae editiones diligenter recenſet IAC. LE LONG, in *biblioth. ſacr. cap. IV. ſect. III. & IV. p. 574.* editionis Lipſienſis. Nimirum *ſect. III.* exhibet *biblia latina vulgata a catholicis excuſa; ſectione IV.* autem *biblia latina vulgata, a proteſtantibus aut cum illorum notis edita.*

Inter eos, qui plane nouas verſiones latinas ſcripturae ſacrae concinnare adgreſſi ſunt, & quidem romanae eccleſiae addictos, primum ſe nobis offert SANTES PAGNINVS, Lucenſis, ordini Dominicanorum adſcriptus; de cuius verſione diuerſa exſtant virorum doctorum iudicia, quae apud CHRIST. KORTHOLTVM legere licet, *de variis ſcripturae editionibus cap. XV. pag. 252. ſeqq.* In eo tamen conſentiunt plerique, eum religioſe textum premere, verbisque ſtricte inhaerere, vnde fieri non potuit, quin obſcura interdum & barbara eius fieret interpretatio; conf. PETR. DAN. HVETIVS, *de interpretat. lib. II. p. 185.* itemque LVD. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VII. §. IV. p. 209.* Cum PAGNINI verſio veteris teſtamenti an. 1561 in biblia regia transferenda eſſet; BENED. ARIAS Montanus eam correxit, idque egit, vt nulla aut ſenſus, aut perſpicuitatis habita ratione, voces latinae ebraeis vocibus reſponderent. Quo nomine eum praeter alios acerbe perſtringit RICH. SIMON, *correctiones* eius rectius *corruptiones* dici, eumque non *fidiſſimum interpretem*, vt HVETIO audit, ſed *ineptiſſimum* vocandum, contendens; *hiſt. critic. vet. teſtam. lib. II. cap. XX.* THOM. MALVENDAE, itemque THOMAE DE VIO, cardinalis Caietani, labores tanti non ſunt, vt eorum habere rationem debeamus. Legendi de iis CHRIST. KORTHOLTVS *l. c. cap. XV. §. XXIII. XXIV. p. 279.* RICH. SIMON *l. c. lib. II. cap. XX.* LVD. ELL. DV PIN *l. c. p. 209.* Ex reformatae eccleſiae doctoribus hic cumprimis in cenſum venit SEBAST. MVNSTERVS, cuius verſionem Pagniniana vetuſtiorem non eſſe, docet KORTHOLTVS *l. c. cap. XV. §. VIII. p. 260.* De ea PETR. DAN. HVETIVS ita pronuntiat: *Sebaſtianus Munſterus, bibliorum interpres ſane doctus, in ebraica ſemper ſtilum collineans, ad eaque numquam non ſe componens; nec ideo tamen latini coloris negligens, in eius quamuis linguae elegantiis parum ſe torſerit. Quod ſi quando obſcuris explanandis, vnam alteramue dictionem ex proprio penu adiecit, certis illam notis homo religioſus inſigniuit, quo adulterinis lector germana ſeponeret; de interpretat. lib. II. p. 184.* Quod HVETII iudicium calculo ſuo adprobat LVD. ELL. DV PIN *l. c. lib. I. cap. VIII. p. 210.* conf. & RICH. SIMON *l. c. lib. II. cap. XXII.* Sequitur verſio *Tigurina*, a loco, vbi confecta eſt, nomen adepta. Auſpicatus eam eſt LEO IVDAE, non quidem gente ebraeus, vt nonnulli perperam tradiderunt, linguae tamen ebraeae notitia nec ipſis Iudaeis quidquam concedens. Cum morte praepeditus abſoluere totam verſionem non potuiſſet; quae reſtabant, THEOD. BIBLIANDER, theologus Tigurinus, adiecit, apocryphorum ex graeco translatione per PETR. CHOLINVM, Tugienſem, concinnata. Cur factum ſit, vt verſio haecce FRANC. VATABLO tribueretur, ex iis, quae de ROB. STEPHANI opere biblico CHR. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae ſacrae editionib. cap. XXXII. §. XII. p. 387.* monet, intelligere licet. IO. HENR. HOTTINGE-

GERVS equidem auctor eſt, quae VATABLI nomine vulgata eſt translatio, eam Tigurinae per omnia non reſpondere; ſaltem mixtam eſſe VATABLI iſtam editionem, adeoque pro Tigurina non habendam; *biblioth. theolog.* ſiue *bibliothecar. quadripartit. part. II. lib. I. cap. IV. p. 167.* Quod quo iure ab eo adſeratur, diſputat KORTHOLTVS *l. c. cap. XV. §. XI. p. 265.* Cur GENEBRARDVS tam acerbe hanc verſionem perſtrinxerit, ſcilicet vt Pariſienſibus placeret theologis, exponit RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. II. c. XXI.* & in *diſquiſit. crit. cap. XXI.* qui & longe modeſtius de ea pronuntiat. Laudatur vero ex ipſis romanae eccleſiae addictis PETR. DAN. HVETIO, *de interpretat. lib. II. p. 186.* aliisque, immo & hiſpanis quibusdam theologis. Quod cum aegre ferret IAC. GRETSERVS Ieſuita; *admonitionem ad exteros de bibliis Tigurinis* edidit, cui *vindicias pro translatione Tigurinorum latina* oppoſuit IO. IAC. HVLDRICVS, quem & reſponſum ad oppoſitam ſibi defenſionem Gretſerianam paraſſe, quod tamen lucem non adſpexerit, docet KORTHOLTVS *l. c. pag. 265.* In eo autem viri eruditi, & a partium ſtudio remoti, conſentiunt, latinis quidem auribus LEONEM IVDAE magis verſionem ſuam attemperaſſe, quam PAGNINVM atque MVNSTERVM, nec verbis tam ſtricte inhaerere; ipſum tamen ſenſum ſumma cum exprimere perſpicuitate, cumque interdum paraphraſten potius, quam interpretem, agere. Praeter HVETIVM atque SIMONEM, *locis citatis*, adhuc conferendus LVDOV. ELL. DV PIN, *prolegom. &c. lib. I. cap. VII. p. 210.* Tigurinam excipiat verſio SEB. CASTELLIONIS, quae circa medium ſaeculi decimi ſexti prodiit, & Francofurti quoque, ſeu potius Lipſiae, recuſa eſt an. 1697. fol. Huic cum conſtitutum eſſet, non verbum verbo, ſed ſenſum ſenſu transferre, puraque & eleganti dictione cuncta exprimere; eousque interdum progreſſus eſt, vt longe nimis a textu diſcederet, & ſtilo ſaepe effeminato magis, quam eleganti, & hinc inde ethniciſmum redolente, ſanctitati maieſtatique ſcripturae ſacrae detrahere videretur. Acerbiora hinc virorum doctorum, non modo pontificiorum, ſed & reformatorum, expertus eſt iudicia, quae KORTHOLTVS refert *l. c. cap. XV. §. XII. ſeqq.* Accedit iis etiam LVD. ELL. DV PIN *l. c. lib. I. c. VII. p. 210.* Alii tamen hanc verſionem laudarunt, aut excuſarunt; quod cumprimis SIMON EPISCOPIVS fecit, *inſtitut. theolog. lib. IV. ſect. I. cap. XXI.* Media via qui & hic incedunt, mea opinione quam rectiſſime ſapiunt. Quod nimio latinitatis ſtudio profanas & ethniciſmum redolentes formulas loquendi adhibuerit, vitio non caret. Nec tamen rurſus diffitendum, quod plurimis in locis recte non tantum & adcurate, ſed eleganter etiam atque perſpicue, ſenſum expreſſerit, vt inſtar commentarii haec eiusdem verſio eſſe queat. Hunc in modum MATTH. POLVS de eo pronuntiat, *praefat. in ſynopſin. critic.* cuius iudicium calculo ſuo adprobat AVGVST. PFEIFFERVS, *crit. ſacr. cap. XII. ſect. I. §. XI. p. 461.* Ipſemet etiam CASTELLIO verſionis ſuae *defenſionem* contra THEOD. BEZAM ſcripſit, quae & editioni *bibliorum* eius Lipſienſi antea memoratae ſubiecta eſt, *pag. 424. ſeqq.* Preſſius textum ebraeum ſequitur verſio *Tremellio-Iuniana.* Eam adornarunt IMMAN. TREMELLIVS, Ferrariae patre ebraeo natus, poſteaque Heidelbergae linguae ebraeae profeſſor, & FR. IVNIVS, celeberrimus reformatae eccleſiae theologus, ille ſocer, hic gener. Tranſtulerunt autem ſolum vetus teſtamentum, cui, quod ad nouum attinet, iungi ſolet verſio eius latina gemina, altera TREMELLII ex ſyro, altera THEOD. BEZAE ex graeco textu. Lucem haec interpretatio adſpexit publicam anno 1574, ſed poſtea defuncto TREMELLIO, quibusdam in locis

a IVNIO mutata, & notarum adiectione aucta, non ſemel recuſa eſt. Diuerſa, vt reliquae verſiones, ita haec quoque doctorum virorum experta eſt iudicia, quae itidem apud CHRIST. KORTHOLTVM legere licet *de variis ſcripturae ſacrae editionibus cap. XV. §. XVIII. p. 274. ſeqq.* Laudat eam LVD. ELL. DV PIN, quod textui ebraeo exacte reſpondeat, vt tamen nec obſcura ſit, nec barbariſmis referta: at hoc deſiderat, quod auctores eius ſibi religioni non duxerint, addere interdum quaedam, ad ſenſum, quem animo conceperant, determinandum, quae in textu non exſtabant; *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. VII. p. 210.* Et hoc eſt, quod iam antea in iisdem notauerat ABR. CALOVIVS, quod voces plures ſupplendi ſenſus cauſſa nimis audacter textui inſeruerint; qui ceteroquin acerbiores aliorum in hanc verſionem cenſuras improbat; *praeloqu. general. in biblia illuſtrata num. XIV.* Idem & ANDR. RIVETVS & PETR. DAN. HVETIVS ſibi volunt, dum licentiam ſiue libertatem nimiam in hac verſione carpunt, ille, in *iſagoge ad ſcripturam S. cap. XII. p. 180.* hic autem, *de interpretat. lib. II. p. 190.* RICH. praeterea SIMON adfectati ſtili, quiue inuſitatam latinitatem ſapiat, verſionem hancce arguit, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. II. cap. XXI.* De IO. CLERICI verſione latina *pentateuchi*, itemque *librorum hiſtoricorum veteris teſtamenti*, cui, ad *pentateuchum* quod attinet, *paraphraſin* & *commentarium philologicum*, *libros* autem *hiſtoricos* ſi ſpectes, tumtum *commentarium philologicum* ſubiunxit, in ſequentibus erit dicendi locus, cum ipſos hosce eius *commentarios* recenſebimus. Ex noſtratibus denique hic vel maxime commemorandus eſt SEB. SCHMIDIVS; qui, cum plurimis, iisque exquiſito ſtudio elaboratis ſcriptis praeclare de theologia exegetica meritus eſſet, tandem & ad nouam totius ſcripturae ſacrae veteris ac noui teſtamenti verſionem concinnandam, manum admouit. Prodiit illa verſio Argentorati anno 1696. 4. Cum nihil niſi egregium ab auctore exſpectaretur; ſpei huic non ſatisfecit modo, ſed eam ſuperauit. Prima illi cura fuit, ſumma fide & indefeſſo ſtudio fontes exprimere; altera, perſpicuitate, qua poſſet, maxima, ſenſum planum reddere. Vtrumque praeclare praeſtitit. Et prius quidem tanta animi contentione, vt nullis, quantumuis receptis opinionibus, ab hocce inſtituto ſe dimoueri pateretur, ſeque ab illorum indole, qui verſionem quamdam certis hypotheſibus adcommodant, prorſus alienum eſſe, demonſtraret. Ad poſterius autem quod attinet, ad ſenſum magis perſpicuum reddendum, certas interdum voces, ſed parentheſi incluſas, textui addere non dubitauit: paraphraſin ita quodammodo magis, quam verſionem exhibens. Elogium verſionis huius exſtat in *actis eruditor. Lipſienſib. an. 1696. menſe Aug. p. 350. ſeqq.* Noua eius editio, priori emendatior, lucem adſpexit Argentorati an. 1708. 4. De verſionum autem iſtarum latinarum, quas hucusque commemorauimus, variis editionibus conferendus IACOB. LE LONG, in *bibliotheca ſacra &c. cap. IV. ſect. V. pag. 680. ſeqq.*

Dicendum adhuc aliquid de iis eſt, qui ſpeciatim in nouo teſtamento in linguam latinam transferendo, operam ſuam ſtudiumque collocarunt. Hos inter familiam ducit DESID. ERASMVS Roterodamenſis, quippe qui primus omnium poſt litterarum παλιγγενεσίαν integram noui teſtamenti verſionem latinam concinnauit, cuius prima editio an. 1516 prodiit, quam mox altera emendatior & variis acceſſionibus locupletior an. 1519 excepit, hinc ſaepius recuſa. Multis eo tempore hocce ERASMI inſtitutum diſplicuit, quod rem mali exempli eſſe crederent, in locum verſionis vulgatae, omnium conſenſu receptae, aliam ſubſtituere. Interim cum Leo X ponti-

Digitized by Google

pontifex, epiſtola ad ERASMVM data, verſionem iſtam laudaſſet & adprobaſſet; eo vſque hoc valuit, ne inquiſitores hiſpanici in numerum librorum prohibitorum eam referrent: quamquam alii nobis perſuadere velint, inquiſitores iſtos nihil, quod atro lapillo notandum eſſet, in ea deprehendiſſe. Legenda, quae hac de re obſeruat RICH. SIMON, *hiſtor. critic. verſion. noui teſtam. cap. XXI. p. 244.* Quacumque vero demum ratione inquiſitorum inclementiam haec verſio effugerit; non defuerunt alii, qui vehementer contra eam inſurgerent. MART. DORPIVS, theologus Louanienſis, ERASMI amicus, omnem mouit lapidem, vt a propoſito nouam verſionem edendi ERASMVM dimoueret; ſed vano irritoque prorſus conatu. Cumque DORPIVS inter alia obieciſſet, non deſerendam eſſe verſionem tot conciliis adprobatam; reſpondit ERASMVS: *quod ſcribis, ab hac editione non eſſe recedendum, tot videlicet conciliis adprobata, more vulgarium theologorum facis: qui quidquid vllo modo in publicum vſum irrepſit, eccleſiaſticae tribuere ſolent auctoritati; epiſt. ad Martin. Dorpium lib. XXXI. ep. XLII.* Ceſſit tandem ERASMI rationibus DORPIVS, & inſtitutum eius probauit; ſed non aeque faciles fuere alii, PETR. SVTOR, EDVARD. LEVS, IAC. LOPES STVNICA, de quibus praeter CHR. KORTHOLTVM, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus, cap. XV. §. XXVI. ſeqq. p. 282. ſeqq.* legendus RICH. SIMON *hiſtor. crit. verſ. noui teſtam. cap. XXI. p. 246. ſeqq.* Idem etiam SIMON, *cap. XXII. p. 253. ſeqq.* fuſe ſuum de hac ERASMI verſione exponit iudicium, cuius ſumma eo redit, quod ſaepius ſine neceſſitate quaedam aliter transtulerit, quam in *vulgata* translata erant: eſſe quaedam vocabula velut *conſecrata*, eo quod per multa ſaecula in eccleſia occidentali recepta ſint, quorum minime ſpernendus ſit vſus; haec quidem ſtudioſius, quam reliquos interpretes recentiores, retinuiſſe ERASMVM, interdum tamen ſine neceſſitate commutaſſe cum aliis e. g. cum *Matth. IV. 17.* pro: *poenitentiam agite*, ponat: *reſipiſcite.* Atque hac occaſione etiam laudat illud PHIL. MELANCHTHONIS: *Nos loquamur cum eccleſia. Ne pudeat nos materni ſermonis. Eccleſia eſt mater noſtra. Sic autem loquitur eccleſia.* PETR. DANIEL HVETIVS hancce ERASMI verſionem, prout meretur, laudat; *de interpret. lib. II. p. 191. 192.* De MATTH. FLACIO illyrico, qui ERASMI verſionem emendare voluit, legendus iterum RICH. SIMON, *l. c. cap. XXII. p. 263. ſeqq.* Poſt ERASMVM eumdem in ſe laborem ſuſcepit THEOD. BEZA, percelebris reformatae eccleſiae theologus. Elogia, quibus DAN. CHAMIERVS, BALD. WALAEVS, aliique, hancce verſionem ornarunt, refert CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae editionib. cap. XV. §. XXIX. p. 285.* ANDR. RIVETVS, in *praefat. in biblia Tremellii & Iunii*, qua vetus teſtamentum verſionem TREMELLII, & IVNII, qua nouum autem BEZAE, reliquis omnibus praefert: quae etiam verſiones, vt antea obſeruauimus, iunctim edi ſolent. IOANNES contra DRVSIVS, DAN. HEINSIVS, HVGO GROTIVS, aliique, varia reprehenſione digna, in ea inueniſſe ſibi viſi ſunt. Immo IO. BOISIVS, Anglus, an. 1656 librum in lucem emiſit, inſcriptum: *veteris interpretis cum Beza aliisque recentioribus collatio, in quatuor euangeliis & apoſtolorum actis, in qua, annon ſaepius abſque iuſta cauſſa hi ab illo diſceſſerint, disquiritur*, in quo id agit, vt vulgatam verſionem contra nouas translationes, praecipue contra BEZAM, defendat. Conferenda, quae de hocce libro diſſerit RICH. SIMON, *hiſtor. critic. verſion. noui teſtam. cap. XXV. p. 296. & cap. XXVI. p. 297. ſeqq.* qui & ipſe in iſta BEZAE verſione nonnulla deſiderat; quamuis alibi fateatur, doctiſſimos quosque interpretes romanos

SE.

Digitized by Google

BEZAM non-infrequenter deſcribere. Obſeruatum id quoque IO. ALB. FABRICIO, qui & recte pronuntiat, etſi non immerito variis in locis reprehendatur BEZA, plurima tamen praeclare ab eo dicta & erudite illuſtrata eſſe; in eo autem illum aliquid humani paſſum, quod acerbe nimis inſectatus fuerit alterum ſacrarum litterarum interpretem, non minus eruditum, SEB. CASTELLIONEM, *bibliothec. graec. lib. IV. c. V. p. 189.* Prima editio verſionis BEZAE, vna cum eiusdem *adnotationibus* an. 1556 lucem adſpexit; quam deinde aliae, ſubinde mutatae aut emendatae, exceperunt, quod cumprimis de quinta, quae an. 1598 prodiit, viri docti monent. Cum vero nec haecce verſio omnibus, vti dictum, placeret; eo facilius ſe induci paſſus eſt ERASM. SCHMIDIVS, vir graecae linguae peritiſſimus, & ſingulare quondam Wittebergenſis academiae ornamentum, vt & ipſe ad nouam verſionem conficiendam animum adiiceret, additis *notis ac animaduerſionibus*, quibus, praeter alia monita neceſſaria, ratio redditur, cur ſubinde a translatione BEZAE diſceſſerit, notisque eius, ſicubi a vero aberrant, & hypotheſi inſeruiunt, occurritur. Quo nomine & ſubinde in ſcholis theologorum commendari ſolet. Prodiit iſta SCHMIDII *verſio*, vna cum *notis* eius *ac animaduerſionibus*, itemque *textu graeco*, & *verſione veteri*, poſt auctoris obitum, Norimbergae an. 1658, fol. De reliquis noui teſtamenti verſionibus latinis, de quibus adhuc dici poterat, conferendus, quem ſaepe laudauimus, KORTHOLTVS, *l. c.* Earum autem, quas commemorauimus, editiones, indicat IACOBVS LE LONG, in *bibliotheca ſacra cap. IV. ſect. VII. p. 750. ſeqq.* alibique.

§. VII. Ex reliquis verſionibus in linguas hodie in Europa vſitatas proxime *germanicae* nos tangunt, & inter has, quae reliquis omnibus palmam praeripit, beati MARTINI LVTHERI noſtri. Huius enimuero & hiſtoriam, & fata, & editiones, & doctorum virorum de ea iudicia, cognita perſpectaque habere, noſtra vel maxime refert. *

* Ad germanicas dum progredimur ſcripturae ſacrae verſiones; non abs re fuerit, earum initio, quae ante LVTHERI verſionem adornatae fuerunt, paucis mentionem iniicere. Vbi initio monendum, linguam veterem germanicam, ſeu theotiſcam, vt a franco-gallica, & anglo-ſaxonica, ita etiam a gothica, ex doctorum quorumdam virorum ſententia, diſſentientibus tamen aliis, fuiſſe diuerſam. Quod ſi adſumatur, ſequetur, verſionem gothicam VLPHILAE ad germanicas referri non poſſe. Iuuabit tamen obſeruare, VLPHILAM huncce, ſiue VRPHILAM vel WVLFILAM, Gothorum ſaeculo quarto fuiſſe epiſcopum. PHILOSTORGIVS, ſub Conſtantino magno eum vixiſſe, & apud imperatorem huncce πρεσβευόμενον, magnoque in honore habitum fuiſſe, auctor eſt; *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. V.* Sed ad Valentis tempora, annumque circiter 365, quo maxime claruerit, eum referunt SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. IV. c. XXXIII.* SOZOMENVS, *lib. IV. c. XXXVII.* THEODORETVS, *lib. IV. c. XXXVII.* idque rectius, iudice GVIL. CAVEO, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. VI. p. 129.* vbi & exponit, qua ratione VLPHILAS hicce, ad haereſin Arianam amplectendam, inductus ſit. Non tantum autem VLPHILAS hicce litteras gothicas inueniſſe, ſed vniuerſam etiam

ſcripturam ſacram in patrium ſermonem tranſtuliſſe, dicitur, exceptis *libris regum*, quo nomine etiam *libri Samuelis* & *chronicorum* comprehenduntur, eo quod in iis bellorum hiſtoria contineatur, gens vero gothica belli amans eſſet, *frenoque magis eorum ad pugnas impetus indigeret*, *quam incentiuo*; vt PHILOSTORGIVS loquitur, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. V. p. 12.* Qui, gothicam iſtam verſionem apud Tartaros hodie adhuc exſtare, narrant; apud paucos forte fidem inuenient. Supereſt tamen quatuor euangeliorum verſio gothica, quam Vlphilianae iſtius tranſlationis partem eſſe, nonnulli exiſtimant; quamquam aliis aliter videatur. Interim aliquot eius memorantur codices manuſcripti, ex quibus celeberrimus eſt argenteus ille, qui in bibliotheca Vpſalienſi adſeruatur, de quo legendus CHR. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus*, *c. XXIX. §. X. XI. p. 366.* De editionibus autem, quae typis exſcriptae ſunt, conferendus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. c. V. p. 196.* Sed vt ad germanicam redeamus linguam; iam ſaeculo quinto in plerarumque gentium linguas ſcripturam ſacram conuerſam fuiſſe, viri docti ex luculentis teſtimoniis THEODORETI, *graecar. affection. curat. ſerm.* ſiue *lib. V. tom. IV. oper. p. m. 555.* & IO. CHRYSOSTOMI, *homilia I. in Ioann. commentarior. in nou. teſtam. tom. II. p. m. 14.* probare ſolent. An vero inde colligi queat, etiam in germanicam, ſeu theotiſcam linguam, iam tum ſcripturam ſacram tranſlatam fuiſſe dubito. Parumque mea opinione ad rem facit, quod THEODORETVS diſerte Scytharum & Sauromatarum, ſiue Sarmatarum, mentionem faciat; cum ſub iſtis gentibus Germani comprehendi nequeant. Certe, quidquid de verſione quadam ſcripturae ſacrae germanica ante Carolum magnum dicitur, incertum eſt, & ad meras coniecturas redit. De Carolo magno ſcriptores fide dignos referre, auctor eſt IO. HENR. HOTTINGERVS, *eius ſiue cura*, *ſiue opera*, *nouum teſtamentum in linguam germanicam*, *fuiſſe translatum.* *Et certe*, ita pergit, *ſiue ſpectemus eiusdem per Paulum diaconum collectos textus* ἐγκυκλίως *circulari anni curſu abſoluendos*, *ſiue capitulare eius ſaxonicum*, & *in eo de verbo Dei audiendo ſingulis diebus ſolis ſtrictum mandatum*; *a vero non abhorret, iam tum eo tempore Germanos ſua lingua vel totam ſcripturam, vel certa eius tmemata legiſſe*; *bibliothecar. quadripart. part. II. lib. I. c. III. §. II. p. 146.* Quae HOTTINGERI verba cum etiam CHRIST. KORTHOLTVS retuliſſet; merito optat; vt nominaſſet auctores illos, a quibus, Caroli magni ſiue cura, ſiue opera, nouum teſtamentum in linguam germanicam fuiſſe translatum, didicerit; *de variis ſcripturae ſacrae editionib. cap. XXV. §. II. p. 318.* Non equidem difficile IO. FRID. MAYERVS, celeberrimus quondam eccleſiae noſtrae theologus, eſſe, putat, auctores, quos HOTTINGERVS ſequutus ſit, nominare; praeſertim cum eos iam laudauerit IAC. VSSERIVS, in *hiſtoria dogmatica de ſcripturis vernaculis p. 111.* FRANCISCVM ſcilicet IVNIVM, patrem, VITVM AMMERBACHIVM, & CLAVD. ESPENCAEVM, qui tametſi recentes ſint, merito tamen fide digni ab HOTTINGERO dici potuerint; in *diſſertat. de antiquiſſima germanica ſacrae ſcripturae verſione*, eiusdem *hiſtoriae verſionis germanicae bibliorum Lutheri* ſubnexa, *§. VII. p. 151.* Verum, ſi fides illis hac in re habenda; inquirendum, ex quibus auctoribus antiquis hoc didicerint, aut num codices antiquae iſtius verſionis viderint? quod cum ipſe vir doctiſſimus adfirmare non audeat, etſi hoc veroſimile putet; manifeſtum eſt, rem omnem ad meras redire coniecturas. Incertum itaque, an Caroli magni aetate, aut noui teſtamenti, aut totius ſcripturae ſacrae, vel exſtiterit, vel concinnata fuerit,

rit, verſio. Pericopas tamen iſtas euangelicas & epiſtolicas, quae diebus feſtis & dominicis praelegi & explicari ſolent, in linguam germanicam iam tum conuerſas fuiſſe, non eſt, quod dubitemus; cum ex concilii Turonenſis, an. 1313 iuſſu Caroli magni celebrati, *can. XVII.* haud obſcure hoc colligi queat. De origine equidem iſtarum pericoparum variae exſtant virorum doctorum ſententiae; id tamen certum, iuſſu Caroli magni PAVLVM diaconum, vel, vt alii volunt, ALCVINVM, iſtarum pericoparum explicationes ex patribus collegiſſe. Iſtae vero explicationes, ſiue homiliae, vt in *ruſticam romanam linguam*, hoc eſt, gallicam, ac *theotiscam*, transferrentur, in laudato concilii Turonenſis *canone* diſerte ſancitur; idque etiam finis iſtius collectionis, qui erat, vt pericopae iſtae cum explicationibus populo praelegerentur, requirere videbatur. De ipſis autem pericopis iſtis tum euangelicis, tum epiſtolicis, diligenter diſſerit IO. HEINR. THAMERVS, in *ſchediaſmate de origine & dignitate pericoparum, quae euangelia & epiſtolae vulgo vocantur &c.* Ienae an. 1716. 4. euulgato. Praeterea nonnulli ad Caroli magni aetatem referunt verſionem theotiscam *monoteſſeri*, ſiue *harmoniae euangelicae*, quae ſub TATIANI nomine exſtat, & de qua in ſequentibus erit dicendi locus. Ita ſane ſentiunt FRANC. IVNIVS, & BONAVENT. VVLCANIVS, qui verſionem hancce edere voluerunt; quam tandem IO. PHIL. PALTHENIVS, cum aliis quibusdam monumentis, inſcriptam: *Tatiani Alexandrini harmoniae euangelicae antiquiſſima verſio theotiſca &c.* luci publicae expoſuit Gryphiswaldiae an. 1706. 4. Et hicce quidem vir doctiſſimus de aetate iſtius verſionis in *praefat. ad lectorem* ita pronuntiat: *De aetate interpretis theotisci adcurate ſtatui vix poteſt. Vulcanius certe, nullum teutonica lingua ſcriptum antiquius dari, ſtatuit; id quod citra iniuriam Otfridi dictum, interpretor, de quo Vulcanio non videtur innotuiſſe, quemue coaeuum ſaltem noſtro ex mente haud dubie Iunii amiciſſimus facit Vlitius. Quin octaui vel noni ſaeculi is foetus ſit, nemo harum rerum peritus facile, puto, dubitabit.* De aliis quibusdam monumentis, quae ad hanc aetatem referri ſolent, conferendus DAN. GE. MORHOFIVS, in *dem Unterricht von der teutſchen Sprache und Poëſie, c. VII. p. 285.* Sub Ludouico pio imperatore, Caroli magni filio, ſcripturam ſacram vniuerſam in linguam germanicam translatam eſſe, multorum eſt ſententia, prouocantium ad teſtimonium praefationis cuiusdam in librum antiquum, ſaxonica lingua ſcriptum, apud ANDREAM DV CHESNE, *tom. II. ſcriptor. francicor. p. 326.* Ex quo etiam intelligitur, metaphraſin potius fuiſſe, quam verſionem. An eius quidquam hodie ſuperſit, merito dubitatur: immo eam prorſus interiiſſe, probabile putat DAN. GE. MORHOFIVS, *l. c. p. 286.* Tempore Lotharii I imperatoris & Ludouici II vixit OTFRIEDVS, monachus Weiſſenburgenſis, in Alſatia, Rhabani Mauri diſcipulus, qui quatuor euangelia rhythmice transtulit, eaque Luitberto archiepiſcopo Moguntino inſcripſit. Opus hocce, a BEATO RHENANO primum repertum, primus edidit MATTH. FLACIVS illyricus, Baſileae an. 1571, inſcriptum: *Otfridi euangeliorum liber, veterum germanorum grammaticae, poëſeos, theologiae praeclarum monumentum;* in qua tamen editione nonnulli quaedam deſiderant. Legendus vero de eodem IO. GE. ECCARDVS, in *hiſtoria ſtudii etymologici linguae germanicae hactenus impenſi, c. IX. p. 86. ſeqq.* qui & in *praefatione, incerti monachi Weiſſenburgenſis catecheſi theotiſcae* praemiſſa, fuſius de hocce OTFRIEDO, & ſcriptis, quae illi a TRITHEMIO tribuuntur, diſſerit. Immo hunc ipſum OTFRIEDVM *catecheſeos*

ſeos iſtius *theotiſcae*, quam edidit, auctorem eſſe, exiſtimat. Conferendus de hocce OTFRIEDO etiam DAN. GE. MORHOFIVS, in *dem Unterricht von der teutſchen Sprache vnd Poeſie*, *c. VII. p. 288.* Circa finem ſaeculi decimi vixit NOTKERVS LABEO, abbas ſancti Galli, qui *pſalterium*, *librum Iobi*, & forte alios quosdam ſcripturae ſacrae libros, in linguam germanicam conuertit. Legenda, quae de eo collegit & obſeruauit IO. FRID. MAYERVS, in *diſſertat. de verſionibus germanicis librorum ſacrorum ante Lutherum ineditis &c.* eiusdem *hiſtoriae verſionis germanicae bibliorum Lutheri &c.* ititem ſubiuncta *§. III. p. 158.* qui & *§. IV.* de alia quadam, eaque antiquiſſima, *pſalterii* verſione germanica verba facit. Nec praetermittendus hic eſt WILLERAMVS, Eberspergenſis in Bauaria abbas, qui Henrici III & IV temporibus vixit cuiusue *paraphraſin geminam in canticum canticorum, quarum prior rhythmis latinis, altera veteri lingua francica concepta eſt*, PAVL. MERVLA in lucem protraxit, & Lugduni Batauorum an. 1598 edidit. FRANC. quoque IVNIVS *obſeruationes in Willerami abbatis francicam paraphraſin cantici canticorum* euulgauit Amſtelodami an. 1555. Legendus de hocce WILLERAMI opere, quem iam laudauimus, IO. GE. ECCARDVS, in *hiſtoria ſtudii etymologici, linguae germanicae hactenus impenſi*, *c. XIV. p. 125. ſeqq.* addendus & MORHOFIVS, *l. c. p. 291.* Multo adhuc minus ſilentio inuoluendus RVD. AB HOHEN EMS, qui circa annum 1250 rogatu & iuſſu Conradi regis, filii Friderici II imperatoris, integrum vetus teſtamentum verſibus expreſſit germanicis, quam ſe legiſſe metaphraſin, teſtantur THEOD. BIBLIANDER, in *commentario de ratione linguarum p. 49.* & MELCH. GOLDASTVS, *rerum alamannicar. tom. I. part. I. p. 120.* Vtriusque verba recitat IO. HENR. HOTTINGERVS, *bibliothecar. quadripart, part. II. lib. I. c. III. §. II. p. 147.* qui & ipſe loca quaedam, quae ſpeciminis inſtar eſſe queunt, affert: quamuis dubitet, num huius, an alterius non minus antiquae verſionis, aut potius metaphraſeos germanicae, ſint. Sed huic ea tribuit IO. FRID. MAYERVS, in *diſſertat. cit. §. VI. p. 159.* qui &, integram hancce metaphraſin non ſemel in bibliotheca Guelferbytana occurrere, HERM. CONRINGII & IOAN. SAVBERTI teſtimoniis comprobat. Specimina docent, auctorem eius magna libertate vſum, & pro lubitu interdum omiſiſſe quaedam, interdum adieciſſe. De aliis quibusdam operibus, ſcripturae, aut partium eius quarumdam, verſionem germanicam exhibentibus, iisque ineditis, legendus IO. FRID. MAYERVS, *diſſertat. cit. §. VII. p. 160. ſeqq.*

Exſtitiſſe vero etiam biblia germanica typis impreſſa, priusquam Lutheri verſio prodiret, notum eſt. Inter quae etſi nonnulla, quae an. 1447 & 49 excuſa ſint, a quibusdam commemorantur; recte tamen viri eruditi cenſent, eas editiones inter fictitias referendas eſſe; cum artis typographicae, cuius rudimenta circa annum 1440 coeperunt, vix circa annum 1450 ea potuerit eſſe perfectio, vt integra volumina prelis ſubiecta fuerint. Id quod multo magis de ea cenſendum, quae an. 1433 per ANT. KOBVRGERVM iuris publici facta dicitur, & cuius, ex MICH. MAROLLESII *praefatione* in *gallicam* ſuam *bibliorum verſionem*, meminit IO. HENR. HOTTINGERVS, in *analectis hiſtorico-theologicis*, *p. 139.* Dubium vero non eſt, quin, quod ad vltimam hanc editionem attinet, vitium ſit in numeris, & pro 1433 ſcribendum ſit 1483, quo tempore ANT. KOBVRGERVM, typographum Norimbergenſem, vixiſſe, conſtat. WILH. ERN. TENZELIVS, vir harum rerum, ſi quis alius, peritiſſimus, primam bibliorum germani-

manicorum editionem an. 1467 lucem adſpexiſſe, exiſtimat, in *den monatblichen Vnterredungen*, *an. 1693, p. 674.* cuius ſententiae ſubſcribit IO. FRID. MAYERVS, in *diſſert. de verſionibus ſcripturae ſacrae ante Lutheri translationem impreſſis*, quae itidem eiusdem *hiſtoriae verſionis germanicae bibliorum Lutheri* ſubiuncta eſt, §. *V. p. 187.* Nonnulla, quae ſpeciminis loco eſſe poſſunt, ex hac editione adfert, qui &, duo eius exempla Lipſiae in bibliotheca ſenatoria exſtare, teſtatur, vir eruditiſſimus CHRIST. FRID. BOERNERVS, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram c. IX. ſect. II. p. 186.* Primam hancce deinceps & aliae ſequutae, quas inter praecipua eſt Norimbergenſis, quae anno 1477 lucem adſpexit; quo anno & Auguſtae Vindelicorum ſacrum codicem lingua germanica bis excuſum, teſtatur GE. FRID. MAGNVS, in *diſſ. de antiquis ſcripturae verſionibus germanicis*, *Auguſtae excuſis*, vbi & de reliquis editionibus Auguſtanis erudite & diligenter diſſerit; quas inter haud vltimum locum tenet, quae an. 1483 lucem adſpexit. Eodem an. 1483 Norimbergae quoque biblia germanica excuſa eſſe, ex antea dictis conſtat: in cuius fine haecce leguntur verba: *hoc illuſtriſſimum opus totius ſacrae ſcripturae, dictum biblia, prae omnibus antea inpreſſis germanicis, purius, clarius, & verius, iuxta communem dialectum germanicam, cum ſumma cura & magna diligentia ſecundum latinum textum examinatum, & diſtincte punctatum, cum inſcriptionibus plerorumque capitum & pſalmorum, eorum argumentis & occaſione, & cum pulchris figuris, hic finit. Impreſſum per Antonium Koburger &c.* Ita verba germanica latine exprimit IACOB. LE LONG, *l. c. p. 188.* quae germanice exhibet IO. FRID. MAYERVS, *diſſ. cit. §. II. p. 184.* qui &, editionem hancce, tum dictionis germanicae nitore, tum typorum elegantia, pro illa aetate commendabilem, minimeque contemnendam, pleriſque aliis multum anteſtare, iudicat, ſimul tamen vitia eius indicat. Miſſis autem reliquis, IAC. quoque LE LONG *l. c. p. 189.* laudatis, illius cumprimis adhuc mentio facienda, quae Coloniae circa annum, vt videtur, 1490 prodiit. Tempus enim impreſſionis certo non conſtat. In ea vero textus biblicus dialecto ſaxonica vulgari, gloſſatus, gloſſis ex NIC. DE LYRA petitis, iisque continua ſerie textui intermixtis, vncisque dumtaxat & aſteriſcis ab eodem diſtinctis exhibetur; vti CHRIST. KORTHOLTO obſeruatum, qui &, cum monuiſſet, auctoris nomen ignotum eſſe, addit: *Quisquis autem ille, virum ſane probum & pium fuiſſe, tum ex aliis indiciis, tum inde licet colligere, quod ad ſedulam ſcripturarum lectionem doctos pariter & indoctos, clericos & laicos, tam ſerio fideliterque hortatur, &c. de variis ſcripturae ſacrae editionib. c. XXV. §. XXXIV. p. 346.* De editione Lubecenſi, quae an. 1494 prodiit, in qua textus idiomate Saxoniae inferioris, cum LYRANI, aliorumque gloſſis, ſiſtitur, idem agit KORTHOLTVS, *l. c.* §. *XXXIII. p. 345.* de qua & conferendus IO. FRID. MAYERVS, *diſſ. cit.* §. *VII. p. 190. ſeqq.* qui & ibidem de Auguſtana, quae an. 1518 excuſa eſt, & aliis quibusdam, verba facit; §. *VIII. p. 192. ſeqq.* Et haec quidem praecipuae ſunt bibliorum germanicorum, quae, ante quam Lutheri verſio lucem adſpiceret, prodierunt, typisque exſcriptae ſunt, editiones; de quibus tamen recte viri docti dudum pronuntiarunt, eas ſcripturam ſacram lingua quidem germanica, ſed tam obſcure & barbare, exhibere, vt ab iſtius quoque aetatis hominibus vix intelligi potuerint. Id quod etiam exemplis quibusdam ex editione, quae an. 1483 Auguſtae Vindelicorum excuſa eſt, petitis, & cum verſione LVTHERI collatis, luculenter oſtendit AVG. PFEIFFERVS, *crit. ſacr. c. XIII. ſect. II. quaeſt. I. p. 474. ſeqq.* Iam ſi por-

ſi porro conſideremus, haſce verſiones non ad textum originalem, ſed ad latinam vulgatam, fuiſſe adornatas; grauiſſimas LVTHERVM habuiſſe cauſſas, de noua verſione germanica cogitationes ſuſcipiendi, nemo non intelligit.

Ad tantum itaque opus cum B. LVTHERVS animum adiecifſet; praeſidiaque ad illud neceſſaria, prout pro iſtorum temporum ratione poterat, praeſertim haud vulgarem linguae ebraeae & graecae notitiam, comparaſſet: *nouum* quidem *teſtamentum* an. 1522 in lucem emiſit; tum ex veteri *pentateuchum* an. 1523 & an. ſequenti 1524 reliquos *libros hiſtoricos* veteris teſtamenti. Eodem anno occupatus fuit in transferendo *libro Iobi*, ſed & integrum *pſalterium*, ſeruatis ſtrictius ebraiſmis, tum edidit, poſtquam iam an. 1517 *pſalmos poenitentiales*, ex latina IO. REVCHLINI verſione primum germanice redditos, euulgauerat. Liberiori deinceps, & ad indolem linguae germanicae magis ad commodata, verſione *pſalmos* interpretatus eſt, an. 1531 cum iam an. 1524 *prouerbia*, *eccleſiaſtes*, & *canticum canticorum*, & an. 1529 *Eſaias propheta*, lucem adſpexiſſent. Sunt equidem, qui, *prouerbia*, *eccleſiaſten*, & *canticum canticorum* anno demum 1527 prodiiſſe, autumant; ſed iam an. 1524 id factum, oſtendit IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis quibusdam in hiſtoria verſionis germanicae bibliorum Martini Lutheri, Io. Frid. Mayeri &c. §. I. p. 8. ſeqq.* *Eſaiam* reliqui *prophetae* an. 1531 & 32 exceperunt, *libri* autem *apocryphi* circa annum 1530 in lucem emiſſi ſunt. Vniuerſa denique biblia, per partes hucusque edita, in vnum corpus collecta, & hinc inde emendata, &, ad dictionem quod attinet, magis perpolita, an. 1534 a LVTHERO Wittebergae fuiſſe euulgata, virorum doctorum eſt ſententia. Sed anno demum 1535 hoc factum, praeeuntibus IO. CLVVERO, CHR. KORTHOLTO, IO. BVRCH. MAIO, aliisque, contendit, quem iam laudauimus, IO. MELCH. KRAFFTIVS, *l. c. §. II. p. 10. ſeqq.* Ceterum in ea editione, qua integra biblia primum prodierunt, vt & in ſequentibus, pſalmi non ex priori verſione, ebraiſmi obſeruantiori, quam an. 1524 prodiiſſe, diximus, ſed ex altera, genio linguae germanicae magis adcommodata, quae an. 1531 lucem adſpexit, inſerti ſunt. Priorem tamen quoque iſtam verſionem pſalmorum retineri voluit LVTHERVS, lectuque & obſeruatu digna ſunt eius verba, quae in *praefatione* poſterioris verſionis, an. 1531 euulgatae, hac de re exſtant. Quae cum etiam IO. FRIED. MAYERVS recitaſſet; addit, dolendum non minus, quam mirandum, prioris iſtius interpretationis quod omnia fere euanuerint exempla, & incuria maiorum noſtrorum interciderint; tandemque ſpem facit, ſe ex bibliotheca Rudolphi Auguſti, ducis Brunſuicenſis, eam propediem editurum; in *hiſtor. verſionis german. biblior. Lutheri c. I. §. XI. p. 11.* Id tamen paullo poſt factum, quam MAYERVS haec ſcripſiſſet, in *ſupplemento tomorum Lutheri Altenburgenſium*, quod Halae 1702, fol. prodiit, & cui ipſemet *praefationem* praemiſi. Exſtat ibi haecce verſio *p. 476. ſeqq.* Poſt primam illam vniuerſi codicis ſacri editionem, quam an. 1534 aut potius 35 prodiiſſe docuimus, ipſe beatus LVTHERVS de alia nobis proſpexit, quae an. 1541 Wittebergae excudi coepit, & an. 1542 abſoluta eſt. Summo ſtudio & diligentia alteram hanc editionem adornauit LVTHERVS, a capite ad calcem codicem ſacrum perluſtrans, corrigens, emendans, perpoliens, vbi, elegantius, planius, adcuratius; aliquid reddi poſſe, exiſtimaret, ſymbolas etiam conferentibus IO. BVGENHAGIO, IVSTO IONA, CASP. CRVCIGERO, PHIL. MELANCHTHONE,

MATTH.

MATTH. AVROGALLO, aliisque viris doctis; vt pluribus IO. MATHESIVS refert, in *concionibus de vita Lutheri, concion. XIII. p. m. 151.* Conferre etiam iuuabit PAVLI CRELLII *Bericht von D. Lutheri teutſchen Bibel-correctur, vnd unterſchiedenen Druck derſelben*, qui libellus, an. 1577 ſcriptus, poſtea inſertus eſt *tom. I. conſiliorum theologicorum Wittebergenſium*, Francofurti an. 1664 editorum. Recognitae & emendatae huic editioni, poſt repetitum priſtinum electoris priuilegium, acceſſit illa LVTHERI dehortatio, quae hodie quoque bibliis quibusdam germanicis praemitti ſolet, & in cuius fine monet, vt ſi quis ſacri codicis exemplum ſibi comparare velit, eam, quae an. 1541 aut potius 42 Wittebergae prodiit, editionem, ceu diligenter recognitam, ſibi comparet. Quae verba etſi ad illam, quae, vt diximus, an. 1541 prodiit, editionem pertineant; leguntur tamen etiam in repetitis editionibus annorum ſequentium 1543, 44 & 45 in quibus paſſim quaedam aliter, ac in priori, poſita ſunt. Poſt LVTHERI mortem autem ita repetuntur, vt anni 1541 mentio prorſus omittatur. Obſeruauit haec MICH. WALTHERVS, in *officina biblica*, §. *CCCCL. p. m. 168.* Eodem equidem anno, quo recognita haec editio Wittebergae prodiit, ſcilicet 1541 etiam Lipſiae, iuſſu Henrici Saxoniae ducis, editio quaedam lucem adſpexit; ſed eam ad primam illam, quae an. 1534, aut potius 35 euulgata fuit, adornatam fuiſſe, obſeruat IO. FRID. MAYERVS, in *hiſtor. verſion. germ. biblior. Lutheri, c. III. §. IV. p. 27.* Vniuerſa autem biblia LVTHERI, ipſius opera & cura, ad minimum octies, plene & perfecte prodiiſſe, oſtendit IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis &c. §. III. p. 12.* Idem etiam vir doctiſſimus, & harum rerum peritiſſimus, docet, editiones, quae an. 1545 & 46 prodierunt, ceu perfectiores, in recentioribus editionibus fundamenti loco poſitas, meritoque ponendas; in *prodromo hiſtoriae verſionis germanicae bibliorum, das iſt, vorlaeuffiger Anzeige vnd Abhandlung der Hiſtorie von der in die teutſche Sprache uberſetzten Bibel &c. c. III. §. IV. p. 48. ſeqq.* Quando autem LVTHERVS in editionibus, quae ipſo viuente prodierunt, ſubinde quaedam mutauit; tantum abeſt, vt hoc vitio illi verti debeat, vt fidem potius, induſtriamque viri beati intelligere inde liceat, quodque non tam de ſua gloria, quam de commodis potius, ad eccleſiam ex verſione plana, perſpicua, adcurata redundaturis, fuerit ſollicitus. Vnde & aduerſariorum exprobrationibus facile occurri poteſt; quos inter iam HIERON. EMSERVS, acerrimus LVTHERI hoſtis, integrum mutationum indicem ex noui teſtamenti editionibus, quae an. 1522 & 28 prodierunt, collegit, eumdemque inſcriptum: *Wiedereinanderſtrebung Luthers Teſtamenten* edidit, quem & IO. FRIED. MAYERVS exhibet, in *hiſtoria verſion. german. &c. cap. III. p. 32. ſeqq.* Interim loca quaedam eſſe, in quibus poſtremae emendationes prioribus interpretationibus non ſint praeferendae, exemplis quibusdam docet IO. FRID. MAYERVS, *l. c. cap. III. p. 29.* circa quae tamen nonnulla monet IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis &c. §. IV. p. 13. ſeqq. ſeqq.*

Ceterum, cum partitio ſcripturae ſacrae in capita, tum in graecis, tum in ebraeis codicibus, beato LVTHERO non ſatis adcurata videretur; hunc quoque defectum in ſua verſione emendare voluit, vſus praecipue opera PHIL. MELANCHTHONIS, viri analyticae quoque artis peritiſſimi; quamquam ne ſic quidem cuncta ita exhauſta ſint, quin quaedam a viris doctis in iſta partitione deſiderentur. LVTHERO autem hoc vitio verti nequit, cum nulla partitio, ſiue ebraeorum, ſiue graecorum codicum, diuinae ſit originis & auctoritatis; & rece-

Digitized by Google

ptas partitiones multis magniſque laborare incommodis, poſitum in aprico ſit. Idem de diuiſione in *verſus*, praeſertim quod ad nouum teſtamentum attinet, cenſendum. In veteri enim *ſilluk*, cum duobus punctis *ſoph paſuk*, verſum finitum oſtendunt; quamquam de iſtorum punctorum origine viri docti inter ſe non conſentiant; IO. BVXTORFIVS autem exiſtimet, a viris ſynagogae magnae ea addita fuiſſe; *Tiberiad. part. I. c. XI.* Qua de re quid ſentiendum ſit, ex iis, quae iam alibi, tum de punctorum vocalium antiquitate, tum de ſynagoga iſta magna, cuius caput & praeſes Esra fuiſſe dicitur, diſputauimus, intelligere licet. Quidquid eius ſit, LVTHERVS, quem punctis vocalibus non multum tribuiſſe, conſtat, nullam ſibi rationem eſſe, exiſtimauit, cur & huic partitioni inhaereret: hinc interdum ab eadem, ſed rarius, diſcedere ſibi non duxit religioni. Nouum autem ſi ſpectemus teſtamentum; diſtinctionem in verſiculos a ROB. STEPHANO demum fuiſſe excogitatam, neminem fugit, primaque editio noui teſtamenti graeco-latina in verſiculos diſtincta prodiit Pariſiis an. 1551. 12. Legenda hac de re HENR. STEPHANI, filii, *praefatio ad concordantias graecas noui teſtamenti.* Generatim autem de ſacri codicis partitionibus conferendi auctores, quos magno numero laudat AVG. PFEIFFERVS, *crit. ſacr. c. I. ſect. I. p. 17.* Poſt mortem itaque LVTHERI diſtinctio noui teſtamenti in verſiculos in verſione eius germanica recepta fuit. Nec praetermittendae hic ſunt *gloſſae*, quae vocantur, *marginales.* Earum nonnullas, viuo adhuc LVTHERO, in editionibus, quae eo tempore prodierunt, quarum quaelibet ſuas habuit gloſſas; quaſdam paullo poſt eius obitum, curante GE. RORARIO, adpoſitas eſſe; viri docti obſeruant, recteque ipſi LVTHERO eas tribui, docent, quia ſi non omnes, certe pleraeque, ex ore eius exceptae, & ab ipſo inſpectae & adprobatae ſint, ſaltem ad caput vſque quartum *poſterioris ad Corinthios epiſtolae*, non quidem in editione, quae an. 1545 prodiit, vt nonnulli autumant, ſed in ea, quae an. 1546 lucem publicam adſpexit; quod IO. MELCH. KRAFFTIVS luculenter oſtendit, in *emendandis ac corrigendis &c.* §. *XII. p. 26.* Sed reliquas quoque ex mente ſententiaque LVTHERI adſcriptas eſſe, teſtatur GE. RORARIVS; conferendusque hac de re PAVL. CRELLIVS, in *libello* antea *laudato.* Legenda vero etiam, quae, de *gloſſis* hiſce *marginalibus* non temere reiiciendis, aut mutandis, diſſerit KRAFFTIVS, in *prodromo hiſtoriae verſionis germanicae bibliorum &c. c. III. §. V. p. 50 ſqq.*

In editionibus praeterea, quae mortem LVTHERI inſequutae ſunt, acceſſiſſe quaedam, quae eum auctorem non agnoſcunt, negari nequit; quemadmodum &, quaedam immutata eſſe, conſtat. Eodem namque anno, quo LVTHERVS obiit, editores non dubitaſſe, in centum & duodequinquaginta locis mutationem admittere, & aliter expreſſa lectoribus exhibere, quam LVTHERVS anno ſuperiori in poſtrema ſua recenſione ediderat; ex CHR. ZEISII noua editione *concordantiarum Conradi Agricolae* refert IO. FRID. MAYERVS, in *hiſtor. verſion. germ. biblior. Lutheri cap. IV. §. VII. p. 50.* Inter ea, quae acceſſere, maxime memorabilis eſt locus de *tribus teſtibus in caelo, I. Ioan. V. 7.* quem in editionibus verſionis germanicae, quae viuo LVTHERO prodierunt, non exſtare, certum eſt. Hinc vero non tantum antitrinitarii praeſidium petunt, vt demonſtrent, locum iſtum ſuppoſititium eſſe; vt ex CHRISTOPH. SANDII *adpendice interpretationum paradoxarum p. 377.* cognoſcere licet, vbi editiones germanicas, in quibus hocce dictum non exſtat, diligenter recenſet: ſed & pontificii occaſionem inde

Digitized by Google

inde arripuerunt, Socinianiſmi labem LVTHERO adſpergendi. Atque ex hiſce quidem hoc ſibi datum crediderunt GREG. DE VALENTIA, ROB. BELLARMINVS, IAC. GRETSERVS, aliique; quos in ſcenam producit, vt ſimul illorum commenta adcurate refellat, PETRVS ZORNIVS, in libello, quem inſcripſit: *Lutherus catholicus, das iſt, gründlicher Beweis, daß Lutherus kein Arianer vnd Socinianer geweſen ſey, wie ihm fälſchlich Schuld geben die Paebſtler, Antonius Poſſeuinus, Gregorius Valentianus &c.* Lipſiae, ſine anni mentione, 4. Immo ANT. POSSEVINVS inter atheiſmos, quos fingit, Lutheri, ſecundo loco hunc ponit, quod dictum hocce ex epiſtola Ioannis ſuſtulerit; in *bibliotheca ſelecta lib. VIII. cap. III. p. 385.* Ex recentioribus eamdem tibiam inflat auctor *hiſtoriae Socinianiſmi*, quae gallice Pariſiis prodiit, anno 1723. 4. Dum enim in eo eſt, vt Socinianiſmi originem ab eccleſiae emendatione repetat; inter reliqua, quae LVTHERO obiicit, & hoc eſt, quod locum iſtum *I. Ioan. V. 7.* in verſione ſua germanica omiſerit; *part. I. cap. III. pag. 9.* Sed inania auctoris iſtius commenta exploſi in *commentatione hiſtorico-theologica de origine Socinianiſmi ab eccleſiae emendatione non repetenda*, Ienae an. 1725. 4. euulgata. Enim vero LVTHERVM deſtinato conſilio, & quidem in gratiam Arianorum, hunc locum omiſiſſe, inepta & plane puerilis eſt calumnia, auctorum iſtorum & malignitatem, & ignorantiam, prodens. Neminem enim fugit, in plurimis codicibus graecis itemque verſionibus haud paucis, praeſertim orientalibus, ſyriaca, arabica, hocce dictum non inueniri. Vitio itaque LVTHERO verti non poteſt, quod & ipſe iſtud omiſerit: praeſertim cum eiuſmodi noui teſtamenti graeci editione vteretur, in qua hoc itidem non exſtabat. Perinde autem eſt, ſiue ERASMI illa editione, quae an. 1519 Baſileae prodiit, ſiue NIC. GERBELII, quae Hagenoae an. 1521 euulgata eſt, LVTHERVS vſus ſit; qua de re viros doctos diſputare, ſupra ad *§. IV.* obſeruauimus; cum in neutra locus ille exſtet: quemadmodum nec in reliquis, quae eo tempore typis exſcriptae erant, editionibus legebatur. Dictum ea de re in *commentat.* citata, *de origine Socinian. ab eccleſiae emendat. non repetenda, pag. 21. 22.* Facile hinc etiam patet, quid CHR. SANDIO reſpondendum ſit, quando non tantum LVTHERVM, ſed & IO. BVGENHAGIVM, PHIL. MELANCHTHONEM, aliosque, in Arianiſmi trahere ſocietatem adnititur, eo, quod dictum hocce pro genuino non agnouerint; in *adpend. interpretation. paradoxar. p. 352. ſeqq.* Praeterea, ad PHIL. MELANCHTHONEM quod attinet, recte & erudite obſeruat IO. MELCH. KRAFFTIVS, in primis *locorum* eius *theologicorum* editionibus, annor. 1521, 22, 23 & 24, eum, cuncta breuiter & parce tractantem, capita de Deo & trinitate praetergreſſum, adeoque hocce dictum adferre non potuiſſe; at in editionibus annorum 1535 & ſequentium, omnino iſtud ad probandam perſonarum trinitatem adhibitum fuiſſe: vnde concludit, MELANCHTHONEM *de canonica dicti huius veritate numquam dubitaſſe*; in *emendandis & corrigendis quibusdam in hiſtoria verſionis germanicae bibl. Lutheri, Io. Frid. Mayeri &c. §. XIV. p. 29.* Quemadmodum autem LVTHERVS reprehendi nequit, quod dictum hocce omiſerit: ita recte deinceps verſioni eius germanicae inſertum fuit. Genuinum enim illud eſſe, hodie rationibus tam luculentis viri docti euicerunt, vt nihil aliud agant, quam vt pertinaciam ſuam, faſtumque criticum, prodant, qui hoc admittere nolunt. Praeter IO. GERHARDVM noſtrum in *diſſert. theol. bipartita ex dicto apoſtoli I. Ioan. V. 7.* ex inſtituto, magnaque diligentia hoc egit FRID. ERN. KETTNERVS, in *vindiciis nouis dicti vexatiſſimi de tribus in caelo teſtibus, oppoſitis Chriſtoph. Sandii interpretationibus*

Digitized by Google

nibus paradoxis, Richardi Simonis hiſtoriae criticae noui teſtamenti, Stephani Curcellaei, Ioan. Clerici, & quibusdam monachorum Benedictinorum obiectionibus recentiſſimis; Delitii ſine anni mentione recuſis; in quibus etiam *p. 23.* LVTHERVM ab exprobrationibus aduerſariorum vindicat; itemque in *hiſtoria dicti Ioannei de ſanctiſſima trinitate, per multa ſaecula omiſſi, ſaeculo quinto reſtituti, & exeunte ſaeculo decimo ſexto in verſionem vernaculam recepti, vna cum apologia beati Lutheri,* Francofurti & Lipſiae an. 1713. 4. edita. Idem hocce argumentum gallicana lingua tractauit DAV. MARTINI, in *duabus diſſertationibus criticis, quarum altera eſt in verſ. 7. ep. I. Ioan. altera de teſtimonio Ioſephi,* Vitraiecti an. 1717. 8. Praecipua momenta & ipſemet attigi in *inſtitution. theolog. dogm. tom. I. lib. II. cap. I.* ad *§. XLVI. p. 356. ſeqq.* Quando autem, & a quonam, dictum hocce verſioni germanicae LVTHERI inſertum ſit? id enim vero eſt, de quo inter viros doctos diſceptatur. Eos, qui, ab ipſo tandem LVTHERO illud ſuo loco inſertum, putant, falli, poſitum eſt extra controuerſiam. A LEONH. HVTTERO circa initium ſaeculi decimi ſeptimi anno 1606 hoc factum, poſt GVIL. ERN. TENTZELIVM adſerit IO. FRID. MAYERVS, in *hiſtoria verſion. germ. biblior. Lutheri c. VI. §. VII. p. 51.* Sed refellit hanc ſententiam IO. MELCH. KRAFFTIVS, atque oſtendit, iam in editionibus annorum 1605 & 1604 porro ea, quae ea, quae an. 1599 imprimi coepta, & 1600 ad finem perducta eſt, immo iam in editionibus annorum 1596 & 97, quae Wittebergae excuſae ſunt, hoc dictum legi; in *emendandis & corrigendis &c. §. XIV. p. 27.* Inter editiones Francofurtenſes longe adhuc antiquiores eſſe, in quibus dictum hocce exſtet, ſpeciatim in ea, quae iam an. 1574 prodiit, illud inueniri, idem vir doctiſſimus docet, in *prodromo hiſtoriae verſionis germanicae bibliorum &c. cap. IV. p. 87.* Recte itaque hac de re pronuntiat FRID. ERN. KETTNERVS, *reſtitutum* hocce dictum *eſſe, diu ante Leonhardum Hutterum, tacito vel expreſſo conſenſu theologorum, a multis theologis, miniſtris eccleſiae & typographis, non vno vbique tempore, ſed per gradus & pedetentim variis in locis & ſcriptis &c.* in *hiſtoria dicti Ioannei &c. cap. XVI. p. 198.* Sed, vt reliqua, quae verſioni germanicae LVTHERI poſt mortem eius acceſſerunt, paucis perſequamur; referenda huc etiam interpretatio germanica *libri tertii & quarti Esrae,* & *tertii Maccabaeorum,* quos LVTHERVS indignos cenſuit, qui ab ſe in linguam germanicam verterentur, aut ceteris libris biblicis adiicerentur. Nihiloſecius, cum in editione verſionis LVTHERI, quibusdam in locis interpolata, quae Tiguri prodiit, horum librorum verſio germanica, a LEONE IVDAE adornata, conſpiceretur; & deinde DAV. WOLDERVS in *polyglottis Hamburgenſibus,* eorumdem librorum verſionem, incertum quo auctore, exhiberet: DANIEL tandem CRAMERVS eosdem libros tranſtulit, quae deinceps in plerisque editionibus, etſi diuerſo charactere expreſſa, comparuit verſio. Referri denique huc etiam poſſent *ſummaria* illa, vt vocari ſolent, ſingulorum capitum ſynopſin exhibentia, cuiusmodi LEONH. HVTTERVS concinnauit, quamuis alia deinceps ab aliis ſint adornata. Sed de hiſce omnibus legendus IO. FRID. MAYERVS, in *hiſtor. verſion. german. biblior. Lutheri, c. IV. §. X. XI. pag. 54.*

Ordo nunc & inſtituti ratio poſtulat, vt de praecipuis etiam verſionis LVTHERI editionibus, quae poſt mortem eius ad noſtra vsque tempora prodierunt, aliquid commemoremus. Vbi initio dolendum, pleraſque editiones tam negligenter fuiſſe curatas, vt mendis typographicis, iisque interdum non leuis momenti, ſcaterent, adeo quidem, vt theologi Wittebergenſes, in

prae-

praefatione, bibliis an. 1661 praemiſſa, & poſtea *tomo I. conſilior. Wittebergenſ.* inſerta, profiteantur, ſe in editionibus, quae prae reliquis melioris notae cenſerentur, ſupra mille ſphalmata obſeruaſſe. Iidem itaque theologi Wittebergenſes in eo ſtudium ſuum operamque collocarunt, vt biblia germanica quam emendatiſſime prodirent; idque iam in ea egerunt editione, quae an. 1660 lucem adſpexit, & multo magis in ea, quae an. 1661 recuſa eſt. Similem deinde induſtriam in euulgandis bibliis germanicis demonſtrauit IAC. WELLERVS in illa editione, quae Luneburgi an. 1663 lucem adſpexit. Hos non modo imitatus eſt, ſed multis paraſangis ſuperauit IO. DIECMANNVS, in ducatu quondam Bremenſi ſacrorum antiſtes digniſſimus, in bibliis germanicis, quae minori forma Stadae an. 1690 & 1698 prodierunt. Quid in hiſce praeſtiterit, pluribus ipſemet exponit, in *praefationibus*, quas hiſce editionibus præfixit, quæue cum aliis eiusdem viri doctiſſimi ſcriptis an. 1709 iunctim editae ſunt. Id namque operam dedit, vt errores typographicos, quantumuis inueteratos, tolleret, veramque lectionem, ad ductum praeſtantiſſimarum editionum, reſtitueret; nihil tamen, niſi aperte falſum & erroneum, mutaret. Vlterius progreſſus eſt IO. PRETTENIVS, paſtor quondam Numburgenſis, in bibliis Schleuſingae an. 1684 editis, & anno 1691. 4. iterumque Lipſiae, locis quibusdam mutatis, an. 1694. fol. recuſis, quippe qui, cum varias diſcrepantesque editionum quarumdam verſionis germanicae lectiones deprehenderet; ad ipſos fontes ſibi recurrendum cenſuit, ita vt ſeligeret, retineretque eas, quae ad textum propius illi accedere, videbantur. Diſerte tamen in *praefatione* ipſemet profitetur, ſe *eſſentialia*, vt loquitur, verſionis LVTHERI, quam emendauit, non temere inuaſiſſe, iis ſolum exceptis, quae pridem alii, iique doctiſſimi theologi, neque inuito doctore optimo LVTHERO, in ſcriptis ſuis paſſim obſeruarint; ea tamen iterum lege, vt auctoritati ab ipſo LVTHERO, aliisque, emendatae verſionis germanicae quam diligentiſſime conſuleretur. Legenda, quae de hocce PRETTENII inſtituto diſſerit AVG. HERM. FRANCKIVS, in *apologia obſeruationum* ſuarum *biblicarum* ſiue *Anmerckungen über einige Oerter heiliger Schrifft &c. opuſculorum* eius quorumdam, ſine anni mentione, & inſcio auctore, in 8. iunctim editorum, *pag. 286. ſeqq.* Laudanda hic porro diligentia, ſtudiumque ſingulare NIC. HAASII, eccleſiae Budiſſinae paſtoris & inſpectoris, quod in editione verſionis germanicae, quae Lipſiae an. 1704. 4. prodiit, collocauit. In ea fundamenti loco poſuit editionem Luneburgenſem anni 1666, & Stadenſem anni 1698. Vbi vero diſcrepantiam quamdam editionum deprehendit, qua diuiſionem in capita & verſiculos, qua verba ipſa textus; fontes in conſilium adhibuit, & verſiones latinas praeſtantiores, itemque editiones germanicas alias theologorum, quorum in hiſce perſpecta eſt ἀκρίβεια. Operam porro dedit, vt errata typographica quam plurima praecedentium editionum tolleret, gloſſasque LVTHERI marginales debito loco per certum aliquod ſignum reſtitueret, aliasque & ipſe adnotationes, ſed breuiſſimas, ad loca obſcuriora illuſtranda, ex SEBASTIANI maxime SCHMIDII, aliorumque probatorum auctorum, interpretationibus hauſtas, adderet, indicatis auctorum nominibus, ex quibus eas deſumſit. Praeterea noua, eaque adcuratiora, *ſummaria*, vt vocant, capitibus praefixit, loca parallela, tum phraſium, tum rerum, diligenter adnotauit, figuras aeneas, antiquitatibus illuſtrandis inſeruientes, nitide ſculptas, tabulasque geographicas, opera CHRISTOPH. CELLARII adcurate adornatas, adiecit. *Praefationem* denique eruditam praemiſit, quam ordinis theologorum

rum in academia Lipſienſi adprobatio excipit. Eodem an. 1704 prodiit etiam noua editio verſionis germanicae LVTHERI Stutgardiae, curante IO. REINH. HEDINGERO, cum praefatione ſacri, quod Stutgardiae eſt, tribunalis. Ea tamen mox viri cuiusdam docti experta eſt cenſuram in *den vnſchuldigen Nachrichten von alten vnd neuen theologiſchen Sachen*, *ad annum 1705. part. VII. p. 432. ſeqq.* vbi inter alia auctori editionis huius vitio vertitur, quod TOSSANI, reformatae eccleſiae doctoris, praefationes quasdam eidem inſeruerit. Praeterea in iisdem *relationibus* ad *eumdem annum part. X. p. 600. ſeqq.* exhibetur *eines vornehmen theologi ertheiltes Bedencken von der neuen Studgardiſchen Bibel;* vbi editio haec reprehenditur, quod eidem praemiſſum ſit beati IO. ARNDTII *informatorium biblicum;* quod auctor iſtius editionis praefationibns LVTHERI ſuas adiunxerit, in quibus Donatiſmi, enthuſiaſmi, & chiliaſmi veſtigia occurrant; quod plurimis in locis verſionem LVTHERI correxerit & mutilauerit; & quae alia ſunt eiusdem generis. In mitiorem autem partem de hac editione pronuntiauit IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *obſeruationibus*, *ſiue Anmerckungen über das Bedencken von der Studtgardiſchen Bibel* an. 1708. 4. editis; qui tamen & ipſe hoc nomine cenſuram incurrit, in iisdem *relationibus*, ſiue *vnſchuldigen Nachrichten* ad *annum 1709. part. IX. p. 561. ſeqq.* Sed ad hanc quoque KRAFFTIVS reſpondit, in *prodromo hiſtoriae verſionis germanicae biblior. cap. IV. pag. 58. ſeqq.* Legenda &, quae pro Stutgardiana illa bibliorum editione differit CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS, in *actis ſcriptisque publicis eccleſiae Wirtembergicae cap. IV. p. 93.* Haec ipſa controuerſia & aliam in memoriam mihi reuocat, quae eidem viro doctiſſimo IO. MELCH. KRAFFTIO cum CHRIST. REINECCIO, viro itidem clariſſimo, interceſſit. Huius namque opera ſtudioque noua editio bibliorum germanicorum LVTHERI Lipſiae lucem adſpexit, cum praefatione beati THOM. ITTIGII, & cenſura ordinis theologorum in academia Lipſienſi; an. 1708. 4. Circa hanc editionem nonnulla monuit KRAFFTIVS, in *prodromo hiſtor. verſ. german. biblior. cap. III. pag. 42. ſeqq.* Non diſſimulat, quae in ea laudem promereantur, & cumprimis commendat praefationem eruditam THOM. ITTIGII, in qua varia, hiſtoriae bibliorum germanicorum inſeruientia, occurrant; deinde etiam oſtendit, quae, ſua quidem opinione, reprehenſione digna ſint, inter quae haud vltimum eſt, quod gloſſae marginales LVTHERI non ita, vt decet, exhibeantur. Huic cenſurae cum REINECCIVS, in *der kurtzen vnd gründlichen Antwort,* occurriſſet; KRAFFTIVS iterum reſpondit in *prodromo continuato hiſtoriae verſionis bibliorum germanicae* &c. Hamburgi an. 1716. 4. edito, ſimulque multa, ad hiſtoriam verſionis germanicae LVTHERI, eiusque editionum, facientia, adſpergit. Nec defuit ſibi REINECCIVS, ſed cauſſam ſuam egit, in *der Vertheidigung der teutſchen Bibel*, *ſo anno 1708 zu Leipzig gedruckt iſt,* Lipſiae an. 1718. 4. conf. *die vnſchuldigen Nachrichten* &c. ad *ann. 1719. part. II. pag. 285. ſeqq.* Commendandae vero hic etiam ſunt editiones bibliorum germanicorum Hallenſes, nec ſilentio inuoluendum ſingulare ſtudium viri, dum viueret, perilluſtris CAROLI HILDEBRANDI liberi baronis DE CANSTEIN, nunc inter beatos triumphantis, quod in eo poſuit, vt biblia excuderentur, quae & exacte, ſineque mendis typographicis, quantum fieri poteſt, verſionem B. LVTHERI exhiberent, & viliori etiam pretio, quam hucusque factum, vendi poſſent; vt ita pauperum quoque commodis conſuleretur. Eum in finem tantam typorum fundi curauit copiam, quae vniuerſo codici ſacro exſcribendo ſufficeret; vt ita typi iſti ſemper iuncti perma-

Digitized by Google

manerent, nec denuo in ordinem diſponendi eſſent, quoties noua bibliorum euulganda eſſet editio. Inde vero duplex ſperare licebat commodum; alterum, quod viliori pretio vendi biblia poſſent, alterum, quod menda typographica, ſi qua irrepſiſſent, in ſequentibus editionibus ita emendari poſſent, vt nullum adeſſet periculum, noua aliaque admittendi, vt plerumque fieri adſolet. Variis magnisque hoc inſtitutum initio premebatur difficultatibus; quae tamen quo pacto tandem ſuperatae ſint, euentusque votis reſponderit, ipſemet exponit illuſtris auctor in *der umſtaendlichen Nachricht von dem neuen Teſtament und Bibeln, welche nach einem den erſten Martii 1710. publicirten ohnmaasgebenden Vorſchlage, wie Gottes Wort um einen ſehr wohlfeilen Preis den Armen in die Haende gebracht werden könte, zu Glaucha vor Halle in Sachſen bisher ediret worden, und noch ferner ediret werden ſollen, vom Anfang des Wercks bis zu Ende des Monaths Octobris 1714. &c*, Halae 1714. 4. Cum itaque ei conſtitutum eſſet, in hiſce editionibus genuinam verſionem Lutheri ab omnibus vitiis repurgatam, lectoribus offerre; cum editione IO. DIECMANNI, quae Stadae an. 1703. 8. prodiit, editiones quaedam vt antiquiſſimae, ita praeſtantiſſimae, Wittebergenſis anni 1534 per Ioan. Lufftium, anni 1535 item 1541 Lipſienſis anni 1543 per Nicol. Wollrabium, Wittebergenſis anni 1545 per Ioan. Lufftium, comparatae, lectionesque variantes adnotatae ſunt, & ex iis ſelectae, quae ad textum originalem quam proxime accedere videbantur. Speciatim, ad nouum teſtamentum quod attinet, collatae ſunt editiones, Wittebergenſis, anni 1522, Baſileenſis anni 1523, & Erffurtenſis an. 1530. Haec omnia, vt & reliqua, quae ad inſtituti iſtius notitiam pertinent, ex ſcripto CANSTEINII iam laudato, vt & ex *praefationibus*, quae quibusdam editionibus praemiſſae ſunt, condiſcimus. Quid praeſtitum hoc incepto in communem vſum ſit, quidue porro inde ſperari queat; vel inde iudicare licet, quod, obſeruante HIERON. FREYERO, viro clariſſimo, annis XI vix exactis, integri codicis 130 millia exempla, noui autem federis 144 millia excuſa ſint, in commentatione *de inſigni bibliorum in linguis vulgaribus hoc ſaeculo prouentu*, Halae an. 1723. 4. edita. Reliquas editiones verſionis germanicae LVTHERI recenſent IAC. LE LONG, & CHRIST. FRIDER. BOERNERVS, in *bibliotheca ſacra cap. IX. ſect. III. p. 201. ſeqq.* Plura etiam aliquando de editionibus bibliorum germanicorum LVTHERI, immo de tota verſionis huius hiſtoria, dabit vir doctiſſimus, nec ſemel nobis iam laudatus, & in hocce argumento omnes alios vincens IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *hiſtoria*, quam molitur, *verſionis germanicae bibliorum*, cuius *prodromum* iam commemorauimus, in quo *hiſtoriae* illius *delineationem*, ſiue *Grund-Riß und Entwurff der gantzen teutſchen Bibel-Hiſtorie*, exhibet.

Commemorandae nunc ſpeciatim & iſtae germanicae verſionis LVTHERI editiones ſunt, quae textum perpetuis adnotationibus illuſtratum exhibent, & hinc *gloſſatae* vocari ſolent. Has inter, ſi ordinem temporis ſequi velimus, primum ſe nobis offert ea, quae circa initium ſaeculi XVII ab an. 1600 ad 1610 ſeptem tomis in fol. prodiit. Auctor eius eſt DAV. FOERSTERVS, qui LVCAE OSIANDRI ſcholia latina in ſcripturam ſacram, quae iam non ſemel excuſa fuerant, germanice expreſſit. Vnico deinceps volumine, etſi paullo grandiori, & minori charactere, hocce opus lucem adſpexit Luneburgi an. 1650. *Ceterum arguuntur*, inquit IO. FRID. MAYERVS, *hae gloſſae a multis, quod interdum aſperioribus phraſibus conceptae ſint; alii notarunt, Oſiandrum, vbi Pelagianos errores impugnat, paene in Caluinianorum tranſire caſtra; qua tamen in parte excuſandus nobis eſſe videtur, ſi ei idem, quod* olim

olim Auguſtino accidit; in *hiſtor. verſion. german. biblior. Lutheri, cap. V. §. VI. p. 62.* Sequitur DAN. CRAMERVS, theologus eccleſiae noſtrae, ex variis ingenii monumentis haud ignotus, qui an. 1619 verſionem LVTHERI cum *exegeſi* ſua, ſeu *bibliſcher Auslegung*, tribus voluminibus in 4. Argentorati in lucem emiſit; quae *exegeſis* deinde ſeorſim ſine verſione LVTHERI an. 1627 vno volumine in 4. prodiit. Sed horum labores ſplendore ſuo deinceps obſcurarunt *biblia*, vt vocantur, *Vinarienſia*. Ea & *Erneſtina* adpellantur, eo, quod auſpiciis ſummi principis Erneſti pii, ducis Saxoniae, lineae, quae hodie floret, Gothanae conditoris feliciſſimi, in lucem emerſit. Optimi huius principis vitam, dignam vtique, quae omnibus principibus rerumque dominis ad imitationem proponatur, eleganter & concinne ſcripſit ELIAS MART. EYRINGIVS, editam Lipſiae an. 1704. 8. in qua *cap. XVI. p. 78 ſeqq.* ex inſtituto de bibliis Vinarienſibus agit. *Vinarienſia* autem ea quoque dicuntur, ab oppido & ſede principum, qui auſpicem Erneſtum proxima cognatione attingebant; quemadmodum & *Norimbergenſia*, ob locum, vbi typis exſcripta ſunt, audiunt. Primum lucem adſpexerunt an. 1640. non ſemel deinceps denuo excuſa; nouiſſime autem an. 1692. Circa auctores, qui hunc vel illum ſacri codicis librum illuſtrarunt, viri docti non conſentiunt; quae inde forte orta eſt diuerſitas, quod elaboratio libri cuiusdam adſignata alicui fuit, quo vel morte, vel fato quodam, praepedito, ea in alium fuit translata. Omnium adcuratiſſime eos recenſet, quem iam laudauimus, EYRINGIVS, *l. c.* quem adeo conſulere eos oportet, qui erudiri hac de re cupiunt. Recte vero idem EYRINGIVS obſeruat, biblia haecce, iuſſu Erneſti ducis, ſimpliciſſimo modo, ad captum vulgi & quidem verſionis LVTHERI potius, quam fontium habita ratione, explicari debuiſſe. Theologi Ienenſes, IO. GERHARDVS, IO. MAIOR, IO. HIMMELIVS, & IO. MICH. DILLHERRVS, ad relegendum & corrigendum opus conſtituti, regulas quasdam ſuppeditarunt, quas princeps optimus etiam initio obſeruari voluit; qui tamen deinceps illis, quibus opus hocce reuidendi & emendandi demandata fuit prouincia, ſequentes leges praeſcripſit: I) *Singuli bene proſpiciant, vt expoſitio omnium locorum cum analogia fidei & confeſſionibus eccleſiae noſtrae conueniat*; quod non ita intelligendum, ac ſi confeſſiones ſint norma interpretandi ſcripturam, ſed quod analogia fidei, quae in iſtis confeſſionibus continetur, ex locis ſcripturae claris & perſpicuis ſit deſumta, ad quam adeó loca obſcuriora merito ſunt exigenda; II) *an ſenſui ſancti ſpiritus, eius ſcopo & verbis antecedentibus, in omnibus accedat?* III) *num ea claris, puris & perſpicuis verbis concepta ſit?* IV) *licet Lutheri verſio ſacri codicis mutari non debeat, explicatio tamen minus diſſentiat a textu originali, cum veteris, tum noui foederis*; V) *cum allegatum & locus parallelus non quadrat, mutetur & deleatur*; VI) *ſi pondus, aut menſura, aut tempus quodam in loco operis huius biblici aliter atque alibi expoſitum ſit, adnotetur*; VII) *itemque cum explicationes inuicem ſibi contradicentes reperiantur*; VIII) *nullus relegentium cenſorumue auctoritate ſua & voluntate propria quidquam immutet, ſed vbi dubium ipſi relinquatur, calamo illud excipiat, & notet, quo in conuentu de eo agatur, quomodo & qua ratione tutius emendari poſſit, niſi aliquid inter deſcribendum erratum fuerit.* Nimirum, qui aliquid in hoc opere elaborarunt, penſa ſua iis, quibus, ea reuidendi ac emendandi, munus iniunctum erat, obtulerunt, qui illa inter ſe diuiſa priuatim ponderarunt, ac poſtea in conuentu, bis per hebdomada inſtituto, examini ſubmiſerunt, vt ex plurium ſententia, quid admittendum, quidue reiiciendum ſit, decerneretur. Conuentus iſtos per ſemeſtre ſpa-

ſpatium usque ad mortem IO. GERHARDI duraſſe, EYRINGIVS docet, poſtea ceſſaſſe, donec aduentante SALOM. GLASSIO per quatuor hebdomades continuarentur; cum vero hic diſſenſum collegarum ferre non poſſet, iterum deſiiſſe; atque tum initio IO. MAIOREM aliquot libros reuidiſſe; poſtea SAL. GLASSIVM, non inuito principe, ſolum hunc laborem ſuſcepiſſe, eumdem quoque GLASSIVM praefationem delineaſſe, quam collegae eius calculo ſuo adprobauerint; *l. c. p. 85.* vbi & reliqua, ad operis huius notitiam ſpectantia, legi poſſunt. Virulentas calumnias, quibus biblia haecce Vinarienſia proſcindere VITVS ERBERMANNVS ſuarum duxit eſſe partium, ſtrenue repulit IO. MVSAEVS noſter, in *praefatione, tractatui* ſuo *theologico de conuerſione hominis peccatoris ad Deum* praemiſſa, *p. 31. ſeqq.* Cumque ERBERMANNVS nondum conquieſceret; rurſus, in *bibliis Erneſtinis ab iterata Erbermanni maledicentia vindicatis*, illi obuiam iuit. BARTHOLDVM autem NIHVSIVM apoſtatam, opus hocce itidem adlatrantem, caſtigauit SAL. GLASSIVS, in *mantiſſa ad philologiae ſacrae libros, p. m. 1491. ſeqq.* THEODOR. DASSOVIVS de bibliis hiſce Vinarienſibus ita pronuntiat: *Magni aeſtimatur iure meritoque labor, quem Vinarienſes impenderunt ſacro codici interpretes; ex veteri tamen hiſtoria ebraea multa erui poſſunt, quae viris doctiſſimis, eiusmodi diſcendi adminiculis carentibus, vel non obſeruata, vel minus videntur fuiſſe cognita;* in *diſſertat. de ſacri codicis interpretib. Vinarienſibus, §. I.* Quod eius iudicium etiam repetit CHR. FRID. BOERNERVS, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram cap. IX. ſect. III. p. 214.* Sed vt abſoluamus, quae de bibliis LVTHERI germanicis gloſſatis dicere incepimus; commemoranda adhuc cumprimis, quae cum expoſitione IO. OLEARII, qui Auguſti ducis Saxoniae, & ducatus Magdeburgici adminiſtratoris, a concionibus ſacris fuit, Lipſiae an. 1678. quinque voluminibus in fol. prodierunt, itemque quae an. 1682 Wittebergae, ſtudio & opera ABR. CALOVII tribus voluminibus in fol. euulgata ſunt; quae quid prae reliquis praecipui habeant, ipſa eorum inſcriptio hunc in modum nos condocet: *die deutſche Bibel D. Martini Lutheri, aus der Grundſprache, dem context und parallel-Sprüchen mit Beyfügung der Auslegung, die in Lutheri Schrifften zu finden, alſo deut- und gründlich erklaeret, daſs naechſt geziemender Eintheilung allenthalben der eigentliche buchſtaebliche Verſtand, guten theils auch der heilſame Gebrauch der heiligen Schrifft, ſonderlich mit des theuren Mannes Gottes geiſtreichen Worten fürgeſtellet iſt.* Habuerunt nimirum MICH. WALTHERVS, aliique, in votis, vt biblia germanica LVTHERI, cum ipſius LVTHERI explicationibus adornata, ederentur. Hiſce vt CALOVIVS ſatisfaceret; monitis tamen etiam & benignitate Ioannis Georgii II electoris Saxoniae, inductus; hocce opus in ſe ſuſcepit, idque ea ratione praeſtitit, vt ſuas interdum explicationes, praeſertim vbi LVTHERI deeſſent, iungeret. Tandem & *noui teſtamenti*, itidem quodammodo *gloſſati*, a IO. REINH. HEDINGERO Stuttgardiae anno 1704. 8. euulgati, hic iniicienda eſt mentio. In eo namque rite adornando, & lectorum vſui adcommodando, ſummum ſtudium induſtriamque collocauit. Operam namque primum dedit, vt textum germanicum verſionis LVTHERI, non tantum ad praeſtantiorum exemplorum fidem, ſed & ad ductum textus originalis, quam emendatiſſime & adcuratiſſime exhiberet, ſublatis quamplurimis etiam inueteratis mendis, particularum etiam, connexionum, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Summaria quoque, vt vocant, noua, ſecundum ſacrae analyſeos regulas, adiecit, nouasque & adcuratiores partitiones inſtituit; adnota-

tiones quaſdam, ſeu gloſſas, vt loqui ſolent, tum LVTHERI, tum proprias, ſingulis fere verſiculis addidit; praeterea poriſmata, ad fidei vitaeque praxin ducentia, non quidem ſingulis verſiculis, quod PASCHAS. QVESNELLVM, *dans ſes reflexions morales ſur le nouveau teſtament* feciſſe, conſtat, nec tam fuſe, vt SAL. GLASSIVS, in *enchiridio biblico*, ſed breuiter quibusdam ſingulorum capitum locis ſubiunxit; in locis quoque parallelis ſummam induſtriam demonſtrauit, ea, quibus eadem doctrina continetur, a reliquis, in quibus eadem loquutio occurrit, aut quae ceteroquin conuenientiam quamdam cum textu habent, per certa ſigna diſcernendo; ſingulis denique libris praefationem praemiſit, in qua quae ad auctoris & libri hiſtoriam ſpectant, ſuccincte exponuntur. Praemiſit etiam beati IOAN. ARNDTII *informatorium biblicum*, & ſubiecit CASP. HERM. SANDHAGENII *harmoniam chronologicam quatuor euangeliſtarum & actuum apoſtolicorum.* Immo cum & amici quidam auctoris ſuas de hocce labore obſeruationes cum eo communicaſſent, in quibus, quae in eo deſiderant, aut rectius clariusue ab eo exprimi potuiſſe, monent; & has cum reſponſionibus ſuis ſubiunxit. Quae omnia ſi quis ſecum expenderit; non dubitabit, praeſtantioribus noui teſtamenti editionibus hanc adnumerandam eſſe; ſaltem exemplum auctorem reliquiſſe, quo pacto editio, quae omnibus vtilis eſſe queat, comparata eſſe debeat. Recuſa fuit Bremae an. 1707 & iterum, cum acceſſionibus & emendationibus quibusdam, an. 1711. 8. forma maiori. At non defuerunt etiam, qui varia in ea reprehenderent. Praeter eos enim. quorum obſeruationes, cum reſponſionibus ſuis, editioni ſuae ipſum inſeruiſſe HEDINGERVM, antea diximus; auctores quoque *innocuarum*, vt vocari ſolent, *relationum*, ſiue *der unſchuldigen Nachrichten*, errores quosdam in ea notarunt, ad *an.1706. part. I. p. 43. ſeqq.* Hos ſequutus eſt IO. FRID. MAYERVS, qui primum, generatim adnotationes HEDINGERI *fanaticas* vocare, non dubitauit, in *dem kurtzen Bericht von Pietiſten*, ad *quaeſt. V.* ſed deinceps etiam ſub eiusdem moderamine prodiit *diſputatio de noui teſtamenti Hedingeriani erroribus pietiſticis*, Gryphiswaldiae an. 1707. 4. Ego equidem eorum, quae ab HEDINGERO forte minus recte, aut parum adcurate dicta ſunt, defenſionem aut excuſationem in me ſuſcipere nolo; hoc tamen certum, ſi ab iis diſcedas, laborem eius huncce multis nominibus eſſe commendandum. GVST. GEO. ZELTNERVS, etſi, eum non omni ex parte perfectum, nec ſuis carere naeuis, agnoſcit; *explicationes* tamen *maximam partem praeſtantiſſimas eſſe*, fatetur, in *diſſ. de nouis biblior. verſionibus germanicis non temere vulgandis* &c. *cap. IV. §. IX. p. 103.*

Nec praetermittendum, fuiſſe etiam inter reformatae eccleſiae doctores, qui verſionem germanicam LVTHERI recudendam curarent. Et initio quidem Neoſtadienſes an. 1579 biblia LVTHERI, ſed ſine vllis ſummariis & gloſſis, ad reformatorum placita adcommodatis, ediderunt; cuiusmodi tamen deinceps acceſſerunt, cum an. 1588 denuo imprimerentur. Atque huius operis curatorem, non IOANNEM, vt IO. FRID. MAYERVS, in *hiſt. verſion. germanicae bibliorum Lutheri cap. V. §. IX. p. 62.* autumat, ſed DAVIDEM PAREVM fuiſſe, monet IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis quibusdam in hiſtoria verſionis germanicae bibliorum Lutheri, Io. Frid. Mayeri, §. XV. p. 33.* Haud leue autem cum ex iſta editione eccleſiae noſtrae immineret periculum; eamdem ſub cenſuram vocare, ſuarum duxit eſſe partium IAC. ANDREAE, qui adeo edidit *chriſtliche treuhertzige Erinnerung, Vermahnung und Warnung vor der zu Neuſtadt an der Hardt nachgedruckten verfaelſchten und mit Caluiniſcher gotteslaeſterlicher Lehre beſchmeiſ-*

ſchmeiſſeten Bibel D. Martin Luthers, Tubingae 1588. 4. Cui ANDREAE libro cum PAREVS quaedam oppoſuiſſet; illius defenſionem in ſe ſuſcepit IOAN. GEORG. SIEGWARTVS in *der nichtigen und krafftloſen Rettung Parei, betreffend die zu Neuſtadt 1587. nachgedruckte verfaelſchte, und mit Calviniſchen Lehren beſchmeiſſete teutſche Bibel D. Martin Luthers; ſamt nothwendigen gründlichen Bericht von den Calviniſchen Irthümern, ſo in ermeldter Bibel einlogiret ſind*, Tubingae an. 1590. 4. Sequuntur in hoc genere *biblia Herbornenſia*, an. 1595 euulgata, in quibus textum excudi fecerunt ex editione *non Wittebergenſi, ſed Francofurtana, quae per omnia calculum bonorum & ſcitiorum non meretur*; vt MICHAEL WALTHERVS loquitur, in *officina biblica*, *§. DIX. p. 183.* In eadem editione reformatos omiſiſſe varia, quae placitis ſuis aduerſari intelligebant, alia contra, quibus ea propagari poſſe, credebant, addidiſſe, idem WALTHERVS copioſius docet. Occaſio hinc data fuit theologis Wittebergenſibus, edendi *treuhertzige, nothwendige, und ernſte Warnung an alle euangeliſche Kirchen vor der zu Hernborn nachgedruckten Bibel*; quae dehortatio anno demum 1598 prodiit, cum iam ante triennium editio iſta lucem adſpexiſſet; vti GVST. GEO. ZELTNERVS obſeruat, in *diſſ. de nouis biblior. verſionib. germanicis non temere vulgandis, cap. I. §. IX. pag. 10.* qui & ibidem monet, biblia haecce a PISCATORIS verſione, paullo poſt ibidem concinnata, editaque ſedulo diſtinguenda eſſe. PAVLVS praeterea TOSSANVS, DANIELIS filius, Heidelbergae in confinio annorum 1617 & 18 biblia LVTHERI germanica in lucem prodire iuſſit, *ſed ita, vt aliquot vtilibus praefationibus & notationibus marginalibus ipſius Lutheri omiſſis, ſuas ſingulis libris praefixerit praefationes*; vt MICH. WALTHERVS loquitur, in *officina biblica*, §. *DX.* *pag. 184.* Adnotationes quoque, ſeu *gloſſas*, vt vocant, addidit, non prorſus contemnendas, & in quibus verſionem LVTHERI ſecundum textum originalem emendare adnititur; ſed in quibus ſimul, quae palliandis reformatae eccleſiae dogmatibus inſeruiant, haud raro adſpergit. Detexit haſce TOSSANI artes, atque errores refutauit IOAN. WINCKELMANNVS, in *diſputatione contra errores Caluinianorum, de baptiſmo, coena domini, perſona Chriſti & electione, quos Paulus Toſſanus, theologus Heidelbergenſis, germanicae bibliorum ſacrorum verſioni D. Lutheri, a ſe nuper editae, in margine, ad ſeducendum ſimplicem lectorem, aſſuit, & multa ſcripturae dicta deprauauit*; quae *tomo VII. diſputationum Gieſſenſium num. XVII. p. 417. ſeqq.* exſtat. BALTH. MENTZERI de iiſdem TOSSANI adnotationibus iudicium exhibet MICH. WALTHERVS *l. c.* Interim non ſemel biblia haecce TOSSANI recuſa eſſe, conſtat. Superſunt biblia crypto-Caluinianorum, inchoata quidem, ſed ad finem non perducta, & deinceps prorſus ſuppreſſa: de quibus lectu digna, quae poſt CHR. SCHLEGELIVM, in *vita Theophili Glaſeri, ſuperintendentis Dreſdenſis, p. 49. ſeqq.* refert doctiſſimus GVST. GEORG. ZELTNERVS, in *diſſ.* iam *laudata cap. I. §. IX. p. 10. ſeqq.* Dici hic etiam poſſet de verſionibus, ad LVTHERI verſionem in aliis linguis adornatis, vt ſaxonica, ſcilicet ſecundum dialectum Saxoniae inferioris, belgica veteri (deinde enim ex decreto ſynodi Dordracenae alia ſecundum ipſos fontes concinnata fuit) wendica ſiue ſorabica vel ſlauica, ſuecica, danica, finnica, lapponica, iſlandica, eſthonica; ſed conferre de hiſce omnibus iuuabit CHR. KORTHOLTVM, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus cap. XXVI. XXVIII. & XXIX.* itemque IO. FRID. MAYERVM, in *hiſtor. verſion. germ. bibliorum Lutheri cap. VI. p. 46. ſeqq.* cumprimis & IAC. LE LONG, in *bibliotheca ſacra cap. X. p. 287. ſeqq.* Addenda iſtis, quas viri illi docti commemorarunt, verſio noua lithuanica noui teſtamenti, in qua

cum textu graeco verſio LVTHERI fundamenti loco ponitur; cuius notitia ſuppeditatur in *den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen an. 1726. menſe Maio num. XLIII. pag. 419. ſeqq.*

Supereſt, vt diuerſa virorum doctorum de verſione LVTHERI audiamus, & paucis expendamus, iudicia. Quanto ſtudio, quanta induſtria, & fide, in hocce negotio verſatus ſit beatus LVTHERVS; partim ex dictis iam conſtat, partim ex IO. MATHESIO intelligere licet, *conc. XIII. de vita Lutheri p. m. 147. ſeqq.* itemque ex ipſius LVTHERI *epiſtola*, quam *de ratione interpretandi (vom dollmetſchen)* ſcripſit. Pluribus hoc etiam euincunt MICH. WALTHERVS, in *officina biblica* §. *CCCCLI. p. m. 168. ſqq.* & IOAN. FRID. MAYERVS, in *hiſtor. verſion. german. biblior. Lutheri, cap. II. pag. 15. ſeqq.* vbi ex inſtituto demonſtrat, *quanta adcuratione, fide & induſtria in bibliis transferendis verſatus ſit, quorum ope adiutus ſit, quibus codicibus vſus fuerit Lutherus?* Ego ſolum addo, ipſum RICH. SIMONEM, etſi non vbique eadem ratione de hacce verſione iudicat, non diffiteri, ſummam hac in re a LVTHERO adhibitam fidem. Cum enim ex BALTHAS. RAITHII *vindiciis verſionis germanicae Lutheri, theſi XII.* haecce verba: *adſeuerare non veremur, eam* (verſionem Lutheri) *inter optimas, quae vmquam ſolem viderunt, ponendam; cum nihil, quoad humana praeſtari opera poterat, in ea concinnanda fuerit omiſſum, voluntarie, ſcienterque,* adduxiſſet; addit, ſe libenter credere, Lutherum nihil eorum data opera omiſiſſe, quae inſeruire illi poterant, vt verſionem adcuratam exhiberet; de eo tamen quaeſtionem eſſe, an praeſidiis, ad tantum opus neceſſariis, inſtructus fuerit? an linguae graecae & ebraeae ſatis fuerit peritus, ſtilique ſacri ſufficientem notitiam habuerit, vt verſionem exactam dare potuerit? *hiſt. critic. verſion. noui teſtam. c. XLIII. p. 521.* At ſine ratione SIMON in dubium vocat, quae ſatis ſunt comperta. Namque ebraeae pariter ac graecae linguae pro iſtorum temporum conditione haud mediocriter peritum fuiſſe LVTHERVM, conſtat. Notum praeterea eſt, eum viros harum linguarum gnariſſimos in conſilium adhibuiſſe; quos inter & PHIL. MELANCHTHON fuit, cui ipſe, ni fallor, SIMON, exquiſitam linguae graecae notitiam non denegabit. Haec vero cum ita ſint, laudibus iuſtiſſimis hancce verſionem proſequuti ſunt plurimi non modo ex noſtratibus ſed & ex pontificiis, atque reformatis; quorum elogia diligenter collecta exhibet IO. FRID. MAYERVS, *l. c. cap. VII. p. 74. ſeqq.* Addenda, quae ad commendandam hancce verſionem diſſerit beatus IO. MVSAEVS noſter, in *praefatione, tractatui de conuerſione hominis peccatoris ad Deum* praemiſſa, *p. 4. ſeqq.* vbi & illud PHIL. MELANCHTHONIS laudat: *hanc ſcripturarum interpretationem aequare vtilitate & labore cetera Lutheri opera omnia; in qua tanta ſit perſpicuitas, vt vice commentarii eſſe poſſit ipſa germanica lectio.* Atque haecce MELANCHTHONIS verba cum & RICH. SIMON recitaſſet; in verſionibus ſubinde contingere, ait, vt dum auctores perſpicui & plani eſſe ſtudeant, ſua potius cogitata, quam mentem ſpiritus ſancti, proponant, idque generatim in verſione Lutheri reprehendendum eſſe; *hiſtor. critic. verſion. noui teſtam. c. XLIII. p. 250.* Conueniuntque fere in eo, qui modeſtiores inter pontificios videri volunt, vt dicant, ob dictionis elegantiam perſpicuitatemque, commendandam verſionem LVTHERI; ſed textum originalem eam adcurate non exprimere, ideoque & LVD. ELL. DV PIN, hancce verſionem elegantem quidem, ſed parum litteralem, minusque exactam, vocat; *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. IX. p. 223.* Eamdem cantilenam iam pridem

& alii

& alii cecinerunt, vt GE. WICELIVS, cuius ſcripta quaedam, in quibus verſionem LVTHERI ſub examen reuocat, recenſet IO. FRID. MAYERVS, *l. c. cap. VIII. §. VII. p. 91.* Ita autem WICELIVS verſionem LVTHERI ſub examen reuocauit, vt, quae in ea laudanda ſint, non diſſimularet; qua de re legenda HERM. VON DER HARDT oratio, *de fontium ebraeorum interprete Luthero, Georgii Wicelii teſtimoniis ornato;* Helmſtadii 1690, 4. Quod WICELII exemplum tantum abeſt, vt reliqui pontificii imitati ſint; vt quidam omnem furorem potius in hancce verſionem effuderint: quos inter referendi HIERON. EMSERVS, FLORIMVND. RAEMVNDVS, FRID. STAPHILVS, ADAM. TANNERVS, aliique, quos producit MAYERVS, *l. c. cap. VIII. §. IV. & V. p. 88.* Atque horum nonnulli LVTHERVM per ſummam impudentiam corrupti ſacri codicis arguere non dubitarunt, a quo tamen crimine ipſe eum abſoluit RICH. SIMON, *hiſtor. critic. verſion. noui teſtam. c. XLIII. p. 523.* Praeterea ex inſtituto verſionem LVTHERI impugnauit MELCH. ZANGERVS, in *der wahrhafftigen vnd augenſcheinlichen Erweiſung, welchergeſtalt Martinus Luther die heilige Schrifft den Haupt-Sprachen, vnd der gantzen catholiſchen Kirchen theologiſchen Verſtandt zuwieder, an vnterſchiedenen Orten vngleich verdolmetſchet.* Quo quidem ſcripto, an. 1605 edito, iudice ABR. CALOVIO, Lutheri verſionem exauctorare, ſuumque DIETENBERGERVM, quem ex pontificiis nouam ſcripturae verſionem germanicam adornaſſe, deinceps dicemus, euehere voluit; in *praeloqu. generali, tomo I. biblior. illuſtr. p. 6.* Obuiam autem ZANGERO iuit MICH. BERINGERVS, iuris vtriusque doctor, & ebraeae linguae in academia Tubingenſi profeſſor, in *der Rettung der teutſchen bibliſchen Dolmetſchung D. Martin Luthers &c.* Quae eius vindiciae Francofurti an. 1613 lucem adſpexerunt. Contra GE. HOLZHAIVM, Ieſuitam, *diſputationes pro verſione Lutheri,* edidit GE. GROSSHAYN, theologus Erffurtenſis, de quo videndus IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis &c. §. XVII. p. 37.* Fuerunt autem longe adhuc plures ex noſtratibus, qui pontificiorum calumnias, quibus verſionem LVTHERI proſcindere conati ſunt, repellerent; quos recenſet IO. FRID. MAYERVS, in *hiſtor. verſion. germ. biblior. Lutheri, c. X. §. VI. p. 123. ſeqq.* Eminet vero inter omnes, primumque merito ſibi vindicat locum, BALTH. RAITHIVS theologus Tubingenſis, vtpote cuius exſtant *vindiciae verſionis ſacrorum bibliorum germanicae, beati D. Martini Lutheri labore editae, a maleuola cenſura & iniquis vellicationibus non pontificiorum ſolum, qui eam primitus ex profeſſo impugnarunt, ſed etiam aliorum ſciolorum temerariis correctionibus, paſſim hactenus obiter agendo factis, ope fontium ebraeorum, in veteri teſtamento, & graecorum in nouo paratae, collatis vt plurimum nobilioribus orientalis & occidentalis eccleſiarum verſionibus, & interpretum ſuper iisdem notationibus, candore debito, ſtudio poſſibili, fide integra exhibitae;* Tubingae 1676, 4. RICH. SIMONIS iniquam in hancce verſionem cenſuram profligauit IO. HENR. MAIVS, in *vindiciis verſionis Lutheri ab iniqua cenſura Richardi Simonis;* quae inter *ſelectiores* eius *diſſertationes quatuor, de ſcriptura ſacra,* RICHARDO huic SIMONI, eiusque aduerſariis, theologis batauis inprimis, oppoſitas, & iunctim Francofurti 1690, 8. editas, vltimum locum tenent, *p. 105. & ſeqq.* Cumprimis hic iterum commendandus IO. MELCH. KRAFFTIVS, vir de verſione LVTHERI praeclare meritus, in libro, qui inſcribitur: *das andere hundert-iaehrige Iubeliahr der euangeliſchen Kirchen von der 1517. angegangenen Reformation &c.* prodiitque

iitque Hamburgi an. 1717, 4. Etenim *c. II. p. 106. ſeqq.* ex inſtituto agit *von denen theils gantz vnzulaenglichen, vnd vngereimten, theils gantz vnanſtaendlichen, argliſtig ſündlichen Handgriffen vnd Mitteln, deren ſich die Roemiſch-catholiſch-geſinte bishero in Anfeindung der Dolmetſchung Lutheri bedienet*; hinc *c. III. p. 130. ſeqq.* calumnias PETR. ROESTII, Ieſuitae, contra Lutherum, eiusque verſionem germanicam, effuſas, repellit. In *praefatione* autem erudita, lectuque digna, oſtendit *das eigene Verhalten der Roemiſch-catholiſchen Kirchen wegen Vberſetzung vnd Leſung der Bibel in gemeinen Sprachen bis auf gegenwaertige Zeiten*, adeoque hiſtoriam quamdam controuerſiae, de lectione ſcripturae ſacrae in lingua cuique vernacula omnibus concedenda, exhibet. Non ſolum autem pontificiis verſio LVTHERI diſplicuit; ſed nec reformatae eccleſiae doctoribus vsque quaque ſatisfecit. Hoc ſatis teſtati ſunt Belgae, dum, repudiata veteri translatione belgica, ad LVTHERI verſionem confecta, nouam ex ſynodi Dordracenae praeſcripto concinnarunt, ſignificantes hac ratione, ſe LVTHERI verſionem minime exactam cenſere. Quamquam, quod vetus belgica minus exacta ſit; id ſaepiſſime non tam verſioni LVTHERI quam interpreti Belgae, qui Lutheri mentem non vbique recte expreſſerit, tribuendum eſſe, bene obſeruet HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen Staat, part. I. c. VII. p. 231. ſeqq.* vbi verſionis belgicae hiſtoriam diligenter tradit. Priusquam autem noua iſta verſio belgica conficeretur; viri quidam docti, ſcriptis nonnullis nouae verſionis conficiendae, aut veteris emendandae, neceſſitatem demonſtraturi, non potuerunt non hac occaſione in LVTHERI ipſius verſionem calamum ſtringere. Eoque pertinet WILH. BAVDARTII liber, belgica lingua ſcriptus, *praeparatio ad emendationem bibliorum belgicorum*, Arnhemii 1606, 8. Cui quidem BAVDARTIO, cum IO. BOGERMANNO, & GERS. BVCERO, deinceps translatio veteris teſtamenti demandata fuit; vt HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS docet, *l. c.* ubi & reliquos, qui verſionem hancce belgicam concinnarunt, indicat. De SIXTINI AMAMAE, IO. LEVSDENII, aliorumque eodem collineantibus iudiciis, conferendus IO. FRID. MAYERVS, in *hiſt. verſion. germ. biblior. Lutheri c. VIII. §. IX. p. 93.*

Fuerunt vero etiam ex noſtratibus, qui, licet iuſtum verſioni huic germanicae LVTHERI pretium ſtatuerent, eamque non ſine ſingulari Numinis benignitate nobis obtigiſſe, agnoſcerent; eam tamen in locis quibusdam a fontibus diſcrepare, profiteri & oſtendere, non dubitarunt. Id poſt VAL. SCHINDLERVM, IO. TARNOVIVM, IO. GERHARDVM, WOLFG. FRANZIVM, MICH. WALTHERVM, aliosque, BALTH. RAITHIVS fecit, in *vindiciis iſtis verſionis ſacrorum bibliorum germanicae &c.* quas antea laudauimus. Quem uuidem RAITHIVM praeſtantiſſimis eccleſiae noſtrae criticis adnumerat RICH. SIMON, *hiſt. crit. verſion. noui teſtam. c. XLIII. p. 521.* Fecit idem IO. SAVBERTVS, Helmſtadienſis primum, deinde Altdorphinus theologus, de cuius inſtituto, nouam verſionem germanicam cudendi, ſupra iam quaedam monuimus, *lib. I. cap. IV.* ad *§. VI.* qui & ipſe in *operibus poſthumis*, quae IO. FABRICIVS an. 1694 Altdorffi in lucem emiſit, in *praefatione*, varia huc ſpectantia monuit. Sed & alios iam ea in re exemplum SAVBERTO praeiuiſſe, docet ſocer eius HERM. CONRINGIVS, in *epiſtola gratulatoria natalis octogeſimi octaui, ad Auguſtum ducem &c.* cuius itidem iam *l. c.* mentionem iniecimus. Nihil nunc de MART. GEIERO, ABR. CALOVIO, SEBAST. SCHMIDIO, aliisque dicam; qui paſſim loca ſcripturae ita

ita explicarunt, vt a verſione LVTHERI diſcederent. Quae omnia ſi recte expendantur, abunde inde patebit, ineptam eſſe romanenſium calumniam, qua nobis imputant, ac ſi verſionem LVTHERI tamquam authenticam & infallibilem recipiamus. Ceterum cum, exemplum theologorum antea memoratorum ſequutus, AVG. HERM. FRANCKIVS, editis *obſeruationibus biblicis*, itidem loca quaedam ſcripturae examinaſſet; & quo pacto adcuratius ſecundum fontes, quam in verſione LVTHERI factum, reddi poſſent, oſtendiſſet: magnae inde ortae ſunt concertationes. *Obſeruationes* haſce *biblicas*, lingua germanica, ſingulis menſibus an. 1695 edere inceperat FRANCKIVS: ſed mox eodem anno exſtiterunt, qui acriter ei ſe opponerent, & hocce inſtitutum, tamquam in dedecus & ignominiam verſionis Lutheri vergens, reprehenderent. Primus inter hoſce fuit IO. HENR. KNOBLAQHIVS, qui, aliquot eodem anno editis diſſertationibus, cenſoris in haſce obſeruationes ſibi partes ſumſit. Eum ſequutus eſt IO. FRID. MAYERVS, in ſchediaſmate germanico, quod inſcripſit; *Anweiſung zum recht Lutheriſchen Gebrauch des heiligen Pſalter-Buchs, ſamt einer Vorrede an alle Studioſos theologiae, ihro Koenigliche Maieſtaet von Schweden Landes-Kinder in Teutſchland, ſich von M. Aug. Hermanni Franckens obſeruationibus biblicis nicht verleiten zu laſſen*, Hamburgi an. 1695, 4. Nec defuit ſibi FRANCKIVS, ſed *obſeruationes* haſce ita continuauit, vt apologiam in iis aduerſus ſibi obiecta, exhiberet; ideoque eas inſcripſit: *wahrhafftiger Bericht von denen bisher herausgegebenen bibliſchen Anmerckungen &c.* porro *Fortſetzung des wahrhafften Berichts von denen bibliſchen Anmerckungen:* quae, vt & reliqua huc ſpectantia, cum aliis quibusdam FRANCKII ſcriptis, ipſisque *obſeruationibus biblicis*, iunctim, Francofurti & Lipſiae 8. ſine anni mentione, inſcio auctore, edita ſunt. At vix menſem Maium ediderat, cum hoc eius inſtitutum interpellarent, ſcriptis germanicis, KNOBLACHIVS, & nomine MAYERI, CHR. SERPILIVS, quibus ſtatim nonnemo pro FRANCKIO oppoſuit: *Beweis, das die Hamburgiſche vnd Wittenbergiſche interlocution, Einrede vnd Klage, gegen Herrn Aug. Hermann Franckens im Maio angefangene Schutz Rede nicht richtig ſey;* quo in ſcripto, quod itidem inter Franckiana iſta iunctim edita exſtat, *p.* 430. per errorem BERINGERVS, cuius antea facta eſt mentio, pontificiis adnumeratur, qui iniquis ſuis cenſuris Lutheri verſionem vexarint. Ceterum, dum FRANCKIVS ad cauſſam ſuam defendendam exempla protulit eorum, qui itidem diſcrepantiam verſionis LVTHERI a fontibus in quibusdam locis oſtenderunt; inter alios quoque ad THEOD. DASSOVIVM, tum linguarum orientalium in academia Wittebergenſi, deinde in Kilonienſi theologiae profeſſorem, prouocauit, qui in recitationibus publicis in libros aliquot biblicos veteris teſtamenti diſſenſum verſionis LVTHERI a textu originali variis in locis notauerat, licet conciliationem ſubinde, prout poterat, adnecteret. Hinc DASSOVIO enata occaſio, *epiſtolam* edendi *ad Franckium*, in qua admodum conqueritur, quod ad ſuam prouocaſſet auctoritatem, ſuique & Franckiani inſtituti diuerſitatem oſtendere adnititur. Sed & huic obuiam iuit FRANCKIVS in *der ferneren Fortſetzung des wahrhafftigen Berichts von denen bibliſchen Anmerckungen, da auff des Herrn Theodori Daſſouii ſo genandtes freundliches Send-Schreiben wie nicht weniger auch auf andere gegen ſolche Arbeit ins gemein gemachte Einwürffe, geantwortet wird;* item in *der weitern Fortſetzung des wahrhafftigen Berichts &c.* Quae omnia inueniuntur in collectione ſcriptorum Franckianorum,

antea memorata; & duae quidem poſteriores iſtae commentationes *p. 439. ſeqq.* itemque *p. 506. ſeqq.* Omnes quidem, quos hac in re expertus eſt FRANCKIVS, aut aduerſarios, aut cenſores, commemorare non lubet: praetermittendus tamen non eſt MICH. BECKIVS, eccleſiaſtes, & linguae ebraeae apud Vlmenſes profeſſor, qui cum *diſquiſitiones hermeneuticas*, *obſeruationibus* hisce, aut potius apologiae, quam pro iis FRANCKIVS edidit, ſiue *dem wahrhafftigen Bericht &c.* cuius antea facta eſt mentio, edere coepiſſet; defenſionem FRANCKII in ſe ſuſcepit IO. HENRIC. MICHAELIS, theologus hodie in academia Halenſi clariſſimus, edita per modum diſputationum academicarum *ἐπίκρισις philologica de Michaëlis Beckii diſquiſitionibus LVII. dictorum pentateuchi philologicis*, cuius pars generalis circa finem anni 1696, ſpecialis, *examen philologicum quatuordecim dictorum geneſeos* complectens, circa initium anni 1697 prodiit. BECKIVS vero in inſtituto ſuo perrexit, tandemque diſſertationes ſuas, huc ſpectantes, iunctim edidit, Vlmae an. 1700 4. inſcriptas: *verſio Lutheri megalandri in CCCXL. dictis veteris teſtamenti a cenſura Aug. Herm. Franckii, auctoris obſeruationum biblicarum, in menſtruis Iunii & Iulii penſis, diſquiſitionibus hermeneuticis, pro virili vindicata &c.* ſimulque *ſtricturas*, vt vocat, *ad epicriſin Io. Henr. Michaelis*, adiunxit; itemque ZACH. GRAPII *diſſertationem*, ſub moderamine IO. FECHTII Roſtochii publicae luci expoſitam, *de controuerſiis quibusdam recentioribus*, in cuius *ſect. I.* nonnulla, ad hiſtoriam huius certaminis facientia, occurrunt, quae & iis, quae hucusque commemorauimus, addi poterunt. Mirum eſt, tanto animi feruore nonnullos in hoc certamen deſcendiſſe, cum ipſi etiam FRANCKII aduerſarii fateantur, verſionem LVTHERI non omnis naeui expertem eſſe; nec vſitatius quidquam ſit, quam vt interpretes oſtendant, quo pacto ſenſus ad textum originalem adcuratius exprimi queat, quam in verſione LVTHERI factum. Lingua germanica quod *obſeruationes* iſtas FRANCKIVS ſcripſit, eo minus illi vitio verti potuit, quo ſollemnius hactenus fuit, vt in concionibus ad populum verſio LVTHERI ad fontes exigeretur. Quod equidem non omnino vituperandum cenſeo, etſi caute & modeſte ea in re verſandum, exiſtimem. Cauſſam FRANCKII praeter alios etiam egit IO. MELCH. KRAFFTIVS, qui ſpeciatim & illud monet, multa, ſuper quibus inter FRANCKIVM & eius cenſores diſputatum fuit, ex antiquioribus & probatis verſionis LVTHERI editionibus decidi poſſe; in *emendandis & corrigendis quibusdam in hiſtoria verſionis germanicae &c. Io. Fr. Mayeri §. XVII. p. 38.* Ceterum cum in eo omnes harum rerum periti conueniant, verſionem LVTHERI non vbique cum textu originali conſentire; conſultum autem non ſit, nouam verſionem cudere; quaeri ſolet, annon emendatio quaedam ſit neceſſaria? cumque hoc negari nequeat, quo pacto ea inſtituenda, ne nouis diſſenſionibus occaſio praebeatur, & hac ratione eccleſiae tranquillitas turbetur? Id vero eſt, quod adcurate ſibi diſcutiendum ſumſit GVST. GEO. ZELTNERVS, theologus Altdorffinus, celeberrimus, in *diſſert. de nouis biblior. verſion. germ. non temere vulgandis c. IV. p. 95. ſeqq.* Et ita quidem praecipua momenta, quae de verſione LVTHERI obſeruatu digna ſunt, me delibaſſe, exiſtimo; de qua plura dabunt viri iſti docti, quos paſſim iam laudauimus, quibus & addendi, quos CHR. MATTH. PFAFFIVS commemorat, in *introd. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſ. illuſtrata, part. I. lib. I.* ad *§. VIII. p. 132.*

Cum multis, praeſertim pontificiis, verſio LVTHERI, vt antea dictum, diſpli-

Digitized by Google

pliceret; nec tamen impedire poſſent, quo minus certatim ab omnibus legeretur: hoc tandem ſupereſſe, nonnulli crediderunt, vt nouas & ipſi verſiones cuderent. Id prae ceteris egit HIERON. EMSERVS, inter Lutheri aduerſarios haud vltimus, & ob infelicem verſionis iſtius ſucceſſum illi paſſim vapulans. Cum enim initio ad verſionem Lutheri omni auctoritate exuendam, notis ſuis, an. 1523 Lipſiae editis, eam perſtrinxiſſet: tandem & nouam omnino noui teſtamenti verſionem in lucem emittere, conſultum duxit, idque haud difficulter perfecit, quoniam ſuam, maximam partem, impudenti & ridiculo plagio, ex verſione LVTHERI exſcripſit, aut hanc potius pro ſua venditauit. Prodiit ea Dresdae an. 1527. fol. moxque variis in locis mutata ac interpolata, recuſa eſt Lipſiae, 8. Praemiſſae huic verſioni litterae Georgii, ducis Saxoniae, inſtar praefationis, ſeu prologi galeati, quibus duriſſima quaeque in Lutherum ac eius adſeclas pronuntiabat, eiusque verſionem damnabat, quam tamen ſimul in verſione EMSERI, vtpote maximam partem ex illa deſumta, commendabat. Sed legendi de hacce verſione CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcript. ſacr. editionibus c. XXV. §. XVII. XVIII.* VITVS LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheraniſmi lib. I. ſect. LII. §. CXXVII.* IO. FRID. MAYERVS, *hiſt. verſ. germ. bibl. Luth c. VII. §. VI. p. 82. 83.* GVST. GE. ZELTNERVS, *de nouis biblior. verſionib. germ. non temere vulgandis, c. I. §. V. p. 4.* EMSERI veſtigia ſequutus eſt IO. ECKIVS, theologus Ingolſtadienſis, famoſus & ipſe Lutheri hoſtis; cui licet nonnulli totius ſcripturae ſacrae translationem tribuant; rectius tamen ſentiunt, qui, vetus tantum teſtamentum ab eo in linguam germanicam conuerſum, autumant. Ita ſane RICH. SIMON in *catalogo praecipuarum ſacri codicis editionum*, eiusdem *hiſtor. crit. vet. teſtam.* ſubiecto, *p. m. 532.* vbi diſerte dicit, IOAN. ECKIVM vetus, & IO. EMSERVM nouum teſtamentum, vtrumque ex latina vulgata, in germanicam linguam transtuliſſe. Hinc & in *hiſtor. crit. verſion. nou. teſtament.* nullam illius mentionem facit. Sic & a IAC. LE LONG memoratur editio bibliorum germanica, interprete, qua vetus teſtamentum, IO. ECKIO, qua nouum HIERON. EMSERO, quae an. 1537 prodierit; *biblioth. ſacr. c. IX. ſect. II. p. 192.* vbi & talia ex *epiſtola dedicatoria* adferuntur, ex quibus abunde intelligitur, ab ECKIO ſolum vetus teſtamentum in linguam germanicam conuerſum. Conferendi & CHR. KORTHOLTVS, *l. c. §. XX. p. 333.* & GVST. GE. ZELTNERVS, *l. c. cap. I. §. VII. p. 6.* Vniuerſam equidem ſcripturam ſacram eodem circiter tempore in linguam germanicam transfudit IO. DIETEMBERGERVS; at aeque, ac ECKIVS, non ex fontibus, ſed ex verſione latina vulgata. Linguae ebraeae enim ſe prorſus rudem fuiſſe, ipſemet non diſſimulat in *epiſtola dedicatoria ad Albertum II. electorem & archiepiſcopum Moguntinum.* Nouum teſtamentum eum ex EMSERI translatione fere retinuiſſe, obſeruat IO. FRID. MAYERVS, *hiſt. verſ. german. bibl. Luth. cap. VII. §. VIII. p. 84.* Saltem Dietembergerianam ab Emſeriana vix quidquam differre, etiam CHRIST. KORTHOLTVS monuit, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus, c. XXV. §. XXI.* Ipſum vero DIETEMBERGERVM nihil fere aliud feciſſe, quam vt LVTHERI verſionem optimam, horrido dicendi genere, erroribusque verſionis vulgatae corrumperet, ac adulteraret; iudicarunt, qui vtramque inter ſe contulerunt. Nec ſine ratione de ea pronuntiat GVST. GE. ZELTNERVS: *Quanta vero fuit & huius in deſcribendo Luthero audacia, tanta in eodem proterue exagitando adparet petulantia, quam in praefationibus adnotationibusque, libris Moſaicis praecipue adiectis,* editio-

vt ſtilus quoque romani ſermonis indolem referat. Lucem primum adſpexit Herbornae an. 1602 ad 3, tribus voluminibus in 4. Dogmatibus porro reformatorum dum multis in locis data opera adcommodata videretur; varia, quae in ea reprehenderent, inuenerunt PAVL. ROEDERVS & PETR. PISCATOR, theologus Ienenſis, qui peculiaribus id egerunt ſcriptis, itemque BALTH. MENTZERVS, in *diſputatione theologica de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo, & inprimis cauſſa eius meritoria, tomo III. diſputationum Gieſſenſium num. XV. p. 434. ſeqq.* IO. HIMMELIVS, in *harmonia Caluino-papiſt. part. I. p. 28.* aliique. Conferendi CHR. KORTHOLTVS, de *variis ſcripturae ſacrae editionibus c. XXV. §. XXV. p. 336.* & GVST. GE. ZELTNERVS, *l. c. §. VIII. p. 7. 8.* Editiones indicantur in IACOBI LE LONG *bibliotheca ſacra, c. IX. ſect. VI. p. 257. ſeqq.* Fuerunt & ex eiusdem eccleſiae reformatae ſacra ſequentibus, qui ſpeciatim nouum teſtamentum in linguam germanicam denuo transferrent. Id namque circa initium ſaeculi decimi ſeptimi AMANDVM POLANVM A POLANSDORF, Oppauia-Sileſium, theologiae doctorem Baſileenſem, egiſſe, conſtat: de quo conferendus GVST. GE. ZELTNERVS, *l. c. c. I. §. VIII. p. 8.* Recentiori autem aetate hocce munus in ſe ſuſcepit IO. HENR. REITZIVS, Bremenſis, & miniſter verbi diuini, aliquamdiu Berlenburgicus, in comitatu Saynenſi; quo tamen deinceps ſe abdicauit munere. Reformatae eccleſiae ſequebatur ſacra, famamque eruditionis *adnotationibus* ſuis in THOM. GOODWINI librum, *Moſes & Aaron* inſcriptum, itemque *commentatione de prudentia eccleſiaſtica*, adeptus, deinde in fanaticiſmi ſuſpicionem venit, praeſertim, cum librum: *Vortrag von der Gerechtigkeit, die wir aus vnd durch Iehoua durch den Glauben haben*, anno 1701 edidiſſet. Verſio eius, inſcripta: *das neue Teſtament vnſers Herrn Ieſu Chriſti, auffs neue ausm Grund verteutſchet, vnd mit Anziehung der verſchiedenen Leſungen, vnd vieler übereinſtimmenden Schrifft Oerter verſehen*, Offenbaci ad Moenum primum prodiit, an. 1703, 8. recuſa deinceps Erlangi an. 1706. Auctorem textui graeco ita inhaerere, vt linguae germanicae nullam habeat rationem, verſionemque adeo hancce horridam, minusque perſpicuam eſſe; viris doctis dudum obſeruatum eſt. Idemque ex THOM. ITTIGII *praefat. in biblia germanica*, Lipſiae 1708 excuſa, docet CHRIST. FRID. BOERNERVS, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram c. IX. ſect. VI. p. 266.* In notulis & variantibus lectionibus, quas REITZIVS addidit, eum aliquid monſtri alere, oſtenditur in *den vnſchuldigen Nachrichten ad an. 1710. part. X. p. 616.* Eadem vero haecce verſio REITZII cum etiam inſerta ſit *bibliis pentaplis* quae Wandesbeckii excuſa ſunt; de his vt aliquid addamus, ipſa inſtituti noſtri poſtulat ratio. Primum nimirum prodiit *nouum teſtamentum* ſiue *das neue Teſtament, oder der neue Bund welchen Gott durch Ieſum Chriſtum mit vns Menſchen gemacht, vnd durch deſſen Apoſtel vnd Lehriünger, erſtlich in griechiſcher Sprache ſchrifftlich auffzeichnen laſſen; ietzo nach den gebraeuchlichſten 4 hochteutſchen Vberſetzungen, nebſt der hollaendiſchen, da immer eine die andere erklaebret, dem chriſtlich teutſchen Leſer zu dienſt zum Druck befoerdert &c. gedruckt vnd verlegt durch Hermann Heinrich Holle, Buchdrucker in Wandesbeck bey Hamburg*, an. 1710, 4. Nimirum ita opus hoc eſt diſpoſitum, vt ſingulae paginae in quinque columnis ſiſtant primo verſionem CASP. VLENBERGII, romanenſibus probatam, tum beati LVTHERI noſtri, porro IO. PISCATORIS, quae apud reformatos recepta eſt, quarto loco nouam, ſeu IO. HENR. REITZII, & tandem belgicam. Omnium quo-

Digitized by Google

que iſtorum interpretum hic exhibentur praefationes; toti autem operi velut introductionis loco praemittitur *kurtzer Begriff des neuen Bundes, welchen Gott durch Jeſum Chriſtum mit uns Menſchen gemacht*; in adpendice autem ſcripta quaedam apocrypha noui teſtamenti comparent, itidem in linguam germanicam translata, vt *epiſtola Pauli ad Laodicenſes; epiſtola Barnabae; binae epiſtolae Clementis ad Corinthios; epiſtola Polycarpi ad Philippenſes, Smyrnenſis eccleſiae epiſtola de martyrio Polycarpi; Ignatii epiſtola ad Smyrnaeos, ad Polycarpum, ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Philadelphienſes, ad Trallianos, ad Romanos; Philonis & Agathopodis epiſtola de martyrio Ignatii*; porro *Ignatii epiſtolae ad Tarſenſes, ad Antiochenos, ad Heronem diaconum eccleſiae Antiochenae, ad Philippenſes.* Nouum teſtamentum deinceps excepit vetus, in cuius columna prima verſio itidem CASP. VLENBERGII, in ſecunda B. MART. LVTHERI, in tertia IO. PISCATORIS, in quarta iudaica, ſiue ebraeo-germanica IOSEPHI ATHIAE (de qua deinceps dicemus) & in quinta denique belgica, conſpicitur. Pars prior, pentateuchum & libros hiſtoricos cum libro Iobi continens, an. 1711; poſterior autem, reliquos libros biblicos veteris teſtamenti complectens, an. 1712 lucem publicam adſpexit. Acceſſerunt etiam *libri apocryphi veteris teſtamenti* ex diuerſis interpretationibus. Subiunctum denique eſt germanice MATTH. HILLERI *onomaſticon ſacrum*, aliaque quaedam, ad geographiam & chronologiam ſacram ſpectantia, addita. Cenſuram hocce opus expertum eſt MICH. BERNI, paſtoris Wandesbeckienſis, vtpote qui edidit *Entdeckung des Greuel-Weſens, welches mit denen bibliis pentaplis die ſo genannte neue Chriſten vorhaben*, Hamburgi an. 1710, 4. Cuius ſcripti ſumma exhibetur in *den unſchuldigen Nachrichten*, ad *an. 1711, part. I, p. 127.* Legenda &, quae de iſtius operis nouo teſtamento monentur in iisdem *relationibus innocuis* ad *an. 1710. part. X. p. 615. ſeqq.*

Ex anabaptiſtarum grege LVD. HETZERVS, gente Bauarus, & ob varia delicta capitali tandem ſupplicio adfectus, prophetarum veteris teſtamenti verſionem, a IO. DENCKIO adiutus, adornauit Wormatiae Vangionum an. 1527, 8. impreſſam, & Auguſtae Vindelicorum an. 1528, fol. recuſam. Induſtriam in ea adhibitam ipſe laudat LVTHERVS: licet, auctorem Iudaeorum commentis plus, quam decet, indulſiſſe, exiſtimet; *tomo V. Ienenſ. german. fol. 143.* Integra deinceps biblia Wormatiae an. 1529 prodierunt, quae & ideo *Wormatienſia* vocari ſolent; ad quae procuranda eumdem LVD. HETZERVM & IO. DENCKIVM plurimum operae contuliſſe, nonnulli exiſtimant. Ita ſane auctores *innocuarum relationum*, ſiue *der unſchuldigen Nachrichten*, ad *an. 1706, part. VI. p. 329.* Sed rem non plane confectam eſſe, temporumque obſtare quodammodo rationes, oſtendit GVST. GE. ZELTNERVS, *l. c. cap. III. §. III. p. 51.* Immo, biblia haecce Wormatienſia, neque auctores habere HETZERVM atque DENCKIVM, nec catholicam eſſe verſionem, ad vulgatam expreſſam, & ante LVTHERVM conditam, vt WILH. ERN. TENTZELIVS ſibi perſuaſit; ſolide demonſtrauit THOM. ITTIGIVS, in *praefatione*, bibliis germanicis, Lipſiae an. 1708 excuſis, praemiſſa; quod & CHRIST. FRID. BOERNERO obſeruatum, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram c. IX. ſect. VII. p. 267.* Portentoſum autem, prorſusque incredibile eſt, PAVLI FELGENHAVERI, hominis fanatici, commentum, quo adfirmare auſus eſt, biblia haecce Wormatienſia genuinam LVTHERI exhibere verſionem: cum enim haec prodiiſſet; a ciue quodam Lipſienſi, linguae ebraeae perito,

perito, verſionem aliam LVTHERO ſuppeditatam, ab eoque adoptatam, iſtamque, licet minus genuinam, in editionibus ſequentibus pro LVTHERI verſione exhibitam. Sed vt fabulam hancce, longe abſurdiſſimam, ſolide profligarunt IO. DIECMANNVS, in *praefatione* bibliis, Stadae an. 1702. fol. editis, praemiſſa, & THOM. ITTIGIVS, *l. c.* ita originem eius ſollerter detexit GVST. GEO. ZELTNERVS, *l. c. cap. III. §. III. p. 51.* Fanaticorum dum iniecimus mentionem; facere nequeo, quin moneam, nouam illam verſionem germanicam bibliorum, quae cum adnotationibus Berlenburgi imprimitur, in ſuſpicionem veniſſe, ac ſi quaedam, fanaticorum opinionibus fauentia, adſperſa ſint; ſimul tamen ſpes facta, fore, vt ea iterum tollantur, atque, ne talia porro miſceantur, proſpiciatur. Quibus promiſſis an euentus reſponſurus ſit? dies docebit. Legenda, quae de hocce opere biblico referuntur in *der fortgeſetzten Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen*, ad *annum 1725 part. V. p. 819.* Nec praetermittendi hic ſunt Sociniani, quippe qui itidem verſionem, placitis ſuis conformem, aptarunt. Saltem nouum teſtamentum, erroribus ſuis adcommodatum, in lucem emittere, conſultum duxerunt; vtpote in quo errores ſuos luculenter nimis damnari, intelligebant, ſi verſio textui conformis in omnium manibus verſaretur. Laborem itaque huncce in ſe ſuſceperunt IOAN. CRELLIVS & IOACH. STEGMANNVS, homines in hacce ſecta notiſſimi. Lucem haec verſio adſpexit Racouiae anno 1630. 8. Praefatio eidem eſt addita, cuius vulgo GEO. ENIEDINVS, vir haud obſcuri apud eosdem homines nominis, auctor creditur. Sed cum dudum antea ille diem ſuum obierit, anno 1597; non ſine ratione, praeeunte CHRISTOPH. SANDIO, *bibliothec. antitrinitar. p. 84.* de eo dubitat GVST. GEO. ZELTNERVS, *l. c. cap. I. §. XI. pag. 15.* Hancce autem praefationem, cuiuscumque demum ſit, conſilium ſcopumque iſtius verſionis luculenter prodere; recte viris doctis obſeruatum eſt. Conferenda, quae de verſione illa monent CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus, cap. XXV. §. XXVI. pag. 337.* & THOM. ITTIGIVS, in *praefatione*, bibliis germanicis, an. 1708 Lipſiae editis, praemiſſa. Eiusdem fere commatis eſt verſio germanica noui teſtamenti, quam IEREM. FELBINGERVS, qui Arianorum reſuſcitare placita in animum induxit, concinnauit, quaeue Amſtelodami an. 1640. 8. lucem adſpexit. Non tantum enim, quid praeiudicatae valeant opiniones, in ea demonſtrauit; ſed &, vt eo facilius, quod ſibi propoſuerat, conſequeretur, STEPH. CVRCELLAEI lectiones variantes inſtituto ſuo adcommodauit, immo nouas interdum ipſemet excogitaſſe viſus eſt. Plura & de hacce verſione viri iſti doctiſſimi, quos ſaepe iam laudauimus, KORTHOLTVS, ITTIGIVS, ZELTNERVS, dabunt.

Ex noſtratibus IOAN. SAVBERTVM iuniorem, circa an. 1665 conſilium, de noua verſione germanica conficienda, ſuſcepiſſe, ſed eo ſucceſſu, vt lucubrationes illae, grauiſſimis de cauſſis, quamquam iam prelo paratae, principis iuſſu, in bibliothecae Guelferbytanae ſcriniis abſconderentur, obſeruationibus melioris commatis *operibus* SAVBERTI *poſthumis* inſertis; ſupra iam *libro I. cap. IV.* ad *§. VI.* obſeruauimus. Laudauimus quoque ibidem GVST. GEO. ZELTNERVM, qui in *diſſert. de nouis bibliorum verſion. germ. non temere vulgandis, c. I. §. XIII. p. 16.* idem refert. Ita autem vir iſte doctiſſimus hac de re loquitur, vt dubitet, num SAVBERTVS ſponte ſua, an ex imperio Auguſti ducis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis, id negotii in ſe ſuſceperit. Repetit id alibi additque: *noluimus enim quidquam definire, cum teſtan-*

ſtantis de ſe Sauberti, ſibi id imperatum eſſe aientis, aliorumque obloquentium & contraria adfirmantium, certe ſuſpicatorum, ea tempeſtate virorum opiniones non ignoraremus; in *vitis theologor. Altdorphinor. pag. 399.* At non propria voluntate, ſed auctoritate principis, SAVBERTVM ad hocce opus acceſſiſſe, acriter contendit HERM. CONRIGIVS: vt itidem ſupra *l. c.* monuimus. Adſerit autem, quem iam laudauimus, vir clariſſimus ZELTNERVS porro, SAVBERTVM laborem huncce *inter multos ſudores, & recognitiones diligentiſſime inſtitutas ad XVII caput, libri I Samuelis perduxiſſe, in quo formis denique excuſo prelum ſubſtiterit. Cuius interrupti*, ita pergit, *atque ſubito ceſſantis operis finem non alia ex cauſſa, quam quod ipſe laudatiſſimus princeps hoc tempore anno 1660. inter mortales eſſe deſineret, deriuandum eſſe, cum res ipſa docet, tum etiam temporum rationes comprobant; l. c. p. 399.* Copioſe etiam de hacce SAVBERTI verſione diſſerit CHR. FRID. BOERNERVS, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram c. IX. ſect. III. p. 220. ſeqq.* Specimen ibi aliquod eius exhibet, deque ipſa hacce verſione ita pronuntiat: *Ac primo quidem de ipſa translatione notandum eſt, illam ſaepe quidem a verbis atque ſententia Lutheri recedere, ſaepius autem Lutherum preſſe ſequi, vt adeo non noua haec, ſed verſio Lutheri mutata paſſim atque interpolata eſſe videatur. In iis autem locis, quae a Lutheri verſione diſcrepant, interpretem, rabbinorum expoſitionibus plus nimium fauere, literamque textus ebraici contra indolem linguae germanicae ſuperſtitioſe exprimere, theologus quidam Vitembergenſis, cuius cenſurae ſpecimen ſupra memoratum transmiſſum fuit, notauit. Singulis capitibus noua ſummaria praefixa ſunt, loca parallela in margine addita, & loco gloſſarum Lutheri marginalium in fine cuiusque capitis noua ſcholia ſubiiciuntur, quae quidem theologi modo memorati iudicio partim ſunt inutilia, partim iudaizantia &c.* Neſcio, an noſtratibus adnumerare debeam CASP. ERN. TRILLERVM. Etſi enim initio eccleſiae noſtrae doctrinam profeſſus eſt; ab ea tamen in quibusdam haud exigui momenti capitibus ſe alienum eſſe, deinceps demonſtrauit; hinc & munere rectoris, quo in ſchola Ilefeldenſi fungebatur, exutus eſt. Mentem ſuam ſatis prodidit, cum *inueſtigationem locorum quorumdam noui teſtamenti*, ſiue *Vnterſuchung etlicher Oerter des neuen Teſtaments, die wegen bisher ubler Vberſetzung die Warheit auffgehalten haben, auff allergnaedigſten Befehl einer hohen perſon gedruckt;* Dantiſci 1699. 16. ederet. Sequuta eſt mox eiusdem *inueſtigationis* continuatio, ſiue *pars altera*, inſcripta: *der andere Theil der Vnterſuchung etlicher Oerter des neuen Teſtaments, von behutſamer Anfuhrung der heiligen Schrifft*, ſine loci mentione an. 1702. Vtraque pars, cum *obſeruationibus biblicis*, aliisque ſcriptis AVG. HERM. FRANCKII, eo inſcio, & inuito, vt ſupra iam monuimus, iunctim editis, recuſa fuit. Quorſum iſta TRILLERI *inueſtigatio* tenderit, & quam infeliciter in hoc labore verſatus ſit; peculiari diſſertatione, an. 1700 oſtendit IO. FECHTIVS, theologus quondam Roſtochienſis longe celeberrimus. Sed TRILLERVS a ſuo inſtituto ſe deterreri paſſus non eſt; quin potius nouam tandem noui teſtamenti verſionem dedit inſcriptam: *eine mit dem Grund-text genauer übereintreffende Vberſetzung des neuen Teſtaments;* Amſtelodami, ſi inſcriptioni credendum, an. 1703. 8. Id conſtitutum auctori fuiſſe, vt a verſione LVTHERI etiam ſine neceſſitate diſcederet; cuiuis, vel prima fronte hanc verſionem intuenti, patet: quamquam ne ſic quidem efficere potuerit, quin pluribus in locis vel inuitus verba Lutheri retinuerit. Dum autem textum graecum adcurate exprimere adnititur; linguae germanicae nullam

nullam habet rationem. Perperam quidem; quidquid & ille, & alii, hac de re ſentiant. Vt enim prima interpretis laus eſt, textum ſumma fide exprimere; ita non minor, perſpicuo & plano hoc facere ſermonis genere. Etenim hoc ſi negligatur; verſionem non modo barbaram, ſed & obſcuram, & quae intelligi nequeat, inde oriri, neceſſe eſt. Nullus quoque inde ad lectores redundabit fructus, praeſertim ſi idem ſenſus elegantius & magis perſpicue exprimi poſſit. Deinde, an iis etiam in locis, vbi ſenſum textus originalis, rectius quam LVTHERVS expreſſiſſe, videri voluit TRILLERVS, rem acu tetigerit? adhuc quaeri poſſet. Certe non tetigiſſe, nec ſenſum textus graeci vbique eum adſequutum, exmplis probari poſſet, ſi hoc nunc agerem. Legenda de hiſce *cenſura verſionis noui teſtamenti Trillerianae*, quam *obſeruationibus* ſuis *ſacris in euangelium Matthaei* inſeruit GOTTFR. OLEARIVS, *obſeruat. XV.* ad *Matth. IV. 41. p. 149. ſeqq.* Maioris adhuc momenti eſt, quod & res ipſa docet, & THOMAS quoque ITTIGIVS, in *praefatione*, editioni *biblior. germ.* quae Lipſiae an. 1708 prodierunt, praemiſſa, obſeruat, verſionem hancce *erroneam auctoris ſententiam, circa doctrinam de ſatisfactione Chriſti, & iuſtificatione per ſolam fidem, in locis, quae huc pertinent, ſatis ſuperque prodere.* Hoc & repetit CHR. FRID. BOERNERVS, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram, c. IX. ſect. III. p. 240.*

Priusquam autem a verſionibus germanicis ſcripturae ſacrae diſcedamus; de illis quoque, qui ebraeo-germanicas, lingua ſcilicet Iudaeis inter Germanos vernacula, dederunt, aliquid dicendum eſt. Et primus quidem, qui totum vetus teſtamentum in linguam ebraeo-germanicam tranſtulit, fuit IOSEPH. IOSEL, filius ALEXANDRI, per compendium IOSEL WITZENHAVSEN adpellatus, mercede a IOS. ATHIA, typographo Amſtelodamenſi, conductus. Prodiit haecce verſio, cum interpretis & typographi praefatione, Amſtelodami an. 1679. fol. & iterum anno 1687. Inſerta quoque ſub IOS. ATHIAE (qui tamen typographi ſolum functus eſt munere) nomine fuit *bibliis pentaplis Wandesbeckienſibus*, de quibus ſupra verba fecimus. Eodem fere tempore iſtiusmodi laborem in ſe ſuſcepit R. IEKVTHIEL BEN ISAAC BLITZ, Vitmundenſis, typographi munere fungente VRI VEIBSCH, filio AARONIS, Leuita, verſionemque ſuam itidem Amſtelodami an. 1679. fol. publicae luci expoſuit. Solet a quibusdam VRI VEIBSCH auctor huius verſionis ferri: quos tamen interpretem cum typographo confundere, certum eſt. Ex duabus hiſce verſionibus prior, & Iudaeorum, & chriſtianorum, iudicio, poſteriori multum praefertur. Legendus de vtraque IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. II. ſect. VI. p. 453. ſeqq.* vbi & eos, qui partes quasdam veteris teſtamenti, itemque nouum teſtamentum in linguam ebraeo-germanicam conuerterunt, enarrat.

De verſionibus ſcripturae in reliquas linguas, hodie in Europa, alibique vſitatas, aliquid addere neceſſe non erit: cum pauci ex theologiae cultoribus iſtarum linguarum periti ſint, vt inde commodum aliquod referre queant. Si quis earum notitiam ſibi comparare cupit, adire poterit CHR. KORTHOLTVM, *de variis ſcripturae ſacrae editionib. cap. XXII. ſeqq.* vbi de verſione italica, gallica, hiſpanica, ceteriſque agit; AVG. PFEIFFERVM, in *critica ſacra, c. XIII. p. 465. ſeqq.* IACOB. LE LONG, in *biblioth. ſacra, cap. V. VI. ſeqq.* RICH. SIMONEM, in *hiſtor. critic. vet. teſtam. lib. II. cap. XXII.* & *ſeqq. p. 329. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. IX. p. 218. ſeqq.* & ſpeciatim, ad nouum teſtamentum quod attinet, RICH. SIMONEM, in *hiſtoria critica verſionum noui teſtamenti*, itemque IO. ALB. FABRICIVM, *biblioth.*

biblioth. graec. lib. IV. cap. V. §. XVIII. p. 191. De gallicanis ſolum verſionibus obſeruamus, inter recentiores magnam eius eſſe celebritatem, quae Montenſis dicitur, quia Montium Hannoniae nomen pleraeque editiones in fronte gerunt: quamuis nonnulli adſerant, nullam ibi prelo ſubiectam eſſe. Vocatur & verſio Ianſeniſtarum, quoniam a viris doctis, qui haſce partes ſequuntur, concinnata eſt; immo ſi quibusdam credimus, variis in locis illorum placitis adcommodata; lucemque primum adſpexit an. 1667 ſaepiſſimeque exinde, ſed non ſine mutationibus quibusdam recuſa eſt. Auctores ſunt ISAAC LVD. LE MAITRE, vulgo de SACI dictus (quod tamen nomen fictum eſt, ex transpoſitis vocis ISAAC litteris formatum) & PETR. THOM. DV FOSSE; quibus & nonnulli ANTON. ARNALDVM, Ianſeniſtarum ſuo tempore anteſignanum, addunt. Immo ANTON. LE MAITRE, primum quatuor euangelia transtuliſſe, eamque verſionem diligenter recognouiſſe; & reliquorum noui teſtamenti librorum translationem, viros iſtos doctos, quos laudauimus, & cumprimis ANTON. ARNALDVM, cum aliis quibusdam, adieciſſe; nonnulli tradunt. Legenda, quae hac de re refert IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. cap. V. p. 77. ſeqq.* Cum vero haecce verſio & Ianſeniſmo quauis occaſione velificari, vulgataeque latinae verſionis fidem labefactare, crederetur; praeſulum quorumdam eccleſiae gallicanae non exiguam experta eſt indignationem. Primus ei ſe oppoſuit Pariſienſium eo tempore archi-epiſcopus, duabus promulgatis ſanctionibus; cuius exemplum & alii ſequuti ſunt. Acceſſit an. 1667 auctoritas *regii*, vt vocant, *ſtatus conſilii*; hinc & pontificum Romanorum Clementis IX & deinceps Innocentii XI, a quibus verſio haecce damnata fuit, atroque notata lapillo. Neque defuerunt, qui variis opuſculis eamdem perſtringerent, quos inter eminent MALLETVS, dioeceſeos Rhotomagenſis vicarius, & LVD. MAIMBVRGIVS: quibus tamen rurſus Ianſeniſtae ſtrenue obuiam iuerunt, quorum quaedam huc ſpectantia ſcripta indicantur, in *actis eruditor. Lipſienſib.* ad *ann. 1686 menſe April. p. 201.* In MALLETVM cum calamum ſtrinxiſſet ANT. ARNALDVS, *dans la nouvelle defenſe de la verſion de Mons:* huic iterum obuiam itum *dans les obſervations ſur la nouvelle defenſe de la verſion françoiſe du nouveau teſtament imprimée a Mons, pour iuſtifier la conduite des papes, des evêques, & du Roi à l' egard de cette verſion* &c. quarum *obſeruationum* auctorem TELLERIVM, Ieſuitam notiſſimum, eſſe, ferunt. Summa earum exhibetur in *actis eruditor. Lipſienſib. l. c. pag. 201. ſeqq.* Inter acerrimos verſionis huius cenſores etiam referendus RICH. SIMON, qui eam ſub examen reuocat in *hiſtor. crit. verſion. nou. teſtam. cap. XXXV. ſeqq. p. 396. ſeqq.* De eadem etiam verba facit in *bibliotheca critica tom. III. cap. XVI. p. 177. ſeqq.* vbi negat, ſolum ANTON. ARNALDVM, quod quibusdam perſuaſum fuit, verſionis iſtius auctorem eſſe; immo illi vix quidquam aliud, quam confuſionem, quae in ea regnat, tribui poſſe, contendit. Cum enim in ipſa verſionis iſtius inſcriptione dicatur, eam ad *latinam vulgatam, adiectis diſcrepantiis graeci textus a latino*, adornatam eſſe; haſce diſcrepantias tamen ſeorſim non eſſe notatas, ſed ipſam verſionem interdum interpretem vulgatum, interdum textum graecum, quandoque & neutrum, ſequi; idque ex conſilio ARNALDI factum. Ceterum verſionem hancce Montenſem retinuit etiam PASCHAS. QVESNELLVS, in editione noui teſtamenti, qua iſtud obſeruationibus moralibus illuſtratum, dedit. Id tamen egiſſe QVESNELLVM, vt verſionem hanc vulgatae latinae magis attemperaret, adeoque loca iſta, in quibus textus graeci ratio potius habita, quam

Digitized by Google

quam verſionis vulgatae, mutaret; docet LVD. ELL. DV PIN, *prol gom. ſur la bible lib. I. cap. IX. pag. 222.* Reliqua, quae de editione haccc QVESNELLI obſeruatu digna ſunt, tradit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theologiae litterar. &c. part. I. lib. I.* ad *§. VII. p. 123.* Quod ſi ad eas, quae noſtra aetate concinnatae ſunt, verſiones gallicas accedamus; cum primis ea ſe offert, quae RICH. SIMONEM auctorem agnoſcit, & Treuoltii an. 1702 quatuor voluminibus in 8 prodiit, annoque ſequenti, Rothomagi recuſa fuit. Eam ſecundum verſionem vulgatam latinam confectam fuiſſe; ipſa quemlibet condocere poteſt inſcriptio: cuius inſtituti ſui rationem auctor in *praefatione* reddidit. In *notis* tamen, quas adiecit, *criticis*, textum quoque originalem in ſubſidium vocat, & quo pacto ipſa vulgata ad eum emendari debeat, interdum oſtendit. Elogium verſionis huius legere licet in *actis eruditor. Lipſienſib.* ad *an. 1704. menſe Febr. pag. 80.* vbi inter alia dicitur *non perfunctorie conſcripta, ſed ſingulari cum cura ad correctiſſimum editionis vulgatae exemplar confecta.* At non omnibus ideo placuit. Quin immo, cum NOALLIVS, cardinalis & archiepiſcopus Pariſienſis, quaedam reprehenſione digna in ea occurrere, animaduertiſſet; decreto, an. 1702 promulgato, prohibuit, ne in Pariſienſi dioeceſi vulgaretur; ſed & IAC. BENIGN. BOSSVETVS duplici *inſtructione paſtorali*, an. 1702 & 1703 eamdem acriter perſtrinxit. Varia etiam in hacce verſione reprehenduntur, in *epiſtola*, quae exſtat *dans les memoires de Trevoux* ad *annum 1702. menſe Maio pag. 383. ſeqq.* editionis Amſtelodamenſis. Nec minus ſtrenue SIMON hancce verſionem ſuam defendit, peculiari ſcripto, itemque *tom. III. epiſtolar. ſelectar,* ſiue *lettres choiſies p. 260. ſeqq.* cumprimis & in *bibliotheca critica, tomo IV. ep. XXXV. ſeqq. p. 365. ſeqq.* Et in vltimo quidem loco ad cenſuram IAC. BENIGNI BOSSVETI reſpondet, atque Socinianiſmi ſuſpicionem, quam iſta verſione ſua auxerat, a ſe amoliri adnititur: a qua tamen an liberari prorſus queat, merito dubitaueris. Nec praetermittendus hic eſt IO. CLERICVS, cuius verſio noui teſtamenti in lucem emiſſa eſt, Amſtelodami, anno 1703. 4. Ea ex ipſo textu graeco expreſſa eſt, adiunctasque habet adnotationes vberiores, in quibus textus explicatur, aut verſionis ratio redditur. Vt vero & alias vir doctiſſimus HVG. GROTII veſtigiis inſiſtit: ita in hacce quoque paſſim hoc conſpicere licet verſione. Nec negandum, quod eam ſubinde hypotheſibus ſuis, praeiudicatisque animi opinionibus, adcommodauerit; certe in *adnotationibus* eas haud raro inculcat, atque defendit. Sic, licet *Ioan. I. 1.* vocem λόγος reddat per *verbum (parole)* in *adnotationibus* tamen docet, eam rectius verti per *rationem*, repetitque, quae de origine vocis, ex ſchola Platonis arceſſenda, iam alibi in medium protulerat. Verſionem hancce tam in Belgio federato, decreto ordinum generalium, & plurimarum ſynodorum, quam in ditione regis Boruſſiae, mandato ſacri tribunalis Berolinenſis, vtpote quae Sabellii Socinique erroribus faueat, damnatam proſcriptamque eſſe PETR. BAELIVS autumat, in *colloquiis*, ſiue *entretiens de Maxime & de Themiſt*, iis nimirum, in quibus IO. CLERICO reſpondet, *p. 67. ſeqq.* Exſtant enim & *colloquia*, eadem ratione inſcripta, oppoſita ISAACO IAQVELOTIO; vtraque excuſa Roterodami an. 1707. 8. De aliis verſionis huius cenſoribus, itemque iis, quae CLERICVS pro eius defenſione ſcripſit, conferendus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. I. lib. I.* ad §. *VIII. p. 126.* Atque idem vir doctiſſimus etiam reliquas verſiones gallicas ibidem enarrat, interque eas, quam clariſſimi viri DE BEAVSO-

SOBRE & LENFANT concinnarunt, quae Amſtelodami anno 1718. 4. lucem adſpexit. Nonnullas etiam a nobis praetermiſſas recenſet IACOBVS LE LONG, in *bibliotheca ſacra*, *cap. V. ſect. II. & III. pag. 36. ſeqq.*

§. VIII. Qui ex trium priorum ſaeculorum patribus ad ſcripturam ſacram explicandam aut illuſtrandam animum adiunxere ſuum; allegoricam fere interpretandi rationem, Iudaeis iam antea vſitatam, ſequuti ſunt. * Omnium autem ſtudium atque induſtriam ſaeculo tertio ſuperauit ORIGENES; qui, licet itidem allegoriis valde delectaretur; de litterali tamen etiam ſenſu eruendo ſollicitus fuit, diuerſosque modos ſcripturam explicandi, adhibuit. ** Exſtiterunt vero etiam in hocce temporis interuallo, qui de conciliandis ſcripturae locis, quae inter ſe pugnare videntur, praeſertim de quatuor euangeliorum harmonia, demonſtranda, eſſent ſolliciti. ***

* Poſtquam ipſum ſcripturae ſacrae textum, & verſiones praecipuas, conſiderauimus; ſupereſt, vt de illis etiam dicamus, qui eamdem explicationibus ſuis aut commentariis illuſtrare, vſumque, quem inde haurire debeamus oſtendere, adgreſſi ſunt. A prima autem ſi rem omnem deriuare velimus origine; obſeruandum, iam olim Iudaeos in veteris teſtamenti explicatione verſatos fuiſſe; ſuo tamen more, vt vel ex talmude perſpicere licet. Nimirum myſticam, allegoricamque apud eos, certe apud Phariſaeos, atque rabbanitas, obtinuiſſe interpretandi ſcripturam rationem, adeo manifeſtum eſt, vt negari nequeat, pluribusque in ſequentibus ad §. *XI.* comprobabitur. Atque hanc primitiuae eccleſiae doctores quoque ab iis accepiſſe, recte contendit RICH. SIMON, in *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. cap. I. p. 1. ſeqq.* Plurimum tamen etiam huc contulit philoſophiae Platonicae ſtudium, cui quosdam veteris eccleſiae doctores addictos fuiſſe, conſtat. Inter Iudaeos tempore apoſtolorum celeberrimus fuit PHILO, qui prae reliquis in allegorica hacce ſcripturae interpretatione excelluit, immo eousque progreſſus eſt, vt omnia fere in allegorias conuerteret: quem deinceps ORIGENES aliique ſequuti ſunt. Atque ORIGENEM quidem primum fuiſſe, qui commentariis ſcripturam ſacram illuſtrauerit; BEATVS RHENANVS, FRANC. SIXTVS Senenſis, atque GILB. GENEBRARDVS, adſerunt. Sed refellit eos PETR. DAN. HVETIVS; qui cum GENEBRARDI verba: *Et ſane omnium, quorum quidem in diuina ſcripta commentarii exſtent, fuit antiquiſſimus*, retuliſſet; addit: *Itane vero? antiquiorne Philone, qui tot ſcriptis bodieque ſuperſtitibus ſcripturas ſacras explanauit? antiquiorne Theophilo Antiocheno, cuius exſtant commentaria in quatuor euangelia? Vetuſtiores quoque fuerunt illo Melito Aſianus, qui librum ſcripſerat de apocalypſi Ioannis; & Rhodon, & Candidus & Appion, qui tractatus in hexaëmeron ſigillatim compoſuerunt; & Iudas, qui de ſeptuaginta apud Danielem hebdomadibus ſcripſit; Origenianor. lib. III. cap. II. ſect. I. §. I. p. 236.* Conferenda &, quae contra eamdem ſententiam, ORIGENEM primum fuiſſe, qui commentarios in ſcripturam ſacram ſcripſerit, diſſerit SEB. NANVS TILLEMONTIVS, *dans les memoires pour ſervir a l'hiſtoire eccleſiaſtique, tom. III. part. III.* in *Origene, artic. XXVIII. p. 215.* Inter chriſtianos itaque primo hic loco nobis commemorandus eſt THEOPHILVS Antiochenus. De eo HIERONYMVS: *Legi ſub nomine eius in euangelium &*

in

in prouerbia Salomonis commentarios; qui mihi cum ſuperiorum voluminum elegantia & phraſi non videntur congruere; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſt. cap. XXV. p. m. 47.* Exſtant etiam hodie adhuc ſub THEOPHILI nomine *commentariorum, ſiue allegoriarum in ſacra quatuor euangelia, libri quatuor,* ſed latine ſolum, in *bibliotheca maxima patrum, tom. II. part. II. pag. 165. ſeqq.* Nec tamen deſunt, qui hoſce libros latino cuidam ſcriptori recentioris aeui vindicant, qui eos ex genuinis THEOPHILI *commentariis* excerpſerit. Ita GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. ſaec. II. p. 31.* Sed conferenda, quae fuſe hac de re diſputat IO. ERN. GRABIVS, in *ſpicilegio patrum vt & haereticorum ſaeculi II. p. 221. ſeqq.* qui & ibidem fragmentum *commentariorum* THEOPHILI in *euangelia* ex HIERONYMO, & aliud *commentariorum* eius in *canticum canticorum,* ex EVSEBIO exhibet. Interim tum ex *commentariis* THEOPHILI in *quatuor euangelia,* quae hodie exſtant, tum ex iis, quae ex illis refert HIERONYMVS, conſtat, allegoricam eum ſequutum eſſe ſcripturam interpretandi rationem. De IRENAEO, TERTVLLIANO, CYPRIANO, aliisque idem dicendum; qui, licet ex inſtituto exegetica non ſcripſerint; in libris tamen ſuis dogmaticis pariter ac polemicis, ad ſcripturam ſacram ſaepe prouocant, & ea ratione illam explicant: quod exemplis demonſtrat RICH. SIMON, *hiſtor. critic. commentator. noui teſtam. c. I. pag. 8. ſeqq.* His iungendus CLEMENS Alexandrinus, tum ob alia ſcripta, tum maxime ob *ὑποτυπώσεων libros VIII.* in quibus vtriusque teſtamenti, veteris & noui, ſuccinctam enarrationem inſtituit: vnde & eos rectius ad theologiam exegeticam, quam dogmaticam referri, ſupra iam *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. VI.* obſeruauimus, vbi & alia quaedam de iis monuimus. Periiſſe iſtos libros, notum eſt, ſi fragmenta quaedam excipias, quae apud EVSEBIVM exſtant, *lib. I. hiſt. eccleſ. c. XII. lib. II. c. I. IX. XV. lib. VI. c. XIV.* Sunt tamen, qui putant, commentarios in epiſtolas canonicas, ſcilicet *priorem Petri, Ioannis primam & ſecundam,* itemque *Iudae,* qui ſub CLEMENTIS Alexandrini nomine in *bibliotheca maxima patrum, tom. III. p. 231. ſeqq.* leguntur, partem huius operis eſſe. Certe CLEMENTEM in haſce epiſtolas commentarios ſcripſiſſe, teſtatur CASSIODORVS: quamuis pro epiſtola Iudae eam, quae Iacobi eſt, ponat. *In epiſtolis,* inquit, *canonicis Clemens Alexandrinus presbyter, qui & ſtromatheus vocatur, id eſt, in epiſtola ſancti Petri prima, ſancti Ioannis prima & ſecunda, & Iacobi, Attico ſermone declarauit. Vbi multa quidem ſubtiliter, ſed aliqua incaute loquutus eſt; quae nos ita transferri fecimus in latinum, vt excluſis quibusdam offendiculis purificata doctrina eius ſecurior poſſet hauriri; diuinar. lection.* ſiue *de inſtitut. diuinar. ſcripturar. c. VIII. p. m. 454.* An vero hi commentarii iidem ſint, qui in *bibliotheca maxima patrum* exſtant; nonnulli adhuc dubitant. PHOTIVS, qui CLEMENTIS hoſce commentarios legit, plurimos in illis *ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους: impios & fabuloſos ſermones,* immo *blaſphemiarum portenta,* notauit; *cod. CIX. p. m. 286.* Suſpicatur tamen, haec ab alio quodam addita, fuiſſe, *cod. CXI. p. 287.* Refert etiam explicaſſe CLEMENTEM hac ratione ſummatim *geneſin, exodum, pſalmos, epiſtolas Pauli,* & *canonicas.* EVSEBIVS autem auctor eſt, totius ſcripturae ſacrae ſuccinctam enarrationem hoſce hypotypoſeon libros continuiſſe; *hiſtor. eccleſ. lib. VI. c. XIV.* vti iam *loco* antea *citato* obſeruauimus. Si RICH. SIMONI credimus, nihil aliud in hoc opere praeſtitit Alexandrinus CLEMENS, quam vt aliorum ſcriptorum eccleſiaſticorum, orthodoxorum pariter ac heterodoxorum, explicationes colligeret. Atque hinc factum, putat, vt impie & blaſpheme quaedam dicta in hiſce hypotypo-

ſerit PET. DAN. HVETIVS, *Origenian. lib. II. cap. II. quaeſt. XIII. §. IV. p. 174.* Atque ita quidem recte ORIGENES; qui nec in eo reprehendi poteſt, quod quaedam ita comparata eſſe, pronuntiauerit, vt niſi per allegoriam capiantur, vix poſſint ab homine ſapiente admitti. Exempla attuli, *diſſert. cit. §. XXIX. p. 178.* Sed in eo peccauit ORIGENES, idque caput cauſſae eſt, cur merito apud multos male audiat, quod ſaepius, allegoriarum ſtudio, ſenſum hiſtoricum ſeu litteralem negligat, atque contemnat, ſeu, allegorice explicanda, contendat, quae litteraliter & hiſtorice ſunt intelligenda, idque contra regulam hermeneuticam, ex ipſomet antea adlatam. Exempla congeſſit HVETIVS, *l. c. lib. II. c. II. quaeſt. XIII. §. II. p. 171.* Fieri hinc aliter non potuit, quam vt in errores grauiſſimos incideret; vt, cum hiſtoriam creationis in allegoriam conuertit, haec ita, vt a Moſe narrantur, geſta eſſe, negans. Rurſus tamen & in alterum extremum procurrit, litteraliter interpretando, quae metaphorice capienda erant. Idcirco, cum hac ratione verba Chriſti *Matth. XIX. 12.* perperam intellexiſſet, ſe euiraſſe dicitur: conferatur HVETIVS *l. c. cap. I. §. XIII. p. 8.* Sic & ab EVSTATHIO Antiocheno obiectum ORIGENI fuit, quod, cum cetera allegoriis peruertere ſolitus ſit, deos tamen illos, quos de terra adſcendentes videre ſe Sauli dicebat pythoniſſa *I. reg. XXVIII. 13.* ad litteram expoſuerit: obſeruante eodem HVETIO *l. c. lib. II. cap. II. quaeſt. XIII. §. V. p. 175.* Quae omnia luculenter demonſtrant, ORIGENEM non ſatis ſibi conſtitiſſe. Idque inde etiam euidens eſt, quod, cum alibi, vt antea docuimus, ſenſui litterali ſuam dignitatem ſeruare videatur, alibi tamen, allegoricum & litteralem inter ſe contendens, praeſtantiorem longe illum ac auguſtiorem eſſe, arbitretur. In hiſce itaque licet aberrauerit ORIGENES: diligentiae tamen & eruditionis laudem, quam in ſcriptura ſacra interpretanda conſequutus eſt, nemo illi iure denegabit.

Idem etiam, editionibus ſcripturae ſacrae ſummo ſtudio concinnatis, praeclare admodum de theologia exegetica meritus eſt. Hinc multorum encomiis celebrantur eiusdem *tetrapla, hexapla,* & *octapla*, ſeu, vt graece vocabantur, τετραπλᾶ, ἑξαπλᾶ &c. Illud vero nomen, vt a quadruplici, & ſextuplici ſcripturae textu, vno conſpectu per quatuor vel ſex collumnas poſito, acceperunt; ita etiam graece τετρασέλιδον *quadruplex columna*, ἑξασέλιδον *ſextuplex columna*, ὀκτασέλιδον *octuplex columna*, interdum vocantur. Conſtitutum autem in hocce opere ORIGENI fuit, diuerſas interpretationes lectorum oculis obiicere, vt eo facilius illas inter ſe comparare, & verum & genuinum ſenſum inueſtigare poſſent. Eum primum *hexapla*, deinde *tetrapla* concinnaſſe, recepta fere praeſtantiſſimorum virorum eſt ſententia; in qua & PET. DAN. HVETIVS verſatur, *Origenian. lib. III. c. II. ſect. IV. p. 255.* Verum BERNH. DE MONTFAVCON, in opere deinceps laudando, *tom. I. p. 9.* ORIGENEM primum *tetraplis*, deinde *hexaplis*, manum admouiſſe, contendit, rationibusque minime contemnendis euincit. *Tetrapla* itaque ita diſpoſita erant, vt prima columna exhiberet verſionem AQVILAE, altera SYMMACHI, tertia ſeptuaginta interpretum, & quarta denique THEODOTIONIS. Nimirum verſionem LXX interpretum tertio loco poſuit, vt ad eam, quam omnium exiſtimabat eſſe adcuratiſſimam, reliquae facilius exigi & examinari poſſent. In *hexaplis* hae ipſae verſiones eodem ordine erant collocatae, ſed vt prima columna textum ebraicum, litteris, non ſamaritanis, vt nonnulli putant, ſed ebraicis, ſine punctis vocalibus; ſecunda, eumdem textum ebraicum litteris graecis deſcri-

ſcriptum, exhiberet. Quintam deinceps & ſextam verſionem (de vtraque ſupra dictum) ſeu editionem Hierichuntinam & Nicopolitanam, in iis libris, quorum hae verſiones exſtabant, aliquando adiecit, vnde *octapla* exorta ſunt: quae tamen neutiquam peculiare aliquod, & ab hexaplis diſtinctum, opus conſtituebant, vt poſt HVETIVM, *l. c. §. V. p. 258.* recte monet BERNHARDVS DE MONTFAVCON, *l. c. p. 16.* Immo & aliquando *ſeptima* editio graeca addita fuit, quae nonam occuparet columnam, atque adeo *enneapla* conſtitueret: quamuis nomen *enneaplorum* non occurrat. At vocem πενταςελίδων, id eſt, *quinque columnarum opus*, ſemel in *notis ad Eſ. III. 24.* inueniri, obſeruat BERNH. DE MONTFAVCON, idque inde ortum putat, quod librarii quidam ebraicam columnam, litteris quippe ebraicis exaratam, prorſus omiſerint, aut, quod textus ebraicus, ſemel ebraicis, deinde graecis litteris expreſſus, pro vna columna reputatus ſit, *l. c. p. 6. ſqq.* Verſio LXX interpretum, quae in hexaplis illis exſtabat, diligenter emendata erat ex optimae notae codicibus, ſpeciatim Alexandrino illo in Serapeo; praeterea cum textu ebraeo, aut, vt alii volunt, cum verſione AQVILAE, ita collata, vt vbicumque aliquid in verſione LXX interpretum abundaret, id notaretur *obeliſco*, ſiue *virgula*; vbi deficeret nonnihil, hoc ex alia verſione, THEODOTIONIS maxime, ſuppleretur, atque *aſteriſco*, ſiue *ſtellula*, notaretur; vbi denique aliquid a LXX interpretibus redditum eſſet paullo obſcurius, ei ſub *lemniſci* nota adiungeretur altera magis perſpicua translatio e THEODOTIONE, nonnumquam & ex AQVILA vel SYMMACHO repetita. De vſu tamen *lemniſcorum* & *hypolemniſcorum*, viri docti non ſatis inter ſe conueniunt, vti ex iis conſtat, quae de illis diſputat BERNH. DE MONTFAVCON, *l. c. p. 40.* Legendi vero etiam de notis iſtis criticis ANDR. MASIVS, IO. MORINVS, HVMFR. HODIVS, aliique, laudati IO. ALB. FABRICIO, *biblioth. graec. lib. II. cap. II.* ad *§. XVIII. p. 274.* & *lib. III. c. XII.* ad *§. XII. p. 343.* Ceterum editio illa LXX interpretum verſionis, quae in *hexaplis* ORIGENIS exſtabat, & obelis, ceteriſque notis criticis, inſtructa erat, omnium praeſtantiſſima, & maxime incorrupta cenſebatur. Teſtis eſt HIERONYMVS: *Ea autem,* (editio LXX interpretum) *quae habetur in* ἑξαπλοῖς, *& quam nos vertimus, ipſa eſt, quae in eruditorum libris incorrupta & immaculata ſeptuaginta interpretum translatio reſeruatur. Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita & ab Ebraeorum auctoritate diſcordet; epiſt. ad Sunniam & Fretelam, tom. II. oper. p. 627.* editionis IO. MARTIANAEI. Idem autem HIERONYMVS obſeruat, iam ſua aetate in iſta verſionis LXX interpretum editione, *ſcriptorum negligentia, virgulis & aſteriſcis ſubtractis, diſtinctionem vniuerſam fuiſſe confuſam; l. c. p. 635.* Tanto itaque difficilius videtur, hodie ſigna iſta Origeniana reſtituere: quod tamen adgreſſus eſt IO. ERN. GRABIVS, in ſua verſionis LXX interpretum editione, quam ex codice Alexandrino dedit; de qua ſupra ad *§. V.* diximus. Ad reliquas autem verſiones graecas, quas ORIGENES in *hexaplis* ſuis exhibuit, quod attinet, AQVILAE ſcilicet, THEODOTIONIS & SYMMACHI; eas iam dudum interiiſſe, conſtat, vt earum tantum fragmenta quaedam ſuperſint, in quibus colligendis, poſt FLAMINIVM NOBILIVM, atque IO. DRVSIVM, ſtudium ſuum diligentiamque poſuit BERNH. DE MONTFAVCON, dum *hexaplorum Origenis, quae ſuperſunt, multis partibus auctiora, quam a Flaminio Nobilio & Ioanne Druſio edita fuerint, ex manuſcriptis & libris editis eruta, & notis illuſtrata,* euulgauit, Pariſiis an. 1713 duobus tomis in fol. vti itidem iam ſupra obſeruauimus.

Digitized by Google

que iſtorum interpretum hic exhibentur praefationes; toti autem operi velut introductionis loco praemittitur *kurtzer Begriff des neuen Bundes, welchen Gott durch Jeſum Chriſtum mit vns Menſchen gemacht*; in adpendice autem ſcripta quaedam apocrypha noui teſtamenti comparent, itidem in linguam germanicam translata, vt *epiſtola Pauli ad Laodicenſes*; *epiſtola Barnabae*; *binae epiſtolae Clementis ad Corinthios*; *epiſtola Polycarpi ad Philippenſes*, *Smyrnenſis eccleſiae epiſtola de martyrio Polycarpi*; *Ignatii epiſtola ad Smyrnaeos*, *ad Polycarpum*, *ad Epheſios*, *ad Magneſianos*, *ad Philadelphienſes*, *ad Trallianos*, *ad Romanos*; *Philonis & Agathopodis epiſtola de martyrio Ignatii*; porro *Ignatii epiſtolae ad Tarſenſes*, *ad Antiochenos*, *ad Heronem diaconum eccleſiae Antiochenae*, *ad Philippenſes*. Nouum teſtamentum deinceps excepit vetus, in cuius columna prima verſio itidem CASP. VLENBERGII, in ſecunda B. MART. LVTHERI, in tertia IO. PISCATORIS, in quarta iudaica, ſiue ebraeo-germanica IOSEPHI ATHIAE (de qua deinceps dicemus) & in quinta denique belgica, conſpicitur. Pars prior, pentateuchum & libros hiſtoricos cum libro Iobi continens, an. 1711; poſterior autem, reliquos libros biblicos veteris teſtamenti complectens, an. 1712 lucem publicam adſpexit. Acceſſerunt etiam *libri apocryphi veteris teſtamenti* ex diuerſis interpretationibus. Subiunctum denique eſt germanice MATTH. HILLERI *onomaſticon ſacrum*, aliaque quaedam, ad geographiam & chronologiam ſacram ſpectantia, addita. Cenſuram hocce opus expertum eſt MICH. BERNI, paſtoris Wandesbeckienſis, vtpote qui edidit *Entdeckung des Greuel-Weſens, welches mit denen bibliis pentaplis die ſo genannte neue Chriſten vorhaben*, Hamburgi an. 1710, 4. Cuius ſcripti ſumma exhibetur in *den unſchuldigen Nachrichten*, ad *an. 1711, part. I, p. 127*. Legenda &, quae de iſtius operis nouo teſtamento monentur in iisdem *relationibus innocuis* ad *an. 1710. part. X. p. 615. ſeqq.*

Ex anabaptiſtarum grege LVD. HETZERVS, gente Bauarus, & ob varia delicta capitali tandem ſupplicio adfectus, prophetarum veteris teſtamenti verſionem, a IO. DENCKIO adiutus, adornauit Wormatiae Vangionum an. 1527, 8. impreſſam, & Auguſtae Vindelicorum an. 1528, fol. recuſam. Induſtriam in ea adhibitam ipſe laudat LVTHERVS: licet, auctorem Iudaeorum commentis plus, quam decet, indulſiſſe, exiſtimet; *tomo V. Ienenſ. german. fol. 143*. Integra deinceps biblia Wormatiae an. 1529 prodierunt, quae & ideo *Wormatienſia* vocari ſolent; ad quae procuranda eumdem LVD. HETZERVM & IO. DENCKIVM plurimum operae contuliſſe, nonnulli exiſtimant. Ita ſane auctores *innocuarum relationum*, ſiue *der unſchuldigen Nachrichten*, ad *an. 1706, part. VI. p. 329*. Sed rem non plane confectam eſſe, temporumque obſtare quodammodo rationes, oſtendit GVST. GE. ZELTNERVS, *l. c. cap. III. §. III. p. 51*. Immo, biblia haecce Wormatienſia, neque auctores habere HETZERVM atque DENCKIVM, nec catholicam eſſe verſionem, ad vulgatam expreſſam, & ante LVTHERVM conditam, vt WILH. ERN. TENTZELIVS ſibi perſuaſit; ſolide demonſtrauit THOM. ITTIGIVS, in *praefatione*, bibliis germanicis, Lipſiae an. 1708 excuſis, praemiſſa; quod & CHRIST. FRID. BOERNERO obſeruatum, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram c. IX. ſect. VII. p. 267*. Portentoſum autem, prorſusque incredibile eſt, PAVLI FELGENHAVERI, hominis fanatici, commentum, quo adfirmare auſus eſt, biblia haecce Wormatienſia genuinam LVTHERI exhibere verſionem: cum enim haec prodiiſſet; a ciue quodam Lipſienſi, linguae ebraeae perito,

perito, verſionem aliam LVTHERO ſuppeditatam, ab eoque adoptatam, iſtamque, licet minus genuinam, in editionibus ſequentibus pro LVTHERI verſione exhibitam. Sed vt fabulam hancce, longe abſurdiſſimam, ſolide profligarunt IO. DIECMANNVS, in *praefatione* bibliis, Stadae an. 1702. fol. editis, praemiſſa, & THOM. ITTIGIVS, *l. c.* ita originem eius ſollerter detexit GVST. GEO. ZELTNERVS, *l. c. cap. III. §. III. p. 51.* Fanaticorum dum iniecimus mentionem; facere nequeo, quin moneam, nouam illam verſionem germanicam bibliorum, quae cum adnotationibus Berlenburgi imprimitur, in ſuſpicionem veniſſe, ac ſi quaedam, fanaticorum opinionibus fauentia, adſperſa ſint; ſimul tamen ſpes facta, fore, vt ea iterum tollantur, atque, ne talia porro miſceantur, proſpiciatur. Quibus promiſſis an euentus reſponſurus ſit? dies docebit. Legenda, quae de hocce opere biblico referuntur in *der fortgeſetzten Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen*, ad *annum 1725 part. V. p. 819.* Nec praetermittendi hic ſunt Sociniani, quippe qui itidem verſionem, placitis ſuis conformem, aptarunt. Saltem nouum teſtamentum, erroribus ſuis adcommodatum, in lucem emittere, conſultum duxerunt; vtpote in quo errores ſuos luculenter nimis damnari, intelligebant, ſi verſio textui conformis in omnium manibus verſaretur. Laborem itaque huncce in ſe ſuſceperunt IOAN. CRELLIVS & IOACH. STEGMANNVS, homines in hacce ſecta notiſſimi. Lucem haec verſio adſpexit Racouiae anno 1630. 8. Praefatio eidem eſt addita, cuius vulgo GEO. ENIEDINVS, vir haud obſcuri apud eosdem homines nominis, auctor creditur. Sed cum dudum antea ille diem ſuum obierit, anno 1597; non ſine ratione, praeeunte CHRISTOPH. SANDIO, *bibliothec. antitrinitar. p. 84.* de eo dubitat GVST. GEO. ZELTNERVS, *l. c. cap. I. §. XI. pag. 15.* Hancce autem praefationem, cuiuscumque demum ſit, conſilium ſcopumque iſtius verſionis luculenter prodere; recte viris doctis obſeruatum eſt. Conferenda, quae de verſione illa monent CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis ſcripturae ſacrae editionibus, cap. XXV. §. XXVI. pag. 337.* & THOM. ITTIGIVS, in *praefatione*, bibliis germanicis, an. 1708 Lipſiae editis, praemiſſa. Eiusdem fere commatis eſt verſio germanica noui teſtamenti, quam IEREM. FELBINGERVS, qui Arianorum reſuſcitare placita in animum induxit, concinnauit, quaeue Amſtelodami an. 1640. 8. lucem adſpexit. Non tantum enim, quid praeiudicatae valeant opiniones, in ea demonſtrauit; ſed &, vt eo facilius, quod ſibi propoſuerat, conſequeretur, STEPH. CVRCELLAEI lectiones variantes inſtituto ſuo adcommodauit, immo nouas interdum ipſemet excogitaſſe viſus eſt. Plura & de hacce verſione viri iſti doctiſſimi, quos ſaepe iam laudauimus, KORTHOLTVS, ITTIGIVS, ZELTNERVS, dabunt.

Ex noſtratibus IOAN. SAVBERTVM iuniorem, circa an. 1665 conſilium, de noua verſione germanica conficienda, ſuſcepiſſe, ſed eo ſucceſſu, vt lucubrationes illae, grauiſſimis de cauſſis, quamquam iam prelo paratae, principis iuſſu, in bibliothecae Guelferbytanae ſcriniis abſconderentur, obſeruationibus melioris commatis *operibus* SAVBERTI *poſthumis* inſertis; ſupra iam *libro I. cap. IV.* ad *§. VI.* obſeruauimus. Laudauimus quoque ibidem GVST. GEO. ZELTNERVM, qui in *diſſert. de nouis bibliorum verſion. germ. non temere vulgandis, c. I. §. XIII. p. 16.* idem refert. Ita autem vir iſte doctiſſimus hac de re loquitur, vt dubitet, num SAVBERTVS ſponte ſua, an ex imperio Auguſti ducis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis, id negotii in ſe ſuſceperit. Repetit id alibi additque: *noluimus enim quidquam definire, cum teſtan-*

ſtantis de ſe Sauberti, ſibi id imperatum eſſe aientis, aliorumque obloquentium & contraria adfirmantium, certe ſuſpicatorum, ea tempeſtate virorum opiniones non ignoraremus; in *vitis theologor. Altdorphinor. pag. 390.* At non propria voluntate, ſed auctoritate principis, SAVBERTVM ad hocce opus acceſſiſſe, acriter contendit HERM. CONRIGIVS: vt itidem ſupra *l. c.* monuimus. Adſerit autem, quem iam laudauimus, vir clariſſimus ZELTNERVS porro, SAVBERTVM laborem huncce *inter multos ſudores, & recognitiones diligentiſſime inſtitutas ad XVII caput, libri I Samuelis perduxiſſe, in quo formis denique excuſo prelum ſubſtiterit. Cuius interrupti,* ita pergit, *atque ſubito ceſſantis operis finem non alia ex cauſſa, quam quod ipſe laudatiſſimus princeps hoc tempore anno 1660. inter mortales eſſe deſineret, deriuandum eſſe, cum res ipſa docet, tum etiam temporum rationes comprobant; l. c. p. 399.* Copioſe etiam de hacce SAVBERTI verſione diſſerit CHR. FRID. BOERNERVS, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram c. IX. ſect. III. p. 220. ſeqq.* Specimen ibi aliquod eius exhibet, deque ipſa hacce verſione ita pronuntiat: *Ac primo quidem de ipſa translatione notandum eſt, illam ſaepe quidem a verbis atque ſententia Lutheri recedere, ſaepius autem Lutherum preſſe ſequi, vt adeo non noua haec, ſed verſio Lutheri mutata paſſim atque interpolata eſſe videatur. In iis autem locis, quae a Lutheri verſione diſcrepant, interpretem, rabbinorum expoſitionibus plus nimium fauere, literamque textus ebraici contra indolem linguae germanicae ſuperſtitioſe exprimere, theologus quidam Vitembergenſis, cuius cenſurae ſpecimen ſupra memoratum transmiſſum fuit, notauit. Singulis capitibus noua ſummaria praefixa ſunt, loca parallela in margine addita, & loco gloſſarum Lutheri marginalium in fine cuiusque capitis noua ſcholia ſubiiciuntur, quae quidem theologi modo memorati iudicio partim ſunt inutilia, partim iudaizantia &c.* Neſcio, an noſtratibus adnumerare debeam CASP. ERN. TRILLERVM. Etſi enim initio eccleſiae noſtrae doctrinam profeſſus eſt; ab ea tamen in quibusdam haud exigui momenti capitibus ſe alienum eſſe, deinceps demonſtrauit; hinc & munere rectoris, quo in ſchola Ilefeldenſi fungebatur, exutus eſt. Mentem ſuam ſatis prodidit, cum *inueſtigationem locorum quorumdam noui teſtamenti,* ſiue *Vnterſuchung etlicher Oerter des neuen Teſtaments, die wegen bisher übler Vberſetzung die Warheit auffgehalten haben, auff allergnaedigſten Befehl einer hohen perſon gedruckt;* Dantiſci 1699. 16. ederet. Sequuta eſt mox eiusdem *inueſtigationis* continuatio, ſiue *pars altera,* inſcripta: *der andere Theil der Vnterſuchung etlicher Oerter des neuen Teſtaments, von behutſamer Anfuhrung der heiligen Schrifft,* ſine loci mentione an. 1702. Vtraque pars, cum *obſeruationibus biblicis,* aliisque ſcriptis AVG. HERM. FRANCKII, eo inſcio, & inuito, vt ſupra iam monuimus, iunctim editis, recuſa fuit. Quorſum iſta TRILLERI *inueſtigatio* tenderit, & quam infeliciter in hoc labore verſatus ſit; peculiari diſſertatione, an. 1700 oſtendit IO. FECHTIVS, theologus quondam Roſtochienſis longe celeberrimus. Sed TRILLERVS a ſuo inſtituto ſe deterreri paſſus non eſt; quin potius nouam tandem noui teſtamenti verſionem dedit inſcriptam: *eine mit dem Grund-text genauer übereintreffende Vberſetzung des neuen Teſtaments;* Amſtelodami, ſi inſcriptioni credendum, an. 1703. 8. Id conſtitutum auctori fuiſſe, vt a verſione LVTHERI etiam ſine neceſſitate diſcederet; cuiuis, vel prima fronte hanc verſionem intuenti, patet: quamquam ne ſic quidem efficere potuerit, quin pluribus in locis vel inuitus verba Lutheri retinuerit. Dum autem textum graecum adcurate exprimere adnititur; linguae germanicae nullam

Digitized by Google

nullam habet rationem. Perperam quidem; quidquid & ille, & alii, hac de re ſentiant. Vt enim prima interpretis laus eſt, textum ſumma fide exprimere; ita non minor, perſpicuo & plano hoc facere ſermonis genere. Etenim hoc ſi negligatur; verſionem non modo barbaram, ſed & obſcuram, & quae intelligi nequeat, inde oriri, neceſſe eſt. Nullus quoque inde ad lectores redundabit fructus, praeſertim ſi idem ſenſus elegantius & magis perſpicue exprimi poſſit. Deinde, an iis etiam in locis, vbi ſenſum textus originalis, rectius quam LVTHERVS expreſſiſſe, videri voluit TRILLERVS, rem acu tetigerit? adhuc quaeri poſſet. Certe non tetigiſſe, nec ſenſum textus graeci vbique eum adſequutum, exmplis probari poſſet, ſi hoc nunc agerem. Legenda de hiſce *cenſura verſionis noui teſtamenti Trillerianae*, quam *obſeruationibus* ſuis *ſacris in euangelium Matthaei* inſeruit GOTTFR. OLEARIVS, *obſeruat. XV.* ad *Matth. IV. 41. p. 149. ſeqq.* Maioris adhuc momenti eſt, quod & res ipſa docet, & THOMAS quoque ITTIGIVS, in *praefatione*, editioni *biblior. germ.* quae Lipſiae an. 1708 prodierunt, praemiſſa, obſeruat, verſionem hancce *erroneam auctoris ſententiam, circa doctrinam de ſatisfactione Chriſti, & iuſtificatione per ſolam fidem, in locis, quae huc pertinent, ſatis ſuperque prodere.* Hoc & repetit CHR. FRID. BOERNERVS, in *additamentis* ad IAC. LE LONG *bibliothecam ſacram, c. IX. ſect. III. p. 240.*

Priusquam autem a verſionibus germanicis ſcripturae ſacrae diſcedamus; de illis quoque, qui ebraeo-germanicas, lingua ſcilicet Iudaeis inter Germanos vernacula, dederunt, aliquid dicendum eſt. Et primus quidem, qui totum vetus teſtamentum in linguam ebraeo-germanicam tranſtulit, fuit IOSEPH. IOSEL, filius ALEXANDRI, per compendium IOSEL WITZENHAVSEN adpellatus, mercede a IOS. ATHIA, typographo Amſteiodamenſi, conductus. Prodiit haecce verſio, cum interpretis & typographi praefatione, Amſteiodami an. 1679. fol. & iterum anno 1687. Inſerta quoque ſub IOS. ATHIAE (qui tamen typographi ſolum functus eſt munere) nomine fuit *bibliis pentaplis Wandesbeckienſibus*, de quibus ſupra verba fecimus. Eodem fere tempore iſtiusmodi laborem in ſe ſuſcepit R. IEKVTHIEL BEN ISAAC BLITZ, Vitmundenſis, typographi munere fungente VRI VEIBSCH, filio AARONIS, Leuita, verſionemque ſuam itidem Amſtelodami an. 1679. fol. publicae luci expoſuit. Solet a quibusdam VRI VEIBSCH auctor huius verſionis ferri: quos tamen interpretem cum typographo confundere, certum eſt. Ex duabus hiſce verſionibus prior, & Iudaeorum, & chriſtianorum, iudicio, poſteriori multum praefertur. Legendus de vtraque IO. CHRIST. WOLFIVS, *bibliotb. ebr. part. II. lib. II. ſect. VI. p. 453. ſeqq.* vbi & eos, qui partes quasdam veteris teſtamenti, itemque nouum teſtamentum in linguam ebraeo-germanicam conuerterunt, enarrat.

De verſionibus ſcripturae in reliquas linguas, hodie in Europa, alibique vſitatas, aliquid addere neceſſe non erit: cum pauci ex theologiae cultoribus iſtarum linguarum periti ſint, vt inde commodum aliquod referre queant. Si quis earum notitiam ſibi comparare cupit, adire poterit CHR. KORTHOLTVM, *de variis ſcripturae ſacrae editionib. cap. XXII. ſeqq.* vbi de verſione italica, gallica, hiſpanica, ceterisque agit; AVG. PFEIFFERVM, in *critica ſacra, c. XIII. p. 465. ſeqq.* IACOB. LE LONG, in *bibliotb. ſacra, cap. V. VI. ſeqq.* RICH. SIMONEM, in *hiſtor. critic. vet. teſtam. lib. II. cap. XXII.* & *ſeqq. p. 329. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. cap. IX. p. 218. ſeqq.* & ſpeciatim, ad nouum teſtamentum quod attinet, RICH. SIMONEM, in *hiſtoria critica verſionum noui teſtamenti*, itemque IO. ALB. FABRICIVM, *bibliotb.*

bibliotb. graec. lib. IV. cap. V. §. XVIII. p. 191. De gallicanis ſolum verſionibus obſeruamus, inter recentiores magnam eius eſſe celebritatem, quae Montenſis dicitur, quia Montium Hannoniae nomen pleraeque editiones in fronte gerunt: quamuis nonnulli adſerant, nullam ibi prelo ſubiectam eſſe. Vocatur & verſio Ianſeniſtarum, quoniam a viris doctis, qui haſce partes ſequuntur, concinnata eſt; immo ſi quibusdam credimus, variis in locis illorum placitis adcommodata; lucemque primum adſpexit an. 1667 ſaepiſſimeque exinde, ſed non ſine mutationibus quibusdam recuſa eſt. Auctores ſunt ISAAC LVD. LE MAITRE, vulgo de SACI dictus (quod tamen nomen fictum eſt, ex transpoſitis vocis ISAAC litteris formatum) & PETR. THOM. DV FOSSE; quibus & nonnulli ANTON. ARNALDVM, Ianſeniſtarum ſuo tempore anteſignanum, addunt. Immo ANTON. LE MAITRE, primum quatuor euangelia transtuliſſe, eamque verſionem diligenter recognouiſſe; & reliquorum noui teſtamenti librorum translationem, viros iſtos doctos, quos laudauimus, & cumprimis ANTON. ARNALDVM, cum aliis quibusdam, adieciſſe; nonnulli tradunt. Legenda, quae hac de re refert IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. cap. V. p. 77. ſeqq.* Cum vero haecce verſio & Ianſeniſmo quauis occaſione velificari, vulgataeque latinae verſionis fidem labefactare, crederetur; praeſulum quorumdam eccleſiae gallicanae non exiguam experta eſt indignationem. Primus ei ſe oppoſuit Pariſienſium eo tempore archi-epiſcopus, duabus promulgatis ſanctionibus; cuius exemplum & alii ſequuti ſunt. Acceſſit an. 1667 auctoritas *regii*, vt vocant, *ſtatus conſilii*; hinc & pontificum Romanorum Clementis IX & deinceps Innocentii XI, a quibus verſio haecce damnata fuit, atroque notata lapillo. Neque defuerunt, qui variis opuſculis eamdem perſtringerent, quos inter eminent MALLETVS, dioeceſeos Rhotomagenſis vicarius, & LVD. MAIMBVRGIVS: quibus tamen rurſus Ianſeniſtae ſtrenue obuiam iuerunt, quorum quaedam huc ſpectantia ſcripta indicantur, in *actis eruditor. Lipſienſib.* ad *ann. 1686 menſe April. p. 201.* In MALLETVM cum calamum ſtrinxiſſet ANT. ARNALDVS, *dans la nouvelle defenſe de la verſion de Mons:* huic iterum obuiam itum *dans les obſervations ſur la nouvelle defenſe de la verſion françoiſe du nouveau teſtament imprimée a Mons, pour iuſtifier la conduite des papes, des evêques, & du Roi à l' egard de cette verſion* &c. quarum *obſeruationum* auctorem TELLERIVM, Ieſuitam notiſſimum, eſſe, ferunt. Summa earum exhibetur in *actis eruditor. Lipſienſib. l. c. pag. 201. ſeqq.* Inter acerrimos verſionis huius cenſores etiam referendus RICH. SIMON, qui eam ſub examen reuocat in *hiſtor. crit. verſion. nou. teſtam. cap. XXXV. ſeqq. p. 396. ſeqq.* De eadem etiam verba facit in *bibliotheca critica tom. III. cap. XVI. p. 177. ſeqq.* vbi negat, ſolum ANTON. ARNALDVM, quod quibusdam perſuaſum fuit, verſionis iſtius auctorem eſſe; immo illi vix quidquam aliud, quam confuſionem, quae in ea regnat, tribui poſſe, contendit. Cum enim in ipſa verſionis iſtius inſcriptione dicatur, eam ad *latinam vulgatam, adiectis diſcrepantiis graeci textus a latino*, adornatam eſſe; haſce diſcrepantias tamen ſeorſim non eſſe notatas, ſed ipſam verſionem interdum interpretem vulgatum, interdum textum graecum, quandoque & neutrum, ſequi; idque ex conſilio ARNALDI factum. Ceterum verſionem hancce Montenſem retinuit etiam PASCHAS. QVESNELLVS, in editione noui teſtamenti, qua iſtud obſeruationibus moralibus illuſtratum, dedit. Id tamen egiſſe QVESNELLVM, vt verſionem hanc vulgatae latinae magis attemperaret, adeoque loca iſta, in quibus textus graeci ratio potius habita, quam

quam verſionis vulgatae, mutaret; docet LVD. ELL. DV PIN, *prol gom. ſur la bible lib. I. cap. IX. pag. 222.* Reliqua, quae de editione hacce QVESNELLI obſeruatu digna ſunt, tradit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theologiae litterar. &c. part. I. lib. I.* ad *§. VII. p. 123.* Quod ſi ad eas, quae noſtra aetate concinnatae ſunt, verſiones gallicas accedamus; cum primis ea ſe offert, quae RICH. SIMONEM auctorem agnoſcit, & Treuoltii an. 1702 quatuor voluminibus in 8 prodiit, annoque ſequenti, Rothomagi recuſa fuit. Eam ſecundum verſionem vulgatam latinam confectam fuiſſe; ipſa quemlibet condocere poteſt inſcriptio: cuius inſtituti ſui rationem auctor in *praefatione* reddidit. In *notis* tamen, quas adiecit, *criticis*, textum quoque originalem in ſubſidium vocat, & quo pacto ipſa vulgata ad eum emendari debeat, interdum oſtendit. Elogium verſionis huius legere licet in *actis eruditor. Lipſienſib.* ad *an. 1704. menſe Febr. pag. 80.* vbi inter alia dicitur *non perfunctorie conſcripta, ſed ſingulari cum cura ad correctiſſimum editionis vulgatae exemplar confecta.* At non omnibus ideo placuit. Quin immo, cum NOALLIVS, cardinalis & archiepiſcopus Pariſienſis, quaedam reprehenſione digna in ea occurrere, animaduertiſſet; decreto, an. 1702 promulgato, prohibuit, ne in Pariſienſi dioecesi vulgaretur; ſed & IAC. BENIGN. BOSSVETVS duplici *inſtructione paſtorali*, an. 1702 & 1703 eamdem acriter perſtrinxit. Varia etiam in hacce verſione reprehenduntur, in *epiſtola*, quae exſtat *dans les memoires de Trevoux* ad *annum 1702. menſe Maio pag. 383. ſeqq.* editionis Amſtelodamenſis. Nec minus ſtrenue SIMON hancce verſionem ſuam defendit, peculiari ſcripto, itemque *tom. IV. epiſtolar. ſelectar*, ſiue *lettres choiſies p. 260. ſeqq.* cumprimis & in *bibliotheca critica, tomo IV. ep. XXXV. ſeqq. p. 3*[illegible]*. ſeqq.* Et in vltimo quidem loco ad cenſuram IAC. BENIGNI BOSSVETI reſpondet, atque Socinianiſmi ſuſpicionem, quam iſta verſione ſua auxerat, a ſe amoliri adnititur: a qua tamen an liberari prorſus queat, merito dubitaueris. Nec praetermittendus hic eſt IO. CLERICVS, cuius verſio noui teſtamenti in lucem emiſſa eſt, Amſtelodami, anno 1703. 4. Ea ex ipſo textu graeco expreſſa eſt, adiunctasque habet adnotationes vberiores, in quibus textus explicatur, aut verſionis ratio redditur. Vt vero & alias vir doctiſſimus HVG. GROTII veſtigiis inſiſtit: ita in hacce quoque paſſim hoc conſpicere licet verſione. Nec negandum, quod eam ſubinde hypotheſibus ſuis, praeiudicatisque animi opinionibus, adcommodauerit; certe in *adnotationibus* eas haud raro inculcat, atque defendit. Sic, licet *Ioan. I. 1.* vocem λόγος reddat per *verbum (parole)* in *adnotationibus* tamen docet, eam rectius verti per *rationem*, repetitque, quae de origine vocis, ex ſchola Platonis arceſſenda, iam alibi in medium protulerat. Verſionem hancce tam in Belgio federato, decreto ordinum generalium, & plurimarum ſynodorum, quam in ditione regis Boruſſiae, mandato ſacri tribunalis Berolinenſis, vtpote quae Sabellii Sociniique erroribus faueat, damnatam proſcriptamque eſſe PETR. BAELIVS autumat, in *colloquiis*, ſiue *entretiens de Maxime & de Themiſt*, iis nimirum, in quibus IO. CLERICO reſpondet, *p. 67. ſeqq.* Exſtant enim & *colloquia*, eadem ratione inſcripta, oppoſita ISAACO IAQVELOTIO; vtraque excuſa Roterodami an. 1707. 8. De aliis verſionis huius cenſoribus, itemque iis, quae CLERICVS pro eius defenſione ſcripſit, conferendus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. I. lib. I.* ad §. *VIII. p. 126.* Atque idem vir doctiſſimus etiam reliquas verſiones gallicas ibidem enarrat, interque eas, quam clariſſimi viri DE BEAV-

SOBRE & LENFANT concinnarunt, quae Amſtelodami anno 1718. 4. lucem adſpexit. Nonnullas etiam a nobis praetermiſſas recenſet IACOBVS LE LONG, in *bibliotheca ſacra*, *cap. V. ſect. II. & III. pag. 36. ſeqq.*

§. VIII. Qui ex trium priorum ſaeculorum patribus ad ſcripturam ſacram explicandam aut illuſtrandam animum adiunxere ſuum; allegoricam fere interpretandi rationem, Iudaeis iam antea vſitatam, ſequuti ſunt. * Omnium autem ſtudium atque induſtriam ſaeculo tertio ſuperauit ORIGENES; qui, licet itidem allegoriis valde delectaretur; de litterali tamen etiam ſenſu eruendo ſollicitus fuit, diuerſoſque modos ſcripturam explicandi, adhibuit. ** Exſtiterunt vero etiam in hocce temporis interuallo, qui de conciliandis ſcripturae locis, quae inter ſe pugnare videntur, praeſertim de quatuor euangeliorum harmonia, demonſtranda, eſſent ſolliciti. ***

* Poſtquam ipſum ſcripturae ſacrae textum, & verſiones praecipuas, conſiderauimus; ſupereſt, vt de illis etiam dicamus, qui eamdem explicationibus ſuis aut commentariis illuſtrare, vſumque, quem inde haurire debeamus oſtendere, adgreſſi ſunt. A prima autem ſi rem omnem deriuare velimus origine; obſeruandum, iam olim Iudaeos in veteris teſtamenti explicatione verſatos fuiſſe; ſuo tamen more, vt vel ex talmude perſpicere licet. Nimirum myſticam, allegoricamque apud eos, certe apud Phariſaeos, atque rabbanitas, obtinuiſſe interpretandi ſcripturam rationem, adeo manifeſtum eſt, vt negari nequeat, pluribusque in ſequentibus ad §. *XI.* comprobabitur. Atque hanc primitiuae eccleſiae doctores quoque ab iis accepiſſe, recte contendit RICH. SIMON, in *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. cap. I. p. 1. ſeqq.* Plurimum tamen etiam huc contulit philoſophiae Platonicae ſtudium, cui quosdam veteris eccleſiae doctores addictos fuiſſe, conſtat. Inter Iudaeos tempore apoſtolorum celeberrimus fuit PHILO, qui prae reliquis in allegorica hacce ſcripturae interpretatione excelluit, immo eousque progreſſus eſt, vt omnia fere in allegorias converteret: quem deinceps ORIGENES aliique ſequuti ſunt. Atque ORIGENEM quidem primum fuiſſe, qui commentariis ſcripturam ſacram illuſtrauerit; BEATVS RHENANVS, FRANC. SIXTVS Senenſis, atque GILB. GENEBRARDVS, adſerunt. Sed refellit eos PETR. DAN. HVETIVS; qui cum GENEBRARDI verba: *Et ſane omnium, quorum quidem in diuina ſcripta commentarii exſtent, fuit antiquiſſimus*, retuliſſet; addit: *Itane vero? antiquiorne Philone, qui tot ſcriptis hodieque ſuperſtitibus ſcripturas ſacras explanauit? antiquiorne Theophilo Antiocheno, cuius exſtant commentaria in quatuor euangelia? Vetuſtiores quoque fuerunt illo Melito Aſianus, qui librum ſcripſerat de apocalypſi Ioannis; & Rhodon, & Candidus & Appion, qui tractatus in hexaëmeron ſigillatim compoſuerunt; & Iudas, qui de ſeptuaginta apud Danielem hebdomadibus ſcripſit; Origenianor. lib. III. cap. II. ſect. I. §. I. p. 236.* Conferenda &, quae contra eamdem ſententiam, ORIGENEM primum fuiſſe, qui commentarios in ſcripturam ſacram ſcripſerit, diſſerit SEB. NANVS TILLEMONTIVS, *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire eccleſiaſtique, tom. III. part. III.* in *Origene, artic. XXVIII. p. 215.* Inter chriſtianos itaque primo hic loco nobis commemorandus eſt THEOPHILVS Antiochenus. De eo HIERONYMVS: *Legi ſub nomine eius in euangelium &*

in prouerbia Salomonis commentarios; qui mihi cum ſuperiorum voluminum elegantia & phraſi non videntur congruere; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſt. cap. XXV. p. m. 47.* Exſtant etiam hodie adhuc ſub THEOPHILI nomine *commentariorum, ſiue allegoriarum in ſacra quatuor euangelia, libri quatuor,* ſed latine ſolum, in *bibliotheca maxima patrum, tom. II. part. II. pag. 165. ſeqq.* Nec tamen deſunt, qui hoſce libros latino cuidam ſcriptori recentioris aeui vindicant, qui eos ex genuinis THEOPHILI *commentariis* excerpſerit. Ita GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. ſaec. II. p. 31.* Sed conferenda, quae fuſe hac de re diſputat IO. ERN. GRABIVS, in *ſpicilegio patrum vt & haereticorum ſaeculi II. p. 221. ſeqq.* qui & ibidem fragmentum *commentariorum* THEOPHILI in *euangelia* ex HIERONYMO, & aliud *commentariorum* eius in *canticum canticorum*, ex EVSEBIO exhibet. Interim tum ex *commentariis* THEOPHILI in *quatuor euangelia*, quae hodie exſtant, tum ex iis, quae ex illis refert HIERONYMVS, conſtat, allegoricam eum ſequutum eſſe ſcripturam interpretandi rationem. De IRENAEO, TERTVLLIANO, CYPRIANO, aliisque idem dicendum; qui, licet ex inſtituto exegetica non ſcripſerint; in libris tamen ſuis dogmaticis pariter ac polemicis, ad ſcripturam ſacram ſaepe prouocant, & ea ratione illam explicant: quod exemplis demonſtrat RICH. SIMON, *hiſtor. critic. commentator. noui teſtam. c. I. pag. 8. ſeqq.* His iungendus CLEMENS Alexandrinus, tum ob alia ſcripta, tum maxime ob *ὑποτυπώσεων libros VIII.* in quibus vtriusque teſtamenti, veteris & noui, ſuccinctam enarrationem inſtituit: vnde & eos rectius ad theologiam exegeticam, quam dogmaticam referri, ſupra iam *libri* huius *II. cap. I.* ad *§. VI.* obſeruauimus, vbi & alia quaedam de iis monuimus. Periiſſe iſtos libros, notum eſt, ſi fragmenta quaedam excipias, quae apud EVSEBIVM exſtant, *lib. I. hiſt. eccleſ. c. XII. lib. II. c. I. IX. XV. lib. VI. c. XIV.* Sunt tamen, qui putant, commentarios in epiſtolas canonicas, ſcilicet *priorem Petri, Ioannis primam & ſecundam*, itemque *Iudae*, qui ſub CLEMENTIS Alexandrini nomine in *bibliotheca maxima patrum, tom. III. p. 231. ſeqq.* leguntur, partem huius operis eſſe. Certe CLEMENTEM in haſce epiſtolas commentarios ſcripſiſſe, teſtatur CASSIODORVS: quamuis pro epiſtola Iudae eam, quae Iacobi eſt, ponat. *In epiſtolis,* inquit, *canonicis Clemens Alexandrinus presbyter, qui & ſtromatheus vocatur, id eſt, in epiſtola ſancti Petri prima, ſancti Ioannis prima & ſecunda, & Iacobi, Attico ſermone declarauit. Vbi multa quidem ſubtiliter, ſed aliqua incaute loquutus eſt; quae nos ita transferri fecimus in latinum, vt excluſis quibusdam offendiculis purificata doctrina eius ſecurior poſſet hauriri;* *diuinar. lection.* ſiue *de inſtitut. diuinar. ſcripturar. c. VIII. p. m. 454.* An vero hi commentarii iidem ſint, qui in *bibliotheca maxima patrum* exſtant; nonnulli adhuc dubitant. PHOTIVS, qui CLEMENTIS hoſce commentarios legit, plurimos in illis *ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους; impios & fabuloſos ſermones*, immo *blaſphemiarum portenta*, notauit; *cod. CIX. p. m. 286.* Suſpicatur tamen, haec ab alio quodam addita, fuiſſe, *cod. CXI. p. 287.* Refert etiam explicaſſe CLEMENTEM hac ratione ſummatim *geneſin, exodum, pſalmos, epiſtolas Pauli, & canonicas.* EVSEBIVS autem auctor eſt, totius ſcripturae ſacrae ſuccinctam enarrationem hoſce hypotypoſeon libros continuiſſe; *hiſtor. eccleſ. lib. VI. c. XIV.* vti iam *loco* antea *citato* obſeruauimus. Si RICH. SIMONI credimus, nihil aliud in hoc opere praeſtitit Alexandrinus CLEMENS, quam vt aliorum ſcriptorum eccleſiaſticorum, orthodoxorum pariter ac heterodoxorum, explicationes colligeret. Atque hinc factum, putat, vt impie & blaſpheme quaedam dicta in hiſce hypotypo-

ſeon libris occurrerent, quae & PHOTIVS notauerit, & CASSIODORVS in iis commentariis, quos transferri in linguam latinam curauit, omiſerit. Neutiquam itaque ea CLEMENTI probata, aut ipſi tribuenda; cum explicationes ſolum, ſententiasque aliorum, retulerit. Atque hinc etiam intelligi poſſe, cuiusmodi fuerint iſti commentarii, cum non tantum orthodoxi, ſed & gnoſtici, & hi quidem praecipue, allegoricarum interpretationum fuerint ſtudioſiſſimi: quod copioſius euincit, in *hiſtor. critic. commentator. noui teſtam. cap. II. p. 25. ſeqq.* Quae vtique non ſine magna veroſimilitudinis ſpecie dicuntur. Commemorandus vero hic etiam eſt HIPPOLYTVS, qui circa initium ſaeculi tertii vixit. Varios namque in ſcripturam ſacram commentarios compoſuit, quorum apud veteres fit mentio; ſed ad nos non peruenerunt, ſi fragmenta quaedam exceperis. Idem de *homiliis* eius cenſendum. Recenſent tum haecce, tum reliqua eius ſcripta, GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. part. I. ſaec. III. p. 49. ſeqq.* & IOAN. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V. cap. I. p. 204. ſeqq.* Fuſe etiam de HIPPOLYTO hocce differit STEPH. LE MOYNE, in *prolegomenis*, quae *variis* ſuis *ſacris* praemiſit.

** Omnium haud dubie ſaeculi ſecundi & tertii patrum induſtriam in ſtudio exegetico ſuperauit ORIGENES, non vna ratione praeclare de eodem meritus. Nos primum de ſcriptis eius exegeticis, quibus varios ſcripturae ſacrae libros illuſtrauit, dicemus; tum & de *tetraplis*, *hexaplis* & *octaplis* eius aliquid ſubiungemus. Obſeruandum vero, ORIGENEM varios interpretandi ſcripturam modos adhibuiſſe. Nam vel diffuſis commentariis, quidquid ſuppeditabat ingenium, & eruditio, congeſſit; vel breuibus tantum ſcholiis obſcuriora quaeque illuſtrauit; vel denique ad populi captum ſe demiſit, & ſelectas quasdam ſcripturae pericopas per *homilias* expoſuit. Hoc iam HIERONYMVS nos docuit, in prologo ſuae interpretationis *homiliarum*, quas in Ezechielem ORIGENES habuit. *Illud*, inquit, *breuiter admonens, vt ſcias, Origenis opuſcula in omnem ſcripturam eſſe triplicia. Primum eius excerpta, quae graece σχόλια nuncupantur, in quibus ea, quae ſibi videbantur obſcura, atque habere aliquid difficultatis, ſummatim breuiterque perſtrinxit. Secundum, homiliaticum genus, de quo & praeſens interpretatio eius eſt. Tertium, quod ipſe inſcripſit τόμους, nos volumina poſſumus nuncupare, in quo opere tota ingenii ſui vela ſpirantibus ventis dedit, & recedens a terra in medium pelagus aufugit.* Copioſius haec omnia edifferit PETR. DAN. HVETIVS, *Origenian. lib. III. cap. II. ſect. I. p. 236. ſeqq.* In *homiliis* quoque ORIGENIS diſtinguendis magnam adhibendam curam, nonnulli monent. Alias enim, meditate conſcriptas, edidit; alias, ex tempore recitatas, calamo excipi a ſcribis permiſit. Ex immenſo autem ſcriptorum eius exegeticorum numero, pauca admodum ab iniuria temporum fuere ſeruata. Maxima enim commentationum illarum pars periit, adeo, vt perpaucae admodum vetuſtatis ſubterfugerint inuidiam, & velut lacerae e naufragio tabulae ad nos transmiſſae ſint. Namque vel truncatae, & magna ſui parte mutilatae ſunt, vel peruerſis interpretationibus deformatae. Quidquid iſtorum ἐξηγητικῶν graece reperiri potuit, ſumma induſtria collegit, & vna cum verſione latina edidit, PETR. DAN. HVETIVS, Rothomagi an. 1667 duobus voluminibus in fol. additis inſuper *notis*, & *Origenianorum libris tribus*, in quibus omnia, quae ad ORIGENEM eiusque ſcripta & dogmata pertinent, diligentiſſime excuſſit. Repetita fuit haec editio Coloniae, aut potius Francofurti an. 1686 itidem duobus voluminibus in fol. Sin-

Singula ſcripta ORIGENIS exegetica, tum quae perierunt, tum quae hodie exſtant quorumue ad nos notitia peruenit, adcurate enarrat ipſe HVETIVS, *Origenianor. lib. III. c. II. ſect. I. & II. p. 239. ſeqq.* & GVIL. CAVE, in *hiſtoria litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. p. 59. ſeqq.* Conferendus & de iisdem IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. lib. V. c. I. p. 216. ſeqq.* item *p. 226. ſeqq.* Praetermittenda autem hic nobis non eſt ORIGENIS *philocalia de obſcuris ſacrae ſcripturae locis*, hoc eſt, vt epigraphe, huic libro praefigi ſolita, docet: *delectus quaeſtionum ſcripturae, ac ſolutionum, ex variis Origenis commentariis, ab illis diuinarum rerum conſultiſſimis Gregorio & Baſilio confectus &c.* GREGORIVS nimirum Nazianzenus, atque BASILIVS magnus, ex variis ORIGENIS ſcriptis quaedam, quae quaeſtionibus, ad ſacras litteras ſpectantibus, lucem adfundere poterant, collegerunt; eaque excerpta *philocaliae* nomine veniunt. Nihil aliud namque vox φιλοκαλία ſignificat, quam delectum eximiorum quorumdam locorum e variis libris ſcriptoris cuiusdam. AVGVSTINVS equidem, ea rerum diuinarum, ex diuina reuelatione & verbo Dei cognitarum, ſtudium denotari, auctor eſt; *lib. II. contra academ. c. I.* & *lib. I. retract. cap. I.* eoque ſenſu illam a GREGORIO atque BASILIO vſurpatam, GILB. GENEBRARDVS atque IO. TARINVS, ſibi perſuaſerunt; quos magnopere falli, PET. DAN. HVETIVS oſtendit *Origenian. lib. III. c. III. ſect. II. p. 268.* Prodiit cum alias, tum & graece, cum verſione latina, & notis IO. TARINI, ſubnexa *libris VIII.* ORIGENIS *contra Celſum*, a GVIL. SPENCERO editis Cantabrigiae, 1658 & 1677, 4. Ipſe quoque SPENCERVS *adnotationes* quasdam *ad philocaliam* addidit.

Ceterum, vt in interpretandis ſcripturis triplex ἐξηγητικὸν genus ORIGENES adhibuit; vt antea dictum: ita triplicem ex illis eruere ac inueſtigare ſenſum conſueuit, *hiſtoricum*, quem & *litterae* ſenſum adpellant, *myſticum, & moralem.* Nimirum quaedam ad dogmata, ſeu credenda, adcommodabat, quaedam ad mores, ſeu agenda; hinc *ſenſus myſticus*, ſpeciatim ita dictus, & *moralis*; ceteroquin enim omnis ſenſus allegoricus etiam *myſticus* vocari poteſt & ſolet. Conferendus PET. DAN. HVETIVS, *Origenian. lib. III. c. II. ſect. I. p. 239.* vbi ex ORIGENIS *homil. XVII. in geneſ.* teſtimonium adfert, quo comprobari poteſt, eum triplicem huncce ſenſum in ſcriptura ſacra inueſtigare conſueuiſſe. Nimium vero allegoriarum ſtudium iam pridem in ORIGENE notarunt patres, aliique viri docti. Immo ORIGENI, cum adhuc viueret, hoc obiectum fuiſſe, ex *homilia XIII. in geneſin* videtur colligi poſſe. Multi deinceps atro eum hoc nomine notarunt lapillo, vt EPIPHANIVS, HIERONYMVS, BASILIVS, CHRYSOSTOMVS, AVGVSTINVS, aliique, quos iam laudaui, in *diſſertat. de allegoriis Origenis*, quae exſtat in *parergis hiſtorico-theologicis*, *§. XXXIII. p. 183.* Neque tamen ita hoc capiendum, ac ſi ORIGENES ſenſum hiſtoricum ac litteralem prorſus repudiauerit. Contrarium enim non modo exemplis quam plurimis, ſed & teſtimoniis ipſius ORIGENIS comprobari poteſt. Namque *libro IV.* περὶ ἀρχῶν diſerte teſtatur, *multo plura eſſe, quae ſecundum hiſtoriam conſtant, quam ea, quae ſenſum continent ſpiritualem.* Et *homil. prior. in geneſ. I. primo omnium*, inquit, *videamus, quae de ea ſecundum litteram referuntur, & quaeſtiones proponentes, quae obiici a pluribus ſolent, etiam abſolutiones earum, ex his, quae ſunt a maioribus tradita, requiramus, vt cum huiuscemodi fundamenta iecerimus, ab hiſtoriae textu poſſimus adſcendere ad ſpiritualis intelligentiae myſticum & allegoricum ſenſum, & ſi quid in eis arcanum continetur, aperire.* Addenda, quae hanc in rem diſſerit

ſerit PET. DAN. HVETIVS, *Origenian. lib. II. cap. II. quaeſt. XIII. §. IV. p. 174.* Atque ita quidem recte ORIGENES; qui nec in eo reprehendi poteſt, quod quaedam ita comparata eſſe, pronuntiauerit, vt niſi per allegoriam capiantur, vix poſſint ab homine ſapiente admitti. Exempla attuli, *diſſert. cit. §. XXIX. p. 178.* Sed in eo peccauit ORIGENES, idque caput cauſſae eſt, cur merito apud multos male audiat, quod ſaepius, allegoriarum ſtudio, ſenſum hiſtoricum ſeu litteralem negligat, atque contemnat, ſeu, allegorice explicanda, contendat, quae litteraliter & hiſtorice ſunt intelligenda, idque contra regulam hermeneuticam, ex ipſomet antea adlatam. Exempla congeſſit HVETIVS, *l. c. lib. II. c. II. quaeſt. XIII. §. II. p. 171.* Fieri hinc aliter non potuit, quam vt in errores grauiſſimos incideret; vt, cum hiſtoriam creationis in allegoriam conuertit, haec ita, vt a Moſe narrantur, geſta eſſe, negans. Rurſus tamen & in alterum extremum procurrit, litteraliter interpretando, quae metaphorice capienda erant. Idcirco, cum hac ratione verba Chriſti *Matth. XIX. 12.* perperam intellexiſſet, ſe euiraſſe dicitur: conferatur HVETIVS *l. c. cap. I. §. XIII. p. 8.* Sic & ab EVSTATHIO Antiocheno obiectum ORIGENI fuit, quod, cum cetera allegoriis peruertere ſolitus ſit, deos tamen illos, quos de terra adſcendentes videre ſe Sauli dicebat pythoniſſa *I. reg. XXVIII. 13.* ad litteram expoſuerit: obſeruante eodem HVETIO *l. c. lib. II. cap. II. quaeſt. XIII. §. V. p. 175.* Quae omnia luculenter demonſtrant, ORIGENEM non ſatis ſibi conſtitiſſe. Idque inde etiam euidens eſt, quod, cum alibi, vt antea docuimus, ſenſui litterali ſuam dignitatem ſeruare videatur, alibi tamen, allegoricum & litteralem inter ſe contendens, praeſtantiorem longe illum ac auguſtiorem eſſe, arbitretur. In hiſce itaque licet aberrauerit ORIGENES: diligentiae tamen & eruditionis laudem, quam in ſcriptura ſacra interpretanda conſequutus eſt, nemo illi iure denegabit.

Idem etiam, editionibus ſcripturae ſacrae ſummo ſtudio concinnatis, praeclare admodum de theologia exegetica meritus eſt. Hinc multorum encomiis celebrantur eiusdem *tetrapla, hexapla,* & *octapla*, ſeu, vt graece vocabantur, τετραπλᾶ, ἑξαπλᾶ &c. Illud vero nomen, vt a quadruplici, & ſextuplici ſcripturae textu, vno conſpectu per quatuor vel ſex collumnas poſito, acceperunt; ita etiam graece τετρασέλιδον *quadruplex columna*, ἑξ-σέλιδον *ſextuplex columna*, ὀκτασέλιδον *octuplex columna*, interdum vocantur. Conſtitutum autem in hocce opere ORIGENI fuit, diuerſas interpretationes lectorum oculis obiicere, vt eo facilius illas inter ſe comparare, & verum & genuinum ſenſum inueſtigare poſſent. Eum primum *hexapla*, deinde *tetrapla* concinnaſſe, recepta fere praeſtantiſſimorum virorum eſt ſententia; in qua & PET. DAN. HVETIVS verſatur, *Origenian. lib. III. c. II. ſect. IV. p. 255.* Verum BERNH. DE MONTFAVCON, in opere deinceps laudando, *tom. I. p. 9.* ORIGENEM primum *tetraplis*, deinde *hexaplis*, manum admouiſſe, contendit, rationibusque minime contemnendis euincit. *Tetrapla* itaque ita diſpoſita erant, vt prima columna exhiberet verſionem AQVILAE, altera SYMMACHI, tertia ſeptuaginta interpretum, & quarta denique THEODOTIONIS. Nimirum verſionem LXX interpretum tertio loco poſuit, vt ad eam, quam omnium exiſtimabat eſſe adcuratiſſimam, reliquae facilius exigi & examinari poſſent. In *hexaplis* hae ipſae verſiones eodem ordine erant collocatae, ſed vt prima columna textum ebraicum, litteris, non ſamaritanis, vt nonnulli putant, ſed ebraicis, ſine punctis vocalibus; ſecunda, eumdem textum ebraicum litteris graecis deſcri-

ſcriptum, exhiberet. Quintam deinceps & ſextam verſionem (de vtraque ſupra dictum) ſeu editionem Hierichuntinam & Nicopolitanam, in iis libris, quorum hae verſiones exſtabant, aliquando adiecit, vnde *octapla* exorta ſuat: quae tamen neutiquam peculiare aliquod, & ab hexaplis diſtinctum, opus conſtituebant, vt poſt HVETIVM, *l. c.* §. *V. p.* 258. recte monet BERNHARDVS DE MONTFAVCON, *l. c. p.* 16. Immo & aliquando *ſeptima* editio graeca addita fuit, quae nonam occuparet columnam, atque adeo *enneapla* conſtitueret: quamuis nomen *enneaplorum* non occurrat. At vocem πενταστιλον, id eſt, *quinque columnarum opus*, ſemel in *notis ad Eſ. III.* 24. inueniri, obſeruat BERNH. DE MONTFAVCON, idque inde ortum putat, quod librarii quidam ebraicam columnam, litteris quippe ebraicis exaratam, prorſus omiſerint, aut, quod textus ebraicus, ſemel ebraicis, deinde graecis litteris expreſſus, pro vna columna reputatus ſit, *l. c. p.* 6. *ſqq.* Verſio LXX interpretum, quae in hexaplis illis exſtabat, diligenter emendata erat ex optimae notae codicibus, ſpeciatim Alexandrino illo in Serapeo; praeterea cum textu ebraeo, aut, vt alii volunt, cum verſione AQVILAE, ita collata, vt vbicumque aliquid in verſione LXX interpretum abundaret, id notaretur *obeliſco*, ſiue *virgula*; vbi deficeret nonnihil, hoc ex alia verſione, THEODOTIONIS maxime, ſuppieretur, atque *aſteriſco*, ſiue *ſtellula*, notaretur; vbi denique aliquid a LXX interpretibus redditum eſſet paullo obſcurius, ei ſub *lemniſci* nota adiungeretur altera magis perſpicua translatio e THEODOTIONE, nonnumquam & ex AQVILA vel SYMMACHO repetita. De vſu tamen *lemniſcorum* & *hypolemniſcorum*, viri docti non ſatis inter ſe conueniunt, vti ex iis conſtat, quae de illis diſputat BERNH. DE MONTFAVCON, *l. c. p.* 40. Legendi vero etiam de notis iſtis criticis ANDR. MASIVS, IO. MORINVS, HVMFR. HODIVS, aliique, laudati IO. ALB. FABRICIO, *biblioth. graec. lib. II. cap. II.* ad §. *XVIII. p.* 274. & *lib. III. c. XII.* ad §. *XII. p.* 343. Ceterum editio illa LXX interpretum verſionis, quae in *hexaplis* ORIGENIS exſtabat, & obelis, ceteriſque notis criticis, inſtructa erat, omnium praeſtantiſſima, & maxime incorrupta cenſebatur. Teſtis eſt HIERONYMVS: *Ea autem*, (editio LXX interpretum) *quae habetur in* ἑξαπλοῖς, *& quam nos vertimus, ipſa eſt, quae in eruditorum libris incorrupta & immaculata ſeptuaginta interpretum translatio reſeruatur. Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita & ab Ebraeorum auctoritate diſcordet*; *epiſt. ad Sunniam & Fretelam, tom. II. oper. p.* 627. editionis IO. MARTIANAEI. Idem autem HIERONYMVS obſeruat, iam ſua aetate in iſta verſionis LXX interpretum editione, *ſcriptorum negligentia, virgulis & aſteriſcis ſubtractis, diſtinctionem vniuerſam fuiſſe confuſam*; *l. c. p.* 635. Tanto itaque difficilius videtur, hodie ſigna iſta Origeniana reſtituere: quod tamen adgreſſus eſt IO. ERN. GRABIVS, in ſua verſionis LXX interpretum editione, quam ex codice Alexandrino dedit; de qua ſupra ad §. *V.* diximus. Ad reliquas autem verſiones graecas, quas ORIGENES in *hexaplis* ſuis exhibuit, quod attinet, AQVILAE ſcilicet, THEODOTIONIS & SYMMACHI; eas iam dudum interiiſſe, conſtat, vt earum tantum fragmenta quaedam ſuperſint, in quibus colligendis, poſt FLAMINIVM NOBILIVM, atque IO. DRVSIVM, ſtudium ſuum diligentiamque poſuit BERNH. DE MONTFAVCON, dum *hexaplorum Origenis, quae ſuperſunt, multis partibus auctiora, quam a Flaminio Nobilio & Ioanne Druſio edita fuerint, ex manuſcriptis & libris editis eruta, & notis illuſtrata*, euulgauit, Pariſiis an. 1713 duobus tomis in fol. vti itidem iam ſupra obſeruauimus.

Specimen etiam aliquod, vel vt ipſe vocat, *partem non minimam Origenis hexaplorum, graece & latine ex tomo II. operum Hieronymi collectam & adornatam*, exhibet IO. MARTIANAEVS, *tom. II. operum Hieronymi p. 830. ſeqq.* Quod autem ORIGENES etiam textui ebraeo locum in hexaplis ſuis conceſſerit; id non ideo factum, nonnulli putant, ac ſi illum verſioni LXX interpretum praeferendum cenſuerit; quippe quam, vtpote ab eccleſiae receptam ac probatam, magna veneratione proſequutus ſit; ſed vt reſponderi Iudaeis poſſet, quibus ſollemne erat, ad textum ebraeum prouocare, verſionemque LXX interpretum, vbi illis refragabatur, ceu falſam parumque textui ebraeo reſpondentem, reiicere. Legenda, quae hanc in rem diſſerit SEBAST. NANVS TILLEMONTIVS, *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire eccleſiaſtique des ſix premiers ſiecles, tom. III. part. III.* in *Origene artic. IX. p. 147.* editionis Bruxellenſis. Cum tamen ORIGENES verſionem LXX interpretum ſecundum textum ebraeum emendauerit, certe emendare voluerit; non eſt, quod dubitemus, quin primas textui ebraeo detulerit partes. Eum autem verſionem iſtam ad textum ebraeum corrigere voluiſſe, ſine vllo, vt puto, fundamento negatur. Quem enim alias in finem comparationem inter verſionem iſtam & textum ebraeum inſtituiſſet, &, vbi illa ab hoc diſcrepat, notaſſet? Praeterea, vbi verſio a textu originali diſcrepabat, reſponderi Iudaeis, quando cum illis chriſtianis res erat, aliter non poterat, quam concedendo, textum ebraeum praeferendum eſſe verſioni ſeptuaginta interpretum. Num autem ORIGENES linguae ebraeae adeo peritus fuerit, vt ipſe collationem hanc inſtituere potuerit; an vero hunc in finem verſione AQVILAE, quae litterae textus ebraei preſſe inſiſtit, vſus ſit? nunc non diſputabo; cum parum hoc ad rem faciat. Sufficit enim, credidiſſe ORIGENEM, verſionem LXX interpretum ad textum ebraeum exigendam eſſe. Ceteroquin ORIGENEM linguae ebraeae non admodum peritum fuiſſe, fatetur praeter alios PET. DAN. HVETIVS, *Origenianor. lib. II. c. I. §. II. p. 26.* copioſiusque demonſtrat IO. CLERICVS, in *quaeſtionibus Hieronymianis, quaeſt. II. §. IV. p. 32.* vbi & contendit, eum *in conficiendis hexaplis, vertendisque nominibus ebraicis, Iudaei cuiuſpiam opera vſum fuiſſe, eiusque gentis homines interdum conſuluiſſe, dein edidiſſe.* Addenda, quae de eruditione ebraica ORIGENIS ſupra iam diſputauimus, *libri* huius *II. cap. III.* ad *§. IV.* De editionibus bibliorum Origenianis, de quibus hucusque verba fecimus, plura, praeter PET. DAN. HVETIVM, non ſemel nobis iam laudatum, *Origenianor. lib. III. cap. II. ſect. IV. p. 255. ſeqq.* dabunt BRIAN. WALTONVS, in *adparatu biblico, prolegom. IX. §. XXI. ſeqq. p. 327. ſeqq.* GVIL. CAVE, in *antiquitatibus patrum & eccleſiaſticis*, in *vita Origenis §. XVIII. p. 440. ſeqq.* editionis, quae lingua germanica Bremae an. 1701, 4. prodiit; HVMFR. HODIVS, *de bibliorum textibus originalibus, verſionibus graecis, & latina vulgata &c. lib IV. cap. II. p. 595. ſeqq.* LVDOV. ELL. DV PIN, *prolegom. ſur la bible lib. I. c. VI. §. VI. p. 188. ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. lib. III. c. XII. §. XIII. p. 344. ſeqq.* vbi & alios, idem hocce argumentum tractantes, laudat.

*** Id nimirum adhuc obſeruandum, exſtitiſſe etiam in veteri eccleſia chriſtiana, qui in locis ſcripturae ſacrae, quae inter ſe pugnare videntur, conciliandis, adeoque conſenſu ſcripturae demonſtrando, operam ſtudiumque ſuum collocarent. Immo hanc ſibi impoſitam viderunt neceſſitatem, poſtquam hoſtes chriſtianae religionis, diſſenſum ſcriptorum ſacrorum, contradictionesque, quas in ſacro codice ſe deprehendiſſe

diſſe

Digitized by Google

diſſe putabant, chriſtianis, ad ſacrae ſcripturae auctoritatem labefactandam, obiicere, conſultum duxerunt. His enimuero vt occurrerent veteris eccleſiae doctores; non tantum in ſcriptis polemicis, quibus religionis chriſtianae veritatem defendebant, loca ſcripturae, quae ſecum inuicem pugnare videbantur, conciliarunt; ſed quidam etiam ex inſtituto ſcripta, eo ſpectantia, compoſuerunt. Speciatim de quatuor euangeliſtis, in harmoniam atque conſenſum redigendis, fuere ſolliciti; idque non ſine ratione; cum chriſtianae religionis veritas vel maxime teſtimonio, quod euangeliſtae de miraculis, ceterisque rebus geſtis Chriſti ferebant, inniteretur, Teſtimonio autem iſti euangeliſtarum nemo facile fidem adhibere poſſet, ſi ipſimet non ſatis inter ſe conuenirent. In hocce, in quo nunc verſamur, temporis interuallo, primus, qui eiusmodi quid ſuſcepit, TATIANVS fuiſſe dicitur, Valentinianae haereſeos ſectator, idemque encratitarum ſectae conditor; vir ceteroquin eruditus, & ab ineunte aetate Graecorum diſciplinis, artibusque liberalibus innutritus. Hic namque inter alia *catenam* quamdam & *collectionem euangeliorum* contexuit, quam διὰ τεσσάρων, hoc eſt, *euangelium ex quatuor euangeliis compoſitum*, nominauit; vt EVSEBIVS auctor eſt, *hiſt. eccleſ. lib. IV. c. XXIX. p. 150.* Atque hancce *collectionem euangeliorum*, vt EVSEBIVS vocat, vulgo pro harmonia quadam euangeliſtarum habent, cum tamen, iudice IO. MILLIO, *nihil minus* fuerit, *quam harmonia*, ſed tantum *breuicula hiſtoria rerum Chriſti, propriis auctoris verbis expreſſa*; in *prolegomenis, nouo teſtamento graeco* praemiſſis, *num. DCLVIII. p. m. 62.* Quidquid eius ſit, cum in iſta ſiue *harmonia*, ſiue *collectione euangeliorum*, TATIANO conſtitutum fuerit, vt humanam Chriſti naturam in dubium vocaret, eumque in finem genealogias, & reliqua omnia, quae, Chriſtum ex ſemine Dauidis, ſecundum carnem, natum, oſtendunt, omiſerit teſte THEODORETO, *haereticar. fabular. lib. I. c. XX.* recte inde colligunt viri docti, eam, quae ſub nomine TATIANI hodie extat, harmoniam euangelicam ſpuriam eſſe, nec illum auctorem agnoſcere; cum in ea genealogia Chriſti exhibeatur. Id quod non de ea tantum harmonia intelligendum, quam VICTOR Capuanus ſaeculo ſexto latine vertit, eam TATIANO tribuens, & in quam ſaeculo duodecimo ZACHARIAS epiſcopus Chryſopolitanus *quatuor libros commentariorum* compoſuit, qui in *bibliotheca maxima patrum tomo XIX. p. 732. ſeqq.* exſtant; ſed & de altera, quam latine vertit, & ſub AMMONII Alexandrini nomine edidit OTTOMARVS LVSCINIVS, Auguſtae Vindelicorum anno 1523, quae & ipſa a CAES. BARONIO, in *annalib.* ad *annum CLXXIV. num. IX.* itemque in verſione theotiſca an. 1706 a IO. PHIL. PALTHENIO edita, TATIANO tribuitur. Refragantur nimirum, ad vltimam quod attinet, BARONIO, HENR. VALESIVS, ad *Euſeb. hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XXIX.* ANT. PAGI, in *critica anti-Baroniana* ad *an. CLXXII. p. 167.* WILH. ERN. TENZELIVS, in *diſſertationib. ſelectis part. I. p. 224.* NICOLAVS LE NOVRRY, *diſſertat. in Tatian. cap. III. §. II.* IO. MILLIVS, in *prolegom. nouo teſtamento graeco* praemiſſis, *num. CCCLI. p. 38.* Nimirum, tametſi genealogiam Chriſti haecce harmonia omittat: hoc tamen parum ad rem facit; cum non ſemel in ea Chriſtus Dauidis filius dicatur. Praeterea, hiſtoriae euangelicae ſynopſin tradituro ſufficiebat dixiſſe, Chriſtum, λόγον aeternum, a quo conditus mundus, in tempore carnem factum fuiſſe ex Maria virgine, cuius paranymphus Ioſeph; iudice IO. MILLIO *l. c.* Obiici equidem poſſet, quod in hacce harmonia Chriſtus non ſemel filius Dauidis vocetur, inde forte originem trahere,

quod harmonia haecce ſcripta ſit; cum IVSTINVS adhuc in viuis, adeoque TATIANVS orthodoxus eſſet, aut ſe talem ſimularet: ſed obſtat tamen auctoritas THEODORETI, diſerte adſerentis, TATIANVM ex ſuo libro ea omnia amputaſſe, quae ad Chriſti ex Dauide ortum pertinebant. Quod autem alii vrgent, TATIANI harmoniam ipſis euangeliſtarum verbis conſcriptam fuiſſe, fruſtra adſeritur; cum nec EVSEBIVS, nec THEODORETVS, nec vllus veterum, hoc diſerte confirmet; vti iam a me obſeruatum in *diſſ. de baereſi Valentiniana* ad *§. XVIII. p. 709.* Nonnulli & hoc addunt, quod TATIANVS in *harmonia* ſua vſus etiam ſit ebraeo Matthaei euangelio. Auctor namque eſt EPIPHANIVS, *euangelicam* TATIANI *harmoniam* a quibusdam *euangelium ſecundum Ebraeos* dictam fuiſſe; *haereſi XLVI. p. m. 391.* VICTOR autem Capuanus, in *praefatione* ad eam *harmoniam,* quam ipſe TATIANO tribuit, refert, quod illam διὰ πέντε inſcripſerit, adiuncto ſcilicet, vt viri quidam docti exiſtimant, quatuor euangeliſtis etiam euangelio ebraeo ſecundum Matthaeum. At alii pro διὰ πέντε legendum putant διὰ πάντων, vt indicetur, eum ex omnibus quatuor euangeliſtis harmoniam ſuam contexuiſſe. Ita quidem ISA. CASAVBONVS, *exercitat. XIII. ad annal. Baronii p. 211.* & THOM. ITTIGIVS, *de haereſiarchis aeui apoſtol. ſect. II. cap. XII. p. 201.* Verum & hoc diſplicet viro doctiſſimo IO. ALB. FABRICIO, qui apud VICTOREM Capuanum pro *dia pente* legendum cenſet: *dia teſſaron;* in *codice apocrypho noui teſtamenti part. I. p. 379.* Quidquid eius ſit; illorum ſententiam, qui, in *harmonia* TATIANI reliquis euangeliſtis *euangelium ſecundum Ebraeos* adiunctum fuiſſe, putant, omni deſtitui fundamento, certum eſt. Ceterum eam *harmoniam*, quam VICTOR Capuanus ſaeculo ſexto latine vertit, perperamque TATIANO vindicauit, rectius AMMONIO Alexandrino tribui, hodie viri eruditi fere conſentiunt. Atque huncce AMMONIVM etiam primum fuiſſe, qui harmoniam quamdam euangeliſtarum condiderit, IO. MILLIVS pronuntiat. *Is omnium certe primus*, inquit, *contexuit euangelium* διὰ τεσσάρων, *ſiue proprie dictam euangeliorum harmoniam. Tatianica nimirum, quae titulo iſto fertur, breuicula erat hiſtoria rerum Chriſti, propriis auctoris verbis expreſſa, ac nihil minus, quam harmonia. Sed Ammoniana haec exhibebat integram hiſtoriam euangelicam, ipſiſſimis euangeliſtarum verbis conceptam; adnexis ad marginem textus ceterorum euangeliſtarum locis* ὁμοφώνοις, *ſeu parallelis, quae dicimus. Operis fundus erat euangelium Matthaei, vt ex Euſebio didicimus, in epiſtola ad Carpianum &c.* Addit deinde porro: *Eamdem* (harmoniam) *per multa ſaecula ſepultam reperit forte in Erbacenſis coenobii apud Moguntinos bibliotheca Michaël Memlerius, ediditque Moguntiae an. 1524. Et quidem cum harmonia haec concinna, atque artificioſe admodum digeſta, nihil praeferat indignum Ammonii nomine; tum ſtructura ipſius operis, & paullo poſt initium adpoſita euangelio Matthaei reliquorum loca* ὁμόφωνα *haud obſcure ſane arguunt, hanc harmoniam illam, ipſam eſſe, quam digeſſit Ammonius. Complectitur autem integrum, numerisque omnibus abſolutum diateſſaron, iniectis in euangelium Matthaei e reliquis tribus, quaecumque apud ipſum haud occurrebant, &c.* in *prolegomenis nouo teſtamento graeco* praemiſſis, *num. DCLX. p. 63.* Vbi, quod inter alia dixit, harmoniam hancce eamdem eſſe, ac *quatuor euangeliorum conſonantiam*, quam MICH. MEMLERIVS Moguntiae edidit, recte ſe habet; quippe quod & THOM. ITTIGIVS confirmat, *de bibliothecis & catenis patrum*, in *praefat. p. 31.* AMMONIVM autem huncce Alexandrinum, qui tertio poſt Chriſtum natum ſaeculo

culo vixit, & harmoniae huius auctor eſt, diuerſum eſſe ab AMMONIO, qui Saccas vocatur, atque PLOTINI praeceptor exſtitit, docet IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. IV. c. XXVI. p. 172.* & *lib. V. cap. I. p. 83.* Confundi namque plerumque hi inter ſe ſolent; quod & a GVIL. CAVEO factum, in *hiſt. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. III. p. 52.* itemque a IAC. LE LONG, in *bibliotheca ſacra c. XIV. p. 378.* vbi & varias eius editiones indicat, ſed vt hancce, de qua loquimur, harmoniam, ab ea, quam OTTOMARVS LVSCINIVS edidit, non ſatis diſtinguat. AMMONIVS porro hicce Alexandrinus alio adhuc nomine nobis commemorandus eſt. Scripſit enim etiam *de conſenſu Moſis & Ieſu* opus, itemque *canones euangelicos*, harmoniae euangeliſtarum inſeruientes. Ita namque HIERONYMVS: *inter multa ingenii ſui & praeclara monumenta etiam de conſonantia Moyſi & Ieſu elegans opus compoſuit, & euangelicos canones excogitauit, quos poſtea ſequutus eſt Euſebius Caeſarienſis*; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſtic. c. LV.* Quemadmodum autem prius illud opus, *de conſenſu Moſis & Ieſu*, non amplius exſtat; ita, ad *canones euangelicos* quod attinet, aut errare HIERONYMVM, aut non ſatis adcurate loqui, viri docti arbitrantur, dum eos AMMONIO tribuere videtur; ſiquidem non tantum CASSIODORVS eos diſerte EVSEBIO adſcribat, de *inſtitut. diuinar. ſcripturar. c. VII. p. m. 455.* ſed & EVSEBIVS ipſe in *epiſtola ad Carpianum*, *canonibus* hiſce praefixa, teſtetur, *monoteſſaron* AMMONII occaſionem ſibi dediſſe, canones hoſce excogitandi. EVSEBIO itaque, non AMMONIO, eos tribuendos, contendit RICH. SIMON, in *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. c. VI. p. 90.* Alii autem exiſtimant, canones hoſce ab AMMONIO excogitatos, ſed magis excultos & perpolitos ab EVSEBIO. A qua non alienus eſt ſententia GVIL. CAVE, in *hiſt. litterar. ſcriptor. eccleſ. part. I. ſaec. III. p. 53.* Interim *canones* iſti, *harmoniae* AMMONII praemitti aut ſubiungi ſolent, & alias quoque editi ſunt; vt deinceps, cum de EVSEBIO verba facienda erunt, dicemus. Vt autem ex iis, quae hucusque diſputauimus, abunde conſtat, eam *harmoniam*, quam VICTOR Capuanus latine vertit, & perperam TATIANO tribuit, rectius AMMONIO vindicari: ita de altera, quam OTTOM. LVSCINIVS edidit, quaeri adhuc poſſet, quemnam auctorem agnoſcat? TATIANI non eſſe, quod CAESAR BARONIVS ſibi perſuaſit, iam oſtendimus. Sed non aeque facile dictu eſt, quis demum eius auctor ſit. IO. MILLIVS ita hac de re pronuntiat: *Tractatus iſte* (de harmonia hacce loquitur) *neutiquam Tatiani harmonia eſt, ſed epitome quaedam euangeliorum, ab Ammonio Alexandrino forſan* (*quod ferebat titulus in graecis Ottomari Luſcinii*) *iuniore illo ſcilicet, qui floruit circa annum 458, aut alio aliquo erudito ac probe catholico ſcriptore concinnata*; *l. c. num. 353. p. 39.* Eodem, quo TATIANVS, ſaeculo ſecundo etiam vixit THEOPHILVS Antiochenus, *qui quatuor euangeliſtarum in vnum opus dicta compingens, ingenii ſui nobis monumenta dimiſit, haec ſuper hac parabola in ſuis commentariis eſt loquutus*; vt ait HIERONYMVS in *epiſtola* ſiue *libro quaeſtionum ad Algaſiam*, *tom. IV. operum part. I. p. 197.* edit. IO. MARTIANAEI. Ex quibus HIERONYMI verbis videtur colligi poſſe, THEOPHILVM quoque *harmoniam* quamdam *euangeliſtarum* ſcripſiſſe; niſi forte *harmoniam* cum *commentariis in euangelia*, de quibus antea diximus, confundat. Certe, ſi THEOPHILVS harmoniam quamdam ſcripſit; ea aeque ac TATIANI, quae ita vocatur, periit. Conferenda, quae tum de hacce, tum de reliquis, de quibus hucusque verba fecimus, diligenter collegit vir doctiſſimus NIC. ALARDVS, in *bibliotheca harmoni-*

co-biblica cap. II. p. 72. ſeqq. Locum denique hic ſibi concedi quodammodo poſtulat IVLIVS Africanus, qui ſaeculo poſt Chriſtum natum tertio floruit, ob *epiſtolam ad Ariſtidem, de diſſenſione, quae videtur eſſe inter Matthaeum & Lucam in genealogia Chriſti enarranda.* In ea namque id agit, vt ex traditione quadam, diſſenſum, qui inter hosce euangeliſtas in genealogia Chriſti intercedere videtur, tollat. Partem quamdam huius *epiſtolae* exhibet EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. lib. I. c. VII. p. 20. ſeqq.*

§. IX. Saeculo quarto, quinto, immo adhuc ſexto, magni praeſtantiſſimique in eccleſia floruerunt viri: qui ſi tanta linguae ebraeae, aliorumque ſubſidiorum, quae ad ſcripturae interpretationem requiruntur, notitia fuiſſent inſtructi, quantam ingenii vim ad hocce ſtudiorum genus attulerunt; prorſus eximii quid ab iis exſpectari potuiſſet. Vni fere HIERONYMO rerum ebraicarum graecarumque cognitio obtigit; vnde & reliquos omnes magno poſt ſe reliquit interuallo. * In cenſum vero & illi veniunt, qui in hocce temporis ſpatio librorum, aut locorum quorumdam ſcripturae, dederunt metaphraſes, verſionibusque, aut graecis, aut latinis, ea illuſtrare adgreſſi ſunt. **

* Inter quarti ſaeculi doctores eccleſiaſticos primus nobis occurrit EVSEBIVS Caeſarienſis, qui exegeticis non minus, quam polemicis ac hiſtoricis, ſcriptis inclaruit. *Commentarios* eius *in pſalmos*, poſtquam diu ſatis tenebris conſepulti iacuerant, tandem in lucem protraxit, graeceque cum latina verſione edidit BERNHARDVS DE MONTFAVCON, in *collectione noua patrum & ſcriptorum graecorum, Euſebii Caeſarienſis, Athanaſii & Coſmae aegyptii;* Pariſiis an. 1706, duobus tomis in fol. Cuius quidem operis integrum tomum priorem *commentarius* hicce implet. EVSEBIVS Vercellenſis, qui itidem ſaeculo quarto vixit, *commentarios* hosce latine transtulit; ſed vt expurgaret, quae Arianam haereſin ſaperent. Ex HIERONYMO hoc obſeruat BERNH. DE MONTFAVCON, in *praeliminarib. in Euſebii commentar. in pſalmos cap. II. p. 4.* Iſta autem EVSEBII Vercellenſis interpretatio iamdudum periit; quemadmodum & graeca ipſa in pſalmos XXXI poſteriores deſiderantur. Omnes enim pſalmos CL EVSEBIVM commentariis ſuis illuſtraſſe, teſtatur HIERONYMVS, in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſt. c. LXXXI.* Ad ipſum autem interpretandi genus, quo EVSEBIVS in hisce *commentariis* vſus eſt, quod attinet; BERNHARDVS DE MONTFAVCON primum, obſeruationes criticas egregiae notae in iis ſe deprehendiſſe, exiſtimat. *Obſeruationes Euſebii*, inquit, *criticae, egregiae notae ſunt. Nam praeter ea, quae in praefationibus feruntur, non ſpernenda ſane; multa expoſitionibus ſuis de ordine, & de auctore cuiusque pſalmi ſubinde praemittit, quae iudicium, peritiamque ſcriptoris arguant; qua in re ſane vix adcuratius, ſagaciusque diſputari poſſe, aeſtimabunt periti; l. c. cap. IV. p. 9.* Laudandus praeterea EVSEBIVS, quod de ſenſu litterali fuerit ſollicitus; etſi linguae ebraeae ignorantia obſtiterit, quo minus ſemper rem acu tetigerit. Qua de re idem vir doctiſſimus ita loquitur: *Litteralem pſalmorum mentem vbi explicat Euſebius; genuinum vulgo ſenſum adtingit, neque ita frequenter aberrat a ſcopo, & a vera pſalmorum ſententia. Aderat quippe opima illa hexaplorum ſupellex, vnde & ebraicam lectionem,*

Digitized by Google

ctionem, & veterum interpretum verſionem mutuari poſſet. Neque enim, vt ex his commentariis deprehendere licet, ebraice peritus fuit Euſebius; ſiquidem de ebraica ille lectione plerumque non ita docte ediſſerit; vtpote qui ebraica graecis litteris expreſſa, qualia in hexaplis erant, tantum legerit; ſed ſi quid de vocibus & litteris ebraicis hinc inde tradat, id ex Ebraeis mutuatus eſt. Et mirum ſane, hominem, qui in Palaeſtina aetatem egit, cum Iudaeis frequenter ſermonem habuit, hexaplis & bibliothecae diuinae cum Pamphilo martyre digerendis operam dedit, ebraice ineruditum fuiſſe? Doctoribus autem ſuis nimis credulum perſaepe deprehendas; vtpote qui nonnulla interdum adferat, vbi adcuratior notitia deſideretur &c. Nec tamen myſticam interpretandi rationem, eo tempore vel maxime vſitatam, EVSEBIVS neglexit. *Myſtagogicam explanandi viam,* ita idem vir eruditus pergit, *qua ad Chriſti perſonam, vel eccleſiam, ſiue ad fidelem animam, aut demum ad caeleſtem Sionem, omnia reducuntur, admodum frequentauit Euſebius.* Obſeruatu digna eſt cauſſa, quam adfert, cur eo tempore chriſtiani doctores hanc ſcripturam ingreſſi ſint interpretandi rationem: *quia illo aeuo, cum Iudaei perpetuo chriſtianis obgannirent, atque ex praue detorta ſcripturarum ſententia, chriſtiana de ſeruatore dogmata traducerent indies; ſcriptores eccleſiaſtici contra, vt petulanti & proteruo generi occurrerent, omnia ad Chriſtum, & ad Chriſti eccleſiam, referebant; nec modo ea, quae de Chriſto, & de Chriſti fidelibus diſerte & euidenter enuntiata fuerunt; ſed etiam, quae, haud ita dilucide enarrata, poſſent in vtramuis partem deriuari.* Immo myſticam hanc interpretandi ſacras litteras rationem, adeo iſta aetate receptam fuiſſe, adſerit, vt vix tutum fuerit, ab ea diſcedere: *Nec tutum erat illis temporibus, interpretandi aliam inire rationem: certe non impune fuit Theodoro Mopſueſteno, quod neglecta myſtagogica illa, litterali ſolum adcenderet.* Quae porro pro myſtica iſta interpretatione, cuius originem ex ſcriptura ſacra deriuat, diſputat; nunc non attingemus: cum ſuo loco expoſituri ſimus, an, & quouſque, admitti queat. Id recte monet, non EVSEBIVM modo, ſed THEODORVM Heracleotem, CHRYSOSTOMVM, THEODORETVM, & alios pleroſque, hancce in ſcriptura explicanda viam ingreſſos eſſe; *qua in parte,* inquit, *ſi vnum noris, omnes noris.* Denique & illud addit, EVSEBIVM *expoſitiones Origenis haud obſcure ſectari, tam quod ad ipſam explanandi rationem, quam quod ad verborum ſeriem &c. l. c. pag. 10.* Quae MONTFAVCONIVS in iisdem *praeliminaribus, c. V. ſeqq.* de dogmatibus EVSEBII ex hocce eius *commentario* adfert, lectu prorſus digna; nonnulla quoque ita comparata ſunt, vt adcuratiorem diſcuſſionem promereantur; ſed ea non ſunt huius loci. *Commentariorum* EVSEBII in *Eſaiam* magnam partem ex tenebris eruit, graeceque ac latine edidit, idem BERNH. DE MONTFAVCON, in operis iam laudati *tomo II. p. 357. ſeqq.* In *praefatione*, iis praemiſſa, docet, eamdem interpretandi rationem hic tenere EVSEBIVM, qua in *commentario in pſalmos* vſus ſit; *litteralem* ſcilicet non ſolum, ſed & *myſtagogicum ac allegoricum ſenſum, eum exquirere & adferre.* Cumque porro monuiſſet, *hanc diſciplinam euangeliſtarum apoſtolorumque exemplo tenuiſſe patres;* addit: *Quamobrem Hieronymus non eo Euſebium carpit, quod Eſaiam allegorico ſubinde more interpretetur, ſed quod promiſſorum immemor, qui ſe litteralem hiſtoricamque ſententiam adlaturum profeſſus erat, interdum ad allegoriam declinet; §. II. p. 351.* Sic & in hocce non minus, quam priori in *pſalmos commentario*, EVSEBIVM hexaplorum, & veterum interpretum lectiones, adferre, obſeruat. Dum autem §. *III.* de dogmatibus EVSEBII, in hiſce *in Eſaiam commentariis* occurrentibus, verba facit; eum

eum de filio Dei parce & ſobrie loqui, contra atheos & genethliacos ſubinde diſputare, & apoſtolos quatuordecim numerare, docet. Ex *commentariis* EVSEBII *in canticum canticorum fragmenta* IOAN. MEVRSIVM edidiſſe, refert IO. ALB. FABRICIVS; ſimulque, *commentarium* illum totum, ſub EVSEBII nomine ex codice bibliothecae palatinae editum, eius non eſſe, pronuntiat; *biblioth. graec. volum. VI.* ſiue *lib. V. c. IV. p. 95.* De *canonibus euangeliorum*, quos HIER. AMMONIO Alexandrino tribuere videtur, alii autem EVSEBIO vindicant, iam ſupra dictum. Editi ſaepius ſunt; praeterque alios etiam IO. MILLIVS eosdem graece, cum EVSEBII *epiſtola ad Carpianum*, *nouo* ſuo *teſtamento graeco*, poſt *prolegomena*, praefixit. *Epiſtolam* EVSEBII *ad Carpianum* etiam exhibet FABRICIVS, *l. c. p. 97.* qui & plura de hiſce canonibus tradit. Denique & περὶ τῆς τῶν εὐαγγελίων διαφωνίας, *de euangeliorum diaphonia*, ſcripſiſſe EVSEBIVM, auctor eſt HIERONYMVS, in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſtic. c. LXXXI.* Sed hocce opus non amplius exſtat, aut alicubi in tenebris iacet.

ATHANASIVS, in Arianis, aliisque haereticis, debellandis, totus fuit: polemicisque adeo potius, quam exegeticis ſcriptis inclaruit. Nec tamen nullam in ſcriptura ſacra explicanda operam poſuit. *Expoſitiones* eius *in pſalmos*, longe copioſiores, quam hucusque factum erat, at non prorſus integras, euulgauit, BERNH. DE MONTFAVCON, in iſta operum ATHANASII editione, cui ipſe poſt IAC. LOPINVM, aut cum illo, manum admouit, *tomo II.* ſiue *tomi I. parte poſteriori, p. 1009. ſeqq.* Deinde idem MONTFAVCONIVS *argumentum* ATHANASII *in pſalmos*, itemque *ſupplementa*, dedit in *collectione noua patrum & ſcriptorum graecorum, tomo II. p. 69. ſeqq.* In eadem *collectione* exhibentur *fragmenta commentariorum in euangelium Matthaei, p. 24. ſeqq.* item in *euangelium Lucae, p. 42. ſeqq.* Quae autem *p. 49. ſeqq.* ſequitur *homilia in canticum canticorum*, ab ipſomet editore vt ſpuria & ſuppoſititia reiicitur. Mitto alia eiusdem generis & fragmenta, & homilias, quarum nonnullae genuinae, quaedam dubiae, aliae ſpuriae ſunt, & partim in *operibus* ATHANASII, partim in *noua* iſta *collectione* exſtant: cum, quae diximus, ſufficiant, vt inde intelligatur, ATHANASIVM & ad ſcripturae explicationem acceſſiſſe. De *epiſtola* ATHANASII *feſtali*, quae eſt *XXXIX.* in qua libros ſacri codicis, quos eccleſia ipſius aetatis, ceu canonicos, receperit, cuius adhuc fragmentum exſtat; ad §. *IV.* huius capitis diximus. *Synopſin* autem *ſcripturae*, quae inter opera ATHANASII edi ſolet, perperam illi tribui; ibidem obſeruauimus. Eamdemque pluribus confirmat ſententiam BERNH. DE MONTFAVCON, in *animaduerſionibus in vitam & ſcripta Athanaſii*, ſcriptis ATHANASII in *collectione noua* &c. *tomo II.* praemiſſis, *animaduerſione XV. p. 38. ſeqq.* vbi & contra SEB. NANVM TILLEMONTIVM, ſecus hic ſentientem, diſputat. Ad rationem, interpretandi ſcripturam, qua ATHANASIVS vſus eſt, quod attinet; ex ſcriptis eius, quae ſuperſunt, exegeticis, patet, eum ab allegorica ſcripturam explicandi ratione non prorſus alienum fuiſſe. Huc ſane videtur referri poſſe, quando verba: *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te* &c. *Matth. V. 29.* explicaturus, per *corpus*, eccleſiam, & per *oculos* & *manus*, ceu membra corporis, epiſcopos & diaconos intelligit, qui amputandi & reiiciendi ſint, ſi quid, quod noxium eccleſiae eſſe queat, admittant. Cum ATHANASIVS contra aduerſarios diſputat; non tantum iis ſcripturae dictis vtitur, quibus diſerte id continebatur, quod probandum erat; ſed conſequutionibus quoque, rite inde deriuatis, pugnat. Eumdemque morem cum etiam Ariani ſequeren-

Digitized by Google

rentur; RICH. SIMON nouam quamdam rationem, ſcripturam interpretandi, ea aetate enatam, exiſtimat; in *hiſtor. crit. comment. noui teſtam. cap. VI. p. 91.* Felicius magnum huncce eccleſiae doctorem, & in ſcripturae explicatione, & in controuerſiis cum Arianis, verſari potuiſſe, ſi linguae ebraeae fuiſſet peritus; iam ſupra obſeruatum eſt, ad *cap. praeced.* §. *IV.*

BASILIVS magnus, qui eodem ſaeculo quarto vixit, in *homiliis* ſuis rhetorem magis, quam adcuratum ſcripturae interpretem agit. Quauis enim arrepta occaſione ad locos communes digreditur, eaque adfert, quae ad fidem inſtruendam, moresque formandos, comparata ſunt: de ſenſu genuino ſcripturae ſacrae inueſtigando non adeo ſollicitus. Huius tamen cumprimis loci ſunt *homiliae* eius *nouem in hexaëmeron tomo I. operum* eius, quae Pariſiis an. 1638 tribus tomis in fol. prodierunt. Lectu dignae ſunt iſtae *homiliae*, quae & ſaepiſſime a veteribus non ſine elogio commemorantur. Verſiones earum latinas recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V. cap. XIX. p. 70.* vbi ſimul & reliquos, qui in hexaëmeron, tum ante BASILIVM, tum poſt eum, ſcripſerunt, laudat. Sequuntur in eodem *operum* eius *tomo I. p. 107. ſeqq. homiliae XVII. in quosdam pſalmos*, quarum *prima*, quae eſt in *pſalmum I.* prooemium aliquod in omnes pſalmos Dauidicos continet. Pſalmos hoſce ibi ita commendat: ἴαμα γάρ, φησι, καταπαύσει ἁμαρτίας μεγάλας. ἄλλα μὲν οὖν προφῆται παιδεύουσι, καὶ ἄλλα ἱστορικοὶ, καὶ ὁ νόμος ἕτερα, καὶ ἄλλα τὸ εἶδος τῆς παροιμιακῆς παραινέσεως· ἡ δὲ τῶν ψαλμῶν βίβλος τὸ ἐκ πάντων ὠφέλιμον περιείληφε· προφητεύει τὰ μέλλοντα· ἱστορίας ὑπομιμνήσκει· νομοθετεῖ τῷ βίῳ· ὑποτίθεται τὰ πρακτέα· *Medicina enim, inquit,* (ſcriptura) *ſedabit magna delicta. Alia proinde nos ipſi prophetae erudiunt, hiſtorici perdocent alia, alia item inſtruit lex. Rurſus alia commonendae eccleſiae ſpecies ex opere prouerbiorum eruitur. At hic vnus pſalmorum liber quiduis ex omnibus: futura certiſſimis praecinit oraculis: hiſtoricam continet narrationem: leges ſancit vitae ſanctius inſtituendae: cuique agenda praeſcribit, & ſubmonet.* Plura eiusdem generis ibidem legere licet. *Scholia in pſalmos centum & quinquaginta*, quae in latinis operum BASILII editionibus exſtant, graece autem nondum edita ſunt, ex BASILIO, CHRYSOSTOMO ac THEODORETO collecta eſſe; praeeuntibus iam aliis, monet IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 91.* Conferendus & ANDR. RIVETVS, *critic. ſacr. lib. III. cap. XX. p. 333. Enarratio* (ἑρμηνεία) BASILII *in Eſaiam prophetam*, ſedecim ſcilicet priora capita, quae *tomo II. operum* eius *p. 13. & ſeqq.* exhibetur, DESID. ERASMO viſa non eſt BASILII *phraſin ſapere*, qui & in hac fuit ſententia, eam aut alterius eſſe Baſilii, aut inſcriptionem hancce additam, vt magis commendaretur lectori. Grauiter hinc iraſcitur ERASMO GODEFR. TILMANNVS, qui *enarrationem* hancce Romana ciuitate donauit, & pro ea *apologiam* ſcripſit, illi in editione *operum* BASILII, antea memorata, praefixam, in qua *calumnioſas*, quas vocat, ERASMI *ſuſpiciones* refellere adnititur. Rationes eius ſummatim repetit, ſimulque ad eas reſpondet, ſententiamque ERASMI tuetur, ANDR. RIVETVS, *critic. ſacr. libr. III. cap. XX. p. 332.* Contra RIVETVM rurſus diſputat, commentariumque huncce recte BASILIO tribui contendit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. noui teſtam. ſaec. IV. c. VI. art. XIX.* §. *III. p. 140.* At non deeſſe dubitandi rationes, an hicce *commentarius* BASILII ſit? Graecisque hic ſuſpicionem enatam, quod ſtilus *commentarii* huius Baſiliano longe abſimilis videatur; non diſſimulat BERNH. DE MONTFAVCON, *praefat. in comment. Euſebii in Eſaiam; collectionis nouae tomo II. pag. 351.*

De BASILIO quod diximus, eum oratoribus potius ſacris, quam interpretibus ſcripturae adnumerandum eſſe; idem & de GREGORIO vtroque, Nyſſeno, BASILII fratre, & Nazianzeno, eſt obſeruandum. Interim ex illius commentationibus hic maxime in cenſum veniunt: ἀπολογητικὸς περὶ τῆς ἑξαημέρου, *explicatio apologetica in hexaëmeron, tom. I. oper. p. 1. ſeqq.* editionis Pariſienſis anni 1615 duobus tomis in fol. in qua cum Moſis pariter, ac fratris ſui BASILII, in cuius *hexaëmero* nonnulli, quod carperent, ſibi inueniſſe viſi erant, cauſſam agat, idcirco *apologetica* vocatur; *tractatus duo in pſalmorum inſcriptiones, pag. 257. ſeqq.* ἐξήγησις ἀκριβὴς εἰς τὸν ἐκκλησιαστὴν τοῦ Σολομῶντος, *adcurata expoſitio in eccleſiaſten Salomonis*, conſtans concionibus, ſiue homiliis octo, quarum vltima in *cap. III. verſ 13.* ſubſiſtit, *p. 337. ſeqq.* ἐξήγησις ἀκριβὴς εἰς τὰ ᾄσματα τῶν ᾀσμάτων τοῦ Σολομῶντος, *adcurata expoſitio in canticum canticorum Salomonis*, quae homiliis abſoluitur quindecim, & vsque ad *verſ. 10. capitis VI.* progreditur: *p. 468. ſeqq;* εἰς τὴν προσευχὴν, *in orationem dominicam, homiliae quinque, p. 712. ſeqq;* εἰς τοὺς μακαρισμοὺς, *in octo beatitudines, Matth. V. 1. ſeqq. p. 762. ſeqq.* Ex GREGORII autem Nazianzeni monumentis hic cumprimis commemoranda eſt μετάφρασις εἰς τὸν ἐκκλησιαστὴν, *metaphraſis in eccleſiaſten*, quae *tomo I. operum* eius exſtat, *pag. 749. ſeqq.* editionis, quae Coloniae, aut Lipſiae potius, an. 1690 duobus tomis in fol. prodiit. Παράφρασιν potius, quam μετάφρασιν. hancce commentationem dicendam; monet DAN. HEINSIVS, *Venerabile*, inquit, *antiquitatis monumentum, Gregorii Neocaeſarienſis* (namque huic, non autem Nazianzeno, hanc *metaphraſin* tribuendam, viri docti cenſent, vt mox dicemus) *in eccleſiaſten exſtat paraphraſis; quam nunc μετάφρασιν inſcribunt. Multa ibi terſe ac polite explicantur; neque aliud tam illi curae fuit, quam quod proprium eſt paraphraſtae, vt in ſcripto obſcuriſſimo connexionem, ſeu τὴν ἀκολουθίαν, demonſtraret; quod & feliciter plerumque adſequutus eſt. Itaque inoffenſo pede per helleniſtarum remoras, quod noſtro vel inprimis deeſt, & ſignificanter graece, aequor hoc decurrit; ita vt libentius nonnulla praetermittat* ([illegible] *enim, quod non probo, integrae deſiderantur) quam vt non connectat; cum tamen alibi nonnihil, quamuis nusquam extra leges paraphraſeos, inſiſtat. Veram breuitatem enim, vt iam dixi, in hoc genere amabant veteres. Scio, alibi non tantum ab Ebraeis, ſed a ſuis etiam abire* &c. in *Ariſtarcho ſacro cap. XI. p. 809.* Docet deinde HEINSIVS, perperam hanc *paraphraſin* GREGORIO Nazianzeno tribui; quod & pluribus confirmat ANDR. RIVETVS, *critic. ſacr. lib. III. cap. XXII. p. 341.* Nec diſſentit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. nou. teſtam. ſaec. IV. artic. XXII. pag. 148.* Conſentiunt hodie fere viri eruditi, GREGORIVM Neocaeſarienſem, ſeu thaumaturgum, *paraphraſeos* iſtius auctorem eſſe: interim in antiquiſſimis codicibus eam inter ſcripta genuina Nazianzeni referri, monet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VII.* ſiue *lib. V. cap. XIII. pag. 521.* Exſtat etiam inter opera GREGORII Nazianzeni σημασία εἰς τὸν Ἰεζεκιήλ. *ſignificatio in Ezechielem*, in qua de quatuor apud Ezechielem animalibus diſſeritur; *tom. I. pag. 123.* De ea, cum, Graecos, an GREGORIO huic tribuenda ſit, dubitare, dixiſſet ANDR. RIVETVS; addit: *Et ſane hic ita inuoluta & intricata ſunt omnia, immo ita inuerſa atque confuſa, atque adeo ſtilus ipſe ita ſalebroſus & perturbatus, vt mihi hoc opuſculum tanti auctoris nomen nullo modo ſuſtinere poſſe, videatur. Plane ſcopas diſſolutas eſſe, dixeris; critic. ſacr. lib. III. cap. XXII. pag. 342.*

Sed accedendum nobis ad IO. CHRYSOSTOMVM, qui tantam nominis conſequutus eſt celebritatem, tantamque ob inter-

Digitized by Google

terpretandi ſacras litteras peritiam, auctoritatem, vt Graeci deinceps hunc vnum fere ducem & anteſignanum, in ſacri codicis libris interpretandis, ſequerentur. Et licet, vt reliqui eius aetatis patres, rhetorem magis agat, quam ſcripturae interpretem; dum homilias, ſeu ſermones ad populum, non commentarios proprie ſic dictos, ſcripſit: ſubinde tamen in vero & genuino ſenſu eruendo haud contemnendam operam collocauit. Neque ſolum dicta quaedam, aut effata ſpecialia, ſcripturae ſacrae, explicauit; aut peculiare aliquod argumentum in homiliis ſuis ſibi pertractandum ſumſit: ſed integros quoque libros biblicos eadem ratione exponere adgreſſus eſt. Hoſce vero eius commentarios ſpeciatim indicare neceſſe non eſt; cum & ex *operibus* eius, iunctim editis, ſatis noti ſint, & eosdem etiam iuſta ſerie enarret IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. cap. XV. pag. 643. ſeqq.* De *homiliis LV. in acta apoſtolorum*, quae in *commentariorum* eius *in nouum teſtamentum tom. III.* editionis, quae Francofurti ad Moenum anno 1697 prodiit, exſtant, nonnulli equidem dubitant, an CHRYSOSTOMVM auctorem agnoſcant; quos inter ipſe DESID. ERASMVS Roterodamenſis eſt, qui nihil CHRYSOSTOMO dignum in iis reperire potuit. At PHOTIVS, qui quinquaginta iſtarum *homiliarum* legerat, eas, qua elegantiam ſtili, praefert *homiliis* CHRYSOSTOMI *in geneſin; cod. CLXXII. p. m. 387.* CASSIODORVS quoque teſtatur, ſe easdem *homilias* CHRYSOSTOMI ex graeco in latinum ſermonem transferri curaſſe; *de inſtitut. diuinar. ſcripturar. cap. IX. p. m. 456.* IACOBVS praeterea BILLIVS ad IO. DAMASCENVM prouocat, qui, *lib. III. de orthodoxa fide cap. XV.* ex hiſce commentariis teſtimonium producens, diſerte CHRYSOSTOMVM auctorem vocauerit; *lib. I. ſacrar. obſeruat. cap IX.* Fatetur tamen idem BILLIVS, CHRYSOSTOMVM hic *in interpretando ſcripturae contextu breuiorem aliquanto, minusque adcuratum, quam pro ſuo more, eſſe.* Atque haec etiam RICH. SIMON obſeruauit, qui licet ipſemet agnoſcat, ſtilum methodumque tractandi minus adcuratam in hiſce *homiliis* deprehendi; hoc tamen non obſtare, putat, quo minus ſint CHRYSOSTOMI; cum, ob labores alios, minorem ad homilias quasdam adferre diligentiam potuerit, quam ad alias; *hiſtor. crit. commentator. noui teſtam. c. XL pag. 162.* THEOPH. RAYNAVDVS adeo iraſcitur ERASMO, quod *homilias* haſce CHRYSOSTOMO abiudicauerit, vt *ſtuporem pecuinum* illi obiicere non dubitet; *erotemat. de malis ac bonis libris, partit. I. erotem. IV. p. 24.* Nimirum in eo totus ibi eſt, vt omnem furorem in ERASMVM effundat. *Homiliae XCI.* CHRYSOSTOMI *in Matthaeum* exhibentur *tomo I. commentariorum* eius *in nouum teſtamentum*, editionis antea memoratae. Eas THOMAM AQVINATEM tanti feciſſe, vt tota ciuitate Pariſienſi illas permutare noluerit, ex THOMAE BARTHOLINI *diſſertat. V. de legendis libris p. 148.* refert IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VII.* ſiue *lib. V. cap. XV. pag. 646.* De DIONYS. CARTHVSIANO ſimile quid idem vir eruditiſſimus obſeruat, quod dixerit: *Mallem habere opus imperfectum Io Chryſoſtomi ſuper Matthaeum perfectum, quam eſſe dominus ciuitatis Pariſienſis:* ſed recte addit, opus hoc *imperfectum in Matthaeum* diuerſum eſſe ab *homiliis* CHRYSOSTOMI *in Matthaeum*, antea memoratis. Nimirum *opus* hoc *imperfectum in Matthaeum*, quod latine tantum exſtat, cuiusue haud infrequens apud viros eruditos eſt mentio, CHRYSOSTOMI non eſſe, ab omnibus hodie agnoſcitur; videturque, iudice GVIL. CAVEO, potius latini cuiusdam ſcriptoris, eiusque Arianorum ſemina ſpargentis, eſſe, ſaltem a quibusdam ex grege Arii, Montani, Manichaei &c. non leuiter interpolatum. Addit,

opus non inerud tum eſſe, & Chryſoſtomi aeuo certo certius ſcriptum, ſed quod auctorem graecum vix agnoſcat; ac proinde neutiquam mirum videri debere, graeca hodie non reperiri; hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. IV. pag. 183. Conferenda &, quae de hocce opere diſſerit ANDR. RIVETVS, *crit. ſacr. lib. IV. cap. I. p. 377.* Sub CHRYSOSTOMI nomine illud anno 1537 edidit IO. MAHVSIVS, monachus Franciſcanus; qui & Chryſoſtomi illud eſſe credidit, at ab Ariano quodam interpolatum; hinc & detruncauit, quae Arianam ſapere haereſin videbantur; quo nomine vapulat RICH. SIMONI, qui de eodem varia obſeruatu digna adfert, in *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. c. XIII. p. 191. ſeqq.* Ceterum, multis & exquiſitis ingenii dotibus eminere CHRYSOSTOMVM; etſi ſuis etiam naeuis non careat; nemo negauerit. De eloquentia eius nunc non dicemus, quae, vt reliquorum patrum, praeſertim graecorum, multum ſaepe oſtentationis & taedioſae declamationis habet. Iam alibi hac de re verba fecimus. Ingenio cum eſſet florentiſſimus, in explicandis hiſtoriis ſacris, circumſtantiisque, quae nos latent, euoluendis, coniecturis ſuis admodum indulget, & quo pacto res aliqua geri potuerit, veroſimili quadam ratione exponit; multoſque deinceps ſua auctoritate induxit, vt crederent, reuera eas ita geſtas eſſe. Senſui litterali, cum textum explicat, magis inhaeret, quam vllus fere eius aetatis commentatorum; nec tamen allegorias prorſus ſpernit. Subinde ORIGENEM ſequitur, ſed vt caute euitet, quae in eo reprehendi ſolent. In digreſſionibus frequens eſt, ſaepiuſque ad locos communes theologicos & morales dilabitur; in quibus tamen vtilia ac profutura tractat. Inter locos vero iſtos communes, quibus maxime delectatur, eminet doctrina *de lectione ſcripturae ſacrae*, quam numquam non inculcat, lectionemque iſtam omnibus omnino hominibus, non ſacri tantum ordinis, ſed & reliquis, vehementiſſime commendat: obſeruante ipſo RICH. SIMONE, *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. c. X. p. 149.* Quod ſibi dictum putent illi ex romanae eccleſiae addictis, qui laicos, quos vocant, a ſcripturae ſacrae lectione arcent. Ebraeae linguae rudis fuit CHRYSOSTOMVS; a Iudaeis tamen, quae ad illorum ritus & caerimonias pertinent, didicit; hinc talia interdum homiliis ſuis adſpergit, ſubinde etiam occaſionem, Iudaeos refutandi, captat.

Ex orientali eccleſia cum in occidentalem progredimur; ſtatim ſeſe nobis offert HILARIVS, epiſcopus Pictauienſis, alibi quoque iam non ſine laude nobis commemoratus. Exſtant namque eius & in *pſalmos*, & in *euangelium Matthaei*, commentarii. Eum in omnes *pſalmos* commentatum, probabile putant monachi Benedictini, qui *opera* eius ediderunt, Pariſiis anno 1693 in *admonitione*, *commentario* huic praemiſſa, *p. 168.* Quod ſi verum eſt, ea, quae in hocce *commentario* deſunt, adhuc alicubi deliteſcere, neceſſe eſt; niſi prorſus perierint. De interpretandi ratione, quam HILARIVS in hocce *commentario* tenuit, iidem monachi ita pronuntiant: *In his exponendis duo pariter cauit extrema. Neque enim eos probauit, qui in pſalmis aut nihil praeter litteram ſapiunt, aut nihil non ad Chriſtum referri volunt. Laudat quidem in his propoſiti pietatem; ſed vt in eo permaneatur, veritati vim ſaepe faciendam agnoſcit; cum in pſalmis quandoque fides & vocatio gentium nuncietur, quandoque iudaici populi aut arguantur peccata, aut praedicetur vindicta; modo etiam ad timorem, modo ad laudem & confeſſionem Dei erudiamur; l. c.* Iidem monachi de hocce *commentario* haec porro obſeruant: *in hoc labore etſi Origenis lucubrationibus adiutus, earum tamen exſcriptor aut interpres non fuit. Aliud enim eſt imitari, aliud interpretari, aut exſcribere. Nec interpretis officio fungitur, qui alia addit, reſecat alia, & cetera pro-*

proprium in ſtilum conuertit; *l. c. pag. 172.* Confirmant haec teſtimonio HIERONYMI, qui, de hocce HILARII *in pſalmos commentario* verba faciens, *in quo opere*, inquit, *imitatus Origenem*, *nonnulla etiam de ſuo addidit*; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſtic. cap. C. p. m. 94.* Verum paullo aliter ſentit RICH. SIMON. In hocce enim HILARII *in pſalmos commentario* ſenſum quemdam ſpiritualem, & ad myſteria noſtra adcommodatum, inueniri, ait, qui vtique cognoſcendis chriſtianae religionis veritatibus inſeruiat; idem tamen cum ſaepe a ſenſu litterali longius diſcedat, methodum hancce minus exactam eſſe: accedere, quod ſenſum ſpiritualem inueſtigaturi, ſaepe vltra, quam par eſt, prouehantur, ſuaeque imaginationis luſus pro ſenſu ſpirituali, ſeu myſtico, nobis obtrudant. Neque ipſum hac in re ſatis cautum fuiſſe HILARIVM. Et quamuis HIERONYMVS teſtetur, eum ORIGENIS commentariis non tamquam exſcriptorem aut interpretem vſum, ſed eos ad ſuas ſententias adcommodaſſe: quibusdam tamen in locis ipſos ORIGENIS ſenſus inueniri; in *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. c. X. p. 404.* Ad *commentarium* HILARII *in Matthaeum* quod attinet, qui in *operibus* eius *p. 610.* editionis antea memoratae, legitur; in eo paullo parcius illum, quam in priori, ORIGENEM ſequi, magisque ſenſui litterali, quam myſtico & allegorico, inſiſtere, viris doctis obſeruatum eſt. Benedictini monachi, eos, qui putant, HILARIVM, vt *in pſalmos*, ita & hic *in Matthaeum*, ſcripturae ſenſus ex ORIGENE fuiſſe mutuatum, ex inſtituto refellunt; in *admonitione*, *commentario* huic praemiſſa, *p. 598.* Eum tamen etiam in hocce commentario ſenſum myſticum, ſeu allegoricum, ſectari, docent. Interim difficultates, circa capita doctrinae caeleſtis occurrentes, ſubinde tangit; ſed breuiter. Copioſior eſt, cum ad mores digreditur, idque more plerorumque patrum, cumprimis exemplo ORIGENIS, quem HILARIVS haud dubie & hac in re prae oculis habuit. Ebraeae linguae eum rudem fuiſſe, conſtat: ſed nec graecae linguae adeo peritum, contendit DES. ERASMVS, quem hoc nomine refellit RICH. SIMON, *hiſt. crit. comment. noui teſtam. c. IX. p. 129.* Diſpeſcitur *commentarius* HILARII *in Matthaeum* vulgo *XXXIII. canones*, hoc eſt, *capita*, ſeu *capitula.* Ita enim *canonis* vocem vſurpari, RICH. SIMON putat, qui fuſe de ea diſputat, *l. c. cap. IX. p. 126.* At monachi Benedictini, recte hoc opus in *canones* diuidi, negant; ſiquidem in nullo codice manuſcripto ea vox occurrat: adeoque pro illa *capita* poſuerunt; idque ediſſerunt, *l. c. p. 602.* *Tractatus* HILARII *in Iobum*, de graeco ORIGENIS ad ſenſum translatus; itemque *commentarius in canticum canticorum*, temporum iniuria perierunt. Diuerſus a Pictauienſi HILARIO eſt HILARIVS diaconus Romanus; qui tamen itidem ſaeculo quarto vixit, & *commentarium in epiſtolas Pauli* ſcripſit, qui inter AMBROSII opera edi ſolet. HILARII enim huius, non AMBROSII, iſtum *commentarium* eſſe, hodie conſtat inter omnes. Laudatur a quibusdam, quod breuitatem verborum ſententiarum pondere compenſet. Subinde quidem, more ſaeculi iſtius, occaſionem, recepta eccleſiae dogmata confirmandi, & refutandi haereticos, captat: a longis tamen digreſſionibus, quibus graeci commentatores indulgebant, ſibi temperat. In *epiſtolas* autem *Pauli* dum HILARIVM huncce commentatum, diximus: excipienda eſt epiſtola ad Ebraeos, quam nonnulli eo tempore, genuinam Pauli eſſe, abnuebant. Exſtat equidem inter AMBROSII *opera* itidem *commentarius in epiſtolam ad Ebraeos*: eum vero nec AMBROSII, nec HILARII eſſe, iam pridem viri docti obſeruarunt. *Quaeſtiones* vero *in vetus & nouum teſtamentum*, quae inter *opera* AVGVSTINI leguntur, HILARIVM

Digitized by Google

huncce diaconum agnoſcere auctorem, poſitum eſt extra controuerſiam. Theologos Louanienſes, qui iſtarum *quaeſtionum* auctorem in Arianiſmi adducere ſuſpicionem voluerunt, refutat RICH. SIMON: qui & contra eosdem theologos HILARIVM a Pelagianiſmi imputatione liberat; *l. c. cap. IX. p. 144. ſeqq.*

AMBROSII quanta inter occidentalis eccleſiae doctores fuerit auctoritas, neminem fugit; & ipſe quoque teſtatur PELAGIVS, qui & *puriſſimum* eius *in ſcripturis ſenſum* laudat. *Beatus*, inquit, *Ambroſius, epiſcopus, in cuius praecipue libris Romana elucet fides, qui ſcriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſus enituit, cuius fidem & puriſſimum in ſcripturis ſenſum ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere*; apud AVGVSTINVM, *lib. de gratia Chriſti contra Pelagium & Caeleſtium, cap. XLIII. tom. X. operum* AVGVSTINI *pag. 167.* editionis, quae Antwerpiae anno 1700 prodiit. Scripſit autem AMBROSIVS *hexaëmeron*, ſeu *de opere ſex dierum*, *libros ſex*, ex BASILII opere eiuſdem argumenti maximam partem depromtos. Sed HIERONYMVS, pleraque eum ORIGENI debere, innuere videtur, dum *nuper*, inquit, *ſanctus Ambroſius ſic hexaëmeron illius* (ORIGENIS) *compilauit, vt magis Hippolyti ſententiam Baſiliique ſequeretur*; *epiſt. XLI. ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis, tom. IV. operum part. II. p. m. 346.* Plurimos porro in varia veteris teſtamenti loca tractatus ſcripſit AMBROSIVS; in quibus ad moralia potius digreditur, quam vt de eorumdem inueſtigando ſenſu multum ſit ſollicitus. Hinc & de illis iam ſupra verba fecimus, *libri* huius *II. cap. IV.* ad §. *V.* Facile hinc coniicere licet, cuiusmodi ſint eiusdem *enarrationes* quorumdam *pſalmorum*; nihil ſcilicet aliud, quam *ſermones* aut *homiliae* in pſalmos iſtos, data occaſione recitatae. Conſtitutum tamen illi fuiſſe, omnes pſalmos explicare, ex *praefatione* eius in *pſalmum I.* colligi poſſe, obſeruat LVD. ELL. DV PIN, in *biblioth. nou. ſcriptor. eccleſ. tom. II. p. 256.* Cumprimis autem commendari ſolent *commentariorum* eius *in Lucam libri X.* eo, quod in iis ſenſui litterali & hiſtorico magis inſiſtit, quam in reliquis commentariis. In iis & ceterorum euangeliſtarum loca quaedam illuſtrat, &, quae inter ſe pugnare videntur, in concordiam redigit. Quod ſi RVFFINO credimus, non admodum praeclare de iis ſenſit HIERONYMVS, adſerens, *in verbis eum ludere, in ſententiis dormitare.* Verba RVFFINI ſunt: *Nam & ſanctae memoriae Ambroſium epiſcopum, qualibus figuris laceret, qualibus obtrectationibus ſecet, in his ipſis, in quibus nihilominus laudat Origenem, ſimiliter ex ſuis praefationibus edocebo.* Tum ex *praefatione*, quae homiliis ORIGENIS *in Lucam*, ab HIERONYMO ex graeco in latinum ſermonem translatis, praemiſſa eſt, haecce eius recitat verba: *Ante paucos dies quorumdam in Matthaeum & Lucam commentarios vos legiſſe dixiſtis, e quibus alter & ſenſibus hebes eſſet; & alter in verbis luderet, in ſententiis dormitaret &c. inuectiuar. in Hieronym. lib. II.* in *operibus Hieronymi tom. IV. part. II. p. 432.* editionis IO. MARTIANAEI. Loquitur hic equidem HIERONYMVS ex aliorum mente, aut alios, ſcilicet PAVLAM & EVSTOCHIVM, ita loquentes introducit: ſimul tamen hocce adprobare iudicium videtur; vt ex verbis ſequentibus colligitur. Obſeruat hoc RICH. SIMON, qui & FRANC. SIXTVM Senenſem, qui, HIERONYMVM eiusmodi quid de AMBROSIO pronuntiaſſe, ſibi perſuadere non potuit, refellit; *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. cap. XIV. pag. 207.* Quantumuis autem HIERONYMVS ceteroquin non adeo aequus ingeniorum cenſor ſit: non prorſus tamen a vero forte aberrauit, quando AMBROSII *commentariis* non adeo magnum pretium ſtatuit.

Certe

Certe cuiusmodi ſint, quae in *commentario* eius *in Lucam* ſubinde occurrunt; vel inde intelligere licet, quod, docente itidem RICHARDO SIMONE, *l. c.* in tribus puteis, quorum in veteri teſtamento fit mentio, imaginem ſibi inueniſſe viſus eſt triplicis philoſophiae, rationalis ſiue logicae, moralis, & naturalis.

Vt nullum doctrinae ſacrae genus eſt, quod non ſcriptis variis ornauit Hipponenſium praeſul AVGVSTINVS, mirificam vim ingenii vbique prodens: ita plurima etiam compoſuit, ad ſcripturae interpretationem ex inſtituto ſpectantia. Scripta eius exegetica iunctim exhibentur *tomo III. operum* eius quae ſtudio & opera monachorum ordinis Benedicti prodierunt, & Antwerpiae, aut potius Amſtelodami, an. 1700 recuſa ſunt. Hic poſt *libros IV. de doctrina chriſtiana*, de quibus iam ſupra dictum eſt, & deinceps etiam quaedam monebimus, primo comparet loco, *de geneſi ad litteram liber imperfectus*; in quo ſcilicet *primum* tantum *caput geneſeos* vsque ad *verſ. 26.* explicatur. Conſtitutum illi fuerat, obuiam ire Manichaeis, veteris teſtamenti libros reiicientibus, eo quod, ſi litteraliter exponerentur, inepta quaedam atque abſona in iis occurrerent. Cum autem praeſidiis ad hoc neceſſariis non inſtructus eſſet; tot ei ſe obtulerunt difficultates, vt ipſemet intelligeret, vires ſuas operi huic impares eſſe: ideoque illud abrupit, nec ad finem perduxit. Atque hoc eſt, quod ipſemet AVGVSTINVS, *lib. I. retractation. cap. XVIII. tom. I. oper. pag. 20.* nos condocet. *Cum de geneſi*, inquit, *duos libros contra Manichaeos condidiſſem; quoniam ſecundum allegoricam ſignificationem ſcripturae verba tractaueram, non auſus naturalium rerum tanta ſecreta ad litteram exponere, hoc eſt, quemadmodum poſſint, ſecundum hiſtoricam proprietatem, quae ibi dicta ſunt, accipi: volui experiri in hoc quoque negotioſiſſimo ac difficillimo opere, quid valerem; ſed in ſcripturis exponendis tyrocinium meum ſub tantae ſarcinae mole ſuccubuit. Et nondum perfecto vno libro, ab eo, quem ſuſtinere non poteram, labore, conquieui.* Obſeruat autem, in hocce *de geneſi ad litteram imperfecto libro c. II. p. 72.* quatuor iam tum vſitatos fuiſſe ſcripturam explicandi modos, *ſecundum hiſtoriam, ſecundum allegoriam, ſecundum analogiam, ſecundum aetiologiam. Hiſtoria*, inquit, *eſt, cum ſiue diuinitus, ſiue humanitus res geſta commemoratur. Allegoria, cum figurate dicta intelliguntur. Analogia, cum veteris & noui teſtamenti congruentia demonſtratur. Aetiologia, cum dictorum factorumque cauſſae redduntur.* Primus hicce conatus cum non adeo feliciter AVGVSTINO ceſſiſſet; poſt aliquod temporis ſpatium ad eumdem laborem rediit: indeque enati ſunt *de geneſi ad litteram libri XII.* qui exſtant *tomo I. p. 90. ſeqq.* De hiſce monachi Benedictini, in *admonitione* iis praemiſſa, *pag. 88.* ita pronuntiant: *In iis hiſtoriam geneſeos ab exordio ad eum vsque verſiculum, quo Adam de paradiſo dimiſſus fuit, enarrans, non praeterit vllum apicem, nihil quod non omni ratione verſet, penitiusque rimetur, niſi quod myſteria figurarum inuolucris obtecta, explicare nequaquam ſtudet; quippe qui nunc operae pretium in eo totum reponat, vti demonſtret, nihil geneſis hiſtoria contineri, quod ad litteram verum eſſe non poſſit, nihil quod rationi, aut naturae rerum aduerſetur; ac ſi quid veluti ſuperfluum, ac incongruum adpareat, id myſticum credi oportere, altiusque referri.* Vbi quod vltimo loco dicunt, facile aliquem in eam inducere opinionem poſſet, AVGVSTINVM, dum difficultates, in ſenſu litterali ſe offerentes ſuperare nequiret, ad ſenſum myſticum, vel allegoricum, ceu vltimum καταφύγιον, ſe recepiſſe. Et ſane, eum ſenſui litterali hic itidem non ita inhaeſiſſe, vt par erat; aliis quoque obſeruatum eſt. Plurimas praeterea, pro ingenii

genii ſui ſubtilitate, mouet quaeſtiones: nec tamen ad omnes aeque ſolide reſpondet. Quod nec ipſe diffitetur, quando *lib. II. retractat. cap. XXIV. p. 37.* ſcribit; *in quo opere plura quaeſita, quam inuenta ſunt; & eorum, quae inuenta ſunt, pauciora firmata; cetera vero ita poſita, velut adhuc requirenda ſint.* Ad locos denique communes ſubinde digreditur, & de natura angelorum & animae humanae, de lapſu angelorum, de myſteriis numeri ſenarii, de paradiſo, deque multiplici viſionum genere, ſimilibusque, diſputat. In *loquutionum libris VII.* quae exſtant *p. 243. ſeqq.* loquendi quosdam modos in ſcriptura ſacra, ſpeciatim *libris quinque Moſis, Ioſuae & iudicum,* occurrentes explicat. Cumque in iisdem libris varia circa res ipſas illi ſeſe offerrent dubia: enati inde ſunt *quaeſtionum in heptateuchum libri ſeptem*, qui *p. 284. ſeqq.* leguntur, & de quibus iterum ipſemet, *lib. II. retract. cap. LV. p. 43. ſeqq.* ita pronuntiat: *eodem tempore ſcripſi etiam libros quaeſtionum de libris iisdem diuinis ſeptem, quos ideo adpellare ſic volui, quia ea, quae ibi diſputantur, magis quaerenda propoſui, quam quaeſita diſſolui; quamuis multo plura in eis mihi videantur ita pertractata, vt poſſint etiam ſoluta & expoſita non immerito iudicari.* Felicius equidem in multis hic progredi potuiſſet AVGVSTINVS, ſi linguae ebraeae peritus fuiſſet: interim tamen opus hocce minime eſt contemnendum, quod vtilitate ſe commendat, & varias obſeruationes, quae ſcripturae ſacrae lucem adfundere poſſunt, continet; quemadmodum & a ſenſu litterali non adeo diſcedit, vt alias facere ſolet. Conferendus LVD. ELL. DV PIN, *biblioth. nou. ſcriptor. eccleſ. tom. III p. 215.* De *libro adnotationum in Iob*, qui *p. 466.* ſequitur, ipſemet iterum Hipponenſium praeſul ita iudicat: *vtrum meus habendus ſit, an potius eorum, qui eas, ſicut potuerunt, vel voluerunt, redegerunt in vnum corpus, deſcriptas de frontibus codicis, non facile dixerim*; *retractat. lib. II. cap. XIII. p. 33.* Nec diſſimulat, magna haſce *adnotationes* laborare obſcuritate, tum ex nimia ſententiarum breuitate, tum inde quoque orta, quod non ſemper iis adſcriptae locis ſint, quorum explicationi inſeruire debebant. Hactenus tamen nonnulli illud opus laudant, quod velut paraphraſin quamdam, aut litteralem explicationem libri Iobi, contineat. De *ſpeculo*, vt vocatur, AVGVSTINI, quod itidem inter ſcripta eius exegetica refertur, & eodem *tomo III. p. 507. ſeqq.* exſtat, iam ſupra diximus, cum de HIERONYMI verſione latina verba faceremus. *Enarrationes* AVGVSTINI *in pſalmos* integrum *tomum IV. operum* eius, ex editione, quam hic ſequimur, conſtituunt: quae maximam partem ſermonibus, quos diuerſo tempore ad populum habuit, abſoluuntur; quamquam & quosdam pſalmos ex inſtituto commentario quodam illuſtrandos ſibi ſumſerit. Eas ſenſui pſalmorum litterali parum lucis adfundere, cum moralem & allegoricum vbiuis fere ſectetur; fatebuntur, qui eas legerunt. Documento vel *primus pſalmus* eſt, quem ἀλληγορικῶς de Chriſto explicat, tam frigide, tamque coacte, vt lectoribus nauſeam moueat. Per *virum beatum v. 1.* Chriſtum intelligit; cumque additur: *qui non abiit in conſilium impiorum*, hoc ita interpretatur: *ſicut homo terrenus, qui vxori conſenſit deceptae a ſerpente, vt Dei praecepta praeteriret.* Mitto reliqua. Ipſi HIERONYMO hocce opus non prorſus probatum fuiſſe, oſtendit RICH. SIMON; qui & pluribus confirmat, quae de eodem diximus, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. IX. p. 399.* Scripta AVGVSTINI exegetica in *nouum teſtamentum* exhibentur *tomo III. operum* eius, *parte II.* interque ea primo comparent loco *de conſenſu euangeliſtarum libri quatuor.* Dignum vtique erat hocce, in quo ingenii vires periclitaretur, argu-

argumentum: tantoque adcuratius tractandum, quo ſaepius ab ethnicis, ad chriſtianae religionis veritatem labefactandam, euangeliſtarum diſſenſus obiiciebatur. Nec exiguum fuiſſe, quem in eo collocarit, laborem, ipſemet exiſtimauit Hipponenſium praeſul: vnde hancce lucubrationem ſuam *laborioſas litteras* vocat, ac alibi, res ibi eſſe *operoſiſſime diſputatas*, dicit: vt monachi Benedictini in *admonitione*, operi huic praemiſſa, docent. Praeeuntes ſane iam ſibi in hocce argumento quosdam habuit AVGVSTINVS, ſed Graecos; ex quorum tamen commentationibus non multum lucis capere potuit, eo, quod linguae graecae eſſet imperitus; niſi forte quaedam in linguam latinam fuerint conuerſa, aut a ſcriptoribus latinis, qui linguam graecam callebant, relata. Mirum itaque non eſt, ſi non vbique rem acu tetigit. Inter alia vero, ad conciliandos inter ſe euangeliſtas, & hancce regulam ponit: *Quod alius alium verborum ordinem tenet, non eſt vtique contrarium. Neque illud contrarium eſt, ſi alius dicit, quod alius praetermittit. Vt enim quisque meminerat, & vt cuique cordi erat, vel breuius, vel prolixius, eamdem tamen explicare ſententiam, ita eos explicaſſe, manifeſtum eſt; lib. II. de conſenſu euangeliſtar. cap. XII. p. 31.* Hac regula inſpirationem ſcripturae ſacrae, immediate a Deo profectam, ſaltem verborum, deſtrui, exiſtimat RICH. SIMON; cum ea locum habere non videatur, vbi vnusquisque, vt meminerit, & vt cuique cordi eſt, vel breuius, vel longius eamdem explicat ſententiam; *hiſt. crit commentat. noui teſtam. cap. XVIII. p. 262.* At excuſari aut defendi AVGVSTINVS poteſt, ſi diſcrimen inter reuelationem & inſpirationem probe teneatur; quod numquam fere non negligunt BENEDICTVS DE SPINOZA, RICH. SIMON, aliique, qui inſpirationem diuinam ſcripturae ſacrae ferre nequeunt. Inſpiratio enim cum modo loquendi, mentemque ſuam explicandi, cuiusuis ingenio & indoli proprio, conſiſtere poteſt: quod vel ſtili diuerſitas, quae in ſcriptoribus ſacris conſpicitur, itemque ratiocinia, quibus Paulus apoſtolus vtitur, omnes condocere poſſunt. In hiſce autem, quae ipſimet ſcriptores ſacri cognoſcebant, aut in quibus ingenii ſui dictum ſequebantur, licet reuelatione opus non eſſet: accedebat tamen inſpiratio qua rerum pariter ac verborum conceptus, vt extra erroris periculum conſtituerentur. Sed hac de re alibi. Reliqua ſcripta AVGVSTINI exegetica in nouum teſtamentum ſunt: *de ſermone domini in monte libri duo; quaeſtionum euangeliorum libri duo; quaeſtionum ſeptemdecim in euangelium ſecundum Matthaeum liber vnus; in Ioannis euangelium tractatus CXXIV; in epiſtolam Ioannis ad Parthos tractatus decem; expoſitio quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos liber vnus; epiſtolae ad Romanos inchoata expoſitio, liber vnus; expoſitio epiſtolae ad Galatas, liber vnus.* Quae omnia *operum* eius *tom. III. part. II.* exſtant. Inter haec *libros duos de ſermone domini in monte* ceteris AVGVSTINI ſcriptis exegeticis, certe plerisque, praefert RICH SIMON, eo, quod allegoriis digreſſionibusque in iis non adeo indulgeat, ac alias conſueuit; *l. c. c. XVII. p 246.* Nec tamen & hic myſteria in verbis captare intermittit Hipponenſium praeſul; dum *v. g.* per *montem Matth. V. 1. maiora praecepta iuſtitiae*, quae diſcipulis ſuis ſeruator dederit, deſignari, exiſtimat. *Si quaeritur*, inquit, *quid ſignificet mons; bene intelligitur, ſignificare maiora praecepta iuſtitiae; quia minora erant, quae Iudaeis data ſunt; lib. I. cap. I. p. 119.* Dum autem RICH. SIMON, *l. c.*, AVGVSTINVM reprehendit, quod per *pauperes ſpiritu*, humiles, ab omni ambitione alienos, Deumque timentes, intelligit; ipſemet reprehenſionem incurrit, ſiquidem de paupertate, quae in facultatum

eum de filio Dei parce & ſobrie loqui, contra atheos & genethliacos ſubinde diſputare, & apoſtolos quatuordecim numerare, docet. Ex *commentariis* EVSEBII *in canticum canticorum fragmenta* IOAN. MEVRSIVM edidiſſe, refert IO. ALB. FABRICIVS; ſimulque, *commentarium* illum totum, ſub EVSEBII nomine ex codice bibliothecae palatinae editum, eius non eſſe, pronuntiat; *biblioth. graec. volum. VI.* ſiue *lib. V. c. IV. p. 95.* De *canonibus euangeliorum*, quos HIER. AMMONIO Alexandrino tribuere videtur, alii autem EVSEBIO vindicant, iam ſupra dictum. Editi ſaepius ſunt; praeterque alios etiam IO. MILLIVS eosdem graece, cum EVSEBII *epiſtola ad Carpianum*, *nouo* ſuo *teſtamento graeco*, poſt *prolegomena*, praefixit. *Epiſtolam* EVSEBII *ad Carpianum* etiam exhibet FABRICIVS, *l. c. p. 97.* qui & plura de hiſce canonibus tradit. Denique & *περὶ τῆς τῶν εὐαγγελίων διαφωνίας*, *de euangeliorum diaphonia*, ſcripſiſſe EVSEBIVM, auctor eſt HIERONYMVS, in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſtic. c. LXXXI.* Sed hocce opus non amplius exſtat, aut alicubi in tenebris iacet.

ATHANASIVS, in Arianis, aliisque haereticis, debellandis, totus fuit: polemicisque adeo potius, quam exegeticis ſcriptis inclaruit. Nec tamen nullam in ſcriptura ſacra explicanda operam poſuit. *Expoſitiones* eius *in pſalmos*, longe copioſiores, quam hucusque factum erat, at non prorſus integras, euulgauit, BERNH. DE MONTFAVCON, in iſta operum ATHANASII editione, cui ipſe poſt IAC. LOPINVM, aut cum illo, manum admouit, *tomo II.* ſiue *tomi I. parte poſteriori, p. 1009. ſeqq.* Deinde idem MONTFAVCONIVS *argumentum* ATHANASII *in pſalmos*, itemque *ſupplementa*, dedit in *collectione noua patrum & ſcriptorum graecorum, tomo II. p. 69. ſeqq.* In eadem *collectione* exhibentur *fragmenta commentariorum in euangelium Matthaei, p. 24. ſeqq.* item in *euangelium Lucae, p. 42. ſeqq.* Quae autem *p. 49. ſeqq.* ſequitur *homilia in canticum canticorum*, ab ipſomet editore vt ſpuria & ſuppoſititia reiicitur. Mitto alia eiusdem generis & fragmenta, & homilias, quarum nonnullae genuinae, quaedam dubiae, aliae ſpuriae ſunt, & partim in *operibus* ATHANASII, partim in *noua* iſta *collectione* exſtant: cum, quae diximus, ſufficiant, vt inde intelligatur, ATHANASIVM & ad ſcripturae explicationem acceſſiſſe. De *epiſtola* ATHANASII *feſtali*, quae eſt *XXXIX.* in qua libros ſacri codicis, quos eccleſia ipſius aetatis, ceu canonicos, receperit, cuius adhuc fragmentum exſtat; ad §. *IV.* huius capitis diximus. *Synopſin* autem *ſcripturae*, quae inter opera ATHANASII edi ſolet, perperam illi tribui; ibidem obſeruauimus. Eamdemque pluribus confirmat ſententiam BERNH. DE MONTFAVCON, in *animaduerſionibus in vitam & ſcripta Athanaſii*, ſcriptis ATHANASII in *collectione noua* &c. *tomo II.* praemiſſis, *animaduerſione XV. p. 38. ſeqq.* vbi & contra SEB. NANVM TILLEMONTIVM, ſecus hic ſentientem, diſputat. Ad rationem, interpretandi ſcripturam, qua ATHANASIVS vſus eſt, quod attinet; ex ſcriptis eius, quae ſuperſunt, exegeticis, patet, eum ab allegorica ſcripturam explicandi ratione non prorſus alienum fuiſſe. Huc ſane videtur referri poſſe, quando verba: *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te* &c. *Matth. V. 29.* explicaturus, per *corpus*, eccleſiam, & per *oculos & manus*, ceu membra corporis, epiſcopos & diaconos intelligit, qui amputandi & reiiciendi ſint, ſi quid, quod noxium eccleſiae eſſe queat, admittant. Cum ATHANASIVS contra aduerſarios diſputat; non tantum iis ſcripturae dictis vtitur, quibus diſerte id continebatur, quod probandum erat; ſed conſequutionibus quoque, rite inde deriuatis, pugnat. Eumdemque morem cum etiam Ariani ſequeren-

rentur; RICH. SIMON nouam quamdam rationem, ſcripturam interpretandi, ea aetate enatam, exiſtimat; in *hiſtor. crit. comment. noui teſtam. cap. VI. p. 91.* Felicius magnum huncce eccleſiae doctorem, & in ſcripturae explicatione, & in controuerſiis cum Arianis, verſari potuiſſe, ſi linguae ebraeae fuiſſet peritus; iam ſupra obſeruatum eſt, ad *cap. praeced.* §. *IV.*

BASILIVS magnus, qui eodem ſaeculo quarto vixit, in *homiliis* ſuis rhetorem magis, quam adcuratum ſcripturae interpretem agit. Quauis enim arrepta occaſione ad locos communes digreditur, eaque adfert, quae ad fidem inſtruendam, moresque formandos, comparata ſunt: de ſenſu genuino ſcripturae ſacrae inueſtigando non adeo ſollicitus. Huius tamen cumprimis loci ſunt *homiliae* eius *nouem in hexaëmeron tomo I. operum* eius, quae Pariſiis an. 1638 tribus tomis in fol. prodierunt. Lectu dignae ſunt iſtae *homiliae*, quae & ſaepiſſime a veteribus non ſine elogio commemorantur. Verſiones earum latinas recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V. cap. XIX. p. 70.* vbi ſimul & reliquos, qui in hexaëmeron, tum ante BASILIVM, tum poſt eum, ſcripſerunt, laudat. Sequuntur in eodem *operum* eius *tomo I. p. 107. ſeqq. homiliae XVII. in quosdam pſalmos*, quarum *prima*, quae eſt in *pſalmum I.* prooemium aliquod in omnes pſalmos Dauidicos continet. Pſalmos hoſce ibi ita commendat: ἴαμα γάρ, φησι, καταπαύσει ἁμαρτίας μεγάλας. ἄλλα μὲν οὖν προφῆται παιδεύουσι, καὶ ἄλλα ἱστορικοί, καὶ ὁ νόμος ἕτερα, καὶ ἄλλα τὸ εἶδος τῆς παροιμιακῆς παραινέσεως· ἡ δὲ τῶν ψαλμῶν βίβλος τὸ ἐκ πάντων ὠφέλιμον περιείληφε· προφητεύει τὰ μέλλοντα· ἱστορίας ὑπομιμνήσκει· νομοθετεῖ τῷ βίῳ· ὑποτίθεται τὰ πρακτέα· *Medicina enim, inquit,* (ſcriptura) *ſedabit magna delicta. Alia proinde nos ipſi prophetae erudiunt, hiſtorici perdocent alia, alia item inſtruit lex. Rurſus alia commonendae eccleſiae ſpecies ex opere prouerbiorum eruitur. At hic vnus pſalmorum liber quiduis ex omnibus: futura certiſſimis praecinit oraculis: hiſtoricam continet narrationem: leges ſancit vitae ſanctius inſtituendae: cuique agenda praeſcribit, & ſubmonet.* Plura eiusdem generis ibidem legere licet. *Scholia in pſalmos centum & quinquaginta*, quae in latinis operum BASILII editionibus exſtant, graece autem nondum edita ſunt, ex BASILIO, CHRYSOSTOMO ac THEODORETO collecta eſſe; praeeuntibus iam aliis, monet IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 91.* Conferendus & ANDR. RIVETVS, *critic. ſacr. lib. III. cap. XX. p. 333. Enarratio* (ἑρμηνεία) BASILII *in Eſaiam prophetam*, ſedecim ſcilicet priora capita, quae *tomo II. operum* eius *p. 13. & ſeqq.* exhibetur, DESID. ERASMO viſa non eſt BASILII *phraſin ſapere*, qui & in hac fuit ſententia, eam aut alterius eſſe Baſilii, aut inſcriptionem huncce additam, vt magis commendaretur lectori. Grauiter hinc iraſcitur ERASMO GODEFR. TILMANNVS, qui *enarrationem* huncce Romana ciuitate donauit, & pro ea *apologiam* ſcripſit, illi in editione *operum* BASILII, antea memorata, praefixam, in qua *calumnioſas*, quas vocat, ERASMI *ſuſpiciones* refellere adnititur. Rationes eius ſummatim repetit, ſimulque ad eas reſpondet, ſententiamque ERASMI tuetur, ANDR. RIVETVS, *critic. ſacr. libr. III. cap. XX. p. 332.* Contra RIVETVM rurſus diſputat, commentariumque huncce recte BASILIO tribui contendit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. noui teſtam. ſaec. IV. c. VI. art. XIX. §. III. p. 140.* At non deeſſe dubitandi rationes, an hicce *commentarius* BASILII ſit? Graecisque hic ſuſpicionem enatam, quod ſtilus *commentarii* huius Baſiliano longe abſimilis videatur; non diſſimulat BERNH. DE MONTFAVCON, *praefat. in comment. Euſebii in Eſaiam; collectionis nouae tomo II. pag. 351.*

De BASILIO quod diximus, eum oratoribus potius ſacris, quam interpretibus ſcripturae adnumerandum eſſe; idem & de GREGORIO vtroque, Nyſſeno, BASILII fratre, & Nazianzeno, eſt obſeruandum. Interim ex illius commentationibus hic maxime in cenſum veniunt: ἀπολογητικὸς περὶ τῆς ἑξαημέρου, *explicatio apologetica in hexaëmeron, tom. I. oper. p. 1. ſeqq.* editionis Pariſienſis anni 1615 duobus tomis in fol. in qua cum Moſis pariter, ac fratris ſui BASILII, in cuius *hexaëmero* nonnulli, quod carperent, ſibi inueniſſe viſi erant, cauſſam agat, idcirco *apologetica* vocatur; *tractatus duo in pſalmorum inſcriptiones, pag. 257. ſeqq.* ἐξήγησις ἀκριβὴς εἰς τὸν ἐκκλησιαστὴν τοῦ Σολομῶντος, *adcurata expoſitio in eccleſiaſten Salomonis*, conſtans concionibus, ſiue homiliis octo, quarum vltima in *cap. III. verſ 13.* ſubſiſtit, *p. 337. ſeqq.* ἐξήγησις ἀκριβὴς εἰς τὰ ᾄσματα τῶν ᾀσμάτων τοῦ Σολομῶντος. *adcurata expoſitio in canticum canticorum Salomonis*, quae homiliis abſoluitur quindecim, & vsque ad *verſ. 10. capitis VI.* progreditur: *p. 468. ſeqq;* εἰς τὴν προσευχὴν. *in orationem dominicam, homiliae quinque, p. 712. ſeqq;* εἰς τοὺς μακαρισμοὺς, *in octo beatitudines, Matth. V. 1. ſeqq. p. 762. ſeqq.* Ex GREGORII autem Nazianzeni monumentis hic cumprimis commemoranda eſt μετάφρασις εἰς τὸν ἐκκλησιαστὴν, *metaphraſis in eccleſiaſten*, quae *tomo I. operum* eius exſtat, *pag. 749. ſeqq.* editionis, quae Coloniae, aut Lipſiae potius, an. 1690 duobus tomis in fol. prodiit. Παράφρασιν potius, quam μετάφρασιν. hancce commentationem dicendam; monet DAN. HEINSIVS, *Venerabile*, inquit, *antiquitatis monumentum, Gregorii Neocaeſarienſis* (namque huic, non autem Nazianzeno, hanc *metaphraſin* tribuendam, viri docti cenſent, vt mox dicemus) *in eccleſiaſten exſtat paraphraſis; quam nunc μετάφρασιν inſcribunt. Multa ibi terſe ac polite explicantur; neque aliud tam illi curae fuit, quam quod proprium eſt paraphraſtae, vt in ſcripto obſcuriſſimo connexionem, ſeu τὴν ἀκολουθίαν, demonſtraret; quod & feliciter plerumque adſequutus eſt. Itaque inoffenſo pede per helleniſtarum remoras, quod noſtro vel inprimis deeſt, & ſignificanter graece, aequor hoc decurrit; ita vt libentius nonnulla praetermittat (nonnulla enim, quod non probo, integrae deſiderantur) quam vt non connectat; cum tamen alibi nihil, quamuis nusquam extra leges paraphraſeos, inſiſtat. Veram breuitatem enim, vt iam dixi, in hoc genere amabant veteres. Scio, alibi non tantum ab Ebraeis, ſed a ſuis etiam abire* &c. in *Ariſtarcho ſacro cap. XI. p. 809.* Docet deinde HEINSIVS, perperam hanc *paraphraſin* GREGORIO Nazianzeno tribui; quod & pluribus confirmat ANDR. RIVETVS, *critic. ſacr. lib. III. cap. XXII. p. 341.* Nec diſſentit NATALIS ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. nou. teſtam. ſaec. IV. artic. XXII. pag. 146.* Conſentiunt hodie fere viri eruditi, GREGORIVM Neocaeſarienſem, ſeu thaumaturgum, *paraphraſeos* iſtius auctorem eſſe: interim in antiquiſſimis codicibus eam inter ſcripta genuina Nazianzeni referri, monet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VII.* ſiue *lib. V. cap. XIII. pag. 521.* Exſtat etiam inter opera GREGORII Nazianzeni σημασία εἰς τὸν Ἰεζεκιὴλ. *ſignificatio in Ezechielem*, in qua de quatuor apud Ezechielem animalibus diſſeritur; *tom. I. pag. 123.* De ea, cum, Graecos, an GREGORIO huic tribuenda ſit, dubitare, dixiſſet ANDR. RIVETVS; addit: *Et ſane hic ita inuoluta & intricata ſunt omnia, immo ita inuerſa atque confuſa, atque adeo ſtilus ipſe ita ſalebroſus & perturbatus, vt mihi hoc opuſculum tanti auctoris nomen nullo modo ſuſtinere poſſe, videatur. Plane ſcopas diſſolutas eſſe, dixeris; critic. ſacr. lib. III. cap. XXII. pag. 342.*

Sed accedendum nobis ad IO. CHRYSOSTOMVM, qui tantam nominis conſequutus eſt celebritatem, tantamque ob inter-

terpretandi ſacras litteras peritiam, auctoritatem, vt Graeci deinceps hunc vnum fere ducem & anteſignanum, in ſacri codicis libris interpretandis, ſequerentur. Et licet, vt reliqui eius aetatis patres, rhetorem magis agat, quam ſcripturae interpretem; dum homilias, ſeu ſermones ad populum, non commentarios proprie ſic dictos, ſcripſit: ſubinde tamen in vero & genuino ſenſu eruendo haud contemnendam operam collocauit. Neque ſolum dicta quaedam, aut effata ſpecialia, ſcripturae ſacrae, explicauit; aut peculiare aliquod argumentum in homiliis ſuis ſibi pertractandum ſumſit: ſed integros quoque libros biblicos eadem ratione exponere adgreſſus eſt. Hoſce vero eius commentarios ſpeciatim indicare neceſſe non eſt; cum & ex *operibus* eius, iunctim editis, ſatis noti ſint, & eosdem etiam iuſta ſerie enarret IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. cap. XV. pag. 643. ſeqq.* De *homiliis LV. in acta apoſtolorum*, quae in *commentariorum* eius *in nouum teſtamentum tom. III.* editionis, quae Francofurti ad Moenum anno 1697 prodiit, exſtant, nonnulli equidem dubitant, an CHRYSOSTOMVM auctorem agnoſcant; quos inter ipſe DESID. ERASMVS Roterodamenſis eſt, qui nihil CHRYSOSTOMO dignum in iis reperire potuit. At PHOTIVS, qui quinquaginta iſtarum *homiliarum* legerat, eas, qua elegantiam ſtili, praefert *homiliis* CHRYSOSTOMI *in geneſin; cod. CLXXII. p. m. 387.* CASSIODORVS quoque teſtatur, ſe easdem *homilias* CHRYSOSTOMI ex graeco in latinum ſermonem transferri curaſſe; *de inſtitut. diuinar. ſcripturar. cap. IX. p. m. 456.* IACOBVS praeterea BILLIVS ad IO. DAMASCENVM prouocat, qui, *lib. III. de orthodoxa fide cap. XV.* ex hiſce commentariis teſtimonium producens, diſerte CHRYSOSTOMVM auctorem vocauerit; *lib. I. ſacrar. obſeruat. cap. IX.* Fatetur tamen idem BILLIVS, CHRYSOSTOMVM hic *in interpretando ſcripturae contextu breuiorem aliquanto, minusque adcuratum, quam pro ſuo more, eſſe.* Atque haec etiam RICH. SIMON obſeruauit, qui licet ipſemet agnoſcat, ſtilum methodumque tractandi minus adcuratam in hiſce *homiliis* deprehendi; hoc tamen non obſtare, putat, quo minus ſint CHRYSOSTOMI; cum, ob labores alios, minorem ad homilias quasdam adferre diligentiam potuerit, quam ad alias; *hiſtor. crit. commentator. noui teſtam. c. XI. pag. 162.* THEOPH. RAYNAVDVS adeo iraſcitur ERASMO, quod *homilias* hasce CHRYSOSTOMO abiudicauerit, vt *ſtuporem pecuinum* illi obiicere non dubitet; *erotemat. de malis ac bonis libris, partit. I. erotem. IV. p. 24.* Nimirum in eo totus ibi eſt, vt omnem furorem in ERASMVM effundat. *Homiliae XCI.* CHRYSOSTOMI *in Matthaeum* exhibentur *tomo I. commentariorum* eius *in nouum teſtamentum*, editionis antea memoratae. Eas THOMAM AQVINATEM tanti feciſſe, vt tota ciuitate Pariſienſi illas permutare noluerit, ex THOMAE BARTHOLINI *diſſertat. V. de legendis libris p. 148.* refert IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VII.* ſiue *lib. V. cap. XV. pag. 646.* De DIONYS. CARTHVSIANO ſimile quid idem vir eruditiſſimus obſeruat, quod dixerit: *Mallem habere opus imperfectum Io Chryſoſtomi ſuper Matthaeum perfectum, quam eſſe dominus ciuitatis Pariſienſis:* ſed recte addit, opus hoc *imperfectum in Matthaeum* diuerſum eſſe ab *homiliis* CHRYSOSTOMI *in Matthaeum*, antea memoratis. Nimirum *opus* hoc *imperfectum in Matthaeum*, quod latine tantum exſtat, cuiusue haud infrequens apud viros eruditos eſt mentio, CHRYSOSTOMI non eſſe, ab omnibus hodie agnoſcitur; videturque, iudice GVIL. CAVEO, potius latini cuiusdam ſcriptoris, eiusque Arianorum ſemina ſpargentis, eſſe, ſaltem a quibusdam ex grege Arii, Montani, Manichaei &c. non leuiter interpolatum. Addit,

opus non inerud:tum eſſe, & Chryſoſtomi aeuo certo certius ſcriptum, ſed quod auctorem graecum vix agnoſcat; ac proinde neutiquam mirum videri debere, graeca hodie non reperiri; hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. IV. pag. 183. Conferenda &, quae de hocce opere differit ANDR. RIVETVS, *crit. ſacr. lib. IV. cap. I. p. 377.* Sub CHRYSOSTOMI nomine illud anno 1537 edidit IO. MAHVSIVS, monachus Franciſcanus; qui & Chryſoſtomi illud eſſe credidit, at ab Ariano quodam interpolatum; hinc & detruncauit, quae Arianam ſapere haereſin videbantur; quo nomine vapulat RICH. SIMONI, qui de eodem varia obſeruatu digna adfert, in *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. c. XIII. p. 191. ſeqq.* Ceterum, multis & exquiſitis ingenii dotibus eminere CHRYSOSTOMVM; etſi ſuis etiam naeuis non careat; nemo negauerit. De eloquentia eius nunc non dicemus, quae, vt reliquorum patrum, praeſertim graecorum, multum ſaepe oſtentationis & taedioſae declamationis habet. Iam alibi hac de re verba fecimus. Ingenio cum eſſet florentiſſimus, in explicandis hiſtoriis ſacris, circumſtantiisque, quae nos latent, euoluendis, coniecturis ſuis admodum indulget, & quo pacto res aliqua geri potuerit, veroſimili quadam ratione exponit; multosque deinceps ſua auctoritate induxit, vt crederent, reuera eas ita geſtas eſſe. Senſui litterali, cum textum explicat, magis inhaeret, quam vllus fere eius aetatis commentatorum; nec tamen allegorias prorſus ſpernit. Subinde ORIGENEM ſequitur, ſed vt caute euitet, quae in eo reprehendi ſolent. In digreſſionibus frequens eſt, ſaepiusque ad locos communes theologicos & morales dilabitur; in quibus tamen vtilia ac profutura tractat. Inter locos vero iſtos communes, quibus maxime delectatur, eminet doctrina *de lectione ſcripturae ſacrae*, quam numquam non inculcat, lectionemque iſtam omnibus omnino hominibus, non ſacri tantum ordinis, ſed & reliquis, vehementiſſime commendat: obſeruante ipſo RICH. SIMONE, *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. c. X. p. 149.* Quod ſibi dictum putent illi ex romanae eccleſiae addictis, qui laicos, quos vocant, a ſcripturae ſacrae lectione arcent. Ebraeae linguae rudis fuit CHRYSOSTOMVS; a Iudaeis tamen, quae ad illorum ritus & caerimonias pertinent, didicit; hinc talia interdum homiliis ſuis adſpergit, ſubinde etiam occaſionem, Iudaeos refutandi, captat.

Ex orientali eccleſia cum in occidentalem progredimur; ſtatim ſeſe nobis offert HILARIVS, epiſcopus Pictauienſis, alibi quoque iam non ſine laude nobis commemoratus. Exſtant namque eius & in *pſalmos*, & in *euangelium Matthaei*, commentarii. Eum in omnes *pſalmos* commentatum, probabile putant monachi Benedictini, qui *opera* eius ediderunt, Pariſiis anno 1693 in *admonitione*, *commentario* huic praemiſſa, *p. 168.* Quod ſi verum eſt, ea, quae in hocce *commentario* deſunt, adhuc alicubi deliteſcere, neceſſe eſt; niſi prorſus perierint. De interpretandi ratione, quam HILARIVS in hocce *commentario* tenuit, iidem monachi ita pronuntiant: *In his exponendis duo pariter cauit extrema. Neque enim eos probauit, qui in pſalmis aut nihil praeter litteram ſapiunt, aut nihil non ad Chriſtum referri volunt. Laudat quidem in his propoſiti pietatem; ſed vt in eo permaneatur, veritati vim ſaepe faciendam agnoſcit; cum in pſalmis quandoque fides & vocatio gentium nuncietur, quandoque iudaici populi aut arguantur peccata, aut praedicetur vindicta; modo etiam ad timorem, modo ad laudem & confeſſionem Dei erudiamur; l. c.* Iidem monachi de hocce *commentario* haec porro obſeruant: *in hoc labore etſi Origenis lucubrationibus adiutus, earum tamen exſcriptor aut interpres non fuit. Aliud enim eſt imitari, aliud interpretari, aut exſcribere. Nec interpretis officio fungitur, qui alia addit, reſecat alia, & cetera pro-*

proprium in ſtilum conuertit; *l. c. pag. 172.* Confirmant haec teſtimonio HIERONYMI, qui, de hocce HILARII *in pſalmos commentario* verba faciens, *in quo opere*, inquit, *imitatus Origenem*, *nonnulla etiam de ſuo addidit*; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſtic. cap. C. p.m. 94.* Verum paullo aliter ſentit RICH. SIMON. In hocce enim HILARII *in pſalmos commentario* ſenſum quemdam ſpiritualem, & ad myſteria noſtra adcommodatum, inueniri, ait, qui vtique cognoſcendis chriſtianae religionis veritatibus inſeruiat; idem tamen cum ſaepe a ſenſu litterali longius diſcedat, methodum hancce minus exactam eſſe: accedere, quod ſenſum ſpiritualem inueſtigaturi, ſaepe vltra, quam par eſt, prouehantur, ſuaeque imaginationis luſus pro ſenſu ſpirituali, ſeu myſtico, nobis obtrudant. Neque ipſum hac in re ſatis cautum fuiſſe HILARIVM. Et quamuis HIERONYMVS teſtetur, eum ORIGENIS commentariis non tamquam exſcriptorem aut interpretem vſum, ſed eos ad ſuas ſententias adcommodaſſe: quibusdam tamen in locis ipſos ORIGENIS ſenſus inueniri; in *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. c. X. p. 404.* Ad *commentarium* HILARII *in Matthaeum* quod attinet, qui in *operibus* eius *p. 610.* editionis antea memoratae, legitur; in eo paullo parcius illum, quam in priori, ORIGENEM ſequi, magisque ſenſui litterali, quam myſtico & allegorico, inſiſtere, viris doctis obſeruatum eſt. Benedictini monachi, eos, qui putant, HILARIVM, vt *in pſalmos*, ita & hic *in Matthaeum*, ſcripturae ſenſus ex ORIGENE fuiſſe mutuatum, ex inſtituto refellunt; in *admonitione*, *commentario* huic praemiſſa, *p. 598.* Eum tamen etiam in hocce commentario ſenſum myſticum, ſeu allegoricum, ſectari, docent. Interim difficultates, circa capita doctrinae caeleſtis occurrentes, ſubinde tangit; ſed breuiter. Copioſior eſt, cum ad mores digreditur, idque more plerorumque patrum, cumprimis exemplo ORIGENIS, quem HILARIVS haud dubie & hac in re prae oculis habuit. Ebraeae linguae eum rudem fuiſſe, conſtat: ſed nec graecae linguae adeo peritum, contendit DES. ERASMVS, quem hoc nomine refellit RICH. SIMON, *hiſt. crit. comment. noui teſtam. c. IX. p. 129.* Diſpeſcitur *commentarius* HILARII *in Matthaeum* vulgo *XXXIII. canones*, hoc eſt, *capita*, ſeu *capitula*. Ita enim *canonis* vocem vſurpari, RICH. SIMON putat, qui fuſe de ea diſputat, *l. c. cap. IX. p. 126.* At monachi Benedictini, recte hoc opus in *canones* diuidi, negant; ſiquidem in nullo codice manuſcripto ea vox occurrat: adeoque pro illa *capita* poſuerunt; idque ediſſerunt, *l. c. p. 602.* *Tractatus* HILARII *in Iobum*, de graeco ORIGENIS ad ſenſum translatus; itemque *commentarius in canticum canticorum*, temporum iniuria perierunt. Diuerſus a Pictauienſi HILARIO eſt HILARIVS diaconus Romanus; qui tamen itidem ſaeculo quarto vixit, & *commentarium in epiſtolas Pauli* ſcripſit, qui inter AMBROSII opera edi ſolet. HILARII enim huius, non AMBROSII, iſtum *commentarium* eſſe, hodie conſtat inter omnes. Laudatur a quibusdam, quod breuitatem verborum ſententiarum pondere compenſet. Subinde quidem, more ſaeculi iſtius, occaſionem, recepta eccleſiae dogmata confirmandi, & refutandi haereticos, captat: a longis tamen digreſſionibus, quibus graeci commentatores indulgebant, ſibi temperat. In *epiſtolas* autem *Pauli* dum HILARIVM huncce commentatum, diximus: excipienda eſt epiſtola ad Ebraeos, quam nonnulli eo tempore, genuinam Pauli eſſe, abnuebant. Exſtat equidem inter AMBROSII *opera* itidem *commentarius in epiſtolam ad Ebraeos*: eum vero nec AMBROSII, nec HILARII eſſe, iam pridem viri docti obſeruarunt. *Quaeſtiones* vero *in vetus & nouum teſtamentum*, quae inter *opera* AVGVSTINI leguntur, HILARIVM

Digitized by Google

hunccce diaconum agnoſcere auctorem, poſitum eſt extra controuerſiam. Theologos Louanienſes, qui iſtarum *quaeſtionum* auctorem in Arianiſmi adducere ſuſpicionem voluerunt, refutat RICH. SIMON: qui & contra eosdem theologos HILARIVM a Pelagianiſmi imputatione liberat; *l. c. cap. IX. p. 144. ſeqq.*

AMBROSII quanta inter occidentalis eccleſiae doctores fuerit auctoritas, neminem fugit; & ipſe quoque teſtatur PELAGIVS, qui & *puriſſimum* eius *in ſcripturis ſenſum* laudat. *Beatus*, inquit, *Ambroſius, epiſcopus, in cuius praecipue libris Romana elucet fides, qui ſcriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſus enituit, cuius fidem & puriſſimum in ſcripturis ſenſum ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere*; apud AVGVSTINVM, *lib. de gratia Chriſti contra Pelagium & Caeleſtium, cap. XLIII. tom. X. operum* AVGVSTINI *pag. 167.* editionis, quae Antwerpiae anno 1700 prodiit. Scripſit autem AMBROSIVS *hexaëmeron*, ſeu *de opere ſex dierum, libros ſex*, ex BASILII opere eiusdem argumenti maximam partem depromtos. Sed HIERONYMVS, pleraque eum ORIGENI debere, innuere videtur, dum *nuper*, inquit, *ſanctus Ambroſius ſic hexaëmeron illius* (ORIGENIS) *compilauit, vt magis Hippolyti ſententiam Baſiliique ſequeretur*; *epiſt. XLI. ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis, tom. IV. operum part. II, p. m. 346.* Plurimos porro in varia veteris teſtamenti loca tractatus ſcripſit AMBROSIVS; in quibus ad moralia potius digreditur, quam vt de eorumdem inueſtigando ſenſu multum ſit ſollicitus. Hinc & de illis iam ſupra verba fecimus, *libri* huius *II. cap. IV.* ad §. *V.* Facile hinc coniicere licet, cuiusmodi ſint eiusdem *enarrationes* quorumdam *pſalmorum*; nihil ſcilicet aliud, quam *ſermones* aut *homiliae* in pſalmos iſtos, data occaſione recitatae. Conſtitutum tamen illi fuiſſe, omnes pſalmos explicare, ex *praefatione* eius in *pſalmum I.* colligi poſſe, obſeruat LVD. ELL. DV PIN, in *biblioth. nou. ſcriptor. eccleſ. tom. II. p. 256.* Cumprimis autem commendari ſolent *commentariorum* eius *in Lucam libri X.* eo, quod in iis ſenſui litterali & hiſtorico magis inſiſtit, quam in reliquis commentariis. In iis & ceterorum euangeliſtarum loca quaedam illuſtrat, &, quae inter ſe pugnare videntur, in concordiam redigit. Quod ſi RVFFINO credimus, non admodum praeclare de iis ſenſit HIERONYMVS, adſerens, *in verbis eum ludere, in ſententiis dormitare.* Verba RVFFINI ſunt: *Nam & ſanctae memoriae Ambroſium epiſcopum, qualibus figuris laceret, qualibus obtrectationibus ſecet, in his ipſis, in quibus nihilominus laudat Origenem, ſimiliter ex ſuis praefationibus edocebo.* Tum ex *praefatione*, quae homiliis ORIGENIS *in Lucam*, ab HIERONYMO ex graeco in latinum ſermonem translatis, praemiſſa eſt, haecce eius recitat verba: *Ante paucos dies quorumdam in Matthaeum & Lucam commentarios vos legiſſe dixiſtis, e quibus alter & ſenſibus hebes eſſet; & alter in verbis luderet, in ſententiis dormitaret &c. inuectiuar. in Hieronym. lib. II.* in *operibus Hieronymi tom. IV. part. II. p. 432.* editionis IO. MARTIANAEI. Loquitur hic equidem HIERONYMVS ex aliorum mente, aut alios, ſcilicet PAVLAM & EVSTOCHIVM, ita loquentes introducit: ſimul tamen hocce adprobare iudicium videtur; vt ex verbis ſequentibus colligitur. Obſeruat hoc RICH. SIMON, qui & FRANC. SIXTVM Senenſem, qui, HIERONYMVM eiusmodi quid de AMBROSIO pronuntiaſſe, ſibi perſuadere non potuit, refellit; *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. cap. XIV. pag. 207.* Quantumuis autem HIERONYMVS ceteroquin non adeo aequus ingeniorum cenſor ſit: non prorſus tamen a vero forte aberrauit, quando AMBROSII *commentariis* non adeo magnum pretium ſtatuit. Certe

Digitized by Google

Certe cuiusmodi ſint, quae in *commentario* eius *in Lucam* ſubinde occurrunt; vel inde intelligere licet, quod, docente itidem RICHARDO SIMONE, *l. c.* in tribus puteis, quorum in veteri teſtamento fit mentio, imaginem ſibi inueniſſe viſus eſt triplicis philoſophiae, rationalis ſiue logicae, moralis, & naturalis.

Vt nullum doctrinae ſacrae genus eſt, quod non ſcriptis variis ornauit Hipponenſium praeſul AVGVSTINVS, mirificam vim ingenii vbique prodens: ita plurima etiam compoſuit, ad ſcripturae interpretationem ex inſtituto ſpectantia. Scripta eius exegetica iunctim exhibentur *tomo III. operum* eius quae ſtudio & opera monachorum ordinis Benedicti prodierunt, & Antwerpiae, aut potius Amſtelodami, an. 1700 recuſa ſunt. Hic poſt *libros IV. de doctrina chriſtiana*, de quibus iam ſupra dictum eſt, & deinceps etiam quaedam monebimus, primo comparet loco, *de geneſi ad litteram liber imperfectus*; in quo ſcilicet *primum* tantum *caput geneſeos* vsque ad *verſ. 26.* explicatur. Conſtitutum illi fuerat, obuiam ire Manichaeis, veteris teſtamenti libros reiicientibus, eo quod, ſi litteraliter exponerentur, inepta quaedam atque abſona in iis occurrerent. Cum autem praeſidiis ad hoc neceſſariis non inſtructus eſſet; tot ei ſe obtulerunt difficultates, vt ipſemet intelligeret, vires ſuas operi huic impares eſſe: ideoque illud abrupit, nec ad finem perduxit. Atque hoc eſt, quod ipſemet AVGVSTINVS, *lib. I. retractation. cap. XVIII. tom. I. oper. pag. 20.* nos condocet. *Cum de geneſi*, inquit, *duos libros contra Manichaeos condidiſſem; quoniam ſecundum allegoricam ſignificationem ſcripturae verba tractaueram, non auſus naturalium rerum tanta ſecreta ad litteram exponere, hoc eſt, quemadmodum poſſent, ſecundum hiſtoricam proprietatem, quae ibi dicta ſunt, accipi: volui experiri in hoc quoque negotioſiſſimo ac difficillimo opere, quid valerem; ſed in ſcripturis exponendis tyrocinium meum ſub tantae ſarcinae mole ſuccubuit. Et nondum perfecto vno libro, ab eo, quem ſuſtinere non poteram, labore, conquieui.* Obſeruat autem, in hocce *de geneſi ad litteram imperfecto libro c. II. p. 72.* quatuor iam tum vſitatos fuiſſe ſcripturam explicandi modos, *ſecundum hiſtoriam, ſecundum allegoriam, ſecundum analogiam, ſecundum aetiologiam. Hiſtoria*, inquit, *eſt, cum ſiue diuinitus, ſiue humanitus res geſta commemoratur. Allegoria, cum figurate dicta intelliguntur. Analogia, cum veteris & noui teſtamenti congruentia demonſtratur. Aetiologia, cum dictorum factorumque cauſſae redduntur.* Primus hicce conatus cum non adeo feliciter AVGVSTINO ceſſiſſet; poſt aliquod temporis ſpatium ad eumdem laborem rediit: indeque enati ſunt *de geneſi ad litteram libri XII.* qui exſtant *tomo I. p. 90. ſeqq.* De hiſce monachi Benedictini, in *admonitione* iis praemiſſa, *pag. 88.* ita pronuntiant: *In iis hiſtoriam geneſeos ab exordio ad eum vsque verſiculum, quo Adam de paradiſo dimiſſus fuit, enarrans, non praeterit vllum apicem, nihil quod non omni ratione verſet, penitiusque rimetur, niſi quod myſteria figurarum inuolucris obtecta, explicare nequaquam ſtudet; quippe qui nunc operae pretium in eo totum reponat, vti demonſtret, nihil geneſis hiſtoria contineri, quod ad litteram verum eſſe non poſſit, nihil quod rationi, aut naturae rerum aduerſetur; ac ſi quid veluti ſuperfluum, ac incongruum adpareat, id myſticum credi oportere, altiusque referri.* Vbi quod vltimo loco dicunt, facile aliquem in eam inducere opinionem poſſet, AVGVSTINVM, dum difficultates, in ſenſu litterali ſe offerentes ſuperare nequiret, ad ſenſum myſticum, vel allegoricum, ceu vltimum καταφύγιον, ſe recepiſſe. Et ſane, eum ſenſui litterali hic itidem non ita inhaeſiſſe, vt par erat; aliis quoque obſeruatum eſt. Plurimas praeterea, pro ingenii

argumentum: tantoque adcuratius tractandum, quo ſaepius ab ethnicis, ad chriſtianae religionis veritatem labefactandam, euangeliſtarum diſſenſus obiiciebatur. Nec exiguum fuiſſe, quem in eo collocarit, laborem, ipſemet exiſtimauit Hipponenſium praeſul; vnde hancce lucubrationem ſuam *laborioſas litteras* vocat, ac alibi, res ibi eſſe *operoſiſſime diſputatas*, dicit: vt monachi Benedictini in *admonitione*, operi huic praemiſſa, docent. Praeeuntes ſane iam ſibi in hocce argumento quoſdam habuit AVGVSTINVS, ſed Graecos: ex quorum tamen commentationibus non multum lucis capere potuit, eo, quod linguae graecae eſſet imperitus; niſi forte quaedam in linguam latinam fuerint conuerſa, aut a ſcriptoribus latinis, qui linguam graecam callebant, relata. Mirum itaque non eſt, ſi non vbique rem acu tetigit. Inter alia vero, ad conciliandos inter ſe euangeliſtas, & hancce regulam ponit: *Quod alius alium verborum ordinem tenet, non eſt vtique contrarium. Neque illud contrarium eſt, ſi alius dicit, quod alius praetermittit. Vt enim quisque meminerat, & vt cuique cordi erat, vel breuius, vel prolixius, eamdem tamen explicare ſententiam, ita eos explicaſſe, manifeſtum eſt; lib. II. de conſenſu euangeliſtar. cap. XII. p. 31.* Hac regula inſpirationem ſcripturae ſacrae, immediate a Deo profectam, ſaltem verborum, deſtrui, exiſtimat RICH. SIMON; cum ea locum habere non videatur, vbi vnusquisque, vt meminerit, & vt cuique cordi eſt, vel breuius, vel longius eamdem explicat ſententiam; *hiſt. crit commentat. noui teſtam. cap. XVIII. p. 262.* At excuſari aut defendi AVGVSTINVS poteſt, ſi diſcrimen inter reuelationem & inſpirationem probe teneatur; quod numquam fere non negligunt BENEDICTVS DE SPINOZA, RICH. SIMON, aliique, qui inſpirationem diuinam ſcripturae ſacrae ferre nequeunt. Inſpiratio enim cum modo loquendi, mentemque ſuam explicandi, cuiusuis ingenio & indoli proprio, conſiſtere poteſt: quod vel ſtili diuerſitas, quae in ſcriptoribus ſacris conſpicitur, itemque ratiocinia, quibus Paulus apoſtolus vtitur, omnes condocere poſſunt. In hiſce autem, quae ipſimet ſcriptores ſacri cognoſcebant, aut in quibus ingenii ſui ductum ſequebantur, licet reuelatione opus non eſſet: accedebat tamen inſpiratio qua rerum pariter ac verborum conceptus, vt extra erroris periculum conſtituerentur. Sed hac de re alibi. Reliqua ſcripta AVGVSTINI exegetica in nouum teſtamentum ſunt: *de ſermone domini in monte libri duo*; *quaeſtionum euangeliorum libri duo; quaeſtionum ſeptemdecim in euangelium ſecundum Matthaeum liber vnus; in Ioannis euangelium tractatus CXXIV; in epiſtolam Ioannis ad Parthos tractatus decem; expoſitio quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos liber vnus; epiſtolae ad Romanos inchoata expoſitio, liber vnus; expoſitio epiſtolae ad Galatas, liber vnus.* Quae omnia *operum* eius *tom. III. part. II.* exſtant. Inter haec *libros duos de ſermone domini in monte* ceteris AVGVSTINI ſcriptis exegeticis, certe pleriſque, praefert RICH. SIMON, eo, quod allegoriis digreſſionibusque in iis non adeo indulgeat, ac alias conſueuit; *l. c. c. XVII. p. 246.* Nec tamen & hic myſteria in verbis captare intermittit Hipponenſium praeſul; dum *v. g.* per *montem Matth. V. 1. maiora praecepta iuſtitiae*, quae diſcipulis ſuis ſeruator dederit, deſignari, exiſtimat. *Si quaeritur*, inquit, *quid ſignificet mons; bene intelligitur, ſignificare maiora praecepta iuſtitiae; quia minora erant, quae Iudaeis data ſunt; lib. I. cap. I. p. 119.* Dum autem RICH. SIMON, *l. c.*, AVGVSTINVM reprehendit, quod per *pauperes ſpiritu*, humiles, ab omni ambitione alienos, Deumque timentes, intelligit; ipſemet reprehenſionem incurrit, ſiquidem de paupertate, quae in facultatum

tum tenuitate conſiſtit, Chriſtum loqui, contendit, exiſtimans, verba: *pauperes ſpiritu*, idem ſignificare, ac *reuera pauperes*, quemadmodum & per eos, *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*, eos indicari credit, qui iuſtitiae cauſſa *fame & ſiti corporali* laborant. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ AVGVSTINVS porro in hocce opere interdum ad textum originalem prouocat, & fundamenti loco hancce regulam ponit, verſionem latinam vulgatam ad textum graecum exigendam & corrigendam: quam tamen difficultatibus non carere, ſibi perſuadet RICH. SIMON; cum certum ſit, illius quidem opinione, non aeque apud alios, codices graecos iam tum fuiſſe corruptos. In *tractatibus CXXIV in Ioannis euangelium* admodum ingenio ſuo frena laxat AVGVSTINVS, cum vel vnicum illi verbum ſufficiat, vt in longas digreſſiones ſe diffundat. Exquiſitius iudicium, maioremque diligentiam, in *expoſitione quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos*, elucere, RICH. SIMON *l. c. cap. XVII. p. 252.* obſeruat: quamquam ipſe AVGVSTINVS varia deinceps in hocce opere retractauerit. Nimirum ante certamina Pelagiana liber hicce ſcriptus erat: hinc, cum in quorumdam locorum expoſitione fauere cauſſae Pelagianae videretur; mutata deinceps ſententia, Hipponenſium praeſul aliter haec loca interpretatus eſt. In *expoſitione epiſtolae ad Galatas* ſe ipſum fere ſuperat AVGVSTINVS, dum ſenſui litterali adcurate inhaeret; quem tamen non vbique aeque feliciter adſequitur. Superſunt *ſermones* AVGVSTINI *ad populum*, qui *operum* eius *tomum quintum* conſtituunt; & a monachis Benedictinis in quatuor claſſes diſtributi ſunt, quarum prima *ſermones* continet *de ſcripturis veteris & noui teſtamenti*; altera *ſermones de tempore*; tertia *ſermones de ſanctis*; quarta *ſermones de diuerſis*, quibus denique quinta accedit, eos complectens, de quibus, num recte AVGVSTINO tribuantur, dubitatur.

Sed hisce non immorabimur. Methodum interpretandi ſcripturam, qua AVGVSTINVS vſus eſt, ſi quis cognoſcere cupiat; eam quam rectiſſime ex *libris* eius *quatuor de doctrina chriſtiana* intelliget. Eos enim velut compendium aliquod theologiae exegeticae, &, ſi vltimum librum ſpectes, etiam homileticae, exhibere; ſupra iam ad §. *II.* huius *capitis*, alibique, obſeruauimus. Quae praecipuum in iis momentum trahunt, huc redeunt: ſcripturae ſcopum eſſe dilectionem Dei, & in ordine ad Deum, aliorum hominum; *lib. I. cap. XXXV.* recteque adeo intellectum iri ſcripturam, ſi ad dilectionem Dei aliorumque omnia referantur; *cap. XXXVI.* collationem variarum verſionum vtilem eſſe, quamuis nonnulli interpretes interdum lapſi ſint; *lib. II. cap. XII.* variantibus autem verſionibus recurrendum eſſe ad fontes, vel certe ad verſionem, quae ſtricte & adcurate fontes exprimat, etiamſi aliquando non ſine ſoloeciſmo & barbariſmo, quorum tum non tanta, quanta genuini ſenſus, habenda ſit ratio; *cap. XIII.* inter verſiones latinas italam, inter graecas, quae LXX interpretum eſt, excellere; *cap. XV.* rerum praeterea phyſicarum, numerorum, muſices, aliarumque diſciplinarum notitiam, ad ſcripturae ſacrae cognitionem plurimum conferre; quoniam ſcilicet haec omnia non modo ad ſenſum litteralem, ſed cumprimis ad myſticum & allegoricum, ex mente veterum, plurimum faciant; *cap. XVI.* Atque hinc, qualis AVGVSTINI theologia exegetica ſit, quidue in eius commentariis aut laudandum, aut vituperandum ſit, haud difficulter intelligitur. RICH. SIMON, quando praeſulem huncce cum ORIGENE atque HIERONYMO comparat; illum, ſi eruditionem ſpectes, multum his fuiſſe inferiorem, defectum tamen huncce ingenii vi & ſoliditate iudicii compenſaſſe, pronuntiat. Eum etiam in *libris de doctrina chriſtiana*, alibique, quibus

Digitized by Google

bus dotibus ſcripturae interpretem inſtructum eſſe oporteat, recte expoſuiſſe, ſimul tamen, pro ſua modeſtia, agnouiſſe, plurimas ex iis ſibi deeſſe; mirumque ideo non eſſe, ſi in commentariis ſuis non adeo exactus deprehendatur; *hiſt. crit, vet. teſtam, lib. III. cap. IX. p. 397.*

Si orthodoxis eccleſiae doctoribus haereticos adiungere fas eſt; commemorandus hic omnino eſt PELAGIVS, cuius *commentarii in epiſtolas Pauli apoſtoli* tum HIERONYMI *operibus* ſubiuncti proſtant, *tomo V. p. 926. ſeqq.* editionis IO. MARTIANAEI, tum & AVGVSTINI *tomo duodecimo*, qui *adpendix Auguſtiniana* inſcribitur, editionis, quam non ſemel hucusque laudauimus. Meminerunt commentariorum PELAGII in *epiſtolas Pauli* AVGVSTINVS, *lib. III. de peccatorum meritis & remiſſionib. cap. I.* & *XII.* & *lib. de geſtis Palaeſtinis c. XVI.* MARIVS MERCATOR, *commonitor. aduerſus haereſin Pelagii & Caeleſtii &c. p. m. 2.* auctor *praedeſtinati, haereſi LXXXVIII.* CASSIODORVS, *diuinar. lection.* ſiue *de inſtitut. diuinar. ſcripturar. cap. VIII. p. m. 454.* Eosdem vero eſſe hosce commentarios, qui iam olim HIERONYMO fuere tributi, eiusque operibus inſerti, & cum iisdem, vt antea diximus, vti & AVGVSTINI, editi ſunt; luculenter oſtendit GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelagianae lib. I. cap. IV. p. m. 556.* Idemque apud viros harum rerum peritos hodie poſitum eſt extra controuerſiam. Conferendus IO. GARNERIVS, in *adpendice ad diſſertation. de ſcriptis pro haereſi Pelagiana, cap. II. tom. XII. operum Auguſtini, p. 258.* In aliam equidem ſententiam ingreſſus eſt IAC. VSSERIVS, apud GVIL. CAVE, *hiſt. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. part. I. ſaec. V. p. 208.* exiſtimans, eum, quem hodie habemus ſub HIERONYMI nomine, commentarium, quiue PELAGIO vulgo tribuitur, ex PELAGII, HIERONYMI & PRIMASII explicationibus conſarcinatum eſſe, adeo nullo cum iudicio, vt contraria dogmata, Pelagiana ex haeretico, & orthodoxa, ex HIERONYMO & PRIMASIO hauſta, paſſim a ſe commixta eſſe, auctor non animaduerterit. PHIL. LABBEVS itidem a ROB. BELLARMINO, commentarios hosce PELAGIO tribuente, diſſentit; quoniam, quae AVGVSTINVS ex iis citat, in illis, qui hodie exſtant, non inueniantur; in *diſſert. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom. I. p. 441.* Deinceps tamen in *addendis & corrigendis p. 794. ſeqq.* AVBERTINO ſuffragatur, adſerenti, commentarios hosce PELAGII eſſe, ſed prout a CASSIODORO ab erroribus Pelagianis repurgati ſint. Atque hoc eſt, quod & IO. GARNERIVS docet, qui & velut in tabula quadam hoc demonſtrat, dum quae MARIVS MERCATOR ex PELAGII commentariis recitauit, cum iis, quae in codicibus a CASSIODORO emendatis, aut corruptis, exſtant, confert, *l. c. p. 259.* CASSIODORVS, quod eiusmodi quid ſuſceperit, ipſemet teſtatur; quamquam & alias hoc illi ſollemne fuerit. Cum enim monuiſſet, hosce commentarios a quibusdam GELASIO papae tribui; ſe autem deprehendiſſe, *Pelagiani erroris venena illic eſſe ſeminata*: addit; *Et vt procul a nobis fieret error haereticus, primam epiſtolam ad Romanos qua potui curioſitate purgaui, reliquas in chartaceo codice conſcriptas vobis emendandas reliqui, quod facile ſubiacebit, quando praecedenti exemplo audacior redditur ſequentis imitatio; l. c. p. m. 454.* Hoc ſi obſeruetur, facile ſolui dubium poteſt, quod nonnulli mouent, non omnia, quae AVGVSTINVS ex PELAGII commentariis attulit, eo modo in iis exſtare, quos hodie habemus. Id enim ex mutatione iſta, quam per CASSIODORVM ſubierunt, prouenire potuiſſe, manifeſtum eſt. Interim pleraque, quae AVGVSTINVS recitauit, in hisce, qui hodie exſtant, commentariis legi, luculenter oſtendit LVD.

Digitized by Google

ELL. DV PIN, in *nou. bibliotb. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. III. p. 153.* RICH. SIMON illis itidem ſuffragatur, qui iſtos commentarios PELAGII eſſe, ſed a CASSIODORO purgatos, ſeu caſtratos, agnoſcunt: ſimulque eosdem inter praeſtantiſſimos, qui in nouum teſtamentum exſtent, ſi loca quaedam, quae ſecundum praeiudicatas ſuas opiniones interpretatus ſit, exceperis, referre, nullus dubitat. Addit, SEDVLIVM, PRIMASIVM, HAYMONEM, aliosque, ex hocce fonte ſua irrigaſſe arua, & meliora quaeque inde in ſuos transtuliſſe commentarios. Cum etiam breuitati ſtudeat PELAGIVS, ſenſuique litterali ſine ambagibus inhaereat; habere hosce commentarios indolem *ſcholiorum*; quo nomine & CASSIODORO veniant; *biſtor. crit. comment. noui teſtam. cap. XVI. p. 237. ſeqq.* vbi & alia lectu obſeruatuque digna de iisdem adfert.

Tandem ad HIERONYMVM accedimus, quem nonnulli merito alterum eccleſiae ORIGENEM vocant, quod in ſcripturis interpretandis non minorem induſtriam, ſtudiumque collocauerit, quam ORIGENES, cui etſi ingenii acumine ceſſerit, multum tamen linguae ebraeae eum ſuperauerit peritia. Atque de verſionibus quidem ſcripturae ab HIERONYMO aut concinnatis, aut emendatis, cum antea iam dictum ſit; ſupereſt, vt tum de commentariis eius, tum de reliquis ſcriptis ad theologiam exegeticam ſpectantibus, aliquid addamus. Inter *commentarios* in vetus teſtamentum primo equidem loco ſe nobis offerunt, *de decem tentationibus populi Iſrael in deſerto, epiſtola*; in *canticum Deborae commentarius*; in *libros regum*, itemque in *libros paralipomenon*, *quaeſtiones ebraicae*; *expoſitio interlinearis in librum Iob*; & denique *prologi & commentarii in pſalmos Dauidis*: quae omnia in *adpendice tomi II. operum* HIERONYMI exhibet IO. MARTIANAEVS. Verum cum ipſemet editor doctiſſimus fateatur, haec omnia ſuppoſititia eſſe, perperamque HIERONYMO tribui; non eſt, quod iis immoremur. Id ſolum praetermittere nequeo, quatuor priora ex hisce opuſcula, *epiſtolam* ſcilicet *de decem tentationibus populi Iſraël in deſerto; commentarium in canticum Deborae;* & *quaeſtiones ebraicas*, tum in *regum* tum in *paralipomenon libros*, ex mente IOAN. MARTIANAEI, auctorem agnoſcere Ebraeum quemdam, hoc eſt, aut chriſtianum, linguae ebraeae peritum, aut Iudaeum, qui chriſtianam religionem amplexus eſt, qui tempore ALCVINI ac RHABANI MAGNENTII MAVRI floruerit, cuius *ſcholia marginalia canonis ebraicae veritatis* ipſe primus *tomo I. operum* HIERONYMI edidit, & de quo fuſius verba facit in *prolegomenis*, *tomo* huic *I.* praemiſſis, *prolegom. III. §. IV.* Ex *ſcholiis* vero, quae edidit, iſtius Ebraei, inſignem prorſus ſibi vtilitatem promittit MARTIANAEVS; ſed non magni ea momenti eſſe, oſtendit IO. CLERICVS, in *quaeſtionibus Hieronymianis*, *quaeſt. X. p. 343. ſeqq.* Ad eos itaque commentarios, qui ipſum HIERONYMVM auctorem agnoſcunt, quod attinet; in *primo operum* eius *tomo p. 714. ſeqq.* commentarius *in eccleſiaſten* exſtat, in cuius *praefatione* ipſemet, quam librum huncce explicandi rationem obſeruauerit, ita nos condocet: *Hoc breuiter admonens, quod nullius auctoritatem ſequutus ſum; ſed de ebraeo transferens, magis me ſeptuaginta interpretum conſuetudini coaptaui; in his dumtaxat, quae non multum ab ebraicis diſcrepabant. Interdum Aquilae quoque & Symmachi & Theodotionis recordatus ſum; vt nec nouitate nimia, lectoris ſtudium deterrerem; nec rurſum contra conſcientiam meam, fonte veritatis omiſſo; opinionum riuulos conſectarer.* Cenſuram tamen & IO. CLERICI, & RICH. SIMONIS, hicce *commentarius* expertus eſt. Et IOANNES quidem CLERICVS, cum obſeruaſſet, HIERO-

ERONYMVM per *omnia*, quae ſtatim in libri huius initio *vana* eſſe dicuntur, perperam ipſas creaturas intelligere; cum ex totius libri, & ſpeciatim primi capitis, conſideratione pateat, minime de creaturis quibusuis hic agi, ſed de laboribus, occupationibusque hominum, ad hanc vitam pertinentibus, vitaque adeo ipſa humana, quibus omnibus magna moleſtia admiſta eſt, & imminet de propinquo finis; idque ex *verſ. 3.* confirmaſſet; addit: *Sed Hieronymus more veterum ſaepe tam exiguam rationem ſeriei orationis habet, vt ſingula commata quaſi diuulſas, nec cohaerentes ſententias, interpretetur: ex qua ratione interpretandi innumeri profluxerunt errores, verborumque ad rem nihil facientium taediosae atque inutiles profuſiones; quod in hoc loco interpreti noſtro contigit, qui caducum, & nihil vniuerſitatis, vt loquitur, hic quaerit, vbi de rebus tantum humanis ſermo eſt*; in *quaeſtionib. Hieronymianis, quaeſt. XV. p. 504.* Huius generis & alia adfert. RICHARDVS autem SIMON id agit, vt oſtendat, HIERONYMVM methodi, quam ſibimet ipſe in *praefatione*, vt antea memorauimus; praeſcripſit, leges non ſemper obſeruaſſe; ſimulque ſubinde tum HIERONYMVM, tum verſionis vulgatae auctorem, quod textum ebraeum non recte intellexerint, aut transtulerint, reprehendit. Male admodum hoc habuit IO. MARTIANAEVM, qui idcirco *commentario* iſti HIERONYMI *notas prolixiores* ſubiecit, *p. 790. ſeqq.* quas hisce verbis claudit: *Has ego Simonii iniurias conqueri compulſus ſum pro authentica eccleſiae romanae verſione latina, ac pro maximo diuinarum ſcripturarum interprete Hieronymo: paratus alioquin, in gratiam redire cum illo ſcriptore critico, modo ipſe ad ingenium ſuum nolit redire; p. 806.* Sequuntur *commentarii in prophetas tum maiores tum minores.:* quibus inter reliquos eiusdem auctoris primum praecipuumque locum deberi, omnes iſtarum rerum periti fatentur. Integrum iſti *operum* HIERONYMI *tomum tertium*, ſecundum editionem iam laudatam, conſtituunt. *Prolegomenis*, quae IO. MARTIANAEVS *tomo* huic praemiſit, *adpendicem* ſubiunxit, in qua, quae LVD. CAPPELLVS in hisce HIERONYMI *commentariis* reprehenderat, diluere adnititur. Poſt *commentarios* autem *in prophetas maiores* MARTIANAEVS inſeruit *eruditionis Hieronymianae defenſionem aduerſus Ioanem Clericum, p. 1138. ſqq.* in cuius *cap. I.* de *abſoluta Hieronymi eruditione, deq; imperitia ſingulari Io. Clerici, c. II. de ſinceritate & vtilitate editionis nouae operum ſancti Hieronymi, deque imperitia ac maleuolentia quaeſtionum Hieronymianarum Io. Clerici.* RICH. SIMON methodum, qua in hisce *commentariis in prophetas* HIERONYMVS vſus eſt, vehementer laudat: ſiquidem primo antiquam verſionem latinam, quae tum in vſu fuit, referat, cui aliam, quam ipſe ad textum ebraeum adornauit, iungat; tum antiquas verſiones graecas inter ſe conferat, vt ebraearum vocum, quae plures plerumque ſignificationes habent, genuinam notionem eruat. Fatetur tamen, eum allegoricas ſubinde admiſcere interpretationes, eo quod ſaeculi ita ferret conſuetudo; nec vllam praetermittere occaſionem, nouam ſuam verſionem defendendi; iniurium praeterea interdum eſſe in verſionem LXX interpretum, nimioque feruore textum ebraeum & interpretationes tueri iudaicas; *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. IX. p. 394. ſeqq.* Naeuorum non expertes eſſe HIERONYMI commentarios, deinceps docebimus. At quod hic SIMON ſubinnuit, textum ebraeum ad verſionem LXX interpretum, aliasque, exigendum & corrigendum eſſe; id inter ipſius referendum errores; neutiquam autem HIERONYMVS, ſecus quod exiſtimauerit, reprehendendus eſt. Ad nouum teſtamentum quod attinet, CASSIODORVS equidem

dem innuit, HIERONYMVM in quatuor euangeliſtas commentatum eſſe; *de inſtitut. diuinar. ſcripturar.* ſiue *diuinar. lection. cap. VII. p. m. 455.* Hodie ſolum exſtant *commentariorum* eius *in Matthaeum libri IV. tomo IV. operum part. I.* ſecundum eam, quam ſequimur, editionem, ſtatim ab initio. Atque hi inſuper opinioni, quam de eruditione HIERONYMI multi animo conceperunt, doctorum quorumdam virorum iudicio, non reſpondent. Feſtinanter etiam hos commentarios a ſe ſcriptos, ipſemet non diffitetur, vt precibus amici, Romam contendentis, ſatisfaceret. *Certe noſti,* inquit, *& mendacii mei erubeſcerem te teſtem vocare, quod praeſens opuſculum tanta celeritate dictauerim, vt aliena magis legere, quam mea condere, me putaret. Nec hoc de arrogantia & fiducia ingenii dictum putes; ſed quod oſtendere tibi cupiam, quantum apud me valeas, qui periclitari magis apud doctos voluerim, quam tibi ſedule poſtulanti quidquam negare;* in *prologo p. 6.* Rationem, regulamque interpretandi, quam ſequutus ſit, hanc eſſe, in eodem *prologo p. 3.* ipſemet profitetur: *omnes legere, qui in euangelia ſcripſerunt; deinde, adhibito iudicio, quae optima ſunt, excerpere. Commentarium in Marcum,* qui ſub HIERONYMI nomine exſtat, & inter opera eius edi ſolet, ſpurium ac ſuppoſititium eſſe, hodie in confeſſo eſt apud omnes. Sequuntur itaque *commentariorum in epiſtolam ad Galatas libri III. in epiſtolam ad Epheſios lib. III. explanatio in epiſtolam ad Titum; expoſitio in epiſtolam ad Philemonem;* itidem *tomo IV. operum, part. I. p. 210. ſeqq.* In hiſce omnibus eruditionem ſingularem, lectionemque veterum ſcriptorum, ſacrorum & profanorum, demonſtrauit. Hoc namque & in iis egit, vt ex ORIGENIS, DIDYMI, APOLLINARII, aliorumque, quorum nomina in *praefationibus* indicat, commentariis, optima quaeque ſeligeret, variasque colligeret ſententias, addito ſubinde iudicio, quae reliquis praeferenda eſſet. Hanc namque optimam eſſe commentandi rationem, qua & ipſemet vſus ſit, non tantum *locis* iam *citatis*, alibique, ſed & cumprimis in *praefatione commentariis in epiſt. ad Galat.* praemiſſa, *p. 222.* docet. Cum enim ibi ORIGENIS, DIDYMI, APOLLINARII, ALEXANDRI veteris haeretici, EVSEBII Emeſeni, & THEODORI Heracleenſis, *commentarios in epiſtolam ad Galatas* commemoraſſet; addit: *Legi haec omnia, & in mente mea plurima coaceruans, accito notario, vel mea vel aliena dictaui, nec ordinis, nec verborum interdum, nec ſenſuum memoriam retentans.* Quae quidem commentarios conficiendi ratio etſi non prorſus reiicienda eſt, ſi cetera recte ſe ſe habeant; ex ipſis tamen HIERONYMI verbis videtur colligi poſſe, illum non eam, quam res iſta poſtulabat, in aliorum ſententiis & referendis, & expendendis, adhibuiſſe ἀκρίβειαν atque diligentiam. Idque pluribus confirmare adnititur cenſor HIERONYMI interdum nimis rigidus IO. CLERICVS, in *quaeſtionib. Hieronymian. quaeſt. XV. p. 495. ſeqq.*

Praeter commentarios & alia ſcripſit HIERONYMVS, quae ad theologiam exegeticam faciunt; de quibus vt aliquid dicamus, inſtituti noſtri poſtulat ratio. Eminet autem inter ea *liber de interpretatione nominum ebraicorum*, qui primum in *operum* eius *tomo ſecundo* occupat locum. Primus PHILO Alexandrinus nomina propria veteris teſtamenti collegerat, vt ipſemet in *praefatione* ſua docet HIERONYMVS; deinde ORIGENES eam collectionem auxit; HIERONYMVS autem, cum diſſonos inter ſe codices inueniſſet, & confuſum ordinem: denuo ſcriptores ſacros percurrendo, plurima emendauit, & noui teſtamenti verba & nomina adiecit: quamquam & hac in re praeeuntem ſibi habue-

rit

rit ORIGENEM. IO. MARTIANAEVS libro huic *commentarium* ampliſſimum ſubiecit, *p. 86. ſeqq.* in quo inter alia *graeca fragmenta libri nominum ebraicorum, ex regio codice manuſcripto deſcripta, ac latine reddita, atque comparata cum Hieronymi contextu*; item, *lexicon graecum nominum ebraicorum, cum duplici interpretatione latina, Hieronymiana ac ſua*; porro, *Origeniani lexici nominum ebraicorum aliud exemplar, ex manuſcripto graeco codice Colbertino, cum duplici interpretatione latina* &c. exhibet. Addidit etiam *p. 290. ſeqq. apologiam eruditionis ebraicae Hieronymi*, quae *commentarii* iſtius *caput ſecundum* conſtituit, in cuius §. *II. p. 350. ſeqq.* vtilitatem libri huius Hieronymiani *de nominibus ebraicis* demonſtrare ſatagit. Et ſane laborem eiusmodi ſua non carere vtilitate, omnes facile concedent; HIERONYMVM tamen in eo ita verſatum, vt plurimos admiſerit errores, itidem negari nequit: vnde tot laudes opus hocce non mereri, quot iſtud euehit MARTIANAEVS, oſtendit IO. CLERICVS, in *quaeſtionibus Hieronymianis, quaeſt. XI. p. 384. ſeqq.* Multa longe rectius de nominibus ebraicis tradi poſſe, quam ab HIERONYMO factum, exemplo ſuo demonſtrauit, qui recentiori aetate magna cum laude in hoc argumento verſatus eſt, MATTH. HILLERVS, in *onomaſtico ſacro, in duas partes diſtincto*, quod Tubingae prodiit an. 1706. 4. Ad eamdem ſcriptorum exegeticorum claſſem etiam referendus eſt HIERONYMI liber *de locis ebraicis*, ſiue *de ſitu & nominibus locorum ebraicorum*, ad geographiam ſacram ſpectans, qui *tomo II. operum* eius *p. 378. ſeqq.* exſtat; ſubiectaque eſt tabula geographica ex ſcriptis HIERONYMI collecta. Librum huncce graece primus edidit IAC. BONFRERIVS Lutetiae an. 1631 additis ſupplementis & notis minime ſpernendis: quas integras MARTIANAEVM ſuae editioni non inſeruiſſe, aegre fert IO. CLERICVS, *loco* mox *citando*. EVSEBIVS nimirum Caeſarienſis eum graece ſcripſerat, conuertitque poſtea HIERONYMVS latine, *ſed*, vt ipſemet in *praefatione* ait, *relinquens, quae memoria digna non videbantur, & pleraque* (hoc eſt, obſeruante IO. CLERICO, multa, nam multo plura ſine mutatione tranſtulit) *mutans*; ita vt porro profiteatur, ſe *vel interpretem eſſe, vel noui operis conditorem.* Nec tamen in hocce opere ea, qua par erat, diligentia HIERONYMVM verſatum, exemplis comprobat IO. CLERICVS, *quaeſtion. Hieronymian. quaeſt. III. §. IV. p. 63. ſeqq.* & *quaeſt. XII. §. I. ſeqq. p. 421. ſeqq.* Idem etiam vir doctiſſimus opus hocce HIERONYMI, cum *animaduerſionibus* ſuis, recudendum curauit Amſtelodami an. 1707. fol. inſcriptum: *onomaſticon vrbium & locorum ſacrae ſcripturae, ſeu liber de locis ebraicis, graece primum ab Euſebio Caeſarienſi, deinde latine ſcriptus ab Hieronymo, in commodiorem vero ordinem redactus, variis additamentis auctus, notisque & tabula geographica Iudaeae illuſtratus, opera Iocobi Bonfrerii, ſoc. Ieſu, recenſuit &c.* Acceſſit in hac editione BROCARDI, monachi ex ordine praedicatorum, *deſcriptio terrae ſanctae.* Inter ſcripta vero HIERONYMI, quae huius loci ſunt, ſequitur *liber quaeſtionum ebraicarum in geneſin, tomo II. operum p. 507. ſeqq.* In eo id agit, vt verſionem latinam cum textu ebraeo, & verſionibus graecis, conferat, de quibus ſuam, ſubinde & Iudaeorum, profert ſententiam. Haud vltimum inter opera ſua locum ipſe illi tribuit HIERONYMVS. In *praefatione* namque ad *librum de nominibus ebraicis p. 1. libros*, inquit, *ebraicarum quaeſtionum nunc in manibus habeo, opus nouum, & tam Graecis, quam Latinis, vsque ad id locorum inauditum. Non quo ſtudium meum inſolenter extollam, ſed quod ſudoris conſcius, ad lectionem eorum prouocem neſcientes. Si quis igitur & illos & prae-*

& praeſens volumen (de nominibus ebraicis) *librum quoque locorum, quem editurus ſum, habere voluerit, parui pendet ructum & nauſeam Iudaeorum.* IOANNES autem CLERICVS, ſcripta HIERONYMI inter ſe contendens, vtiliſſimum eſſe, iudicat, librum *de locis ebraicis;* minus vtiles *quaeſtiones ebraicas in geneſin;* inutilem denique librum *de nominibus ebraicis*, praeſertim qualis ad nos peruenit, certe exiguae vtilitatis. Non itaque negat, vtiles quodammodo eſſe *quaeſtiones* haſce *ebraicas in geneſin*, quin potius optat, vt in vniuerſum vetus teſtamentum ſimiles haberemus, praeſertim propter antiquarum verſionum fragmenta: eas tamen minime aequandas, cenſet, adcuratioribus recentiorum ſcriptis, qualia ſint Druſiana, Grotiana, aliaque id genus, in quibus multo exquiſitior eruditio, limatius iudicium, maiorque diligentia vbique eluceant; id quod pluribus confirmat in *quaeſtion. Hieronymian. quaeſt. XIII. p. 437. ſeqq.* RICH. SIMONI hicce HIERONYMI liber hoc nomine diſplicet, quod, cum ei conſtitutum eſſet, verſionem LXX interpretum impugnare, atque oſtendere, textum ebraeum illi praeferendum eſſe, eo vsque interdum abreptus ſit, vt verſionem iſtam LXX interpretum reprehenderet, vbi minime reprehendenda eſſet; *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. IX. p. 396.* Idem etiam, dum loca quaedam verſionis vulgatae cum obſeruationibus HIERONYMI in hiſce *quaeſtionibus ebraicis in geneſin* confert, *lib. II. c. XII. p. 249. ſeqq.* quaedam parum adcurate ab HIERONYMO dicta, notat. Quod cum IO. MARTIANAEVS aegre ferret: neceſſitatem HIERONYMVM defendendi ſibi impoſitam, cenſuit: idque egit in *notis prolixioribus*, quas *quaeſtionibus* iſtis HIERONYMI *ebraicis* ſubiecit, *p. 550. ſeqq.* Superſunt denique *epiſtolae criticae*, vt IOAN. MARTIANAEVS vocat, aut ſi mauis, *exegeticae* HIERONYMI. Has ex reliquis eius *epiſtolis* ſelectas, partim *ſecundo*, partim *tertio tomo*, & *quarti parti priori*, MARTIANAEVS inſeruit; reliquas autem in *tomi quarti parte poſteriori* exhibet: quamquam inter has etiam quaedam occurrant, quae inter *criticas* ſeu *exegeticas* optimo iure referri poſſent. Huiusmodi eſt illa *ad Pammachium de optimo genere interpretandi*, *pag. 248. ſeqq.* itemque *ad Paulinum presbyterum de ſtudio ſcripturarum*, *p. 568.* & aliae quaedam. Inter eas, quae *tomo II.* leguntur, maxime obſeruatu digna, quae *p. 626. ſeqq.* exſtat, ad *Suniam* ſiue *Sunniam & Fretelam*, de variantibus lectionibus graecis ac latinis in pſalterio Dauidis; quam longe adcuratius ac emendatius, quam hactenus factum, IO. MARTIANAEVS edidit. Is etiam ex codicibus manuſcriptis veram & genuinam inſcriptionem reſtituit, quae haec eſt: *dilectiſſimis fratribus Sunniae & Fretelae, & ceteris, qui vobiſcum domino ſeruiunt, Hieronymus.* Vnde ridiculus RICH. SIMONIS error intelligitur, qui ſibi perſuaſit, SVNNIAM & FRETELAM mulieres fuiſſe, graecae & ebraeae linguae peritas: quo nomine & MARTIANAEO vapulat, in *notis*, quas ſingulis paginis ſubiecit, *p. 626.* Idem MARTIANAEVS vberiores quasdam *adnotationes epiſtolae* huic adiunxit, in quibus *p. 666.* pluribus confirmat, SVNNIAM & FRETELAM non feminas, ſed viros fuiſſe. Quid in *epiſtolis criticis* HIERONYMI cenſura dignum ſibi videatur, oſtendit IO. CLERICVS, in *quaeſtionib. Hieron. quaeſt. XIV. p. 457. ſeqq.*

Iam ſi generatim de laboribus HIERONYMI exegeticis ferendum ſit iudicium; id quidem negari nequit, recteque obſeruat RICH. SIMON, cum iis omnibus, quae ad ſcripturae ſacrae interpretationem rite inſtituendam neceſſaria ſunt, melius, quam vllum alium ex patribus inſtructum fuiſſe. Linguarum namque, ebraeae, chaldaeae, graecae & latinae minime rudis fuit. Non tan-

tantum legerat, ſed & ſub examen reuocauerat verſiones graecas, quae in *hexaplis* ORIGENIS exſtabant: immo & eruditos ſui temporis Iudaeos conſulere ſolebat; qui tamen eum non temere decipere poterant, eo, quod ipſe linguae ebraeae peritus eſſet. Graecos inſuper, latinosque ſcriptores, qui ante eum commentariis ſuis ſacram ſcripturam illuſtrarunt, perluſtrauerat; & in profanorum ſcriptorum lectione haud mediocriter verſatus erat. Quae omnia, vt luculenter probant, eum reliquis patribus omnibus multum praeferendum eſſe: ita vbique rem acu tetigiſſe, aut naeuorum expertem eſſe, nondum efficiunt. Eum non ſemper adcuratum eſſe, agnoſcit RICH. SIMON, *hiſtor. critic. vet. teſtam. lib. III. c. IX. p. 394.* cuius rei deinceps intelligemus rationes. IO. autem CLERICO haec omnia, quae ab aliis laudari in HIERONYMO ſolent, valde mediocria videntur. *Si ſeparas*, inquit, *multam Graecorum, & praeſertim Latinorum lectionem, coniunctam eum facultate acriter declamandi, aut declamatorie ſcribendi, pro eius aeui palato; cetera omnia ſunt mediocria. Non modo ebraicae, ſed & graecae linguae modica cognitione fuit tinctus. Theologiam, ceterasque diſciplinas, deguſtauerat potius, quam exhauſerat. In inuentione quidem nihil propemodum habet exquiſiti; in ordine nihil ferme adcurati. In ratiocinatione vero & collectione conſectariorum, plus multo pompae rhetoricae atque exaggerationis inuenias, quam roboris & iudicii &c.* in *quaeſtionib. Hieronymian. quaeſt. I. p. 7.* Verum vt IO. MARTIANAEVS in extollenda & exaggeranda HIERONYMI eruditione nimius fuit: ita & CLERICVS nimius eſſe videtur in eadem extenuanda. Conferenda, quae tum de reliquorum patrum, tum ſpeciatim HIERONYMI eruditione ſupra diſputauimus, *libri* huius *II. c. III.* ad §. *IV.* Ad ſcripta HIERONYMI exegetica, ſpeciatim commentarios eius, quod attinet; in iis multa laude digna occurrere, ſpeciatim illum in ſenſu ſcripturae litterali inueſtigando, omnibus ſui ac praecedentium ſaeculorum patribus palmam praeripuiſſe, nemo temere dubitauerit. Eam, qua in *commentariis in prophetas* vſus eſt, interpretandi rationem a RICH. SIMONE, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. c. IX. p. 394.* vehementer laudari, antea iam diximus. Idem tamen vir doctus varia rurſus in HIERONYMI interpretationibus deſiderat, interque alia, quod non ſemper ſibi conſtet: vnde porro colligit, eum certa regula, quam ſequeretur, deſtitutum fuiſſe; *l. c. lib. I. c. XVI. p. 96.* conf. & *lib. III. c. IX. p. 395.* Quod praeter ſenſum literalem etiam allegoricum conſectatur, eaque in re ſuo interdum nimis indulget ingenio; id ſaeculi potius, quo vixit, quam ipſius HIERONYMI eſt vitium. Exemplum IO. CLERICVS ſuppeditat, in *quaeſtionibus Hieronymianis, quaeſt. XV. p. 505.* Maioris adhuc momenti eſt, quod interdum ſingulas ſententias ita explicat, vt, quid orationis ſeries atque nexus poſtulet, parum perpendat: vti ſupra ex eodem IO. CLERICO iam obſeruauimus, cum de eius in *eccleſiaſten* commentario loqueremur. Grauiſſimum hoc eſſe interpretis vitium, nemo negauerit. Quam ipſemet ſibi conſtituerit rationem, commentarios conficiendi, ex *prologo* eius *in Matthaeum p. 6.* antea itidem iam docuimus. Sed cum in aliorum ſententiis conferendis & expendendis non ſemper eam, quam debebat, adhibuerit diligentiam; cum etiam aliorum ita retulerit ſententias, vt quaenam reliquis praeferenda ſit, non ſignificauerit; cum ſumma ſaepius celeritate & feſtinatione ſua effuderit; cum dictatos inſuper, non ſua manu ſcriptos commentarios, ipſemet fateatur: fieri vtique aliter non potuit, quam vt interdum ἀκρίβεια iure in illis deſideretur. Fuſius haec omnia ediſſerit IO. CLERICVS, *quaeſt. Hieronymian. quaeſt. XV. p. 494. ſeqq.* Cum hiſtoria contro-

uerſiarum, quibus editio operum HIERONYMI, quam IO. MARTIANAEO debemus, occaſionem dedit, iis, quae hucusque diximus, lucem quamdam adfundere queat: obſeruare iuuabit, edidiſſe MARTIANAEVM initio *diui Hieronymi prodromum*, an. 1690 in quo, quam neceſſaria ſit noua *operum* HIERONYMI editio, oſtendit, & eius quoque ſpecimen aliquod, *epiſtolam* ſcilicet HIERONYMI *ad Sunniam & Fretelam*, ad manuſcriptos codices optimae notae caſtigatam, exhibet. Sequutus hinc eſt an. 1693 *operum* HIERONYMI *tomus I.* ſeu *diuina bibliotheca, antehac inedita, complectens translationes latinas veteris & noui teſtamenti &c.* & anno 1699 *tomus ſecundus, complectens libros editos & ineditos etymologicos, geographicos, quaeſtiones ebraicas, epiſtolas criticas, & commentarios &c. vsque ad prophetas &c.* Tum IO. CLERICVS *quaeſtiones* ſuas *Hieronymianas* in lucem emiſit, *in quibus expenditur Hieronymi nupera editio Pariſina, multaque, ad criticam ſacram & profanam pertinentia, agitantur*; Amſtelodami anno 1700. 12. MARTIANAEVS autem, dum in inſtituto ſuo perrexit anno 1704 *tertium tomum* euulgauit, *commentarios in prophetas maiores & minores* complectentem: cui poſt *prophetas maiores, eruditionis Hieronymianae defenſionem aduerſus Io. Clericum* inſeruit. *Tomus* denique *quartus* & *quintus*, ſeu vltimus, an. 1706 ſimul orbi erudito ſe conſpiciendos praebuerunt. Eodem vero an. 1699, quo *alter operum* HIERONYMI *tomus* prodiit, in lucem etiam emerſit *critique du livre publié par les moines Benedictins de la congregation de S. Maur, ſous le titre de bibliotheque diuini de S. Ierome*; cuius libelli ſiue epiſtolae auctor RICH. SIMONIS nepos quidam videri voluit, probareque conatus eſt, fruſtra HIERONYMO tribui, quae in *primo* operum eius *tomo* continentur. An MARTIANAEVS illi ex inſtituto aliquid repoſuerit, mihi non conſtat. RICH. tamen SIMONEM ab illo hinc inde acriter refutatum, ex antea dictis intelligitur.

Ad ſaeculum quintum dum progredimur, primus nobis occurrit THEODORVS Mopſueſtenus, qui circa eius initium floruit. Nomen eius minime ignotum eſt: nec ſemel alia occaſione mentionem eius fecimus; licet non idem de eo ſit, & iam olim fuerit, iudicium. A quibusdam enim grauiſſimorum arguitur errorum, & Neſtorii pariter ac Pelagii praecurſor dicitur: ab aliis autem aut excuſatur, aut defenditur. In varios ſcripturae ſacrae libros commentarios ſcripſit, quos, vti & reliqua eius ſcripta, diligenter recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. IX.* ſiue *lib. V. c. XXXIII. pag. 157. ſeqq.* Sed ex omnibus eius commentariis nihil amplius, praeter fragmenta quaedam hinc inde obuia, exſtat. Idque mirum non eſt; cum LEONTIVS Byzantinus teſtetur, iam ſua aetate ſcripta eius difficulter reperiri potuiſſe, eo quod, qui ab eius partibus ſtabant, omnem nauauerint operam, ne ad alios peruenirent. *Si enim*, inquit, *facile eſſet ſcripta eius reperire, non pigeret nos, in omnibus capitibus, de quibus eum adcuſauimus, ipſum illum teſtem producere. Quia vero nos vix & magno labore & multis cogitationibus vſi librum eius contra incarnationem reperire potuimus; vehementer enim obſeruant & cauent, ne illius libros cum iis, qui non ſunt in iis inſtituti, communicent; ob hanc cauſſam &c. lib. III. contra Eutychianos & Neſtorianos*, in *bibliotheca maxima patrum tomo IX. p. 699.* Vt autem THEODORVS hicce apud multos olim haereſeos ſuſpectus erat: ita nec deerant, qui in eius commentariis plurima reprehenſione digna ſibi deprehendere videbantur. Hoc ex eodem LEONTIO intelligere licet, qui inter alia, *inſcriptiones*, inquit, *hymnorum & pſalmorum, & canticorum penitus eiecit, & omnes pſalmos iudaice ad Zorobabelem, & Ezechiam retulit*,

Digitized by Google

retulit, tribus tantum ad dominum reiectis. Immo & ſanctorum ſanctiſſimum canticum canticorum ab omnibus diuinarum rerum peritis, & ab omnibus chriſtianis laudatum, omnibus eccleſiis cuncti orbis notum, & a Iudaeis inimicis crucis Chriſti in admiratione habitum, libidinoſe pro ſua & mente & lingua meretricia, interpretans, ſua ſupra modum incredibili audacia ex libris ſacris abſcidit; l. c. p. 697. Sunt haec obſeruatu digna, quoniam inde cognoſcitur, THEODORVM huncce Mopſueſtenum exemplum praeiuiſſe iis, qui recentiori aetate luculentiſſima de Chriſto vaticinia ita detorquere auſi ſunt, vt de quouis potius alio, quam de Chriſto, ea intelligere mallent: id quod IO. CALVINVM, HVG. GROTIVM, aliosque, qui illorum veſtigia premunt, feciſſe, conſtat. Non minus vero & illis exemplum praeiuit, qui canticum canticorum, neglecta myſtica interpretatione, quam res ipſa ſuadet, de impuro Salomonis erga mulierem quamdam, quam prae reliquis dilexerit, amore explicare non dubitarunt: quod praeter SEB. CASTELLIONEM, HVG. GROTIVM, & IO. CLERICVM, de quibus in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. IV.* ad *§. XXXIII. p. 645.* dixi, noſtra quoque aetate fecit GVIL. WHISTONVS, in *ſupplemento tentaminis, ad reſtituendum verum textum veteris teſtamenti &c.* cuius ſumma exhibetur in ARMANDI DE LA CHAPELLE *bibliotheque angloiſe tomo XI. part. I. artic. II. p. 74. ſeqq.* Sed & de reliquis THEODORI Mopſueſteni ſcriptis eumdem audire iuuabit LEONTIVM. *Si quis vero*, inquit, *non adhibuerit fidem, & ei vacat, & eſt animus, quaerat quae vane elaborauit in geneſin, & in librum contra Iob, & prauam interpretationem in epiſtolam ad Ebraeos, & in epiſtolam ad Corinthios, & ad Galatas, & quae contra Maguſaeos* (Perſarum magos) *ſcripſit, & praemeditationem excaecantem in ſacros pſalmos, & quae pro Eunomio contra Baſilium ſcripſit &c. item enarrationes turbidas & blaſphemas in euangelium Matthaei, Ioannis & Lucae, & ipſorum ſanctorum apoſtolorum euangeliſtarum ſuperbas, quas auſus eſt, reprehenſiones, & alia eius opera, ne ſingula enumerem &c. l. c. p. 699.* Iam antea idem LEONTIVS dixerat: *Hunc aiunt non amplius, quam decem & octo annos natum, in ſcripturas debacchatum eſſe; non enim niſi debacchationes ſcripturarum, interpretationes, quas in eas compoſuit, adpellare poſſum;* & quibusdam interiectis: *Hic ſceleſtus in omni praua interpretatione ſcripturarum labores ſanctorum doctorum, qui in eis laborarunt, numquam irridere & illudere deſinebat &c.* Non omnia equidem in THEODORI commentariis laudari aut excuſari potuiſſe, lubens conceſſerim; quamuis & hoc apertum ſit, LEONTIVM ſuo erga illum odio nimis frena laxare. Fateor etiam, dum id vnice THEODORVS egit, vt ſenſum litteralem inueſtigaret; eousque illum abripi potuiſſe, vt quae de Chriſto intelligenda erant, de aliis interpretaretur. Hoc enim facile fieri poſſe, magnorum virorum, vt antea monuimus, exempla docent. Id tamen laude dignum, quod praeter morem ſaeculi ſui ab allegoriis alienior, in ſenſu litterali ſcripturae ſacrae inueſtigando ſtudium omne ac diligentiam collocauit. Cumque ea ratione plurimos commentarios ſcripſerit: eum a Syris Neſtorianis *κατ' ἐξοχὴν interpretem* dictum, ex EVSEBII RENAVDOTII *collectione liturgiar. oriental. tom. II. p. 622.* obſeruat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. IX. lib. V. c. XXXIII. p. 156.* Verba autem RENAVDOTII haec ſunt: *Theodorum maxime venerantur, & interpretem per excellentiam vocant, quia multis in ſacras litteras commentariis inclaruit, qui licet ab eo homine profecti, cuius fides corrupta erat opinionibus illis, quas Neſtorius publicauit, ipſis orthodoxis non contemnendi viſi ſunt, adeo vt in catenis graecis multa illorum fragmenta occur-*

occurrant. Non tantum autem eam interpretandi rationem, quae ſenſum litteralem euoluit, ſequutus eſt THEODORVS; ſed & *tomos quinque contra allegoricos* ſcripſit: indeque Origenianorum odia ſibi conflauit. Legenda, quae de hiſce *tomis* docet, quem iam laudauimus, IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 164.* Longe aliam itaque cum ingrederetur explicandi ſacras litteras viam, quam reliqui iſto tempore: mirum non eſt, quod commentarii eius *nec ipſis orthodoxis contemnendi viſi ſint;* vt RENAVDOTIVS loquitur. Hinc & IO. GARNERIVS, cum monuiſſet, THEODORETVM aliquando equidem THEODORVM huncce Mopſueſtenum ſequutum; vt plurimum tamen, idque iuſtis de cauſſis, deſeruiſſe; eo quod multa, in pſalmis de Chriſto dicta, alio detorqueat; quodue multorum ſibi inuidiam conflauerit, quaſi Iudaeis faueret, & quae alia ſunt eiusdem generis; addit: *ingenue tamen fatendum, quod res eſt, ea nonnumquam in catenis legi ex Theodoro in pſalmos, quae oſtendunt, ab ipſo litteralem ſenſum feliciter expoſitum fuiſſe, vt mirabile ſit, in adoleſcente tantam ſcripturae intelligentiam exſiſtere potuiſſe; diſſertat. de libris Theodoreti §. II. tom. V. oper. Theodoreti pag. 184.* RICH. SIMON, dum fuſe de THEODORO hocce diſputat, eos, qui illum variorum errorum poſtularunt, interdum paullo in eum fuiſſe iniquiores, contendit; quamquam a Pelagianiſmi ſuſpicione purgari nequeat: interim, quod litteralem ſcripturae ſenſum ſectatus ſit, laudat, doletque, ex commentariis eius hodie nihil, praeter fragmenta quaedam, ſupereſſe. Addit, ex fragmentis *commentarii* eius *in Ioannem* patere, eum interdum nimis diffuſum fuiſſe, nimisque ſubtilem; multas quoque ratiocinationes philoſophicas, ſecundum morem ſui temporis, admiſcuiſſe; eum ſenſum textus ſecundum regulas grammaticas & dialecticas explicare; inſiſtere autem principiis theologicis, quae animo ſuo infixa habuerit, vnde obſcurior euadat; *hiſtor. crit. comment. noui teſtam. c. XXXI pag. 443. ſeqq.* De POLYCHRONIO, fratre THEODORI Mopſueſteni, qui itidem in quosdam ſcripturae ſacrae libros commentarios ſcripſit, vid. IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. pag. 165.*

Inter orthodoxos orientalis eccleſiae doctores, qui ſeculo quinto floruerunt, illuſtre maxime nomen eſt CYRILLI Alexandrini: cuius vt ſupra iam in theologiam polemicam celebrauimus merita; ita nec, quae ad exegeticam ſpectant, ſilentio ſunt praetermittenda. Praecipua, ſecundum editionem *operum* eius, quae graece & latine, cura & ſtudio IO. AVBERTI, Pariſiis an. 1638 ſeptem voluminibus in fol. prodiit, paucis indicabimus. In *primo* itaque *tomo* conſpiciuntur γλαφυρὰ, hoc eſt, *ſcita & elegantia commentaria in pentateuchum,* ſeu potius, ſelecta quaedam pentateuchi loca. Haec cuiusmodi ſint, vel ex *primo in geneſin libro* conſtat, in quo docet, ὅτι διὰ πάσης τῆς Μωσέως γραφῆς, τὸ τοῦ Χριστοῦ μυστήριον αἰνιγματωδῶς σημαίνεται· *quod per omnia Moſis ſcripta myſterium Chriſti figurate ſignificetur.* Sunt, qui putant, eum in vniuerſos veteris teſtamenti libros eiusmodi γλαφυρὰ compoſuiſſe: quod ſi verum eſt, reliqua periiſſe, oportet; cum hodie tantum, quae in pentateuchum concinnauit, exſtent. *Alter operum* CYRILLI *tomus commentarios* eius *in Eſaiam prophetam* complectitur; qui *quinque libris* abſoluitur; *tertius* autem eos, quos in *duodecim prophetas minores* conſcripſit; & *quartus* denique *commentariorum in Ioannem libros XII.* Et ad vltimum quidem hocce opus quod attinet, in ea, quam nos hic ſequi editione profeſſi ſumus, *liber quintus* & *ſextus* primum lucem adſpexerunt; ex *ſeptimo* autem & *octauo* tantum fragmenta quaedam exhibentur. In praecedentibus quibusdam editionibus latinis IODOCVS CLICHTOVEVS

VEVS quatuor hoſce libros, *quintum, ſextum, ſeptimum* & *octauum*, ex ingenio ſuo ſuppleuit: vnde factum, vt viri quidam docti, in errorem inducti, ceu CYRILLI effata laudarent, quae CLICHTOVEI erant. Legenda omnino, quae hac de re obſeruat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. VIII. lib. V. c. XXVII. p. 562.* *Homiliae* CYRILLI, varii argumenti, ſiſtuntur *tomo VI.* ſiue *tomi V. parte II.* Agmen in *tomo VI* ſeu potius *VII.* claudit συναγωγὴ τῶν ἀναγωγικῶς ἑρμηνευομένων ῥητῶν τῆς παλαιᾶς ἁγίας γραφῆς, *collectio dictorum veteris teſtamenti anagogice explicatorum:* quam tamen non ex CYRILLI ſolum, ſed & MAXIMI, aliorumque ſacri codicis interpretum ſcriptis hauſtam, ipſa nos inſcriptio docet. Ad rationem exponendi ſcripturam ſacram, qua CYRILLVS vſus eſt, quod attinet; in commentariis ſuis id potius agit, vt dogmata theologica explicet, quam vt ſenſum eruat ſcripturae ſacrae. In *commentariis in pentateuchum* collationem veteris nouique teſtamenti diligenter inſtituit, fundamenti loco ponens, vetus teſtamentum continere figuram, & vmbram illorum, quae contingere debuerint in nouo. De ſenſu litterali non adeo ſollicitus eſt, allegoriis, ſenſuique ſpirituali intentus; praeſertim in quatuor vltimis pentateuchi libris. Cum ebraei ſermonis ignarus eſſet; verſionem LXX interpretum ſequutus eſt; ſed vt aliam quoque interdum verſionem illi praeferret, cum, eam magis principiis ſuis dogmatibusque conuenire, arbitraretur. In *commentariis* ſuis *in Ioannem* itidem non id agit, vt textum explicet, ſed vt contra haereticos ſui temporis, praeſertim Arianos, dogmata eccleſiae catholicae ſtabiliat atque confirmet. Variis itaque ratiociniis, immo & ſubtilitatibus dialecticis, cum refertum hocce opus ſit: ſcholaſticae theologiae quamdam prae ſe fert ſpeciem. Summa fere haec eſt illorum, quae de CYRILLI commentariis diſſerit RICH. SIMON, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. c. X. p. 407. ſeqq.* & *hiſtor. critic. commentat. noui teſtamenti cap. XXI. p. 300. ſeqq.*

THEODORETI itidem aeque ac CYRILLI non ſemel iam a nobis facta eſt mentio. Namque non in vno doctrinae theologicae genere praeſtantiſſima ingenii ſui reliquit monumenta. Ea, ob quae hic locum ſibi vindicat, recenſebimus, prout in *operibus* eius exſtant, a IAC. SIRMONDO Pariſiis anno 1642 quatuor tomis in fol. editis, quibus deinceps quintus tomus acceſſit, cura & ſtudio IO. GARNERII, Pariſiis anno 1684. In *primo* itaque *tomo* ſtatim ſe nobis offerunt εἰς τὰ ἄπορα τῆς θείας γραφῆς κατ' ἐκλογήν *de ſelectis ſcripturae ſacrae quaeſtionibus ambiguis*, ſeu *quaeſtiones in pentateuchum, librum Ioſuae, iudicum, Ruth,* porro *in librum Samuelis, regum & paralipomenon.* Methodum in hiſce, ab ea, qua alii patres vſi ſunt, diuerſam ſequitur. Non enim homilias, aut commentarios, ſed *quaeſtiones* exhibet; in quibus etſi inutilia quaedam, longeque nimis petita, occurrant; theologiae tamen peritum, & in ſtilo ſcripturae haud mediocriter verſatum, in iis ſe THEODORETVS demonſtrauit: vnde prae reliquis patribus graecis dignus videtur, quem ducem eligat, qui adcuratiorem ſcripturae cognitionem ſibi vult comparare. Allegoricas interdum interpretationes, at ornatus potius gratia, quam ad textum explicandum, adſpergit; quae tamen a quaeſtionibus, in quibus dubia proponuntur & ſoluuntur, abeſſe debebant. Eum reliquos patres graecos, cumprimis ORIGENEM & CHRYSOSTOMVM, legiſſe, facile deprehenditur: quemadmodum & ad antiquas interdum prouocat verſiones, immo ipſum textum ebraeum laudat. Conferendus RICH. SIMON, *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. X. p. 408.* Sequitur in eodem *operum* eius *tomo primo*

Digitized by Google

mo ἑρμηνεία εἰς τοὺς ἑκατὸν πεντήκοντα ψαλμούς· *interpretatio in centum quinquaginta pſalmos.* Quam in iis tenuerit explicandi rationem, ipſemet nos THEODORETVS condocet. Demonſtraturus enim, laborem ſuum minime ſuperuacaneum eſſe, eo, quod & alii eamdem iam ſuſcepiſſent prouinciam: διαφόροις γὰρ, inquit, ἐντυχὼν ὑπομνήμασι, καὶ τοὺς μὲν εἰς ἀλληγορίαν μετὰ πολλῆς χωρήσαντας ἀπληστίας εὑρὼν, τοὺς δέ τισιν ἱστορίαις τὴν προφητείαν ἁρμόσαντας, ὡς Ἰουδαίοις μᾶλλον τὴν ἑρμηνείαν συνηγορεῖν, ἢ τοῖς τροφίμοις τῆς πίστεως· πανοῦργον νενόμικα καὶ τούτων κἀκείνων τὴν ἀμετρίαν φυγεῖν· ὅσα μὲν ταῖς παλαιαῖς προσήκει ἱστορίαις, ταύταις ταῦτα προσαρμόσαι καὶ νῦν· τὰς δὲ περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ προῤῥήσεις, καὶ τῆς ἐξ ἐθνῶν ἐκκλησίας, καὶ τῆς εὐαγγελικῆς πολιτείας, καὶ τῶν ἀποστολικῶν κηρυγμάτων, μὴ ἑτέροις ἀναθεῖναί τισιν, ὅπερ Ἰουδαίοις φίλον ποιεῖν κακουργίᾳ συζῶσι, καὶ τῆς σφῶν ἀπιστίας ἀπολογίαν ὑφαίνουσιν· ἱκανὴ γὰρ καὶ τῶν πραγμάτων ἡ μαρτυρία ποδηγῆσαι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῆς ἑρμηνείας τοὺς ταύτην ἐφιεμένους εὑρεῖν· οὗ δὴ χάριν οὐδὲ λίαν ἐπίπονος ἡμῖν ἡ τῆς προῤῥήσεως ἑρμηνεία· δήλην γὰρ ταύτην ποιεῖ τῶν πραγμάτων ἡ θεωρία· *Cum enim in varios incidiſſem commentarios, qui partim in allegoriam cum multa ſatietate abibant, partim vero prophetiam quibusdam hiſtoriis ſic adaptabant, vt Iudaeis potius interpretatio ſuffragaretur, quam fidei alumnis; ſollertis eſſe putaui & horum & illorum immodicitatem fugere; quaecumque quidem priſcis hiſtoriis cohaerebant, his haec adcommodare etiam nunc; praedictiones autem de domino Chriſto, & de eccleſia e gentibus conſtanda, nec non de euangelica republica, deque apoſtolicis praedicationibus non aliis quibusdam adſcribere, quod Iudaei facere ſolent, qui malitiae adſueti ſunt, & ſuae incredulitatis excuſationem texunt. Satis enim eſt rerum ipſarum teſtimonium, vt ad veritatem interpretationis deducat eos, qui illum reperire deſiderant. Vnde non admodum laborioſa erit nobis praedictionis expoſitio; ſiquidem hanc dilucidam facit rerum contemplatio; praefat. in pſalmos, pag. 394.* Atque haecce THEODORETI verba cum etiam IOAN. GARNERIVS recitaſſet: obſeruat, eos, quos aut faſtidioſae allegoriae, aut nimii in Iudaeos fauoris, aut taedioſae prolixitatis arguit, expoſitores, eſſe APOLLINARIVM, THEODORVM Mopſueſtenum, & CHRYSOSTOMVM; allegoriis enim indulſiſſe APOLLINARIVM, iudaicis expoſitionibus THEODORVM, CHRYSOSTOMVM prolixitati: abſtinuiſſe autem ab his auctoribus nominatim adpellandis propter reuerentiam, vtpote qui APOLLINARII famam ſuſpexerit, reliquos duos vt magiſtros coluerit; CHRYSOSTOMVM tamen ita ſequutum eſſe hac in parte, vt aliud nihil fere praeſtare videatur, quam quod effuſam eius orationem contrahat; ſententias certe expreſſiſſe ſaepe, immo & verba aliquando exſcripſiſſe; THEODORI denique etſi interdum premat veſtigia, hunc tamen vt plurimum, idque iuſtis de cauſſis (de quibus antea dictum) deſerere; *diſſertat. de libris Theodoreti §. II. operum* eius *tomo V. p. 184.* Vltimum in eodem *tomo primo* locum occupat ἑρμηνεία εἰς τὸ ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων· *explanatio in canticum canticorum:* de qua, an quae hodie ſub THEODORETI nomine exſtat, genuina ſit? viri docti dubitant; ſiquidem auctor iſtius *explicationis* ſeu *commentarii* ſe innumerabilibus tum vrbanis, tum ruſticanis, tum militaribus, tum ciuilibus, ad eccleſiam pariter ac rempublicam pertinentibus occupationibus, diſtractum, profitetur; quod in THEODORETVM non videtur quadrare; item, quod innuat, ſe, viuente adhuc CHRYSOSTOMO, ſcribere, & in THEODORVM Mopſueſtenum, cuius venerabile fuiſſe THEODORETO nomen, conſtat, grauiter inuehatur; & quae alia ſunt eiusdem generis. Fuſe hac de re in vtramque partem diſputat IO. GARNERIVS, *l. c. §. III. p. 184. & ſeqq.* Conferendus & GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. V. pag. 225.*

CA-

Digitized by Google

CASIM. OVDINVS nihil aliud hic agit, quam vt repetat, quae iam GARNERIVS dixit, in *commentar. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom. I. ſaec. V. p. 1072. ſeqq.* LVD. contra ELLIES DV PIN huncce commentarium THEODORETO vindicare non dubitat, & copioſe ad rationes diſſentientium reſpondet; *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. IV. p. 90. ſeqq.* *Tomus ſecundus operum* THEODORETI continet *interpretationis* ſeu *commentariorum* eius *in Eſaiam* excerpta, itemque interpretationem *in Ieremiam, Baruch, lamentationes, Ezechielem, Danielem, & duodecim prophetas minores.* *Tertius operum* eius *tomus commentarios in quatuordecim epiſtolas Pauli,* adeoque & in *epiſtolam ad Ebraeos* complectitur; in quibus dum breuiter, quae fuſius CHRYSOSTOMVS ſcripſerat, exhibet: paucis ſaepe verbis, quae obſcurius dicta videri poterant, explicat. Ad dogmata quidem more graecorum commentatorum digreditur; nec occaſionem vllam refutandi Arianos praetermittit: ea tamen id facit ratione, ne longius, quam par eſt, a textu diſcedat. Ita rurſus RICH. SIMON de eo pronuntiat, in *hiſtor. crit. commentat. noui teſtam. cap. XXII. p. 314.* In *quinto tomo*, qui ſtudio IO. GARNERII debetur, licet demum poſt eius obitum cura IOAN. HARDVINI lucem adſpexerit, *prooemium & fragmenta commentariorum in pſalmos* ſiſtuntur, *p. 1. ſeqq.* Sed haec omnia perperam THEODORETO tribui, contendit LVDOV. ELL. DV PIN, *biblioth. nou. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom. IV. pag. 90.*

Sexto poſt Chriſtum natum ſaeculo occidentalem eccleſiam ornauit MARCVS AVREL. CASSIODORVS, SENATOR dictus, cuius etiam quaedam hic ſibi locum depoſcunt ingenii monumenta. Quam is de ſacrarum litterarum tractatione diligenti ſollicitus fuerit, abunde conſtat ex eiusdem libris duobus *de inſtitutione diuinarum ſcripturarum:* in quibus cum velut introductionem quamdam ad theologiam exegeticam, & notitiam veterum commentatorum, ſuppeditet: iam ſupra de eis dictum eſt. Scripturae ſacrae ſtudium primo loco commendat, quod per lectionem pſalmorum inchoari cupit; tum vero lectionem patrum, de quorum in ſingulos libros biblicos commentariis, vt & aliis eorum ſcriptis, differit. Hinc poſtquam de quatuor conciliis oecumenicis verba fecit, diuerſas codicis ſacri partitiones tradit, textusque ebraei & verſionum meminit: cum primis autem codices correctos & emendatos bibliorum (quod tamen de latinis praecipue intelligendum) valde commendat, *iſtudque genus emendationis valde pulcherrimum* vocat, *& doctiſſimorum hominum negotium glorioſum; cap. XV. p. m. 460.* Scripſit vero etiam CASSIODORVS *commentarios in pſalmos*, ex AVGVSTINO fere deſumtos, quod ipſemet profitetur, *l. c. cap. IV. pag. 450.* *Expoſitionem* autem *in cantica canticorum*, quae ſub eius nomine exſtat, perperam illi tribui, viri docti dudum perſpexerunt. *Complexiones* CASSIODORI *in epiſtolas & acta apoſtolorum, & apocalypſin*, quae hactenus tenebris conſepultae iacuerant, vt nonnullis plane deperditae viderentur, *e vetuſtiſſimis canonicorum Veronenſium membranis nunc primum erutas*, in lucem produxit, ediditque illuſtris marchio SCIPIO MAFFEIVS, Veronenſis, Florentiae anno 1721. 8. Cur adnotationes haſce *complexiones* adpellitet, ipſemet nos condocet CASSIODORVS: *Breues apoſtolorum, quos nos proprie complexiones poſſumus adpellare, ſummatim dicendo, diuerſa complectuntur, quae ſibi tangenda eſſe proponunt; vt nec relatio indicetur effuſior, nec aliquid breuitate conſtrictum praetermiſſum eſſe videatur. Sit ergo nobis propoſitae rei breuis & abſoluta narratio, ſummas rerum in paruitate complectens, non cuncta verba diſcutiens, ſed ad intentiones*

ſuas

ſuas ſummatim dicta perducens &c. Inter breues *autem &* complexiones *hoc intereſt, quod* breues *ſint ſubſequentium rerum particulatim diuiſa commonitio*, complexiones *autem ſimilium rerum iuncta copulatio*; *p. 1. 2.* Nimirum argumenta ſeu lemmata, quae textibus praefigi ſolent, eo tempore *breues* vocabantur: innuitque adeo CASSIODORVS, obſeruante illuſtri editore, *potuiſſe explanationes haſce* breues *etiam adpellari, cum in ipſis non cuncta verba diſcutiat, ſed ſummas rerum in paruitate complectatur: aptius tamen* complexionum *nomine donandas fuiſſe, quod praefigenda ſummaria non ſint, ſed veluti paraphraſes quaedam textui ſociandae, & quae continentur in textu complectentes:* περιοχαί; in *adnotationib. p. 231.* Iam ad ipſam hancce expoſitionem quod attinet; idem illuſtris editor de ea non ſine ratione ita pronuntiat: *Nonnullis forte exſanguis, ac ieiuna, fere etiam quandoque mutila videri poterit, magisque in ea pietas ſpectanda, quam ingenii acumen, aut praeſtantia doctrinae: nemo tamen inficias ibit, praeclara etiam non pauca, variisque de cauſſis plurimi facienda, in ea contineri.* Ad operis huius vtilitatem demonſtrandam faciunt, quae idem vir doctiſſimus porro, quibusdam interiectis, ſubiicit: *Quod etiam mores ac pietatem ſpectat, praeclara multa in his complexionibus reperias: verum vt a doctis cupide excipiantur, id ſatis ſuperque ſit, in ſacris ſcilicet noui teſtamenti libris interpretandis verſari, canonicasque etiam epiſtolas exponere, in quas veterum commentarii vix vnus, aut alter exſtant. Quod ſi cetera abeſſent, quibus eccleſiaſtici libri commendari ſolent, ad huius pretium mirum in modum augendum diuerſae illae ſacri textus lectiones, & antiquae verſionis fruſta, quae nobis exhibet, abunde ſufficerent. Conſtat ſiquidem cum ex canone, tum ex hemiſtichiis, quae capitulis explanator praefixit, vulgata eum, ſiue Hieronymiana verſione vſum non eſſe, ſed veteri. Proinde diſcrepantias vel minimas, vulgata lectione margini adiecta, indicaui: illae quidem ſtudium atque operam in ſacrum textum, inque eius interpretationem conferentes iuuabunt ſummopere, multisque, ac perutilibus animaduerſionibus anſam praebebunt. Antiquae autem verſionis ab his complexionibus excerpta fragmenta eo pluris facienda ſunt, quo nobis a Caſſiodorio traduntur, viro ſcilicet in optimis ſacrorum librorum exemplaribus deligendis, vt ex diuinis lectionibus intelligimus, adcuratiſſimo, eorumque emendationem ex fontium etiam inſpectione acriter ſuadente;* in *praefat. de complexionum opere & codice; cui debentur, p. 40. ſeqq.* Nec praetermittendum, quod ab eodem editore clariſſimo obſeruatum, conſtare ex hisce *complexionibus*, CASSIODORVM locum illum, de quo tantopere diſputatur, *I. Ioan. V. 7.* in codicibus ſuis, hoc eſt, antiquiſſimis praeſtantiſſimisque, inueniſſe: quod ſane ad illorum; qui eius γνησιότητα in dubium vocant, temeritatem compeſcendam, plurimum facit. *Numquam*, inquit, *fruſtra laborare, qui ſacris veterum lucubrationibus eruendis operam nauat, vel vnus harum complexionum de trinitate locus ſatis teſtatur: nondum enim ad hodiernos expugnandos vnitarios, vel profligandos, tam inuictum, tamque ineluctabile teſtimonium emerſerat. Clamant iſti, ſcripturae verſiculum, quo ſanctiſſima trias perſpicue docetur, ſancti Ioannis ep. I. cap. 5. in priſcis codicibus vt plurimum non reperiri, & ab antiquis patribus lectum non eſſe, africanis quibusdam exceptis. At docet nos Caſſiodorii interpretatio, lectum ab ipſo fuiſſe; quo conſtat, & in Romanis exemplaribus exſtitiſſe: quibusnam autem? nimirum ſelectiſſimis, & qui iam tum haberentur antiqui: is enim, priſcos & emendatos codices ad ſacrae ſcripturae lectionem maxima cura deligendos, in diuinis lectionibus admonebat: quid putabimus ab ipſo praeſtitum, cum non legendos*

dos tantum, ſed & interpretandos ſuſciperet? vix autem puto Caſſiodorii aetate vetuſtatis laude celebrari codicem potuiſſe, qui ad apoſtolica fere tempora, ſiue ab iis haud ita longo interuallo diſſita, non pertingeret; l. c. p. 42. 43. Denique, dum idem vir eruditiſſimus de codice antiquiſſimo, qui inſigne hocce monumentum illi ſuppeditauit, diſſerit; quem hactenus CASSIODORVM vocauimus, rectius CASSIODORIVM dici, oſtendit, *l. c. p. 45.*

Ad reliquos vt progrediamur, eodem ſaeculo ſexto etiam vixit PRIMASIVS, Adrumeti vrbis, quae Iuſtinianopolis etiam dicta eſt, in prouincia Byzacena, epiſcopus, & praeter alia, *commentaria* reliquit in *epiſtolas Pauli*, itemque in *apocalypſin Ioannis.* Vtraque & ſeorſim edita ſunt, & in *bibliotheca* quoque *maxima patrum* exſtant, *tom. X. p. 142. ſeqq.* Et ad priora quidem quod attinet; ea ex praecedentium patrum latinorum, HIERONYMI, AMBROSII, AVGVSTINI, immo & PELAGII commentariis, congeſſit. Hinc cum plurimis in locis AVGVSTINI doctrinam ſequatur; ſimul tamen & varia ex PELAGII *commentariis*, vt etiam ipſa eius retineat verba, deſumat: non ſemper, quae adfert, ſatis inter ſe conſentiunt. Obſeruat hoc RICH. SIMON, *hiſt. crit. comment. noui teſtam. cap. XXIV. p. 337.* qui & addit, etiamſi gratiam Chriſti contra Pelagianos defendat; interdum tamen plus, quam decet, in doctrina de libero arbitrio & meritis, iis concedere: nec tamen ideo eum quidquam docuiſſe, quod non ſit orthodoxum, niſi quis AVGVSTINI doctrinam pro regula fidei accipere velit. Nimirum, vt alias, ita hic quoque, SIMON animum ad placita Pelagiana valde pronum prodit. PRIMASIO adhuc GREGORIVM magnum iungimus, qui circa eiusdem ſaeculi ſexti finem ſedi Romanae praefuit. In *operum* eius, quae ſtudio & labore monachorum ordinis Benedicti Pariſiis an. 1705 quatuor tomis in fol. prodierunt, *tomo primo*, qui exegetica eius ſcripta continet, primo ſtatim loco comparent *libri* eius *XXXV moralium*, ſiue *expoſitio in librum beati Iob*; in qua illum nihil minus agere, quam vt ſenſum libri huius ediſſerat; ſed promtuarium velut aliquod rerum moralium exhibere, ſupra iam obſeruauimus *libri* huius *II. cap. IV.* ad *§. VI.* Neglecto itaque ſenſu litterali, allegoricum conſectatur, vtpote qui inſtituto eius inſeruit, occaſionemque, in locos communes ſe diffundendi, illi ſuppeditat. Sic, dum *capitis I. verſ. 3.* vbi diuitiae Iobi deſcribuntur, explicat; quid cameli, quid boues, quid oues, quid aſini, myſtice & allegorice ſignificent, fuſe ediſſerit: quae tamen nihil prorſus ad rem faciunt. Ex AVGVSTINI fontibus eum plurima in ſua deriuaſſe arua, RICH. SIMON autumat; qui & hoc in eo laudat, quod pro antiqua verſione latina, quae ſecundum LXX interpretes facta erat, haud raro verſione HIERONYMI vſus ſit, quae textum ebraeum exprimebat, in iis praeſertim locis, vbi hanc illi praeferendam iudicabat; *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. X. p. 409.* conf. & *lib. III. cap. VIII. p. 387.* In eodem *tomo primo p. 1174.* ſequuntur *homiliarum in Ezechielem prophetam libri duo*; in quibus quod itidem de ſenſu litterali parum fuerit ſollicitus, vel ipſa homiliarum ratio quemlibet condocere poteſt. Documento etiam ſtatim erit *homilia II.* in qua *quinque* priores *capitis I. verſus, ſecundum multiplicem ſenſum allegoricum, praeſertim & moralem exponuntur*; vt ipſa inſcriptio ſignificat. Hinc & iudicare licet, quid de *quadraginta homiliarum in euangelia libris duobus*, qui in eodem *tomo p. 1443. ſeqq.* exſtant, cenſendum: in quibus inſuper neutiquam ipſos euangeliſtas iuſta ſerie, ſed textus hinc inde excerptos, explicat. Obſeruatu tamen digni ſunt eo, quod inde

de condiſcimus, pleraſque pericopas, vt vocantur, euangelicas, quae ſingulis diebus dominicis & feſtis in Romana pariter ac noſtra eccleſia explicari ſolent, iam tum fuiſſe receptas. Ad *commentarium* autem, ſiue *expoſitionem in librum I. regum*, ſiue *Samuelis*, itemque *in cantica canticorum*, porro in *ſeptem pſalmos poenitentiales*, & denique *concordiam quorumdam teſtimoniorum ſacrae ſcripturae*, quae omnia *tomi III. parte II.* exhibentur, quod attinet; de iis, an recte GREGORIO magno tribuantur, a viris doctis dubitatur. De *commentario in librum primum regum* monachi Benedictini, operum iſtorum editores, ita ſentiunt, eum ex homiliis, a GREGORIO habitis de *libro I. regum*, collectum & conſarcinatum eſſe a CLAVDIO eius diſcipulo, poſtea monaſterii Claſſenſis abbate; in *praefatione* eidem praemiſſa *p. 1.* Qua in re praeter alios praeeuntem ſibi habuerunt LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. V. p. 142.* *Expoſitionem in cantica canticorum* licet PETRVS GVSSANVILLAEVS GREGORIO abiudicet: ſecus tamen monachi Benedictini ſentiunt, eumque variis rationibus illi adſerunt, in *admonitione* eidem praefixa, *p. 393.* vbi & praecipuos auctores, qui canticum canticorum expoſuerunt, recenſent. De *expoſitione in ſeptem pſalmos poenitentiales* iidem monachi ita diſputant, vt haud obſcure illis ſuffragentur, qui, & hanc GREGORII eſſe, exiſtimant. *Hoc in commentario*, inquiunt, *phraſis tota eſt Gregoriana; vnde ſancto doctori potius, quam alteri cuipiam, tribuendus videtur*; in *cenſura* iſtius *expoſitionis p. 463.* De *concordia quorumdam teſtimoniorum ſacrae ſcripturae*, in qua dicta quaedam ſcripturae ſacrae, quae inter ſe pugnare videntur, conciliantur, dubitant, nec certi quid definire audent; in *monito* illi praemiſſo, *p. 560.*

** Dum in hocce verſamur temporis interuallo; illorum adhuc iniicienda mentio, qui librorum quorumdam ſcripturae ſacrae dederunt metaphraſes, ſeu expoſitiones ſuas carmine complecti, conſultum duxerunt. Hos inter haud vltimum locum tenet NONNVS, qui ſaeculo poſt natum Chriſtum quinto vixiſſe creditur. Gente fuit Aegyptius, vrbe Panopolitanus, & praeter διονυσιακῶν *libros XLVIII*, ab eo adhuc ethnico, vt nonnulli putant, repugnantibus tamen aliis, ſcriptos, μεταβολὴν τοῦ κατὰ Ἰωάννην ἁγ. εὐαγγελίου, *metaphraſin epicam euangelii ſancti Ioannis*, reliquit. Conferendi de eo GERH. IO. VOSSIVS, *de poëtis graecis cap. IX. p. m. 222.* & LILIVS GIRALDVS *de poëtis dialog. V. p. 637.* Non vna autem eruditorum virorum de NONNI *metaphraſi* eſt ſententia: cum a quibusdam laudetur, vituperetur ab aliis. IVST. IOS. SCALIGER *fanaticum poëtam* vocat, *ep. CCLXXVI.* & alibi, *Nonni*, inquit, *redundantiam excuſaret materia, niſi in euangelii metaphraſi maiorem immodeſtiam, vt ita loquar, profeſſus eſſet. Eum ita ſoleo legere, quomodo mimos ſpectare ſolemus, qui nulla alia re magis nos oblectant, quam quod ridiculi ſunt*; *ep. CCXLVII.* SCALIGERVM hac in re ſequitur DAN. HEINSIVS, quouis modo NONNVM ſugillans, mox inſcitiae arguens, mox Arianiſmi illi adſpergens labem; in *exercitationib. ad Nonni in Ioannem metaphraſin*, quas *Ariſtarchi ſacri* nomine ornauit, editis cum ipſa NONNI *metaphraſi* Lugduni Batauorum an. 1627. 8. & fine illa, vna cum HEINSII *exercitationibus ſacris ad nouum teſtamentum*, ibidem an. 1639. fol. euulgatis. Idque tum alibi agit, tum maxime in *prolegomenis p. 689. ſeqq.* vbi plurima congerit, vt eum in Arianiſmi ſuſpicionem deducat. Acres tamen ipſe HEINSIVS hanc ob rem aliorum expertus eſt cenſuras: ſuntque, qui exiſtimant, eum rectius famae ſuae conſulturum fuiſſe, ſi huncce *Ariſtarchum* non ſcripſiſſet. Certe, quod ad

Digitized by Google

ad Arianiſmi labem, quam in NONNO ſibi deprehendiſſe viſus eſt, attinet, eam facile abſtergi poſſe, nonnulli contendunt, etſi quaedam ambigue dicta occurrant, quae in ſiniſtram accipi queant partem. Sic dum prima euangeliſtae verba ſic NONNVS reddit:

Ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ

vox ἄχρονος Arianis fauere exiſtimari poterat, ſi vertatur: *ſine tempore*, ac ſi ex mente illorum dicere voluiſſet, λόγον creatum fuiſſe ante tempora; at alii obſeruant, vocem ἄχρονος idem ſignificare ac ἄναρχος, hoc eſt, *ſine initio*; indeque potius concludunt, NONNVM prima ſtatim hacce voce, Arianorum, filium aliquando non fuiſſe, contendentium, errori, obuiam ire voluiſſe. Conferendus RICH. SIMON *hiſt. critic. commentator. noui teſtam. cap. XXIII. p. 326.* Longe itaque benignius, quam & SCALIGER & HEINSIVS, de NONNO iudicant alii, interque eos PHIL. MELANCHTHON, vtpote qui, *Nonni*, inquit, *eruditiſſimum carmen in Ioannis euangelium vice prolixi commentarii eſſe poteſt. Ego praedicare non dubito, multis locis me ab eo adiutum eſſe, ſperoque, fore, vt ſi alii legerint, fateantur, ſe quoque ex hoc meliores factos. Etenim, quamquam ita religioſe non ſeruauerit Nonnus leges* μεταφράσεως, *tamen pleraſque ſententias mira felicitate illuſtrauit. Huius igitur aedificium putemus ex auro conſtare, qui proxime ſequitur archetypum, nec procul ab ipſa hiſtoria euangelii diſcedat: tamen vt enarret & adferat lucem obſcurioribus ſententiis*; in *praefatione*, editioni NONNI, quae an. 1527 prodiit, praemiſſa. Recitat quoque haec MELANCHTHONIS verba IO. GE. NEVMANNVS, in *diſſ. de metaphraſtis, qui nouum teſtamentum graeco carmine expreſſerunt*, quae in *primitiis* eius *diſſert. academicar.* exſtat, *§. XIX. p. 267.* vbi de NONNI hacce *metaphraſi* itidem diſſerit NIC. ABRAMVS, Ieſuitarum ſocietati adſcriptus, qui Pariſiis an. 1623 NONNI *metaphraſin* cum *notis* recudi fecit, non minus praeclare de hocce poëta ſentit, & inter alia *p. 2.* de eo ita pronuntiat: *obſeruatis, id noſtri ſcriptoris inſtitutum fuiſſe, nihil vt euangeliſtae verbis ſuperadderet, quod non videretur vel ad interpretationem neceſſarium, vel ad refutandas haereſes vtile, vel ad antiquitatis cognitionem eruditum.* CASP. VRSINI, Islebienſis, *Nonnum rediuiuum*, in quo apologiam metaphraſeos Nonnianae aduerſus HEINSIVM ſcripſit, ſingulaque ipſi obiecta breuiter diluere conatus eſt, Hamburgi an. 1667. 8. editum, memorat IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. volum. VII. lib. V. c. XVI. p. 689.* Antiquior NONNO fuit APOLLINARIVS vterque, ſenior & iunior, ſeu pater & filius; quippe qui ſaeculo quarto vixerunt; & in metaphraſibus quoque condendis ingenii vires periclitati ſunt. Et ad patrem quidem, ſeu ſeniorem, quod attinet, cum SOCRATES dixiſſet, eum artem grammaticam ad chriſtianae religionis formam compoſuiſſe; addit: τά τε Μωϋσέως βιβλία, διὰ τοῦ ἡρωϊκοῦ λεγομένου μέτρου μετέβαλε· καὶ ὅσα κατὰ τὴν παλαιὰν διαθήκην ἐν ἱστορίας τύπῳ συγγέγραπται· καὶ τοῦτο μὲν τῷ δακτυλικῷ μέτρῳ συνέταττε· τοῦτο δὲ, καὶ τῷ τῆς τραγῳδίας τύπῳ δραματικῶς ἐξειργάζετο· *& Moyſis libros heroico carmine interpretatus eſt; alios praeterea veteris inſtrumenti libros, qui hiſtoriarum more conſcripti ſunt, partim dactylico carmine expoſuit, partim ad formam tragoedi e perſonis adhibitis elaborauit*; *hiſtor. eccleſ. lib. III. cap. XVI. p. 187.* Vnde condiſcimus, APOLLINARIVM tum Moſis, tum alios veteris teſtamenti libros, ſed vario carminum genere, expreſſiſſe, & explicaſſe. Idem confirmat SOZOMENVS, *lib. V. hiſt. eccleſ. c. XVIII. p. 623.* quamuis de APOLLINARIO iuniori loqui videatur. Quidquid eius ſit; omnia iſta temporum iniuria intercidiſſe, conſtat. Ad iuniorem autem iſtum APOLLINARIVM quod attinet; is ingenii itidem & doctrinae maximam ſua aetate conſequutus eſt laudem:

 quam

quam tamen erroribus, in quos prolapſus eſt, vehementer obſcurauit, haereſeosque, quae ab eo nomen retulit, auctor conditorque exſtitit. Hinc & de eo iam ſupra dictum *capite praecedenti* ad *§. IV.* Varia is ſcripſit, quae itidem in theologia exegetica locum ſibi depoſcerent; vt *commentarios* in *pleroſque*, immo forte in *omnes ſcripturae ſacrae libros*; item *verſionem graecam librorum veteris teſtamenti*, ex variis interpretationibus, praeſertim SYMMACHI, contextam: niſi haec omnia temporum nobis eripuiſſet iniuria. Sola ſupereſt *pſalmorum metaphraſis*, carmine heroico ſcripta, quam GERH. IO. VOSSIVS *luculentam* vocat, *de poetis graecis c. IX. p. 222.* At vero cum nec BASILIVS, nec ATHANASIVS, nec SOZOMENVS, nec HIERONYMVS, *metaphraſeos* huius *pſalmorum* mentionem faciant: nonnullis dubitatio ſuborta eſt, an omnino *metaphraſis* haecce APOLLINARIVM agnoſcat auctorem? Primus hocce dubium mouit IAC. DVPORTVS, in *praefatione*, quam ſuae *libri pſalmorum*, *graecis verſibus heroicis contextae*, *metaphraſi* praemiſit. Nec ſpernendum hocce, aut vilipendendum iudicat vir eruditiſſimus HENR. MVHLIVS, in elegantiſſima *de poetis epiſcopis* diſſertatione *p. 6.* praeſertim, quod ſtilus *metaphraſeos*, elegantiam & nitorem ſtili, quem APOLLINARIO veteres tribuunt, non aequare videatur. Conferendus de APOLLINARIO, eiusque ſcriptis, ſpeciatim de *metaphraſi pſalmorum* IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. c. XVI. p. 666. ſeqq.* qui & editiones indicat, & hac occaſione *metaphraſes pſalmorum poeticas*, *variis linguis concinnatas*, recenſet. APOLLINARIO huic etiam a quibusdam tragoedia, Χριστὸς πάσχων, *Chriſtus patiens*, inſcripta, tribuitur, teſte GERH. IOAN. VOSSIO, de *poëtis graecis cap. IX. p. 222.* Idque nonnullis inde veroſimile videtur, quod, Apollinarium huncce tragoedias EVRIPIDIS imitatum eſſe, auctor ſit SOZOMENVS, *l. c. p. 623.* At cum codices manuſcripti reclament; eam GREGORIO potius Nazianzeno vindicant alii, inter cuius *opera* etiam exſtat *tom. II. p. 253.* Atque hic ipſe GREGORIVS Nazianzenus, vtpote non tantum theologus & orator, ſed & poëta praeſtantiſſimus, hic vel maxime commemorandus eſt. Praeter alia namque ingenii monumenta, alii nobis iam laudata, poëmata plurima hexametris, aliisque verſibus reliquit, vt triginta millia verſuum, hoc eſt, myriades tres, conſcripſiſſe dicatur, teſte LILIO GIRALDO, *de poëtis dialog. V. p. 628.* Mille & ducenta eius carmina, quae in operibus GREGORII editis hactenus non exſtabant, ex tenebris in lucem prodire iuſſit IAC. TOLLIVS, in *inſignibus itinerarii italici*, Traiecti ad Rhenum an. 1696. 4. editis, *p. 5. ſeqq.* Speciatim de variis veteris ac noui teſtamenti argumentis quaedam compoſuit, vt de *plagis Aegypti*, de *decalogo Moſis*, de *duodecim patriarchis*, de *miraculis Chriſti ſecundum Matthaeum*, *ſecundum Ioannem*, item *ſecundum Lucam & Marcum*; immo & *de genealogia Chriſti*, ea ratione, vt Matthaeum & Lucam inter ſe conciliet. Quae omnia *tomo II. operum* eius *p. 99. ſeqq.* exſtant. Atque hoc nomine a nonnullis inter metaphraſtas referri ſolet. Exſtat equidem etiam *tomo I. operum p. 749. ſeqq.* μετάφρασις εἰς τὸν ἐκκλησιαστήν: ſed eam παράφρασιν potius dicendam, & a viris doctiſſimis GREGORIO Neocaeſarienſi tribui, ſupra iam obſeruauimus. Non vero praetermittenda hic eſt EVDOCIA, ſiue EVDOXIA, Theodoſii iunioris, imperatoris, coniux, de qua cum SOCRATES dixiſſet, eam heroico verſu poëmata compoſuiſſe, addit: ἦν γὰρ ἐλλόγιμος· Λεοντίου γὰρ τοῦ σοφιστοῦ τῶν Ἀθηναίων θυγάτηρ οὖσα, ὑπὸ τῷ πατρὶ ἐπαιδεύθη, καὶ διὰ λόγων ἐληλύθει παντοίων· *Erat enim admodum erudita, vtpote Leontii Athenienſis ſophiſtae filia; a patre educta, & in omni litterarum genere inſtituta; hiſtor. eccleſ. lib.*

lib. VII. cap. XXI. p. 360. Praeter alia autem ingenii praeſtantiſſimi monumenta reliquit *metaphraſin octateuchi*, heroico carmine conditam, libris octo; itemque *metaphraſin prophetiarum Zachariae & Danielis.* Atque de priori quidem opere PHOTIVS ita pronuntiat: σαφὴς μὲν γὰρ ὁ πόνος ὡς ἐν ἡρῴῳ μέτρῳ, εἴπερ τις ἄλλος· καὶ νόμοις δὲ τέχνης βαθύνεται· ἐκεῖνο μόνον ταύτης ἐλλείπων, ὃ μέγιστόν ἐστιν εἰς ἔπαινον τῶν ἐγγὺς ἀμείβειν λόγους ἀξιούντων· οὔτε γὰρ ἐξουσίᾳ ποιητικῇ, μύθοις τὴν ἀλήθειαν τρέπων ἡδύνειν σπουδάζει μειρακίων ὦτα· οὔτε ταῖς ἐκβολαῖς τὸν ἀκροατὴν διαπλανᾷ τοῦ προκειμένου· ἀλλ' οὕτω περὶ πόδα τὸ μέτρον ἔθετο τοῖς ἀρχαίοις, ὡς μηδὲν ἐκείνων δεῖσθαι τὸν τούτοις ὁμιλοῦντα· τὰς μὲν γὰρ διανοίας οὔτε παρεκτείνων, οὔτε συστέλλων ἀεὶ φυλάσσει κυρίας· καὶ ταῖς λέξεσι δὲ, ὅπου δυνατὸν, τὴν ἐγγύτητα καὶ ὁμοιότητα συνδιαφυλάσσει· *Etenim illuſtris eſt hic labor, vt in heroico carmine, ſi quis alius. At dum artis legibus altius immergitur, in hoc vno (maximo tamen illo ad eorum laudem, qui propius libros vertendos cenſent) ab arte deficit, quod neque poëtica libertate, veritatem in fabulas commutando, adoleſcentum aures demulcere ſtudeat, neque rurſum digreſſionibus auditorem a re propoſita abducat, ſed ad verbum adeo veteribus illis ſcriptis ſuum metrum adaptet, vt iis nihil, qui haec verſet, indigere videatur. Nam & ſenſuum, nihil quidquam aut diffundendo aut contrahendo, proprietatem ſeruat adſidue; & in verbis, quoad eius fieri poteſt, proxima quaeque atque ſimillima confirmat.* Deinde, de altero opere EVDOXIAE, ſiue *metaphraſi prophetiarum Zachariae & Danielis*, verba faciens, ἡ αὐτὴ δὲ χάρις, inquit, τοῦ τεχνίτου διέπρεπε κἀν τούτοις· *Eadem autem artificii venuſtas haec quoque exornabat; cod. CLXXXIII. & CLXXXIV. p. 414. 415.* Ex iſtis autem *metaphraſibus* nihil ad nos peruenit. Exſtant equidem adhuc, & EVDOXIAE vulgo tribuuntur, *Homerocentones*, in quibus hiſtoria paradiſiaca, lapſus primorum parentum, Deique de hominibus per Chriſtum reſtituendis conſilium, cumprimis autem vita atque res geſtae Chriſti ſeruatoris noſtri, verſibus hexametris, ex HOMERO deſumtis, deſcribuntur. Sed, an ab EVDOXIA haecce profecti ſint? non ſine rationibus grauiſſimis viri doctiſſimi dubitant. Conferendus LVD. ELL. DV PIN, *nou. bibliothec. ſcriptor. eccleſ. tom. III. part. II. p. 211.* Quod GVIL. CAVEVS, in *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. V. p. 222.* dixit, *centones hoſce Homericos a Pelagio quodam Patricio inchoatos, ab Eudocia vero abſolutos & digeſtos*, ob temporum rationes admitti nequit: hinc & refutatur, ſed acerbe nimis, a CAS. OVDINO, in *commentario de ſcriptoribus eccleſiaſticis tom. I. p. 1259. ſeqq.* Adcuratiora de hiſce *Homero-centonibus* tradit IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. tom. I.* ſiue *lib. II. c. VII. p. 357* De reliquis autem metaphraſtis graecis, vel qui tales eſſe videntur, legendus IO. GE. NEVMANNVS, theologus quondam Wittebergenſis percelebris, in *diſſertatione* non ſemel iam laudata, *de metaphraſtis, qui nouum teſtamentum graeco carmine expreſſerunt*, §. *XX.* Quam quidem diſſertationem cum an. 1686 adeoque ante annos circiter quadraginta, more in academiis recepto, eruditorum examini exponeret; ego reſpondentis, vt vocari ſolet, munere functus ſum.

Fuerunt etiam, qui latino idiomate idem tentarent, quod ex Graecis quosdam feciſſe, hucusque diximus; quos inter eminet C. VETTIVS AQVILINVS IVVENCVS, presbyter Hiſpanus, poëta ſui temporis non ignobilis, qui ſaeculo quarto ſub Conſtantino magno imperatore, eiusque filiis floruit. Nota vero ſatis eſt eius *hiſtoria euangelica*, quam *quatuor libris* complexus eſt, & in qua paraphraſin pariter, ac harmoniam quamdam quatuor euangeliſtarum exhibuit. Textui adcurate inſiſtit, verbum fere ad verbum reddens; quod & HIERONYMVS teſtatur: *Iuuencus, nobiliſſimi generis Hiſpanus, presbyter, quatuor euangelia*

Rrr rrr rr 3 *hexame-*

hexametris verſibus pene ad verbum transferens, quatuor libros compoſuit; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſt. cap. LXXXIV. p. 87.* Idem innuit PET. CRINITVS, dum, eum *maiori diligentia vſum eſſe*, ait, *in ſeruanda rerum hiſtoria, quam in demonſtranda ingenii ſui elegantia; de poëtis latinis lib. V. c. LXXXIX. p. 516.* Sed plura de IVVENCO hocce dabit NIC. ANTONIVS, in *bibliotheca hiſpana veteri tom. I. lib. II. c. IV. p. 126.* Non ſemel equidem *hiſtoria* haec *euangelica* IVVENCI litteris excuſa, publicaeque luci expoſita eſt: ſed commendanda maxime editio illa, quam ERH. REVSCH dedit, cum *notis integris Georgii Matthiae Koenigii, Magni Danielis Omeiſii, & Chriſtiani Schoettgenii; itemque Iodoci Badii Aſcenſii, Georgii Fabricii; aliorumque ſelectioribus*, Francofurti & Lipſiae an. 1710. 8. Sequenti ſaeculo quinto vixit COELIVS SEDVLIVS, gente Scotus, aut potius Hibernus: ſiquidem ea aetate Hibernia erat Scotia; vt CHRIST. CELLARIVS docet, in *praefatione, operibus* eius praefixa, *p. 12.* Si *chronico*, quod DEXTRI nomen praefert, habenda fides eſt, Oretanus in Hiſpania epiſcopus fuit: ſed fabulam hancce explodit NIC. ANTONIVS, qui & omnino non epiſcopum, ſed tantum presbyterum eum fuiſſe, euincit; *biblioth. hiſp. vet. tom. I. lib. III. c. V. p. 201.* De aetate equidem SEDVLII etiam dubitatur: ſed medio ſaeculo quinto eum floruiſſe, vix dubitari poteſt. Ante FORTVNATVM & CASSIODORVM eum vixiſſe, certum eſt; ſiquidem ipſum SEDVLIVM tamquam priorem laudarunt. Eodem iam ſaeculo quinto poëmata SEDVLII collegit atque edidit TVRCIVS RVFVS ASTERIVS, qui anno 449 conſul fuit. Inter iſta autem poëmata primum locum tenet *carmen*, vt vocatur, *paſchale*, ſiue *mirabilium diuinorum libri quinque:* in quibus dum de miraculis Chriſti ſeruatoris agit, ſimul velut metaphraſin quamdam eorum, quae euangeliſtae de iis narrant, exhibet. Nec alieni ab hoc loco ſunt eiusdem *hymni* duo, quorum alter *collationem veteris ac noui teſtamenti*, alter *vitam Chriſti* continet. Atque haec omnia ex manuſcriptis codicibus recenſuit, ac adnotationibus illuſtrata edidit, CHR. CELLARIVS, Halae Magdeburgicae an. 1704. 8. In eadem hacce editione etiam comparet SEDVLII *dedicatio ad Macedonium abbatem*, & TVRCII RVFI ASTERII, quem SEDVLII carmina poſt fata eius collegiſſe & edidiſſe, antea diximus, *epigramma ad eumdem Macedonium.* Exſtant vero etiam eiusdem *operis paſchalis libri quinque*, ſoluta oratione deſcripti, vna cum altera epiſtola *ad Macedonium presbyterum*, qui SEDVLIO auctor fuerat, vt carmen paſchale ſoluta oratione exprimeret: quos ex codice Pithoeano Pariſiis euulgauit FRANC. IVRETVS an. 1585. Nonnulli etiam SEDVLIO huic tribuunt *collectaneum*, ſeu *explanationem in omnes epiſtolas Pauli*, ex patrum ſcriptis conſarcinatam: quam tamen alii cuidam SEDVLIO, qui circa initium ſaeculi noni floruiſſe dicitur, vindicant. Legitur hocce *collectaneum* cum reliquis, quae hucusque commemorauimus, SEDVLII ſcriptis, in *bibliotheca maxima patrum, tom. VI. p. 458. ſeqq.* Id praetermittendum nobis non eſt, *paſchale* iſtud, quod memorauimus, *carmen*, inter ſcripta, in eccleſia romana recepta, a GELASIO papa hiſce referri verbis: *venerabilis viri Sedulii paſchale opus, quod heroicis deſcripſit verſibus, inſigni laude proferimus;* apud GRATIANVM, *diſtinct. XV. c. III. §. XXV. p. m. 15.* Vbi quidem nonnulli obſeruant, in codicibus vetuſtis canonum a GRATIANO digeſtorum pro: *heroicis*, legi: *haereticis;* indeque Adrianum VI papam omnium maxime odiſſe poëtas: doctos autem iam pridem monuiſſe, quod & res ipſa docet, legendum eſſe: *heroicis.* Conferenda, quae hac de re diſſerit HENR. MVHLIVS, in *diſſ. de poëtis epiſcopis, p. 14.* Saeculo ſexto ARATOR floruit,

Digitized by Google

floruit, natione Ligur, munere aduocatus, poſtea ab Athalarico rege domeſticorum & priuatorum comes factus circa an. 534. Relicta tandem aula, ſacris ordinibus initiatus, & in ſubdiaconorum eccleſiae romanae numerum receptus eſt. Locum hic ſibi depoſcit, ob *hiſtoriam apoſtolicam ex Luca expreſſam*, & *duobus libris* comprehenſam, quae & alias edita eſt, & in *bibliotheca* quoque *maxima patrum* exſtat, *tom. X. p. 125. ſeqq.* In hacce autem metaphraſi, iudice RICH. SIMONE, paullo liberior eſt IVVENCO, nec verbis tam ſtricte inhaeret; *hiſt. crit. comment. noui teſtam. cap. XXIII. p. 335.* Denique & PROBAE FALCONIAE, feminae ingenio & eruditione praeſtantiſſimae, hic iniicienda eſt mentio, ob *centonem*, quem reliquit, *Virgilianum*. Id nimirum in eo egit, vt verſibus ex VIRGILIO, quem totum memoria tenuiſſe dicitur, excerptis, varias vtriusque teſtamenti hiſtorias exprimeret: quemadmodum & alii *Homero-centonibus* eadem ratione verſus HOMERI ad res ſacras adcommodarunt; vt antea diximus, cum de EVDOXIA verba faceremus. HIERONYMO hocce minime probari inſtitutum, ex hiſce eius intelligitur verbis: *Taceo de mei ſimilibus, qui ſi forte ad ſcripturas ſanctas poſt ſaeculares litteras venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant; nec ſcire dignantur, quid prophetae, quid apoſtoli ſenſerint; ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam, ſcripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homero-centonas, & Virgilio-centonas; ac non ſic etiam Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere chriſtianum, quia ſcripſerit: Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna &c.* *epiſt. L.* ſiue *ſecunda ad Paulinum tom. IV. operum, part. II. p. 571.* editionis IO. MARTIANAEI. Ad aetatem PROBAE FALCONIAE quod attinet; eam ſub Honorio atque Arcadio imperatoribus floruiſſe, dubitari nequit: cum iis *centonem* ſuum dedicauerit. Quae autem PROBA iſta FALCONIA fuerit, viri docti inter ſe non conueniunt: nec noſtri ea de re diſputare permittit inſtituti ratio. Inter editiones eminet, quam diligentiae & ſtudio viri doctiſſimi IO. HENR. KROMAYERI debemus; qui & in *praefatione* plura de PROBA hacce FALCONIA ſuppeditabit. Prodiit ea Halae Magdeburgicae an. 1719. 8.

§. X. Septimo, ſequentibusque ſaeculis miſera, vt in reliquis eruditionis partibus, ita & in theologia exegetica, eccleſiae fuit facies. Etſi enim nonnullis non deeſſet ingenium; omnibus tamen ea defuit eruditio, qua idoneum ſcripturae interpretem inſtructum eſſe, decet. Hinc vt plurimum ad allegoricas interpretationes, & eas quidem interdum ſatis frigidas ac ieiunas, prolabebantur; * plerique etiam, immo tantum non omnes, ex praecedentium ſaeculorum doctoribus conuectabant, quae librorum quorumdam biblicorum explicationi inſeruiebant: vnde *catenae patrum* enatae ſunt. ** Nec *poſtillarum*, quas vocant, quae in hocce temporis interuallum cadit, hic praetermittenda eſt origo. *** Saeculo tandem decimo quarto NICOLAVS DE LYRA ſanioraellioraque proferre coepit: quamuis PAVLI BVRGENSIS, qui ſaeculo decimo quinto vixit, cenſuram expertus ſit. *

* Qui

* Qui ſeptimo, ſequentibusque ſaeculis, in ſcripturam ſacram commentati ſunt, nihil fere aliud egerunt, quam vt patrum explicationes colligerent; quibus ſi quid ex ſuo fundo adiicerent, ad myſticas & allegoricas fere redibat interpretationes; de ſenſu litterali parum erant ſolliciti. Nec melius quid ab iſta temporum infelicitate exſpectari poterat. Praecipui, qui hac ratione ſaeculo octauo ac nono aliquid in ſcripturam ſacram dederunt, fuerunt BEDA, ALCVINVS, RHABANVS MAGN. MAVRVS, CLAVDIVS Taurinenſis, HAYMO Halberſtadienſis, CHRIST. DRVTHMARVS: quorum cum nota ſatis & nomina & monumenta ſint; iis recenſendis non immorabimur. Fatendum tamen, nonnullos ex iis ſupra ſaeculorum iſtorum captum ſapuiſſe, & interdum talia protuliſſe, quae non prorſus ſunt contemnenda. Nec praetermittendum, virum doctiſſimum diligentiſſimumque BERNH. PEZIVM, in *theſauro* ſuo *anecdotorum nouiſſimo*, quaedam iſtorum ſaeculorum in lucem protuliſſe ſcripta, ad huncce locum ſpectantia, eaque minime indigna; quorum habeatur ratio. Sic primum ſtatim in *primo tomo*, eiusque *parte prima*, locum occupat NOTKERI BALBVLI, San-Gallenſis, ordinis ſancti Benedicti, qui circa finem ſaeculi noni, & initium decimi floruit, annoque 912 obiit, *notatio de illuſtribus viris, ſeu liber de interpretibus diuinarum ſcripturarum*; *p.1. ſeqq.* In eo *tribus* prioribus *capitibus* ſummatim recenſet eos, qui libros veteris teſtamenti, tum canonicos, tum apocryphos expoſuerunt; *cap. IV.* eos, qui noui teſtamenti libros interpretati ſunt; tum *cap. V.* eos indicat, *qui ex occaſione diſputationis propriae quasdam ſententias diuinae auctoritatis explanauerunt*; porro *cap. VI.* de *libris ornando ſacerdotio neceſſariis* diſſerit, & *cap. VII.* de *metrorum, hymnorum, epigrammatumque conditoribus*; AVGVSTINI autem librum *de conſenſu quatuor euangeliſtarum* magnis elogiis extollit, *cap. VIII.* Mitto reliqua. Speciminis loco eſſe poſſunt, quae ſtatim ab initio *cap. I.* de iis, qui librum *geneſeos* explicarunt, hunc in modum tradit: *Si ſcire deſideras, quid Ebraei de hiſtorica geneſeos explanatione ſentiant, ſcrutare librum Hieronymi, qui intitulatur, ebraicarum quaeſtionum, iuxta ſeptuaginta dumtaxat interpretum translationem. Si vero moralitatem requiris, Origeni intende. Si diſputationem, Auguſtini duodecim libros peragrare non laſſeris. Si defenſionem creatoris & antiquorum patrum contra blasphemias calumniatorum, lege eiusdem Auguſtini libros duos aduerſus Manichaeos, & alios duos contra Fauſtum &c. Si creaturarum pulchritudine delectaris, hexaëmeron Ambroſii, vt ioculaCris es, pro ludo relegere conſueſcas &c.* Sequitur in eadem *tomi primi parte prima, p. 45. ſeqq.* ANGELOMI, monachi, & diaconi Luxouienſis, ordinis ſancti Benedicti, *commentarius in geneſin*, de quo rectiſſime clariſſimus editor adſerit, in eo *ex Hieronymo, Auguſtino, Iſidoro, aliisque patribus, pro more illorum temporum, ſacrum geneſeos textum neruoſe ac breuiter exponi*; *diſſertationis iſagogicae parte altera pag. 59.* Huius quoque loci eſt CANDIDI presbyteri, qui in Britannia primum, deinde in Francia pluribus annis ALCVINI auditor exſtitit, *expoſitio paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti*; in qua, iudice iterum editore clariſſimo, *id praeprimis agit, vt patientis pro humano genere Dei-hominis geſta, & dicta fidelibus tamquam exemplar & amuſſim, ad quam mores ſuos exigant, proponat, id quod breuiter, perſpicue, nec ineleganter praeſtat*; *l. c. p. 59.* Exſtat *p. 240. ſeqq.* Quod autem *p. 320. ſeqq.* legitur, *gloſſarium theotiſcum in ſacra biblia*, illis vſui eſſe poteſt, qui in linguae germanicae antiquitatibus inueſtigandis ſtudium operamque ſuam collocant, FLACCI ALCVINI ſeu ALBINI *opuſculum de comparatione noui & veteris*,

Digitized by Google

ris teſtamenti a denario numero vſque ad vnum, deque myſtico ſingulorum ſignificatu, quod *tomo II. part. I. p. 1.* exhibentur, non magni eſt momenti. Reliqua ALCVINI ſcripta exegetica aliunde nota ſunt. Dum autem PEZIVS in *diſſertat. iſagogica* ad *tomum* huncce *ſecundum, p. 2.* de ALCVINO verba facit; repetit de eo GVIL. CAVEI, BALEVM ſequentis, iudicium, eum *theologorum ſuae aetatis, immo omnium Anglorum ab initio poſt Bedam & Aldhelmum longe eruditiſſimum, latine, graece & ebraice peritum fuiſſe; hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. ſaec. VIII. p. 349.* Pari ratione & ANDR. DV CHESNE, qui *opera* ALCVINI edidit, in *praefat.* de eo pronuntiauit: *latinae, graecae, ebraicaeque linguae peritus, vt eius ſcripta legentes paſſim deprehendent.* Sed an hoc probari queat, dubitat RICH. SIMON, in *hiſt. crit. commentat. noui teſtam. cap. XXIV. pag. 348.* Occurrunt in eiuſdem *tomi II. parte I.* & alia, ad ſcripturae explicationem ſpectantia: inter quae eminent varia HONORII Auguſtodunenſis, qui tamen iam ſaeculo XII vixit, monumenta, vt *hexaëmeron*; de *decem plagis Aegypti*; in *pſalmos ſelectos*, quae *p. 71. ſeqq.* exſtant. Editor clariſſimus, dum in *diſſertat. iſagogica* de HONORIO hocce agit; omnia eius ſcripta adcurate recenſet, *p. 5. ſeqq.* IRIMBERTI abbatis Admontenſis, ordinis ſancti Benedicti, qui ſceculo XII vixit, *commentarius allegoricus in cantica canticorum* legitur *p. 369. ſeqq.* & THOMAE abbatis Vercellenſis, *commentarius hierarchicus in cantica canticorum, p. 503. ſeqq.* HERVEI, monachi Dolenſis, ordinis ſancti Benedicti, qui circa finem ſaeculi XI, aut initium XII vixit, *commentariorum in Iſaiam prophetam libri VIII.* integram *tomi III. partem I.* conſtituunt. Eiuſdem autem HERVEI *commentarium in epiſtolas Pauli*, ſub ANSELMI archiepiſcopi Cantuarienſis nomine perperam editum, idque hodie a viris harum rerum peritiſſimis agnoſci, docet PEZIVS in *diſſertat. iſagog. p. 6.* Denique in *tomi IV. parte I.* comparet REMIGII Autiſſiodorenſis, ordinis ſancti Benedicti monachi, qui ſaeculo nono celebris fuit, *commentarius in geneſin, pag. 1. ſeqq.* Eiuſdem REMIGII *commentarius in omnes Dauidis pſalmos*, item *enarratio in poſteriores XI minores prophetas*, exſtant in *bibliotheca maxima patrum, tom. XVI. pag. 883. ſeqq.* De *commentario* eius *in epiſtolas Pauli* videndus GVIL. CAVEVS in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſaec. IX. p. 395.* In reliquis quoque eius *commentariis* in lucem proferendis viros doctos elaborare, PEZIVS nos condocet, in *diſſertat. iſagogica pag. 2.* vbi & de eius in geneſin *commentario* ita pronuntiat: *Ceterum ipſum Remigii opus graue, ſuccinctum, ac elegans eſt, omninoque ad eum modum compoſitum, quem in commentario Remigii in pſalmos dudum Sixtus Senenſis obſeruauit, nempe in quod Remigius ita veterum patrum ſenſa tranſtulerit, vt tamen etiam quaedam de ſuo adiecerit, idque pro more ſaeculi ſui, quo vſus antiquiorum ſcriptorum commentaria expilandi late obtinebat.* Sequuntur IRIMBERTI, abbatis Admontenſis, de quo antea dictum, *commentariorum in librum iudicum libri II. p. 127. ſeqq.* eiuſdem *expoſitio libri Ruth p. 441. ſeqq.* Agmen claudit WALAFRIDI STRABONIS, abbatis Augienſis, *expoſitio XX primorum pſalmorum p. 473. ſeqq.* Atque ad vltimum quidem hocce monumentum quod attinet, potuiſſet PEZIVS integram LXXVI pſalmorum expoſitionem, a WALAFRIDO STRABONE concinnatam, edere: cum tamen commentationis iſtius nucleus & medulla in *gloſſa ordinaria*, quae STRABONEM huncce auctorem agnoſcit, iam contineatur; huncce *XX pſalmorum expoſitionem*, in ſpecimen ſolum reliqui operis *theſauro* ſuo inſerere voluit. Hoc nos condocet in *diſſertat. iſagog. p. 2. 3.*

Dum vero *gloſſae ordinariae* facta eſt men-

mentio; res ipſa atque inſtituti noſtri poſtulat ratio, vt de ea aliquid dicamus. Auctor nimirum eius eſt WALAFRIDVS iſte, quem laudauimus, STRABO, ſiue, vt ab aliis vocatur, STRABVS, qui ſaeculo nono vixit. Diſcipulus RHAB. MAVRI, monachusque fuit Fuldenſis, ordinis ſancti Benedicti; deinde ex decano coenobii ſancti Galli, Reichenauienſis in dioeceſi Conſtantienſi factus abbas, anno 849 obiit. Hic ex patrum ſcriptis, praeſertim ex RHAB. MAVRI commentariis, *gloſſam* illam compilauit, quae mox tantam apud homines meliorum litterarum rudes obtinuit auctoritatem, vt *ordinaria*, immo & *lingua ſcripturae* diceretur. PETR. LOMBARDVS, ſcholaſticorum princeps, eam κατ' ἐξοχὴν *auctoritatem* vocauit; allegaturus ſcilicet eam, dicere ſolebat: *auctoritas dicit*. THOMAS DE AQVINO, qui cum reliquo ſcholaſticorum grege vnice ex gloſſa hacce ſapuit, non tantum ſaepius eam in *commentario* ſuo *in epiſtolas Pauli* laudat, ſed eam ſubinde vt ipſum ſcripturae textum explicat. Vnde, quaenam iſto tempore theologiae exegeticae fuerit facies, condiſcere licet. RICH. SIMONE iudice, *gloſſa* haecce *ordinaria*, *commentarii* potius nomen, quam *gloſſae* meretur; ſiquidem explicandae textus litterae non ſatis inhaeret, vti in gloſſis fieri debebat. Addit, pleroſque ſenſus, quos refert, a litterali recedere, nec alio, vt plurimum, fundamento, quam praeiudiciis theologiae ſcholaſticae, niti, aut iis, quae apud patres legerat, & ſine examine, an iſtae explicationes poſſint gloſſae vocari, arripuerat; nimis, porro, eumdem auctorem argutari, ac ſubtilitatibus, quae nihil ad rem faciant, indulgere; quod equidem in homiliis, aut aliis ſermonibus longioribus, non autem in gloſſis ferri queat; *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XI. p. 414.* Acceſſerunt deinceps ad *gloſſam* hancce *ordinariam* alia quaedam, interque ea breuior quaedam *gloſſa*, locis quibusdam obſcurioribus illuſtrandis deſtinata; quae, quoniam inter textus lineas ſcribi ſolebat, *interlinearis* adpellitatur, adeoque ab *ordinaria* probe diſtinguenda eſt. Auctor *gloſſae interlinearis* eſt ANSELMVS, eccleſiae Laudunenſis ſcholaſticus & decanus, qui circa finem vndecimi, & initium duodecimi ſaeculi floruit. Conferendus IO. FRID. MAYERVS in *bibliotheca biblica diſſertat. IV. §. II. p. 50.* RICH. SIMON de ea itidem pronuntiat, cum breuiſſima ſit, & vocibus obſcurioribus explicandis inſeruire, adeoque quid voces iſtae ſignificent, indicare debebat, auctorem nihiloſecius ſenſibus myſticis immorari; cumque doctus ac eruditus videri voluerit, etymologias interdum plane pueriles atque ridiculas adferre; quod tamen iſtius aetatis homines, vtpote meliorum litterarum ignari, fuerint admirati; *l. c. p. 414.* Editiones *gloſſae ordinariae*, variarumque eodem ſpectantium acceſſionum, recenſet idem RICHARDVS SIMON, in *hiſt. crit. commentat. noui teſtam. c. XXVII. p. 378.* Conferendus de iisdem IAC. LE LONG, in *bibliotheca ſacra in binos ſyllabos diſtincta, tom. II. pag. 1010.*

Quid ab illis, qui ſaeculo vndecimo, duodecimo, ac decimo tertio, in ſcripturae ſacrae interpretatione ingenii ſui vires periclitati ſunt, vt PETRO LOMBARDO, THOMA DE AQVINO, ALBERTO magno, aliisque exſpectandum ſit, tum ex iis, quae hucusque diximus, tum ex iſtius temporis conditione, nemini obſcurum eſſe poteſt. Ad orientalem autem ſi nos conuertamus eccleſiam, in hocce interuallo ſe nobis offert THEOPHYLACTVS, patria Conſtantinopolitanus, Achridiae, primariae Bulgarorum eccleſiae, archiepiſcopus, qui ſaeculo vndecimo vixit, *commentariosq;* reliquit, *in quatuor euangeliſtas*, in *acta apoſtolorum*, in *epiſtolas Pauli*, & in *quatuor prophetas minores*, ſcilicet *Habacuc*, *Ionam*, *Nahum*, & *Hoſeam*. Patet inde, Graecos non

Digitized by Google

non aliam fere rationem, commentarios in ſcripturam ſacram concinnandi, ea aetate obſeruaſſe, quam qua Latini vſi ſunt; videlicet, vt ex patrum ſcriptis congererent quaedam ac conuectarent. Cumprimis autem THEOPHYLACTVS id ſibi datum credidit, vt CHRYSOSTOMI commentarios in compendium mitteret. Hinc ROBERTVS BELLARMINVS cardinalis *ita Chryſoſtomum*, inquit, *ſequutus eſt, vt Chryſoſtomi abbreuiator dici poſſit; de ſcriptorib. eccleſiaſt. p. m. 165.* Nimirum, etſi in ſenſu litterali huncce ducem & anteſignanum ſequitur; allegoricas tamen ſubinde addit interpretationes, ſiue a ſemet ipſo excogitatas, ſiue ex aliis depromtas. Quod ſi RICH. SIMONEM audiamus, THEOPHYLACTVS ita CHRYSOSTOMI veſtigia premit, vt nec in dogmatibus ab eo diſcedat, quae potius ita tractet, vt vniuerſam graecorum patrum theologiam ex eo haurire liceat; de libero namque arbitrio, de fide, ac quibusdam aliis capitibus, eodem illum docere modo, ac CHRYSOSTOMVM; nec tamen ideo eum Pelagianiſmi adcuſandum, cum graeci patres, praeſertim ante certamina Pelagiana paullo liberius de eiusmodi dogmatibus loquuti ſint. IOANNES equidem OECOLAMPADIVS, itidem in *praefat. commentariis* THEOPHYLACTI *in quatuor euangelia* praemiſſa, obſeruat, quod THEOPHYLACTVS in doctrina de libero arbitrio, de fide, & quibusdam aliis CHRYSOSTOMVM ſequatur; ſed addit: *quod dixerim, vt in hoc tuum adhibeas iudicium, qui te ſolis canonicis ſcripturis addictum noſti, non vt totum a lectione auocem, quorumdam more, qui mox, cum vnum & alterum diſplicuerit, toti libro abrenuntiant.* Diſplicet hoc RICH. SIMONI, qui, nouatoribus hoc ſollemne eſſe, ait, vt iudicium ſuum particulare iudicio antiquitatis praeferant; *hiſt. crit. comment. noui teſtam. c. XXVIII. p. 395.* Sed rectius dici poſſet, ſollemne eſſe RICH. SIMONI, nimio erga Pelagium amore abrepto, vt iudicium ſuum particulare iudicio AVGVSTINI, & totius fere eccleſiae occidentalis, praeferat. Ceterum romanenſibus hoc etiam nomine diſplicet THEOPHYLACTVS, quod graecae eccleſiae placita contra latinam defendit. Vnde ROB. BELLARMINVS, *ſchismaticum*, inquit, *fuiſſe Theophylactum, intelligi poteſt, ex commentario in cap. III. Ioannis, vbi Latinos reprehendit, quod credant ſpiritum ſanctum a filio etiam procedere; de ſcriptorib. eccleſ. p. 165.* Saeculo duodecimo EVTH. ZIGABENVS floruit, ſupra nobis ob *panopliam dogmaticam orthodoxae fidei* laudatus; cuius vero etiam exſtant *commentaria in omnes pſalmos Dauidis, & in decem ſcripturae ſacrae cantica*, hactenus latine ſolum edita, & quidem tum ſeorſim non ſemel, tum & in *bibliotheca maxima patrum tomo XIX. p. 235. ſeqq.* *Praefationem* autem EVTHYMII in *pſalmos*, ſatis longam, graece atque latine lectorum oculis expoſuit STEPH. LE MOYNE, *varior. ſacror. tom. I. p. 150. ſeqq.* In ea de natura, origine, vſu, ſcopo, multiplici pſalmorum genere, obſcuritate, variisque verſionibus graecis, erudite & adcurate diſſerit. Lacunas, quae in ea ſecundum editionem iam memoratam deprehenduntur, ex codicibus manuſcriptis facile ſuppleri poſſe, viris doctis obſeruatum eſt. *Commentaria* EVTHYMII in *quatuor euangelia*, ex CHRYSOSTOMO aliisque patribus, ſed non ſine iudicio, collecta itidem latine hactenus ſolum prodierunt, interprete IO. HENTENIO, & primum quidem Louanii an. 1644, non ſemel deinceps tum ſeorſim, tum & in *bibliotheca maxima patrum, tom. XIX, p. 475. ſeqq.* excuſa. Codices duos eorum graecos manuſcriptos commemorat RICH. SIMON, in *hiſt. crit. comment. noui teſtam. c. XXIX. p. 410.* qui & maximis laudibus ea extollit, paucosque admodum textum euangeliorum tam adcurate, tantoque cum iudicio, quam EVTHYMIVM, interpretatos, pronun-

Digitized by Google

nuntiat. Hinc & prorſus ſuffragatur MALDONATO, qui in *cap. XVII. Matth. verſ. 8. graecus*, inquit, *auctor Euthymius, & in verborum proprietatibus obſeruandis diligentiſſimus.*

** Cum ergo in hocce temporis interuallo mos iſte, ex patrum antiquorum ſcriptis colligendi, quae ſcripturae ſacrae libris interpretandis inſeruire poſſent, eaque ſecundum cuiusque libri ſeriem ordinemque diſponendi, obtineret; ortae inde ſunt, *catenae*, vt vocari ſolent, *patrum:* de quibus, vt aliquid commemoremus, vti ab hoc loco minime alienum; ita omnino inſtituti noſtri poſtulat ratio. *Catenae* vocabulo primum hoc ſenſu ex Latinis THOM. DE AQVINO vſum, Graecis autem eiusmodi ſcripta, ἐπιτομὰς ἑρμηνειῶν, item ἑρμηνείαν συνερανισθεῖσαν, vel ἐξήγησιν συλλεγεῖσαν ἐκ διαφόρων πατέρων, adpellari, erudite, more ſuo, docet IO. ALB. FABRICIVS. *Non abſurde autem*, ita idem vir doctiſſimus pergit, *catenae vocabulum hiſce ſcriptis adplicatur, quoniam vt catena ex pluribus conſtat annulis, inter ſe connexis, ſic illae expoſitionem librorum ſacrorum, ex plurium ſcriptorum cogitatis contextam, offerunt.* Rectiſſime addit: *Forte etiam, vt apud Dionem Chryſoſtomum Charidemus vitam humanam confert cum catena, in qua proſpera ex aduerſis, & aduerſa viciſſim ex proſperis, ſuſpenſa connectuntur; ita etiam in hiſce* συναγωγαῖς *non omnia ſemper aeque ſunt ſelecta, ſed praeclaris pleriſque & obſeruatu digniſſimis adduntur interdum trita quaedam ac vulgatiora; biblioth. graec. vol. VII. ſiue lib. V. cap. XVII. pag. 728.* Nimirum ad vſum iſtarum *catenarum* & pretium, iis ſtatuendum, quod attinet; eas non vnius eſſe generis, obſeruandum eſt; cum quidam earum collectores maiorem induſtriam, maioremque vim ingenii, & doctrinae adparatum, ad eiusmodi collectiones inſtituendas, & digerendas, ſecum attulerint, quam alii. Diffitendum etiam non eſt, in quibusdam catenis verba auctorum, ex quibus compilatae ſunt, non integra, ſed detruncata, mutilata, aut interpolata exhiberi; interdum rurſus interpretationes ita recenſeri, vt rationes earum, quas tamen ſcire vel maxime oportebat, praetermittantur; porro auctores inter ſe confundi, & quod vni debebatur, alteri tribui, aut ex diuerſorum auctorum cogitatis vnam ſententiam conflari; & quae alia ſunt eiusdem generis, a viris doctis paſſim notata. Praeterea operae pretium facere non videntur, qui eiusmodi catenas edunt, in quibus plurima continentur ex iſtis patrum ſcriptis, quae integra ad nos peruenerunt, & omnium teruntur manibus, ex quibus adeo longe rectius illorum ſententia hauritur, quam ex excerptis quibusdam, quae, qua ratione cum praecedentibus, aut ſequentibus cohaereant, non perſpicitur. Addenda, quae de *catenarum* vitiis atque naeuis monet STEPH. LE MOYNE, in *prolegomenis ad varia ſacra p. 53. ſeqq.* Interim tamen & catenae iſtae, praeſertim ſi cum iudicio concinnatae ſint, multiplici vſu ſe commendant. Iuuat interdum, quae praeſtantiſſimi veteris eccleſiae doctores de loco quodam ſcripturae ſacrae dixerunt, velut in vnum cumulum congeſta, intueri & perluſtrare, ne tot euoluere volumina neceſſe ſit. Cumque etiam auctorum vel librorum, ex quibus excerpta iſta deprompta ſunt, mentio iniiciatur; hiſtoriae litterariae ſcriptorum eccleſiaſticorum lux quaedam inde adfundi poteſt. Praecipuus autem vſus in eo conſiſtit, quod in *catenis* iſtis, fragmenta operum, quae dudum perierunt, exhibeantur, & quidem interdum ea ratione, vt pars eorum non contemnenda ab interitu vindicari queat. Agnoſcuntque viri iſti docti, qui in eiusmodi ſcriptis reſtituendis, aut eorum reliquiis colligendis, operam, ſtudiumque ſuum ponunt, plurima, quae ſuo inſtituto in-

Digitized by Google

inſeruiant, *catenas* iſtas ſuppeditare. Documento eſſe poſſunt, quae hac de re profert IO. ERNEST. GRABIVS in *praefat.* ad *tom. I. ſaeculi II. ſpicilegii patrum & haereticorum &c.* Copioſius autem, quae de *catenarum* commodis aut incommodis dici poſſunt, ediſſerit vir doctiſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *diſſertat. de catenis patrum graecorum, iisque potiſſimum manuſcriptis &c. §. IV. p. 7. ſeqq.* At ipſas vero eiusmodi *catenas* vt accedamus, primus huius inſtituti auctor OLYMPIODORVS videri poteſt, Alexandrinae eccleſiae diaconus, de cuius aetate, etſi hactenus viri docti dubitauerint, aliis ad ſaeculum quintum, aliis omnino ad vndecimum vel decimum eum referentibus; hodie tamen extra controuerſiam fere poſitum, eum ſaeculo quinto vel ſexto floruiſſe, eo, quod ANASTASIVS Antiochenus, quem ſextum ſaeculum ſibi vindicat, *lib. VI. contemplationum anagogicarum in hexaëmeron*, eius mentionem facit. Obſeruatum hoc IOAN. ERN. GRABIO, *tom. I. ſaec. II. ſpicilegii patrum &c. p. 245.* Huic namque OLYMPIODORO *catenam* illam *in Iobum*, Lugduni primum an. 1586 editam, & mox anno 1587 Venetiis recuſam, tribuit PAVLVS COMITOLVS, cuius cura ſtudioque altera illa editio, ſeu Veneta, lucem adſpexit; repugnantibus tamen aliis, & NICETAM, Heracleenſem archiepiſcopum, qui ſaeculo XI vixit, auctorem eius eſſe, contendentibus; quorum etiam rationes potiores eſſe videntur. Recenſet hancce *catenam* THOMAS ITTIGIVS, *de bibliothecis & catenis patrum, cap. X. §. II. p. 658.* de qua & conferendus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. c. XVII. p. 737.* De commentario OLYMPIODORI *in eccleſiaſten* vid. GVIL. CAVE, in *hiſt. litter. ſcriptor. eccleſ. part. I. ſaec. X. p. 414.* Quod ſi itaque hoc ita ſe habeat, OLYMPIODORVM *catenae* iſtius *in Iobum* auctorem non eſſe; corruet etiam, quod dicitur, ab eo inſtituti iſtius, *catenas* eiusmodi concinnandi, originem deriuandam eſſe. Rectius proinde hancce gloriam ſibi vindicabit PROCOPIVS, ab vrbe, quam incoluit, *Gazaeus* dictus, cuius hodie adhuc exſtant *commentaria*, ſeu vt PHOTIVS *cod. CCVI. p. 527.* vocat, *ſcholae exegeticae in octateuchum*, hactenus latine tantum edita, Tiguri an. 1555, *ſcholia in libros quatuor regum, & duos chronicorum*, graece & latine euulgata, a IO. MEVRSIO Lugduni Batauorum, an. 1620. 4. *variorum in Eſaiam prophetam commentariorum epitome*, graece & latine a IO. CVRTERIO Pariſiis anno 1580 luci publicae expoſita. Reliqua, ſpeciatim ἐξηγητικῶν ἐκλογῶν ἐπιτομὴ *in prouerbia*, nondum typis exſcripta ſunt. Enimuero, licet haecce PROCOPII commentaria ex aliorum expoſitionibus ita collecta non ſint, vt ſingulis excerptis nomina auctorum adpoſuerit: quoniam tamen ipſemet fatetur, ex antiquioribus ſe ea collegiſſe; quod & res ipſa, & quorumdam inſcriptiones docent: ea inter catenas referenda eſſe, inde colligit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. c. XVII. p. 735. 736.* Summo interim iudicio haecce commentaria concinnata eſſe, fatentur omnes, & idcirco valde laudantur PHOTIO *l. c.* Poſt PROCOPIVM hic merito in cenſum venit OECVMENIVS, ſub cuius nomine *commentarii in acta apoſtolorum*; in *epiſtolas Pauli*, itemque in *ſeptem canonicas*, tum alias, tum quoque Pariſiis an. 1631 duobus tomis in fol. prodierunt. Dubitari tamen poteſt, an recte inter *catenas* referantur, cum ex aliorum equidem, praeſertim CHRYSOSTOMI ſcriptis & commentariis, plurima decerpſerit, ſed ita, vt haud raro ſuam quoque ipſemet expoſuerit ſententiam. Immo cum breuitati maximopere ſtuduerit, ſcholiorum potius, quam commentarii, certe plurimis in locis, ſpeciem haecce eius explanatio referre videtur. Sed dubitatur etiam, an omnino OECVMENIVS ſiue *ca-*

tenarum, ſiue *commentariorum* iſtorum auctor ſit: quemadmodum nec de aetate OECVMENII viri docti inter ſe conueniunt; cum id ſolum certum ſit, eum poſt annum a Chriſto nato 800 claruiſſe. Plura de eo dabit RICH. SIMON, *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. c. XXXII. p. 457. ſeqq.* NICETAM, Heracleenſem archiepiſcopum, aut potius metropolitam, qui ſaeculo vndecimo vixit, locum hic ſibi vindicare, ex iis, quae antea diximus, intelligitur. Quae enim ſub OLYMPIODORI nomine exſtat, *catenam* rectius illi tribui, obſeruauimus. Tribuitur vero illi etiam *catena* illa in *Matthaeum*, quam BALTH. CORDERIVS ex bibliotheca electorali bauarica edidit, quaeue Toloſae an. 1647 excuſa eſt. Inſcribitur ea: *ſymbolarum in Matthaeum tomus alter, quo continetur catena patrum graecorum triginta, collectore Niceta epiſcopo Serrarum; interprete Balthaſare Corderio &c.* Nimirum, iam antea, ſiue an. 1646, PETR. POSSINVS itidem *catenam quamdam in Matthaeum* ediderat, inſcriptam: *ſymbolarum in Matthaeum tomus prior, exhibens catenam graecorum patrum vnius & viginti nunc primum editam, ex bibliotheca illuſtriſſimi D. Caroli de Montchal, archiepiſcopi Toloſani &c.* quam cum deinceps Corderiana illa exceperit, quae tamen itidem cura ſtudioque PETRI POSSINI Toloſae prodiit; patet inde, cur, *ſymbolarum in Matthaeum tomus alter*, inſcripta fuerit. Conferendus THOM. ITTIGIVS, *de bibliothecis & catenis patrum, c. XVII. p. 688. ſeqq.* Perperam vero eam, quam CORDERIVS edidit, NICETAE tribui, & huius non minus, quam alterius auctorem ignotum eſſe, oſtendunt RICH. SIMON, *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. c. XXX. p. 426.* & IOAN. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. vol. VII.* ſiue *lib. V. c. XVII. p. 765.* Vocatur NICETAS iſte, vt hoc *ἐν παρόδῳ* moneam, *epiſcopus Serrarum* ſiue *Serron*, in Macedonia prima, quippe quo munere functus fuit, priusquam Heracleae Ponti in Thracia archiepiſcopus fieret. Docet hoc, quem iam laudauimus, FABRICIVS, qui eum Serrarum archiepiſcopum, & metropolitam Heracleenſem adpellitat, *l. c. vol. VI.* ſiue *lib. V. cap. V. p. 432.* De ANDREA presbytero, MACARIO, qui ob ſtudium, catenas ex ſcriptis patrum colligendi, & *χρυσᾶ κεφάλαια* ex illis excerpendi, *chryſocephalus* dictus eſt, itemque de ARETHA, quorum in eiusmodi catenis conſtruendis innotuit induſtria, idem vir doctiſſimus conferendus *l. c. vol. VII.* ſiue *lib. V. cap. XVII. p. 759. 771. ſeqq.* & *p. 791.* De THEOPHYLACTO autem atque EVTHYMIO ZIGABENO, quos nonnulli itidem inter catenarum collectores referunt, iam antea verba fecimus. Inter latinae eccleſiae doctores idem inſtitutum imitatus eſt THOM. DE AQVINO, vtpote qui *catenam auream in quatuor euangeliſtas*, latina quidem lingua, at ex graecis latinisque patribus, condidit: quamquam & reliqui, qui ex latinis commentarios ſuos ac gloſſas ex patribus collegerunt, quod tantum non omnes, qui in hocce temporis interuallo ſcripturam ſacram interpretari adgreſſi ſunt, feciſſe, antea obſeruauimus, huc quodammodo referri queant. Nimirum in recentioribus THOMAE operum editionibus haecce eius *quatuor euangeliorum* expoſitio ita inſcribitur; in antiquioribus autem *gloſſa continua* vocatur. Quod cum & vir eruditiſſimus IO. ALB. FABRICIVS obſeruaſſet; dubitari poſſe, ait, an THOMAS ipſe *catenae* vocabulo vſus ſit, quod ipſe antea ſignificauerat, & nos quoque ſupra retulimus; *biblioth. gr. l. c.* ſiue *lib. V. c. XVII. p. 787.* Ex recentioribus, methodus illa, catenas conficiendi, tum aliis, tum praecipue ALOYSIO LIPOMANNO placuit, Methonenſi epiſcopo, & coadiutori Veronenſi, quippe qui ex patribus ſcriptoribusque eccleſiaſticis, tum graecis, tum latinis, *catenam* quamdam *in geneſin & exodum*, itemque *in pſalmos* con-

Digitized by Google

confecit; labore quidem, ſi RICH. SIMONI credimus, non admodum vtili, & quo facile ſuperſedere potuiſſet, *hiſtor. crit. vet. teſt. lib. III. c. X. p. 412.* RICH. MONTACVTIO LIFOMANNVS *homo nullius iudicii* audit, *orig. eccleſ. tom. I. p. 37.* Magis adhuc iudicii defectum canonicus quidam regularis prodidit, qui, eodem RICH. SIMONE *l. c.* teſte, catenam in caput primum *geneſeos*, duobus ingentibus voluminibus conſtantem, confecit, & *gloſſa magna in geneſin*, inſcriptam edidit. Sed ad Graecos vt reuertamur, exſtant etiam *catenae* quaedam, quarum auctores ignorantur, quemadmodum tum ex his, tum ex illis, quarum auctores conſtant, quaedam iam euulgatae ſunt, quaedam adhuc manuſcriptae in bibliothecis latent. Ad eas rurſus, quae euulgatae ſunt, quod attinet, quaedam latinae ſolum, quaedam vero ſimul graece prodierunt. Sic latine ſolum edita eſt *catena graecorum patrum in pentateuchum*, item *in cantica veteris ac noui teſtamenti*, interprete FRANC. ZEPHYRO Florentino, qua *pentateuchum*; qua *cantica* autem *veteris ac noui teſtamenti* ANT. CARAFFA. Inter *bibliothecas* & *catenas* patrum Colonienſes refertur a THOMA ITTIGIO *l. c. cap. IV. p. 480.* quoniam ibi an. 1573 recuſa fuit. Eiusdem generis eſt *aurea in quinquaginta pſalmos Dauidis catena*, quae interprete DAN. BARBARO, Venetiis lucem adſpexit, an. 1569, & de qua itidem ITTIGIVS agit, *l. c. cap. X. p. 657. ſeqq.* Latine quoque ſolum edita eſt *catena graecorum patrum in prouerbia Salomonis*, quae interprete THEOD. PELTANO Antwerpiae prodiit, an. 1614. Addita tamen eſt GREGORII thaumaturgi *metaphraſis in eccleſiaſten graeco-latina*, & MICH. PSELLI *paraphraſis in canticum canticorum*, ex verſione FRANCISCI ZINI. Conferendi THOM. ITTIGIVS *l. c. c. VIII. p. 621.* & IO. ALB. FABRICIVS *l. c. p. 750.* Ex iis, quos BALTH. CORDERIVS, ſocietati Ieſu adſcriptus, cuius ſtudium in caterinis eiusmodi in lucem proferendis vel maxime enituit, euulgauit, graece & latine exhibetur *catena graecorum patrum in pſalmos vniuerſos*, ſeu vt ab illo inſcribitur: *expoſitio patrum graecorum in pſalmos ex ſacrae caeſareae maieſtatis & ſereniſſimi Bauariae ducis manuſcriptis codicibus* ἀνεκδότοις *concinnata, in paraphraſin, commentarium, & catenam digeſta, latinitate donata, & adnotationibus illuſtrata*, Antwerpiae an. 1643 tribus voluminibus in fol. Vnum quodque nimirum volumen quinquaginta pſalmos continet. Praecedit autem in ſingulos pſalmos anonymi cuiusdam ſcholiaſtae *paraphraſis*; quam THEOD. HERACLEOTAE *commentarius* excipit; & tum demum ſequitur *catena*, ex variis patribus contexta, vltimum vero locum CORDERII *adnotationes* occupant. Obſeruatum quoque hoc THOM. ITTIGIO *de biblioth. & catenis patrum c. VIII. p. 623.* Sed graece quoque ac latine prodiit anonymi *catena graecorum patrum in Ioannem*, quam eiusdem BALTH. CORDERII induſtriae debemus, Antwerpiae an. 1630 in fol. *Catena* vero *ſexaginta quinque graecorum patrum in ſanctam Lucam, quae quatuor ſimul euangeliſtarum introducit explicationem &c.* quam idem CORDERIVS dedit, Antwerpiae an. 1628. fol. textu graeco deſtituitur, quem in lucem proferre, ſi alii hoc deſiderarent, paratus fuit. Sed haec de praecipuis catenis commemoraſſe ſatis erit. De reliquis conſulendus, quem ſaepe iam laudauimus, THOM. ITTIGIVS, in *tractatu* luculento, *de bibliothecis & catenis patrum*, Lipſiae an. 1707. 8. edito, in quo ſecundum ordinem locorum, in quibus prodierunt, cum *bibliothecis* & *catenas patrum* recenſet. De iisdem *patrum graecorum catenis*, ſed potiſſimum *manuſcriptis ex codicibus quibusdam anglicanis*, agit vir doctiſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in peculiari *diſſertatione*, Wittebergae an. 1712 eruditorum examini expoſita; qui & §. VIII.

pag.14. nonnulla in opere Ittigiano emendat & ſupplet. Iungendus hiſce cumprimis vir ſummus IO. ALB. FABRICIVS, qui omnes patrum graecorum catenas, tum manuſcriptas, tum editas, ordine librorum biblicorum obſeruato, enarrat, *biblioth. gr. vol. VII.* ſiue *lib. V. c. XVII. p. 727. ſeqq.*

*** Dum fata theologiae exegeticae exponimus, nec *poſtillarum* ſilentio praetermittenda eſt origo, quam in hocce, in quo verſamur, temporis incidere interuallum, dubio caret. Cum enim certi textus ſcripturae ſacrae in eccleſia praelegerentur populo; his tandem explicationes ex ſcriptis patrum additae ſunt; indeque vox *poſtilla* enata eſt, compoſita quippe ex praepoſitione *poſt*, & pronomine *illa*; vt ſignificaretur, *poſt illa*, ſcilicet verba textus, legendam eſſe explicationem illi ſubiunctam. Textus loco autem plerumque, certe in diebus dominicis atque feſtis, adhibebantur *pericopae* iſtae *euangelicae & epiſtolicae*, quae hodie adhuc in vſu ſunt, & de quarum adeo natalibus conſtare debet; vt de poſtillarum origine certi quid definire queamus. Enimuero, licet vox *poſtilla* medio aeuo de cuiusuis textus explicatione adhiberetur: cumprimis tamen pericoparum, quas vocant, euangelicarum & epiſtolicarum expoſitio ea deſignabatur, & adhuc deſignari ſolet. Ad pericopas itaque iſtas euangelicas quod attinet, qui earum natales in ſynagoga iudaica ſibi inueniſſe videntur, dubito an certo nitantur fundamento. Ita quidem praeter multos alios LAVR. FABRICIVS, in *partit. codicis ebr. cap. VIII. p. 31. ſeqq.* Enimuero, licet nemini temere ignotum ſit, in ſynagogis Judaeorum legem Moſaicam ita ſingulis ſabbathis legi, prout in פרשיות diſtributa eſt, quibus הפטרות ſeu pericopae ex prophetis reſpondent; huc tamen reſpexiſſe pericoparum euangelicarum & epiſtolicarum auctores, nec probari vlla ratione poteſt, nec veroſimile eſt; cum pericopae iſtae, vt deinceps oſtendemus, vno eodemque tempore introductae non ſint. Immo eo minus hoc eſt veroſimile, quod primis eccleſiae chriſtianae temporibus integri ſacrarum ſcripturarum libri a principio ad finem praelegebantur, per partes ſcilicet, vt inde, cum iterum conueniebant, inciperent, vbi antea finiuerant. Haud obſcure hoc innuit IVSTINVS martyr, in conuentibus, qui die ſolis, ſeu dominica instituebantur, legi adſerens, τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν, μέχρις ἐγχωρεῖ, *commentaria apoſtolorum, vel ſcripta prophetarum, prout tempus fert*; addit, lectore quieſcente, praeſidem orationem, qua populum inſtruat, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortetur, habere; *apol. I. pro chriſtianis p. 131.* edit. IO. ERN. GRABII. Confirmat idem AVGVSTINVS, hoc ſolum diſcrimine, iam eo tempore in diebus feſtis, vt paſchatos, pentecoſtes, reliquis, vſu receptum fuiſſe, lectiones ordinarias ſeponere, & textus tempori praeſenti conuenientes ſeligere. *Meminit*, inquit, *ſanctitas veſtra, euangelium ſecundum Ioannem ex ordine lectionum nos ſolere tractare. Sed quia nunc interpoſita eſt ſolemnitas ſanctorum dierum, quibus certas ex euangelio lectiones oportet in eccleſia recitari, quae ita ſunt annuae, vt aliae eſſe non poſſint, ordo ille, quem ſuſceperamus, neceſſitate paullulum intermiſſus eſt, non amiſſus*; in *procemio expoſit. epiſt. Ioannis tom. III. operum, part. II. p. m. 602.* conf. & IO. ANDR. QVENSTEDIVS in *antiquit. bibl. & eccleſiaſt. cap. IV. ſect. I. num. I. p. 297.* Atque haec cum ita ſe habeant, in errore verſantur manifeſto, qui ab ipſis apoſtolis, aut primis eorum ſucceſſoribus, pericoparum iſtarum arceſſere non dubitant originem. WALAFR. STRABONI hanc ſententiam, praeeunte, ſed locum STRABONIS aliter, & recte quidem, intelligente PHIL. MORNAEO, *lib. I. de miſſa cap. III.* tri-

tribuit IOACH. HILDEBRANDVS in *diſſ. de veterum concionib. c. III. §. XXXVI.* Ex verbis namque eius, hoc illum ſibi voluiſſe, colligi nequit. Plurimi virorum doctorum, in ſaeculo quarto pericoparum iſtarum collocandam originem, exiſtimant: nonnulli autem ſpeciatim HIERONYMVM earum auctorem faciunt. Ita, vt alios taceam, IO. BONA cardinalis: *credibile eſt, Hieronymum ſuum lectionarium, per ſingulos dies diſtributum, ordinaſſe, iubente Damaſo papa, qui ordinem illum in Romana eccleſia ſeruari praecepit, ex qua ad alias dimanauit; rer. liturgic. lib. II. c. VI. n. 2. p. m. 645.* Alii rurſus ad ſaeculum quintum deſcendunt, & MVSAEVM, Maſſilienſis eccleſiae presbyterum, textus certos, ex ſcriptura ſacra excerptos, ſingulis hebdomadibus & diebus feſtis adſignaſſe, contendunt, vt GENNADIVS Maſſilienſis auctor eſt, *de ſcriptor. eccleſ. c. LXXIX. p. m. 153.* Mitto nunc illos, qui, ſaeculo ſexto GREGORIVM magnum pontificem, itemque eos, qui, ſaeculo nono Carolum magnum pericopas haſce introduxiſſe, adſerunt: quorum poſterius qui adfirmant, in eo rurſus inter ſe diſſentiunt, num Carolus imperator ALCVINI, an PAVLI diaconi, an vero vtriusque in hoc instituto vſus ſit opera. Ordine omnes haſce ſententias recenſet, earumque auctores laudat IO. HEINR. THAMERVS, in *ſchediaſmate de origine & dignitate pericoparum, quae euangelia & epiſtolae vulgo vocantur, c. I. ſect. I. §. III. ſeqq. p. 16. ſeqq.* Recte vero idem vir clariſſimus docet, diſcrimen aliquod inter pericopas euangeliorum, quae diebus feſtis adſignatae ſunt, & eas, quae in diebus dominicis leguntur & explicantur, conſtituendum eſſe. Illas enim cum ipſis diebus feſtis originem ſumſiſſe, adeoque non vnius eiusdemque eſſe aetatis, prout & ipſi dies feſti diuerſis temporibus ſunt introducti, non eſt, quod dubitemus; praeſertim, quando pericopae iſtae de eiusmodi beneficiis diuinis agunt, quae vt in memoriam nobis reuocemus, ipſa diei iſtius feſti ratio poſtulat. Certe ſaeculo quarto diebus feſtis certas pericopas deſtinatas, verba AVGVSTINI, quae antea recitauimus, nos dubitare non ſinunt. Cum vero & in praecedentibus ſaeculis Chriſtiani dies quosdam feſtos celebrauerint; iam tum etiam certos iis textus, ſeu pericopas adſignatas fuiſſe, vt credamus, par eſt. Ad illas, quae in diebus dominicis explicantur, quod attinet, earum ſaltem quasdam ſaeculo quarto receptas fuiſſe, ex hiſce CHRYSOSTOMI nonnulli colligunt verbis: τί ποτ' ἂν ἐστιν ὅπερ αἰτοῦμαι ὑμᾶς; κατὰ μίαν σαββάτων, ἢ καὶ κατὰ σάββατον, τὴν μέλλουσαν ἐν ὑμῖν ἀναγνωσθήσεσθαι τῶν εὐαγγελίων περικοπήν, ταύτην πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν μετὰ χεῖρας λαμβάνων ἕκαστος οἴκοι καθήμενος ἀναγινωσκέτω συνεχῶς, καὶ πολλάκις περισκοπείτω μετὰ ἀκριβείας τὰ ἐγκείμενα, καὶ βασανιζέτω ταῦτα καλῶς κ. τ. λ. *Quid igitur a vobis contendimus? vt vna dierum in hebdomade vel ſaltem ſabbatho, curae vobis ſit euangelicas legere lectiones, eas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter ſenſum disquirere &c. hom. X.* (quae in codicibus graecis eſt XI) *in Ioan. tom. II. in nouum teſtamentum p. m. 71.* Idem & alibi innuere videtur, dum ita loquitur: εἰ γάρ τις ἀκριβῶς ἐνταῦθα ἐπέχοντι, κἂν οἴκοι μὴ ἀναγινώσκῃ, προσέχῃ δὲ τοῖς ἐνταῦθα λεγομένοις, ἀρκεῖ καὶ ἐνιαυτὸς εἷς εἰς ἐμπειρίαν αὐτὸν καταστῆσαι πολλήν· οὐ γὰρ νῦν μὲν ταύτας, αὔριον δὲ ἑτέρας ἀναγινώσκομεν γραφάς· ἀλλ' ἀεὶ τὰς αὐτὰς, καὶ διηνεκῶς. *Nam ſi quis attentionem huc ingreſſus adhibuerit, etiam ſine domeſtica lectione, annuo ſpatio ſatis proficere poterit. Neque enim hodie vnum, cras aliud legimus, ſed ſemper idem; hom. LVII. in Ioan. p. 366.* Non diſputabo nunc, quid ex hiſce CHRYSOSTOMI locis colligi queat: certe, eas, quae in occidentali eccleſia receptae ſunt, pericopas in diebus dominicis iam tum vſitatas fuiſſe, inde probari nequit: cum de eccleſia graeca loquatur, in qua alias obtinuiſſe

tinuiſſe & adhuc obtinere pericopas, vel ex iis conſtat, quae hac de re LEO ALLATIVS docet, in *diſſert. de dominicis & hebdomadibus recentiorum Graecorum*, eiusdem operi *de perpetua eccleſiae occidentalis & orientalis conſenſione* ſubiuncta, praeſertim *§. XXXI. p. 1464. ſeqq.* Propius ad caput cauſſae accedere videntur, qui ad librum, qui ſub HIERONYMI nomine exſtat, & *comes* inſcribitur, quemue nonnulli antiquiſſimum eccleſiae occidentalis *lectionarium* eſſe cenſent, prouocant. Editus is eſt a IAC. PAMELIO *tom. II. liturgicor. p. 1. ſeqq.* Iuuat ea de re audire IO. BONAM cardinalem. *Seriem*, inquit, *& ordinem lectionum atque epiſtolarum & euangeliorum, quae ſingulis diebus per annum in miſſae ſacrificio legi debent, communis eruditorum ſententia eſt, paucis licet negantibus, ſanctum Hieronymum diſpoſuiſſe in libro, quem comitem inſcripſit, edidítque Pamelius tomo II. liturgicorum. Sed & Cornelius Schultingius initio ſuae bibliothecae eccleſiaſticae ſe eumdem comitem manuſcriptum habuiſſe, adſerit multo ampliorem, quam ſit aditus a Pamelio, quem typis mandare non potuit, deficientibus ad id ſumtibus neceſſariis. Citant hunc librum nomine lectionarii omnes antiqui ſacrorum rituum ſcriptores, quidam ſine nomine auctoris, alii expreſſo nomine ſancti Hieronymi & titulo comitis &c.* Teſtimonia haec cum recitaſſet, ita pergit: *Vere autem huncce librum a Hieronymo conſcriptum eſſe, ex eo quidem confirmant, quod patres eo antiquiores lectionum dumtaxat vtriusque teſtamenti generaliter mentionem faciunt; poſteriores vero certas lectiones ſingulis diebus adſignatas commemorant. Sed certas fuiſſe ante Hieronymum lectiones, ex Hippolyti martyris canone paſchali euincitur, in quo ſtatae lectiones in cellulis ſiue laterculis deſignantur &c. rerum liturgic. lib. II. c. VI. §. II. p. 643.* Non ergo dubitat BONA cardinalis, quin liber hicce genuinus HIERONYMI foetus ſit; cui ſententiae licet etiam ſuffragetur STEPH. LE MOYNE, *varior. ſacror. tom. II. pag. 955.* (quamuis ibi ex inſtituto hanc quaeſtionem non tractet) non temere tamen hoc omnibus perſuadebitur: certe rationes, a BONA adlatae, hoc non euincunt. Non equidem abnuo, *lectionarium* hocce tempore, ab aetate HIERONYMI non adeo remoto, confectum eſſe, idque deinceps interpolatum ſubinde ac auctum fuiſſe; ipſi autem HIERONYMO an recte tribuatur, de eo valde adhuc dubito. Quemadmodum itaque lubrico admodum nituntur fundamento, qui ad hocce *lectionarium* prouocant; ita commenta nobis prorſus atque fabulas narrant, qui, HIERONYMVM iuſſu Theodoſii imperatoris, & Damaſi epiſcopi romani ſuaſu, haecce concinnaſſe pericopas, contendunt. Nullum enim, quo hoc probent, adferre poſſunt teſtimonium fide dignum. Interim non negauerim, plurimas euangeliorum pericopas, quae hodie vſu receptae ſunt, ſaeculo quarto & quinto originem debere. Nec errant, qui ex eccleſiae, qui eo tempore fuit, hoc colligunt ſtatu. Nimirum, cum Ariana tunc longe lateque graſſaretur haereſis; periculum, in quo eccleſia verſabatur, exigere videbatur, vt eiusmodi diligenter praelegerentur, & inculcarentur textus, ex quibus, Chriſtum ſeruatorem verum eſſe Deum, intelligi poterat, cuiusmodi ex euangelio iſti erant, in quibus miracula Chriſti narrabantur. Vnde vix eſt, quod dubitemus, pericopas, ad huncce finem comparatas, quales haud paucae ſunt, eo tempore introductas fuiſſe. Lectu digna, quae hac de re obſeruat IO. HEINR. THAMERVS *diſſert. cit. c. I. ſect. I. §. XXXVIII. p. 69. ſeqq.* Quod vero antea ex GENNADIO *de ſcriptor. eccleſ. c. LXXIX. p. 153.* commemorauimus, MVSAEVM Maſſilienſis eccleſiae presbyterum textus certos ex ſcriptura ſacra excerptos ſingulis hebdomadibus & diebus feſtis adſignaſſe, & quidem hortatu VENERII epiſcopi, ve-

GENNADIVS addit; id vt ad eccleſiam gallicanam tantum ſpectat, ita inde condiſcimus, non omnes vbique receptas fuiſſe pericopas, ſed quasdam eccleſias peculiares ſibique proprias habuiſſe: & licet occidentales eccleſiae vt in aliis, ita hac quoque in re, Romanae exemplum maxime ſequerentur; non tamen ſibi duxiſſe religioni, ab eius conſuetudine diſcedere, nec receptis pericopis ac lectionibus ita inhaeſiſſe, vt non integrum ſibi eſſe putarent, alias introducere. Certe in eccleſia gallicana lectiones & pericopas vſitatas fuiſſe, ab iis, quae in Romana receptae erant, & hodie quoque apud nos receptae ſunt, diuerſas, euidentiſſime patet ex *lectionario gallicano antiquiſſimo*, quod cum *notis & obſeruationibus* edidit IO. MABILLONIVS, *de liturgia gallicana lib. II. p. 106. ſeqq.* Saeculo ſexto iam pleraſque pericopas, quas hodie adhuc retinemus, in eccleſia Romana receptas fuiſſe, omni prorſus dubio caret, firmiterque ex GREGORII magni *quadraginta homiliarum in euangelia libris duobus*, de quibus ſupra diximus, colligitur. Eſtque admodum veroſimile, in iſto temporis interuallo, quod a Gregorio magno vsque ad Carolum magnum imperatorem effluxit, pericopas dominicales vt vocantur, ita ordinatas & diſpoſitas fuiſſe, vt proxime ad iſtam, quam deinceps obtinuerunt, accederent faciem; praeſertim cum eccleſiae occidentales magis magisque ſe ad Romanae exemplum componerent, Romani quoque pontifices, vt hoc fieret, omnem mouerent lapidem. Neque hoc ita intelligendum, ac ſi in hocce temporis interuallo, ſequentibusque ſaeculis, nullam prorſus diſcrepantiam obſeruare liceat. Secus enim ſe rem habere, ex BEDAE, qui *venerabilis* dicitur, *homiliis aeſtiualibus & hiemalibus, tam de tempore, quam de ſanctis*; ex PAVLI diaconi *homiliario*, immo ex HAYMONIS, epiſcopi Halberſtadienſis, *homiliis*, viri docti demonſtrarunt. Et ex hactenus quidem dictis, quae *pericoparum euangelicorum* fuerit origo, vtcumque intelligitur. *Epiſtolicarum* eadem fere fuit ratio; quod copioſius demonſtrare poſſemus, niſi id iam luculenter feciſſet IO. HEINR. THAMERVS *diſſ. cit. cap. I. ſect. II. p. 91. ſeqq.*

Iam vt ad *poſtillarum*, quas vocant, originem accedamus; illos quidem, qui, aut ab ALCVINO, aut PAVLO diacono, aut ab vtroque, pericopas dierum tum feſtorum, tum dominicalium in eam, qua hodie conſpiciuntur, formam redactas, exiſtimant, errare, manifeſtum eſt; cum Carolus, eiusque iuſſu PAVLVS diaconus, id praecipue egerit, vt pericopis iſtis explicationes ex patribus collectas adderet: quamquam non negauerim, quasdam pericopas, in diebus, qui ſanctis quibusdam conſecrati erant, legendas, eo tempore additas, aut ſeriem ordinemque iſtarum pericoparum paullisper immutatum: quemadmodum & illud conſtat, aliisque obſeruatum eſt, textus illos, quos PAVLVS diaconus ex patrum ſcriptis explicauerat, Caroli iuſſu in Gallia atque Germania fuiſſe introductos. Id vero, quod diximus, PAVLVM diaconum iuſſu Caroli imperatoris hoc praecipue egiſſe, vt ex patrum homiliis, quae textibus in diebus ſollemnibus per totum annum receptis, explicandis, illuſtrandisue inſeruiebant, excerperet, (qua quidem ratione *poſtillis*, quas vocant, originem dedit) diſerte teſtatur SIGEBERTVS Gemblacenſis, ita hac de re verba faciens: *Carolus imperator per manum Pauli diaconi ſui decerpens optima quaeque de ſcriptis catholicorum patrum, lectiones, vnicuique feſtiuitati conuenientes, per circulum anni in eccleſia legendas, compilari fecit*; in *chronographia* ad an. 807. apud IO. PISTORIVM in *ſcriptor. rerum germ. tom. I. p. 559.* Atque hinc enatum eſt *homiliarium* iſtud PAVLI diaconi, cum textibus ſeu pericopis,

pis, quae legendae erant, explicationes ex AMBROSII, AVGVSTINI, HIERONYMI, ORIGENIS, LEONIS, GREGORII magni, aliorumque ſcriptis, collectas, exhibens, quod hodie adhuc exſtat, & prima fuiſſe *poſtilla* cenſetur. Prodiit primum Spirae an. 1482, & deinde non ſemel recuſum eſt. Praemiſſa eſt ei epiſtola, ſeu praefatio Caroli magni imperatoris, in qua inter alia profitetur, ſe lectionum receptarum emendationem, & quae ad illarum illuſtrationem facere poterant, ex patribus collectionem PAVLO diacono iniunxiſſe: *earumdem lectionum in melius reformare tramitem, mentem intendimus, idque opus Paulo diacono, familiari clientulo noſtro elimandum iniunximus, ſcilicet vt ſtudioſe catholicorum patrum dicta percurrens, veluti e florentiſſimis eorum pratis, certos quosque floſculos legeret, & in vnum, quaeque eſſent vtilia, quaſi ſertum aptaret. Qui noſtrae celſitudini deuote parere deſiderans, tractatus atque ſermones diuerſorum catholicorum patrum perlegens, & optima quaeque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum, congruentes cuique feſtiuitati, diſtincte & abs vitiis nobis obtulit, lectiones.* Quantum pericoparum iſtarum, de quibus hucusque loquuti ſumus, poſtillarumque introductio & vſus, commodi aut incommodi, theologiae exegeticae, aut ipſi eccleſiae attulerit, vt copioſe ediſſeramus, neceſſe non eſt; cum nemini hoc obſcurum eſſe poſſit. Plurimum certe contuliſſe videntur, vt ſcripturae ſacrae & lectio & tractatio negligeretur; cum ſucceſſu temporis res eo deuenerit, vt multi exiſtimarent, pericopis iſtis totam abſolui ſcripturam ſacram. Et quid ab iis, certe pleriſque exſpectandum fuerit, qui in illo temporis interuallo pericopas iſtas expoſuerunt, ignorantia ac foeda iſtorum ſaeculorum facies nos ignorare non ſinit. Poſt eccleſiae emendationem malis hiſce atque incommodis equidem obuiam itum, vt tamen & pericopae iſtae, pariter ac poſtillae non ſolum retinerentur, ſed harum ſimul mirum in modum augeretur numerus; hinc & noua viris doctis & cordatis de harum abuſu, immo & pericoparum iſtarum incommodis conquerendi daretur occaſio. Sed hac de re dicendi, aut ipſas *poſtillas* enarrandi, hic locus non eſt. Praecipuos quosdam, qui ex noſtratibus eiusmodi pericoparum iſtarum explicationes dederunt, recenſent IO. FRID. MAYERVS, in *muſeo miniſtri eccleſiae part. II. c. I. p. 186.* & IO. ERN. HAVSMANNVS, in *introduct. ad notitiam ſcriptor. homilet. c. V. §. II. p. 86. ſeqq.* Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ!

* Ad ea nunc paullo propius accedimus tempora, quibus melior theologiae exegeticae facies adparere coepit. Licet vero poſt bonarum litterarum reſtitutionem & eccleſiae emendationem haec felicitas orbi chriſtiano obtigerit; ſaeculo tamen decimo quarto velut ſignum aliquod ad bene ſperandum ſublatum eſt. Eo namque NICOLAVS DE LYRA, ſeu LYRANVS vixit, non Anglus, vt TRITHEMIO & IO. BALAEO viſum, neque Batauus, aut Flander, vel Brabantinus, vt alii exiſtimarunt apud VALERIVM ANDREAE, *biblioth. belg. pag. 690.* ſed Normannus, Lyrae in dioeceſi Ebroicenſi natus. Hoc enim ex genuino eius epitaphio patet, quod praeter alios IO. MABILLONIVS exhibet, in *traité des etudes monaſtiques, p. 673.* editionis, quae Bruxellis an. 1692, 8. prodiit. LYRANVM gente fuiſſe Iudaeum, qui chriſtianorum ſacra amplexus ſit, communis fere atque recepta fuit ſententia, cui poſt ROB. BELLARMINVM, FRANC. SIXTVM Senenſem, HENR. WHARTONVM, aliosque IAC. BASNAGIVS ſubſcripſit, *hiſt. des Iuifs lib. VII. c. XVIII. §. XV. tom. V. p. 189. ſeqq.* IO. HENR. HOTTINGERVS, licet & ipſe eidem ſuffragetur ſententiae, fuiſſe tamen, qui de ea dubitarent, innuit; *hiſt. eccleſ. ſaec. XIII. p. 539.*

539. Immo ſine vllo fundamento hoc dici, quod LYRANVS Iudaeus fuerit, & ad chriſtianorum ſacra acceſſerit, perſpexit CAR. IOS. IMBONATVS, etſi, ex ſtirpe iudaica illum deſcendiſſe, arbitretur. *Iudaeum genere fuiſſe*, inquit, *conſtans fama eſt; volunt alii, iudaicam fidem ſequutum fuiſſe, deinde baptizatum, ſed nulla auctoritate nixi; vnde potius eſt dicendum, ipſum ſtatim baptizatum, ac natum, licet eius ſtirps a iudaica deſcendat*; in *bibliotheca latinaebraica p. 167.* Verum & illud, quod ſtirps eius a iudaica deſcendat, fruſtra adiicitur. Quidquid namque de origine iudaica LYRANI dicitur, inter fabulas atque commenta referendum eſſe, idque ex *epitaphio* eius, cuius antea mentionem fecimus, probari poſſe, obſeruauit MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROZE *dans ſes entretiens ſur divers ſuiets d' hiſtoire de litterature, de religion & de critique p. 222.* idque ex inſtituto etiam euicit MICH. HEINR. REINHARDVS in *pentade conatuum ſacrorum p. 147. ſeqq.* cuius obſeruationes huc ſpectantes exhibet GEO. SERPILIVS, in *perſonalibus*, quae vocat, *Iobi*, *part. 2. p. 292. ſeqq.* Calculum ſuum porro his adiecit vir doctiſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 912. ſeqq.* vbi inter alia oſtendit, ex R. IS. ABARBANELIS teſtimonio, ad quod nonnulli prouocant, LYRANVM Iudaeum fuiſſe, probari non poſſe. Conferendus & HENR. SCHARBAV, in *iudaiſmo detecto; in quo vindicantur & reſtituuntur, qui vel iniuſte inter Iudaeos relati, vel ex Iudaeorum numero immerito excluſi ſunt, p. 80. ſeqq.* Ordini minorum adſcriptum fuiſſe LYRANVM, & theologiae magiſtrum in academia Pariſienſi creatum, conſtat. Inter alia autem *poſtillas perpetuas* ſeu *breuia commentaria in vniuerſa biblia* ſcripſit, & *libris LXXXV* complexus eſt. Quod opus multiplici eruditione refertum, inter reliquos eius temporis commentarios, aut ſcripturae explicationes, principem tenere locum, omnes agnoſcunt. Poſt varias editiones minus adcuratas emendatiorem dederunt FRANC. FEVARDENTIVS, IO. DADREVS, & IACOBVS DE CVILLY, Lugduni 1590 quatuor voluminibus in fol. recuſumque deinceps eſt in bibliis gloſſatis Duacenſibus, aliisque eiusdem generis collectionibus. Rectiſſime autem de LYRANO iam pridem pronuntiauit B. MART. LVTHERVS noſter: *Ego Lyranum ideo amo, & inter optimos pono, quod vbique diligenter retinet & perſequitur hiſtoriam, quamquam auctoritate patrum ſe vinci patitur, & nonnumquam eorum exemplo deflectit a proprietate ſententiae ad ineptas allegorias*; in *comment.* ad *gen. II. v. 9. p. m. 44.* Alibi autem eum *bonum ebraiſtam* & *fidelem chriſtianum* vocat, eiusque explicationes laudat, hoc ſolum deſiderans, quod interdum Iudaeorum, praeſertim R. SALOMONIS IARCHI, auctoritate ſe abripi patiatur, quamquam nihiloſecius veteribus pariter ac recentioribus ebraiſtis multum ſit praeferendus; in *commentat. de vltimis verbis Dauidis tom. VIII. Altenburg. p. 305.* MATTHIAS FLACIVS illyricus de LYRANO ita loquitur: *Nicolaus Lyranus, natus Iudaeus, poſtea chriſtianus, vt commodius ſacrarum ſcripturarum, quas adnotationibus explicare conatus eſt, lectioni vacare poſſet, vt eorum temporum opinio ferebat, Franciſcanus monachus factus eſt. Circa annum 1322 biblia ſcholiis illuſtrare coepit, quod opus poſtea excuſum abſoluit intra ſeptennium. In eo opere multa occurrunt, quae cum ſuperſtitionibus pontificiis non conſentiunt, atque demonſtrant, Lyranum multa commodius exprimere potuiſſe, ſi feliciori ſaeculo natus fuiſſet. Symbolicam & allegoricam illam interpretandi rationem, a ſcholaſticis & monachis inuectam minime probauit; quam etiam gloſſario illo labore refutaſſe videtur*; in *catalogo teſtium verit. lib. XVIII. p. 809.* edit. SIM. GOVLARTII. In eo omnes conſen-

Digitized by Google

ſentiunt, LYRANVM non tantum ebraei ſermonis peritum, ſed & in ſcriptis rabbinorum probe verſatum fuiſſe; vnde haud dubie perſuaſio de eius iudaiſmo, quae multorum animos inuaſit, orta eſt. Cumprimis ex Iudaeorum doctoribus R. SAL. IARCHI, aut vt alii adpellare malunt, ISAAC ſequitur, quem & ſubinde in ſuis *adnotationibus* laudat. Idem cum & RICH. SIMON obſeruaſſet; addit, meliora adhuc a LYRANO profectura fuiſſe, niſi methodum philoſophandi, eo tempore vſitatam, ſecundum principia Ariſtotelis ſequutus fuiſſet; quamquam magis ſobrius ea in re fuerit, quam plerique iſtius aetatis ſcriptores. Hanc interim laudem illi denegari non poſſe, quod nemo ante eum tam feliciter in ſenſum litteralem penetrauerit: quamquam & plurima ex rabbinorum ſcriptis admiſcuerit, quae nullius plane vſus ſint; *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XI. p. 414.* Idem alibi obſeruat, LYRANVM maiorem ebraeae, quam graecae linguae habuiſſe notitiam; vnde *commentarii* eius ſeu *poſtillae* in nouum teſtamentum non adeo exactae ſint; in quaeſtionibus, quas paſſim admiſceat, theologicis, eum veſtigia premere AVGVSTINI & THOMAE DE AQVINO; loca illa noui teſtamenti, quae ex antiquitate ebraica illuſtrari queant, ſpecialiori quadam cura eum examinare, eaque in re, ob linguae ebraeae peritiam, reliquos ſuperare; libere tamen ſubinde eum mentem ſuam, ſepoſita patrum auctoritate, explicare; *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XXXIII. p. 477.* Interdum vero LYRANVM in quaeſtionibus theologicis a THOMA receſſiſſe, notatumque propterea, a DIEGO DEZA, qui defenſiones aduerſus locos aliquot, in quibus LYRANVS THOMAE aduerſetur, ediderit, ex FRANC. SIXTO Senenſi *lib. IV. biblioth. ſanct. p. 348.* docet IO. FRID. MAYERVS, *biblioth. bibl. diſſ. IV. §. V. p. 55.* vbi & idem vir doctiſſimus, pontificios, LVTHERO, ac ſi ex LYRANO ſolum ſapuiſſet, exprobrantes, refellit, & hoc longe rectius in illos retorqueri poſſe, docet.

Dum autem de LYRANO loquimur, PAVLVS quoque Burgenſis, qui circa initium ſaeculi decimi quinti floruit, nobis commemorandus eſt, vtpote qui *additiones notabiles ad poſtillas Nicolai de Lyra in totam ſcripturam* ſcripſit, cum iisdem *poſtillis*, Lugduni anno 1690 & alias quoque editas. PAVLVS hicce gente Iudaeus fuit, priusquam chriſtianorum ſacra amplecteretur, SAL. LEVITA dictus, deinde vero PAVLVS DE SANCTA MARIA vocari voluit; a patria autem vrbe *Burgenſis* adpellitatur. Cum generis nobilitate, doctrina, & opibus inter ſuos floreret, lectione operum THOMAE DE AQVINO ad fidem chriſtianam amplectendam, inductum perhibent. NIC. ANTONIVS ita hac de re loquitur: *Filiorum iam aliquot parens* (PAVLVS) *egregieque in litteris philoſophorum ac theologorum inſtructus, eminentiſſimusque inter legis Moſaicae magiſtros habitus, lecto, vt fama eſt, ſancti Thomae doctoris angelici de legibus tractatu, quae ſummae pars eſt theologicae, diuinoque illuminatus verae lucis radio, collegit prudens in tenebris ſeſe, ad illum vsque diem ambulaſſe &c. biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. X. c. V. pag. 157.* De dignitatibus, quas deinceps, cum fidem chriſtianam profeſſus eſſet, conſequutus eſt, idem NIC. ANTONIVS ita loquitur: *Nactus interim in eadem Burgenſi eccleſia* (in qua per baptismum in numerum chriſtianorum receptus erat) *eum quem de Treuinno vocant, archidiaconatum, Carthaginenſi paullo poſt eccleſiae praeficitur,* (vnde a quibusdam PAVL. CARTHAGENA dicitur) *indeque ad Burgenſem translatus, in celſiſſimo dignitatis, & apud Henricum III & Ioannem II eius filium Caſtellae ac Legionis reges exiſtimationis & gratiae faſtigio vsque ad mortem poſitus, vixit; l. c.* Addunt nonnulli, eum tandem Aquileiae patri-

patriarcham conſtitutum eſſe; quod tamen de titulo ſolum intelligendum eſſe, cum in gratiam filii Alphonſi, qui illi ſucceſſor datus eſt, Burgenſi epiſcopatu ſe abdicaſſet, idem NIC. ANTONIVS *l. c.* docet. Ceterum cum gente Iudaeus, linguaeque adeo ebraeae peritus eſſet; haud ſine ratione ad ſcripturae ſacrae ſtudium animum adpulit, idque non ſine omni ſucceſſu. Hinc & varios in opere antea laudato NIC. LYRANI errores detexit & refutauit; nimio tamen contradicendi ſtudio in deuia & erronea ipſe abreptus. Immo nec in iis errorum illum immunem eſſe, quidam obſeruarunt, in quibus ab eo, ceu Iudaeo, rerumque ebraearum gnaro, maior ἀκρίβεια iure exſpectari poterat. Defenſionem LYRANI contra PAVLVM Burgenſem in ſe ſuſcepit MATTHIAS DORINGVS (RICH. SIMON eum DORNIC vocat) natione Saxo, ſeu ex Prignitia Marchiae Brandenburgicae territorio, & quidem oppido Kyriz, vt nonnulli tradunt, oriundus, ordini minorum aeque ac LYRANVS adſcriptus, vtpote qui *replicas aduerſus Paulum Burgenſem* edidit, quae cum LYRANI *poſtillis*, & PAVLI BVRGENSIS *additionibus* edi ſolent. De MATTHIA hocce (quem nonnulli MATTHAEVM vocant) DORINGO, ſiue DORINGKO, omnino legendus CASIMIRVS OVDINVS, in *comment. de ſcriptor. eccleſ. tom. III. ſaec. XV. p. 2451. ſeqq.* Eum litibus iſtis componendis imparem fuiſſe, RICH. SIMON pronuntiat, qui & recte addit, ex eiusmodi contentionibus parum lucis ſcripturae ſacrae adfundi, in *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XI. p. 415.* Mentionem quoque DORINGI huius facit NIC. ANTONIVS. *Attamen*, inquit, *& ſimul proſtant ſubiectae Paullinis additionibus portiones, ex defenſorio Lyrani, quod Matthaeus, alias Matthias Doringus, ſeu Toringus, eiusdem ſaeculi Franciſcanus ſodalis, prouinciaeque Saxoniae miniſter, pro Lyrano decertans contra Paulli Burgenſis additiones, compoſuit, parum modeſto vſus titulo, & vt Auerrois contra Argazelum ſtylum imitaretur, correctorii corruptoris Burgenſis*; *l. c. p. 157.* De *ſcrutinio ſcripturarum*, quod idem hicce PAVLVS Burgenſis edidit, iam ſupra dictum ad *§. VII.* huius *capitis*.

§. XI. Apud Iudaeos iam ab antiquiſſimis temporibus allegorica ſeu myſtica ſcripturam interpretandi ratio in vſu fuit: quam cum & rabbanitae ſequerentur, reiecta fuit & improbata a karaitis, ſenſum litteralem conſectantibus. Cum vero etiam ſaeculo decimo & vndecimo apud rabbanitas grammatices excitaretur ſtudium, alia inde apud eos exſtitit theologiae exegeticae facies; fueruntque ab eo tempore inter illos nonnulli, qui commentariis minime contemnendis ſcripturam ſacram illuſtrarent. *

* Cum ſaeculo decimo & ſequentibus theologia exegetica aliam apud Iudaeos acceperit faciem, virique ex eo tempore inter illos exſtiterint praeſtantiſſimi, qui in libris ſacris veteris teſtamenti illuſtrandis ſtudium operamque ſuam collocarunt: occaſio hinc nobis enaſcitur, ſummatim de ratione interpretandi ſcripturam ſacram, quae apud Iudaeos obtinuit, aliquid dicendi; adeoque theologiae exegeticae iudaicae hiſtoriam & fata paucis delineandi. A prima itaque vt rem iſtam repetamus origine; Iudaeos, poſtquam canon veteris teſtamenti clauſus erat, de codicis ſacri explicatione ſollicitos fuiſſe, neminem fugit, diſputationesque magiſtrorum, quae ſuper variis legis Moſaicae capitibus, in eorum ſcholis inſtituebantur, nos dubitare non ſinunt.

ſinunt. Sed id quoque manifeſtum, poſtquam traditiones maiorum magnam apud eos obtinuerant auctoritatem, eos, certe Phariſaeos & rabbanitas, haſce, ceu regulam ac normam interpretandi, ſequutos, allegoricasque cumprimis & myſticas amplexos explicationes, ſenſum litteralem non curaſſe. Atque eius rei vt in ipſo talmude luculenta exſtant documenta: ita vel PHILONIS Iudaei comprobari exemplo poteſt, qui totam fere ſcripturam ſacram allegorice interpretatus eſt; qui tamen etiam Platonicae philoſophiae, quo tenebatur, ſtudio, vt hoc faceret, induci potuit. Eiusdem vero commatis quoque eſt kabbaliſtica ſcripturam interpretandi methodus, cuius ſpecimen videre licet in libro *ſohar*, qui eſt commentarius kabbaliſticus in quinque libros Moſis, cuius auctorem R. SCHIMEONEM filium IOCHAI eſſe, ferunt, diſcipulum AKIBHAE, qui circa annum Chriſti CXX in bello Adriani imperatoris contra Iudaeos periiſſe dicitur. Vnde antiquitas huius libri intelligi poteſt, quam tamen alii in dubium vocant. Sed ex inſtituto iam de hocce libro dictum in *introduct. ad hiſt. philoſ. Ebr.* ad §. *XXIX. p. 135.* item ad §. *XXXII. p. 185.* Allegoricam quoque maxime interpretandi ſcripturam rationem conſpicere licet in libro qui inſcribitur רבות, id eſt, *magnae*, ſcilicet expoſitiones. Continet enim eiusmodi commentarium allegoricum, ſimul vero & hiſtoricum, atque varium, dialecto Hieroſolymitana ſcriptum, in *quinque libros Moſis*, itemque מגלות ſiue *libros feſtiuitatum*. Vnde commentarius in *geneſin* a prima libri voce adpellatur בראשית רבא, in *exodum* שמות רבא &c. in *canticum canticorum* שיר השירים רבתי in *threnos* איכה רבתי & ſic porro. Auctor iſtorum commentariorum eſt RABBA BAR NACHMANI, qui circa annum Chriſti 300 floruit, mortuusque dicitur an. 322. Id ſane Ebraeorum hiſtorici aut chronographi magno conſenſu tradunt. Conferendus de co IVL. BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabb. magna tom. IV. p. 362.* At fuerunt ex chriſtianis, qui librum huncce tantae eſſe antiquitatis ſibi perſuadere non potuerunt. Cumprimis id egit IO. MORINVS, vt probaret, eum poſt integrum talmud confectum, hoc eſt, ex ipſius quidem ſententia, poſt ſaeculum demum ſeptimum, concinnatum fuiſſe, eo, quod & *miſchnae* & *gemarae* in illo iniiciatur mentio. Idem etiam non admodum praeclare de hocce opere ſentit, dum de illo ita pronuntiat: *Modus interpretandi quem affectant* (rabboth) *eſt allegoricus & anagogicus, aliquando moralis, vix vmquam litteralis. Si quando litteralis, tum ſaepe fabellarum monſtra & portenta enarrat, ad quae ſcripturae ſacrae verba vult referri. Vniuerſim vero tota narratio & ſermocinatio fabellis & dictis de rabbinis ſuis & eorum geſtis, velut luminibus & margaritis amplificatur & ornatur. Omnesque iſti vix vmquam de ſe & nomine ſuo aliquid proferunt, ſemper aliquem rabbinum antiquiorem inducunt, aut fingunt interpretationis monſtrificae & fabellulae auctorem*, in *exercitationibus biblic. exercit. IX. cap. IX. p. 350.* Cum autem alii nihiloſecius contendant, librum *rabboth* antiquiorem eſſe; vir clariſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS haſce ita inter ſe conciliat ſententias, vt dicat, collectionis huius, quae *rabboth* vocatur, diuerſos fuiſſe auctores, qui diuerſis vixerint temporibus, quorum alii miſchnicis, alii gemaricis ſcriptoribus propiores, aut ab iis remotiores fuerint; quorumue obſeruata in vnam farraginem congeſta ſint, vel ſaltem ſenſim magis magisque amplificata; *biblioth. ebr. part. II. libro VIII.* qui *de ſcriptis Ebraeorum anonymis* agit, *pag. 1425.* Editiones τῶν *rabboth* idem vir doctiſſimus *p. 1426.* indicat, vt & commentatores, quos inter eminet R. ISSASCHAR BEHR filius NAPHTHALI in מתנות כהונה *donis ſacerdotalibus*; de quo

etiam

etiam conferendus IO. BVXTORFIVS, in *bibliotheca rabbinica p. 327.* Cumprimis vero & huius loci adhuc ſunt מדרשים ſeu *allegoricae expoſitiones*, cuiusmodi in varios libros biblicos exſtant, vt מדרש התורה *commentarius allegoricus in legem*; מדרש חמש מגלות *commentarius allegoricus in quinque libellos feſtiuitatum*; מדרש תהלים *commentarius allegoricus in pſalmos*, & alii eiusdem generis, quos IO. BVXTORFIVS recenſet, in *bibliotheca rabbinica p. 364.* plenius autem & copioſius IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. II. lib. VIII. p. 1328. ſeqq.* Allegoricam vero iſtam interpretandi ſcripturam rationem, quae in מדרשים iſtis conſpicitur, non omnibus Iudaeis placere, vel R. ABEN-ESRAE exemplo comprobari poteſt. In *praefatione* namque *in vniuerſam ſcripturam ſacram* quinque is conſtituit modos, interpretandi ſcripturam ſacram; primum illorum, qui omnia inter ſe miſcent, atque confundunt, & reuera nullum certum modum obſeruant; ſecundum eorum, qui litterae tantum inſiſtunt, quam Sadducaeorum eſſe conſuetudinem, dicit; tertium illorum, qui omnia in allegorias transformant, poſthabito ſenſu litterali, quorum commentandi rationem itidem auerſatur; quartum eorum, qui ex apicibus & litteris in numeros reſolutis aut transpoſitis arcanos ſenſus eliciunt, qui modus דרך הקבלה ſeu *kabbaliſticus* vocari ſolat; & denique quintum eorum, qui ſenſum litteralem genuinum & grammaticum ſequuntur; quod quidem interpretandi genus, ceu optimum, reliquis omnibus praefert. Conferendus WILH. SCHICKARDVS in *bechinath happeruſchim, p. 143.* &, qui ad hunc quoque prouocat, IOAN. HENR. HOTTINGERVS, in *theſauro philolog. lib. I. cap. II. ſect. I. p. 74.* vbi & ex CAMERONE docet, quo pacto paullo adcuratius diuerſi modi ſcripturam interpretandi, apud Iudaeos vſitati, ad quatuor claſſes reuocari queant, quarum primam conſtituat דרך הפשט *ſenſus litteralis*, ſecundam דרך מדרש *ſenſus allegoricus*, tertiam דרך השכל *ſenſus ſpiritualis*, ſeu allegoricus quidem, at latens, & abſconditus, & quartam denique דרך הקבלה *ſenſus kabbaliſticus*, quem ex litteris dictionum colligunt. Licet autem מדרשים ſeu *commentarii* iſti *allegorici*, ad ſcripturae ſacrae illuſtrationem parum aut nihil conferant; nonnullis tamen ideo in pretio ſunt, quod quaedam in iis occurrant veritatis veſtigia, quibus ad chriſtianae religionis confirmationem contra Iudaeos vti queamus. Ad antiquiſſimos porro Iudaeorum commentarios referri poſſunt libri, qui inſcribuntur, ספרא item ספרי & מכילתא quorum primus velut commentarium quemdam ad *Leuiticum*, alter ad libros *numerorum* & *deuteronomii*, tertius ad capita quaedam *exodi*, continet. De auctoribus iſtorum librorum, praeſertim vltimi, ſeu מכילתא diſſentiunt inter ſe viri eruditi. Non eſt, quod his immoremur; id ſolum obſeruantes, vltimi, ſeu מכילתא auctorem a quibusdam ſtatui R. ISMAELEM, qui inter doctores miſchnicos refertur, & circa annum Chriſti 200 vixiſſe dicitur. Quorum licet magnis prematur ſententia difficultatibus, memorabilis tamen eſt hicce R. ISMAEL, ob *tredecim modos interpretandi legem*, qui illi tribuuntur, & ex quibus rationem, interpretandi ſcripturam, talmudicis doctoribus vſitatam, condiſcere licet. Exſtant autem *tredecim* iſti *modi interpretandi legem*, in *halichoth olam p. 117. ſeqq.* indeque repetuntur tum ab aliis, tum & cum adnotationibus quibusdam a IO. HENR. HOTTINGERO, in *theſauro philolog. lib. II. cap. III. ſect. III. p. 560.* Explicarunt eos WILHELM. SCHICKARDVS, in *bechinath happeruſchim p. 159. ſeqq.* PHIL. AQVINAS, cuius commentatio, *veterum rabbinorum in exponendo pentateucho modi tredecim* inſcripta, in *faſciculo quarto opuſculorum ad hiſtoriam & philologiam ſacram* ſpe-

ſpectantium, p. 419. ſeqq. recuſa, proſtat; IO. IVLIVS STRVVIVS in *rudimentis logicae Ebraeorum*, qui *cap. I. p. 15. ſeqq.* eos pariter, ac R. ELIESERIS *regulas XXXII* recenſet, *c. II.* autem *p. 48. ſeqq.* cum quibusdam ex regulis ELIESERIS eos comparat, atque illuſtrat. Sunt autem tredecim iſti modi ſequentes: *I) leue & graue; II) comma aequale; III) conſtitutio principii ex vno ſcripturae loco, & conſtitutio principii e duobus locis; IV) generale & ſpeciale; V) ſpeciale & generale; VI) generale & ſpeciale, iterumque generale; VII) generale egens ſpeciali, & ſpeciale quod eget generali; VIII) cum aliquid ſub generali contentum excipitur a generali ad docendum aliquid (ſingulare) de iſto generali; IX) cum aliquid ſub generali contentum excipitur, ad imponendum aliud onus, quod conuenit cum ipſius ratione; X) quando (aliquid ſub generali contentum) excipitur ad imponendum aliud onus, quod cum ipſius ratione non conuenit; XI) (quando aliquid ſub generali contentum) excipitur ad arguendum de re plane noua; XII) res quae diſcitur ex ſua ipſius ſignificatione, & res quae diſcitur e fine ſuo; XIII) duo loca ſcripturae ſibi inuicem repugnantia.* Cuncta nimirum eo ſpectant, vt oſtendatur, quo pacto concluſiones quaedam ex ſcriptura ſacra deriuari, & quae pugnare ſecum videntur, inter ſe conciliari queant. Tanta autem cum regulae iſtae laborent obſcuritate, vt ipſae luce indigeant; qualem ſcripturae ſacrae lucem adfundere queant, intelligitur. Praeterea non ad dogmata quae momentum trahunt, ſed res friuolas, immo ſaepe nugas & ineptias ex ſacra ſcriptura probandas, iisdem vſi ſunt. Interim, qualis eo tempore apud Iudaeos obtinuerit ſcripturam explicandi ratio, vtcumque inde cognoſcere licet.

Allegoricam iſtam myſticamque ſcripturam interpretandi rationem, de qua hucusque verba fecimus, vna cum traditionibus reiecerunt, acriterque impugnarunt *karei*, inde nomen adepti, quod ſoli textui ac litterae inhaererent. Idcirco namque *litterales, ſcripturales* ſeu *textuales* adpellati ſunt. Quod cum origine honorificum nomen ſit; a reliquis tamen Iudaeis, qui *rabbanitae* audiunt, ad ignominiam illis inurendam iis eſt impoſitum; a quibus etiam *Hieroſolymitanorum*, *excommunicatorum*, *Sadducaeorum*, *Baithoſaeorum*, *haereticorum*, *Epicureorum*, ſimilibusque ad infamiam illis conflandam comparatis nominibus, inſigniuntur, vt ex libro karaitico חלוק הקראים עם הרבנים *diſſenſio karaeorum cum rabbanitis* inſcripto, aliisque monumentis, docet IAC. TRIGLANDIVS, in *diatribe de ſecta karaeorum cap. II. pag. 5.* Ad originem karaeorum quod attinet, non vna omnium de ea eſt ſententia. IOSEPH. IVST. SCALIGER duplex apud Iudaeos poſt captiuitatem babylonicam fuiſſe hominum genus, contendit; vnum, quod ſacri codices praecepta ſimpliciter obſeruaret; alterum eorum, qui praeter praecepta legis, amplius quid ſibi praeſtandum, & voluntarias quasdam functiones, nullo rogante, ſubeundas, exiſtimabant. Illos קראים *karaeos* nuncupat; hos autem חסידים *chaſidaeos* vocatos, cenſet: ex illis per optimae hypotheſeos abuſum *Sadducaeos* ortos eſſe; ex his impoſita traditiones obſeruandi neceſſitate, *Phariſaeos*. Atque hinc porro concludit *karaeos* tempore priores fuiſſe, quam *Sadducaeos*; in *elencho trihaereſ. c. XXII.* Hanc SCALIGERI ſententiam acriter ſibi exagitandam ſumſit IO. MORINVS, *lib. II. exercitat. VII. §. VII.* & *VIII.* qui ſimul ſibi perſuadet, ſaeculo demum poſt Chriſtum natum octauo ortam eſſe karaeorum ſectam, auctore quodam R. ANANE, ex familia Dauidis, nouae ſectae conditore. MORINVM, vt alias, ita hac quoque in re ſequitur RICH. SIMON, audacter pronuntians, rabbanitas, qui exactiſſime ſcripſerunt, ad ſaeculum octauum karaeorum retuliſſe originem; *hiſtor. crit.*

vet. teſtam. lib. I. cap. XXIX. p. 161. Sed SCALIGERI rurſus ſententiam defendendam in ſe ſuſcepit IAC. TRIGLANDIVS, in *diatribe de ſecta karaeorum*, *ſyntagmati trium ſcriptorum illuſtrium de tribus Iudaeorum ſectis*, Delphis an. 1703. 4. edito, adiecta, *c. III.* & *IV. p. 8. ſeqq.* Nimirum, diſtincte hac in re, antiquitatem *doctrinae*, *ſchismatis*, & *adpellationis*, ſpectandam, docet. Doctrinam ipſam antiquiſſimam eſſe, non aliam quippe, quam ſcriptorum ſacrorum atque prophetarum. Huic ſenſim oppoſita fuiſſe inuenta hominum, & varia ſuperſtitionis commenta; donec tandem, qui vnice ſcripturae ſacrae adhaerebant, & qui traditiones amplectebantur, in partes ſcinderentur, & ita res illa in apertum ſchiſma erumperet; quod circa Ioannis Hyrcani, eiusque filii Alexandri Iannaei tempora factum, ipſimet karaeorum ſcriptores tradant. Praecipuos tum doctores, qui ſignum velut extulerint, fuiſſe R. SIMEONEM ben SCHETACH & R. IEHVDAM ben TABBAI, quorum ille noua inſtituta ſuae aetatis hominibus, tamquam a Moſe per traditionem ad ſe delata, venditauerit, cui hic, ſeu IEHVDA ben TABBAI, ſuſcepta legis ſcriptae cauſſa, reſtiterit. Nomen vero *karaim* quando ortum ſit, certo definiri non poſſe, TRIGLANDIVS exiſtimat. Ad antiquitatem karaeorum comprobandam nonnulli hoc quoque vrgent, quod ex multorum tum Iudaeorum rabbanitarum ſcilicet, tum chriſtianorum ſententia iidem fuerint ac Sadducaei. & Iudaeorum quidem hac de re teſtimonia adfert IOAN. GOTTFR. SCHVPARTVS, in *diſſertationib. hiſt. philolog. de ſecta karaeorum*, *c. II. §. VI.* in *notis p. 32.* quorum tamen quaedam id ſolum euincunt, karaeos a rabbanitis *Sadducaeos* vocatos; quod cum ex odio, vel ad ignominiam iis inurendam fieri potuerit; nondum inde colligere licet, Sadducaeos ex illorum mente non fuiſſe a karaeis diſtinctos. Diſtinctos certe fuiſſe, dubitari nequit. Neque enim vmquam karaei leguntur vel negaſſe, vel in dubium vocaſſe, aut reſurrectionem mortuorum, aut praemia poenasque poſt hanc vitam, aut ſpirituum denique exiſtentiam. Immo quae his contraria ſunt, aperte & conſtanter docuerunt. Excipiunt equidem nonnulli, Sadducaeos, cum animaduerterent, ſe non ſine periculo omnes maiorum hypotheſes retinere poſſe, vel etiam de earum falſitate plane conuictos, quibusdam earum nuntium miſiſſe, & in eo ſubſtitiſſe, vt traditiones reiicerent; qua quidem ratione ex *Sadducaeis* facti ſint karaei. Ita ex Iudaeis R. LEO DE MODENA, *de ritibus & caerim. Iudaeor. part. V. cap. I.* ex chriſtianis IO. BVXTORFIVS, *lexico talm. fol. 2115.* IOAN. HENR. HOTTINGERVS, *theſ. philolog. lib. I. c. I. ſect. V. p. 41.* IO. BENED. CARPZOVIVS, *introd. in theolog. iud. c. III. §. VIII.* IVLIVS BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabb. magna tom. I. p. 38.* quos iam laudaui in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. VII.* ad *§. XVIII. pag. 1210.* At haec omnia vt ſine vllo fundamento, ſineque teſte idoneo dicuntur; ita ipſi karaei iſta inter rabbanitarum calumnias & figmenta, ad inuidiam ſibi faciendam excogitata, referre, nulli dubitant, quod pluribus IAC. TRIGLANDIVS comprobat *l. c. cap. V. p. 41. ſeqq.* Ex inſtituto quoque hoc refellit MARDOCHAEVS, karaeus recentior, cuius *tractatum* ad res karaeorum ſpectantem, cum verſione latina & notis edidit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *c. II. p. 11. ſeqq.* Praeferenda itaque illorum ſententia, qui primam karaeorum originem ad ea ante Chriſtum natum tempora referunt, quibus traditionum inualeſcere coepit auctoritas, iisque alii ſe opponebant, quod R. IEHVDAM ben TABBAI primum omnium feciſſe conſtat; vnde & karaeos initio *coetum Iehudae ben Tabbai* dictos ex MARDOCHAEO *l. c. p. 14* colligere licet. Quemadmodum autem Pha-

Yvvvvvvv 2 riſaei,

riſaei, praecipui traditionum patroni erant; ita non tantum Sadducaei, grauiſſimis inſuper erroribus imbuti, ſed alii quoque illis ſe opponebant, aliamque in ſcriptura interpretanda methodum, reiectis traditionibus, ſequebantur; qui non alii, quam karaei erant, quos in nouo teſtamento *γραμματεῖς*, ebraice ספרים vocari, virorum doctorum minime contemnenda eſt ſententia. Ita praeter IAC. TRIGLANDIVM *l. c. cap. VI. p. 58. ſeqq.* aliosque IAC. BASNAGIVS *dans l' hiſtoire de la religion des Iuifs tom. I. lib. II. cap. IX. §. IV. ſeqq. p. 461. ſeqq.* & *tomo VI.* ſiue *l' hiſtoire des Iuifs reclamée & retablie* &c. *pag. 83. ſeqq.* Conferendus & GOTTFR. OLEARIVS in *obſeruationibus ſacris* ad *Matth. XIII. 52. p. 417.* vbi memorabilem ex *talmude Hieroſolymitano* adfert locum, ex quo colligi poteſt, iam tum diſtinctas inter Iudaeos fuiſſe doctorum claſſes, qui legem ſcriptam, & qui legem oralem ſeu traditiones explicarent. Cum ergo, quae *ſcribae* ſeu *karaei* tradebant, propius ad ſanctiſſima ſeruatoris noſtri dogmata accederent, quam quae Phariſaei proferebant; ISAAC. OROBIO, Iudaeus ſatis notus, in eam ingreſſus eſt ſententiam, ſeruatorem noſtrum karaeorum ſectae addictum fuiſſe; vti IACOBVS TRIGLANDIVS refert, *l. c. cap. VI. pag. 66.* Immo alium Iudaeum rabbanitam litteras, tamquam a karaeo ſcriptas, venditaſſe, quibus ſeruatoris ſibi *ὁμοψήφῳ* caedes rabbanitis imputatur, & a karaeis ſollicite remouetur, obſeruat IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *praefatione* ad *tractatum Mardochaei p. 8.* ſimulque monet, haſce litteras legi in IOAN. IACOB. HVLDRICI *notis* ad *toldos Ieſ. hu pag. 82. ſeqq.*

Certum itaque, poſitumque eſt extra controuerſiam, iam tempore Chriſti duas apud Iudaeos exſtitiſſe ſectas, alteram, quae traditionibus nitebatur, earumque tuebatur auctoritatem, alteram eorum, qui ſoli ſcripturae inhaerebant, vt tamen a Sadducaeorum erroribus immunes eſſent, hoc eſt karaeorum. Haec vero tantum abeſt, vt deinceps ceſſauerint certamina, vt potius ſtrenue fuerint continuata, ea tamen ratione, vt eorum, qui pro traditionibus pugnabant, maior ſemper numerus, maiorque apud Iudaeos fuerit auctoritas. Vix itaque rabbanitis ſe opponere audebant karaei, illorumque premebantur iugo, opprimebantur quauis ratione, & contemnebantur, immo & grauiſſimas quandoque experiebantur vexationes, donec tandem saeculo VIII ANAN quidam filius Dauid adflictas attritasque eorum res vtcumque reſtituere adgrederetur. Audire de hocce ANANE iuuat MARDOCHAEVM, iam antea nobis laudatum. *Anan, filius Dauid,* inquit, *qui interpretatus eſt legem, fuit princeps ſtrenuus, ſapiens & magnus, expoſuitque legem publice, & oppoſuit ſe rabbanitis & traditioni eorum, ac opiniones illorum argumentis certis euertit. Propterea odio eum habuerunt rabbanitae, eumque e medio tollere conati ſunt, quod aliis etiam ſapientibus ex coetu noſtro fecerunt. Quia enim multi amplectebantur partes eorum, qui alleuabant praecepta, pauci vero ſequebantur maiores noſtros, quoniam praecepta grauiora reddebant; propterea ſaepius rabbanitae noſtro coetu ſuperiores fuerunt. At noſtrum illum principem tutum ab ipſorum manu praeſtitit Deus, neque illis tradidit. Propterea confirmatus fuit, & adſtruxit interpretationes ſuas, docuitque adſeclas ſuis, & doctrinam karaeorum latius, quam antea factum erat, propagauit. Praecepit etiam coetui ſuo, vt ſepararent ſe & diſtinguerent magis magisque a rabbanitis, donec hi nefas eſſe pronuntiarent, comedere cum iis* (karaeis) *aut coniugium inire. Ea de cauſſa dicunt illi, aetate Ananis, qui poſt obſignatam miſchnam vixit, ortum eſſe ſchisma illud, id quod falſum eſt; c. VI. pag. 51. ſeqq.* Aliter equidem ſeceſſionem iſtam ab ANANE factam, praeſertim ad

cauſam

cauſſam & occaſionem quod attinet, referunt rabbanitae; vt tamen, ſi adcuratius, quae dicunt, conſiderentur, inde probari nequeat, ſectam karaeorum tum demum exortam eſſe. In *zemach Dauid*, cuius auctor eſt R. DAVID GANZ, *p. 50.* res ita narratur, quod ANAN initio fuerit *ſapiens magnus; quia vero*, inquit auctor iſte, *aliquid in eo deſiderabatur, quo minus geonaeus fieri potuerit, ad praeſtitutum domus iudicii factus eſt ſenex rebellis, parteſque Sadducaeorum fulciuit. A tempore enim deuaſtati templi, vſque ad Ananis aduentum, Sadducaei valde erant attriti, hic vero confirmauit eos.* Nimirum Sadducaeorum nomine apud rabbanitas ipſos karaeos venire, conſtat, & ſupra iam obſeruatum eſt. Auctor libri *iuchaſin p. 118.* hoc ſolum dicit: *in diebus illis Anan apoſtata factus eſt.* Quod cum prima fronte fauere illorum ſententiae videatur, qui, eo tempore karaeos demum exortos, exiſtimant; addendum, quo pacto hoc explicetur a R. SAM. SCHVLLAM, cuius opera liber *iuchaſin* primum Conſtantinopoli fuit editus. Hic enim ex *libro kabbalae* obſeruat, *Ananem & Schaulem filium eius principes fuiſſe e ſemine familiae Dauidis, diuinitus autem a χειροθεσία prohibitum, factum eſſe ſenem rebellem, decernente ſic domo iudicii, fidemque karaeorum ſtabiliuiſſe.* Vbi notandum, quod dicit: חזק אמונת הקראים *& confirmauit* ſeu *ſtabiliuit fidem karaeorum.* Si enim ſtabiliuit aut confirmauit fidem karaeorum; dici nequit, quod primus eamdem introduxerit. Idem luculenter etiam intelligitur, ſi ipſe liber *kabbalae*, cuius auctor eſt R. ABR. ben DIOR, ad quem R. SAM. SCHVLLAM prouocat, conſulatur, vtpote in quo *p. 66.* res omnis exponitur, & diſerte dicitur, ANANEM ſectam Sadducaeorum, hoc eſt, karaeorum corroboraſſe. Patet itaque, quo loco habenda ſint, quae IO. MORINVS & RICH. SIMON de origine karaeorum nobis narrant. Conferendi porro IO. HENR. HOTTINGERVS, *hiſt. eccleſ. nou. teſt. ſaeculo* ſeu *cap. VIII. ſect. IV. p. 533.* & IO. GOTTFR. SCHVPARTVS, *de ſecta karaeorum c. III. p. 49. 50.* Quae rabbanitae de occaſione iſtius ſeceſſionis ab ANANE factae referunt, pro mera calumnia habent karaei; quod fuſius ediſſerit IAC. TRIGLANDIVS, *de ſecta karaeorum cap. VIII. pag. 101. ſeqq.* Continuam quoque quamdam doctorum ſucceſſionem karaeos non minus, quam rabbanitas oſtendere poſſe, idem vir doctiſſimus ex R. IAPHET karaeo docet, *p. 108.* Inter ſucceſſores autem ANANIS, & quidem ſextus ab eo fuit R. SCHALMON ben IEROVCHAM, qui ſaeculo nono vixiſſe dicitur, & teſte IAC. TRIGLANDIO libellum doctiſſimum ac venuſtum ſcripſit, ſed carmine, quo talmud, eiuſque doctrinam acri cenſurae ſubiecit, ſimulque R. SAADIAM haggaon, ſuum olim diſcipulum, refutauit; *l. c. p. 110.* Addit idem TRIGLANDIVS, ex quo per ANANEM nouum vigorem & vitam quaſi res & doctrina karaeorum receperit, locum non modo ſuum Hieroſolymis, quorſum voluntario exſilio cum adſeclis ſuis ex Babylonia ſeceſſerat, tueri in hanc vſque diem potuiſſe, ſed etiam quaqua verſum ſeſe diffundere, vt nulla pars ſit mundi veteribus cogniti, quo non haec ſecta, aeque ac Iudaei rabbanitae, penetrauerit; variaſque regiones atque vrbes incolat, etſi non tanto numero, diuitiis, & potentia. In Hiſpania ſaeculo XII hancce ſectam magno conatu inſtaurare adgreſſus eſt quidam אבואלפראג AVBVALPRAGVS, vtpote qui compoſito libro talmudiſtarum nugas, traditioneſque rabbanitarum, ceu vanas inutileſque exploſit; veramque ſynagogam apud karaeos reperiri, variis rationibus probare conatus eſt. Huic tum ſe oppoſuit R. ABRAH. ben DIOR, quem alii ben DAVID vocant, edito *libro kabbalae* ſeu *traditionis* (ספר הקבלה) quo, obſeruante IVLIO BARTOLOCCIO, veritatem ſuae ſynagogae ex duplici probare capite

voluit, ex ſucceſſione ſeu traditione doctrinae maiorum ad poſteros, & ex vniuerſalitate, ſiue, quod omnes Ebraeorum ſynagogae idem ſentiant: quae tamen longe rectius in eccleſiam romanam quadrare exiſtimat; in *bibliotb. rabb. magna tom. I. p. 19.* Nec ſequentibus ſaeculis defuiſſe, qui karaeorum cauſſam egerint, aut eorum doctrinam propagauerint, vel ex MARDOCHAEI *tractatu* non ſemel iam laudato patet, vbi plurimi eorum vsque ad ſaeculum XV commemorantur. Quantumuis autem exinde magis magisque karaei a rabbanitis oppreſſi, eorumque res imminutae ac labefactatae videantur; variis tamen in locis quidam eorum adhuc ſuperſunt, praeſertim in Polonia & Lithuania. Patet hoc ex *epiſtola* G. PERINGERI *ad Iobum Ludolphum*, quam ex WILH. ERN. TENZELII *dialogis menſtruis anni 1691 menſ. Iul. p. 572.* integram exhibet IOAN. GOTTFR. SCHVPARTVS *de ſecta karaeor. c. II. p. 25.* Luculentius autem non tantum recentiorem karaeorum ſtatum, ſed & reliqua, quae ad res eorum adcuratius pernoſcendas ſpectant, intelligere licet, ex MARDOCHAEI karaei commentatione ad IAC. TRIGLANDIVM, an. 1699 ſcripta. In ea enim, communibus ſuorum ſymbolis adiutus, reſpondet ad quaeſtiones de rebus karaeorum, a TRIGLANDIO in epiſtola quadam ad karaeos in Polonia degentes, propoſitas. Quam dum IO. CHRISTOPH. WOLFIVS ebraice cum *verſione latina, notis* & *praefatione*, luci publicae, vt antea diximus, expoſuit, Hamburgi anno 1714. 4. hiſtoriae karaeorum lucem pulcherrimam adfudit.

Ad libros karaeorum quod attinet, de eorum paucitate & raritate paſſim conqueruntur viri eruditi. IO. BVXTORFIVS ſe nullos hactenus karaeorum libros vidiſſe, SELDENVM autem duorum ſolum meminiſſe, quorum illi facta ſit copia, teſtatur, in *notis* ad *librum Coſri part. III. pag. 203.* Idem & IO. HENR. CARPZOVIVS profitetur: *In Germania*, inquit, *Gallia, Italia, Hiſpania, nullibi locorum vlli karaei viuunt, & ne librorum quidem copia nobis ſuppetit ab iis editorum, e quibus illorum placita penitius perſpicere liceret. Duos tantum vidit Io. Seldenus &c. introduct. in theolog. iudaic. c. IV. §. II. p. 13.* Quorumdam vtique IO. SELDENVS meminit *lib. I. de vxore ebraica, cap. III. p. 7.* alibique. Sed hodie non amplius adeo rari ſunt karaeorum libri, ac olim fuere, ſaltem plenior ac adcuratior eorum viris eruditis obtigit notitia. Hanc vero praeter IAC. TRIGLANDIVM in *diatribe de ſecta karaeorum*, in qua ſubinde ex eorum libris quaedam profert, ſuppeditabunt IO. GOTTFR. SCHVPARTVS *de ſecta karaeorum, c. III. p. 59. ſeqq.* MARDOCHAEVS *c. XI. p. 134. ſeqq.* vbi ex inſtituto ſcripta karaeorum recenſet, & IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, tum in *notis ad huncce Mardochaei locum*, tum in *praefatione p. 11. ſeqq.* vbi & typis excuſos, & manuſcriptos, qui hinc inde exſtant, karaeorum libros enarrat. Conferendus & IVL. BARTOLOCCIVS, in *bibliotb. rabb. magna, tom. I. p. 92. num. 156. p. 181. num. 322. p. 677. num. 347. tom. III. p. 32. num. 606. p 70. num. 662. p. 821. num. 797.* & alibi. De quibusdam etiam dixi in *introduct. ad hiſt. philoſ. Ebraeor.* ad *§. XX. p. 93. 94.* De vſu ſi quaeras, quem ex karaeorum libris percipere poſſumus; eum non adeo eximium eſſe, olim viri docti exiſtimarunt. IO. BENED. CARPZOVIVS, cum monuiſſet, librorum a karaeis ſcriptorum vix ſperandam eſſe copiam; addit: *Neque, ſi concederetur, alium inde fructum perciperemus, quam pleniorem doctrinae & rituum karaeorum cognitionem, quae animum quidem ipſa noſſe cupidum reficit, nihil vero vel ad eorum conuerſionem, vel noſtram aedificationem & confirmationem in fide, confert; l. c. c. IV. p. 14.* Sed hodie viri eruditi aliter ſentiunt. Praeterquam enim, quod ad antiquitatum

& lin-

& linguae ebraeae notitiam adcuratiorem non minora, quam ex rabbanitarum ſcriptis, ex iis ad nos redundare queant commoda; in ſcripturae interpretatione karaei hoc praecipui habent, quod in ſenſu litterali inueſtigando, miſſis traditionibus & allegoriis, ſummum ſtudium diligentiamque collocent. Quo nomine eos rabbanitis multum praeferendos RICH. SIMON pronuntiat, *hiſt. crit vet. teſt. lib. III. c. II. p. 360.* alibique, qui & haud inepte proteſtantium interpretes cum karaeis, romanenſium cum rabbanitis comparare ſolet. Immo ex praeſtantiſſimis rabbanitarum interpretibus quosdam ex karaeorum ſcholis prodiiſſe, viris doctis obſeruatum eſt; ſiquidem R. SAADIAS gaon, qui ſaeculo X vixit, praeceptorem habuerit R. SCHALMON ben IEROVCHAM karaeum, & R. ABRAH. aben ESRA diſcipulus fuerit R. IAPHETI Leuitae, itidem karaei. Legenda, quae hanc in rem diſſerit IO. CHRISTOPHOR. WOLFIVS, in *praefat. Mardochaei tractatui* praemiſſa, *p. 5.* qui & *p. 16.* auctores, qui, praeter hactenus laudatos, de karaeis agunt, magno numero indicat.

Cum ſaeculo XI apud rabbanitas ſtudium grammatices ebraeae excitaretur, maiorem quoque nonnulli diligentiam in ſenſu litterali ſcripturae ſacrae inueſtigando adhibuerunt. Saeculo equidem decimo iam floruit R. SAADIAS, cognomento *gaon*, ſeu *excellens*, quem ex R. SCHALMON ben IEROVCHAM diſciplina prodiiſſe, antea diximus. Is, tum ob alia ingenii monumenta, tum maxime ob *commentarium in Danielem prophetam*, qui in bibliis rabbinicis, tum Venetis, tum Baſileenſibus exſtat, hic commemorandus eſt. Scholae Soranae in Babylonia rector fuit, floruitque circa annum Chriſti 1427. Ex ſcriptis eius conſtat, eum artis grammaticae non plane rudem fuiſſe; immo ex inſtituto libros quosdam grammaticos, vt ספר לשון עברי *librum linguae ebraeae*, item ספר צחות *librum elegantiae* compoſuit. Attamen non multum eum in re grammatica profeciſſe, probare adnititur RICH. SIMON *hiſt. crit. vet. teſt. lib. I. c. XXX. p. 169.* Legendi de SAADIA hocce IO. HENR. HOTTINGERVS, in *hiſt. eccleſ. noui teſt. part. I. cap. X. ſect. IV. p. 134. ſeqq.* IVL. BARTOLOCCIVS, in *bibliotb. rabbinica magna tomo IV. pag. 266.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *bibliotb. ebr. part. I. p. 932. ſqq.* Nonnulla & ipſe de eo dixi in *introd. ad hiſt. philoſ. Ebr.* ad *§. XXX. p. 144.* Ceterum cum eo tempore apud Arabes litterarum ſtudia florerent; Iudaei horum exemplo adducti, itidem animum ad ea adiungere, interque alia linguae ebraeae praecepta, concinnatis lexicis & libris grammaticis, in artis formam redigere coeperunt. Celebritatem cumprimis hoc nomine conſequuti ſunt R. CHANANEEL & RAF NISSIM, qui circa initium ſaeculi XI floruerunt, & grammaticum in hac gente excitaſſe ſtudium dicuntur, licet nihil ex illorum ſcriptis ſuperſit. Vixit etiam eodem ſaeculo IEHVDA ben DAVID PASSI cognomento חיוג *Chiug* dictus, Feſſanus, inter Arabes educatus, qui licet profeſſione fuerit medicus, grammaticum tamen ſtudium diligenter excoluit, quod & ſcripta eius, vt ספר הנוח *liber quietis*, id eſt, de litteris quieſcentibus ספר הכפל ſiue, *de litteris geminatis*, & alia teſtantur. R. DAVID KIMCHI in *praefatione* libro *michlol* praemiſſa, huncce R. IEHVDAM Feſſanum ראש המורים ומישרי הלשון *caput doctorum & linguam hanc rectificantium* vocat, additque: *qui reperit ſuo tempore* (ebraismum) *hominum ore detortum, & linguis eorum corruptum; compoſuit autem duos libros ſapphiri inſtar lucidos &c.* Dum autem KIMCHIVS innuit, huncce R. IEHVDAM primam fuiſſe grammaticorum; non abſolute hoc intelligendum eſſe, cum iam alii ante eum ex Iudaeis de arte grammatica ſcripſerint, ſed comparate, quod ſcripta

eius

eius *primum publici facta fuerint vſus*, *recepta in ſcholis*, *& a reliquis grammaticis adhibita*, IOAN. HENR. HOTTINGERVS monet, qui & addit: *huius enim vitulo Kimchius, Ephodeus, Aben-Esra, Balmeſius, ararunt*; in *ſmegmate orientali lib. I. cap. VII. p. 110.* KIMCHIVS autem *l. c.* R. IEHVDAE adiungit R. IONAM. *Eum*, inquit, *inſequutus eſt ſapiens rabbi Iona, qui impleuit cor ſuum, vt prolixius de ſubtilitatibus linguae, eiusque rebus, quam eius anteceſſores, ſcriberet.* Nimirum R. IONA hicce eſt ben GANNACH, medicus hiſpanus, qui circa initium ſaeculi XII vixit, quemue & alii Iudaei ceu grammaticorum praeſtantiſſimum laudibus in caelum euehunt. Atque duumuiros hosce, R. IEHVDAM & R. IONAM, grammaticorum apud Iudaeos, principes eſſe, ex quibus, ceu ex fontibus reliqui ſua deriuarint, agnoſcit etiam RICH. SIMON, qui &, R. IEHVDAM hoc nomine recte primum grammaticorum dici, obſeruat, quod reuera primus inter Iudaeos fuerit, qui certa methodo grammaticam tractauerit; in *hiſt. crit. vet. teſt. lib. I. c. XXX. p. 167.* Plurimi deinceps apud Iudaeos ſequuti ſunt, qui in grammatico ſtudio excolendo operam, induſtriamque ſuam collocarunt; vti ex indice iſto, ſeu *catalogo* מדקדקים *grammaticorum*, patet, ex quo quaedam IO. MORINVS profert, in *exercitat. bibl. lib. II. p. 431.* plura RICH. SIMON *l. c.* ſed nec plene, nec adcurate; vnde IO. CHRISTOPH. WOLFIVS rectiſſime fecit, quod *catalogum* iſtum integrum & emendatum *bibliothecae* ſuae *ebraeae* inſeruit, *part. I. p. 337. ſeqq.* Conferenda &, quae de origine, aut, vt ipſe quidem putat, reſtauratione ſtudii grammatici apud Ebraeos, diſſerit VAL. ERN. LOESCHERVS, *de cauſſis linguae ebr. lib. I. c. VIII. p. 99. ſeqq.* qui & *cap. XI. p. 147. ſeqq.* hiſtoriam grammaticae ebraeae exhibet. Saeculo XI, quo ſtudium grammaticum apud Iudaeos efflo reſcere coepit, fuiſſe, qui & de lexicis concinnandis ſolliciti eſſent, R. NATHAN ben IECHIEL quoque exemplo ſuo comprobat, vtpote qui auctor eſt lexici iſtius talmudici & chaldaici ſatis noti, *aruch* dicti, vnde & בעל ערוך *auctor aruch* vocari ſolet. Florere coepit anno Chriſti 1050 obiitque Romae anno 1106. Magna autem rerum apud Iudaeos circa medium ſaeculi iſtius vndecimi contigit mutatio, dum Babylonia expulſi, qui ibi hucusque commorati fuerant, ſcholisque eorum euerſis, hinc inde diſiecti ſunt. Factum hoc anno Chriſti 1040. Conferendi ea de re R. DAVID GANZ in *zemach Dauid* ad an. 4797. R. GEDALIA in *ſchalſcheleth hakkabala p. 39.* & ex chriſtianis IAC. BASNAGIVS *hiſt. des Iuifs lib. VII. c. IX. §. XIII. p. 1512.* Plurimi tum in Europam, praeſertim Hiſpaniam ſe receperunt, numerum eorum, qui ibi iam viuebant, aucturi. Cumque iſti litterarum, praeſertim grammaticae ebraeae ſtudium, ad quod exemplo Arabum eos excitatos diximus, ſecum adferrent; & hinc nonnulli melioribus quibusdam ſubſidiis inſtructi ad ſacrae ſcripturae interpretationem accederent: alia quoque exegeſeos ſcripturae apud Iudaeos exorta eſt facies.

Praeſtantiſſimi hinc quidam exſtitere in hacce gente celeberrimique viri, qui commentariis ſuis ſcripturam illuſtrarunt: quos inter primo ſe nobis offert loco R. SALOMO ben IIZCHAC, ſiue ISAAC, per compendium RASCHI dictus; de cuius aetate certi quid definiri poſſe, viri doctiſſimi negant. Sunt enim, qui eum ſaeculo vndecimo adhuc floruiſſe dicunt, mortuum quippe ſub initium ſaeculi XII anno 1105: cum alii contra eum anno 1105 natum, & anno 1180 mortuum contendant: aliis rurſus dubia, quae vtrique ſententiae opponi queant, proferentibus. Natione fuit Gallus, patria Tricaſſinus, Trecis quippe, ſeu Auguſtae Tricaſſinorum, quae Galliae in Campania vrbs eſt, natus: non

non autem Treuirenſis, vt alii perperam ſibi perſuaſerunt. Pro IIZCHAC vulgo IARCHI dicitur: cuius nominis rationem nonnulli a *Lunello*, Galliae oppido, repetunt, ex quo oriundus fuerit; quam ſententiam tuetur CONSTANTINVS L'EMPEREVR, in *notis ad itinerar. Beniaminis Tudelenſis*, *p. 149.* alii autem, ex confuſione cum R. SAM. IARCHINAEO ortum, contendunt; quod euincere conatur ANDR. ACOLVTHVS, *de aquis amaris p. 3. ſeqq.* Hoc certum, perperam R. SALOMONEM IIZCHAC diſtingui a R. SALOMONE IARCHI (vndecumque etiam illi nomen IARCHI acceſſerit;) vt recte monet IO. MOLLERVS, in *homonymoſcopia, p. 247.* Scripſit autem RASCHI פירושים ſeu *commentarios* in totam ſcripturam ſacram veteris teſtamenti, qui in *bibliis rabbinicis magnis* exſtant, quidam etiam ſeorſim prodierunt: ne quid de verſionibus latinis, a viris quibusdam doctis, ſpeciatim IO. FRID. BREITHAVPTO concinnatis, dicam. Idem R. SAL. IIZCHAC etiam in quosdam *gemarae tractatus commentarios* compoſuit; magnamque tum ob hosce, tum eos, quibus ſcripturam ſacram explicauit, apud ſuos conſequutus eſt exiſtimationem, adeo, vt paſſim κατ' ἐξοχὴν פרשנדתא *legis interpres* audiat. Magna tamen laborat obſcuritate, ob ſtilum conciſum, aliumque interdum deſiderat interpretem. Hinc & exſtiterunt, qui ביאורים *explicationes* ſuper eum ſcripſerunt. In libro *Iuchaſin* R. ABRAHAMI ZACVTHI *p. 130.* RASCHI vocatur *doctor pius*, *lumenque magnum*, doctrinamque ſuam a R. GERSOM accepiſſe dicitur. Conferendus ANDR. ACOLVTHVS, *de aquis amaris p. 3.* Hic vero R. GERSOM diuerſus eſt a R. LEVI ben GERSON, qui ſaeculo XIV floruit, & inter celebriores ſcripturae commentatores locum ſuum occupat: quos tamen nonnulli confundere inter ſe videntur. Plura de hocce R. SALOMONE IIZCHAC dabit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *bibliotb. ebr. part. I. p. 1057. ſeqq.* iungendique, quos *p. 1069.* laudat, HADRIANVS RELANDVS, in *prolegom. ad analecta rabbinica*, PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Iarchi*, *p. 1630.* & *voc. Iſaacides*, *p. 1663.* IAC. BASNAGIVS, *hiſt. des Iuifs tom. V. p. 1680.* aliique. Saeculo duodecimo magnam prae reliquis celebritatem conſequuti ſunt R. ABRAHAM aben ESRA; & R. DAV. KIMCHI. Et ad illum quidem, ſiue R. ABRAHAMVM, filium MEIR, aben, ſiue nepotem ESRAE, quod attinet; licet de anno, quo natus eſt, nihil certi conſtet, de eo quoque, quo mortuus eſt, Iudaeorum chronographi inter ſe diſſentiant: in eo tamen omnes conueniunt, eum circa medium ſaeculi poſt Chriſtum natum duodecimi floruiſſe. Quantae apud ſuos auctoritatis ſit, vel inde conſtat, quod κατ' ἐξοχὴν החכם *ſapiens* vocetur: quod cum non ſufficeret R. DAVIDI GANZ, eum *magnum & mirabilem ſapientem* adpellauit, in *zemach Dauid* ad *an. 4934.* R. DAVIDI KIMCHIO autem מורה צדק *doctor iuſtitiae* audit, ad *pſalm XIX. 1.* Mitto reliqua elogia, quibus eum certatim cumulare ſolent. Et ſane, omni litterarum genere eum imbutum fuiſſe, ſcripta eius non exegetica modo, ſed & theologica, grammatica, philoſophica, aſtrologica & mathematica, quae ab aliis enumerantur, oſtendunt. IVL. BARTOLOCCIO audit *philoſophus*, *aſtronomus*, *medicus*, *poëta*, *grammaticus*, *kabbaliſta*, & *ſacrae ſcripturae famoſus interpres*; in *biblioth. magna rabbinica tom. I. pag. 36.* Idem arabicae quoque linguae fuit peritiſſimus: ſaepiusque adeo in commentariis ſuis in Iobum voces obſcuras ex lingua arabica explicat, & SAADIAE verſionem arabicam caſtigat. Conferendus praeter BARTOLOCCIVM, *l. c.* IO. HENR. HOTTINGERVS, in *hiſtor. eccleſ. noui teſt. tom. III. cap. XII. ſect. IV. p. 261.* Ex ſcriptis eius huius praecipue loci ſunt פירושים *commentarii*

tarii in totam ſcripturam ſacram veteris teſtamenti, qui in *bibliis* magnis *rabbinicis*, & pleniſſime quidem in Buxtorfianis, exſtant. De quinque modis, interpretandi ſcripturam ſacram, quos in *praefatione* adfert, ſupra iam diximus. RICH. SIMON principem illi inter Ebraeorum commentatores locum tribuit, adſeritque, nullum Iudaeorum magis litteraliter, aut maiori cum iudicio, quam illum, ſcripturam ſacram explicaſſe. Obſcuritatem tamen ſtili in eo reprehendit, & quod grammaticis minutiis interdum nimis indulgeat; in *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. V. p. 374.* R. DAVID KIMCHI, qui circa finem ſaeculi duodecimi, & initium decimi tertii vixit, tum ob planiſſimos luculentiſſimosque in ſcripturam ſacram commentarios, tum ob alia ſcripta, vt מכלול ſeu *grammaticam*, itemque ספר השרשים *librum radicum*, hoc eſt, lexicon biblicum, longe eſt notiſſimus. Tota Kimchiorum familia de ebraea grammatica optime merita eſt, vti poſt alios RICH. SIMON obſeruauit, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. I. c. XXXI. p. 175.* Namque & pater DAVIDIS, IOSEPH KIMCHI, & frater eius MOSES, hoc nomine a Iudaeis celebrantur. DAVID tamen KIMCHI omnes, praeſertim facilitate, ſuperauit, eiusque deinde vitulo ararunt, quicumque grammaticis conſcribendis, cum aliqua ſucceſſus ſpe, operam ſuam impenderunt. Ita IO. HENR. HOTTINGERVS pronuntiat, *hiſt. eccleſ. noui teſt. part. III. c. XII. ſect. IV. p. 260.* qui & alios harum rerum peritiſſimos viros ſibi ſuffragantes habet. *Commentarii* DAV. KIMCHII, qui exſtant, quiue editi ſunt, in *bibliis rabbinicis magnis*, praeſertim Baſileenſibus, leguntur; in quibus tamen deeſt *commentarius in pſalmos*, qui in bibliis rabbinicis Venetis, an. 1518 excuſis, tantum exhibetur, ſeorſim vero non ſemel prodiit. *Commentarius* vero eius על התורה *ſuper legem*, hactenus lucem non adſpexit, ſi modo adhuc exſtat. Plura de celeberrimo hocce ſcripturae interprete dabunt IVL. BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabb. magna, tom. II. p. 25. ſeqq.* & IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 299. ſeqq.* Inter eos, qui ſaeculo XIII commentariis ſcripturam ſacram illuſtrare adgreſſi ſunt, eminent R. MOSES bar NACHMAN, & R. BECHAI. Et R. MOSES quidem bar NACHMAN, in ביאור על התורה ſeu *expoſitione legis*, & maiorum traditionibus inſiſtit, & kabbaliſticis ſubtilitatibus indulget: & licet litteralem ſenſum non prorſus negligat; in veterum tamen *medraſchim*, ſeu expoſitionibus allegoricis referendis, copioſus eſt. De diſputatione eius cum PAVLO CHRISTIANI, Dominicanorum ordini adſcripto, diximus ad §. *VII.* capitis praecedentis. Praeter *commentarium* iſtum *in legem*, plurima adhuc alia ſcripſit, quae huius loci non ſunt. R. BECHAI ben ASCHER, Caeſarauguſtanus Arragonenſis, circa finem ſaeculi XIII floruit, & ביאור על התורה *elucidationem pentateuchi* reliquit, ſtilo ſatis puro, in qua & litteralem, & allegoricum, & kabbaliſticum ſenſum refert, & ad varia theologiae iudaicae capita digreditur, ſubinde & philoſophorum placita admiſcet. Ita RICH. SIMON; qui & addit, operae pretium facturum qui ex hocce opere, quae maxime vtilia ſunt, decerpat, ne tempus in eo perlegendo perdendum ſit; *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. VI. p. 380.* Quadruplici modo auctorem huncce in ſacrae ſcripturae interpretatione verſari, ſenſumque & litteralem, & allegoricum, & metaphyſicum, & kabbaliſticum conſectari; in expoſitione autem litterali eum priores ſuperare, ex R. SCHABBATAEO obſeruat IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 231.*

Saeculo etiam duodecimo floruit R. MOSES ben MAIMON, vtpote qui circa initium ſaeculi decimi tertii obiit, natus Cordubae in Hiſpania, vnde *Cordubenſis* dicitur; quemadmodum & a loco commora

morationis MOSES *aegyptius* vocari ſolet. Cum enim adultior factus, praeclari ingenii, excellentiſque doctrinae, tot documenta ediditſet, vt omnes in ſui admirationem raperet: aliorum mox expertus eſt inuidiam; ideoque ad maleuolorum hominum atque obtrectatorum furorem declinandum, relicta Hiſpania, in Aegyptum conceſſit; ibique cum varios, ex Alexandria cumprimis & Damaſco, nactus eſſet diſcipulos, ſcholam erexit, atque docendo eruditionis ſuae famam longe lateque per totum terrarum orbem diuulgauit. Vir fuit ſummo ingenio, excellentique doctrina praeditus; hinc & gentis ſuae maximum decus, de quo notum eſt illud Iudaeorum: *a Moſe vſque ad Moſen, non fuit ſicut Moſes.* Ex inſtituto equidem nullos in ſcripturam ſacram commentarios ſcripſit; in libro tamen, quem מורה נבוכים *doctorem perplexorum* inſcripſit, velut clauem & introductionem quamdam ad ſcripturae ſacrae interpretationem tradere voluit. Conſtitutum namque illi fuit, obſcurioribus ſcripturae locis lucem adfundere, & quae ambigue dicta videri poterant, ad certum ſenſum reuocare. Obſeruatum hoc iam eſt IO. BVXTORFIO; qui, in *praefatione* ad iſtum librum, argumentum & ſcopum eius eſſe, dicit, vt manuductio & clauis veluti ſit, ad rectam intelligentiam verborum, vocabulorum, phraſium, metaphorarum, parabolarum, omniumque adeo earum rerum, quae in ſacra ſcriptura aliquid alieni, heterodoxi, paradoxi, abſurdi docere, vel exiguam aut nullam habere vtilitatem, videntur. Vnde & ratio intelligitur, cur librum huncce מורה נבוכים *doctorem perplexorum* inſcripſerit. Compoſuit autem eum MAIMONIDES in gratiam diſcipuli ſui R. IOSEPHI, & quidem lingua arabica; ſtatim tamen in linguam ebraeam conuerſus eſt a R. SAMVELE aben TIBBON, ſeu vt plenius vocatur, R. SAMVELE ben IVDAE, aben TIBBON, Granatenſi Hiſpano; conſilium hocce eius ipſo adprobante MAIMONIDE, & dubia quaedam, quae illi propoſuerat, ſoluente. Aliam equidem verſionem eodem tempore adornauit R. IEHVDA ben SALOMONIS CHARISI, ſed non adeo feliciter: vnde & non aeque ac prior laudata, immo tandem neglecta fuit. Verſionem operis huius latinam primum AVGVSTIN. IVSTINIANVS edidit, Pariſiis 1520. fol. quam tamen non ab ipſo, ſed a R. IAC. MANTINO profectam, viri quidam docti contendunt. Cum vero verſio haecce plurimis erroribus ſcateret, mentemque auctoris ſaepe non recte exprimeret: meliorem adcuratioremque IO. BVXTORFIVS, filius, concinnauit, eamque Baſileae an. 1629, 4. ſed ſine textu ebraeo, publicae luci expoſuit. RICH. SIMON de hocce MAIMONIDIS opere ita pronuntiat: *Rabbi Moſes, cognomine Maimonides, ſeu Maimonis filius, magnam ſibi exiſtimationem peperit, non ſolum apud Iudaeos, ſed & apud chriſtianos, qui ex reliquis eius operibus librum, more neuochim inſcriptum, frequenter citant. Huius auctoris praecipuus ſcopus eſt, quae in ſcripturis difficillima inſunt, elucidare, omniaque aquiuoca in iisdem occurrentia tollere. Plurimi Iudaei in methodum eius illico inſurrexerunt, & hocce opus damnarunt, quia ſuo ratiocinandi more gentis ſuae patrum traditionem euertere videbatur. Ac ſane R. Moſes philoſophus cenſeri, nimis adfectauit, ac quoddam ex Ariſtotelis & ſcripturae principiis miſcellaneum ferculum parauit, quod omnium palato ſapere non poteſt. Eius metaphyſica nimis ſubtilis eſt, & in ſua plurimarum ebraicarum vocum genuinae ſignificationis inueſtigatione, ſatis peritus grammaticus non videtur. Praeterea fere ſemper quaeſtiones decidit ex praeiudiciis propriis, quae quidem religionis, quam profitebatur, axiomatibus quandoque conformia ſunt; ſed ſaepius etiam accidit, vt Arabum philoſophorum, quorum libros euolue-*

rat, opinionibus mens eius imbuta ſit; hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. cap. VI. p. 375. Vbi quidem, quod dicit, non omnibus Iudaeis hocce MAIMONIDIS probatum fuiſſe opus, veriſſimum eſt; ſed explicatione quadam indiget. Cum nimirum iſtud in linguam ebraeam ex arabica translatum, Iudaeis, Galliam inhabitantibus, innotuiſſet: quidam R. SALOMO Montiſpeſſulanus, cum duobus diſcipulis R. IONA, & R. DAVID, id omnibus egerunt viribus, vt MAIMONIDEM in haereſeos adducerent ſuſpicionem: cumque errores eius ex nimio philoſophiae ſtudio ortos exiſtimarent; hanc ſimul proſcribere, ſuarum ducebant eſſe partium. Quibus cum diuerſorum locorum & ſynagogarum ſapientes in Gallia Narbonenſi ſe opponerent, eosque a communione ſua remouerent: hi rurſus reliquas Galliae ſynagogas variis artibus fraudibusque in ſuas pertraxerunt partes, vt idem excommunicationis fulmen in Galliae Narbonenſis ſynagogas vibrarent, eosque, qui peregrinas artes aut linguas addiſcerent, vel R. MOSIS MAIMONIDIS libros legerent, condemnarent. Opera vero R. DAVIDIS KIMCHII tandem effectum, vt omnes ſynagogae innocentiam MAIMONIDIS agnoſcerent, eumque ab imputatis erroribus abſoluerent; renitente tamen praeter R. SALOMONEM, cum diſcipulis R. IONA, & R. DAVID, etiam R. IVDA ben R. IOSEPH ben ALPHCHAR, medico & archi-rabbino Toletano, qui zelum R. SALOMONIS, & diſcipulorum eius in conſeruanda legis Moſaicae puritate & ſimplicitate, qua omnis humana & philoſophica diſciplina exploditur, magnopere laudauit. Conferenda, quae de hocce certamine dixi in *introduct. ad hiſt. philoſ. Ebr.* ad *§. XXXI. p. 166.* Quod RICH. SIMON *loco* antea *citato* dixit, MAIMONIDEM principia philoſophiae Ariſtotelicae cum ſcripturae ſacrae effatis commiſcuiſſe; id itidem veriſſimum eſt, & exemplis a me *l. c.* comprobatum. Obſeruatu cumprimis dignum, quod *part. I. moreh nevuch. c. XXVIII.* de loco *Exod. XXIV. 10. & ſub pedibus eius erat opus albedinis lapidis ſapphiri*, verba faciens, de materia prima Ariſtotelicorum eum interpretari non dubitet. Praetermittendum denique non eſt, quod MAIMONIDES in hocce *doctore perplexorum lib. III. c. XXIX.* alibique, ſubinde Zabiorum mentionem faciat, eorumque ritus idololatricos & ſuperſtitioſos variis legibus Moſaicis occaſionem dediſſe, adſerat. Qua in re, vt alios quosdam, ita cumprimis IO. SPENCERVM ſibi ſuffragantem habuit, qui ad hypotheſin hanc excolendam ornandamque omnes ingenii contulit vires; *de legibus Ebraeorum ritualibus, & earum rationibus lib. II. c. I. ſeqq. p. 351. ſeqq.* Verum, ex iis, quae MAIMONIDES, & ſcriptores quidam Arabes, iique recentiores, de Zabiis referunt, iudicium de gentibus, quae tempore Moſis exſtiterunt, ferri non poſſe, perperamque adeo ex illorum ritibus legum Moſaicarum rationes deriuari, nemo non facile perſpicit. Sed hac de re abunde dictum in *hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. I. per. I. ſect. III.* ad *§. XXII. p. 417. ſeqq.* item *per. II. ſect. I.* ad *§. XXXI. p. 669. ſeqq.*

Iam, vt ad reliquos pergamus, ſaeculo decimo quarto claruit R. LEVI ben GERSON, cuius *commentarius in pentateuchum* Piſauri an. 1514, deinde Venetiis an. 1547. fol. prodiit. In alios autem libros biblicos *commentarii* eius exſtant in *bibliis rabbinicis magnis*: ſed ſeorſim quoque prodierunt; vt ex IVL. BARTOLOCCIO condiſcere licet, in *bibliotb. rabb. magna, part. IV. p. 6. ſeqq.* itemque ex IO. CHRIST. WOLFII *biblioth. ebr. part. I. p. 726. ſeqq.* Philoſophiam graecanicam, ſpeciatim Ariſtotelicam, cum GERSONIDES ſectatus ſit, aeque ac MAIMONIDES; vt vel ex libro מלחמות יהוה *bellorum domini*, ab eo con-

conſcripto, patet, qui, obſeruante IO. BVXTORFIO, *bibliotb. rabb. p. 370.* plane metaphyſicus eſt, ex ſcriptis Ariſtotelis, aliorumque philoſophorum collectus: temperare ſibi non potuit, quin & commentariis ſuis metaphyſicas eiusmodi ſubtilitates adſpergeret: in *commentario* vero ſuo in *pentateuchum* interdum ad moralia digreditur. Philoſophicis ſuis ſpeculationibus eo vsque indulſit, vt ad impia quaedam prolapſus ſit, dum mundi aeternitatem adſeruit, & donum prophetiae, ſeu facultatem futura praedicendi, ex cauſſis naturalibus deriuauit; egregium BENEDICTO DE SPINOZA, quod imitaretur, exemplum relinquens. In miraculis explicandis eum cauſſis naturalibus plus, quam decet, interdum tribuiſſe, exemplo eorum, quae de ruina murorum vrbis Iericho diſſerit, condocemur. Etſi enim ea in re miraculum agnoſcat: ſoni tamen vehementiam aliquid conferre potuiſſe, exiſtimat. Dictum a me hac de re in *diſſ. de ruina muror. Hierichunt. §. XIV.* in *parergis hiſt. theolog. p. 256.* Ad idem ſaeculum decimum quartum, quo GERSONIDES vixit, referendus R. MARDOCHAI, aut, vt alii pronuntiant, MORDECHAI, ben ELIESER COMTINO, Iudaeus Conſtantinopolitanus, ob *commentarium in pentateuchum* כתר תורה *corona legis* inſcriptum, qui tamen hucusque typis excuſus non eſt. Laudat eum, tamquam ſatis litteralem, RICH. SIMON, & in quo ad verum ſenſum inueniendum nihil praetermittatur. Addit porro, MARDOCHAEVM huncce ſubinde ad melioris notae magiſtros, cumprimis R. ABR. aben ESRA, prouocare; commodumque adeo aliquod ad ſcripturae ſacrae intelligentiam promittere; *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. VI. p. 380.* De eodem hocce MARDOCHAEI commentario diſſerit IO. GOTTFR. SCHVPARTVS, *de ſecta karaeorum, c. III. §. VI. p. 74. ſeqq.* vbi & auctorem huncce karaeis adnumerat: deinde tamen, re diligentius expenſa, eum rabbanitam potius eſſe, agnouit; *cap. IV. §. XXXIX. p. 186.* Et ſane inter rabbanitas eum referendum eſſe, aliis quoque viris doctis obſeruatum eſt. De R. SAM. SIRSA, ſiue SARSA, qui inter ſaeculi XV commentatores referri ſolet, eiusque ſcriptis, legendus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *bibliotb. ebr. part. I. p. 1113. ſeqq.* vbi & obſeruat, eum in explicanda ſcriptura ſacra rationi & ingenio ſuo multum indulſiſſe (quod hocce & praecedenti ſaeculo Iudaeis admodum familiare fuiſſe, ex hactenus dictis intelligere licet) hinc & cum nouas ſententias ſectaretur, aliorum ſibi conflaſſe odia. Immo non tam librum eius טהרת הקדש *mundatio ſanctitatis* inſcriptum, vt IVL. BARTOLOCCIVS autumat, quam ipſum huncce Iudaeum, ob adſertam in ſermone familiari mundi aeternitatem, combuſtum fuiſſe, idem vir clariſſimus ex libro *Iuchaſin p. 134.* docet. Sed inter reliquos ſcripturae interpretes, quos ſaeculum XV tulit, cumprimis commemorandus R. IIZCHAC ben ARAMA, Hiſpanus Zamorenſis, cuius exſtat *commentarius* philoſophico-theologicus, *in legem & quinque* מגלות *libellos feſtiuitatum*, עקידת יצחק *ligatio Iſaaci* inſcriptus; & ex aliorum gentis ebraeae magiſtrorum commentationibus collectus. Commentarium huncce *philoſophico-theologicum* dixi, eo, quod ſubinde quaeſtiones philoſophicas admiſceat, & contra Ariſtotelem diſputet, ſpeciatim autem ſententiam de aeternitate mundi refutet. IO. HENR. HOTTINGERVS, de ſaeculo hocce decimo quinto verba faciens, *certum eſt*, inquit, *ſcholaſticum diſputandi genus Arabes Iudaeis ita paullatim adfricuiſſe, vt hoc ſaeculo in ipſas etiam peruſchim, ſeu explicationes ſcripturae, irrepſerit. Teſtis eſt liber akidath Iizchac, terminis ſcholaſticis ita refertus, vt eum ne doctiſſimi quique Iudaeorum facile adſequantur; hiſtor. eccleſ. noui teſtam. ſaeculo* ſeu *cap. XV.*

ſect. V. p. 955. Interim hicce liber IO. BVXTORFIO *excellens, & multiplicis doctrinae* audit; *biblioth. rabbin. p. 394.* R. LIPMAN, aut, vt integro nomine vocatur, R. IOM TOV LIPMAN, quem itidem ad ſaeculum XV referre ſolent, in ספר נצחון *libro victoriae*, plurima ſcripturae ſacrae loca non tam explicat, quam ſophiſtica interpretatione peruertit. Cum tamen ad polemica potius, quam exegetica ſcripta ſpectet: iam alibi de eo dictum eſt. Conferendus IO. HENR. HOTTINGERVS, *l. c. p. 953.*

Sed miſſis reliquis, ad R. DON ISAAC ABARBANELEM properamus, qui itidem ſaeculo XV floruit, & omnes fere ſuae gentis doctores, recentiori aetate, nominis gloria & celebritate ſuperauit. Se ex Dauidis, regis ſanctiſſimi, ſtirpe prognatum, non ipſemet modo teſtatur, ſed alii quoque Iudaei idem nobis perſuadere voluerunt, cumprimis MENASSE ben ISRAEL in *ſpe Iſraelis, p. 91.* alibique; fidem narrationi huic, quae reuera fidem omnem ſuperat, denegantibus IVL. BARTOLOCCIO, in *biblioth. rabb. mag. part. III. p. 586. ſeqq.* & PET. DAN. HVETIO, *demonſtrat. euang. prop. IX. c. IV. §. XIV. p. 633.* Quidquid eius ſit; vir fuit ABARBANEL ingenio & doctrina praeſtantiſſimus, magnumque gentis ebraeae decus, vt MAIMONIDI non aequiparetur modo, ſed a nonnullis praeferatur. In aula primum Alphonſi v Luſitaniae regis (nam Vlyſſipone natus erat ABARBANEL) vixit: deinde cum, rege iſto mortuo, relicta Luſitania in Hiſpaniam ſe recipere coactus eſſet; Ferdinandi catholici grauiſſimis negotiis adminiſtrandis adhibitus, haud vulgaribus effulſit dignitatibus; immo ex Hiſpania etiam expulſus, & Neapolim delatus, Ferdinandi, & poſtea Alphonſi regis ſibi conciliauit animum. Vnde ſingulari prorſus & eximia eum praeditum fuiſſe prudentia, colligere licet. De variis autem, quos expertus eſt, fortunae caſibus, vt aliquid dicamus, huius loci non eſt. Legendi de iis, qui vitam & fata eius deſcripſerunt, NICOL. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. noua tom. I. p. 627.* qui tamen quaedam de eo narrat, quae aliter ſe habent; PET. BAELIVS, in *dictionar. hiſt. & crit. voc. Abarbanel p. 29. ſeqq.* cumprimis vero IO. HENR. MAIVS, in *diſſ. hiſt. philolog. de origine, vita atque ſcriptis Don Iſaaci Abarbanielis, §. IV. ſeqq.* qui & *§. XII. ſeqq.* elogia, quibus tum Iudaei, tum chriſtiani, certatim ABARBANELEM ornarunt, diligenter collecta exhibet. Ad ſcripta eius quod attinet, licet quaedam ad theologiam Iudaeorum tum dogmaticam, tum polemicam ſpectent: pleraque tamen, & potiora, ad ſcripturae ſacrae illuſtrationem fuere comparata; vt *commentarius* in *pentateuchum*; in *prophetas priores*; in *prophetas poſteriores*, ſpeciatim *in Danielem* (quem Iudaeos ex prophetarum ordine eiicere conſtat) quem inſcripſit מעיני הישועה *fontes ſalutis*. Atque vt in hocce animum chriſtianis admodum infenſum luculenter prodidit: ita idem tum alibi, tum maxime in libro משמיע ישועה *praeco ſalutis* inſcripto, fecit; cuius verſionem latinam vir doctiſſimus IO. HENR. MAIVS edidit, Francofurti ad Moenum an. 1711, 4. In eo namque id magno, ſed vano prorſus, conatu agit, vt vaticinia, quae de Chriſto ſeruatore noſtro agunt, alīorſum detorqueat, ſuauiſſimaque de imminente adhuc quadam Iudaeorum redemtione in iis ſomnia conſectetur; & hinc ſibi, aliisque Iudaeis caliginem, ne lucem clariſſimam perſpicere queant, obfundat. Commentarios ceteroquin hoſce ABARBANELIS, quos indicauimus, inter optimos, praeſtantiſſimosque, qui a Iudaeis profecti ſunt, ob perſpicuitatem, ſolidamque rerum difficilium euolutionem, haud vltimum promereri locum; nemo, niſi iſtarum rerum plane ignarus, diffitebitur. Recteque de eo pronuntiat

RICH.

Digitized by Google

RICH. SIMON, eum *prae ceteris Ebraeorum magiſtris optimum vtiliſſimumque interpretem ſibi viſum.* Addit, *ſcripſiſſe eum pure nitideque, ſed fuſe nimis, & rhetoris in morem magis, quam interpretis; aliorum rabbinorum explicationes eum referre, interdum expendere, immo ſatis libere ſuam de iis ſententiam proferre; taedium tamen aliquod methodum eius creare, ob multitudinem quaeſtionum &c. Dum aliorum rabbinorum explicationes ſub examen reuocat, cum ſubinde nodum in ſcirpo quaerere, & plurimis in locis nimis ſubtilem eſſe &c. hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. VI. p. 380.* De ſcriptis ABARBANELIS, tum a nobis laudatis, tum reliquis, plura dabunt NIC. ANTONIVS, *l. c.* IVL. BARTOLOCCIVS, *biblioth. rabb. mag. tom. III. p. 873. ſeqq.* CHRISTOPH. HENDREICH, in *pandectis Brandenburgicis, voc. Abarbanel, p. 4. ſeqq.* &, qui editiones adcurate indicat, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 627. ſeqq.* Ex ſaeculi XVI ſcriptoribus iudaicis commemorandus eſt R. SALOMO ben MELECH, Hiſpanus, ob breuem quidem, ſed neruoſum & præſtantiſſimum, in totum veteris teſtamenti codicem ſacrum, commentarium, qui מכלל יפי *perfectio pulchritudinis* inſcriptus, tum alias, tum & Amſtelodami an. 1661, item 1685, fol. prodiit. Nucleum is quemdam optimorum, qui inter Iudaeos extiterunt, commentatorem exhibet; cumprimis R. DAVIDIS KIMCHII *grammatica* & *lexico* diligenter vſus eſt; ſiquidem id ſibi datum credidit, vt, propria & genuina vocum ſignificatione explicata, ſenſum ſcripturae litteralem inueſtigaret. In illorum itaque omnino numerum referendus eſt hicce commentarius, ex quibus plurimum vtilitatis capere licet. R. IAC. ABENDANA *ſpicilegium* aliquod ad huncce R. SALOMONIS ben MELECH *commentarium* addidit, quod in editionibus antea laudatis conſpicitur, in quo aliorum commentatorum diuerſas explicationes, allegoricas interdum etiam & kabbaliſticas, commemorat, & loca KIMCHII, ex quibus R. SALOMO ſua deſumſit, profert. R. SALOMONI ben MELECH merito iungitur R. IAC. LOMBROSO, medicus Hiſpanus, quippe qui editioni ſuae codicis ebraei commentarium grammaticum, ſeu ſuccinctas adnotationes, ad ſenſus litteralis illuſtrationem comparatas, adiecit, in quibus etiam interdum textum ebraeum hiſpanice explicat. Vtriusque & R. SALOMONIS ben MELECH, & R. IACOBI LOMBROSO commentarium, valde, nec ſine ratione, laudat RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. VI. p. 381.* Addendus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 604. & 1074.*

Agmen denique claudat R. MENASSE ben ISRAEL, qui ſaeculo XVII variis, iisque praeſtantiſſimis ſcriptis, innotuit. Immo ob eruditionem ſingularem viris inter chriſtianos doctiſſimis SIM. EPISCOPIO, GERH. IO. VOSSIO, HVG. GROTIO, CASP. BARLAEO in pretio fuit. Et hic quidem inconſulto quodam erga Iudaei huius ingenium & doctrinam ſtudio eo vsque abreptus eſt, vt parum abeſſet, quin, illi aeque ac chriſtianis viam ad aeternam ſalutem patere, in carmine quodam adſereret; quo ipſo grauiſſimas NIC. VEDELII, aliorumque cenſuras incurrit. Qua de re iam ſupra, vbi de controuerſiis cum Iudaeis verba feci, me aliquid dixiſſe, memini. Quae IVL. BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabb. mag. part. IV. p. 43. ſeqq.* Iudaeo huic obiicit, ac ſi turbatum per Oliuerium Cromwellium Angliae ſtatum in rem ſuam vertere, libertatemque, in Anglia ſedes ſuas figendi, Iudaeis impetrare voluerit, itemque, quod ſine cenſura & adprobatione chriſtianorum libros ſuos in lucem emiſerit, diluit IAC. BASNAGIVS, *hiſt. des Iuifs, tom. V. lib. VII. cap. XXXII. §. IX. ſeqq. p. 2099. ſeqq.* Et de priori quidem capite BARTOLOCCIVS ita loquitur:

Videns

Digitized by Google

Videns haec (quod penes Cromwellium omnis in Anglia eſſet poteſtas, auctoritasque) *Menaſſe ben Iſraël, vt erat nouarum rerum cupidus, & viuido ingenio praeditus, animum adplicuit, vtcumque poſſet in Angliam ſuos contribules inuehere. Ad hunc finem Amſtelodamo diſcedens in Angliam nauigat. Perquam benigne a Cromwellio regicida, & nouellae reipublicae anglicanae protectore excipitur; & honorifice tractatur a parlamento, ad quod ſuprema poteſtas translata fuerat, cui inſcripſit librum* מקוה ישראל *ſpes Iſraelis &c. l. c. p. 44.* Nimirum ad librum iſtum, *ſpes Iſraelis* inſcriptum, cuius BARTOLOCCIVS meminit, quod attinet; in eo MENASSE ben ISRAEL euincere voluit, decem tribuum Iſraelis, in captiuitatem aſſyriacam abductarum, reliquias apud Americanos inueniri, quae cum reliquis iſraëlitis & Iudaeis, cum Meſſias ille, quem exſpectant, aduenerit, in patriam ſint reuerſurae. Induci in eam ſe ſententiam paſſus eſt ab ANT. MONTEZINO, Iudaeo Luſitano, alias AARON LEVI dicto, qui commenti iſtius auctor fuit, quod ſolide exploſit THEOPH. SPIZELIVS, in *eleuatione relationis Montezinianae de repertis in America tribubus Iſraëliticis &c.* Baſileae an. 1661. 8. Addenda, quae hac de re dixi in *hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. IV.* ad *§. XXI. p. 526.* Cum eo, quo MENASSE ben ISRAEL vixit, tempore, controuerſiae inter remonſtrantes & contraremonſtrantes agitarentur: illorum eum amplexum partes, vt amicos & protectores hac ratione ſibi conciliaret, nonnulli referunt. At eum hoc ex inſtituto non egiſſe, ſed aliud velut agendo quaeſtiones haſce de gratia Dei, in libro *de fragilitate humana p. 141.* attigiſſe, monet IAC. BASNAGIVS, *l. c. §. X. pag. 2100. ſeqq.* vbi eius de hocce argumento ſententiam copioſius edifferit. Male quoque MENASSE ben ISRAEL audit, ob ſententiam de גלגול הנשמות ſeu *transmigratione animarum*, quam in libro נשמת חיים *ſpiraculum vitae* inſcripto, propoſuit, acriterque defendit, quae tamen ei cum aliis Iudaeis communis eſt. Dixi hac de re in *introd. ad hiſt. philoſ. Ebr.* ad *§. XXXIII. p. 220.* Sed vt ad ea accedamus, quae cumprimis huius loci ſunt; commemorandum hic inſigne illud opus, quod inſcribitur: *conciliator, ſiue de conuenientia locorum ſacrae ſcripturae, quae pugnare inter ſe videntur, opus ex vetuſtis & recentioribus omnibus rabbinis, magna induſtria ac fide congeſtum.* Lingua hiſpanica illud ab auctore conſcriptum, quatuor abſoluitur partibus; quarum ſolum prima in linguam latinam conuerſa eſt, prodiitque Amſtelodami an. 1633. 4. Latinam illam verſionem DIONYS. VOSSIVS concinnauit: qui tamen magna vſus eſt libertate, dum quaedam addidit, longe autem plura praetermiſit, quae aliquando latine publicae luci ſe expoſiturum, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS promiſit, *biblioth. ebr. part. I. pag. 780.* Quantumuis autem MENASSE ben ISRAEL nullam in hocce opere occaſionem, Iudaeorum commenta contra chriſtianos propugnandi, neglexerit: illud tamen in reliquis ob eruditionem, quam in eo demonſtrarit, laudandum, omnes conſentiunt. IVLIO BARTOLOCCIO vocatur *opus laude dignum, & variis eruditionibus repletum; l. c. pag. 42.*

Supereſt, vt de vſu & pretio ſcriptorum rabbinicorum aliquid addamus; de quo non vna eademque virorum doctorum eſt ſententia. Sunt enim, qui ea prorſus reiiciunt, tempusque, quod in iis euoluendis collocatur, perdi, ſtatuunt: eo, quod nihil, aut exiguum bonae frugis ex iis ad ſcripturae ſacrae explicationem, percipi queat. Cum in Hiſpania diſputaretur, an lectio rabbinorum, eorum praecipue, qui in ſcripturam ſacram commentati ſunt, permittenda eſſet: plurimi exſtiterunt, qui, ſcriptorum rabbinicorum memoriam prorſus

Digitized by Google

ſus delendam, exiſtimarent; eo quod parum ex iis ad nos redundet commodi; periculis contra grauiſſimis ſe exponant, qui ad eiusmodi libros, qui chriſtianae religionis veritati e diametro oppoſiti ſint, legendos accedant; ſiquidem & experientia doceat, eos, qui ſtudio rabbinico dediti ſunt, explicationes ſcripturae a patribus profectas contemnere. Refert hoc ex IO. MARIANAE libro, *pro editione vulgata ſanctorum bibliorum*, RICH. SIMON; qui & addit, Ieſuitam huncce aliter cenſuiſſe, & illorum acceſſiſſe partibus, qui commentariorum rabbinicorum lectionem, ob inſignem, quam inde ad ſcripturae ſacrae explicationem referre poſſumus, vtilitatem commendant; *hiſtor. crit. vet. teſt. lib. III, c. VII. p. 384.* Edidit equidem & CLAVD. CAPPELLANVS commentationem, *mare rabbinicum infidum* inſcriptam, quae in *faſciculo decimo opuſculorum, quae ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectant*, recuſa proſtat; *p. 265. ſeqq.* Sed cum in ea praecipue quaeſtionem, *num talmudiſtae aliter aliquando referant ſacrum contextum, quam nunc ſe habet in noſtris exemplaribus ebraicis? & num ſit fidendum rabbinis?* tractet: ea huius loci non eſt. Rectius hic in cenſum venit IO. FORSTERVS, qui in *praefatione*, quam *lexico* ſuo *ebraico* praemiſit, id ex inſtituto agit, vt oſtendat, quam parum lucis ex rabbinorum commentariis ſperare liceat. *Vidi*, inquit, *multis iam annis poſt inſtauratam euangelii doctrinam non minus regnare in ſcholis chriſtianorum commenta rabbinorum, cum in verſione tum etiam enarratione ſcripturae ſacrae, quam in ipſis Iudaeorum ſynagogis, atque ipſorum* פירושים *quaſi ſacro ſancta myſteria Dei, omnibus ſumma reuerentia ac religione coli ac adorari. Hinc factum eſt, vt certum ſcripturae ſenſum nequaquam adſequi potueris.* Et iterum: *Saepe vehementer demiratus ſum noſtratium (vt pace ipſorum dicam) ſocordiam, qui abſque vllo iudicio commentaria Iudaeorum, in quibus nulla lux, nulla notitia Dei, nullus ſpiritus, nulla vllius diſciplinae ſeu artis vera ac ſolida ſcientia, nulla linguarum, ac ne quidem ebraeae linguae eſt cognitio, amplecti maluerunt, quam vt ipſi conſiderarent voces, ac earum ſignificationes.* Hinc cum de rabbinorum in rebus theologicis ignorantia copioſius diſſeruiſſet: addit: *Nihil igitur profuerunt, niſi quod velut bibliothecarii libros tantum ſacros (quos biblia vocamus) ac aliquot grammaticos nobis chriſtianis ſuppeditarunt, at, quod ad ſacrae ſcripturae intelligentiam (vt iam dixi) atque etiam linguae ebraeae cognitionem attinet, praeſtiterunt, quod laudem mereatur, omnino nihil* &c. Non omnibus iſta FORSTERI παῤῥησία placuit; certe non iis, qui magnam vitae partem in rabbinorum ſine fructu conſumſiſſe lectione videri noluerunt. Speciatim & WILH. SCHICKARDVS, & THOMAS CARTWHRIGHTVS, ille in *bechinat happeruſchim, p. 107.* hic autem in *electis targumico-rabbinicis in geneſin*, & quidem in *praefatione*, rabbinorum contra FORSTERVM agere cauſſam, ſuarum duxerunt eſſe partium. Sed ABR. CALOVIVS, qui contra vtrumque FORSTERI defenſionem in ſe ſuſcepit, de SCHICKARDO pronuntiat, quod *nimio rabbinorum amore captus indignis modis tractauerit virum de litteratura ebraica praeclare meritum, vt merito culpam deprecatus ſit; ignoſcant mihi beati manes ipſius.* De CARTWHRIGHTO cum obſeruaſſet, quod *faſtum & inſolentiam* FORSTERO obieciſſet, ſimul tamen profeſſus eſſet, *ſe labori & exiſtimationi eius nihil detractum velle*: ſubiicit: *Sed qua bile aduerſus iſum inſurrexerit, & quantopere non faſtui beati Forſteri, quem temere ipſi adfingit, ſed eruditioni & peritiae ebraicae litteraturae detrahere conatus ſit, praefatio iſta teſtabitur;* in *praeloquio generali, bibliis illuſtratis* praemiſſo *p. 16. & 17.* Contra eumdem FORSTERVM etiam in aciem produxit, licet eum

non nominet, IO. MICH. DILHERRVS, in *lectionis rabbinorum adſertione*, quae *diſputationum* eius *academicarum praecipue philologicarum tom. I. p. 335. ſeqq.* exſtat. Cumprimis autem pro vtilitate & neceſſitate ſcriptorum rabbinicorum militauit THEOD. HACKSPANIVS, in *tractatu de ſcriptorum iudaicorum in theologia vſu vario & multiplici*, quem libro *nizzachon* R. LIPMANNI Norimbergae anno 1644 a ſe edito, ſubiecit. Notatur tamen hic rurſus ab ABR. CALOVIO, ac ſi interdum plus, quam decet, Iudaeorum doctoribus tribuerit; *l. c. p. 16.* & *17.* Vt paucis & meam hac de re exponam ſententiam; nunc quidem de illorum gentis ebraeae doctorum, qui commentariis ſuis ſcripturam ſacram explicare adgreſſi ſunt, monumentis ſermonem eſſe, moneo. De ea enim quae ex talmudis, ſcriptorumque talmudicorum lectione, hauriri poteſt, vtilitate, iam ſupra diximus, *lib. I. cap. IV.* ad *§. VI.* Sed & de kabbaliſticorum ſcriptorum vſu ibidem verba fecimus. Poteſtque generatim de omnibus ſcriptis Iudaeorum, praeſertim tamen veterum, adſeri, praecipuum, quem ex iis capere licet, in eo conſiſtere vſum, quod interdum antiquitatibus gentis ſuae lucem quamdam adfundant; quam quam caute hac in re incedendum, nec omnibus eorum effatis ſine adcuratiori diiudicatione adhibenda fides; & quod ſubinde teſtimonia quaedam veritatis vel inuiti nobis ſuppeditent, quae aliis, quoties in certamen nobiscum deſcendunt, haud infeliciter opponimus. Praeterea eos, qui cum Iudaeis congredi, illosque ad veritatis agnitionem perducere cupiunt, ipſa quoque illorum, quae pro erroribus ſuis confirmandis ſtabiliendisque concinnarunt, ſcripta, legere oportere, poſitum apud omnes, vt puto, eſt extra controuerſiam. Aërem enim, ſi hoc non fecerint, verberabunt, omniumque ſe exponent ludibrio. Ad ſcripturae vero quod attinet explicationem; nucleum iterum, ſeu dogmata, quibus mortalibus vera ad ſalutem via monſtratur, diligenter diſtinguere oportet, a cortice, ſeu verbis formulisque, ceterisque praeſidiis, quibus ad ſenſum litteralem inueſtigandum eruendumque opus eſt. Qui in dogmatibus, viam ad ſalutem monſtrantibus, nucleumque ſcripturae ſacrae conſtituentibus, praeſertim myſteria nobis pandentibus, itemque prophetarum de Chriſto vaticiniis, lucem quamdam ex Iudaeorum commentariis ſibi pollicetur; eum luce omni orbatum, & tenebris prorſus immerſum eſſe, adfirmare non dubito. Summae certe caecitatis indicium eſt, caecos eligere ductores, quos in maximi momenti rebus ſequamur. A dogmatibus autem eiusmodi ſi diſcedas, praeſidiaque, quibus ſenſus litteralis inueſtigari poſſit, quaeras; recordandum iterum, commentarios Iudaeorum non eſſe vnius generis. Nonnullos מדרשים ſeu *expoſitiones allegoricas* ſcripſiſſe, alios traditionibus maiorum inhaerere, quosdam kabbaliſticis explicationibus, aut reuera nugis, delectari, ſupra obſeruauimus. Ex hiſce omnibus parum aut nihil capias, quod in ſcripturae explicatione proſit. Aliter equidem de iis cenſendum, qui de ſenſu litterali ſunt ſolliciti, grammaticaeque ebraeae notitia inſtructi, ad ſcripturae interpretationem accedunt. Hi enim vt lucem interdum minime contemnendam locis quibusdam obſcurioribus adfundunt: ita digni ſunt, qui legantur, euoluanturque. Nec tamen plus, quam decet, & hiſce tribuendum. Quantumuis enim chriſtiani grammaticae ebraeae ſtudium a Iudaeis acceperint; quantumuis etiam R. DAVID KIMCHI in eo exemplum reliquerit, quod plerique, qui ingenii vires in eo periclitari voluerunt, deinceps ſequuti ſunt: hodie tamen chriſtianos ad maiorem illud deduxiſſe perfectionem, Iudaeosque ab iis multum in adcuratiori linguae ebraeae notitia vinci; nemo,

nemo, niſi harum rerum plane ignarus, negauerit. Ipſos Iudaeos, ſe linguae ebraeae non adeo peritos eſſe, fateri, R. MOSIS MAIMONIDIS teſtimonio, *more neuochim part. II. cap. LXVII.* itemque R. GEDALIAE, in *ſchalſcheleth hakkabbala*, *pag. 91.* viri docti dudum comprobarunt. IOAN. CHRISTOPH. WAGENSEILIVM *recenſionum Iudaeos concernentium*, quas germanice edidit, *part. I. p. 41.* chriſtianis in peritia linguae ebraeae, variiſque grammaticae capitibus, palmam prae Iudaeis concedere, notum, & a VALENTINO quoque ERN. LOESCHERO obſeruatum eſt, qui & idem calculo ſuo comprobat, *de cauſſis linguae ebraeae lib. I. cap. IX. §. XVIII. p. 124.* Conferendus & RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. cap. II. p. 358. & 359.* vbi docet, grammaticam Iudaeorum ad adcuratam linguae ebraeae notitiam comparandam non ſufficere. Iam ſi porro conſideretur, reliquis etiam ſubſidiis, quae ars critica, hiſtoria, chronologia, geographia, & aliae humanae eruditionis partes, ſuppeditant, chriſtianos longe melius hodie inſtructos eſſe, quam Iudaeos illos, quorum in ſcripturam ſacram commentarios tenemus: falli magnopere eos, manifeſtum fiet, qui tantum ex horum ſcriptis ſapere cupiunt, aut haec ita laudant, vt chriſtianorum labores exegeticos contemnant, vel nihil boni ac egregii ab his proficiſci poſſe, exiſtimant, quod non ex Iudaeorum fontibus hauſtum ſit.

§. XII. Poſt bonarum litterarum reſtitutionem, & quae cum ea coniuncta fuit, eccleſiae emendationem, plurimi, quidquid aut linguarum peritia, aut notitia antiquitatum, omniſque artis hermeneuticae adparatus, ſuppeditare poterat, ad ſacrarum litterarum ſecum attulerunt explicationem. Hinc & multum lucis illis acceſſit; licet amplius quid accedere potuiſſet, niſi ſimul ortae in religione diſſenſiones maximae grauiſſimaeque multorum animos partium ſtudio infeciſſent, quo praepediti, veritatem illis ſe offerentem videre, aut noluerunt, aut non potuerunt. Luculentam interim ad ſtudium exegeticum, idque non vna ratione, factam acceſſionem, negari nequit. *

* Dum ad eos accedimus, qui poſt eccleſiae emendationem, a beato LVTHERO ſuſceptam, ſcripturam ſacram commentariis illuſtrare adgreſſi ſunt: diſtincte incedendum; & qui tum ex noſtratibus, tum ex romanae eccleſiae addictis, aut reformatis etiam, ac Socinianis hoc munere functi ſunt, enarrandi. Tametſi enim partium ſtudium vel maxime a ſcripturae explicatione abeſſe debeat: nullibi tamen fere frequentius illud conſpicitur; cum quilibet partis, aut ſectae ſuae, placita in ſcriptura ſacra ſibi inuenire videatur, aut certe eius ad illa adcommodet ſenſum. Atque hinc omnino contigit, vt, licet plurimis praeſidiis hermeneuticis recentior aetas inſtructa ſit, quibus praecedentia ſaecula fuerunt deſtituta: nonnulli tamen interpretes hinc inde ſcripturam ſacram multis in locis obſcurauerint potius quam illuſtrauerint, ſenſumque verum & genuinum peruerterint, tantum abeſt, vt eumdem adſequuti ſint. Nec tamen hoc obſtat, quo minus & in pleriſque aliquid bonae frugis inueniatur. Vnde & praecipuorum auctorum, qui commentarios in ſcripturam ſacram in hocce temporis interuallo dederunt, ſuppeditare notitiam, noſtrarum ducimus eſſe

Digitized by Google

partium. Quod & eo magis noſtri eſt officii, quoniam ceteroquin hiſtoria, quam tradimus, theologiae exegeticae ſibi non conſtaret.

Inter noſtrates itaque primo iterum ſe nobis offert loco beatus MART. LVTHERVS, vir, ſi quis alius, diuinarum litterarum peritiſſimus. Commentarios is ſcripſit, enarrationesque quam plurimas, quasdam longiores, quasdam breuiores, in geneſin, deuteronomium, pſalmos haud paucos, eccleſiaſten, canticum canticorum, Eſaiam, aliosque veteris ac noui teſtamenti libros, aut librorum partes & capita. Quarum quidem commentationum indicem, ſecundum ſeriem librorum biblicorum diſpoſitum, indicatis in *tomis operum* LVTHERI locis, vbi exſtant, exhibet ABR. CALOVIVS, in *paedia theologica, de methodo ſtudii theologici*, & quidem *in adpendice p. 390. ſeqq.* Recte hinc etiam iudicauit CONR. PORTA, haud difficulter ex ſcriptis LVTHERI integrum in vniuerſam ſcripturam ſacram commentarium, ſeu, vt ipſe loquitur, *gloſſam* quamdam *ordinariam* confici poſſe; immo & ipſe loca ex ſcriptis LVTHERI, quae huic inſtituto inſeruire queant, indicauit: in *paſtorali Lutheri p. m. 62. ſeqq.* Optauit eiusmodi opus MICH. WALTHERVS, in *praefatione*, quam *officinae* ſuae *biblicae* praemiſit; cuius etiam voto ſatisfacere voluit ABR. CALOVIVS, in *bibliis germanicis gloſſatis*, quae anno 1682 tribus tomis in folio prodierunt, & in quibus explicationes ex ſcriptis LVTHERI deſumſit, vt tamen ſuas interdum adderet. Inter eos commentarios, quibus integros libros biblicos LVTHERVS explicauit, nonnullis magno in pretio eſt ille in *geneſin*, ex praelectionibus eius academicis in huncce librum, quas an. 1545 tertio ante mortem ſuam menſe abſoluit, concinnatus. Hiſtoriam operis huius refert VITVS LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi, lib. III. §. CXXXIX. p. 669. ſeqq.* Licet autem recitationes haſce LVTHERVS non inſtituerit, vt aliquando ederentur, vt ipſemet profitetur; ita tamen comparatae ſunt, vt quid ille in ſolida ſcripturae ſacrae explicatione praeſtare potuerit, ſatis ſuperque doceant. Recteque, quem iam laudauimus, SECKENDORFIVS pronuntiat: *interim admirari licet incredibilem viri in ſcripturis ſacris, extemporali ſermone explicandis, ſoliditatem & facilitatem, & ridere Pallauicini, Maimburgii, aliorumque ineptas cenſuras, quibus Lutheri dotes, quas inter ſuos minime inueniunt, ſubſannant, aut alto contemnunt ſupercilio. Praemeditatus ſane ad lectiones ſuas accedebat, conſultis interpretibus, quorum opera tunc exſtabant, celeberrimis, vt ex toto opere patet, idque omnino requirebat materiae ſublimitas & dignitas, quam in allegata praefatione agnoſcit &c. ſed de verbis & phraſibus parum ſolicitus erat, nec quidquam deſtabat ad calamum; l. c. p. 670.* Exſtat commentarius iſte germanice *tomo IX.* Altenburgenſium, immo totum huncce *tomum*, paucis quibusdam exceptis, implet. Quae in eo maxime obſeruatu digna occurrunt, SECKENDORFIVS *l. c.* ſummatim exhibet. *Commentarius in canticum canticorum*, qui *tomo IV.* Ienenſium latinorum, *p. 268. ſeqq.* exſtat, hic praetermittendus non eſt, tametſi eo *canticum* hocce paullo aliter interpretetur, quam vulgo fieri ſolet. Audire hac de re iterum iuuabit SECKENDORFIVM: *Fatetur autem Lutherus, ſe nouam viam in huius explicatione iniiſſe; diſcedit enim non ſolum a profana interpretatione, quaſi Salomon ſuos cum filia Pharaonis amores deſcripſerit, ſed & ab illa, qua coniunctio Dei cum ſynagoga, aut Chriſti cum anima fideli repraeſentari in hoc cantico putatur, ſuamque ſententiam hanc eſſe dicit, quod ſit encomium politiae iudaicae tunc florentiſſimae, & theſauro verbi diuini prae aliis omnibus gentibus ornatae; itaque plurima dicta de efficacia verbi, & inde in eccleſiam redundantibus beneficiis, exponit; l. c. lib. III. §. LXVII. p. 186.*

Digitized by Google

p. 186. Inter ea, quae LVTHERVS in nouum teſtamentum ſcripſit, eminet *commentarius* eius *in epiſtolam ad Galatas*, quem primum an. 1519, deinde recognitum an. 1524, & iterum an. 1535 edidit. Exſtat is latine in *tomis latinis Ienenſibus*, & quidem prima editio *tomo I. p. 368. ſeqq.* ſecunda *tomo III. p. 1. ſeqq.* tertia *tomo IV. p. 1. ſqq.* Collectus is itidem eſt ex recitationibus eius academicis, & a IVSTO MENIO in linguam germanicam conuerſus; qua quidem ratione *tomo VI. Altenburgenſ.* exſtat *p. 509. ſeqq.* Quae ad hiſtoriam eius ſpectant, refert VITVS LVD. SECKENDORFIVS *l. c. lib. III. §. XLII. p. 116. ſeqq.* vbi & more ſuo excerpta ex eodem exhibet. *Praefationem*, vltimae editioni praefixam, his orditur verbis: *Vix ipſe credo tam verboſum fuiſſe me, cum enarrarem publice hanc ſancti Pauli ad Galatas epiſtolam, quam hicce libellus exhibet. Et tamen ſentio, meas cogitationes eſſe omnes, quas in hoc ſcripto per fratres tanta diligentia ſignatas reperio, vt fateri cogar, vel omnia, vel etiam plura fortaſſe, in iſta publica tractatione a me eſſe dicta. Nam in corde meo iſte vnus regnat articulus, ſcilicet fides Chriſti. Ex quo, per quem, & in quem, omnes meae diu noctuque, fluunt, & refluunt, theologicae cogitationes. Nec tamen comprehendiſſe me experior de tantae altitudinis, latitudinis, profunditatis ſapientia, niſi infirmas, & pauperes quaſdam primitias, & velut fragmenta. Vnde & me pudet, in tantum apoſtolum, & organum electum Dei, meas tam egenas & frigidas commentationes edi. Niſi quod ipſum pudorem depudere cogit & impudenter audacem eſſe, infinita & horribilis profanatio & abominatio, quae in eccleſia Dei ſemper ſaeuiit, & ſaeuire hodie non ceſſat, aduerſus vnicam hanc & ſolidam petram, quam nos iuſtificationis locum dicimus.* Atque hinc etiam intelligere licet, cur LVTHERVS cumprimis *epiſtolam ad Galatas* tam copioſe, tamque diligenter ſibi enarrandam ſumſerit. Pulcherrimam enim ea illi praebebat occaſionem, doctrinam de iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo explicandi & confirmandi. Elogia, quibus nonnulli huncce *commentarium* ornarunt, legere licet apud CAR. ARNDIVM, in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata, cap. II. §. XLI. p. 134.* *Commentarius* LVTHERI *in primam Ioannis epiſtolam* diu in tenebris iacuit, donec in lucem protraheretur, ederetur que a IO. GEO. NEVMANNO, Wittebergae an. 1708. 8. Iam ſi, quid generatim de commentariis & explicationibus LVTHERI cenſendum ſit, quaeras; omnes, qui ſine praeiudicatis animi opinionibus ad earum lectionem accedunt, praeter profundam rerum theologicarum cognitionem, vitam & ſpiritum in iis ſe deprehendere, adeo, vt aliorum expoſitiones cum iis comparatae, velut mortuae ſint, fateri oportet. Multorum idem ſentientium teſtimoniis illud comprobari poſſet, ſi opus eſſet. Nonnulla CONR. PORTA refert, in *paſtorali Lutheri p. 62. ſeqq.* ex quibus illud ſolum PHIL. MELANCHTHONIS ex *praefat. tom. III. latin. operum Lutheri* repetere placet: *Scio Eraſmum ſolitum dicere neminem eſſe interpretem dexteriorem omnium, quorum exſtant litterae, poſt apoſtolos. Et audiui ipſe ſapientes & graues viros, & doctrinam eccleſiae intelligentes, idem de Luthero praedicare, nec obſcura res eſt, iudicium & candorem in lectione adhibenti.* RICHARDVS tamen SIMON nonnulla, quae in commentariis LVTHERI carperet, ſibi inueniſſe viſus eſt; in *hiſtor. crit. vet. teſt. lib. III. cap. XIV. p. 432. ſeqq.* Vitio namque ei vertit, quod non tam textui explicando inhaereat, quam ad argumenta & quaeſtiones theologicas & morales digrediatur, & in eas ita ſe diffundat, ſimulque a ſe diſſentientes refutet, vt controuerſias potius tractare, quam ſcripturam ſacram exponere videatur. Deinde & hoc SIMONI diſplicet, quod LVTHERVS rabbinorum

ſcita, & decreta grammaticorum, inſuper habeat, nec iis ſe teneri, profiteatur. Verum, quod ad prius attinet, LVTHERVS in hacce commentandi ratione morem ſaeculi ſui, immo ipſos patres, ſequutus eſt. Nec ea contemnenda aut improbanda eſt: ſiquoniam ita nucleus ſcripturae ſacrae ſimul exhibetur, cum criticorum ieiunae & ſteriles commentationes haud raro circa corticem ita haereant, vt nucleum non adſequantur, aut eum amittant. Modus vbique ſeruandus eſt, ſi eximium quid atque praeſtans ex eiusmodi labore reſultare debet. Grammaticorum leges ac regulas non prorſus neglexit, aut negligendas docuit, LVTHERVS, immo earum neceſſitatem ipſemet agnouit. Contemtim autem cum de iis loqui videtur; mens eius eſt, in ſcripturae interpretatione non ita grammaticorum regulis ſtandum, vt rerum ipſarum negligatur conſideratio. Hoc verba eius, quae ipſe recitat SIMON, eum condocere poſſent: *grammatica quidem neceſſaria eſt & vera, ſed ea non debet regere res, ſed ſeruire rebus.* Quod LVTHERI principium nec ipſe improbare audet SIMON: etſi contendat, eum illud obtentui ſumſiſſe, vt ſua placita eo tutius pro ſcripturae ſacrae venditare poſſet ſenſu: quod tamen probandum erat. Linguae ebraeae LVTHERVM minime rudem fuiſſe, & verſio eius ſcripturae germanica, & commentarii abunde teſtantur. Eius etiam vtilitatem & neceſſitatem cum probe intelligeret; auctor ſuaſorque theologiae cultoribus exſtitit, vt eam diligenter condiſcerent. *Quare ſaepe monui*, inquit, *vt ebraeam linguam diſceretis, nec eam ita negligeretis. Etſi enim eius linguae nullus alius eſſet vſus, tamen pro gratiarum actione diſcenda erat, quod pars quaedam religionis, & cultus Dei eſt, eam linguam docere, vel diſcere, quae ſola, quidquid vsquam diuini eſt, docet. Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur ſancti inuocantes, & maximas res gerentes, vt ſtudium, quod in hanc linguam diſcendam collocatur, miſſa quaedam, ſeu cultus Dei merito vocari poſſet. Quare ſerio vos hortor, ne eam negligatis*; in *enarrat. pſalmi XLV. tomo III. latin. Ienenſ. p. 444. col. 2.* Acriter etiam, vehementerque RICH. SIMON in LVTHERVM inuehitur, vbi *commentarium* eius in *epiſtolam ad Galatas* recenſet; *hiſt. crit. commentat. noui teſtam. c. XLVI. p. 684.* Sed nihil aliud agit, quam vt adfectum malignum prodat; cumprimis eum male habet, quod LVTHERVS patribus graecis AVGVSTINVM praetulerit. Quod mirum non eſt, cum animum ad Pelagianos errores pronum SIMON vbique fere demonſtret, hinc & patrum graecorum, quos Pelagianis fauere, ſibi perſuadet, explicationes numquam non laudat, reiectis iis, quae ab AVGVSTINO, aut gratiae diuinae contra Pelagianos adſertoribus, ſunt profectae.

PHIL. MELANCHTHONIS nonnulli, qui eccleſiae noſtrae commentatores, & ſcripturae interpretes recenſent, nullam faciunt mentionem: cum tamen plurima viri huius doctiſſimi exſtent argumenta, commentarii, enarrationes in varios ſcripturae ſacrae libros, vt *commentarius* in *geneſin*, in *pſalmos*, in *Danielem*, in *Zachariam*; *explicatio prouerbiorum Salomonis*; *enarratio libri Salomonis, cui titulus, eccleſiaſtes*; *enarratio euangelii ſecundum Matthaeum*; item *ſecundum Ioannem*; porro *epiſtolarum Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Coloſſenſes &c.* In hiſce etſi tantus eruditionis longe quaeſitae, & ſaepe ad oſtentationem tantum comparatae, adparatus non conſpiciatur, commentariis, quantus in recentiorum quorumdam deprehenditur: minime tamen contemnendi ſunt. Textum namque adcurate ſequitur, ſenſumque plane & perſpicue ediſſerit, & ad dogmata ita digreditur, vt non longius, quam par eſt, ſeſe diffundat. RICH. SIMON, de *commentariis* MELANCHTHONIS

Digitized by Google

NIS in quaſdam Pauli *epiſtolas* verba faciens, agnoſcit, quod textui inhaereat: & nihilo ſecius ingenium rhetoris & declamatoris, quod in omnibus eius libris com pareat, in iis quoque deprehendere ſibi videtur. Operoſum enim eum eſſe in analyſibus; epiſtolasque adeo haſce exponere, vt in ſcholis orationes Ciceronis, plane ac ſi apoſtolus regulas rhetorices ſequutus eſſet; *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XLVI. p. 695.* Verum, etiamſi apoſtolus regulas rhetorices ſequutus non ſit: ita tamen loquutus eſt, vt verba eius, atque adeo cogitationes, concinne cohaereant. Iſtumque qui per analyſin oſtendunt nexum, nihil quod reprehendi debeat, faciunt; immo interdum, vt locis obſcurioribus lux adfundatur, hoc prorſus eſt neceſſarium. Interim lubens fateor, quosdam in analyſi librorum biblicorum nimis anxios eſſe, nimisque ſcrupuloſos. Quae ipſe MELANCHTHON pro defenſione methodi ſuae adfert, ita comparata ſunt, vt ad ea nihil ſolidi RICH. SIMON reſpondeat. Id autem porro deſiderat, quod MELANCHTHON vbique nimis diffuſus ſit, & nihil fere aliud, quam controuerſias theologicas, tractet, doctorisque potius, quam interpretis munere fungatur. Quemadmodum vero prius perperam dici, ipſa commentariorum iſtorum quemlibet condocebit lectio; ita, dogmaticam explicandi ſcripturam rationem, modo in ea veri quoque & genuini ſenſus habeatur ratio, minime contemnendam eſſe, antea iam obſeruauimus. Ipſe vero etiam SIMON diffiteri nequit, MELANCHTHONEM plurimis in locis ſenſum litteralem Pauli apoſtoli optime explicare, iuuenesque, quos in recitationibus ſuis erudiebat, adhortari, vt diligenter ad verborum proprietatem attenderent: quamuis ſimul addat, controuerſias, quae eo tempore agitabantur, animum eius ita occupaſſe, vt numquam non in commentariis ſuis eas attigerit; *l. c. p. 698.* Praeterea id RICH. SIMONI placet, quod in doctrina de gratia, capitibusque connexis MELANCHTHON ad graecorum patrum propius, quam ad AVGVSTINI accedat ſententiam; qua in re vt a LVTHERO diſſenſerit, ita pleroſque noſtrae eccleſiae doctores illum fuiſſe ſequutos, vtpote qui gratiam vniuerſalem agnoſcant, & atrocia CALVINI placita deteſtentur; *l. c. p. 696.* Nimirum, agit hic iterum SIMON, quod agere ſolet, vt graecos patres AVGVSTINO praeferat; cuius rei iam antea indicauimus cauſſam. Ad MELANCHTHONIS autem in hocce capite ſententiam quod attinet; eum non ſatis in hacce doctrina ſibi conſtitiſſe, tandemque a LVTHERO quoque diſſenſiſſe, notum eſt; adeo, vt ad alterum, quod hac in re non minus euitandum eſt, extremum paulliſper deflecteret, & hominis viribus in conuerſione plus, quam decet, tribueret. Quare licet recte SIMON dicat, pleroſque (immo omnes genuinos) eccleſiae noſtrae theologos, gratiam vniuerſalem adſerere, & CALVINI abſolutum decretum deteſtari: non tamen inde ſequitur, MELANCHTHONIS placita prorſus eos adprobare, vtpote, quae in ſynergiſtis, quos vocant, potius reiecerunt. Quando denique RICH. SIMON, cum de MELANCHTHONE verba facere incipit, hac occaſione duriora quaedam & eius, & LVTHERI contra theologos Pariſienſes effata, diligenter recitat; non ſine intima quadam delectatione, ac tacita adprobatione illum hoc facere, exiſtimo; cum aliunde conſtet, nec ipſi hoſce magnopere placere theologos.

LVTHERI atque MELANCHTHONIS *σύγχρονος* fuit IO. BRENTIVS, Stuttgardienſis in ducatu Würtenbergico praepoſitus, isque multis atque egregiis in eccleſiam noſtram meritis inſignis. Immortale autem cumprimis ſibi peperit nominis decus, commentariis, quibus pleroſque ſcri-

ſcripturae libros illuſtrauit, quiue maximam *operum* eius iunctim editorum partem conſtituunt. *Octo* nimirum haecce eius opera abſoluuntur *tomis*, quorum ſeptem ſcripta eius exegetica continent, vltimus autem, ſiue octauus, polemica. Quid in ſingulis inueniatur, indicat LVDOV. MELCH. FISCHLINVS, in *memoria theologorum Wirtembergenſium bipartita, part. I. p. 34. ſeqq.* Dogmaticam equidem itidem praecipue ſequitur commentandi rationem; ſed vt nihil quoque eorum praetermittat, quae ad ſenſum litteralem inueſtigandum pertinent. Hinc recte de eo SAL. GLASSIVS noſter pronuntiat: *Digniſſima profecto ſunt huius inſignis theologi ſcripta exegetica, praeſertim in veteris teſtamenti libros, quae diligenter euoluantur ab omnibus, qui theologiae & philologiae ſacrae etiam ſtudio addicti ſunt; quippe doctrinae caeleſtis omnigenae, & obſeruationum variarum ex ebraeo textu plena; philolog. ſacr. lib. IV. tract. I. obſeruat. V. not. II. p. m. 865.* ABR. CALOVIVS inter commentatores ſcripturae proximum a LVTHERO locum BRENTIO tribuit, variaque in eius laudem adfert. *Nec praeter meritum*, inquit, *facultas theologica Tubingenſis, in editione operum beati Brentii, beatum Lutherum cum Elia, Brentium cum Eliſaeo comparans, certa ratione horum commentationes patrum ſcriptis & expoſitionibus praeferendas cenſuit;* in *praeloquio generali ad biblia illuſtrata, p. 11.* LVDOV. MELCH. FISCHLINVS auctor eſt, SEB. SCHMIDIVM ad quemdam ſacrarum litterarum cultorem dixiſſe: *ſi in ſtudio exegetico laudabiles facere cupis progreſſus, lege Brentium; abſque illo, ſi rem tractaueris, nihil ſolidi praeſtabis; l. c. pag. 30.* Quae BRENTIVS pariter ac LVTHERVS fuſius copioſiusque ſcripſerunt; ea breuiter atque ſummatim fere exhibuit LVC. OSIANDER, in paraphraſi ſua perpetua in vniuerſam ſcripturam ſacram. Quae operis iſtius ſit ratio, indoleſque, ex inſcriptione eius intelligitur; *ſacra biblia, ſecundum veterem, ſeu vulgatam tranſlationem, ad fontes ebraici textus emendata, & breui, ac perſpicua explicatione illuſtrata, inſertis etiam praecipuis locis communibus, in lectione ſacra obſeruandis.* Tria itaque praeſtitit OSIANDER: verſionem vulgatam, quam fundamenti loco ponit, emendauit; textum paraphraſi illuſtrauit; & dogmata, ſeu locos communes indicauit. Quam ſane minime contemnendam eſſe methodum, nemo non intelligit. Prodiit hocce opus Tubingae, tum alias, tum & an. 1597 tribus tomis in fol. In *praefatione, tomo primo* praemiſſa, cauſſam indicat, qua permotus, opus hocce adgreſſus ſit: quia ſcilicet verſio vulgata theologiae cultorum manibus quotidie teratur, & magnam obtineat auctoritatem. LVTHERI tamen & BRENTII laboribus multum ſe adiutum, profitetur. *Libenter*, inquit, *fateor, me in hoc ſuſcepto labore ita adiutum clariſſimorum virorum D. Lutheri, & D. Brentii, ſanctae memoriae, commentariis, vt abſque illis hoc iter ingredi nequaquam auſus fuiſſem; & lector attentus illorum res & verba paſſim agnoſcet.* Commendat itaque etiam hocce OSIANDRI opus ABR. CALOVIVS. *Beatum Lutherum*, inquit, *& Brentium, feliciter ſectatus eſt beatus Lucas Oſiander, in paraphraſi ſua, numquam ſatis laudata, qua iuxta cum enucleatione vulgatae verſionis e textu originali inſtituta, ſenſum litteralem vbiuis fere expreſſit, & neruoſa breuitate exhibuit, inſertis etiam, ſed ſuccincte, praecipuis locis communibus; vnde frequenter hac eius opera in hiſce adnotatis, non ſine inſigni fructu vſi ſumus;* in *praeloquio generali ad biblia illuſtrata pag. 12.* Conferendus & LVD. MELCH. FISCHLINVS, in *memoria theologorum Wirtenbergenſium bipartita, part. I. p. 149.* Inſtitutum OSIANDRI, quod verſionem vulgatam retinuerit, & in paraphraſi, vbi forte ad textum ebraeum

aut

Digitized by Google

aut graecum emendari debeat, oſtenderit, laudat RICH. SIMON: maiorem tamen linguae ebraeae peritiam in eo deſiderat; *hiſt. crit. vet. teſt. lib. II. c. XXI. p. 327. 328.* Addenda, quae ſupra ad §. *VI.* obſeruauimus, cum de iis loqueremur, qui verſionem vulgatam emendare voluerunt. De verſione operis illius germanica ad §. *VII.* dictum. Inter fidos LVTHERI paraſtatas, qui eccleſiae emendationem promouerunt, haud vltimus quoque fuit IO. BVGENHAGIVS, a patria Pomeranus dictus; cuius vt in aliis theologiae partibus, ita & exegetica, haud pauca exſtant ingenii monumenta. Commentarios eius in varios ſcripturae ſacrae veteris & noui teſtamenti libros recenſet IACOBVS LE LONG, *bibliothecae ſacrae tom. II. p. 656.* ſed longe adhuc accuratius CHRISTOPH. FRID. LAEMMELIVS, in *catalogo ſcriptorum Bugenhagianorum*, quem *epiſtolae* BVGENHAGII *apologeticae, contra ſcriptores adiaphoriſticos &c.* Hamburgi an. 1709. 4. *in lucem publicam reductae*, ſubiecit. Eminet autem inter reliqua eius ſcripta exegetica *commentarius in pſalmos*, Baſileae an. 1524 editus, & deinde ſaepius recuſus, & in linguam quoque germanicam translatus. *Scholia* BVGENHAGII *in Iobum breuiſſima quidem*, ſed *admodum erudita*, quamuis a pleriſque, qui ſcripturae interpretes enarrant, praetermittantur, vocat THOM. CRENIVS, in *notis ad Io. Vorſtii cogitata, de ſtilo noui teſtamenti*, *faſc. I. exercitation. philologico-hiſtoricar. p. 35.* *Adnotationes* BVGENHAGII in *decem epiſtolas Pauli, ad Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, vtramque ad Theſſalonicenſes, vtramque ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Ebraeos*, Baſileae an. 1524 editas, ſub examen reuocat RICH. SIMON, *hiſt. crit. comment. noui teſt. cap. XLVII. p. 713.* Sed id reprehendit, quod in noſtratibus, illius praeſertim aetatis, reprehendere ſolet, ſcilicet, quod loco exegeſeos dogmata tractet, & ſectae, quam vocat, Lutheranae placita vbique inſerat.

MATTHIAM quoque FLACIVM illyricum non vno nomine de theologiae exegeticae ſtudio praeclare meritum eſſe, neminem fugit. De *claue* eius *ſcripturae*, opere prorſus inſigni, iam ſupra ad §. *II.* ex inſtituto dictum eſt. Edidit vero etiam *gloſſam*, quam vocat, *compendiariam*, hoc eſt, breuem & ſuccinctum commentarium in nouum teſtamentum; Baſileae an. 1570 fol. Quam quidem qui ſine partium ſtudio, & praeiudicatis animi opinionibus, legerit, deprehendet, non ſine ratione FLACIVM a SAL. GLASSIO *ſcripturae explanatorem dexterrimum* vocari, in *philol. ſacr. lib. I. tractat. III. p. m. 186.* Ad methodum, qua vſus eſt, quod attinet; in illis, qui ante eum in ſcripturam ſacram commentati ſunt, deſiderat, quod citra neceſſitatem copioſi fuerint, & in digreſſiones ac excurſus ſeſe diffuderint plane inutiles, textus nulla interdum habita ratione. Hanc itaque laudat interpretandi ſcripturam methodum, in qua nihil aliud, quam quod ad textum illuſtrandum pertinet, adfertur. In idem tamen, quod in aliis reprehendit, ſi RICH. SIMONI credimus, incidit vitium, ad dogmata & controuerſias theologicas ſubinde digrediendo, cum ſcholia tantum textum illuſtratura promiſiſſet. Adfectum quoque vehementiorem erga eos, a quibus diſſentit, aut quos refutandos ſibi ſumſit, in eo notat SIMON: cuius vitii virum cetera doctiſſimum non immunem fuiſſe, negari nequit. Doctrinam de praeſentia reali corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra caena, egregie a FLACIO confirmari, idem SIMON agnoſcit, in *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XLVII. p. 703.* Conſtitutum FLACIO fuiſſe, ſimilem *gloſſam* in vetus teſtamentum adornare, immo partem eius quamdam iam confeciſſe, diſcimus ex *epiſtola* paſtorum quorumdam Langenauiae in Sileſia congregatorum, quae ſubiuncta eſt *hiſtoriae diſputationis, ſeu potius colloquii,*

quii, inter Iacob. Colerum, & Matthiam Flacium illyricum, de peccato originis habitae in arce Langenau Sileſiorum, die XII Maii 1574 cura & ſtudio viri doctiſſimi GREG. LANGEMACK recuſae Sundii 1726, 8. *p. 93.* Idem etiam obſeruat IO. BALTH. RITTERVS in *vita Matthiae Flacii*, germanice ſcripta, *not.* ad §. *XXX. p. 196.* Aliam, quam illi, quos hucusque commemorauimus, explicandi ſcripturam rationem ingreſſus eſt IOACH. CAMERARIVS, vir vtique doctiſſimus, PHIL. MELANCHTHONIS diſcipulus, & cum eo, tum ob eruditionem, tum ob morum ſimilitudinem, comparandus. *Commentarium* is ſcripſit *in nouum teſtamentum*, in quo id agit, vt ſenſum litteralem, ſecundum grammaticorum leges & regulas exponat, ſepoſitis dogmatibus, controuerſiisque theologorum. Hoc ſibi conſtitutum fuiſſe, ipſe in *praefatione* indicat, dum, ſecundum ſuae, vt loquitur, profeſſionis, quae grammatica fuit, rationem & modum ſe ſcripſiſſe, adſerit. Hinc & de ſenſu litterali tantum eſt ſollicitus, illorumque inſtitutum improbat, qui, hoc neglecto, allegorias & tropologias conſectantur. Nonnumquam tamen & theologica attingit, & MATTHIAM FLACIVM, acerrimum PHIL. MELANCHTHONIS hoſtem, perſtringit, ſuam quoque contra eos tuetur innocentiam, qui illi imputabant, ac ſi docuiſſet, quae ſymbolo Athanaſiano aduerſantur. De hiſce omnibus, & aliis, quae ad *commentarii* iſtius, immo ipſius CAMERARII commentationem pertinent, copioſius differit RICH. SIMON, qui FLACIVM cum CAMERARIO ita contendit, vt hunc illi longe praeferat, eumque ob methodum, quam obſeruauerit, linguae graecae peritiam, vt & ingenium manſuetum ac moderatum, vehementer laudet; *hiſt. crit. comment. noui teſt. cap. XLVII, p. 703. ſeqq. Adnotationes* eiusdem CAMERARII in *ſententias Siracidae*, ſeu *eccleſiaſticum*, itidem viris doctis in pretio ſunt, aliorumque in huncce librum commentationibus praeferuntur. Legendus de iis THOM. CRENIVS, *animaduerſ. philolog. & hiſt. part. II. p. 24.* & *part. VI. p. 183.*

Celeberrimum porro inter ſaeculi XVI theologos fuit DAV. CHYTRAEI nomen, qui & tum aliis, tum exegeticis quoque ſcriptis, de eccleſia noſtra praeclare meritus eſt. *Commentarios* namque *in geneſin, exodum*, aliosque veteris ac noui teſtamenti libros, reliquit; quos dum OTTO FRID. SCHVTZIVS adcurate & diligenter in *commentariorum de vita Dauidis Chytraei libris quatuor* enarrat: varia ſimul, ſcitu haud indigna, & hiſtoriae theologiae exegeticae lucem adfundentia, admiſcet. Nimirum, dum *commentarium* CHYTRAEI *in Matthaeum* recenſet: quam is, aliique iſtius aetatis theologi, generatim explicandi ſcripturam obſeruauerint rationem, hunc in modum edifferit: *De vniuerſa autem Chytraei in libros ſcripturae commentandi ratione id quidem ante omnia tenendum, illum, praemiſſa capitis diuiſione, ſingulas eius partes veterum more ad locos communes referre, quibus breues ex philologia ad verba & phraſes difficiliores ſubiungit adnotationes, nec non hiſtorica quaedam, quae ad dilucidationem capitis ſpectant. In quibus poſtremis ſaepe iuſto breuior, in locis vero diducendis, prolixior eſt, vt vel integros interdum locos, qua omnes ſui partes explicatos, inſerat, quales in commentariis locum non habere debebant. Sed quod inſtitutum quam maxime adriſit ſaeculo illi, quod neglecta profana litteratura, qua recentiorum criticorum libri commentarii, eorum inprimis, qui in Belgio prodeunt, nimis abundant; ad vſum potius iuuenum, qui pro concione aliquando ſacros libros explicaturi erant, ſingula directe retulit, ſenſumque litteralem paucis indicauit, omiſſis, quae ex voculis apiculisque pendebant, difficultatibus. Quamquam id merito dandum noſtri ſaeculi lau-*

Digitized by Google

laudibus eſt, quod multi ſcriptores hac in parte veterum induſtriam longe vicerint, ii praeſertim, qui quoddam temperamentum inter textus explicationem ſolidam, & illius vſum hodie inſtituerunt; lib. I. §. XXVI. p. 124. Ita vtique ſe res habet: ſi primi, vetereſque noſtrae eccleſiae theologi, in vocibus, phraſibusque ſecundum indolem linguae, legesque grammaticorum explicandis, nimis parci, nimisque fuerunt ſteriles, nimis rurſus copioſi in dogmatibus: recentiori contra aetate quidam in deliciis, quas ars critica, linguarumque & antiquitatis ſacrae ac profanae notitia ſuppeditat, cumulandis, nimis profuſi ſunt, atque liberales, eiusque quod caput cauſſae erat, aut nullam, aut exiguam habent rationem. Recta contra incedunt via, qui & veterum & recentiorum vitia atque naeuos euitant, & quod in vtrisque laude dignum, ſobrie coniungunt. Sed de eo, quod in theologia exegetica, aut iis potius, qui ſcripturam ſacram commentariis ſuis explicare adprediuntur, aut laudandum, aut vituperandum ſit, in ſequentibus ſuo loco dicemus. Idem, quem laudauimus, vir clariſſimus, de CHYTRAEI *commentario in apocalypſin Ioannis* verba faciens, veterum recentiorumque in huncce librum commentatorum haud inepte inſtituit comparationem. De illo enim, quem CHYTRAEVS reliquit, cum obſeruaſſet, *quod & breuiſſimus ſit, nec alia habeat, niſi in vulgus nota atque protrita, praeſertim cum in explicatione apocalypſeos, quo recentiores ſint interpretes, eccleſiaeque fata melius perſpecta habuerint, hoc priori loco ponendi ſint*; addit: *Qua tamen ſententia, nec veterum ſtudiis quidquam detrahere, nec recentioribus nimis tribuere velim. Habent vtrique, quod laudandum eſt, & quod minus. In illis commendatur modeſtia, qua in generalioribus ſubſiſtere maluerunt, ne temere inuolare in arcana prophetica viderentur. In his curatior cum veteri teſtamento collatio (quamquam nec haec ab omnibus veterum praetermiſſa) enodatio ſymbolorum atque figurarum propheticarum exactior, & vberior lux ex fatis eccleſiae, quae ex hiſtoria, rerum magiſtra, ad finem vsque ſaeculi maior indies futura eſt. Contra illi ſua modeſtia nimis ſicci in rebus ſunt, & ad locos communes digrediuntur, cum illorum fundamentum, litteralis ſenſus, vix ex abyſſo prophetiarum erutus ſit. Hi nimium perſpicaces ſunt in recludendis prophetiae arcanis, quae ad cerebri ſui ideas detorquent; vbi alter certas temporum periodos fingit, &, quod maius eſt, ipſos annorum numeros determinare audet; alter fata ſingularia cuiusdam principis, aut regni, v. g. regicidium anglicanum, furorem exercitus ligiſtici, caedem Guſtaui Adolphi, Sueci, inueniſſe in apocalypſi ſomniat. Inde tot apocalypſes reſeratae, tot chronotaxes apocalypticae proſtant, haud ſecus, ac ſi illis clauis ſcientiae, quam olim domus Dauidis habuit, aut abacus prouidentiae diuinae, monſtratus eſſet; l. c. part. I. §. LIII. p. 262.* Ad ſcripta CHYTRAEI, quae theologiae exegeticae ſtudio inſeruiunt, referri etiam poteſt eius *onomaſticon theologicum, in quo praeter nomina propria, quae in bibliis exſtant, omnium ſanctorum, qui calendario inſcribuntur, item martyrum, haereticorum, ſynodorum &c. nomina, & hiſtoriae breuiter adnotatae ſunt*; quo velut lexicon aliquod biblicum & eccleſiaſticum exhibetur. Dum iſtud OTTO FRID. SCHVTZIVS *l. c. §. XXXII. p. 155. ſeqq.* commemorat: de aliis etiam, qui aut *biblica*, aut *hiſtorica lexica*, recentiori praeſertim aetate, condiderunt, differit. Ad eos, qui *biblica* concinnarunt, ea ratione, vt nomina propria, in ſacra ſcriptura occurrentia, exhiberent & explicarent, quod attinet; MATTH. HILLERVM, in *onomaſtico ſacro*, omnibus dubiam reddere palmam, ſupra iam obſeruauimus, cum de HIERONYMO verba faceremus.

MART. CHEMNITIVS, theologus ſummus, & alibi nobis iam ex merito commen-

mendatus, locum hic ſibi vindicat ob *harmoniam quatuor euangeliſtarum*, ab eo quidem inchoatam, ſed a POLYC. LYSERO continuatam, & a IO. GERHARDO noſtro ad finem perductam. LYSERVS incepit a *capite LII.* GERHARDVS autem a *capite CXLI.* Prodiit hocce opus primum per partes ſingulas, donec tandem integrum & Geneuae, & Roterodami excuderetur; quibus tamen editionibus ceu plenior & adcuratior praeferenda Hamburgenſis, quae an. 1652 prodiit, vt THOM. CRENIVS monet, *animaduerſion. hiſtoricar. & philologicar. part. IV. p. 218.* Conferendus CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca Ioan. Frid. Mayeri biblica, eaque continuata, cap. II. p. 110.* Nonnullas quoque editiones indicat NICOL. ALARDVS, in *bibliotheca harmonico-biblica ſect. III. c. II. p. 91.* In *prolegomenis*, & quidem *cap. II.* CHEMNITIVS, *de praecipuis ſcriptoribus, qui ad inueſtigandam & conſtituendam harmoniam hiſtoriae euangelicae, vtiliter aliquid contulerunt, & quam quisque rationem contexendae harmoniae ſequutus ſit*, diſſerit. Hinc de TATIANO, AMMONIO Alexandrino, EVSEBIO Caeſarienſi, & AVGVSTINO copioſe verba facit; de quibus & nos ſupra egimus. Ex ſequioris aeui ſcriptoribus PET. COMESTOREM, & alios quosdam commemorat; cumque quid circa initium ſaeculi decimi quinti IO. CHARLIERIVS GERSON exemplo AVGVSTINI in hocce genere praeſtiterit, enarraſſet: *poſt Gerſonem*, inquit, *multi argumentum illud tractandum ſuſceperunt, cum viderent in monoteſſaro Gerſonis quaedam nulla conſequentiae ratione cohaerere; quaedam loco alieno inſerta, quaedam citra neceſſitatem diſtracta, & aliis locis repetita. A variis igitur auctoribus & ante, & noſtro etiam tempore conſcripta ſunt* μονοτέσσαρα, τετρ[illegible]α, *conciliationes & concordantiae euangeliſtarum &c.* Sed cum nouam, planeque ſingularem viam, euangeliſtas inter ſe conciliandi, ingreſſus eſſet ANDR. OSIANDER: hanc quidem laudat CHEMNITIVS, at ſequi non audet. *Et in hoc genere*, inquit, *primus occurrit Andreas Oſiander, qui maximo labore, & ſingulari ingenii acumine, noua prorſus ratione harmoniam hiſtoriae euangelicae contexuit, ita, vt nullam hiſtoriam (exceptis duabus, Matthaei de euulſis ſpicis, & ſanata manu arida) extra contextum, quo in ſingulis euangeliſtis deſcriptae ſunt, loco mouere & transponere cogatur. Sentit enim contra totam antiquitatem, euangeliſtas nihil vel per anticipationem, vel per recapitulationem narraſſe: ſed ſingulos in ſuo contextu & ordine, temporis, & ſeriem rerum geſtarum ſeruaſſe; ita vt, exempli gratia, ſeruato ordine Matthaei, ex Marco, Luca & Ioanne, cuiusque ordine ſeruato, hiſtoriae, quae vel eaedem, vel diuerſae ſunt, ſuis certis locis, vel praemittantur, vel inſerantur; atque hoc modo, ſeruato cuiusque euangeliſtae ordine progreſſus fuit. Et valde concinna videtur haec ratio, quod nullius euangeliſtae contextus turbatur, nec transpoſitione hiſtoriarum ſurſum deorſum quaſi deſultare cogitur; ſicut fit in aliis harmoniis. Vnum tantum incommodum habet, quod hiſtorias, quae conſenſu totius antiquitatis, & circumſtantiis hoc manifeſte teſtantibus, apud diuerſos euangeliſtas eaedem ſunt, ipſe cogitur alias, ſeu diuerſas facere, & longo temporis interuallo diuellere; qua ratione ferme perit illa collatio euangeliſtarum, quomodo eadem hiſtoria, a diuerſis euangeliſtis deſcripta, additione plurium, & aliarum circumſtantiarum, & mutatione quorumdam verborum illuſtretur &c. l. c. p. 8.* Eumdem in modum de OSIANDRO, eiusque noua hypotheſi harmonica, diſſerit *cap. V. p. 18. 19.* Quid enim in ea praecipue deſideret, ita exprimit: *Quando vero praeſumitur, nullum euangeliſtam aliquid extra ordinem vel per anticipationem, vel per recapitulationem narraſſe, ſed ſingulos vbique & in omnibus ſeruaſſe & ordinem temporum, & ſeriem hiſtoriarum, videtur ſane compendioſa eſſe continuitas. Sed diligens*

diligens conſideratio & collatio circumſtantiarum ſaepe diuerſum clamitant. Ratio enim profectionum, ſeu peregrinationum Chriſti, & reliquae circumſtantiae, ſaepe hoc non admittunt; quae poſtea in harmonia patebunt, Accedit & hoc, cum euangeliſtae in plerisque easdem hiſtorias deſcribere, & illas ſua repetitione confirmare & illuſtrare voluerint, Oſiandri ratio cogit illa, quae res ipſa teſtatur, & tota antiquitas ſemper ſenſit, eadem eſſe, diſtinguere, & diuerſa facere. Verum haecce omnia, quae vir ſummus contra OSIANDRI ſententiam, in qua ipſemet ingenii acumen agnoſcit, in medium adfert, non magni ſunt momenti. Etenim ad incommodum illud, quod ex ea fluere, in *priori loco p. 8.* exiſtimat, quod attinet; ipſemet ſtatim ſubiicit, habere OSIANDRVM *reſponſionem admodum veroſimilem*, ſcilicet *non eſſe abſurdum, ſentire, quod Chriſtus ſimilia miracula mutatis paucis circumſtantiis ſaepius vel in iisdem, vel aliis locis, diuerſis temporibus, in aliis atque aliis perſonis ediderit, quodue eamdem doctrinae vocem verbis vel iisdem, vel ſimilibus, ſaepius inculcando, diuerſis temporibus repetiuerit.* Et in loco poſteriori *p. 29.* idem vir doctiſſimus diſerte, *non dubium ſane*, inquit, *eſt, easdem conciones ſaepius a Chriſto repetitas, & varia miracula, quae ſimilia fuerunt, ſaepius ab ipſo facta.* Quo ipſo, quod vel maxime ad confirmandam OSIANDRI hypotheſin facit, largitur. Eamdem vero etiam hypotheſin iis in locis procedere, vbi eam locum non inuenire, CHEMNITIVS putat, demonſtrari facili negotio poſſet: ſed ad ſpecialia deſcendere, huius loci non eſt. Antiquitatis teſtimonium, quod OSIANDRO opponit, parum hic ad rem facit; cum nulla adferri ratio queat, cur ea, quae nihil aliud, quam ingenium & induſtriam requirunt, non recentioribus potius, quam veteribus, innoteſcere potuerint. Mirum itaque non eſt, exſtitiſſe deinceps viros doctos, qui OSIANDRI calculo ſuo adprobauerint, eamque ſequuti ſint ſententiam. Hos inter fuerunt CAR. MOLINAEVS, atque LAVR. CODOMANNVS, ille iureconſultus, hic theologus clariſſimus. Vtriusque ipſe CHEMNITIVS mentionem facit, in *prolegom. c. II. p. 8.* De reliquis, qui eamdem amplexi ſunt hypotheſin, in ſequentibus ſuo loco dicemus. Laudatur porro in iisdem *prolegomenis l. c. 10.* BVGENHAGIVS, quod inter eos, qui vetuſtatis veſtigia in contexenda harmonia euangelica ſequuti ſunt, *egregium ſpecimen ediderit, in hiſtoria paſſionis & reſurrectionis Chriſti*; additurque, conſtitutum illi fuiſſe, totam hiſtoriam euangelicam in talem ordinem redigere, & ad Marci potiſſimum contextum adcommodare; cum vero ſenectute praepeditus, & morte praeuentus, opus hoc vix inchoare potuerit; ex eius delineatione PAVL. CRELLIVM, quod ipſemet profiteatur, ſuam exſtruxiſſe harmoniam. Laudatur denique & CORN. IANSENII harmonia, quae inſcripta: *commentarii in concordiam, & totam hiſtoriam euangelicam*, an. 1571 lucem adſpexit. *Et in hoc genere*, inquit CHEMNITIVS, *bonam & diligentem operam nauauit Cornelius Ianſenius in ordinem continuae narrationis redactis, & ſuo loco poſitis, quae euangeliſtae non ſeruata vel temporum, vel rerum geſtarum ſerie recenſent; expoſitis etiam rationibus ordinis, quae ex circumſtantiis vel manifeſtis, vel probabilibus, ſumtae ſunt.* Ad IO. CALVINI autem *harmoniam*, quae an. 1555 lucem adſpexit, & eius *commentario* in *Ioannem* addita eſt, quod attinet; de ea ita pronuntiat: *Sicut huc etiam non pertinet, quod Caluinus diſputat, euangeliſtas non habuiſſe magnam rationem ordinis, atque ideo ſaepe ea, quae quomodocumque ſimilia ſunt, licet diuerſis vel locis, vel temporibus acciderunt, in harmonia coniungit, omiſſa, & ſeorſim poſita hiſtoria Ioannis.* Quemadmodum autem ex iis, quae hucusque diximus de methodo, quae in haecce

euangeliſtarum harmonia obſeruatur, conſtare poteſt; ita cumprimis opus hocce commendandum, ob commentarium ampliſſimum, in quo textus euangeliſtarum adcurate, & ſummo ſtudio explicatur, variae quaeſtiones, eius illuſtrationi inſeruientes, ſolide deciduntur, dogmata denique, quae ad rem faciunt, perſpicue & diligenter tractantur. Quanti hocce opus faciendum ſit, vel inde intelligitur, quod acerrimus eiusmodi ſcriptorum cenſor RICH. SIMON nihil, quod in eo reprehenderet, inuenerit, varia contra, quae laudaret; *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XLVIII. p. 717.* CALOVIVS cum multa honorifice de *harmonia* hacce, eiusque auctoribus, diſſeruiſſet; tandem concludit: *adeoque opus illud omnibus verbi Dei cultoribus, ſacroſanctae theologiae, & miniſterii candidatis, ceu theſaurum euangelicum, auro & gemmis contra pretioſum iterum iterumque ſerio commendamus*; in *prolegomenis, bibliis illuſtratis noui teſtamenti* praemiſſis, *p. 13.* Aliorum elogia refert CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata, c. II. §. XXXIII. p. 109. ſeqq.* Cum autem IO. CLERICVS in harmoniis, quae hucusque prodierant, inter alia hoc deſiderat, quod nonnullae *aut ieiunis, aut operoſiſſimis commentariis fuerint illuſtratae*, in *praef.* quam *harmoniae* ſuae *euangelicae* praemiſit: aut me omnia fallunt, aut poſteriori voce harmoniam CHEMNITII, LYSERI, & GERHARDI perſtringere voluit. At, qui finem, ſcopumque, quem viri iſti doctiſſimi ſibi conſtitutum habuerunt, ponderauerit: facile deprehendet, nihil eos, quod non maximam promereatur laudem, feciſſe.

Ceterum, quoniam *harmoniae* ab ANDR. OSIANDRO, paſtore primum eccleſiae Norimbergenſis, deinde theologiae in academia Regiomontana profeſſore, & alias quoque ſatis noto, conditae, facta eſt mentio: non abs re fuerit, de ea aliquid adhuc addere. Cum fundamenti loco poneret, vt antea diximus, omnes quatuor euangeliſtas temporis ordinem obſeruare; ita eam contexuit, vt nullius euangeliſtae verbum omitteret, nullum alienum immiſceret, nullius ordinem turbaret, nihil non ſuo loco poneret, omnia vero litteris & notis ita diſtingueret, vt quid cuiusque euangeliſtae proprium, quid cum aliis & cum quibusdam commune ſit, primo ſtatim adſpectu deprehendi poſſet. Hoc enim ipſa inſcriptio nos docet. Prodiit, in *quatuor* diſtributa *libros*, primum, & quidem graece ac latine, vna cum *libro adnotationum* Baſileae an. 1537 fol. ſaepiusque deinceps recuſa eſt. Eruditis autem maxime in pretio eſt editio ROB. STEPHANI, quae Pariſiis an. 1545, 12. lucem adſpexit. In linguam germanicam a IO. SCHWEINZERO verſa, excuſa eſt Francofurti an. 1540, 8. Conferantur THO. CRENIVS, *animaduerſ. hiſt. & philolog. part. IV. p. 215.* & NIC. ALARDVS, in *biblioth. harmonico-bibl. ſect. III. c. II. p. 108.* Hiſtoriam *harmoniae* iſtius tradit auctor *diſſertationis prooemialis de potioribus harmoniarum euangelicarum ſcriptoribus*, quae editioni *harmoniae euangelicae* IO. CLERICI, quae Lugduni, aut potius Altdorffi an. 1700, 4. prodiit, praemiſſa eſt, hoc eſt, IO. MICH. LANGIVS, vir doctiſſimus, §. *IX.* Magnam non apud proteſtantes modo, ſed & apud romanenſes, nominis exiſtimationem hacce *harmonia* ſua OSIANDRVM conſequutum eſſe, adſerit RICH. SIMON, *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XLVIII. p. 714.* Interim pauci fuerunt, qui veſtigia eius premerent; quod inde forte contigit, quoniam placitis quibusdam heterodoxis famae ſuae OSIANDER labem adſperſerat; vt IO. MICH. LANGIVS *l. c.* coniicit. CAROLVM tamen MOLINAEVM, atque LAVR. CODOMANNVM, hancce eius hypotheſin calculo ſuo adprobaſſe, antea iam ſignificauimus. Deinde autem ex noſtratibus praeter alios cum-

cumprimis ABR. CALOVIVS, & CASP. HERM. SANDHAGENIVS, methodum hanc ornarunt, & prouexerunt, difficultateſque quaſdam, quas ſuperare OSIANDER non potuit, felicius remouerunt; de quibus ſuo loco dicemus. Ex Gallis autem eadem via inceſſit ABRAHAM COVET DV VIVIER *dans l'hiſtoire euangelique dans ſon ordre naturel* &c. hoc eſt, *hiſtoria euangelica, ordine natiuo repraeſentata, ſiue noua harmonia quatuor euangeliſtarum*, Hagae Comitum, an. 1706, 4. edita. Plura de OSIANDRI *harmonia* praeter eos, quos iam laudauimus, dabunt IO. GEO. PRITIVS, in *introduct. in lectionem noui teſt. cap. XV. §. VIII. p. 146. ſeqq.* PETR. LAMBERG, in *harmonia euangelica omnium dictorum & factorum domini noſtri Ieſu Chriſti, noua prorſus & ſuccincta methodo &c. concinnata*, in *prolegomenis §. V. p. 9.* CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata, cap. II. §. XXXIII. p. 113. ſeq.*

Poſt MART. CHEMNITIVM hic merito in cenſum venit AEGID. HVNNIVS, exegeticis non minus, quam polemicis ſcriptis, longe clariſſimus. Operaeque fecit pretium IO. HENR. FEVSTKINGIVS, dum, exegetica Hunniana iunctim edendo, ea velut ab interitu & obliuione vindicauit. Publicae namque luci is expoſuit *Aegidii Hunnii theſaurum apoſtolicum, complectentem commentarios in omnes noui teſtamenti epiſtolas & apocalypſin Ioannis*, Wittebergae an. 1705 fol. Cum vero HVNNIVS ſolum in *epiſtolas* Pauli *ad Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, priorem ad Timotheum, ad Titum, ad Ebraeos*, ac in *primam Ioannis*, lucubrationes adcurate elaboratas reliquiſſet, reliquas autem noui teſtamenti epiſtolas, ob mortem repentinam pari ſtudio & labore enucleare haud potuiſſet: editor, vt defectum illum ſuppleret, in Iacobi, & *vtramque* Petri *epiſtolam*, nec non Ioannis *apocalypſin*, breues quidem, ſed ſolidas ac perſpicuas IO. WINCKELMANNI, diſcipuli Hunniani, eiuſdemque in academia Marpurgenſi ſucceſſoris, commentationes, ſupplementi loco adiecit; *poſteriorem* denique *ad Timotheum, ſecundam* & *tertiam* Ioannis, & Iudae *epiſtolas*, ſua interpretatione ipſemet illuſtrauit, ac praemiſſis *prolegomenis*, cuiuslibet capitis argumentum & diſpoſitionem, analyſin, ſeu ſenſum, atque locos communes, HVNNII, & WINCKELMANNI methodum ſequutus, tradidit. *Theſaurum* huncce HVNNII *apoſtolicum* mox excepit eiusdem *theſaurus euangelicus*, ab eodem FEVSTKINGIO an. 1706 luci publicae expoſitus. Complectitur is *commentarios* in *quatuor euangeliſtas*, & *acta apoſtolorum*. Sed non omnes iſti HVNNIVM auctorem agnoſcunt; quippe qui MATTHAEVM ſolum, atque Ioannem hac ratione explicauit; morte praepeditus, quo minus Marcum, & Lucam, & huius etiam *acta apoſtolorum* commentario illuſtraret. Ne quid itaque deeſſet, ex [illegible] WINCKELMANNI, & DAN. ARCVLARII perſpicuos, & plane Hunniana, hoc eſt, paraphraſtica methodo concinnatos, in haecce noui teſtamenti ſcripta commentarios adiunxit. Praemiſit vero operi, HVNNII *de maieſtate, auctoritate, fide, & certitudine ſacrarum litterarum librum*, nobis iam alibi, vt par erat, commendatum. Subiuncta eſt vita HVNNII, a LEONH. HVTTERO ſcripta. RICH. SIMON in ſcriptis exegeticis HVNNII more ſuo hoc ſolum deſiderat, quod dogmata potius, & controuerſias tractet, quam ſcripturam ſacram explicet; *hiſt. crit. commentat. noui teſt. c. XLVII. p. 708.* Neſcio autem, quid ſibi velit, quando ſpeciminis loco verba HVNNII, de voce λόγος, ex *comment.* eius in *cap. I. Ioan.* adfert: *Porro Ioannes hanc adpellationem non iam primum excogitauit, ſed eam ex veteri teſtamento eſt mutuatus. Nam & Moſes & Dauid*

quid ſecundam perſonam trinitatis λόγον *adpellant, Moſes quidem geneſeos I. deſcribens hiſtoriam creationis mundi, ſingulis operibus praemittit, & dixit Deus, fiat lux &c. Ita pſalm. XXXIII. verbo Domini caeli firmati ſunt;* & hinc porro ſubiicit, talia romano-catholicum interpretem, qui ſcripturae traditionem veteris eccleſiae doctorum iungat, potius decere, quam doctorem eccleſiae proteſtantium, qui magnis prematur difficultatibus, cum Socinianis, interpretationes veterum ſcriptorum non recipientibus, reſpondendum ſit. HVNNIVS namque non ad traditionem, ſed ad ſcripturam ſacram veteris teſtamenti prouocat: quam cum Sociniani non repudient; non poteſt quis aptius contra eos diſputare, quam cum hac methodo incedit. Traditionem autem cum iſti homines non admittant, & recte quidem: romanenſium eſt, diſpicere, quo pacto eos conuincere queant. Fatetur interim SIMON, *commentarios* HVNNII theologiae cultoribus vſui eſſe poſſe, ob varias quaeſtiones, quae ſeparatim in iis tractentur.

POLYCARPVM LYSERVM, magni itidem nominis inter noſtrates theologum, ob MART. CHEMNITII *harmoniam euangelicam* continuatam, iam antea commendauimus. Idem vero etiam praeter *commentarium in geneſin*, a IO. GOTTL. CARPZOVIO, *introd. ad libros canonic. vet. teſt. part. I. p. 78.* cumprimis laudatum, & alia quaedam, a IAC. LE LONG commemorata, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 838.* reliquit *praelectiones academicas in prophetas minores*, quas eiusdem pronepos POLYC. LYSERVS, Cellenſium eccleſiarum antiſtes, an. 1709 ab interitu vindicatas, in publicam lucem emiſit, qui & de ſuo *commentationes in Haggaeum* addidit, ac ſuppleuit, vt ipſa inſcriptio docet. Vt autem aulam ſaxonicam electoralem LYSERVS, ita academiam Wittebergenſem doctrina ſua illuſtrauit FRID. BALDVINVS, haud infimi ordinis inter eos quoque, qui ſcripturam ſacram explicarunt, theologus. De *commentariis* eius in *librum Ioſuae, librum iudicum*, & *librum Ruth*, qui a nonnullis valde laudantur, nunc nihil dicam: ſiquidem concionibus, ſeu ſermonibus ſacris abſoluuntur, linguaque adeo germanica ſcripti ſunt. Rectius huc referuntur *commentarii* eius in *pſalmos poenitentiales, cum textu ebraeo, graeco & latino*, Wittebergae an. 1599, & deinde aliquoties excuſi. *Commentarios* eius in *Haggaeum, Zachariam & Malachiam*, Wittebergae primum an. 1610 editos, deinde a BALTH. FRID. SALTZMANNO *commentario* IO. SCHMIDII in *nouem priores prophetas minores* ſubiunctos eſſe, deinceps monebimus. Nec aliena ab hoc loco eſt eiusdem *paſſio typica, complectens perſonas, res, hiſtorias veteris teſtamenti, in quibus paſſio & mors Ieſu Chriſti praefigurabatur;* Wittebergae an. 1616. 8. Cumprimis hodie adhuc eruditis in pretio eſt *commentarius in omnes epiſtolas Pauli, in quo praeter analyſin, explicationem, & paraphraſin textus, multiplices commonefactiones eruuntur* &c. per partes primum ab an. 1611 ad 1630 editus, quae iunctim deinceps tum alias, tum & Francofurti 1710 fol. recuſae ſunt. Legendus de eo CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca Io. Fr. Mayeri biblica continuata c. II. §. XXXIX. p. 129.* itemque THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführl. Bericht von denen alten vnd neuen commentariis*, &c. ad *tom. II. der gründl. Erleuterung pag. 242. ſeqq.*

Sed hisce, aliisque, miſſis, ad beatum IO. GERHARDVM noſtrum potius accedimus, qui non tantum *harmoniae euangelicae* CHEMNITII colophonem impoſuit, vt antea diximus, ſed aliis quoque monumentis exegeticis memoriam ſuam ad poſteros propagauit. Ad ipſam equidem har-

harmoniam iſtam, ab eo ad finem perductam, quod attinet; obſeruatu adhuc dignum, eum non ſponte ſua ad laborem iſtum acceſſiſſe, ſed praeſtantiſſimorum theologorum, qui an. 1621 Ienae conuenerant, precibus, & velut decreto quodam, inductum, eum ſuſcepiſſe; quemadmodum ERDM. RVD. FISCHERVS docet, in *vita Gerhardi c. XIX. p. 427.* vbi & alia, ad hiſtoriam huius operis ſpectantia, lectuque non indigna, refert. Iam antea GERHARDVS in *harmoniam hiſtoriae euangelicae de paſſione, morte & ſepultura Chriſti* &c. item in *harmoniam hiſtoriae euangelicae, de reſurrectione & adſcenſione Chriſti* &c. *commentarium* ediderat. Vterque Ienae anno 1617. 4. prodiit. Reliqua GERHARDI ſcripta exegetica ſunt: *commentarius ſuper geneſin, in quo textus declaratur, quaeſtiones dubiae ſoluuntur, obſeruationes eruuntur, & loca in ſpeciem pugnantia conciliantur;* qui poſt auctoris obitum an. 1637. 4. primum Ienae prodiit, ab eo tamen elaboratus, & ad finem productus; quem & merito laudat, ſimulque ſpecimina quaedam ex eo exhibet THEOPH. ALETHAEVS *l. c.* ad *tom. II. p. 145. ſeqq. commentarius ſuper deuteronomium, in quo textus declaratur, quaeſtiones dubiae euoluuntur, obſeruationes eruuntur* &c. Ienae 1657. 4. in quo auctor in *commate VIII. capitis XXVII.* ſubſiſtit, morte quippe prohibitus, quo minus vlterius progredi poſſet; laudatur vero prae reliquis a IO. GOTTL. CARPZOVIO, *introd. ad libros canonicos vet. teſt. part. I. pag. 144. adnotationes poſthumae in pſalmos quinque priores, item in prophetas Amos & Ionam,* Ienae an. 1663. 4. *adnotationes poſthumae in euangelium Matthaei,* quas IOAN. ERN. GERHARDVS *analectis* auxit; praemiſſus iis eſt tractatus *de interpretatione ſcripturae ſacrae,* Ienae an. 1663. 4. *aphoriſmi ex euangeliſta Ioanne, ſeu collegium aphoriſticum Ioanneum,* Ienae an. 1631. 4. *adnotationes poſthumae in acta apoſtolorum, analectis* IO. ERN. GERHARDI auctae, Ienae 1669. 4. recuſae deinceps cum DAN. ARCVLARII & IO. CANVTI LENAEI, in eadem *apoſtolorum acta commentariis & praefatione* IO. FECHTII Hamburgi 1713. 4. *adnotationes poſthumae in epiſtolam ad Romanos,* cum *analectis* IO. ERN. GERHARDI Ienae 1666. 4. *adnotationes poſthumae in epiſtolam ad Coloſſenſes,* itidem cum IO. ERN. GERHARDI *analectis* Ienae an. 1660. 4. *adnotationes ad vtramque Pauli ad Timotheum epiſtolam, in quibus textus declaratur, quaeſtiones dubiae ſoluuntur, obſeruationes eruuntur* &c. Ienae 1643. 4. quas quidem in *epiſtolam ad Romanos, ad Coloſſenſes* & in *vtramque ad Timotheum* adnotationes recenſet, vt more ſuo quaedam obſeruatu digna ex iis delibet, THEOPH. ALETHAEVS, *l. c.* ad *tom. V. p. 362. ſeqq. commentarius ſuper epiſtolam ad Ebraeos, in quo textus declaratur* &c. Ienae 1641. 4. *commentarius ſuper priorem ac poſteriorem Petri epiſtolam, in quo textus declaratur, quaeſtiones dubiae ſoluuntur* &c. Ienae 1641. 4. etiam Hamburgi 1692 & 1709 cum praefatione IO. FRID. MAYERI; qui quidem commentarius, vtpote ſummo ſtudio elaboratus, inter reliqua GERHARDI ſcripta exegetica poſthuma primum praecipuumque locum tenere cenſetur; *adnotationes poſthumae in epiſtolam Iudae,* cum *analectis* IOAN. ERN. GERHARDI, Ienae 1641. 4. *adnotationes in apocalypſin Ioannis, in quibus textus declaratur* &c. Ienae an. 1643. 4. In *bibliis* denique *Vinarienſibus,* de quibus ſupra dictum, GERHARDVS noſter *geneſin, prophetiam Danielis,* (cuius tamen explicatio ab aliis ANDREAE KESLERO tribuitur) & *apocalypſin Ioannis,* illuſtrauit; immo & in toto hocce opere recognoſcendo, praecipuae eius partes fuerunt. Legenda, quae de hiſce omnibus diligenter diſſerit, quem iam laudauimus, ERDM. RVD. FISCHERVS, in *vita Io. Gerhardi, c. XIX. p. 426. ſeqq.*

Eodem circiter tempore, quo IOAN. GERHARDVS Ienae docuit, Roſtochienſem ornauit academiam IO. TARNOVIVS, optimis & ſolidiſſimis, quos eccleſia noſtra tulit, ſcripturae interpretibus citra controuerſiam adnumerandus. Teſtantur id *commentarii* eius in *pſalmos poenitentiales*, in *pſalmos paſſionales*, in *pſalmos graduum*, & alios quosdam; porro in *caput nonum & quinquageſimum tertium Ieſaiae*; in *epiſtolas Pauli ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes*; ne quid de *exercitationibus* eius *biblicis* dicam. Maximum autem cumprimis illi peperit nominis decus *commentarius in prophetas minores, in quo textus analyſi perſpicua illuſtratur, ex fonte ebraeo explicatur, locis ſacrae ſcripturae parallelis confirmatur, a prauis expoſitionibus vindicatur, & ad vſum deductis locis communibus in ſcriptura fundatis, applicatur*; recuſus, &, cum antea per partes prodiiſſet, iunctim editus cum praefatione IO. BENED. CARPZOVII, Lipſiae an. 1706. 4. Atque idem hicce theologus praeſtantiſſimus, rerumque iſtarum peritiſſimus, CARPZOVIVS, quo loco iſte TARNOVII *commentarius* habendus ſit, hunc in modum exponit: *Iam quod ad hos viri celeberrimi commentarios in prophetas minores attinet, habuit equidem anteceſſores non paucos, & eos inter celebriores illos triumuiros Ieſuitas, Franciſcum Riberam, Chriſtophorum a Caſtro, & Caſparem Sanctium, quorum in eosdem lucubrationes aliquoties excuſae fuerunt; ſed tantum abeſt, vt a ſuis meditationibus noſtrum retraxerint, vt animauerint potius animaduertentem, quantum illi ex ignorantia fontium, etſi perpetuo ad eos prouocent, a ſcopo & ſenſu genuino prophetarum abeant. Ipſe ergo ſubſidiis hermeneuticis longe melius inſtructus, illorum non minus, quam ceterorum omnium, qui vadum hoc tentarunt, conatus vicit, remque ea confecit felicitate, vt adplauſum bonorum omnium atque admirationem ſuo iure meruerit. Vnus fere Ioan. Mercerus, regius ebraeae linguae in academia Pariſienſi olim profeſſor, contendere cum ipſo de palma poſſet, ſi & commentarios, quos Petrus Ceuallerius poſthumos edidit, abſolui ſſet, & praeter linguarum, quas perfecte callebat, maiorem rerum quoque theologicarum cognitionem attuliſſet. Et quamquam ex noſtris etiam grauiſſimus theologus Ioan. Winckelmannus, poſt Wigandum, explicationes ſuas ante Tarnouium emiſerat: pro abſolutis tamen commentariis venditare eas ipſe noluit; quales quidem hos Tarnouianos laudare non veremur.* Nec ſine ratione idem vir eruditiſſimus obſeruat, cauſſam, cur RICH. SIMON nullam TARNOVII mentionem iniecerit, hanc forte fuiſſe, quod nihil cenſura aut reprehenſione dignum in eius commentariis inueniret; immo, eamdem hancce cauſſam quoque eſſe, coniicit, cur idem Ariſtarchus MART. GEIERVM atque SEB. SCHMIDIVM ſilentio praeterierit. *Quo loco*, inquit, *in mentem venit Richardi Simonis, qui cum in libro tertio hiſtoriae criticae veteris teſtamenti in proteſtantium praecipuos, qui ſiue commentariis, ſiue notis, ſcripturam illuſtrarunt, criſin ſuo more exerceret; nullam prorſus Tarnouii noſtri mentionem facit; cuius tamen, ſi non celebritate nominis ad eius lectionem moueri, inuitari certe poterat a Matthaeo Polo, qui illum diligenti & verborum & rerum inueſtigatione, perplexis atque obſcuris locis (quae hic plurima occurrunt) lucem non exiguam inferre, in praeloquio voluminis III. ſynopſeos criticorum ſacrorum docuerat. Hanc ego reticentiam inde natam, hariolatione non vana coniicio, quod nihil in ipſo reprehenſione dignum offenderat, qui carpere omnes atque inſectari cupiebat; eamdemque reor cauſſam eſſe, cur & Geierum noſtrum, & Seb. Schmidium, interpretes acutiſſimos, pari ſilentio praeterierit.* Scriptis TARNOVII exegeticis, quae commemorauimus, addendus adhuc *commentarius* eius *in threnos Ieremiae*,

miae, in quo textus ex fonte ebraeo explicatur, locis ſcripturae ſacrae parallelis confirmatur &c. qui recuſus cum *praefatione* IO. FECHTII lucem adſpexit Hamburgi anno 1707. 4. In *praefatione* iſta celeberrimus hicce Roſtochienſium theologus multa in laudem TARNOVII diſſerit, interque alia obſeruat, *primum eum fuiſſe, qui veteris teſtamenti libros, non ex verſionum riuulis, aut eorum interpretationibus, qui fontes ipſi neque conſulere, neque vim verborum phraſiumque penetrare potuerunt, linguarum quippe adminiculis deſtituti, ſed ex ipſo intimo linguae genio & argumentis, ex curatiſſima totius contextus conſideratione ortis, expoſuerit.* Non diſſimulat idem vir doctiſſimus, methodum illam, qua TARNOVIVS in ſcripturae interpretatione vſus eſt, nonnullis eo tempore nouitatis nomine fuiſſe ſuſpectam; id quoque illi vitio datum, quod loca quaedam ſcripturae, quae reliqui interpretes de Chriſto intellexerint, aliter explicauerit: ſimul tamen, quid ad haec TARNOVIVS reſponderit, nos condocet. *Negari equidem nequit*, inquit, *nouum hoc Tarnouii enucleandi emedullandique ſacrum textum inſtitutum, vt quae recenter exoriuntur, vniuerſa, in ſollicitudinem quamdam nonnullos, non alibi tantum, ſed in ipſa quoque academia noſtra, theologos adduxiſſe, ne in nouitatis qualemcumque ſuſpicionem theologicae hic facultatis collegium apud exteros deueniret. Qui & nonnumquam Tarnouium ipſum, ne liberiori ſenſuum diuinorum in textibus ſacris electione, ſi praecipue bene de eccleſia noſtra meritos interpretes grauiori ſtilo refelleret, offendiculum aliis crearet, commonuerint. Videbatur quoque ea nonnumquam loca, quae quodam quaſi chriſtianorum doctorum conſenſu Chriſtum, omnis ſcripturae nucleum, praeferebant, de quibuscumque rebus aliis, quam de Chriſto interpretari. Quod quam periculoſum ſit, Grotii poſtea exemplum docuit, quem vt vaſtis voluminibus erroris conuinceret, memorabilem operam impendit Abrahamus* Calouius. *Reſpondit vero ad haec ſingula biennio ante, quam ex hac vita decederet Tarnouius, in praefatione, quam exercitationibus biblicis praefixit, teſtatus, ſi quid recte praemonſtratum ab amicis viderit, grata id mente ſe arripuiſſe, non vero ad ſilentium, niſi ſusque deque habere propria nominis famam vellet, aliis fuiſſe obſtrictum in iis, quae ex liuore in ſe & odio profecta fuerint, laeſerintque veritatem. Quae tamen & ipſa candide iudicantium cenſurae libentiſſime ſubiiciat. Chriſtum ſe vero non minus, vbicumque id, textu eiusque circumſtantiis ſaluis, fieri poſſit, quaerere, tanquam ſalutis noſtrae proram puppimque, quamquam non eodem modo oculis intentis eumdem adſpiciat; hic nempe directo, ibi vero per conſequentiam, & velut oblique, memor, non euangelium tantum, ſed & legem inculcare ſcripturam, & vtilem eamdem eſſe, non ad doctrinam tantum & redargutionem, ſed & ad morum vitiorumque correctionem.*

ERASMI SCHMIDII, viri graecarum litterarum peritiſſimi, qui circa initium ſaeculi decimi ſeptimi academiae Wittebergenſis decus & ornamentum ſingulare fuit, iam mentionem fecimus, cum ad §. *VI.* verſionem eius latinam noui teſtamenti commemoraremus. Iterum autem nobis laudandus eſt ob *notas* ac *animaduerſiones*, quas cum *verſione* iſta, itemque *textu graeco* & *verſione veteri*, Norimbergae anno 1658, auctore iam an. 1637 mortuo, prodiiſſe, ibidem diximus. Licet enim in *notis* iſtis ac *animaduerſionibus* id ſubinde agat, vt mutatae alicubi verſionis rationem reddat; praeſertim, vt oſtendat, cur haud raro a THEOD. BEZAE verſione & ſententia diſceſſerit: ad verum tamen & genuinum ſenſum eruendum plurimum faciunt. Idque cum vnice auctori huic conſtitutum fuerit: ad dogmata & controuerſias theologicas non digreditur, ſed harum tractationem aliis relinquit. Cumque veri & genuini ſenſus inueſtigatio praecipuum in ſcri-

Digitized by Google

ſcripturae ſacrae interpretatione momentum trahat: inter eos, qui integrum nouum teſtamentum explicarunt, quorum praecipuos, tum veteres, tum recentiores, ABR. CALOVIVS, in *prolegomenis biblior. illuſtr. noui teſt. p. 6.* laudat, haud vltimum promeretur locum. IAC. WELLERVS, in *praefatione*, operi huic praemiſſa, SCHMIDIVM laudat, quod *profunda ſua in graecis litteris eruditione vſus non ſit ad inuehenda ſchismata, aut in praeiudicium rerum theologicarum, qui maleſanus ingeniorum quorumdam mos iit*, ſed id potius egerit, *vt talentum ſuum vnice & perpetuo referret ad Dei honorem, ſancti cumprimis ſpiritus, auctoris linguarum, anſamque praeberet ſubinde cogitandi ac inquirendi vlterius in ſenſum diuerſorum locorum ſacrorum.* Conferendus quoque de eo THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausfuhrlichen Bericht von denen alten und neuen commentariis* &c. ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 59. ſeqq.* A philologo autem hocce ad theologum ſaxonicum nos conuertimus, MATTHIAM HOEVM AB HOENEGG, non minus celebrem. Etſi enim ſcriptis polemicis cumprimis inclaruit: nonnulla tamen etiam in exegeticis reliquit ingenii ſui monumenta; vt *explicationem*, ſeu *commentarium in pſalmos XXII.* & alias quasdam *conciones in Ioëlem*, vt & *commentarium*, ſeu *conciones* in *epiſtolam ad Galatas*, quae omnia, vt & reliqua, enarrat IACOBVS LE LONG, *biblioth. ſacr. tomo II. p. 779.* *Conciones* equidem, ſeu *ſermones ſacri*, huius loci non ſunt: eos tamen, quos HOEVS in libros quosdam biblicos ſcripſit, ita comparatos eſſe, vt commentariorum loco haberi queant, nonnulli exiſtimant. Saltem *conciones* iſtae, quas commemorauimus, *octodecim ſuper prophetiam Ioëlis*, quae Lipſiae an. 1605. 4. prodierunt, CAR. ARNDIO ita placuerunt, vt HOEVM *interpretem in prophetiam Ioëlis, ac commentatorem optimum pariter ac ſelectiſſimum Lutheranorum*, vocare nullus dubitet; in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata, c. II. §. XVIII. p. 90.* Quidquid eius ſit; ſi vel maxime alia deeſſent monumenta, cur locum hic ſibi vindicare HOEVS poſſet: eumdem tamen iure optimo occuparet ob *commentarium in apocalypſin Ioannis*, qui Lipſiae an. 1610 & ſequentibus in 4. primum per partes prodiit, & deinceps recuſus eſt Francofurti 1671. fol. Quaedam de hocce *commentario* obſeruatu digna commemorauimus, cum de ſcriptis HOEI polemicis verba faceremus, *cap. praeced.* ad §. *VIII.* Singulari in eo conficiendo vſum diligentia HOEVM, negari nequit, ſuaque neutiquam defraudandus eſt laude: etſi deinceps non defuerint, qui maiorem adhuc libro huic adfundere lucem adgreſſi ſunt, quod ex noſtratibus prae reliquis HIERON. KROMAYERVS, BRANDANVS HENR. GEBHARDI, theologus Gryphiswaldenſis longe clariſſimus, MELCH. KROMAYERVS, IOAN. BRVNSMANNVS, fecerunt, quorum labores, huc ſpectantes, recenſet, & alia quaedam de libro hocce & eius interpretibus lectu haud indigna adfert CAROL. ARNDIVS, in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata, c. II. §. L. p. 156. ſeqq.* ABR. CALOVIVS, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, cum commentatorum in *apocalypſin Ioannis* magnum numerum protuliſſet; principem inter omnes locum poſt LVTHERVM, IO. CLVVERO, cuius exſtat *diluculum apocalypticum*, tribuit; in *prolegomenis in apocalypſin p. 17-26.*

Dum vlterius in ſaeculo decimo ſeptimo prouehimur, IO. GEO. DORSCHEVS ſe nobis offert, Argentoratenſis primum, tum & Roſtochienſis theologus, non vno nomine de eccleſia noſtra praeclare meritus, nec ſemel nobis iam laudatus. De ſcripturae ſacrae ſtudio eum vel maxime ſollicitum fuiſſe, vel index ille ſcriptorum in

in ſcripturam ſacram teſtatur, qui poſt auctoris obitum a IO. GRAMBSIO in lucem emiſſus, inſcribitur: *biblia numerata ſeu index ſpecialis, in omnes veteris ac noui teſtamenti libros ad ſingula omnium librorum capita & commata*, Francofurti 1674. 4. In eo namque ſecundum ordinem librorum biblicorum, loca auctorum, patrum cumprimis, aliorumque, qui capitibus, vel commatibus ſingulis, non quidem in commentariis ſuis ad iſta loca, ſed in aliis ſcriptis, lucem quamdam adfuderunt, indicantur. Dum autem IO. GRAMBSIVS opus hocce poſthumum non tantum edidit, ſed & acceſſionibus ſuis auxit: non omnibus ſuam probauit induſtriam. Sunt enim, qui optant, vt acceſſiones ſuas aut omiſiſſet, aut ſeorſim edidiſſet: vtpote in quibus maiorem numeri, quam ſelectus rationem habuiſſe videatur. Conferendus IO. FRID. MAYERVS, in *biblbotheca biblica, diſſertat. III. c. II. §. IX. p. 44.* Et ſane, vtilitate ſua eiusmodi labor non caret; modo iudicium adhibeant, qui eum in ſe ſuſcipiunt, & profutura ab inutilibus diſcernere didicerint. Fueruntque adeo, qui deinceps ſimile quid tentarent, vt TOB. PFANNERVS, in *amoenitatibus ſcripturae a patribus aliisque explicatae, vindicatae, illuſtratae*, Francofurti & Lipſiae an. 1698. 8. in quibus tamen itidem interdum ſelectum, interdum rurſus maiorem copiam deſideres. Comparata huc etiam quodammodo eſt IAC. FRID. WILDESHAVSEN *bibliotheca diſputationum theologico-philologicarum in vet. & nou. teſtam.* Hamburgi 1702 & 1710. 4. Sed vt ad DORSCHEVM reuertamur, is aliis quoque ingenii monumentis theologiam exegeticam locupletauit. Exſtant namque & eius *ad entheas ſancti Ieſaiae prophetias, earumque ſingula capita, analyſis, ex operoſe collocatis pene multis, optimisque tam ebraeis, quam chriſtianis interpretibus, adeo, vt commentarii vicem praeſtare poſſit, praemiſſa vbique apodixi, poenitentiam vrgente, inſtituta,* Hamburgi an. 1703. 4. cum *praefatione* IOAN. FECHTII; cui poſtea acceſſit *ſelectiorum Ieſaiae locorum a cap. I. ad XXV. illuſtratio, duabus partibus comprehenſa,* cui itidem FECHTIVS *praefationem* praemiſit, *in qua de recentioribus in Ieſaiam commentariis, deque inſtituto auctoris,* diſſeritur; ζητήματα *in epiſtolas I. & II. Ioannis,* quae in lucem produxit, ediditque IO. NIC. QVISTORPIVS, Roſtochii an. 1697. 4. qui tamen in *praefatione* dubitare adhuc videtur, an ea DORSCHEVM auctorem agnoſcant; interim nomine Dorſcheano non indigna eſſe, & ob elegantiſſimam, facilemque methodum non ſine inſigni vtilitate legi poſſe, exiſtimat; *fragmentum commentarii in epiſtolam Iudae, quo* (ita inſcriptio ſe habet) *repraeſentari potuiſſet ſpecimen abſolutiſſimi in ſcripturas commentarii, ſi vltimam operi manum auctor impoſuiſſet; ex manuſcripto* edidit *cum graecorum teſtimoniorum interpretatione, quibusdam obſeruationibus & praefatione* IO. FECHTIVS, qui & BRANDANI HENR. GEBHARDI, theologi Gryphiswaldenſis doctiſſimi, *integram in epiſtolam Iudae commentationem, in qua praecipue orientales epiſtolae verſiones examinantur,* adiecit; Francofurti & Lipſiae an. 1700. 4. Ex hoc ipſo autem *fragmento* elucere, IO. FECHTIVS exiſtimat, *ſummum ſaeculi ſui polyhiſtorem fuiſſe* DORSCHEVM, *quippe in quo, quidquid ſacrarum profanarumque antiquitatum fuit, quibus epiſtolam, iucundis factis digreſſionibus, illuſtrare ſe poſſe putauit, non tantum comportauerit, ſed & iudicio vbique interpoſito, eoque limatiſſimo, reapſe oſtenderit, quanti doctrinarum theſauri vndique totis agminibus in ſe vnico confluxerint.* Prodierat iam an. 1696. *D. Iudae epiſtolae catholicae, in qua certaminis fidei aduerſus impietatem idea repraeſentatur, ſimulque recentiſſimorum ſcriptorum circa interpretationem epiſtolae errores deteguntur & confutantur, exegetica expoſitio,*

quam per modum diſputationis academicae, ſub moderamine FECHTII, eruditorum examini ſubmiſit MATTH. HENR. BVRCHARDVS: ſed ei commentarium GEBHARDI, quem fragmento DORSCHEI adiecit, vtpote *longe ſolidiorem & adcuratiorem*, praeferendum eſſe, ipſemet FECHTIVS iudicauit. Inter omnia autem DORSHEI ſcripta exegetica praecipuum tenet locum *commentarius* eius *in quatuor euangeliſtas, per ſolidam apodixin, analyſin, exegeſin, harmoniam item ac parallelismum, verum ſenſum exhibens, falſum refutans*, qui cum eiusdem auctoris *chronotaxi actorum apoſtolicorum* prodiit Hamburgi an. 1706. *Praefationem* admodum luculentam, *qua & vita, & merita, & ſcripta Dorſchei fuſe, curioſeque recenſentur*, praemiſit celeberrimus ille, & de Dorſcheanis commentationibus praeclare meritus, nobisque iam laudatus, Roſtochienſium theologus, IOAN. FECHTIVS: quam tamen cum ipſe ad finem perducere non poſſet; filius eius GVSTAV. FRID. FECHTIVS hoc fecit. Licet autem poſt DORSCHEVM non defuerint, qui in praecipuis hiſce noui teſtamenti libris illuſtrandis ſtudium operamque ſuam collocarent; maioremque in quibusdam illis adfundere lucem potuerint, pluribus quippe, quae recentior aetas ſuppeditauit, praeſidiis inſtructi: minime tamen ideo commentarius hicce, praeſtantiſſimis ſuo iure adnumerandus, eſt contemnendus. Neruoſe breuiterque auctor multa complexus eſt, taliaque ſimul ſubminiſtrat, quae apud alios inter longas verborum ambages fruſtra requiras. Recte in *praefatione* IO. FECHTIVS: *Et quamquam dubium non eſt, poſt Dorſcheum, iam ante tres & quadraginta annos vita functum, plurima ſcripturae ſacrae, maiorem, quam antea, lucem doctorum* ἐγχώρια *accepiſſe; nec hodie deeſſe, qui ſubinde magis magisque in ſecreta bibliorum latifundia,* εἰς αὐτὰ παρακύψαι ἐπιθυμοῦντες, *penetrent; cum hauriri ex diuino hoc libro perpetuo poſſit, quod ſufficit, quod prodeſt, quod delectat, exhauriri tamen ille numquam poſſit; quorum omnium conatus recte ſentientium iudicio gloriam parit auctoribus immortalem: nec inconſultum tamen eſt, nec infructuoſum, & aliorum* τοῦ θεοῦ ἀνθρώπων, *qui non minus ac alii intra ſuam menſuram modumque fuerunt* ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, *ſententias audire, quidque a Dei ſpiritu ipſis fuerit reuelatum, cognoſcere. Quamobrem & hac Dorſcheana opera vtamur, non ad ſugillandos, ſi qui in iisdem deprehenſi fuerint, defectus, quod deteſtabilium ſycophantarum eſt, ſed ad diuini ſenſus arcana eo curatius indaganda &c.* Nec praetermittendus eſt DORSCHEI *commentarius in epiſtolam ad Ebraeos, pluribus hypomnematibus, apodictico-analytico-exegeticis, iuxta ſeriem capitum commatumque feliciter coeptus, & ad dimidium cap. X. perductus*; & a IO. CHR. PFAFFIO, theologo Tubingenſi, *abſolutus*, editusque Francofurti & Lipſiae an. 1717. 4. Eum ita comparatum eſſe, vt *iuſti ſimul ſyſtematis theologiae harmonicae veteris ac noui teſtamenti, ac demonſtrationis euangelicae contra atheos & Iudaeos, vicem ſubire poſſit*, ipſa nos inſcriptio condocet. Praefixa ei eſt *praefatio* ordinis theologici in academia Tubingenſi, in qua varia ad eius commendationem adferuntur. Plura de hocce commentario dabit THEOPH. ALETHAEVS *l. c.* ad *tom. III. p. 321. ſeqq.* Superſunt & aliae commentationes, diſſertationesque DORSCHEI quam plurimae, interque eas quaedam ſelectiſſimae, quae ſacrae ſcripturae interpretationi inſeruiunt; quas IAC. LE LONG recenſet, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 703. ſeqq.* Adcurate etiam de plerisque diſſerit IO. FECHTIVS, in *praefatione, commentario* DORSCHEI *in quatuor euangeliſtas* praemiſſa, anteaque nobis iam laudata. Ex Roſtochienſi, quam DORSCHEVS ornauit, priusquam diſcedamus academia; AVG. VARENII adhuc iniicienda eſt mentio, viri doctiſſimi, & ebraeae cumprimis lin-

linguae peritiſſimi; qui, quantum in ſcripturae ſacrae interpretatione poſſet, variis ſpeciminibus, magna eruditorum adprobatione exceptis, demonſtrauit; cuiusmodi ſunt: *decades Moſaicae illuſtrium locorum in geneſin & exodum*, item in *libros leuitici, numerorum, & deuteronomii; triumphus Dauidis in Iſraëlis fontibus incorrupti*, ſiue in varia pſalmorum loca commentarii, in quibus ſubinde naeui atque errores verſionis vulgatae notantur; *gemmae Salomonis*, ſiue liber koheleth explicatus; *commentarius in Eſaiam*, ex recenſione IO. FECHTII; *collegium canonicum quatuor nouiſſimorum veteris teſtamenti prophetarum, Danielis, Haggaei, Zachariae, & Malachiae*; & alia, indicata a IACOBO LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 998.* Conferendus & CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata, cap. I. §. IX. p. 38.* Id VARENIO proprium, quod accentuum in lingua ebraea diligentiſſime rationem habeat: maiorem tamen in eius commentationibus nonnulli deſiderant perſpicuitatem. *Commentarii Varenii*, inquit THOM. CRENIVS, *ſi tam perſpicue ſcripti eſſent, quam erudite ſunt, plures haberent lectores maiore cum emolumento*; in *exercitiis ſacris priora quaedam Moſis tractantibus, cap. IV. §. VII. p. 174.* *Commentarium* ſiue *analyſin & exegeſin* VARENII in *epiſtolam ad Romanos* recenſet THEOPH. ALETHAEVS *l. c. ad tomum III. der gründlichen Erleuterung, pag. 143. ſeqq.*

MART. GEIERVM inter praeſtantiſſimos eccleſiae noſtrae theologos, eos praecipue, qui commentariis ſcripturam ſacram illuſtrarunt, haud vltimum tenere locum; nemini, niſi qui hoſpitem ex hiſce litteris retulit animum, ignotum eſſe poteſt. *Commentarii* eius in *pſalmos*, in *prouerbia, & eccleſiaſten Salomonis*, itemque in *Danielem prophetam*, ſaepius editi, multorum teruntur manibus, & reliquis omnibus, qui in hoſce libros editi ſunt, dubiam reddunt palmam. Methodus, qua vtitur, maximopere commendanda. Primum enim cuiusque pſalmi aut capitis argumentum neruoſe exprimit; deinde in ſingulis commatibus voces omnes formulasque loquendi ex fontibus diligenter expendit, vocumque omnium genuinam ſignificationem, atque emphaſin, adductis copioſe locis parallelis, collatis quoque ſubinde verſionibus, & aliorum interpretum ſententiis, euoluit, verumque ac genuinum ſenſum ita explicat, vt reiectis falſis interpretationibus, confirmet; dogmata, & controuerſias, non niſi neceſſarias, & plane ad rem facientes, admiſcet; *vſus* denique, quos vocant, ſeu poriſmata, ſelecta, & ſponte ſua ex textu fluentia, ſubnectit. Recteque iudicarunt viri doctiſſimi, vel ex ſolo GEIERI in *pſalmos commentario* lexicon aliquod linguae ebraeae emphaticum confici poſſe, quod in totius ſcripturae ſacrae interpretatione vſum minime contemnendum praebeat. THOMAS equidem CRENIVS adſerit, GEIERI commentarios in *pſalmos* & *eccleſiaſten* tam diligenter elaboratos non eſſe, quam illum, quo *prouerbia Salomonis*, illuſtrarit. *Ad praelectiones in pſalmos*, inquit, *tantam optimus Martinus Geierus noſter adhibuit minime diligentiam, nec ad commentarium in eccleſiaſten, quantam ad notas in prouerbia, in quibus ſedulus eſt*; in *exercitat. de libris ſcriptor. optimis & vtiliſſimis, p. 92.* Quod quo iure dicatur, aliis adcuratius diiudicandum relinquo: in eo tamen, idoneos harum rerum arbitros facile conſenſuros, exiſtimo, quantumuis magnus ſit illorum numerus, qui pſalmos ſibi explicandos ſumſerunt, quos diligenter IO. GOTTLOB CARPZOVIVS recenſet, in *introduct. ad libros canonicos veteris teſtam. part. II. p. 145. ſeqq.* GEIERVM tamen, ad genuini ſenſus inueſtigationem quod attinet, iure meritoque omnibus praeferri. Elogia & iudicia quaedam de *commentariis*

GEIERI

GEIERI exhibet CAROL. ARNDIVS, in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata*, *c. II. §. IX. p. 66. ſeqq.* & *§ XV. p. 82.* Commentarios quoque eius in *eccleſiaſten*, *prouerbia Salomonis*, & *pſalmos*, recenſet THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausfuhrlichen Bericht von denen vornehmſten Commentariis vnd Auslegern der heiligen Schrifft*, ad *tom. I.* eiusdem *gründlicher Erleuterung der dunckelſten Oerter &c. p. 86.* item *p. 243. ſeqq.* *praelectiones* autem eius *in Danielem prophetam* ad *tom. V. pag. 311. ſeqq.* vbi & reliqua eius ſcripta enarrat. Legendus praeterea de GEIERO, eiusque ſcriptis IO. CHRISTOPH. WENDLERVS, *de praecipuorum quorumdam ſaeculi XVI. & XVII. theologorum Lutheranorum &c. eruditione, in eccleſiam meritis, & ſcriptis, cap. VII. p. 161. ſeqq.*

GEIERO alium ſtatim theologum ſaxonicum iungimus, ABR. CALOVIVM, cuius non minora, vt in vniuerſam theologiam, ita ſpeciatim exegeticam, ſunt merita. De *bibliis* eius *gloſſatis*, lingua germanica editis, iam ſupra diximus. Nunc *biblia* eius *illuſtrata* adhuc in cenſum veniunt, in quibus, vt inſcriptio docet, *emphaſis vocum ac mens dictorum genuina e fontibus, contextu, & analogia ſcripturae eruuntur; verſiones praecipuae cum ebraeo textu* (in nouo teſtamento cum graeco) *vindicata vbique huius ſinceritate, conferuntur; expoſitiones cum veterum, tum recentiorum interpretum, expenduntur; veriores patrum ipſorummet, beati Lutheri, & aliorum theologorum, propriis verbis ſtabiliuntur; loca difficiliora & dubia textualia, hiſtorica, chronologica, topographica, & alia, expediuntur; contradictiones adparentes diſcutiuntur; quaeſtiones variae theoreticae & practicae ſoluuntur; oracula prophetica de Chriſto, eiusque regno, & quaecumque omnino ad fidei euangelicae confirmationem faciunt, ex inſtituto adſeruntur; corruptelae Iudaeorum & haereticorum, maxime modernorum, luculenter retunduntur; Grotianae deprauationes & ψευδερμηνεῖαι iuſto examini ſiſtuntur, & exploduntur.* Hanc ideo integram recitare viſum fuit inſcriptionem, vt, quid in hocce opere contineatur, omnibus pateat. Initio conſtitutum tantum CALOVIO fuit, HVG. GROTII ſub examen reuocare *adnotationes*: vnde & per modum diſputationum academicarum ſuas in illas animaduerſiones propoſuit: ſed deinceps, cum multi hoc poſtularent, ea addidit, quae iuſti commentarii ſpeciem huic eius labori conciliare poterant. Pretium operis huius inde augetur, quod in eodem ipſius quoque GROTII *adnotationes* compareant, minime vtique contemnendae, vbi rem acu tangit; at vbi a recto tramite aberrat, meliora ſanioraque CALOVIVS ſuppeditat, qui tamen ſimul & alios, vt romanenſes, reformatos, cumprimis autem Socinianos illi adiungit, horumque falſas interpretationes ſollerter detegit, & ſolide refellit. Nihil equidem eorum, quae ad textus ſacri integritatem adſerendam, dubia, cumprimis chronologica, ſimiliaque diſſoluenda, & ſenſum litteralem, in locis praeſertim obſcurioribus, luculenter eruendum, pertinent, CALOVIVS praetermiſit: hoc tamen praecipue nomine commendandus eſt, quod Chriſtum in ſcriptura ſacra, vt decet, quaerat, & prophetarum, quae de eo agunt, vaticinia, ad quae peruertenda & detorquenda, exemplo Iudaeorum & Socinianorum, omnes ingenii vires GROTIVS intenderat, egregie vindicet, ſolidiſſimeque, vt verus ac genuinus eorum ſenſus poſtulat, explicet. Digreſſiones hinc ſubinde in hocce opere occurrunt; quae, licet interdum nimis longae videri queant; vtilitate tamen, immo neceſſitate, ſi quod inde oriatur taedium, compenſabitur. In *praeloquiis*, quae ſingulis libris biblicis praemiſit, de eorum ſcopo, argumento, partitione, auctore, interpretibus, ſimilibusque erudite diſſerit: quemadmodum

dum in *praeloquio generali* de verſionibus ſcripturae latinis & germanicis, de auctoribus, qui totum codicem ſacrum commentariis, aut adnotationibus ſuis illuſtrarunt, itemque de cauſſis falſarum interpretationum; in *praeloquio* autem *in libros veteris teſtamenti* de linguae ebraeae in familia Eberi conſeruatione, aliisque eiusdem generis, copioſe verba facit. Poſt haecce *praeloquia* ſequitur *chronicon* eius *biblicum de epochis & annis veteris teſtamenti a mundi conditu ad finem LXX hebdomadum Danielis*, egregium prorſus, dignumque, quod in gratiam theologiae cultorum ſeorſim excudatur. *Noui teſtamenti operis*, praeter prolegomena, ad totum nouum teſtamentum ſpectantia, praefixa eſt *harmonia euangelica, ad concinnandum nouum monoteſſaron*; in cuius *prolegomenis*, de *ſcriptoribus harmonicis*, *& quibusdam in harmonia obſeruandis*, agit. Quatuor opus hocce conſtat tomis, quorum duo priores vetus teſtamentum complectentes, anno 1672, duo poſteriores, nouum teſtamentum exhibentes, an. 1676 prodierunt. Ad commendationem eius ſufficit, quod ab ipſo RICH. SIMONE, cenſore acerrimo, & ſubinde, praeſertim ad proteſtantium theologos quod attinet, parum aequo, laudetur; in *hiſt. crit. comment. noui teſt. cap. XLVIII. p. 724. ſeqq.* Nimirum, de *bibliis illuſtratis noui teſtamenti* verba faciens, ea omnia, quae a noſtrae eccleſiae commentatoribus dicta ſint, complecti, adſerit, adeo, vt *catenam* potius, quam *commentarium* exhibeant. Sed audire hac de re ipſum CALOVIVM iuuabit, qui in *epiſtola ad lectorem, tomo I.* praefixa, *ceterum*, inquit, *cum apoſtolo monente I. Theſſal. V. 20. non ſpernendae ſint prophetiae, vel interpretationes aliorum, qui mediis hermeneuticis recte vſi ſunt: in litterali ſenſu indagando in vſum non raro vocauimus venerandam patrum canitiem, & beati Lutheri, aliorumque noſtratium theologorum ἐξηγήσεις, easque ob cauſſas iam dictas propriis ipſorum verbis, etſi aliquando proliuſcula ſint, adducere minime piguit; vnde in locis pluſculis catena veluti aliqua interpretum enata; ſed cum auctorum delectu, qui ad illuſtrandas, non obſcurandas ſcripturas requirebatur. In locis autem claſſicis, quae vocantur, quae ad fidei euangelicae confirmationem faciunt, & in vaticiniis de Chriſto, eiusque regno & beneficiis, exquiſitius tum ob alios, tum maxime ob Grotium, alios omnes, qui τρέβλῶσι τὰς γραφὰς, longo poſt ſe interuallo relinquentem, laborandum fuit, vt ea ſolide adſererentur.* Maximum porro operi huic Calouiano inde conciliari pretium, RICH. SIMON pronuntiat, quod errores, qui in HVG. GROTII adnotationibus occurrant, refutet: quod licet CALOVIVS ita interdum faciat, vt in GROTIVM ſit iniquior, ſuisque opinionibus praeiudicatis nimis indulgeat; fatendum tamen, eum plurimis in locis, quae minus recte a GROTIO dicta ſunt, quam optime refellere. Haec, & alia quaedam eiusdem generis cum obſeruaſſet, tandem concludit, paucos eſſe commentatores, praeſertim apud Lutheranos, in quibus iudicium exquiſitius conſpiciatur, quam in CALOVIO; ſatis adparere, eum rerum, de quibus agit, peritum fuiſſe: quod ſi alicubi erret, id maximam partem ex nimio erga ſectam ſuam amore zeloque prouenire. Immo, quibusdam interiectis, addit, exſtare & alia CALOVII ſcripta, in quibus equidem ex inſtituto libros noui teſtamenti non explicet, quae tamen ſua non deſtituantur vtilitate: ſiquidem non ſine iudicio plurima ſcripturae ſacrae dicta ſub examen reuocet, ea praeſertim, quae ad controuerſias cum Socinianis ſpectant. Aliorum de *bibliis* hiſce *illuſtratis* CALOVII iudicia, & elogia, quibus ea ornarunt, refert CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca Io. Frid. Mayeri biblica continuata, c. I. §. II. p. 19. ſeqq.* inter quae illud cumprimis obſeruatu dignum, quod ex

IO. FECHTII, theologi Roſtochienſis celeberrimi, *collegio* quodam *manuſcripto* recitat. Adſerit enim FECHTIVS, cum CALOVIVS dicta plurima veteris teſtamenti argumentis, vel apodicticis, vel probabilibus certe, Chriſto vindicauerit: dubitare nonnullos ex theologis, inprimis laxioribus, coepiſſe, an opera illa laudem mereretur; cum, quod argumentis infirmis probetur, ludibrium potius aduerſariis praebeat, & veritatem prodat, quam confirmet. Cui tamen ſiniſtro, vt vocat, de opere illo iudicio, ſequentia opponit: *I) quod de Chriſto omnes prophetae teſtentur, act. X. 43. quod per argumenta plane conuincentia probari non poteſt, niſi & probabiliſſima in ſubſidium vocentur; II) nec Chriſtus ipſe & apoſtoli ſemper vſi ſunt argumentis apodicticis; III) vbi in aliis locis iam apodictica comparuerunt argumenta, non impedit, quo minus & probabilia adhibeantur; IV) argumenta probabilia non ſunt iudicanda abſolute, ſed comparate intra contextum & oeconomiam eius, & exinde inferendum, cui maxime competant; V) probabilia argumenta ſunt diuerſi generis, & alia generant opinionem incertam, alia fidem certiorem, alia ad apodicticam certitudinem quam proxime adſurgunt. Omnibus iuſto ſuo titulo theologus vtitur in interpretando, quia non opus eſt, vt certitudinem apodicticam in omnibus habeat.* Praeter iam laudatos de *bibliis* CALOVII *illuſtratis* conferendus etiam THEOPH. ALETHAEVS, in *dem außführlichen Bericht von denen alten vnd neuen commentariis &c.* ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 289. 321.* & *353. ſeqq.*

THEODORICVM HACKSPANIVM, virum litterarum ebraearum, aliarumque orientalium peritiſſimum, varias commentationes, diſſertationesque, quae in ſacrarum litterarum interpretatione vſum praebere poſſunt, reliquiſſe, non temere quemquam fugit. Recenſent eas IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 760. 761.* & GVST. GE. ZELTNERVS, in *vitis theologorum Altdorphinor. p. 319. ſeqq.* Cumprimis autem huius loci ſunt *notae* eius *philologico-theologicae in varia & difficilia ſcripturae loca, ſecundum ordinem librorum biblicorum veteris & noui teſtamenti*; quarum exſtant *partes III.* ita quidem, vt *pars III.* in euangelio Ioannis ſubſiſtat; ſiquidem auctor, morte praepeditus, reliqua adiicere non potuit; editae itaque etiam ſunt poſt eius obitum anno 1664, 8. ZELTNERO, viro doctiſſimo *notae* iſtae audiunt *opus auro contra carum, philologiae ſacrae ſtudioſis, ſi quod vmquam lucem vidit, in pretio habendum, & polemicis quoque vſibus, ac variorum aduerſariorum, inprimis Socinianorum, obiectionibus, diluendis perquam idoneum.* Addit porro: *in quo tamen, vt videtur, beati Tarnouii exercitationes auctor paſſim carpere adgreſſus & M. Andr. Dan. Habichhorſtium, quantum ad notiſſimum locum Ier. XXXI. 22. defenſorem quoque nactus eſt; cuius diſſertat. de foemina circumdante virum an. 1670 & 1677 iterum prodiit. Ex quo loco etiam, non fuiſſe Hackſpanium nouarum ſententiarum ſtudioſum, patet.* Vbi vltimis quidem iſtis verbis forte obuiam ire voluit ABR. CALOVIO, de *notis philologico-theologicis* HACKSPANII ita pronuntianti: *Theodori Hackſpanii notae philologico-theologicae laudem merentur, vbi non ſingularitatis, vel nouitatis Calixtinae ſtudio abripitur*; in *praeloquio generali ad biblia illuſtrata, pag. 14.* Quidquid eius ſit; iam antea ZELTNERVS HACKSPANIVM cum GLASSIO, TARNOVIO, SCHICKARDO, aliiſque philologis ita comparauerat, vt illi palmam tribueret. *Solus*, inquit, *vti mihi quidem videtur, Hackſpanius liberali mente in profundiora harum linguarum, ceterarum praeſertim matris ebraeae, myſteria penetrabat, omnique procul oſtentatione & verſificatione taedioſa ſolertiam notitiamque, ſibi diuini-*

tus

Digitized by Google

tus datam, ad exegeſin ſacram perſpicaciſſime applicabat. Et, quibusdam interiectis: *Eaque in re non dubitamus, quin magnopere eum adiuuerit liberior, & a iugo auctoritatis praeceptorum immunis, ſolique verbo Dei adfixa, theologiam ac philologiam olim diſcendi ratio, quam in Ienenſibus & Helmſtadienſibus ſcholis, ex Calixti praeſertim diſciplina, ſine ſectae ſtudio, erat addoctus conſectari. Sic enim fiebat, vt, glaucomate nullo obiecto, in ipſum ſacrae orationis tenorem inquirere poſſet rectius oculata, quod aiunt,* ἐρευνῆσαι, *tantoque felicius, quo maiori acumine ingenii & iudicii* ἀκριβείᾳ, *quae rara eſt cum memoria inſigni coniunctio, polleret, & a praeceptoribus etiam, ſi quando opus eſſet, diſſentire, religioni haud ſibi duceret; l. c. p. 315.* Obſeruat deinde idem vir clariſſimus, HACKSPANIVM *in ea fuiſſe haereſi, at ingenue,* vt loquitur, *Lutherana, qua puncta cum accentibus, non eſſe aequalia, parisque antiquitatis & auctoritatis, vti litteras, exiſtimauit. Eamque ſententiam,* ita pergit, *conſtanter non ſolum defendit, ſed contrariam quoque ſolide diſcuſſit, ea animi praeſentia ac certitudine, vt periculum etiam grande, qui aliter ſentiunt, ex litterarum quarumdam, quibus vocales alicubi deſtituuntur, abſentia ſcripturae veteris teſtamenti integritati contrahere monuerit, omnesque ceteras difficultates, quas ebraicae linguae minus gnari moueant, ex ſola rabbinorum,* (lectione) *& linguarum aliarum, quae punctis etiam nunc careant, rationibus tolli poſſe, ad oculum oſtenderit.* Quod vero HACKSPANIVS codicem ſacrum veteris teſtamenti quibusdam in locis a Iudaeis corruptum ſtatuit, id nec ipſi ZELTNERO placet. *Miramur vero,* inquit, *virum ſagaciſſimum eo abiiſſe, vt, in quibusdam ſcripturam ſacram veteris teſtamenti a Iudaeis corruptam, ſeu contaminatam eſſe, ſuſpicatus fuerit; idque praecipue de loco pſalm. XXII. 17. exiſtimauerit neceſſario concedendum, cum vel Paulus explicationem Gal. III. de* κατάρας *ſubminiſtrarit; l. c. p. 317.* RICH. SIMON, cum obſeruaſſet, HACKSPANIVM in hisce notis ſuis controuerſias, intuitu grammaticae, tractare, idque praecipue agere, vt propriam verborum ſignificationem explicet; addit, pauca admodum eum ex ſuo adferre ingenio, vtpote qui plerumque ad argumenta, quae tractet, adplicet, quae apud alios legerit. Hinc, cum porro monuiſſet, illum verba orationis, dominicae: *ne inducas nos in tentationem*, per ebraismum de nuda permiſſione explicaſſe; rurſus ſubnectit, HACKSPANIVM in ſuis ſuper ebraismis conſiderationibus non ſemper felicem eſſe; *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XLVIII. p. 721.* Sed hoc a SIMONE ſolum dici, ne nihil, quod carperet, habere videretur, intelliget, qui exemplum, quo hoc probare voluit, rite ponderauerit. Conferendus porro de HACKSPANIO THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichen Bericht &c.* ad *tomum II. der Erleuterung &c. p. 321. ſeqq.*

Ex Altdorffina ſi nos in Argentoratenſem conferamus academiam, IO. SCHMIDIVS ſeſe nobis offert, theologus praeſtantiſſimus, cuius varia exſtant ingenii monumenta, ab hoc loco non aliena, indicata a IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tomo II. p. 951.* Eminet inter ea *commentarius in prophetas minores*, poſt auctoris obitum a BALTH. FRID. SALTZMANNO in lucem productus, editusque Lipſiae an. 1687, 4. Sed cum nouem ſolum priorum ex minoribus prophetarum libros commentariis ſuis SCHMIDIVS illuſtraſſet, morteque praepeditus laborem huncce ad finem non perduxiſſet; placuit editori, FRID. BALDVINI in tres vltimos prophetas, *Haggaeum, Zachariam & Malachiam*, Schmidianis ſubiungere; add. THEOPH. ALETHAEVS *l. c.* ad *tom. IV. p. 145. ſeqq.* Sed tum huncce IO. SCHMIDIVM, tum pleroſque alios noſtrae eccleſiae interpretes ac commentatores, longo poſt ſe reliquit interuallo

lo eiuſdem academiae Argentoratenſis theologus celeberrimus SEBAST. SCHMIDIVS, cuius ſingularia in theologiam exegeticam merita nemo temere ignorat. Praeter *verſionem* enim ſcripturae ſacrae *latinam*, de qua iam ſuo loco dictum, adnotationes vel commentarios in pleroſque ſacri codicis libros reliquit; nimirum *adnotationes ſuper Moſis librum primum, geneſis dictum; praelectiones in libri Ioſuae priora VIII capita; commentarium in librum iudicum; adnotationes in libellum Ruth; commentarium in libros Samuelis; adnotationes in libros regum; commentarium in Iobum; reſolutionem breuem, cum paraphraſi verborum, ac notis pſalmorum propheticorum de Chriſto; commentarium in librum Salomonis, ebraice koheleth, graece & latine eccleſiaſtes dictum; commentarium ſuper illuſtriores prophetias Eſaiae, in quo ſingula capita reſoluuntur, & adnotationibus ad ſingulos verſus illuſtrantur; commentarium ſuper librum prophetiarum Ieremiae;* item in *Hoſeam; reſolutionem breuem, cum paraphraſi verborum euangelii Ioannis; praelectiones academicas in ſex priora epiſtolae ad Romanos capita*, cum *aliquot ſubſequentium capitum paraphraſibus; commentarium in priorem epiſtolam ad Corinthios*, item *ad Galatas; ad Coloſſenſes; vtramque ad Theſſalonicenſes; priorem ad Timotheum; ad Philemonem*; & denique in *epiſtolam ad Ebraeos*; ne quid nunc de aliis eiuſdem generis commentationibus, aut diſſertationibus, ad varia ſcripturae ſacrae loca ſpectantibus, cumprimis de *collegio biblico, priori & poſteriori*, dicam. Haec omnia adcurate recenſet, & editiones quoque indicat, HENR. PIPPINGIVS, in *memoria theologorum noſtra aetate clariſſimorum, num. XLVI. p. 637. ſeqq.* Iungendus & THEOPH. ALETHAEVS in *dem ausführlichen Bericht von denen alten vnd neuen commentariis*, ad *tom. II. p. 275. ſeqq.* item ad *tom. III. p. 91. ſqq.* Elogia, quibus viri doctiſſimi *commentarios* SEB. SCHMIDII paſſim ornarunt, recenſet CAR. ARNDIVS, in *bibliotheca Ioan. Frid. Mayeri biblica continuata, c. I. §. X. p. 43. ſeqq.* alibique. Et ſane, nihil de pleriſque tam praeclare dici poteſt, quod non ſuperent. Siue analyſin adcuratam, ſiue exquiſitam ſingulorum verborum & phraſium explicationem, ſiue nexus demonſtrationem, ſiue dogmatum ex textu deriuationem ſpectes, ita in his omnibus eminet SCHMIDIVS, vt dubitem, an aliquis, qui iure ei praeferri queat, inueniatur. Interdum autem in minutiis conſectandis nimius eſſe videtur: etſi non ignorem, illud ab aliis ceu ἀκρίβειαν laudari; quemadmodum & ſubinde ſine neceſſitate a recepta quorumdam locorum interpretatione recedit. Sed nec id praetermittendum, non omnes viri huius ſummi commentarios vno eodemque habendos loco: cum in quibusdam minor conſpiciatur induſtria, quam in aliis. Atque illud ſpeciatim de iis obſeruandum, qui poſt eius obitum prodierunt, & quibus adeo vltimam non licuit illi imponere manum.

Iam ſi & reliquos ex noſtratibus, qui de ſcripturae ſacrae interpretatione praeclare meriti ſunt, quorumue commentationes exegeticae cineres haud quaeritant, enarrare vellem; commemorandi adhuc eſſent, IVST. CHRISTOPH. SCHOMERVS, ob *exegeſes in epiſtolas Pauli* itemque *Iacobi*, & *partem prioris Petri*, a IO. FECHTIO in lucem productas; CASP. HERM. SANDHAGENIVS, non tantum ob *introductionem in harmoniam quatuor euangeliſtarum*, de qua deinceps dicemus, ſed & ob alias commentationes, quae inſcriptae: *auserleſene vnd ſehr gelehrte Gedancken, vber viele ſchwere Stellen heiliger Schrifft &c.* iunctim prodierunt Ienae 1725, 4. PHIL. IAC. SPENERVS, ob ſcripta quam plurima, in quibus, occaſione oblata, varia ſcripturae dicta, ſolide explicauit, ſpeciatim

ciatim ob *commentarios*, lingua germanica editos in *epiſtolam ad Galatas, ad Epheſios, ad Coloſſenſes*, in *primam Ioannis*, itemque ob *Pauli epiſtolas ad Romanos, & Corinthios, homiletica paraphraſi illuſtratas*; quae paraphraſis in latinam quoque linguam conuerſa, proſtat; cumprimis autem ob libellum plane aureum, quo, inſtituto vtiliſſimo, ſaluberrimoque dicta quaedam ſcripturae ſacrae ab abuſu hominum profanorum vindicat, eaque ſimul diligenter & perſpicue explicat, quique inſcribitur: *Sprüche heiliger Schrifft, welche von Welt-Leuten mehrmahl zur Hegung der Sicherheit &c. misbrauchet zu werden pflegen, kurtzlich aber gründlich gerettet*; IO. BENED. CARPZOVIVS, vir linguae, rerumque ebraicarum callentiſſimus, ob diſſertationes varias, easque egregias, ad ſcripturae ſacrae quaedam dicta illuſtranda, ex inſtituto comparatas; itemque ob commentationes nonnullas, lingua germanica editas, vti ſunt: *auserleſene Tugend-Sprüche aus der heiligen Schrifft zuſammengeſuchet, vnd gründlich erklaeret*; immo & ob *commentationem in epiſtolam Ioannis de charitate & veritate*; vt &, *in Ioannis apoſtoli epiſtolam tertiam, breuem enarrationem*; quae duo vltima ſcripta ſubiuncta ſunt FRID. RAPPOLTI *theologiae aphoriſticae Ioannis ex epiſtola prima catholica*, & in eiusdem *operibus theologicis*, cura & ſtudio CARPZOVII iunctim editis, exſtant; IO. HENR. MAIVS, ob diſſertationes philologicas & exegeticas haud paucas, quarum etiam, praeſertim ſelectiorum, iunctim editarum, aliquot exſtant volumina; itemque ob *theologiam propheticam ex ſelectioribus veteris teſtamenti oraculis, ſecundum ſeriem locorum theologicorum diſpoſitis*; ob *oeconomiam temporum veteris teſtamenti*; vt & *temporum noui teſtamenti*; porro, ob *oeconomiam iudiciorum diuinorum, per omnes ſacri codicis libros, ſecundum ſeriem ſaeculorum, & ſimilitudinem rerum adornatam, atque digeſtam*; ob *ſynopſin theologiae chriſtianae, ex ſolis verbis Chriſti, relatis ab euangeliſtis, erutam atque monſtratam*; cumprimis vero etiam ob *harmoniam euangelicam omnium dictorum & factorum domini noſtri Ieſu Chriſti, vsque ad paſcha τέταρτον, quinque partibus comprehenſam, itaque concinnatam, vt monoteſſaron, ſiue vnum continuum euangelium ex quatuor euangeliſtis, perpetua paraphraſi ſiſtatur, ac illuſtretur*; BRANDANVS HENR. GEBHARDI, non ſolum ob *commentarium in epiſtolam Iudae*, ſupra nobis iam laudatum, ſed & ob *Hoſeam enucleatum, Obadiam enucleatum, Amoſum enucleatum*, ſeu commentarios in hosce prophetas, lingua germanica, diligenter & erudite ſcriptos; cumprimis vero & ob *Zephaniam a pſeudhermenia Abarbanelis, aliorumque, vindicatum, & ad oppugnandam partem priorem muniminis fidei R. Iſaac ben Abraham adhibitum*; IOACH. LANGIVS, theologus Hallenſis celeberrimus, ob *exegeſin epiſtolarum Petri*, vt & *epiſtolarum apoſtoli Ioannis*, item ob *commentationem hiſtorico-hermeneuticam, de vita & epiſtolis apoſtoli Pauli ita adornatam, vt iſagogen generalem & ſpecialem hiſtorico-exegeticam praebeat in acta apoſtolorum, & Pauli epiſtolas &c.* & denique ob *myſterium Chriſti ac chriſtianiſmi in faſciis typicis antiquitatum biblicarum veteris teſtamenti, quo ritus Ebraeorum eccleſiaſtici circa loca, perſonas &c. ita explicantur, vt praeter vſum hermeneuticum inde redundantem, nucleus euangelicus, ſeu veritas, quae in Chriſto eſt, ac in chriſtianiſmi praxi vigere debet, euoluta commendetur*; GEO. MICH. LAVRENTII, ob epiſtolarum quarumdam, Pauli praeſertim, explicationes, propter exquiſitam analyſin commendandas, quam in tabula quadam exhibet; cuiusmodi eſt: *kurtze Erklaerung des Briefs Pauli an die Roemer, in Tabellen verfaſſet, worinnen der Inhalt, Ordnung vnd Zuſammenhang deſſelben vorgeſtellet, die Worte erklaeret, vnd einige aus ſolchen flieſ-*

ſende Lehren gezeiget werden, ſammt angehengter kurtzen paraphraſi; qua quidem methodo idem vir diligentiſſimus etiam *vtramque ad Corinthios epiſtolam, ad Ebraeos, ad Philemonem*, itemque *tres epiſtolas Ioannis*, expoſuit; IO. CHRISTOPH WOLFIVS, vir doctiſſimus, & ſaepe nobis laudatus, ob *curas philologicas & criticas, in quatuor ſacro ſancta euangelia & actus apoſtolicos, quibus integritati contextus graeci conſulitur, ſenſus verborum ex praeſidiis philologicis illuſtratur, diuerſae interpretum ſententiae ſummatim enarrantur, & modeſto examini ſubiectae, vel adprobantur, vel repelluntur*; quod quidem opus, omnigena eruditione refertum, & ex praeſtantiſſimis ſcriptoribus magno labore, ſed non minori iudicio, collectum, effecit, vt eiusdem auctoris & in reliquos noui teſtamenti libros labores auide exſpectentur; HENR. BENED. STARKIVS, ob *notas ſelectas criticas, philologicas, exegeticas, in loca dubia & difficiliora pentateuchi*, ceterorumque veteris teſtamenti librorum; itemque ob *notas ſelectas criticas &c. in epiſtolam ad Ebraeos*, vt & in *loca ſelecta epiſtolae ad Romanos*; quibus denique & eiusdem generis *notae*, in reliquorum noui teſtamenti librorum loca dubia & difficiliora, acceſſerunt. Atque hi, quos indicaui, aliique ex noſtratibus viri praeſtantiſſimi, ita commemorari poſſent, vt de illorum commentationibus exegeticis paullo copioſius dicerem; prout in praecedentibus factum: ſed cum cauendum nobis ſit, ne in immenſum noſtra excreſcat tractatio; vela paullisper contrahenda ſunt; praeſertim cum ea, quae dicta ſunt, ſufficere queant. Quanta enim noſtrae eccleſiae doctorum in theologiam exegeticam ſint merita, abunde inde intelligitur: ſed &, quaenam theologia exegeticae apud nos fuerint fata, perſpiciet, qui ea, quae de veterum, recentiorumque theologorum methodo interpretandi ſcripturam ſubinde obſeruauimus, inter ſe comparare operae duxerit eſſe pretium. Si quis autem eos, qui a nobis praetermiſſi ſunt, noſſe aueat, is CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII adeat *introductionem in hiſt. theolog. litter. notis ampliſſ. illuſtratam, part. I. lib. I.* ad *§. XIII. p. 159. ſeqq.*

Ad pontificios itaque dum accedimus; haud exiguum etiam apud eos illorum deprehendimus numerum, qui ad ſcripturam explicandam illuſtrandamque animum adiecerunt ſuum. Exemplo nimirum LVTHERI & proteſtantium, vt ad catechiſmum diligentius tractandum (quod ſupra iam obſeruauimus) ita & ad ſcripturam ſacram maiori ſtudio euoluendam perſcrutandamque, eos inductos & excitatos, non eſt, quod dubitemus: praeſertim cum intelligerent, telis ex ſcriptura ſacra depromtis vel maxime ſe vrgeri, quae repellere non poſſent, niſi & ſcripturam conſulerent, adeoque iisdem, quibus proteſtantes inſtructi erant, armis pugnarent. Mirum itaque non eſt, certatim eos ad ſcripturam ſacram elucidandam acceſſiſſe, magnamque commentariorum protruſiſſe copiam, adeo, vt, obſeruante IO. FRID. MAYERO, *loco* deinceps *citando*, SOTWELLVS trecentos ex ſolis Ieſuitis commemoret, qui illud fecerint, ex ſolis Hiſpanis autem quingentos eiusmodi quid ſuſcepiſſe, ex NIC. ANTONII *bibliotheca hiſpana* colligi queat. Ingenue hoc agnoſcit ALPHONSVS A CASTRO, dum, *& hanc*, inquit, *proh! dolor, hodie incurſionem a Lutheranis patimur, quibus adeo frequens eſt euangelium & Paulinae epiſtolae, vt nihil aliud ſpirare videantur. Verum Deo immenſae agendae ſunt gratiae, qui omnes has eccleſiae infeſtationes ad ſuam & eccleſiae gloriam vertit, quae ictibus percuſſa ad meliora prouehi cogitur. Nam huiusmodi haereticorum cauſſa factum eſt, vt relictis quibusdam nugis, quibus a trecentis annis hucusque homines ſeſe dedere, ad meliora ſtudia ſe tranſtulerint. Quo fit, vt*

multo

multo plures viros doctos nunc eccleſia poſſideat, quam a quadringentis retro actis annis vsque habuerit; lib. I. aduerſus haereſes cap. IV. Plura hac de re dabit IO. FRID. MAYERVS, in *eccleſia papaea Lutheranae reformationis patrona & cliente, diſſertat. II. cap. II. p. 76. ſeqq.*

Priusquam autem ad eos, qui tempore reformationis eccleſiae, aut poſtea vixerunt, deſcendam; ex ſaeculo decimo quinto adhuc commemorandus eſt ALPH. TOSTATVS, epiſcopus Abulenſis, vir ſummo ingenio & diligentia incredibili praeditus. Nullum enim eſt litterarum genus, in quo non, ſi nonnullis credimus, ad miraculum vsque eruditus fuerit: vnde & ſequenti ab Hiſpanis ornatur elogio: *hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.* Sed rem nimis exaggerant, qui ita de TOSTATO ſentiunt: quod & agnoſcere videtur NICOL. ANTONIVS, dum FERD. PVLGARIS iudicium, quod *ſobrium & prudentiae plenum, moderationisque;* vocat, de eo hunc in modum refert: *In quo* (elogio de TOSTATO) *gnarus ille* (PVLGARIS) *humanae debilitatis, vix audet eo niti, vt contendat, Alphonſum noſtrum omnium ſcientiarum perfectam cognitionem conſequutum: credere ſe tamen, ait, in artium ac theologiae, nec non philoſophiae vtriusque, naturalis atque moralis, aſtronomiae inſuper & aſtrologiae doctrina nusquam gentium tempore ſuo aequalem habuiſſe;* in *biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. X. c. VII. p. 168.* Mortuus eſt TOSTATVS an. 1455, aetatis non quadrageſimo, vt nonnulli autumant, ſed quinquageſimo quinto; vt NIC. ANTONIVS *l. c.* adſerit. Praeter multa alia commentarios in omnes ſcripturae ſacrae libros ſcripſit, ſtupendam viri induſtriam demonſtrantes. *Tot enim,* inquit AVBERTVS MIRAEVS, *tantaque ſunt eius in ſacram ſcripturam commentaria, vt ſi vel a primo natali dies numerando, terna cuique folia attribuas, plura ſcripſiſſe comperias;* de *ſcriptorib. eccleſiaſtic. p. m. 87.* Simile quid obſeruat NIC. ANTONIVS, *l. c.* Opera eius ſaepe excuſa ſunt, & ſecundum eam editionem, quae Coloniae an. 1612 prodiit, XXVII conſtant voluminibus, ex quibus XXIV priora commentarios eius in ſcripturam ſacram complectuntur. Sunt tamen adhuc alia quaedam eius ſcripta, quae in hacce collectione non comparent. Conferendus LVD. ELL. DV PIN, in *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XII. p. 92.* RICH. SIMON de *commentariis* TOSTATI in *ſcripturam ſacram* ita pronuntiat: *Quamuis in commentariis ſuis in ſcripturam ſacram valde diffuſus ſit, & de illo dici ſoleat: qui ſcibile diſcutit omne: ſilex tamen eſt in ſuis digreſſionibus, adeo, vt eius lectio vtilis eſſe poſſit, quia doctus eſt, & in ſtilo biblico exercitatus. Quaeſtionum ferax eſt, quas textus ſui occaſione mouet. Sed argumentum ſaepe longe nimis protrahit, bonaque interdum pars commentariorum eius praeſcindi poſſet, licet idcirco minus adcurati non eſſent remanſuri, quia nimium multis inutilibus referti ſunt; hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. c. XII. p. 423.* Recte omnino dicitur, plurima inutilia, & ad rem nihil facientia, in hisce commentariis occurrere: alii vero etiam linguae ebraeae ignorantiam in TOSTATO notarunt, quamuis NIC. ANTONIVS praeter alia *linguarum ebraicae graecaeque notitiam* illi tribuat; *l. c. p. 168.* Quidquid eius ſit; id res ipſa docet, eum locos potius communes rerum variarum in ſcripturam ſacram congeſſiſſe, quam ſcripturam rite explicaſſe.

Saeculo decimo quinto vixit THOM. DE VIO, cardinalis Caietanus, ex colloquio, cum beato LVTHERO noſtro inſtituto, longe notiſſimus. Hic praeter reliqua ingenii praeſtantiſſimi monumenta, praeſertim *commentarios in ſummam theologicam* THOMAE DE AQVINO, aliaque, ad theologiam ſcholaſticam ſpectantia, *com-*

Digitized by Google

commentarios reliquit in vniuerſum codicem ſacrum, exceptis *cantico canticorum*, *prophetis*, (niſi quod tria priora capita Eſaiae illuſtrauit) & *apocalypſi*, ad quam, cum poſt expoſitos reliquos noui teſtamenti libros perueniſſet, dixiſſe perhibetur: *explicet, cui Deus conceſſerit.* Licet autem cardinalis hicce linguae ebraeae rudis eſſet, aliorumque, in ſignificatione vocum ebraearum cognoſcenda, vteretur opera; licet quoque nec graecae, vt nonnulli contendunt, ſatis gnarus eſſet: cum tamen excellenti praeditus eſſet ingenio; non contemnendum eſſe huncce eius laborem, viri docti iudicarunt. Cumque etiam in ſenſu litterali inueſtigando omne ſtudium induſtriamque poneret, patrumque & aliorum interpretum parum curaret auctoritatem: acres ſuorum ob nouam hancce methodum incurrit cenſuras, parumque abfuit, quin in haereticorum numerum referretur. Inter eos, qui CAIETANVM reprehenderunt, haud vltimus eſt MELCH. CANVS, qui de eo ita pronuntiat: *Ego virum hunc, vt ſaepe alias teſtatus ſum, ſemper feci maximi. Plurimum enim eccleſiam Chriſti ſuis litteris iuuit. Longum eſt autem hominis commendare ſiue eruditionem, ſiue ingenium; moleſtum etiam, vniuerſa ipſius opera commemorare. Illud breuiter dici poteſt, Caietanum ſummis aedificatoribus eccleſiae parem eſſe potuiſſe, niſi quibusdam erroribus doctrinam ſuam, quaſi cuiusdam leprae admixtione, foedaſſet, & vel curioſitatis libidine adfectus, vel certe ingenii dexteritate confiſus, litteras demum ſacras ſuo arbitratu expoſuiſſet, feliciſſime quidem fere, ſed in paucis quibusdam locis, acutius ſane multo, quam felicius. Nam & vetuſtae traditionis parum tenax, & in ſanctorum quoque lectione parum verſatus, libri ſignati myſteria ab his noluit diſcere, qui non ſuo ſenſu illa, ſed maiorum traditione, vera ſcilicet verbi Dei claue aperuerunt. Ita cum plurima ſcripſiſſet egregie, vertit ad extremum omnia, & nouis quibusdam ſcripturae expoſitionibus aliorum, quae vel grauiſſime dixerat, aut eleuauit, aut imminuit certe, auctoritatem. Inuitus quidem facio, vt doctiſſimum virum, nomine etiam expreſſo, reprehendam; ſed cum nominis ac gloriae celebritas hoc loco a Lutheranis obiiceretur; notandam temeritatem putaui; de locis theologicis lib. VII. c. III. p. 212.* Cumprimis autem AMBROSIVS CATHARINVS, eidem Dominicanorum ordini, cui & CAIETANVS adſcriptus fuit, addictus, plurima, quae in eius commentariis atro notaret lapillo, inueniſſe ſibi viſus eſt. Audire hac de re iuuabit IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD: *Has* (CAIETANI) *in ſacram ſcripturam expoſitiones, Ambroſius Catharinus noſter, ceu in multis erroneas, vel etiam haereticas, & ſaltem haereticis fauentes, facultati theologiae Pariſienſi denuntiauit, & vt, quae in euangelia ſunt, cenſura notarentur, obtinuit; & licet articulos XVI ſpecialiter notatos explicaſſet Caietanus, vel non ſuos agnoſcens, vel aliter, quam ipſe protulerat, acceptos, oſtendens: ipſe Catharinus mox a morte Caietani aduerſus eius commentarios libros inuectiuarum ſex valde acres edidit &c.* in *ſcriptorib. ordinis praedicatorum recenſitis &c. tom. II. p. 17.* Prodiit iſtud CATHARINI opus, inſcriptum: *adnotationes in excerpta quaedam de commentariis cardinalis Caietani dogmata*, Pariſiis an. 1535. 8. de quo, vt & reliquis CATHARINI ſcriptis, iidem IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD conferendi, *l. c. p. 145.* qui &, dum eos laudant, qui CAIETANVM defenderunt, haud obſcure horum ſubſcribunt ſententiae. NATALIS ALEXANDER reprehendit equidem ALPHONSVM A CASTRO, & GABR. PRATEOLVM, quod CAIETANVM *inconſiderate inter haereticos recenſeant; cum noua illa dogmata pertinaci animoſitate non defenderit, ſed corrigere paratus fuerit, ſi inueniret veritatem, ſcriptaque ſua eccleſiae iudicio ſubie-*

ſubiecerit: ab erroribus tamen eum abſoluere non audet; immo diſerte pronuntiat: *in theologicis & moralibus felicius, quam in ſacrae ſcripturae interpretatione verſatus eſt; hiſt. eccleſ. vet. teſt. ſaec. XV. & XVI. c. V. artic. II. p. 290.* Nec defuerunt, qui CAIETANI cardinalis cauſſam agerent, & eius in ſe ſuſciperent defenſionem; quod & ſpeciatim contra AMBROSIVM CATHARINVM FRANCISCVS SIXTVS Senenſis fecit, *bibliotb. ſanct. lib. V. adnotat. I.* Non tantum a CATHARINI, ſed & a SFORTIAE PALLAVICINI *hiſt. concil. Trid. lib. VI. c. XVIII.* & IAC. GRETSERI *tract. de nouis translat. c. II.* inſultibus eum vindicauit RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. cap. XII. p. 419. ſeqq.* qui & de eodem differit in *hiſt. crit. comment. noui teſtam. cap. XXXVII. p. 537. ſeqq.* De AMBROS. CATHARINO in *loco priori* pronuntiat, ſi tanto ſtudio ſacras litteras tractaſſet, quanto id fecerit CAIETANVS; eum tam intempeſtiuo zelo contra illum exarſurum non fuiſſe. Et ſane, quod CAIETANVS ſibi religioni non duxit, a patrum auctoritate, & traditione, in ſcripturae ſacrae interpretatione diſcedere; id eiusmodi eſt, vt omnes, rationis vſu non plane deſtitutos, non poſſit non ſibi ſuffragantes habere. Certe nihil ineptius cogitari poteſt, quam quod MELCH. CANVS, vir cetera doctus, & omni laude dignus, *loco* antea *citato* dixit: *maiorum traditionem veram eſſe verbi diuini clauem.* Conferendus porro de CAIETANI *commentariis* IO. FRID. MAYERVS, in *bibliotheca biblica, diſſ. IV. §. IX. p. 60.* Editiones indicant IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, *l. c.* Ceterum & ipſe, cuius mentionem fecimus, AMBROSIVS CATHARINVS *commentarium in omnes epiſtolas Pauli* reliquit, in quo meliori iure nonnulla reprehendi poſſint, quam quo ipſe in CAIETANI expoſitionibus quaedam, ceu erronea & haeretica, traduxit. Et licet id vnice egerit, vt haereticis, quos vocat, ſe opponeret: ſuorum tamen nec ipſe effugere cenſuras potuit. Lectu digna, quae hac de re, vti & de ipſo eius *commentario*, obſeruat RICH. SIMON, *hiſt. critic. comment. noui teſtam. cap. XXXVII. p. 544. ſeqq.*

Notiores prae reliquis, qui ſcripturam ſacram inter pontificios illuſtrarunt, ſunt GVIL. ESTIVS, EMANVEL SA, IOAN. STEPH. MENOCHIVS, & IAC. TIRINVS, quorum *adnotationes* inſertae etiam ſunt *bibliis magnis* & *maximis* Pariſienſibus IO. DE LA HAYE, de quibus alibi dictum. Et GVILIELMVS quidem ESTIVS, Gorcomenſis Batauus, theologus & cancellarius academiae Duacenſis, praeter *commentarios in epiſtolas Pauli & reliquorum apoſtolorum, adnotationes* ſcripſit *in difficiliora loca totius ſcripturae*, (exceptis *epiſtolis* illis apoſtolicis, quas commentario illuſtrauerat) quas vt diximus, *bibliis* ſuis *magnis* & *maximis* IO. DE LA HAYE inſeruit, & in *ſynopſi* ſua *critica* MATTH. POLVS excerpſit. In eo praecipue eſt ESTIVS, vt explicationes litterales ex patribus colligat, admixtis ſubinde quaeſtionibus theologicis. Maiorem criticae artis peritiam, notitiamque linguae ebraeae & graecae in eo deſiderat RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XI. p. 416.* Speciatim vero ad *commentarium* eius in *epiſtolas Pauli* quod attinet; eum quidem, ceu prorſus egregium, idem RICH. SIMON laudat: ne tamen nihil ſit, quod in eo reprehendat; eum interdum nimis longum eſſe, & multa ſuperflua continere, conqueritur. Porro, cum in AVGVSTINI & THOMAE DE AQVINO caſtris, in doctrina de praedeſtinatione, ESTIVS militet: iſtorum eum ſaepius doctorum, quam Pauli proponere theologiam; ab hocce autem capite, & aliis quibusdam, ſi diſcedas, non ſemper eum cum AVGVSTINO facere. Addit, etiamſi ESTIVS artis criticae non fuerit peritus: conſuluiſſe tamen

men eum notas VALLAE, ERASMI, IAC. FABRI, immo & THEOD. BEZAE, atque huius cumprimis magnam prae reliquis illi attuliſſe vtilitatem. Refert denique iudicia ESTII de quibusdam, qui ante eum easdem epiſtolas illuſtrarunt, adſeritque, quod ſubinde IANSENII epiſcopi Gandauenſis, & IO. HESSELII, doctorum Louanienſium celeberrimorum, mentionem faciat, eosque ceu magiſtros ſuos laudet; additque cum doctores Flandriae ſcripturae ſacrae neutiquam neglexerint tractationem; hinc in illorum ſcriptis plus ſoliditatis, quam ſubtilitatis ſcholaſticae, inueniri. Nimirum ſollemne eſt SIMONI, Louanienſes Duacenſesque theologos multum praeferre Pariſienſibus, vt ſupra quoque iam obſeruauimus, *lib. II. cap. I.* ad §. *XV.* Mitto reliqua, quae de hocce ESTII *commentario* diſſerit, *hiſt. crit. comment. noui teſt. cap. XLIII. p. 640. ſeqq.* EMANVEL SA, Luſitanus, ſocietati Ieſu adſcriptus, circa finem ſaeculi decimi ſexti obiit, & praeter *aphoriſmos confeſſionariorum*, & *ſcholia in quatuor euangeliſtas, ex ſelectis veterum patrum ſententiis collecta, breues notationes* ſcripſit *in totam ſcripturam*, non ſemel ſeorſim, ſed & in IO. DE LA HAYE opere biblico, antea memorato, excuſas. Ob iudicium exquiſitum, magnamque eruditionem, paſſim laudatur; nec inuito RICH. SIMONE, qui & EMANVELIS huius SA, & MENOCHII & TIRINI, mediocrem ſolum linguae graecae & ebraeae notitiam fuiſſe, contendit: certe ebraeae non tantam, vt Iudaeorum legere commentarios potuerint, quod tamen & ad ſcripturae explicationem, & ad errores varios euitandos, illis vtile fuiſſet. Atque ad EMANVELEM SA ſpeciatim quod attinet; eum ad verſionem vulgatam, quae *geneſ. III. 15.* habet: *ipſa conteret*, defendendam, tam audacter adfirmaturum non fuiſſe, ait, in quibusdam codicibus ebraeis legi היא *ipſa* ſi rerum ebraicarum fuiſſet peritior: hoc enim longe eſſe falſiſſimum; cum nullus exſtet codex, in quo ita legatur: *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. cap. XI. p. 416.* Nimiam quoque breuitatem in eo notat, in *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. c. XLII. p. 636.* quod & alii faciunt, qui, etſi adnotationes iſtae minime contemnendae ſint; hancce tamen ob cauſſam non niſi doctioribus vſui eſſe, contendunt. Ita cum CORNELIO A LAPIDE cenſet THEOPH. RAYNAVDVS, cuius hac de re verba, lectu digna, recitat IO. FRID. MAYERVS, in *bibliotb. bibl. diſſ. V. §. XVII. p. 70.* IO. STEPH. MENOCHIVS, IAC. MENOCHII, iure conſulti celeberrimi, filius, patria Mediolanenſis, profeſſione Ieſuita, circa medium circiter ſaeculi decimi ſeptimi floruit, & praeter *libros VIII. de republica Ebraeorum*, aliaque ingenii monumenta, *ſcholia* concinnauit, ſiue *breuem explicationem ſenſus litteralis in vtrumque teſtamentum*, tum ſeorſim ſubinde excuſa, tum & a IO. DE LA HAYE operi biblico Pariſienſi inſerta, & a MATTH. POLO in *ſynopſi criticorum* excerpta. Nouiſſima editio, eaque praecedentibus longe adcuratior emendatiorque eſt, quae opera & ſtudio viri celeberrimi RENATI IOS. TOVRNEMINII Pariſiis an. 1719 duobus tomis in fol. prodiit, cui & *ſupplementum* ab editore additum eſt, in quo variae doctorum virorum commentationes, ſcripturae ſacrae interpretationi inſeruientes, IACOBI ſcilicet BONFRERII *praeloquia in totam ſcripturam ſacram*; IO. MARIANAE *diſſertatio pro editione vulgata*; IOS. ACOSTAE *de vera ſcripturas interpretandi ratione, ac de Chriſto in ſcripturis reuelato, libri tres*; FRANC. RIBERAE *prooemia quatuor, in quibus disquiritur, quinam ſacrae ſcripturae interpretes ceteris praeferendi ſint*; porro: *quaeſtiones quatuor expoſitiuae, vt vocant, id eſt, de ſcriptura ſacra exponenda, ſelectae*; nimirum ex BASILII PONCII DE LEON *quaeſtionibus variis ex vtraque theologia ſcholaſtica & ex-*

& expoſitiua quatuor iſtac quaeſtiones excerptae ſunt; ANTONII DE ESCOBAR & MENDOZA *praeloquium* (ex reliquis eius praeloquiis decerptum) *de ſacrae ſcripturae ſtilo & obſcuritate*, exhibentur, quas & aliae ad geographiam itemque chronologiam ſacram ſpectantes, & has inter, quaedam ipſius TOVRNEMINII; praeterea IO. MARIANAE *de ponderibus & menſuris tractatus*, CAROLI SIGONII *de republica Ebraeorum diſſertatio*, & IOAN. FILESACI *verſio ſanctae ſcripturae latina vulgata defenſa*, excipiunt, agmen denique claudunt ROB. DE SORBONA *gloſſae diuinorum librorum* ex codice quodam manuſcripto bibliothecae Sorbonnicae primum publicae luci expoſitae. Sed ad ipſum MENOCHIVM quod attinet, HVGO GROTIVS in *praefatione adnotationum* ſuarum *in vetus teſtam.* eum inter illos refert, ex quibus plurimum profecerit. Sed & ſecundum RICH. SIMONEM, inter commentatores, qui iudicio pollent, haud vltimum tenet locum; cui tamen hoc diſplicet, quod nimis breuis ſit, nec tantum dicat, quantum ad cognitionem paullo adcuratiorem inde hauriendam ſufficiat. Addit, quod certis locis communibus theologicis aut controuerſiis non immoretur, plurima autem ex MALDONATI & TOLETI commentariis acceperit, ad quos & ſubinde lectores ſuos ableget. Nec diſſimulat, eum interdum in eiusmodi rebus erraſſe, quas ignorare non debuerit, vt, cum Arianos in Transyluania adcuſet, quod primam Ioannis epiſtolam, ob teſtimonium illud de tribus teſtibus in coelo, reiiciant; *hiſt. crit. comment. nou. teſt. c. XLIV. p. 651. ſeqq.* Sed & idem criticus, in *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XI. p. 416.* maiorem linguae graecae & ebraeae notitiam in eo deſiderat. Iungendus IO. FRID. MAYERVS, in *bibliotheca biblica, diſſert. V. §. XVIII. pag. 71.* Eadem, quam ESTIVS, SA, MENOCHIVS, adhibuerunt, methodo interpretandi ſcripturam, vſus quoque eſt IAC. TIRINVS, Antwerpienſis, ex Ieſuitarum ſocietate, qui an. 1636 obiit. Breuitati namque & ipſe ſtuduit, immo maximopere ſibi eos diſplicere, qui in commentariis ſuis in ſcripturam nimis fuſi & copioſi ſunt, teſtatus eſt, eoque nomine PERERIVM reprehendit, *quatuor tomos* in *geneſin* ſcribentem, & TOSTATVM, totidem in *pentateuchum*, & VILLALPANDVM, *tres* in *Ezechielem*, & MENDOZAM, in *octo priora libri primi regum capita duos tomos* in *fol. Quis denique*, inquit, *Pinedae, Delrionis, Ludouici de la Fuente, & aliorum craſſiſſima volumina euoluet, quo ſenſum genuinum hauriat vnius & non prolixi cantici Salomonis.* Obſeruauit haec IO. FRID. MAYERVS, *l. c. diſſert. V. §. XX. p. 80.* Atque negari nequit, plurimorum hoc, praeſertim pontificiorum, vitium eſſe, vt, tum demum ſuo ſe ſatisfeciſſe muneri, exiſtiment, ſi ingentia in ſcripturam ſacram conuectent volumina, in quibus ſaepe, ſi quid bonae frugis eſt, ab alienis, ſuperfluis, & inutilibus diſcerni nequit, vt adeo nullum aut exiguum lectores inde referant fructum. Breuitati autem ita ſtudet TIRINVS, vt tamen non nimis ieiunus ſit, ideoque melioribus, quos romanenſes habent, commentatoribus a nonnullis adnumeratur. Eum CORNELII A LAPIDE maxime premere veſtigia, viris doctis obſeruatum eſt; vnde IO. ADAMI SCHERZERI iudicio, *Tirini commentarios nihil aliud eſſe, quam Cornelium a Lapide contractum*, refert IO. FRID. MAYERVS, *l. c. p. 81.* Quod ſi RICH. SIMONEM audiamus, TIRINVS plerisque romanae eccleſiae theologis placet, eo, quod meliora quaeque ex aliorum commentariis ſummatim exhibeat, & in ſcripturae ſacrae explicatione opinionum quoque theologiae ſcholaſticae habeat rationem. Grammaticis & criticis eum non admodum immorari obſeruationibus, ait; quippe quas ad inutiles minutias referat; quamquam eo-

dem SIMONE iudice, rectius feciſſet, ſi tot controuerſias non admiſcuiſſet. Obſeruat porro, TIRINVM de neglectu ſtudii biblici conqueri; ſed ſimul monet, ex eius *commentario* malo huic remedium parari non poſſe. Vt enim prorſus hoc tollatur, ad ipſum eius fontem eundum, & theologiae ſcholaſticae corrigendum eſſe ſtudium, cuius praeiudicatas opiniones plurimis in locis ipſemet confirmet TIRINVS: ſi quis non ſolidiori inſtructus ſit eruditione, quam quae ex operibus eius eluceat, eum in refutandis proteſtantibus & Socinianis, parum ad rei ſummam profecturum; *hiſt. crit. commentat. noui teſt. cap. XLIV. p. 653.* *Commentarii* TIRINI itidem inſerti ſunt *bibliis magnis* & *maximis* IOAN. DE LA HAYE, & a MATTH. POLO, in *ſynopſi criticorum* excerpti.

Commemorari porro inter ſcripturae interpretes, quos romana eccleſia tulit, ſolent ANT. DE ESCOBAR & MENDOZA, FRANC. HARAEVS, IAC. GORDONIVS, IO. MARIANA, aliique: ſed cum nobis conſtitutum ſit, ſolum de praecipuis verba facere; hiſce miſſis, ad CORN. A LAPIDE, vel, vt plenius vocatur, CORNELIVM CORNELII A LAPIDE, qui hoſce omnes celebritate multum vincit, progredimur. Gente is fuit Belga, ex dioeceſi Leodienſi, *puſillus quidem corpore, at ingenio magnus, & diſciplinarum capax;* vt VALER. ANDREAE loquitur, in *bibliotheca belgica p. 145.* Adoleſcens adhuc ſocietati Ieſuitarum nomen dedit, anno 1592. Ebraeam deinde linguam Louanii, & ſacras litteras vltra annos XX publice docuit: vnde Romam vocatus, easdem ibi per annos complures, ſumma cum nominis celebritate, interpretatus eſt, donec, labori cedens, totum ſe ad priuatam ſcriptionem conuerteret. Cum annos aetatis ſeptuaginta transegiſſet, vitam cum morte commutauit an. 1637. A pontificiis pleriſque, ob ſummam, quam illi tribuunt, eruditionem, laudibus in coelum euehitur. VALER. ANDREAE audit *orator, philoſophus, theologus, hiſtoricus, linguarum graecae atque ebraicae peritus; cuius in lucubrando, commentando, ſcribendo, in legendis euoluendiſque ſanctorum patrum, atque interpretum variorum ſcriptis, ſtudium continuum & indefeſſum merito omnibus admirationi eſſe debeat; l. c.* At non aeque praeclare de eo ſentiunt alii. *In philologicis ſacris hoſpes eſt,* inquit GISB. VOETIVS, *& conſequenter admodum parcus; defuit enim ei eruditio in lingua graeca, in primis etiam in ebraea, ceteriſque orientalibus, & conſequenter in iſtarum linguarum idiotiſmis, elegantiis, antiquitatibus;* in *exercitiis & bibliotheca ſtudioſi theologiae, lib. II. ſect. II. c. IV. p. m. 653.* Nec aliter fere de eo ſentit THEOD. HACKSPANIVS in *prolegom. part. I. notarum philologico-theolog. in ſcript. ſacr. p. 7.* qui & alibi eum *nullius iudicii Ieſuitam* vocat. Ad rem ipſam vt veniamus, copioſis & amplis *commentariis* vniuerſam ſcripturam ſacram explicauit, exceptis Iobo atque pſalmis. Quos enim & in hoſce libros inchoauerat, morte praepeditus, abſoluere non potuit. Initium vero laboris fecit ab epiſtolis Pauli, cuius inſtituti ſui rationes ipſemet in *praefatione* adfert: *Orſus ſum ab epiſtolis ſancti Pauli, tum quod illae grauiſſimae ſint, vti & difficillimae, tum quod eas tertio, & exacte prae aliis ſcripturae libris docuiſſem, tum quod antagoniſtae ſectarii noſtri Paulum aſſidue crepitent, eumque a ſe ſuiſque ſectis ſtare, apud imperitum vulgus clamitent* &c. Saepius iſti CORNELII commentarii excuſi ſunt Antwerpiae, Coloniae, Pariſiis, Lugduni XII tomis in fol. quas editiones diligenter recenſet IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 821.* Obſeruant nonnulli ex ipſis romanenſibus, quos primum edidit, in *epiſtolas* ſcilicet *Pauli* & *pentateuchum*, eruditione praeſtare reliquis. Varia autem commentarii iſti eruditorum experti ſunt iudicia MICH.

Digitized by Google

MICH. WALTHERVS *perſpicuitatis & neruoſitatis* laudem illis tribuit, in *officina biblica*, §. *DLXXIX. p. m. 199.* cuius verba cum THOM. CRENIVS recitaſſet, addit, ſe CORNELIO hanc laudem non inuiſurum, *ſi modo aniles e legenda ferrea, lutido Surio, & ceteris huius generis futilibus, & ridiculis ſcriptoribus, excerptas fabulas, ad dementandam ſtolidam plebeculam, & perterrendos pueros confictas, omiſiſſet; animaduerſion. hiſt. & philolog. part. I. p. 57.* ABR. CALOVIVS noſter de eo ita pronuntiat: *Cornelius Cornelii a Lapide hoc ſaeculo pleroſque libros biblicos luculenter commentariis ſuo modo illuſtrauit; ſuo, inquam, modo. Nam ob hypotheſin variorum ſenſuum ſcripturae ſaepe magis obſcuratus eſt verus ſenſus litteralis, & in gratiam authentias vulgatae latinae multa falſo, & contra textum originalem adſerta; in moralibus frequenter hiſtoriis veris fabuloſae, quibus admodum ſcatet papatus, admixtae ſunt;* in *praeloquio generali ad biblia illuſtrata, p. 20.* Plura adhuc in eo deſiderat GISB. VOETIVS; ſpeciatim vero & hoc, quod *in moralibus & practicis poſtilliſticas quiſquilias & carbones pro theſauris, ex Cantipratenſi, diſcipulo de tempore, legendis, vitis patrum, & ſimilibus fabularum promis condis plerumque obtrudat*; immo & addit: *breuiter, ingenium εὔστοχον, ſubtilitas & iudicium ſubactum non ita adfuiſſe illi videtur, vt cum Toſtato Abulenſi, Thoma, Lyra, Caietano, Eſtio, Sanchez; nec multiplex eruditio & lectio, vt cum Abulenſi, Aria Montano, Maſio, & noſtris Mercero, Caluino, Beza, Bucero, Muſculo, Willeto &c. comparari poſſit. Quia tamen*, ita pergit, *ex ſuis pleraque laborioſe collegit, & ſubinde ad alios auctores digitum intendit, inſuper hodiernas ſcholae & ſynagogae Romanae interpretationes exponit & tuetur, non inutiliter eum comparabunt theologi; l. c. p. 654.* Paullo mitius de hocce auctore ſentiunt alii: mihi autem rectiſſime de eo pronuntiaſſe videtur RICH. SIMON. Cum enim, de IACOBO BONFRERIO verba faciens, dixiſſet: *Familiare eſt iis, qui commentantur in biblia, vt erudita quaedam admiſceant, & quaeſtiones a textu longe abhorrentes*, ſtatim ſubiicit: *Commentaria Cornelii a Lapide eodem vitio laborant, quamuis auctor iſte, ab initio operis, ſe breuitatis amantiſſimum eſſe, ac paucis complecti velle, quod ab aliis prolixe antea expoſitum eſſet, profiteatur. Scio equidem, eiuſmodi commentaria eruditione referta, multis placere, concionatoribus quam maxime, ſed minime ad palatum eſſe queunt eorum, qui iudicio pollent, & qui ſingula ſeparatim, ſuoque loco tractari cupiunt; hiſtor. crit. vet. teſt. lib. III. c. XII. p. 423.* Eumdem fere etiam in modum de eo verba facit in *hiſtor. crit. comment. noui teſt. cap. XLIV. p. 655.* Sed & hoc ibidem adiungit, etiamſi CORNELIVS inſignem quamdam linguarum orientalium prae ſe ferat notitiam; ex *commentariis* tamen eius in *euangeliſtas* patere, eam tam exiguam, tamque parum exactam eſſe, vt facile palam fiat, eum res, de quibus agit, non ſatis intelligere. Plura de hocce auctore dabunt GEO. HENR. GOETZIVS, ſacrorum hodie apud Lubecenſes antiſtes doctiſſimus, in *diſſertatione de Cornelii a Lapide commentariis in ſcripturam ſacram*, quae inſerta eſt eiuſdem *meletematibus Annaebergenſibus varii argumenti*, Lubecae & Lipſiae an. 1707. 8. editis; & IO. FRIDER. MAYERVS, in *bibliotheca biblica diſſ. V. §. XIX. p. 73. ſeqq.* vbi & inter alia obſeruat, CORNELIVM plagii ſubinde reum eſſe, & ex ipſius LVTHERI ſcriptis nonnulla in ſuos deriuaſſe commentarios. Conferendus & THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichen Bericht von denen alten und neuen commentariis*, ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 91. ſeqq.*

Ex recentioribus, illis, qui vniuerſam ſcripturam ſacram explicarunt, adhuc iungen-

gendus AVGVST. CALMET, quippe qui lingua gallicana *commentarium litteralem in vniuerſam ſcripturam ſacram* dedit, Pariſiis, voluminibus XXIII. 4. ab an. 1707 ad 1716 euulgatis, ſingulisque voluminibus diſſertationes quaedam praefixae ſunt, quae ſeorſim deinceps prodierunt Pariſiis, tribus voluminibus in 4. Laudat CALMETVM LVDOV. ELL. DV PIN, quod, miſſis allegoriis, de ſenſu litterali ſit ſollicitus; quodue obſeruet diſſenſum verſionum graecae, latinae, aliarumque, & textus ebraei; porro, quod in explicationibus ſuis difficultates hiſtoricas, chronologicas, geographicas, criticas, tollere, nitatur; additque, quod auctor iſte ex melioris notae interpretum, tum veterum, tum recentiorum, horumque cumprimis, & quidem proteſtantium non minus, quam romanenſium ſcriptis ſua collegerit; in *biblioth. noua ſcriptor. eccleſiaſtic. tom. XIX. p. 381.* Mirifice etiam hosce CALMETI commentarios commendat CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, dum, *notae*, inquit, *ſunt litterales, eaeque eruditiſſimae, magna cum elegantia conſcriptae, adiunctis praeſtantiſſimis diſſertationibus, queis difficiliora & ſingularia enucleantur; introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimus illuſtrata, part. I. lib. I.* ad *§. XIII. p. 158.* Nec, laude ſua opus hocce defraudandum, exiſtimo. An vbique recto inceſſerit tramite, merito dubitabit, qui regulas interpretandi ſcripturam ſacram, quas ipſemet ſibi conſtituit, certe quasdam, conſiderauerit. Recitat eas, vt ſimul ſub examen reuocet, IO. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XIX. part. I. artic. II. pag. 120. ſeqq.* Ipſe etiam quaedam de iis obſeruaui, in *praefat.* IO. IAC. RAMBACHII, viri doctiſſimi, *inſtitutionibus hermeneuticae ſacrae* praemiſſa. Sunt tamen haec, quae in iis reprehendi poſſunt, CALMETO cum aliis romanenſibus fere communia. Exſtat quoque eiusdem auctoris *dictionarium hiſtorico-critico-chronologico-biblicum*, gallice concinnatum, editumque Pariſiis an. 1722 duobus voluminibus in fol. In linguam latinam A DOMINICO MANSI conuerſum idem prodiit Lucae an. 1725 itidem duobus tomis in fol. Scripta haecce CALMETI recenſet IAC. LE LONG, *biblioth ſacr. tom. II. p. 661.*

Illi, quos huc vsque enarrauimus, aut omnes, aut pleroſque ſacrae ſcripturae libros, commentariis ſuis illuſtrarunt. Superſunt vero adhuc ex romanae eccleſiae addictis plurimi, qui vnum alterumue, aut aliquot ſacri codicis libros, explicarunt; quorum praecipuos ſummatim indicabimus. HIER. AB OLEASTRO, Luſitanus, qui an. 1563 obiit, *commentarios* in pentateuchum, & alios quosdam libros biblicos, reliquit, in quibus ex ipſis fontibus ſenſum litteralem eruere adnititur, & in vera vocum ebraearum ſignificatione enucleanda operoſus eſt. FRANC. TITELMANNVS ordini Franciſcanorum adſcriptus, qui itidem ſaeculo decimo ſexto vixit, & anno 1553 mortuus eſt, notus eſt tum ob quosdam, quibus ſcripturae ſacrae libros explicauit, commentarios, a IAC. LE LONG indicatos, *biblioth. ſacr. tom. II. pag. 990.* tum maxime ob *elucidationes in omnes Dauidicos pſalmos, cum amplioribus adnotationibus, quibus quid in vnoquoque pſalmo diſtet originalis lectio ebraea a noſtra vulgata latina, demonſtratur; diuerſorum quoque ex ebraeo interpretum variae verſiones explanantur;* Antwerpiae 1531. fol. editas, ſaepiusque recuſas. In iis methodum patrum, cum methodo recentiorum, ſenſum litteralem tantum inueſtigantium, coniunxit, nec expers eſt obſeruationum criticarum. Scripſit vero etiam *collationes quinque ſuper epiſtolam ad Romanos, quibus loca difficiliora diligentiſſime explicantur, ſimul & eccleſiaſtica noui teſtamenti latina editio rationabiliter defenditur*, ſcilicet aduerſus DESID. ERASMVM, & IAC. FABRVM Sta-

Digitized by Google

Stapulenſem; item *epiſtolam apologeticam pro opere ſuarum collationum in nouum teſtamentum ad Eraſmum &c.* IAC. BONFRERII, Ieſuitae, qui an. 1643 mortuus eſt, *commentarius in pentateuchum*, ſiue *pentateuchus Moſis commentario illuſtratus*, inter eos, qui melioris notae ſunt, omnino referendus eſt. Praemiſſa illi ſunt *praeloquia in totam ſcripturam ſacram*, in quibus generatim praecipua de interpretatione ſcripturae ſacrae capita pertractat, ſed ſecundum hypotheſes romanae eccleſiae proprias. Ea cum IO. STEPH. MENOCHII *commentariis totius ſcripturae ſacrae*, opera & ſtudio RENATI IOSEPHI TOVRNEMINII recuſa eſſe, iam antea diximus; quemadmodum & iam ſupra eorum facta eſt mentio. In ipſo commentario non tantum textus ebraei rationem habet, ſed verſiones quoque veteres cum recentioribus confert, nec rudis eſt earum rerum, quae ad ſenſum litteralem eruendum ſunt neceſſariae. Exquiſitiorem tamen linguarum orientalium notitiam nonnulli in eo requirunt. Ad quaeſtiones theologicas, easque interdum a textu remotiores, ſubinde digreditur: quod in eo, pariter ac CORN. A LAPIDE, notat RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. cap. XII. p. 423.* Multo vero magis hoc nomine reprehendendus BENED. PERERIVS, Ieſuita, cuius *commentariorum & diſputationum in geneſin tomi quatuor* Romae ab an. 1589 ad an. 1597 editi, ſaepius deinceps recuſi ſunt. Idque & agnoſcit RICH. SIMON: quamuis ſimul, huncce eius laborem minime inutilem eſſe, iudicet, eo, quod propoſitas quaeſtiones cum iudicio reſoluat, ac difficultates hinc inde in ſcriptura ſacra occurrentes illuſtret. Monet porro, id praecipue agere PERERIVM, vt ſententias patrum referat; qui, cum non ſemper de ſenſu litterali fuerint ſolliciti; maximam operis huius partem non poſſe non inutilem cenſeri intuitu illorum, qui nihil aliud, quam ſenſum litteralem in ſcriptura ſacra quaerant; *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XII. p. 423. ſeqq.* Reliqua ſcripta exegetica PERERII recenſet IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 898.* Conferendus & NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. noua, tom. I. p. 161.* MARINI MERSENNI hic mentem ſubit recordatio, vtpote cuius *commentarius* in *geneſin*, aut potius *ſex priora geneſeos capita*, digreſſiones itidem ampliſſimas continet, eas quidem eruditas, ſed parum ad rem facientes. Inſcribitur: *quaeſtiones in geneſin, cum adcurata textus explicatione; item obſeruationes & emendationes ad Franciſci Georgii Veneti problemata in geneſin,* Pariſiis an. 1623. fol. Hoc me IAC. LE LONG docuit, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 859.* Opus enim hocce rariſſimum eſſe, conſtat. Atque ex eodem etiam auctore didici, cum *quaeſtiones* ſolum in *ſex priora capita geneſeos* editae ſint, in reliqua ſeruari Pariſiis in bibliotheca minimorum, quorum ordini MERSENNVS adſcriptus fuit. Praetermittere autem nequeo, quod DAN. GEO. MORHOFIVS obſeruat. Cum enim monuiſſet, auctorem libri: *cymbalum mundi* inſcripti, a MERSENNO *in geneſin p. 669.* DE PEREZ, vocari; addit: *Qui & ipſe Merſennus in illo commentario ſatis curioſus eſt, in rimandis illis, quae videntur aduerſus auctoritatem textus ſacri adduci poſſe. Magna certe diligentia conquiſitae apud illum ſunt obiectiones, quae a profanis hominibus adferri ſaepe ſolent. Neque tantum ſubſiſtit in iis, quae geneſi Moſaica continentur, ſed per tota biblia ſe diffundit; polyhiſt. tom. III. lib. V. §. XI. p. 50.* Obiit MERSENNVS an. 1648. Eo itaque antiquior fuit NIC. SERARIVS, Ieſuita, ob varia ſcripta, quae, haud vulgari eruditione praeditum fuiſſe, arguunt, percelebris, qui iam anno 1609 vitam cum morte commutauit, poſtquam Moguntiae & Herbipoli ſacras litteras docuiſſet. Linguarum & ſacrae antiquitatis haud rudem fuiſſe, ſcripta teſtantur, praeſer-

ſertim quae de *tribus Iudaeorum ſectis* contra IOSEPHVM IVST. SCALIGERVM, & IO. DRVSIVM, in lucem emiſit. Reliquit autem *commentarios* in *librum Ioſuae*, in *libros Iudicum* & *Ruth*; porro *commentarios poſthumos in libros regum & paralipomenon*; praeterea in *libros* quosdam *apocryphos*, vt & in *epiſtolas canonicas*: quorum omnium editiones indicat IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. pag. 960.* RICH. SIMONEM ſi audiamus, SERARIVS omnibus iis, quae ſcripturae ſacrae interpretem ſcire decet, abunde inſtructus fuit, vtpote qui linguae graecae atque ebraeae longe peritior, quam vulgo eſſe ſolent, qui ad ſcripturae ſacrae interpretationem accedunt, non minus vero & in ſtilo ſcripturae ſacrae exercitatus fuerit: methodum autem eius ab ea, quae criticorum eſt, diſſentire, multaque eum & in quaeſtionibus, & in commentariis, quae ſuperuacanea ſint, & vſu careant, admiſcere; paucis: auctorem eruditum quidem eſſe, ſed parum adcuratum; in *prolegomenis* tamen ſuis *ſuper biblia* (quae ſeorſim prodierunt) maiorem eum vim iudicii prodere; *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XII. p. 423.* SIMEONIS DE MVIS iam ſupra ad *§. III.* huius capitis a nobis facta eſt mentio, cum eos, qui IO. MORINO ſe oppoſuerunt, recenſeremus. Commemorandus autem hic etiam eſt, tum ob alia quaedam, tum maxime ob *commentarium in omnes pſalmos, & ſelecta veteris teſtamenti cantica, cum verſione noua ex ebraeo*, Pariſiis anno 1630. fol. editum; in quo id agit, vt non tantum ſenſum ſecundum regulas grammaticae, & indolem linguae ebraeae, inueſtiget, ſed Iudaeorum quoque explicationes referat, & interdum ſub examen reuocet; in eo cumprimis laudandus, quod plurimos pſalmos, etiam ſecundum ſenſum litteralem, de Chriſto ſeruatore noſtro explicet. De reliquis, de quibus adhuc dici poſſet, LEONE A CASTRO, FRANC. DE RIBERA, AVGVST. STEVCHO Eugubino, ROB. BELLARMINO, GILB. GENEBRARDO, THOMA MALVENDA, aliisque, qui libros quosdam veteris teſtamenti illuſtrarunt, conferendus RICH. SIMON, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XII. p. 423. ſeqq.* Addendus vero etiam CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſ. illuſtrata, part. I. lib. I.* ad *§. XIII. p. 152. & ſeqq.* vbi plurimos a nobis praetermiſſos, eos praeſertim, qui recentiori aetate lingua gallicana commentarios, aut adnotationes, ad libros quosdam biblicos ediderunt, indicat.

Dicendum vero adhuc de nonnullis eſt, qui ſpeciatim noui teſtamenti libris, aut omnibus, aut quibusdam, lucem adfundere adgreſſi ſunt. Primus equidem, qui melioribus, quam ſcholaſtici, inſtructus praeſidiis, eiusmodi quid ſuſcepit, LAVR. VALLA fuit, qui tamen ante eccleſiae emendationem circa medium ſaeculi decimi quinti, vixit. *Adnotationes* eius *in nouum teſtamentum, ex diuerſorum vtriusque linguae graecae & latinae codicum collatione*, Pariſiis prodierunt an. 1505. 8. alibique, & *criticorum ſacrorum* commentationibus, iunctim editis, (de quibus deinceps dicemus) inſertae ſunt. Id vero praecipue agit VALLA, vt interpretem vulgatum caſtiget, ſimulque textum graecum emendet; quamquam etiam ſubinde commentatorum, quos ſequior aetas tulit, praeſertim THOMAE DE AQVINO, errores, ex ignorantia graecae linguae profectos, redarguat. Quod nonnulli adſeruerunt, Paulum apoſtolum THOMAE AQVINATI adparuiſſe, eique adfirmaſſe, neminem rectius, quam illum, epiſtolas ſuas intellexiſſe; inter lepida merito refert commenta. *Peream*, inquit, *niſi id commentitium: nam cur Paulus eum non admonuit erratorum ſuorum*; in *not.* ad *I. Cor. IX. 23.* Non tamen criticis & grammaticis obſeruationibus

Digitized by Google

bus ita inſtitutum ſuum circumſcripſit, quin interdum quaeſtiones theologicas attingeret. Cumque B. LVTHERVS ad eum aliquando prouocauerit: mirum non eſt, eum a romanenſibus praecurſorem Lutheranorum vocari. Plura de eo ſuppeditabit RICH. SIMON in *hiſt. crit. verſ. nou. teſt. c. XXI. p. 237. ſqq.* item in *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XXI. p. 236. ſeqq.* IAC. FABER, Stapulenſis, nonnulla equidem, quae ad vetus teſtamentum pertinent, ſcripſit; ſed cumprimis tamen ob ea, quae in *quatuor euangelia*, in *epiſtolas Pauli*, vt & *epiſtolas canonicas* commentatus eſt, celebratur. Editiones indicat IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 729.* Ex primis cum eſſet, qui in academia Pariſienſi, expulſa barbarie, meliores reſtituere litteras c* nati ſunt; ipſeque in graecis litteris addiſcendis, operam ſtudiumque collocaſſet: eo facilius famam nominisque eo tempore conſequi potuit celebritatem. In ſuſpicionem autem adductus, ac ſi doctrinae LVTHERI faueret, varia ſubiit fata: de quibus legendus LVD. ELL. DV PIN, in *noua biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. XIV. p. 157.* Quantumuis autem eruditione haud vulgari inſtructus ad ſcripturae ſacrae interpretationem accederet, & a barbarie theologorum ſui temporis ſe remouere quam longiſſime adniteretur: naeuorum tamen, tum intuitu interpretationis, tum intuitu latini ſermonis, eum non expertem fuiſſe, DES. ERASMVS atque STVNICA, quos cenſores nactus eſt, demonſtrarunt. NATALIS vero BEDA, ſiue vt alii vocant, BEDDA, & FABRVM, & ERASMVM, variorum in theologicis poſtulare errorum, non dubitauit; de quo conferendus LVD. ELL. DV PIN, *l. c. p. 157.* De controuerſiis FABRI cum ERASMO copioſe differit RICH. SIMON, qui &, eum in HIERONYMVM paullo iniquiorem fuiſſe, certe acerbiori illum perſtrinxiſſe cenſura, obſeruat in *hiſt. crit. comment. noui teſt. c. XXXIV. p. 489. ſeqq.* DESID. ERASMVS Roterodamenſis, quem IAC. FABER cenſorem expertus eſt, hic vel maxime in cenſum venit. Non tantum enim nouam verſionem latinam noui teſtamenti, de qua iam ſupra ad §. *VI.* huius capitis dictum, concinnauit, ſed & *adnotationes*, in quibus cumprimis veteris editionis ſeu verſionis vulgatae, aliquot locis immutatae, rationem reddere voluit, itemque *paraphraſin in nouum teſtamentum*, excepta apocalypſi, euulgauit. Editiones tum *adnotationum*, tum *paraphraſeos*, indicat IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 714.* vbi & obſeruat paraphraſin iſtam in linguam gallicam & anglicanam, eam vero, quam in *epiſtolas apoſtolorum* dedit, etiam in germanicam conuerſam eſſe. Quemadmodum autem verſionem ſuam latinam contra cenſuras PETRI SVTORIS, EDVVARDI LEI, IAC. LOPEZII STVNICAE; ita & tum *adnotationes*, tum *paraphraſin ſuam* partim contra eosdem, partim contra NAT. BEDAM, aliosque, defendere, opus habuit. *Adnotationes* ERASMI non ſolum eruditionem auctoris, artisque criticae peritiam, demonſtrare; ſed theologiae quoque minime rudem fuiſſe, oſtendere, LVD. ELL. DV PIN pronuntiat; qui & addit, LAVR. VALLAE hoc nomine praeferendum ERASMVM, quod cum linguarum ſtudio lectionem patrum coniunxerit: & quamuis in hisce eius *adnotationibus* quaedam occurrant, quae non ſine ratione reprehendantur: negari tamen non poſſe, illas, ſi ſummatim de iis ſententia ferenda ſit, prorſus eſſe egregias; in *paraphraſibus* eum interdum ab officio paraphraſtae diſcedere, ſenſumque exprimere, qui, ſuo potius tempori, quam aetati, qua Chriſtus & apoſtoli vixerunt, conueniat; in *noua biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XIV. p. 91.* RICH. SIMON in examine *adnotationum & paraphraſeos* ERASMI admodum copioſus eſt, ſummoque ſtudio conquirit, quae reprehendere queat; *hiſtor. crit. comment.*

ment. noui teſtam. cap. XXXV. p. 404. Nimirum initio id ERASMO vitio vertit, quod quauis data, immo arrepta occaſione, theologos ſcholaſticos, & monachos perſtringat, & ita declamatorem potius agat, quam interpretem. Certatim equidem eiusmodi homines famam & exiſtimationem ERASMI laceraſſe; quam tamen ſi contra eos defendere conſultum duxerit, alio id eum potuiſſe facere loco, nec ideo *adnotationibus* eius digreſſiones eiusmodi inutiles, parumque ad rem facientes, fuiſſe inſerendas. Quemadmodum autem ipſe SIMON non negat, veriſſima eſſe, quae ERASMVS de iſto hominum genere dixit; ita ipſa, quae adfert, exempla docent, quae hunc in modum ERASMVS diſputauit, non ſemper a locis, quae explicauit, aliena fuiſſe. Agnoſcit SIMON, cum ERASMVS verba Dei patris de filio ſuo: *ipſum audite, Matth. XVII. 5.* exponeret; addere eum potuiſſe: *hoc auctoritatis nulli theologorum, nulli epiſcoporum, nulli pontificum aut principum tributum eſt:* ſed non video, cur non eodem iure & ſequentia adnectere potuerit: *Pluris fieri inter monachos, quid ſtatueret Benedictus, aut Bernardus, aut Franciſcus, quam quod is docuerit, de quo vno vox patris audita eſt: ipſum audite.* Vt enim adiicerentur, res ipſa, & iſtorum temporum poſtulabat ratio. Reprehendit porro SIMON ERASMVM, quod, cum linguae ebraeae fuerit rudis, verſionem tamen LXX interpretum cum textu ebraeo conciliare, & rationem, cur euangeliſtae & apoſtoli veteris teſtamenti dicta aliter, quam in codice ebraeo leguntur, protulerint, reddere voluerit. Et quamuis ERASMVS fateatur, ſe tum opera IO. OECOLAMPADII vſum; commiſiſſe tamen eum, quod in aliis, qui alienis in eiusmodi rebus viderint oculis, condemnauerit. In eo quidem ERASMVM pleroſque, qui ante illum ad ſcripturae ſacrae explicationem acceſſerint, vincere, quod ipſemet ſcripta patrum legerit: eius tamen citationes non ſemper tam exactas eſſe, vt tuto fides iis adhiberi queat. Interim fatetur SIMON, etiamſi plurima ab aduerſariis ERASMI illi obiecta fuerint; haec tamen maximam partem ita fuiſſe comparata, vt illorum ſolum demonſtrauerint ignorantiam. Praecipuum momentum inter ea, quae reprehenſione digna exiſtimauerint, trahere adcuſationem, quod in ſuis *adnotationibus* Arianiſmo & Pelagianiſmo frigidam ſuffunderet. Equidem, ad Pelagianiſmum quod attinet, haud difficulter ERASMVM excuſari, aut defendi poſſe, exiſtimat SIMON; ſcilicet quoniam & ipſe ab eo non adeo alieno eſt animo: ab Arianiſmi autem eum purgare ſuſpicione, haud exigui laboris fore; ſiquidem plurima loca noui teſtamenti eum in modum interpretatus ſit, quo id cupiunt antitrinitarii. Scio vtique, & ab aliis non ſine ſpecie quadam hoc ERASMO exprobrari; ipſoſque antitrinitarios omni conatu id agere, vt eum ſibi vindicent: at, Arianorum impietatem neutiquam ERASMO probatam, contendunt alii; etſi loca quaedam, quae vulgo Arianis opponuntur, ita interpretatus ſit, vt nihil inde contra eos colligi queat.

Iam vt ad reliquos progrediamur, occurrit nobis CLAVDIVS ESPENCAEVS, theologus Pariſienſis, cuius praeter alia exſtant *commentarii & digreſſiones in priorem epiſtolam ad Timotheum*, itemque in *poſteriorem*, vt & in *epiſtolam ad Titum*, ſeorſim primum editae, deinceps iunctim recuſae, Pariſiis an. 1619 fol. Ad textus equidem explicationem *commentarii* iſti parum faciunt: memorabiles tamen ſunt ob ampliſſimas *digreſſiones*, in quibus de variis diſciplinae eccleſiaſticae capitibus copioſe & erudite diſſerit. Cumque paſſim curiae & eccleſiae romanae naeuos cordate detegat, & acriter perſtringat: inter teſtes veritatis locum promeretur. Plurima equidem ex patribus adfert: quae tamen maximam partem

tem ex GRATIANO, ſimilibusque compilatoribus, depromſiſſe, videtur. In IAC. SADOLETI, cardinalis longe celeberrimi, *commentariorum in epiſtolam ad Romanos libris tribus*, tum alias, tum & cum reliquis eius operibus Moguntiae an. 1607. 8. editis, ſtili quidem elegantiam merito admirantur omnes: cetera non magni momenti ſunt. Atque hinc etiam, quid de commentariis eius in *pſalmum L.* & *XCIII.* cenſendum ſit, cognoſcere licet. Stili elegantia iſtud non eſt, quod in eiusmodi ſcriptis quaerere ſolemus: quamquam ſi cetera recte ſe habeant, ſique minime ſit coacta, ingens decus iis adferat, atque ornamentum. CORNEL. IANSENIVS, epiſcopus Gandauenſis, *commentarium* equidem *in prouerbia, paraphraſin & adnotationes in pſalmos*, & alia quaedam ad vetus teſtamentum ſpectantia, reliquit: ſed praecipuam tamen laudem conſequutus eſt ob *commentarium in concordiam, & totam hiſtoriam euangelicam*, Louanii an. 1572. fol. & deinde ſaepius editum. MART. CHEMNITII ſententiam de eo ſupra retulimus; eſtque is & hodie viris doctis in pretio. Diuerſus ab hocce Gandauenſi epiſcopo eſt Yprenſis, cui idem CORN. IANSENII nomen fuit, & a quo deinceps Ianſeniſtae, quos vocant, adpellationem ſortiti ſunt; non minus tamen & hic commemorandus. Namque & is praeter *commentarium in quinque libros Moſis* & alia quaedam, *tetrateuchum*, ſeu *commentarium in quatuor euangelia*, edidit, Louanii an. 1639. 4. non ſemel deinde recuſum, in quo breuiter quidem, ſed adcurate, & exquiſito ſtudio, ſenſum textus exhibet: quamuis nullam occaſionem, ſua de gratia irreſiſtibili, capitibusque cum hac ſententia coniunctis, placita, quae ex AVGVSTINO ſibi hauſiſſe viſus eſt, & quae tantos in eccleſia romana excitarunt motus, ingerendi, praetermittat. IO. MALDONATVS, gente Hiſpanus, profeſſione Ieſuita, ingenio & eruditione clarus, qui ſaeculo decimo ſexto floruit, viuendique finem an. 1583 fecit, in varios equidem veteris quoque teſtamenti libros commentarios compoſuit; ſed notiſſimus itidem ob eos eſt, quos *in quatuor euangeliſtas* concinnauit, qui poſt auctoris obitum Muſſiponti primum an. 1596 duobus voluminibus in fol. &, poſtea ſaepius euulgati, principem inter reliqua eius ſcripta tenent locum; quo nomine & inter eos, qui noui teſtamenti praecipue libros illuſtrarunt, eius mentionem facere voluimus. Id quod & de nonnullis aliis, de quibus diximus, obſeruandum. Maximopere hosce commentarios commendat RICH. SIMON, in *hiſt. crit. commentator. noui teſt. cap. XLII. p. 618. ſeqq.* quem magnum MALDONATI admiratorem eſſe, aliunde quoque conſtat; licet nonnulla, quae tamen non magni momenti ſunt, in eo reprehendat. Quo pacto MALDONATVS in haereſeos adductus ſit ſuſpicionem, quod adſeruiſſet, non eſſe de fide, beatam virginem ſine peccato originali eſſe conceptam, a qua tamen abſolutus fuerit; idem RICH. SIMON *l. c.* exponit. Conferendus & PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Maldonatus*, *p. 2011.* MALDONATVM in explicatione verborum, *Luc. I. 35.* animum antitrinitariorum erroribus fauentem non demonſtraſſe, contendit, eiusque adeo in hocce etiam capite cauſſam agit, RICH. SIMON, *biblioth. crit. tom. I. cap. XXVII. p. 379. ſeqq.* Hoc & ſupra iam obſeruauimus, *cap. I.* libri huius, ad *§. XV.* vbi plura de MALDONATO diximus. Mirum autem non eſt, MALDONATVM, eiusque commentarios, tantopere placere SIMONI: cum ipſe non diſſimulet, etiam in dogmaticis MALDONATVM ab auctoritate AVGVSTINI diſcedere, quae in eccleſia romana illis maximopere obſtat, qui Pelagiana calculo ſuo adprobant placita; quos inter & SIMONEM referendum eſſe, non dubitauerit, qui ſcripta eius paullo adcuratius

Digitized by Google

curatius legerit. Hactenus enumeratis addi ex recentioribus adhuc poſſet NATAL. ALEXANDER, ob *commentarium*, ſiue *expoſitionem litteralem & moralem in quatuor euangelia*, Pariſiis 1703. fol. item *commentarium* in *omnes epiſtolas Pauli & catholicas*, Rothomagi 1710. fol. Sed viri huius docti ſcripta ob diligentiam potius, quam ingenii acumen, aut iudicii *[illegible]*, laudanda, notum eſt. PASCHASII QVESNELLII *obſeruationes morales*, verſioni eius gallicae noui teſtamenti additas, ſupra iam commemorauimus, cum de iſta verſione loqueremur. Laudantur merito, ſi demas errores, aut auctori cum aliis romanae eccleſiae addictis communes, aut IANSENII diſcipulis proprios. Legendus de iis CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, *introd. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtratae, part. I. lib. I.* ad §. *VIII. p. 123.* qui & ad §. *XIII. p. 155.* LALLEMANTII Ieſuitae *obſeruationes morales ad nouum teſtamentum*, Quesnellianis oppoſitas, indicat.

Sequuntur nunc reformatae eccleſiae doctores, quorum nonnullos ad theologiae exegeticae incrementa plurimum contuliſſe, negari nequit. Miſſis autem HVLD. ZWINGLIO, IOAN. OECOLAMPADIO, MART. BVCERO, CONR. PELLICANO, aliisque, quorum ſcripta exegetica hodie non adeo in cenſum veniunt; ad ipſum ſtatim nos conuertimus IO. CALVINVM, quippe qui praeter ſcripta quam plurima dogmatica, & polemica, etiam commentarios in pleroſque ſacri codicis libros, in lucem emiſit. Recenſet eos, indicatis editionibus, & quorumdam in linguam gallicam, anglicam, germanicam, verſionibus, IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 663.* Exſtant vero etiam inter opera CALVINI, Amſtelodami an. 1667 nouem tomis in fol. excuſa, immo iſtorum ſeptem fere tomos priores conſtituunt. Inter libros, quos commentariis ſuis non illuſtrauit, eſt *apocalypſis Ioannis*; laudaturque eo nomine a IOSEPHO IVSTO SCALIGERO, quod eam ſibi illuſtrandam non ſumſerit. Nota enim eius vox eſt: *Caluinus ſapit, quod in apocalypſin non ſcripſit*; in *Scaligerianis ſecundis, p. 15.* Ingenii acumen, & iudicium ſingulare, vt in reliquis CALVINI ſcriptis, ita & in eius *commentariis* elucere, agnoſcunt omnes; nec diffitetur RICH. SIMON, qui & de iis ita pronuntiat: *Cum Caluinus ſublimi ingenio polleret, in eius commentariis ſtatim occurrit quiddam, quo animus rapitur, cumque hominem intus & in cute pernoſſet, ethicam exhibet mire placentem, quam & ille, quantum poteſt, textui ſacro conformem reddit. Si minus praeiudiciis laboraſſet, nec haereticarum partium dux voluiſſet eſſe, ac ſignifer; vtilem eccleſiae catholicae operam nauare potuiſſet*; *hiſtor. crit. vet. teſt. lib. III. c. XIV. p. 435.* Subiicit deinde alia, ob quae reprehendendum CALVINVM exiſtimat, vt, quod textum ingenioſe, aut maligne potius, ad praeiudicia ſua adcommodet; quodue nullam occaſionem, in eccleſiam romanam inuehendi, praetermittat, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Agnoſcit rurſus, non eſſe temere quemquam, qui vanitatem rerum creatarum, ſeu quam omnino poſt lapſum nihil ſint, rectius intellexerit, quam CALVINVS: cumque in vitiis ac defectibus hominum adcurate pernoſcendis, ſtudium haud vulgare poſuerit; hinc animos eum commouere potuiſſe. Nimirum ita res eſt comparata, ad litteras ſacras recte explicandas, & ea, quae vel maxime proſunt, inde eruenda, plurimum omnino facit, intimam humanae naturae per peccatum corruptionem, ſummamque deprauationem cognitam perſpectamque habere. Ita enim, quorſum omnia tendant, vt ab iſta labe per Chriſtum ſeruatorem liberemur, eo facilius cognoſcemus. Atque hactenus laudem haud exiguam meretur CALVINVS. Dum vero RICH. SIMON cum

eum in hocce capite LVTHERO ita praefert, vt huius conſiderationes pro *vanis ſpeculationibus*, & *ridiculis diſputationibus* venditet; maximopere fallitur, & aut ignorantiam ſuam, aut malignitatem prodit. Quidquid enim CALVINVS de corruptione naturae humanae dicit; nulla ratione comparari cum iis poteſt, quae ſubinde LVTHERVS grauiſſime de hocce argumento diſputat; in quo cautiſſime inſuper verſandum, ne eousque naturae humanae corruptionem exaggeremus, vt, facultatem, gratiam diuinam aut admittendi aut repudiandi, homini adimentes, ad abſolutam tandem quamdam prolabamur praedeſtinationem; quod facile contingere poteſt, & CALVINO contigiſſe, certum eſt. Vt vero in hocce capite CALVINVM LVTHERO praetulit SIMON: ita rurſus maiorem LVTHERO linguae ebraeae notitiam tribuit, quam CALVINO; immo, hunc linguae ebraeae adeo rudem fuiſſe, adſerit, vt vix characteres eius noſſet; quod meram calumniam eſſe, recte IO. FRID. MAYERVS pronuntiat, ſimulque obſeruat, commentarios CALVINI non mediocrem ebraearum litterarum notitiam ſpirare; in *biblioth. bibl. diſſertat. VI. §. I. p. 87.* Notum ceteroquin eſt, in commentariis ſuis in libros quosdam veteris teſtamenti id paſſim agere CALVINVM, vt oracula atque effata, quae de Chriſto atque myſterio trinitatis agunt, ad mentem Iudaeorum ac Socinianorum interpretetur; quo ipſo tum aliis, tum maxime HVGONI GROTIO, exemplum, quod imitarentur, reliquit. Occaſio hinc enata fuit AEGID. HVNNIO, celeberrimo eccleſiae noſtrae theologo, librum edendi, quem *Caluinum iudaizantem &c.* inſcripſit, de quo, cum iam ad *cap. praeced. §. VIII.* dictum ſit; nunc nihil addimus. Habent equidem, quod obtendant, qui CALVINVM defendunt; committere ſcilicet eum noluiſſe, vt dogmata de trinitate & de Chriſto leuibus argumentis contra Iudaeos & antitrinitarios comprobaſſe videretur: ſed parum hac ratione ad ſummam rei proficiunt. Fieri enim potuit, vt pro leuibus, aut nullius momenti, CALVINVS haberet, quae grauiſſima ſunt, maximumque pondus ſecum vehunt. Praeterea, quod vero ac genuino ſenſui ſcriptorum ſacrorum conuenit, minime leue, aut nullius momenti, cenſeri debet. Hinc RICH. MONTACVTII iudicio *tela de manibus athletarum pro diuinitate Chriſti, expoſitionibus ſuis excutere, non iniuria interdum dicitur; commentation. de originib. eccleſiaſticis tom. I. p. 310.* Quae MONTACVTII verba etiam recitat IOAN. FRID. MAYERVS, *l. c. p. 88.* De commentariis CALVINI in libros noui teſtamenti RICH. SIMON itidem ita differit, vt quaedam in iis laudet, quaedam more ſuo vituperet; in *hiſt. crit. comment. noui teſtam. cap. L. p. 745. ſeqq.*

Eodem, quo CALVINVS, tempore etiam floruit WOLFG. MVSCVLVS, vir eruditiſſimus, & linguarum latinae, graecae, & ebraeae peritiſſimus. Commentarii eius in *geneſin, pſalmos, Eſaiam*, & pleroſque noui teſtamenti libros, quos, indicatis eorum editionibus, recenſet IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 873.* praeſtantioribus omnino ſunt adnumerandi. Textum enim originalem adcurate perſcrutatur, adhibitis quoque in ſubſidium verſionibus veteribus ac recentioribus; ſenſuque litterali rite inueſtigato, quae in vita recte inſtituenda vſui eſſe poſſunt, inde deriuat. Veram methodum, explicandi ſcripturam, auctori huic perſpectam fuiſſe, non diffitetur RICH. SIMON: ſimul tamen addit, in linguis & arte critica non ſatis exercitatum fuiſſe; in *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XIV. p. 439.* At ſollemne hoc eſt SIMONI, in viris linguae ebraeae peritiſſimis adcuratiorem iſtius linguae notitiam deſiderare. Conferendus etiam eſt SIMON, in *hiſt. crit. comment. noui teſtam.*

cap. L. p. 749. MVSCVLO iungimus IO. MERCERVM, quippe cui itidem inter eruditiſſimos ſaeculi decimi ſexti viros haud vltimus locus debetur. Linguae ebraeae profeſſor regius fuit Pariſiis, & FRANC. VATABLI in eodem munere ſucceſſor. Commentarios reliquit in *geneſin*, in *librum Iobi*, in *prouerbia Salomonis*, in *eccleſiaſten*, in *canticum canticorum*, & denique in prophetas aliquot minores; quos recenſet IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 859.* ex quibus reliquis praeſtantiores eſſe cenſentur, in *Iobum*, *prouerbia Salomonis*, *eccleſiaſten*, & *canticum canticorum*. Senſum litteralem, propriamque vocum ſignificationem, diligentiſſime inueſtigat, collatis quoque antiquis verſionibus, & doctorum gentis ebraeae commentariis: quod eo faciliori ſucceſſu facere potuit, quo exquiſitiori linguae ebraeae notitia fuit inſtructus, quoue in ſcriptis quoque rabbinicis fuit exercitatior. Non ſine ratione commentarii eius hodie adhuc eruditis ſunt in pretio. FRANC. IVNIVM, verſioni latinae veteris teſtamenti, a ſe & IMMAN. TREMELLIO confectae, poſt huius mortem notas addidiſſe, & in ipſa quoque verſione iſta quaedam mutaſſe, ſupra iam docuimus. Nunc illud adhuc monemus, biblia Tremellio Iuniana, tum alias, tum & Geneuae an. 1630. fol. excuſa eſſe, adiecto locupletiſſimo indice PAVLI TOSSANI; in qua quidem editione ſcholiis IVNII alia quoque admixta ſunt, praeſertim in noui teſtamenti libris, ex BEZA, CAMERARIO, aliiſque. Obſeruat hoc IO. FRID. MAYERVS, in *biblioth. bibl. diſſert. VI. §. III. p. 91.* vbi & inſigne elogium, quo MATTH. POLVS IVNIVM ornauit, recitat. Idem vero IVNIVS & *pentateuchi explicationes analyticas*, *commentarium in Ezechielem*, alioſque libros biblicos, ſimiliaque, quae huius omnino loci ſunt, ſcripſit, quae IAC. LE LONG enarrat, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 810.* Cumprimis tamen commendari ſolent eius *parallela ſacra*, ſeu *ſacrorum parallelorum libri tres*, id eſt, *comparatio locorum ſacrae ſcripturae*, *quae ex veteri teſtamento in nouo adducuntur*; in quibus dum loca veteris teſtamenti, prout in nouo adducuntur, diligenter conſiderat, & difficultates, quae hic occurrunt, tollit, locis quam plurimis lucem prorſus egregiam adfundit. Conferendus de IVNIO PAVL. COLOMESIVS, in *Gallia orientali, p. m. 95.* vbi virorum doctorum de illo eiuſque ſcriptis teſtimonia, atque elogia exhibet. IVNIVM ſubinde corrigit atque emendat IO. PISCATOR, qui magna nominis celebritate Herbornae docuit, ibique an. 1625 obiit. Praeter verſionem germanicam ſcripturae ſacrae, de qua iam ſupra dictum, etiam *commentaria in omnes veteris ac noui teſtamenti libros*, *cum analyſi logica*, *& obſeruationibus locorum communium*, *& duplici verſione latina*, *vna Iunii & Tremellii*, *altera ipſius Piſcatoris*, reliquit, quae per partes primum Herbornae ab an. 1601 ad 1616 edita, deinde ibidem ab an. 1643 ad 45 aliquot voluminibus in fol. recuſa ſunt. Conferendus IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 907.* itemque IO. FRID. MAYERVS, in *biblioth. bibl. diſſertat. VII. §. I. p. 99. ſeqq.* ABR. CALOVIVS, & IVNIVM & PISCATOREM *vtiliter adhiberi & conferri poſſe*, cenſet, *modo cum iudicio id fiat, & in Piſcatore inprimis heterodoxiae Caluinianae fugiantur*; in *praeloquio generali* ad *biblia illuſtrata p. 20.* RICH. SIMON, de *commentariis* PISCATORIS in *nouum teſtamentum* verba faciens, obſeruat, eum tum in verſione ſua, tum in notis, plerumque THEOD. BEZAM ſequi, quin & ſubinde nihil aliud agere, quam vt ab eo dicta, in compendium mittat; interdum tamen, & quidem in haud exigui momenti rebus, ab illo diſſentire; *hiſtor. crit. commentat. noui teſtamenti cap. LI. p. 761.* Antiquior nimirum PISCATORE fuit THEOD. BEZA, vtpote qui an.

1605

Digitized by Google

1605 inter mortales eſſe deſiit. Hunc vero non tantum verſionem latinam noui teſtamenti, ſupra iam commemoratam, concinnaſſe, ſed adnotationes etiam adiecisſe, notum eſt; quae vna cum textu graeco & verſione eius latina Geneuae primum prodierunt an. 1556. fol. & ſaepius deinde recuſae ſunt. Eas prorſus egregias eſſe, fatentur omnes: nec aliae a BEZA exſpectandae erant, vtpote qui & grammaticae, & artis criticae peritus erat, & ingenio pollebat longe praeſtantiſſimo. Accedebat, quod & codicibus quibusdam manuſcriptis melioris notae inſtructus erat, iisque etiam recte vti didicerat. Vnde mirum non eſt, quod omnibus, qui eiusmodi quid ante eum tentarunt, dubiam reddiderit palmam. Quemadmodum itaque praeeuntes ſibi habuit LAVR. VALLAM, DES. ERASMVM, & IAC. FABRVM: ita ex iis, qui eum ſequuti ſunt, plerique eius quoque vſi ſunt labore. Vnicum hoc viris doctis, & quidem non ſine ratione, diſplicet, quod nullam occaſionem, placita ſua atque hypotheſes ingerendi, easque propagandi, praetermittat. Verſionem BEZAE hoc nomine praeter alios reprehenderunt IO. PEARSONIVS, & STEPH. CVRCELLAEVS, ille in *praefat. LXX interpretum editioni Cantabrigienſi anno 1665.* praemiſſa; hic autem *inſtitut. relig. chriſt. lib. VI. cap. V.* Hoc vero vt in ipſas etiam *adnotationes* redundat, ad verſionis defenſionem cumprimis comparatas; ita & easdem eam ob cauſſam ab ERASMO SCHMIDIO ſub examen reuocatas, ſupra iam diximus. Conferendus & RICH. SIMON, *hiſt. crit. comment. noui teſtam. c. L. p. 751.* Diuerſa quoque doctorum virorum de verſione haece BEZAE, eique adiectis *adnotationibus* iudicia, exhibet THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichen Bericht von denen alten vnd neuen commentariis*, ad *tom. II. der gründlichen Erleuterung p. 355. ſeqq.* vbi & obſeruat, BEZAM ſubinde a IO. FRID. HOMBERGK ZV VACH, in *parergis* eius *ſacris* reprehendi. Reliqua ſcripta BEZAE exegetica, cuiusmodi ſunt: *commentarii in geneſin; Iobus commentario & paraphraſi illuſtratus; pſalmi Dauidis vario carminum genere expreſſi, & paraphraſi illuſtrati &c.* recenſet IACOB. LE LONG, *bibliotb. ſacr. tom. II. p. 637.* SEB. CASTELLIONIS, certaminisque, quod illi cum THEODORO BEZA interceſſit, ſupra mentionem fecimus, cum de verſione eius latina ſcripturae ſacrae verba faceremus. Huic ipſi vero verſioni ſuae *adnotationes* addidit, quae cum ea edi ſolent, paucas eas quidem atque breues, at minime contemnendas, quippe quae elegantia & perſpicuitate omnibus ſe commendant. Copioſior tamen eſt ad *Rom. IX. 12.* vbi ſuam de electione & reprobatione ſententiam fuſe explicat. Dignae vtique iſtae adnotationes Anglis viſae, quae *bibliis criticis*, de quibus deinceps dicemus, infererentur.

Quemadmodum in profanorum ſcriptorum lectione admodum verſatus fuit CASTELLIO: ita ob ſingularem contra rerum ebraicarum peritiam commendandus venit IO. DRVSIVS, alias VAN DER DRISCHE dictus, primum in Lugdunenſi, tum in Franequerana academia linguae ebraeae profeſſor longe clariſſimus. De controuerſiis, quae illi a nonnullis motae ſunt, qui eum in Socinianiſmi adducere ſuſpicionem volebant, legiſſe iuuabit *hiſtoire abregée de la reformation des pais-bas traduite du hollandois de Gerard Brand*, *tom. I. pag. 439.* Praeter alia autem, ſtudio exegetico inſeruientia, commentarios, aut adnotationes in pleroſque ſacri codicis libros edidit, & ſeorſim excuſas, & cum aliis quibusdam eius ſcriptis, *bibliis* quoque *criticis* inſertas: vnde in ſequentibus de iis dicemus. *Praeteritorum* eius *libri*, anno 1612. 4. euulgati, *adnotationes in totum nouum teſtamentum* complectuntur: quas ita adpellauit, quod priori-

prioribus interpretibus ERASMO, BEZAE, CAMERARIO, aliisque haud obſeruata, & veluti praeterita, contineant. Mitto nunc eiusdem *parallela ſacra, ſeu locorum veteris teſtamenti cum iis, quae in nouo citantur, coniunctam commemorationem, cum notis; obſeruationum ſacrarum libros XVI; prouerbiorum ſacrorum claſſes duas; quaeſtionum ebraicarum libros tres*, & alia eiusdem generis, ad loca plurima ſcripturae ſacrae noua luce perfundenda, comparata. Cuncta DRVSII ſcripta eruditis in pretio ſunt, recteque de iis IO. FRID. MAYERVS pronuntiat: *Scripta tanti viri merito ſuo maximi ſiunt a viris doctiſſimis, & commendanda omnibus, qui ſerio proficere cupiunt, in ſtudio ſacrarum litterarum*; immo praeſtantiſſimos eccleſiae noſtrae theologos, MART. GEIERVM, SALOM. GLASSIVM, aliosque, grata mente profiteri, ait, non mediocriter ſe ex DRVSII ſcriptis profeciſſe; in *biblioth. bibl. diſſert. VI.* §. *V. p. 97.* RICH. SIMON inter viros iſtos doctos, quorum *adnotationes* in *bibliis criticis* exhibentur, primum locum tribuit DRVSIO, eumque reliquis praeferendum, cenſet; in *hiſtor. crit. vet. teſtam. lib. III. c. XV. p. 443.* Eum tamen interdum minutiis grammaticis nimis indulgere, contendit in *hiſt. crit. commentat. noui teſtam. cap. LII. p. 777.* In *bibliis* iſtis *criticis* exſtant etiam IOS. IVSTI SCALIGERI & IS. CASAVBONI *adnotationes ad loca quaedam noui teſtamenti.* Ac SCALIGERI quidem & numero paucae, & pondere leues ſunt, vixque nomini SCALIGERI, eiusque celebritati reſpondent. Nec tamen ipſe eas euulgauit SCALIGER, cuius nota ſatis, atque perſpecta eſt eruditio. Eiusdem SCALIGERI *animaduerſiones manuſcriptas in Bezae nouum teſtamentum*, in quibus ſubinde BEZA corrigitur, aut refellitur, in lucem protraxit HENR. LEONH. SCHVRTZFLEISCHIVS, in *actis litterariis, quibus anecdota animaduerſionum ſpicilegia, e codicibus manuſcriptis quorumdam eruta, comprehenduntur, p. 23. ſeqq.* Specimen ex iis dedit THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichen Bericht, von denen alten vnd nouern commentariis &c.* ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 284. ſeqq.* Maius momentum trahunt *adnotationes* CASAVBONI, quamquam ipſe eas tantum, quibus *euangeliorum* & *actuum apoſtolicorum* loca quaedam illuſtrantur, euulgarit; eas autem, quae ad *epiſtolas Pauli* & *canonicas* pertinent, quas manu ſua ſcriptas reliquit, in lucem emiſit filius eius, & hinc itidem *bibliis criticis* cum reliquis ſunt inſertae. Lectu autem dignae ſunt, praeſertim priores, quas ipſe edidit: cum ex antiquitate, & genuina graecae linguae indole, locis variis lucem egregiam concilient. Eamdem ſibi laudem vindicat IO. CAMERONIS *myrothecium euangelicum, hoc eſt, noui teſtamenti loca quam plurima ab eo, poſt aliorum labores, apte & commode vel illuſtrata, vel explicata, vel vindicata.* Exſtat idem in *bibliis criticis*, ſed ſeorſim primum prodiit Salmurii, an. 1628, recuſumque fuit Geneuae an. 1632 & iterum Salmurii an. 1677. Vt lucem publicam adſpiceret hicce CAMERONIS, qui iam an. 1625 rebus mortalium ereptus eſt, foetus, opera & ſtudio LVDOV. CAPPELLI factum, cuius *ſpicilegium notarum in libros noui teſtamenti*, initio CAMERONIS *myrothecio* iunctum, deinde, poſtquam idem cum IAC. CAPPELLI *obſeruationibus in nouum teſtamentum* prodierat, in editione *myrothecii*, quae anno 1677 lucem adſpexit, omiſſum, eiusque loco ALEX. MORI *notae in nouum foedus*, quae tamen itidem iam excuſae fuerant, & alia quaedam eiusdem auctoris, adiecta ſunt. Et ſane ALEX. MORI iſtae notae cum CAMERONIS dubia forte poſſunt contendere palma; certe haud vulgares ſunt, taliaque ſuppeditant, quae non temere alibi ſunt obuia. Dignas itaque eas iudicauit IO. ALB. FABRICIVS, quas cum

cum LAVR. RAMIRESII DE PRADO *pentecontarcho*, & PETRI POSSINI *ſpicilegio euangelico*, in *obſeruationibus ſelectis in varia loca noui teſtamenti* iterum prelo ſubiiceret, Hamburgi an. 1712. 8. De LVDOVICO autem illo CAPPELLO, cuius facta eſt mentio, paullo copioſius nobis dicendum eſt. *Criticam* equidem eius *ſacram*, itemque *arcanum punctationis reuelatum*, vt & *de antiquis Ebraeorum litteris diſſertationem*, certaminaque inde orta, ſupra iam ad §. *III.* huius capitis commemorauimus. Hic vero locum ſibi vindicat ob *notas criticas in pleroſque libros veteris teſtamenti*, in quibus verſio praecipue LXX interpretum cum textu ebraeo confertur; item ob *notas criticas in pleroſque libros apocryphos*, in quibus ſubinde verſionem latinam vulgatam caſtigat; porro ob *adnotata in cap. LIII. Eſaiae; in Abdiam, Michaeum, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggaeum, Zachariam, Malachiam*; vt & ob *commentarium in octo capita geneſeos, a ſecundo ad nonum.* Haec omnia cum aliis quibusdam ejusdem auctoris commentationibus, vt & IAC. CAPPELLI, qui fuit LVDOVICI frater natu maior, *obſeruationibus in libros veteris teſtamenti*, itemque LVDOV. CAPPELLI *Arcano punctationis auctiori & emendatiori; vindiciis* denique *eius operis contra Io. Buxtorfium numquam antehac editis*, iunctim euulgata ſunt a IAC. CAPPELLO, LVDOVICI filio, Amſtelodami anno 1689. fol. IACOBI praeterea CAPPELLI, qui LVDOVICI frater fuit, exſtant etiam *obſeruationes in nouum teſtamentum*, quas poſt eius obitum frater eius LVDOVICVS in lucem emiſit, Amſtelodami an. 1657. 4. iisque *ſpicilegium* ſuum *notarum in libros noui teſtamenti* adiunxit, quod antea CAMERONIS *myrothecio*, vti diximus, additum erat. *Obſeruationes* iſtae IAC. CAPPELLI vna cum LVDOVICI *ſpicilegio* inſertae ſunt *bibliis criticis*, recenſetque eas THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausfuhrlichen Bericht &c.* ad *tom. II. der gründlichen Erleuterung*, *pag. 131. ſeqq.* Reliqua vtriusque CAPPELLI & IACOBI & LVDOVICI ſcripta recenſet IO. FRID. MAYERVS in *biblioth. bibl. diſſertat. VII. §. VII. & VIII. p. 101. ſeqq.* Cum vterque & IACOBVS & LVDOVICVS CAPPELLVS linguae ebraeae haud mediocriter peritus, vterque etiam criticae artis minime rudis fuerit: eximia quaeue ab iis exſpectari poſſent, niſi LVDOVICVM nimia in rebus criticis ſentiendi libertas, & praeiudicatis, quas mente conceperat, opinionibus indulgendi libido, interdum in transuorſum egiſſet. *Obſeruationes* ſuas *in nouum teſtamentum* IAC. CAPPELLVS ipſe non edidit, nec vltimam iis impoſuit manum. Interim integer in iis continetur *commentarius in epiſtolam ad Ebraeos*, eruditionem & diligentiam auctoris demonſtrans. LVDOV. CAPPELLVS in *ſpicilegio* ſuo id operam dedit, vt nouum teſtamentum ex formulis loquendi, apud Ebraeos vſitatis, illuſtraret, cum non dubitet, quin ſtilus ſcriptorum noui teſtamenti ebraiſmis ſcateat, & Chriſtus pariter, atque apoſtoli, modum loquendi & docendi apud Iudaeos vſitatum vſurpauerint, cum ipſimet Iudaei eſſent, & inter Iudaeos viuerent. Qua in re, vt praeeuntem ſibi habuit IO. DRVSIVM: ita eamdem viam cumprimis ingreſſus eſt IOAN. LIGHTFOOTVS, vt deinceps dicemus. Nec vllum eſt dubium, quin hac ratione multa egregie illuſtrari queant, ſi modo auctores iſti modum teneant, nec ſine neceſſitate cuncta dictis atque effatis rabbinicis obruant, & hac ratione ſaepe loca illuſtrare velint, quae nulla luce indigent, aut omnino magis ab iis obſcurantur, quam illuſtrantur. Conferendus RICH. SIMON, in *hiſt. crit. commentat. noui teſt. c. LII. p. 785.* Cum CAPPELLIS dubia poterat eruditionis palma contendere LVDOV. DE DIEV, Fliſſinganus Belga, & in Lugdunenſi academia

mia ſacrarum litterarum profeſſor. Seorſim primum prodierunt *animaduerſiones* eius *in euangeliſtas*, in *acta apoſtolorum*, in *epiſtolas Pauli*, itemque *canonicas* & *apocalypſin*; & denique poſt illius obitum in *omnes veteris teſtamenti libros*. Tandem vero iunctim haec omnia edita ſunt Amſtelodami an. 1693. fol. *Hiſtoria Chriſti ac Petri*, perſice a XAVIERIO ſcripta, & a LVDOV. DE DIEV, cum verſione latina, & animaduerſionibus edita, hisce eius operibus addita non eſt: haud dubie, quod Xaueriana iſta commenta indigna cenſerentur, quae notis in ſcripturam ſacram adiungerentur. Ceterum cum LVDOV. DE DIEV non ebraeae modo, ſed aliarum quoque linguarum orientalium, ſyriacae, arabicae, perſicae, aethiopicae peritiſſimus eſſet: harum praeſidio feliciter ſubinde vſus eſt, ſiue ebraearum vocum obſcuras ſignificationes indagaret, ſiue verſiones orientales cum textu originali, aut inter ſe, conferret. Quo nomine & vnanimi fere conſenſu a viris doctis laudatur. RICH. vero SIMON & in eo ſibi inueniſſe viſus eſt, quod cenſuram mereatur, ſcilicet, quod minutias grammaticas paſſim conſectetur, quodue nouae eius, quas adfert, interpretationes, plus interdum ſubtilitatis habeant, quam ſoliditatis, quod porro ἀλλότρια, & ad rem parum facientia, admiſceat, & quae alia ſunt eiusdem generis; in *hiſtor. critic. vet. teſtam. lib. III. cap. XIV. p. 440.* Rurſus tamen in *hiſtor. crit. comment. noui teſtam. cap. LIII. p. 787.* eum laudat, quod religioni ſibi non duxerit, in *animaduerſionibus* ſuis *in nouum teſtamentum* verſionem latinam vulgatam quibusdam in locis defendere eamque verſioni THEOD. BEZAE praeferre. IO. PRICAEI, Angli, viri doctiſſimi, *commentarii in varios noui teſtamenti libros*, videlicet *euangelium Matthaei, Lucae*, *caput X & XI Ioannis*, *acta apoſtolorum*, *epiſtolas Pauli I. Cor. XII. vtramque ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem*, porro in *epiſtolas Iacobi, Ioannis, Iudae* & *apocalypſin*, & ſeorſim editi ſunt, & in *bibliis* quoque *criticis* leguntur, *tom. V. p. 2210. ſeqq.* ſecundum editionem Francofurtenſem, *commentarius* autem eius in *pſalmorum librum*, cum aliorum in eumdem *adnotationibus*, *tom. II.* exhibetur, *p. 1119 ſqq.* Inter eruditiſſimos vtique interpretes locum ſibi vindicat PRICAEVS, vir in lectione veterum, praeſertim profanorum ſcriptorum, haud perfunctorie verſatus. At hoc ipſum quoque eſt, quod in illo nonnulli deſiderant, quod profanorum ſcriptorum loca nimis, & ſaepe ſine vlla neceſſitate accumulauerit. Idque ipſe agnouiſſe, & obiectioni huic quodammodo occurrere voluiſſe, videtur, quando *haec*, inquit, *non ex florilegiis deſumta in vnum reportauimus, ſed ex auctorum iugi & aſſidua lectione, quae dum bonus & cordatus lector vtilia inuenerit, ſemidocti maleque feriati homines locos communes vocent.* Quae eius verba ex *initio adnotation. in epiſt. Iacobi* (vbi tamen ego ea inuenire non potui) recitat RICH. SIMON, in *hiſt. critic. commentat. noui teſtam. cap. LIII. pag. 792.* Caute vtique in iſta profanorum auctorum cum ſcriptura ſacra, eiusque effatis, comparatione incedendum. Praeterquam enim, quod ea res ſaepe plus habeat oſtentationis, quam vtilitatis; praeſertim ſi gentilium ſcriptorum ſine neceſſitate cumulentur teſtimonia: ſaepiſſime etiam contingit, vt eiusmodi auctores iisdem quidem, quibus ſcriptura ſacra, vtantur verbis, formulisque, ſed ſenſu plane diuerſo; vtpote quem haud raro ſecundum philoſophiae, cui addicti fuerunt, placita, aut notiones de rebus diuinis, quas animo fouent, plane erroneas, illis tribuunt. Vnde comparatio iſta cum ſcripturae ſacrae dictis non modo inutilis eſt & ſuperuacanea, ſed inepta etiam prorſus & abſona. Rectiſſime hoc obſeruat IO. CLERICVS, qui & IO. PRICAEVM pariter, ac HVG. GROTIVM notat, quod non ſatis ad hoc attenderint. *Hinc colligere eſt*, inquit, *vt hoc obiter dicamus,*

Digitized by Google

mus, non eſſe temere conferenda ethnicorum dicta cum ſacrorum ſcriptorum ſermone; quandoquidem ſaepe, vbi videntur eadem dicere, diuerſa proferunt. Atque hac in re paſſim peccauit Ioannes Pricaeus, qui immenſam farraginem, etiam in rebus claris, locorum veterum ad nouum teſtamentum illuſtrandum, congeſſit. Nec tamen Hugo Grotius eius culpae prorſus immunis eſt, vt ex loco laudato ſatis liquet. Videndum eſt prius quam diligentiſſime, quem ſenſum phraſibus ſuis ſubiecerint ſcriptores ethnici, quem Ebraei ac Chriſtiani ſuis; quo demum peracto, poſſunt inuicem conferri; art. critic. tom. I. part. II. ſect. I. cap. XIV. §. V. p. 420.

Cum ſaepe hucusque *bibliorum criticorum* facta ſit mentio: res ipſa poſtulat, vt de iis aliquid ex inſtituto dicamus. Cum an. 1657 *biblia polyglotta Londinenſia*, ſeu *anglicana*, de quibus ſupra dictum, opera & ſtudio praecipue BRIANI WALTONI prodiiſſent: viri quidam docti in Anglia conſultum duxerunt, praeſtantiſſimos auctores, qui adnotationibus & obſeruationibus criticis ſcripturam ſacram illuſtrarunt, in vnum corpus cogere, atque iunctim edere. Quam quidem collectionem prioris operis continuationem quamdam eſſe voluerunt, quae & an. 1660 nouem tomis in fol. prodiit. Continet autem praeter doctiſſimorum virorum in vetus ac nouum teſtamentum adnotata, tractatus varios theologico-philologicos; in quibus omnibus colligendis, atque recenſendis operam ſtudiumque ſuum collocarunt IO. PEARSONIVS, cuius haud ignotum in orbe litterato nomen eſt, ANTON. SCATTERGOODVS, FRANC. GOVLDMANNVS, & RICH. PEARSONIVS. Recuſum deinceps hocce opus eſt Francofurti ad Moenum an. 1697. Quae editio licet VII ſolum tomis conſtet: omnia tamen ea, quae in anglicana continentur, exhibet. Immo duo deinceps an. 1700 & 701 acceſſerunt tomi ſupplementorum. Eodem enim fere tempore, quo Francofurtenſis editio prodierat, opus iſtud Belgae recuderunt, atque vt emtores allicerent, nouis quibusdam acceſſionibus illud locupletarunt. Quod cum in Francofurtenſis editionis damnum cedere videtur: huius curatores id ceperunt conſilii, vt ſeorſim, quae in editione belgica acceſſerant, in *duobus ſupplementorum tomis* exhiberent. Addiderunt etiam NORTONI KNATCHBVLLII *adnimaduerſiones in libros noui teſtamenti*, quae in belgica editione non exſtant. Inueniuntur autem in hocce opere, & quidem ad vetus teſtamentum quod attinet, SEB. MVNSTERI, FRANC. VATABLI, SEB. CASTELLIONIS, ISIDORI CLARII, IO. DRVSII, HVG. GROTII, *adnotata* in omnes aut pleroſque veteris teſtamenti libros; PAVLI FAGII in *paraphraſin chaldaicam pentateuchi ſuccinctae adnotationes*; eiusdem *fuſior expoſitio quatuor priorum capitum geneſeos*; ANDR. MASII *adnotationes & commentaria in Ioſuam*; PHIL. CODVRCI *adnotationes in Iobum*; IOAN. PRICAEI *in pſalmos*; ROD. BAYNI in *prouerbia Salomonis*, FRANC. FORERII *commentarius in Eſaiam*; EDV. LIVELAEI *adnotationes in Oſeam, Ioëlem, Amoſum, Abdiam, Ionam*; CLAVDII BADVELLII *adnotationes in libros apocryphos*; DAV. HOESCHELII *notae in eccleſiaſticum*; mitto nunc tractatus varios de argumentis ſpecialibus, qui hinc inde inſerti ſunt. Atque haec omnia in *tribus* prioribus operis huius *tomis* continentur. *Quartus & quintus* nouo teſtamento deſtinati ſunt, in quibus adeo conſpiciuntur LAVR. VALLAE *collationes ad nouum teſtamentum*, cum *animaduerſionibus* IAC. REVII, DES. ERASMI Roterodamenſis, FRANC. VATABLI, SEB. CASTELLIONIS, ISIDORI CLARII, NIC. ZEGERI, HVG. GROTII *adnotationes in nouum teſtamentum*, SEB. MVNSTERI *adnotationes in Matthaei euangelium*

lium ebraicum; IO. DRVSII *praeteritorum libri X*, aliaque, in vnum corpus collecta, & ita diſpoſita, vt inſtar perpetui commentarii ſint; IOS. SCALIGERI & ISAACI CASAVBONI *ad quaedam noui teſtamenti loca adnotationes*; IO. CAMERONIS *myrothecium*; IAC. CAPPELLI *adnotationes in nouum teſtamentum*; LVDOV. CAPPELLI *ſpicilegium*; OTHONIS GVALTPERII *ſylloge vocum exoticarum noui teſtamenti*; ABRAH. SCVLTETI *adnotationes in epiſtolas ad Timotheum, Titum, & Philemonem*, itemque *exercitationes euangelicae*, denique IO. PRICAEI *commentarii ad varios noui teſtamenti libros*, quos ſupra iam indicauimus. Inſerti hic itidem ſunt varii tractatus theologico-philologici, cuiusmodi & duo ſequentes tomi ſextus & ſeptimus complectuntur. In *ſeptimo* tamen etiam exſtant IO. GREGORII *in aliquot ſcripturae ſacrae loca notae & obſeruationes*; PAVLI FAGII *translationum praecipuar. vet. teſtam. collatio*; CHR. CARTWRIGHTI *mellificium ebraicum, ſiue obſeruationes ex antiquior. Ebraeor. monumentis deſumptae*. In duobus autem poſtremis, qui ſecundum editionem Francofurtenſem, quam hic ſequimur, ſupplementum aliquod operis huius, vt antea diximus, conſtituunt, praeter alia, & *commentarii* quidam & *adnotationes* IO. DRVSII, CHRISTOPH. CARTWRIGHTI, SIXTINI AMAMAE, & ANDR. MASII, in libros nonnullos biblicos exhibentur. Ceterum opus iſtud, quod paucis delineauimus, ſuo non carere vſu, adeoque nec laude ſua defraudandum eſſe, nemo temere diffitebitur: cum in eo praeſtantiſſimorum virorum commentationes iunctim lectoribus offerantur. Nec deſunt tamen rurſus, quae in eo deſiderari queant. Optant namque nonnulli, vt collectores iſtius operis maiorem adhibuiſſent ſelectum. Non enim auctores, quorum hic exhibentur in ſcripturam ſacram aut commentarii, aut adnotationes, ſunt vnius generis. Quidam prorſus indigni ſunt, qui in tam illuſtri criticorum conſeſſu compareant, & ſententiam ferant. In horum numerum ISIDORVM CLARIVM referre licet, de quo MATTH. POLVS, in *praefatione* ſuae *ſynopſi criticorum* praemiſſa, hunc in modum pronuntiat: *Ignauum illum, manifeſtumque plagiarium Iſidorum Clarium lubens praetereo, qui ex Munſtero plerumque non modo ſententias, ſed & verba fere ſingula deſcripſit: qui, ſi in illa republica vixiſſet, vbi, ingenioſis furibus impunitate conceſſa, imperitis tantum & ſegnibus, poena capitis ſtatuebatur, ad furcam procul dubie damnatus fuiſſet.* Sed eorum quoque auctorum, quorum magna eſt celebritas, non eodem loco habenda ſunt omnia. Plurimae hinc inde exſtant adnotationes, quae niſi a viris, quorum fama per orbem volitat, profectae fuiſſent, ab omnibus, ceu nullius momenti, contemnerentur. Cumque ſaepius duo aut tres, qui in librum quemdam adnotationes ſcripſerunt, vnum idemque dixerint: fieri aliter non potuit, quam vt plurima hic occurrant ſuperflua, inania, & ex quibus lector nullum capere queat commodum. Hinc iterum MATTH. POLVS, de hisce ſacrorum criticorum voluminibus verba faciens, *in quibus*, inquit, *inter multas minutias, quas ſine vllo diſpendio ignorare licet, & inutiles non modo eiusdem rei, ſed & eorumdem verborum, repetitiones, plurima ſunt & praeclara doctiſſimorum virorum cogitata, ad explicationem ſacrarum litterarum ſpectantia &c.* Praeterea cum adnotationes, quae in iſto opere leguntur, criticae ſolum ſint, certe maximam partem, atque grammaticae, adeoque ad corticem tantum ſcripturae ſacrae ſpectent: nucleum inde non referet, qui in iis ſubſtiterit, quod haud paucis contingere, negandum non eſt. Atque hoc intuitu IOACH. LANGIVS, theologus Hallenſis clariſſimus, de eo adſerere non dubitauit:

uit: *Ipſa opera critica plurimis inacceſſa, vſum quidem praeſtare poſſunt non ſpernendum; non tamen errauit vir quidam doctus ac ſapiens, qui illa ſeptem volumina cum ſeptem macris Aegypti vaccis comparauit;* in *oratoria ſacra ab artis homileticae vanitate repurgata, part. I. cap. III. membr. I. §. VII. p. 48.* Ex *tractatibus* quoque *theologico-philologicis*, operi huic partim inſertis, partim ſubiunctis, plurimi abeſſe poſſent, eo, quod alii ad ſcripturae ſacrae illuſtrationem parum aut nihil faciant, alii autem ſatis obuii ſint, ſaepiusque recudi ſoleant. Documento eſſe poſſunt HVG. GROTII *de veritate chriſtianae religionis libri ſex*, qui omnium teruntur manibus, atque vbique proſtant, vt rationem, cur & iis locum in hocce opere conceſſerint, vix adſequi liceat. Idem & de aliis cenſendum. De auctoribus ipſis, quorum adnotationes in iſto opere ſiſtuntur, aliquid addere, neceſſe non eſt, cum de praecipuis iam ſupra ex inſtituto actum ſit; de reliquis autem conferendus RICH. SIMON, in *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. cap. XV. p. 441. ſeqq.*

Cum *opus* iſtud *ſacrorum criticorum*, de quo hucusque verba fecimus, mole ſua lectores, & pretio emtores deterreret; plurima porro, quorum nullus eſt vſus, complecteretur, multa contra, ex quibus lux egregia ſcripturae ſacrae adfundi poſſit, in eo omiſſa eſſent: medelam incommodis hisce adlaturus MATTH. POLVS, Londinenſis, illud velut in compendium mittere, in quo, reiectis ſuperfluis, quae deerant, adderentur, ſuarum duxit eſſe partium. Atque hinc *ſynopſis* illa *criticorum, aliorumque ſcripturae ſacrae interpretum & commentatorum*, enata, quae Londini primum anno 1669, & ſequentibus, quinque tomis in fol. prodiit, tum vero Francofurti an. 1679, & Vltraiecti, recenſente IO. LEVSDENIO, & iterum Francofurti tum alias, tum & an. 1712 quinque voluminibus in fol. recuſa eſt; cui vltimae editioni vir eruditiſſimus IO. GEO. PRITIVS praefationem praemiſit. Non tantum autem POLVS ex auctoribus, quorum commentationes in *bibliis criticis* exſtant, ſed & ex aliorum, cum primis eorum, qui in *bibliis maximis* IOANNIS DE LA HAYE continentur, itemque ex FRANC. IVNII, IO. PISCATORIS, eiusdemque generis plurium ſcholiis & adnotationibus, immo & CORNELII A LAPIDE *commentariis*, & ALPHONSI TOSTATI vaſtis voluminibus, meliora quaeque excerpſit: nec noſtros, vt MART. GEIERVM, IO. GERHARDVM, ERASMVM SCHMIDIVM praetermiſit. Quae SAM. BOCHARTVS, in *geographia ſacra*, itemque in *hierozoico*, IO. BVXTORFIVS, in *anticritica*; SAL. GLASSIVS, in *philologia ſacra*, aliique eiusdem generis auctores, ſparſim attulerunt, ad locorum quorumdam ſcripturae illuſtrationem facientia, POLVS ad proprias ſedes retulit. Atque hosce, ceterosque auctores, quorum ſcriptis in *ſynopſi* iſta concinnanda vſus eſt, ipſemet POLVS in *praefatione* recenſet. Facere nequeo, quin hic referam, quae hac occaſione de IO. CALVINO monet. *Mirentur forſitan nonnulli*, inquit, *in auctorum catalogo non comparere Ioannem Caluinum, interpretem, vel aduerſariorum iudicio, acutum, doctum & ſolidum. Sunt, qui hoc mihi vitio vertent, & dicam mihi ſcribent iniuriae tanto nomini illatae: alii gratulabuntur, quod illum praeterierim, quem cane peius & angue oderint. Hoc ergo vtrique ſciant, velim, me nec vt quorumuis gratiam captarem, quemquam huic operi ſcriptorem inſeruiſſe, nec vt aliorum odium vitarem, quemquam declinaſſe; ſed iudicium meum, qualequale ſit, ab omni partium ſtudio, quam maxime potui, defaecatum adhibuiſſe.* Interim addit I) ſe omnino quaedam ex CALVINO delibaſſe; II) CALVINI commentaria non tam critica, quam dogmatica eſſe; III) qui poſt CALVINVM ſcripſerunt, pleraque ex eo decerpſiſſe, ita, vt eius inuentis aliquid adderent; illorum

itaque dum retulerit explicationes, perinde hoc eſſe, ac ſi ipſius CALVINI interpretationes aliorum auctariis amplificatas & illuſtratas, produxiſſet. Vt vero inſtituti ſui porro reddat rationem, varias quoque verſiones ſeu translationes ſe conſuluiſſe, adſerit, atque adpoſuiſſe, idque longe maiori ſtudio, quam a IOANNE DE LA HAYE in *bibliis maximis* factum. In auctorum autem, quos adhibuit, commentariis & adnotationibus excerpendis, ita ſe verſatum, profitetur, vt praetermitteret I) *inanes & infructuoſas eiusdem rei repetitiones*, II) *fabulas iudaicas*; III) *vulgaria quaeque, ſe textum legentibus offerentia*, qualia VATABLVS & alii ſaepe non ſine faſtidio ingerant; IV) *priuata doctorum litigia, & de lana caprina altercationes*, V) κυμινοπρίσματα *ſiue titiuilitia nullius ponderis vel vſus*, cuiusmodi plurima in IO. DRVSII operibus occurrere putat, etſi etiam non paucas obſeruationes minime ſpernendas, iis admixtas eſſe, fateatur. Atque haec cum operis iſtius ſit ratio: nemo quidem negauerit, diligentia ſtupenda & immenſo labore iſtud ab auctore concinnatum eſſe. Sua quoque illud non carere vtilitate, certum eſt; nec indignum prorſus laudibus illis eſt, quibus viri docti ſubinde iſtud ornarunt. Quemadmodum autem nihil ex omni parte perfectum eſt, atque conſummatum: ita in hacce eius ſynopſi nonnulli quaedam quae cenſuram atque reprehenſionem mereantur, inueniſſe, ſibi viſi ſunt. Atque RICHARDO quidem SIMONI primum illud diſplicet, quod, etſi POLVS IO. DE LA HAYE in verſionibus adducendis corrigere & emendare voluerit, ipſe non minus ea in re peccauerit. Cum enim verſiones orientales, ſamaritanam, chaldaicam, ſyriacam, ipſe non conſulerit, ſed earum translationes latinas parum ſaepe adcuratas, retulerit: fieri aliter non potuiſſe, quam, vt infinitis erroribus opus ſuum impleret. Deinde & nimiam variarum ſententiarum ad vnam eamdemque vocem adcumulationem improbat SIMON, vtpote quae & confuſionem pariat, & impediat, quo minus voces per tot ſententiarum recitationem a ſe inuicem ſeparatas, commode coniungere, atque ita ſenſum adſequi queamus. Porro & illud notat, quod aliorum equidem ſententias atque explicationes auctor referat, ſed non oſtendat, quaenam reliquis ſit praeferenda, idque tum eſſe difficilius, quando nullae praeſto ſunt rationes, cur hanc eligere, aut reiicere aliam, debeamus. Denique & hoc addit, non omnes inutiles repetitiones & hinc euitatas eſſe. Fuſius haec ediſſerit in *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XV. p. 446: ſeqq.* Non admodum quoque praeclare de POLI iſta ſynopſi ſentit THOM. CRENIVS, vtpote qui de ea hunc in modum verba facit: *Quicumque theologiae ſtudioſus, aut paſtor, vel ſaltem de vno, ſuper vnumquemque librum biblicum docto ac ſolido ſibi proſpexit interprete; facile Matth. Poli ſynopſi criticorum IV. voluminib. principio 1669. Londini, poſtea, non tamen aeque bene, V. voluminibus Vltraiecti & Francofurti, excuſa, carere poterit. Notae illo in opere ſaepe ſunt nullae, breues, ſine iudicio ex aliis excerptae (quia forte aliae non erant ad manus, & tamen numerus erat complendus) minimeque perpetuae in ſingulos verſus & verba, quas ego in interprete maxime attendo. Hinc & non raro multos ſe locos, quorum explicationes deſiderant, euoluere fruſtra ſtudioſi conqueruntur. Sane, qui librum biblicum vel auctorem carptim exponunt, &, ex eo mox hoc, mox illud ſeligentes, plurima praetereunt, comparari plane cum iis nequeunt, qui verborum textum explicant, commentarioque perpetuo, ne minimam quidem particulam relinquentes, illuſtrant. Faciunt hoc plerumque Mercerus, Io. Gerhardus, Riuetus, vterque Tarnouius Paulus & Ioannes, Abrahamus Calouius, Sanctius, Lorinus, Eſtius, Geierus, Cocceius, Auguſtus Varenius, & qui omnes fere ſuperat, ſolidiſſimus Sebaſ.*

Schm-

Schmidius; animaduerſ. philologic. & hiſt. part. I. cap. III. §. IX. p. 46. Refert deinde CRENIVS iudicium MARCI MEIBOMII de POLO βιβλίῳ, ex *praefatione, ſecundo* eius *ſpecimini* praemiſſa, quod eo redit: eum non tantum de variis interpretationibus & explicationibus, nihil monuiſſe, veraene ſint, an falſae, ſed interdum etiam aperte falſas, non quidem data opera, ſed ex ignorantia inſeruiſſe. Hinc poſt alia quaedam MEIBOMIVS ita pergit: *Praeterea promiſcuus ſynopſeos illius vſus etiam pagorum miniſtros inſtruet, vt targum Onkeli & Ionathanis, & ſesquipedalia rabbinorum vocabula, ſubinde homiliis ſuis inferciant; & praeter LXX, Aquilam quoque & Symmachum, ac Theodotionem crepent. Quae omnia cum ante hac cathedraticis dumtaxat doctoribus, tamquam myſteria paterent, nunc vulgo & ambitioſis iuuenibus expoſita ſunt. Quid ergo, dicet aliquis* (ita porro MEIBOMIVS) *nullamne tam immenſi operis vtilitatem reperis? Nullam equidem aliam reperio, quam quae ex largiſſimo indice percipiatur, praeſertim quod ad vetus teſtamentum attinet. Scire enim curioſus inquiſitor pauca lectione poterit, quaenam plerorumque commentatorum & interpretum, de difficili loco ſententia ſit. Nam qui rationes auctorum cognoſcere volet, cur ita verterint aut explicarint; integra eorum commentaria adibit. Synopſin enim dumtaxat dedit Polus. Oſſa plerumque carne plenioris explicationis, & neruis rationum, nudata.* THOM. CRENII ſententiae ſe ſubſcribere poſſe, negat IO. FRID. MAYERVS, immo iudicium eius de hocce opere *durum* & *inclementiſſimum* vocat. Et quamuis CRENIVS exemplo quodam probauerit, pluribusque ſe oſtendere poſſe, profiteatur, POLVM non ſemper optima fide auctorum ſententias adducere: MAYERVS tamen, rariſſime id contigiſſe, contendit. Interim non negat idem vir doctiſſimus, naeuos quosdam in *ſynopſi* iſta POLI deprehendi: quos inter haud obſcure refert, quod plurimis prolatis ſententiis non indicet, quaenam reliquis ſit praeferenda, quodue interpretationes quidem varias, ſed non earum rationes, ad quarum ductum aliquis meliorem eligere queat, attulerit. Monet etiam, IO. THILONEM, eccleſiaſten Lipſienſem, in POLO hoc deſideraſſe, quod ſuum de variis iſtis ſententiis non interpoſuerit iudicium, ideoque ex iſta POLI *ſynopſi* collegiſſe *medullam theologiae veteris teſtamenti exegeticae, thetico-polemicae ac homileticae,* ſeu *epitomen bibliorum regiorum, criticorum, exegeticorum, & vindicatorum, quantum ad dicta veteris teſtamenti claſſica numero CCCXXV.* Lipſiae an. 1683. 4. Idem etiam in dicta noui teſtamenti eumdem auctorem molitum, refert, ſed, morte praeuentum, non perfeciſſe; in *biblioth. bibl. diſſertat. X. p. 161.* Conferendus & THEOPH. ALETHAEVS in *dem ausführlichen Bericht &c.* ad *tomum IV. der gründlichen Erleuterung &c. p. 114. ſeqq.* Reſpondet vero etiam ad hanc quorumdam in POLI *ſynopſin* cenſuram, quod lectorem veluti in dubio relinquat, quam amplecti debeat ſententiam, IO. GEO. PRITIVS, in *praefatione, ſynopſi* iſti praemiſſa. *Sed miratus ſum,* inquit, *ſemper, id ab ipſo poſtulatum eſſe. Quid enim? ſi & iſtud praeſtitiſſet, an aliud feciſſet, quam quod vnius adiectione ſententiae librum feciſſet grandiorem, & magis anguſtum? Nonne vero & tum erat penes lectorem, interpretationem eligere, quae rationibus videbatur niti firmioribus? Nonne & eius in libertate poſitum erat, tantisper ſeponere mentem auctoris, ſi alius interpretis cogitationes ſibi videbantur eſſe magis probabiles.* Addit deinde idem vir doctiſſimus, POLVM ipſum quoque laborem, codicem ſacrum ſuis adnotationibus illuſtrandi, adgreſſum eſſe, & quidem lingua anglicana, iamque ad caput Eſaiae prophetae quinquageſimum octauum perueniſſe, cum, rebus mortalium ereptus pergere in inſti-

Digitized by Google

inſtituto iſto prohiberetur, quod tamen ab aliis quibusdam viris eruditis in Anglia ad finem perductum ſit. Denique nec illud praetermittendum, THEOD. DASSOVIVM, aut, ſi mauis, ſub eius moderamine PAVL. FRID. OPITIVM, diſſertationem edidiſſe, inſcriptam: *Scholia criticorum in Leuiticum, in Anglia & Belgio edita, ad veterem hiſtoriam ebraeam reuocata*, Wittebergae 1707. 4. Ad POLI *ſynopſin* eam ſpectare, vel inde conſtat, quod in illa auctores quidam, quorum commentarii in *bibliis criticis* non exſtant, quibus tamen in *ſynopſi* ſua vſus eſt POLVS, ſub examen reuocantur. Ad rem ipſam autem quod attinet, auctor diſſertationis iſtius IACOB. BONFRERII, SEB. MVNSTERI, FRANC. VATABLI, CORNELII A LAPIDE, aliorumque lapſus & errores, circa ritus quosdam atque antiquitates gentis ebraeae, indicat. Auctoribus, qui de POLI *ſynopſi* agunt, iam laudatis, addendus THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichem Bericht von denen alten vnd neuen commentariis &c.* ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 1. ſeqq.*

Quantum Angli ad criticam philologicamque ſcripturae ſacrae explicationem, inſignibus aliquot auctorum, huc facientium, collectionibus, contulerint; ex iis, quae diximus, nemini obſcurum eſſe poteſt. Ex eadem vero gente IO. LIGHTFOOTVS adhuc commemorandus eſt, qui non tantum MATTH. POLI in conficienda *ſynopſi* adiutor exſtitit, ſed & ipſemet, in ſcriptura ſacra ſelectis ac exquiſitis obſeruationibus illuſtranda, omne ſtudium, omnemque collocauit induſtriam. Cum enim intelligeret, ex Iudaeorum veterum ſcriptis lucem maximam adfundi ſacro codici, noui praeſertim teſtamenti libris, poſſe; eo, quod ſcriptores ſacri & gente Iudaei eſſent, & de rebus Iudaeorum frequentiſſime verba facerent, ſubinde quoque ad ritus, conſuetudines & opiniones Iudaeorum reſpicerent, loquendi etiam formulas adhiberent, ex Iudaeorum vſu quam rectiſſime explicandas: hoc ſibi datum credidit, vt, quam ſibi comparauerat rerum iudaicarum & talmudicarum notitiam, ad ſcripturae ſacrae, noui praeſertim teſtamenti, explicationem conferret. Scripta eius initio ſeorſim, deinde iunctim edita ſunt, primum quidem anglice, an. 1684, mox & latine an. 1686, Roterodami duobus tomis in fol. in quorum priori poſt vitam LIGHTFOOTI exhibentur: *chronica temporum & ordo textuum veteris teſtamenti, vbi id agitur praecipue, vt libri, capita, hiſtoriae, prophetiae &c. in illum redacta ordinem & locum compareant, quem naturalis methodus & genuina chronologiae ſeries requirit; paucae ac nouae obſeruationes ſuper librum geneſeos; manipulus ſpicilegiorum e libro exodi; harmonia quatuor euangeliſtarum, tum inter ſe tum cum veteri teſtamento; deſcriptio templi Hieroſolymitani, praeſertim quale erat tempore ſeruatoris noſtri; miniſterium templi, quale erat tempore ſeruatoris noſtri*, & alia quaedam. In poſteriori autem tomo continentur: *harmonia, chronica & ordo noui teſtamenti, quibus ſubiungitur diſſertatio de Hieroſolymorum excidio, & ſequente Iudaeorum ſtatu; horae ebraicae & talmudicae in quatuor euangeliſtas, in acta apoſtolorum, in capita quaedam epiſtolae Pauli ad Romanos*, & *in epiſtolam primam ad Corinthios*, ſingulis autem euangeliſtis praemiſſae *obſeruationes* quaedam *chorographicae; commentarius chronologicus & criticus in acta apoſtolorum. Horae ebraicae & talmudicae* Lipſiae etiam recuſae ſunt, opera & ſtudio IO. BENED. CARPZOVII, theologi celeberrimi. Ad duos porro iſtos, quos recenſuimus, operum LIGHTFOOTII tomos, etiam *tertius* deinceps acceſſit, ſeu *opera* eius *poſthuma, antehac inedita*, Franecquerae an. 1699. fol. In iis praeter alia, ab hoc loco non aliena, occurrunt *nonnulla de rebus ad LXX interpretum verſionem* grae-

graecam ſpectantibus ; verſiones prophetarum minorum, graeca & vulgaris, nec non targum, cum ebraeo fonte collatae; item *dilucida expoſitio quatuor priorum capitum Hoſeae &c.* Scripta haecce LIGHTFOOTI multa, eaque recondita eruditione, referta eſſe, & locis quibusdam obſcurioribus lucem inſignem ex antiquitate iudaica adferre; nemo, niſi iniquus harum rerum exiſtimator, negauerit. Quo nomine etiam laudantur RICH. SIMONI, *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. cap. LIII. p. 793.* Addit tamen, ſi a ritibus veterum, ſimilibusque rebus diſceſſeris, rabbinorum lectionem non multum prodeſſe; ad ſtilum noui teſtamenti pernoſcendum magis conducere diligentem lectionem verſionis LXX interpretum, cui ſi vel mediocris linguae ebraeae & ſyriacae notitia acceſſerit, magis inde nos iuuari, quam magno illo rabbiniſmi adparatu. Conferenda &, quae in *reſponſione ad iudicia theologorum quorumdam batauorum ſuper hiſt. crit. vet. teſt. cap. XVIII. p. 213.* eumdem in modum de LIGHTFOOTO diſſerit. In *iudiciis* equidem iſtis *theologorum batauorum*, quorum auctorem praecipuum IO. CLERICVM eſſe, conſtat, laudatur LIGHTFOOTVS, *p. 377.* In *arte* autem ſua *critica*, *tom. II. part. III. ſect. I. cap. XI. §. XII. p. 217.* CLERICVS de eo ita pronuntiat: *diligens quidem rabbinicorum ſcriptorum lector, atque excerptor, ſed qui magiſtris illis ſaepe multo acutior non eſt.* Praeclare admodum contra de illo ſentit IO. FRID. MAYERVS, qui & eum reliquis omnibus, qui aut ante, aut poſt illum, ex Ebraeorum ſcriptis noui teſtamenti libros illuſtrare conati ſunt, vt IO. DRVSIO, CHRISTOPH. CARTWRIGHTO, LVDOVICO & IAC. CAPPELLIS, IO. HENR. HOTTINGERO, IO. SELDENO, LVD. DE DIEV, ceterisque, quos longa ſerie recenſet, in hoc ſcribendi genere palmam praeripere, contendit; in *bibliotb. bibl. diſſertat. VII. §. IX. p. 116.* Nec ſane laude ſua LIGHTFOOTVS defraudandus eſt: quamquam & hoc certum ſit, eum ſaepe ſine neceſſitate, rabbinica, ſpeciatim talmudica, adferre teſtimonia, & quaedam inde illuſtrare velle, quae & ſine iſta illuſtratione ſatis clara ſunt. Praeterea id quoque certum, eum de vſu, quem ex talmudicorum ſcriptorum lectione capere queamus, nimis magnifice ſentire. Sed hoc iam ſupra obſeruatum, *lib. I. c. IV.* ad *§. VI. p. 135.* Summam operum LIGHTFOOTI exhibet THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichen Bericht von denen alten vnd neuen commentariis*, ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 125. ſeqq.*

Plerique illorum, quos commemorauimus, interpretes, in eo ſtudium ſuum poſuerunt, vt, quidquid grammatica aut critica ars, aut ebraeae graecaeque, & aliarum linguarum notitia ſuppeditat, ad ſcripturae ſacrae adhiberent explicationem; ea quidem ratione, vt, vocibus formuliſque inhaerentes, de rebus ipſis, adcuratiorique earum notitia ex ſcriptura ſacra haurienda, parum eſſent ſolliciti. Quo ipſo fere contigit, vt, cum olim linguarum & philologiae ignorantia obſtaret, quo minus eximii quid ab illis, qui eo tempore ad ſacrarum litterarum explicationem accedebant, exſpectare liceret; deinceps viri docti, linguarumque & bonarum artium notitia florentes, ad alterum extremum prolaberentur, & in limine velut aut atrio ſubſiſtentes, ad id, quod caput cauſſae eſt, non pertingerent. Aliam itaque viam ingreſſus eſt IO. COCCEIVS, praeſtantiſſimis vtique reformatae eccleſiae doctoribus adnumerandus. Cum enim nihil eorum, quibus ſcripturae interpretem inſtructum eſſe decet, illi deeſſet; cumprimis vero linguae ebraeae haud vulgarem notitiam ſibi comparaſſet; hiſce ita vſus eſt praeſidiis, vt, minutiis procul faceſſere iuſſis, ea vbique quaereret & inueſtigaret, quibus rerum diuina-

uinarum, & ſaluti mortalium inſeruientium, intelligentia augeri poſſet. Vnde & per illum theologia exegetica apud reformatos, certe in Belgio, nouam velut accepit faciem, nouamque quamdam eius arceſſere inde licet periodum. De vita fatisque viri huius doctiſſimi nihil dicemus. Conſtant ea aliunde, praeſertim ex HENR. LVDOLPHI BENTHEMII *hollaendiſchem Kirchen-vnd Schulen-Staat, part. II. cap. III. p. 118. ſeqq.* itemque ex deſcriptione vitae eius, quam IO. HENR. COCCEIVS, filius, *operibus* illius praemiſit. Nimirum, ad ſcripta eius quod attinet; ea ſeorſim primum, deinde & cura filii eius, iam laudati, iunctim prodierunt Amſtelodami anno 1675 octo voluminibus in fol. recuſa deinceps Francofurti an. 1689 & iterum Amſtelodami an. 1701. Acceſſerunt deinceps *opera ἀνέκδοτα theologica & philologica*, Amſtelodami an. 1706 duobus voluminibus in fol. Singula recenſet IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 680. ſeqq.* Diuerſa autem doctorum virorum COCCEIVS expertus eſt iudicia. A nonnullis vel hoc nomine maxime laudatur, quod ſumma diligentia Chriſtum in veteri teſtamento quaeſiuerit: etſi non vbique inuenerit. Paſſimque celebratur illud quorumdam iudicium: *Grotium nusquam in ſacris litteris inuenire Chriſtum, Cocceium vbique.* Aliis contra diſplicent hypotheſes iſtae hermeneuticae, COCCEIO propriae & peculiares, de federibus diuinis, eorumque oeconomia, & quod fideles veteris teſtamenti, quo nomine periodum Moſaicam, ſiue a Moſe ad Chriſtum, intelligit, nullas habuerint promiſſiones ſpirituales, quodue eo modo, quo fideles noui teſtamenti, non fuerint iuſtificati; porro de ſeptem periodis eccleſiae noui teſtamenti, per ſeptem eccleſias apocalypticas deſignatis, ad quas adeo pleraque veteris teſtamenti vaticinia cum ſpeciali determinatione refert, adeo, vt *Eſ. XIX. 2.* lites familiae & ſucceſſorum Conſtantini magni; *c. XXIII.* magnam partem hiſtoria Caroli v. imperatoris, *c. XXXIII. 7.* mortem Guſtaui Adolphi, Succorum regis, ſibi inueniſſe videatur; & denique de verborum ſcripturae ſignificatione eousque extendenda, vt ſignificare credantur, quidquid ſignificare poſſunt; quam quidem excogitaſſe regulam cenſetur, vt eo facilius, quae de certis euentibus in nouo teſtamento illi in mentem venerunt, ex typis & vaticiniis veteris teſtamenti elicere poſſet. Typos namque eiusmodi atque imagines vbique ſibi inuenire videtur; immo totum vetus teſtamentum & eccleſiam iudaicam, ſpeculum ac typum eſſe, contendit, in quo prophetice facies eccleſiae noui teſtamenti exhibeatur. Certamina, quae ſuper hiſce, aliisque quibusdam COCCEII placitis, in Belgio exorta ſunt, enarrare, huius loci non eſt. Quid in iis deſideratum ſit ab illis, qui COCCEIO ſe oppoſuerunt, intelligere licet ex ANT. HVLSII *ſpecimine theologiae hypotheticae*, MELCH. LEYDECKERI *ſynopſi controuerſiarum de federe & teſtamento Dei, quae hodie in Belgio mouentur*, aliisque ſcriptis, FRID. SPANHEMII *epiſtola de nouiſſimis in Belgio diſſidiis*; quibus ex noſtratibus addendus VALENTINVS ALBERTI, in *Carteſianiſmo, & Cocceianiſmo.* Conferenda &, quae IO. GE. WALCHIVS de hiſce controuerſiis diſſeruit, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten, cap. IV. §. VII. p. 459. ſeqq.* In commentariis itaque etiam ſuis, atque ſcriptis exegeticis, cum ſaepiſſime hiſce placitis ſuis COCCEIVS locum concedat, & iis ſuas interpretationes ſuperſtruat: non poteſt non a recto ſubinde aberrare tramite, & talia proferre, quae a vero & genuino ſcriptorum ſacrorum ſenſu abhorrent. Cumprimis in vaticiniorum ad euentus ſpeciales in nouo teſtamento adplicatione, itemque in typorum & imaginum multiplicatione, ita vir ille doctus ingenio ſuo indulget, vt quae ille pro explicationibus,

nibus certis venditat, aliis non poſſint non inanes, vaniſſimique imaginationis luſus, qui ne ſpeciem quidem veroſimilitudinis habeant, videri. Nec tamen ideo omnia eius cogitata contemnenda ſunt. Quin potius lubens fateor, multa praeclare egregieque ab eo dicta, dignosque eſſe eius commentarios, qui ab omnibus legantur.

Prodierunt etiam ex eius diſciplina viri longe praeſtantiſſimi, qui ſumma diligentia ſtudium exegeticum in Belgio reſuſcitarunt, & ad eius ductum methodumque ſcripturam ſacram explicarunt: licet non omnia eius placita calculo ſuo adprobarent, ſaltem cautius iis vterentur, hinc & in quibusdam, immo interdum in plurimis, ab eo diſſentirent. Inter hos maxime celebrantur FRANC. BVRMANNVS, cuius exſtat *explicatio pentateuchi, ceterorumque librorum veteris teſtamenti, vsque ad librum Iobi*, belgice ſcripta, & in linguam quoque germanicam translata, & alia quaedam, laudata IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 658.* IO. BRAVNIVS nemini temere ignotus, & hic commemorandus, ob *ſelecta ſacra*, itemque ob *commentarium in epiſtolam ad Ebraeos*, ne quid de opere eius, *de veſtitu Ebraeorum*, dicam, quippe quod *commentarium ampliſſimum in exod. cap. XXVIII. ac XXIX. & Leuit. cap. XVI. aliaque loca ſacrae ſcripturae quam plurima*, vt ipſa nos docet inſcriptio, continet; HERM. WITSIVS, ob *miſcellaneorum ſacrorum tomos duos*, in quibus plurima ad ſacrae ſcripturae, variorumque in ea locorum illuſtrationem facientia, occurrunt; cumprimis vero obſeruatu digna, quae in *priori tomo* de *prophetis & prophetia*, de *tabernaculi Leuitici myſteriis*, de *collatione ſacerdotii Aaronis & Chriſti*, itemque de *ſenſu epiſtolarum apocalypticarum*, differit; vbi quidem ad vltimum iſtud caput quod attinet, dum reiecto epiſtolarum iſtarum ſenſu prophetico, hiſtoricum adſtruit, praecipuum aliquod ſyſtematis Cocceiani fundamentum labefactat; porro ob *meletemata Leidenſia*, in quibus *praelectiones de vita & rebus geſtis Pauli apoſtoli*, nec non *diſſertationum exegeticarum duodecas*; vt & *commentarius in epiſtolam Iudae apoſtoli*, continentur; aliaque; CAMPEGIVS VITRINGA, ob *ſacrarum obſeruationum, in quibus de rebus varii argumenti, & vtiliſſimae inueſtigationis, critice ac theologice diſſeritur; ſacrorum inprimis librorum loca multa obſcuriora, noua vel clariore luce perfunduntur, libros ſex*, exquiſita eruditione refertos; item ob *ἀνάκρισιν apocalypſeos Ioannis apoſtoli, qua in veras interpretandae eius hypotheſes diligenter inquiritur, & ex iisdem interpretatio facta, certis hiſtoriarum monumentis confirmatur, atque illuſtratur*; in qua auctor ſenſum epiſtolarum apocalypticarum myſticum, vel propheticum defendit, aut potius cum hiſtorico & litterali coniungit, a qua ſententia & IO. COCCEIVM minime alienum fuiſſe, contendit, ad *cap. I. v. 20. p. 42.* cumprimis ob *commentarium in librum prophetiarum Ieſaiae*, quem merito ſpecimen commentarii omnibus numeris abſoluti dixeris; in cuius *praefatione p. 23.* ſuum de COCCEII methodo iudicium exponit, & cur ei non plane ſubſcribere queat, indicat; IOANNES VAN DER WAYEN, ob *varia ſacra*, in quibus *analyſis epiſtolae ad Galatas; diſſertatio de hirco Azazel; Ioannis Spenceri diſſertatio de hirco Azazel excuſſa; oratio de eccleſiae ex vtraque Babylone exitu*, aliaque eiusdem generis, continentur; SAL. VAN TIL, theologus Lugdunenſis, & inter Cocceianos haud vltimus, ob *commentarium litteralem, de tabernaculo Moſis, ſeu in caput XXV. ad XXX. exodi, & zoologiam, ſeu de quadrupedibus ſacrae ſcripturae*; ob *phoſphorum propheticum, ſeu Moſis & Habacuci vaticinia, nouo commentario illuſtrata &c.* ob *pſalmorum Dauidis explicationem*, belgice pariter ac germanice editam; porro ob *Malachiam*

 illuſtra-

Digitized by Google

illuſtratum, *ſeu nouo commentario analytico & exegetico elucidatum*, cum *diſſertatione geographica de ſitu paradiſi terreſtris*, item ob *explicationem Matthaei* belgice ſcriptam, & in linguam germanicam translatam; ne quid de reliquis eius commentationibus, huc itidem comparatis, cumprimis *de poëſi & muſica veterum*, *praeſertim Ebraeorum*, belgice & germanice edita, in qua variis ſcripturae locis lux quaedam adfunditur, dicam; IOANNES denique D' OVTREINIVS, cuius plurima proſtant ſcripta, belgica lingua compoſita, quorum nonnulla etiam in germanicam conuerſa ſunt, quae omnia diligenter recenſentur in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi*, *claſſe I. faſcic. II. num. VIII. p. 181. ſeqq.* latine autem idem vir doctus edidit *diſſertationem philologico-theologicam de Melchizedeco non Henocho*, (contra hypotheſin HENR. HVLSII) & *obſeruationes miſcellaneas in ſelecta ſacri codicis loca*; Amſtelodami an. 1713. 8. Mitto reliquos, qui adhuc commemorari poterant. De quibusdam ex iis, quos commemorauimus, vt, IO. COCCEIO, FRANC. BVRMANNO, IO. BRAVNIO, CAMPEGIO VITRINGA, conferendus THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausfuhrlichen Bericht, von denen alten vnd neuen commentariis &c.* ad *tom. II. der gründlichen Erleuterung*, *p. 257. ſeqq.* & *313. ſeqq.* ad *tom. I. p. 225. ſeqq.* ad *tom. V. p. 33. ſeqq.* rurſus ad *tom. II. p. 99. ſeqq.* & ad *tom. V. p. 127. ſeqq.*

Quoniam autem IOAN. COCCEIVS, eiusque ſectatores, in prophetarum vaticiniis explicandis illuſtrandisue maximum ſtudium poſuerunt, & alii quoque illorum exemplum ſequebantur: factum eſt hac ratione, vt ea theologiae exegeticae pars, quae circa vaticiniorum interpretationem verſatur, quamue nonnulli *theologiam propheticam* vocare ſolent, haud contemnenda inde caperet incrementa. Prodieruntque ex eo tempore libri haud pauci, in quibus aut de natura indoleque prophetiae, deque vita, fatis, & hiſtoria prophetarum agitur, aut de ratione, vaticinia prophetarum interpretandi, tractatur, aut alia quaedam eiusdem generis, ad theologiam propheticam ſpectantia, adferuntur. HERM. WITSII *commentationem de prophetis & prophetia* in *miſcellaneorum* eius *ſacrorum tomo priori* exſtare, antea ſignificauimus, ſed & ſupra commendauimus, cum de iis, qui vitas prophetarum deſcripſerunt, quaedam moneremus ad §. *III.* huius capitis, vbi & alios quosdam laudauimus, quorum, vt inſtituti noſtri ſibi conſtet ratio, nunc iterum iniicienda eſt mentio. SAL. VAN TIL ſcriptis iam laudatis addenda omnino eiusdem *iſagoge ad ſcripta prophetica*, belgice edita, an. 1685. 4. & in linguam quoque germanicam translata, atque excuſa Francofurti an. 1699. 4. in qua non tantum vtilitatem & neceſſitatem ſtudii prophetici valde commendat, ſed & regulas eidem inſeruientes tradit, cumprimis Cocceianam de ſeptem eccleſiae periodis hypotheſin acriter defendit. DAVIDIS KNIBBII *hiſtoria prophetarum*, belgice ſcripta, at a GEROLDO FREYTAGIO in linguam germanicam translata, editaque Bernae an. 1709. 4. non tantum de veris, ſed & de falſis prophetis, immo & de variis diuinationum generibus, apud ethnicos vſitatis, agit. Integrum autem aliquod corpus theologiae propheticae dare voluit NIC. GVRTLERVS, in *ſyſtemate theologiae propheticae*, Amſtelodami 1702. 4. edito, in quo eccleſiae verae falſaeque fata generalia & ſpecialia, a primorum parentum lapſu, vsque ad finem mundi, per vaticinia repraeſentata, continua ſerie exhibet, &, quod ad ſtatum eccleſiae ſub nouo teſtamento attinet, ſeptem periodis ſecundum methodum COCCEII inſiſtit; nonnulla etiam *cap. I. & ſeqq.* generatim de prophetia & prophetis praemiſit. ANT. HVLSIVS

nucleam

nucleum propheticae veteris teſtamenti dedit, Lugduni Batauorum 1683. 4. HENRICVS autem HVLSIVS tum ob alia ingenii monumenta, ad theologiam exegeticam ſpectantia, tum maxime ob librum, *de vallibus prophetarum ſacris*, Lugduni Batauorum 1693. 4. euulgatum, notus eſt; in quo non tam de vallibus ipſis ſollicitus eſt, vt earum naturam & ſitum explicet, quam de viſionibus, reuelationibusque, quae circa eas prophetis obtigerunt, deque rebus, hac ratione iis patefactis. Qua in tractatione ita verſatur, vt multa, hiſtoriae prophetarum, & theologiae propheticae lucem adfundentia, admiſceat. Summatim, ſimulque elegantiſſime omnia, quae ad theologiam propheticam ſpectant, complexus eſt CAMPEGIVS VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae, in quo de prophetis & prophetiis agitur, huiusque ſcientiae praecepta traduntur;* qui ſubnexus eſt eiusdem *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae*, editae Franecquerae anno 1708. 8. Nimirum tribus libellus hicce prorſus egregius abſoluitur partibus; in quarum *prima* auctor generatim de prophetiis, deque prophetis, porro de oraculis veris, falſis, verorum ac falſorum criteriis, eorum reuelandorum modis, ſtudii denique prophetici vtilitate & neceſſitate, agit; in *ſecunda* de prophetiis ipſis, pro variis ſuis obiectis in certum quemdam ordinem digerendis, verba facit; in parte denique *tertia* de interpretatione prophetiarum loquitur, & canones eidem inſeruientes tradit. Adſumit autem & hic vir doctiſſimus hypotheſin COCCEII de ſeptem periodis noui teſtamenti, ſeptem epiſtolis apocalypticis ſuperſtructam; etſi ſeptem iſtas periodos paullo aliter, quam COCCEIVS, digerat; *part. II. cap. VII. p. 163.* Ad ſtudii denique prophetici commendationem ſpectat diſſertatio, quam TACO HAIO VAN DEN HONERT edidit, *de theologiae propheticae neceſſitate, eiusque perpetuo in eccleſia vſu*, Lugduni Batauorum an. 1720. 4. Ex noſtratibus equidem & IO. HENR. MAIVS *theologiam propheticam* edidit, Francofurti an. 1710. 4. ſed in ea id agit, vt ſelectiora veteris teſtamenti oracula, ſecundum ſeriem locorum theologicorum diſpoſita, explicet.

Referre autem huc etiam licet doctrinam de typis, ſeu imaginibus, quibus res futurae repraeſentatae ſunt, & adumbratae; quaeque adeo haud vltimam theologiae propheticae partem conſtituit. Ea minime equidem neglecta fuit a noſtratibus. FRID. BALDVINI *paſſionem Chriſti typicam* ſupra iam laudauimus, cum theologi huius merita in theologiam exegeticam commemoraremus. Nunc & eiusdem *aduentum Chriſti typicum* addimus, excuſum Wittebergae an. 1621. 8. Iungi huic porro poſſunt LVC. BACMEISTERVS, in *explicatione typorum veteris teſtamenti, Chriſtum adumbrantium*, MICH. BAVMANNVS, in *analectis typicis ſacris*, DAN. FESSELIVS, in *Chriſto myſtico*, item in *regno Chriſti myſtico*, & *regno diaboli myſtico*; & cumprimis, qui noſtra aetate hoc argumentum ſibi pertractandum ſumſit, IOACH. LANGIVS, in *myſterio Chriſti & chriſtianiſmi in faſciis typicis antiquitatum biblicarum veteris teſtamenti &c.* Ex Anglis cumprimis THOM. TAYLORIVS hic in cenſum venit, ob librum, qui inſcribitur: *Chriſtus reuelatus, id eſt, vetus teſtamentum expoſitum, ſiue tractatus de typis ac figuris, ceu vmbris ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quotquot in veteris teſtamenti codice comparent inſigniores, perſpicue explicatis &c.* quiue ex anglicana in latinam conuerſus, tum alias, tum & Franecquerae anno 1708. 8. excuſus eſt. Nec alii ex veteribus reformatae eccleſiae doctoribus defuerunt, qui hocce argumentum attingerent: ad quod tamen diligentius excolendum recentiori aetate longe plures animum ſuum adiecerunt, poſtquam IO. COCCEIVS eos, vt

Digitized by Google

itaque dum retulerit explicationes, perinde hoc eſſe, ac ſi ipſius CALVINI interpretationes aliorum auctariis amplificatas & illuſtratas, produxiſſet. Vt vero inſtituti ſui porro reddat rationem, varias quoque verſiones ſeu translationes ſe conſuluiſſe, adſerit, atque adpoſuiſſe, idque longe maiori ſtudio, quam a IOANNE DE LA HAYE in *bibliis maximis* factum. In auctorum autem, quos adhibuit, commentariis & adnotationibus excerpendis, ita ſe verſatum, profitetur, vt praetermitteret I) *inanes & infructuoſas eiusdem rei repetitiones*, II) *fabulas iudaicas*; III) *vulgaria quaeque, ſe textum legentibus offerentia*, qualia VATABLVS & alii ſaepe non ſine faſtidio ingerant; IV) *priuata doctorum litigia, & de lana caprina altercationes*, V) *κνιμνοπρίσματα ſiue tituilitia nullius ponderis vel vſus*, cuiusmodi plurima in IO. DRVSII operibus occurrere putat, etſi etiam non paucas obſeruationes minime ſpernendas, iis admixtas eſſe, fateatur. Atque haec cum operis iſtius ſit ratio: nemo quidem negauerit, diligentia ſtupenda & immenſo labore iſtud ab auctore concinnatum eſſe. Sua quoque illud non carere vtilitate, certum eſt; nec indignum prorſus laudibus illis eſt, quibus viri docti ſubinde iſtud ornarunt. Quemadmodum autem nihil ex omni parte perfectum eſt, atque conſummatum: ita in hacce eius ſynopſi nonnulli quaedam quae cenſuram atque reprehenſionem mereantur, inueniſſe, ſibi viſi ſunt. Atque RICHARDO quidem SIMONI primum illud diſplicet, quod, etſi POLVS IO. DE LA HAYE in verſionibus adducendis corrigere & emendare voluerit, ipſe non minus ea in re peccauerit. Cum enim verſiones orientales, ſamaritanam, chaldaicam, ſyriacam, ipſe non conſulerit, ſed earum translationes latinas parum ſaepe adcuratas, retulerit: fieri aliter non potuiſſe, quam, vt infinitis erroribus opus ſuum impleret. Deinde & nimiam variarum ſententiarum ad vnam eamdemque vocem adcumulationem improbat SIMON, vtpote quae & confuſionem pariat, & impediat, quo minus voces per tot ſententiarum recitationem a ſe inuicem ſeparatas, commode coniungere, atque ita ſenſum adſequi queamus. Porro & illud notat, quod aliorum equidem ſententias atque explicationes auctor referat, ſed non oſtendat, quaenam reliquis ſit praeferenda, idque tum eſſe difficilius, quando nullae praeſto ſunt rationes, cur hanc eligere, aut reiicere aliam, debeamus. Denique & hoc addit, non omnes inutiles repetitiones & hinc euitatas eſſe. Fuſius haec ediſſerit in *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. cap. XV. p. 446. ſeqq.* Non admodum quoque praeclare de POLI iſta ſynopſi ſentit THOM. CRENIVS, vtpote qui de ea hunc in modum verba facit: *Quicumque theologiae ſtudioſus, aut paſtor, vel ſaltem de vno, ſuper vnumquemque librum biblicum docto ac ſolido ſibi proſpexit interprete; facile Matth. Poli ſynopſi criticorum IV. voluminib. principio 1669. Londini, poſtea, non tamen aeque bene, V. voluminibus Vltraiecti & Francofurti, excuſa, carere poterit. Notae illo in opere ſaepe ſunt nullae, breues, ſine iudicio ex aliis excerptae (quia forte aliae non erant ad manus, & tamen numerus erat complendus) minimeque perpetuae in ſingulos verſus & verba, quas ego in interprete maxime attendo. Hinc & non raro multos ſe locos, quorum explicationes deſiderant, euoluere fruſtra ſtudioſi conqueruntur. Sane, qui librum biblicum vel auctorem carptim exponunt, &, ex eo mox hoc, mox illud ſeligentes, plurima praetereunt, comparari plane cum iis nequeunt, qui verborum textum explicant, commentarioque perpetuo, ne minimam quidem particulam relinquentes, illuſtrant. Faciunt hoc plerumque Mercerus, Io. Gerhardus, Riuetus, vterque Tarnouius Paulus & Ioannes, Abrahamus Calouius, Sanctius, Lorinus, Eſtius, Geierus, Cocceius, Auguſtus Varenius, & qui omnes fere ſuperat, ſolidiſſimus Sebaſt.*

Schmi-

Schmidius; animaduerſ. philologic. & hiſt. part. I. cap. III. §. IX. p. 46. Refert deinde CRENIVS iudicium MARCI MEIBOMII de POLO ὁμόψηφον, ex *praefatione, ſecundo* eius *ſpecimini* praemiſſa, quod eo redit: eum non tantum de variis interpretationibus & explicationibus, nihil monuiſſe, veraene ſint, an falſae, ſed interdum etiam aperte falſas, non quidem data opera, ſed ex ignorantia inſeruiſſe. Hinc poſt alia quaedam MEIBOMIVS ita pergit: *Praeterea promiſcuus ſynopſeos illius vſus etiam pagorum miniſtros inſtruet, vt targum Onkeli & Ionathanis, & ſeſquipedalia rabbinorum vocabula, ſubinde homiliis ſuis inferciant; & praeter LXX, Aquilam quoque & Symmachum, ac Theodotionem crepent. Quae omnia cum ante hac cathedraticis dumtaxat doctoribus, tamquam myſteria paterent, nunc vulgo & ambitioſis iuuenibus expoſita ſunt. Quid ergo, dicet aliquis* (ita porro MEIBOMIVS) *nullamne tam immenſi operis vtilitatem reperis? Nullam equidem aliam reperio, quam quae ex largiſſimo indice percipiatur, praeſertim quod ad vetus teſtamentum attinet. Scire enim curioſus inquiſitor pauca lectione poterit, quaenam plerorumque commentatorum & interpretum, de difficili loco ſententia ſit. Nam qui rationes auctorum cognoſcere volet, cur ita verterint aut explicarint; integra eorum commentaria adibit. Synopſin enim dumtaxat dedit Polus. Oſſa plerumque carne plenioris explicationis, & neruis rationum, nudata.* THOM. CRENII ſententiae ſe ſubſcribere poſſe, negat IO. FRID. MAYERVS, immo iudicium eius de hocce opere *durum* & *inclementiſſimum* vocat. Et quamuis CRENIVS exemplo quodam probauerit, pluribusque ſe oſtendere poſſe, profiteatur, POLVM non ſemper optima fide auctorum ſententias adducere: MAYERVS tamen, rariſſime id contigiſſe, contendit. Interim non negat idem vir doctiſſimus, naeuos quoſdam in *ſynopſi* iſta POLI deprehendi: quos inter haud obſcure refert, quod plurimis prolatis ſententiis non indicet, quaenam reliquis ſit praeferenda, quodue interpretationes quidem varias, ſed non earum rationes, ad quarum ductum aliquis meliorem eligere queat, attulerit. Monet etiam, IO. THILONEM, eccleſiaſten Lipſienſem, in POLO hoc deſideraſſe, quod ſuum de variis iſtis ſententiis non interpoſuerit iudicium, ideoque ex iſta POLI *ſynopſi* collegiſſe *medullam theologiae veteris teſtamenti exegeticae, thetico-polemicae ac homileticae,* ſeu *epitomen bibliorum regiorum, criticorum, exegeticorum, & vindicatorum, quantum ad dicta veteris teſtamenti claſſica numero CCCXXV.* Lipſiae an. 1683. 4. Idem etiam in dicta noui teſtamenti eumdem auctorem molitum, refert, ſed, morte praeuentum, non perfeciſſe; in *biblioth. bibl. diſſertat. X. p. 161.* Conferendus & THEOPH. ALETHAEVS in *dem ausführlichen Bericht &c.* ad *tomum IV. der gründlichen Erleuterung &c. p. 114. ſeqq.* Reſpondet vero etiam ad hanc quorumdam in POLI *ſynopſin* cenſuram, quod lectorem veluti in dubio relinquat, quam amplecti debeat ſententiam, IO. GEO. PRITIVS, in *praefatione, ſynopſi* iſti praemiſſa. *Sed miratus ſum,* inquit, *ſemper, id ab ipſo poſtulatum eſſe. Quid enim? ſi & iſtud praeſtitiſſet, an aliud feciſſet, quam quod vnius adiectione ſententiae librum feciſſet grandiorem, & magis anguſtum? Nonne vero & tum erat penes lectorem, interpretationem eligere, quae rationibus videbatur niti firmioribus? Nonne & eius in libertate poſitum erat, tantiſper ſeponere mentem auctoris, ſi alius interpretis cogitationes ſibi videbantur eſſe magis probabiles.* Addit deinde idem vir doctiſſimus, POLVM ipſum quoque laborem, codicem ſacrum ſuis adnotationibus illuſtrandi, adgreſſum eſſe, & quidem lingua anglicana, iamque ad caput Eſaiae prophetae quinquageſimum octauum perueniſſe, cum, rebus mortalium ereptus pergere in inſti-

Digitized by Google

inſtituto iſto prohiberetur, quod tamen ab aliis quibusdam viris eruditis in Anglia ad finem perductum ſit. Denique nec illud praetermittendum, THEOD. DASSOVIVM, aut, ſi mauis, ſub eius moderamine PAVL. FRID. OPITIVM, diſſertationem ediſſe, inſcriptam: *Scholia criticorum in Leuiticum, in Anglia & Belgio edita, ad veterem hiſtoriam ebraeam reuocata*, Wittebergae 1707. 4. Ad POLI *ſynopſin* eam ſpectare, vel inde conſtat, quod in illa auctores quidam, quorum commentarii in *bibliis criticis* non exſtant, quibus tamen in *ſynopſi* ſua vſus eſt POLVS, ſub examen reuocantur. Ad rem ipſam autem quod attinet, auctor diſſertationis iſtius IACOB. BONFRERII, SEB. MVNSTERI, FRANC. VATABLI, CORNELII A LAPIDE, aliorumque lapſus & errores, circa ritus quosdam atque antiquitates gentis ebraeae, indicat. Auctoribus, qui de POLI *ſynopſi* agunt, iam laudatis, addendus THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichem Bericht von denen alten vnd neuen commentariis &c.* ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 1. ſeqq.*

Quantum Angli ad criticam philologicamque ſcripturae ſacrae explicationem, inſignibus aliquot auctorum, huc facientium, collectionibus, contulerint; ex iis, quae diximus, nemini obſcurum eſſe poteſt. Ex eadem vero gente IO. LIGHTFOOTVS adhuc commemorandus eſt, qui non tantum MATTH. POLI in conficienda *ſynopſi* adiutor exſtitit, ſed & ipſemet, in ſcriptura ſacra ſelectis ac exquiſitis obſeruationibus illuſtranda, omne ſtudium, omnemque collocauit induſtriam. Cum enim intelligeret, ex Iudaeorum veterum ſcriptis lucem maximam adfundi ſacro codici, noui praeſertim teſtamenti libris, poſſe; eo, quod ſcriptores ſacri & gente Iudaei eſſent, & de rebus Iudaeorum frequentiſſime verba facerent, ſubinde quoque ad ritus, conſuetudines & opiniones Iudaeorum reſpicerent, loquendi etiam formulas adhiberent, ex Iudaeorum vſu quam rectiſſime explicandas: hoc ſibi datum credidit, vt, quam ſibi comparauerat rerum iudaicarum & talmudicarum notitiam, ad ſcripturae ſacrae, noui praeſertim teſtamenti, explicationem conferret. Scripta eius initio ſeorſim, deinde iunctim edita ſunt, primum quidem anglice, an. 1684, mox & latine an. 1686, Roterodami duobus tomis in fol. in quorum priori poſt vitam LIGHTFOOTI exhibentur: *chronica temporum & ordo textuum veteris teſtamenti, vbi id agitur praecipue, vt libri, capita, hiſtoriae, prophetiae &c. in illum redacta ordinem & locum compareant, quem naturalis methodus & genuina chronologiae ſeries requirit; paucae ac nouae obſeruationes ſuper librum geneſeos; manipulus ſpicilegiorum e libro exodi; harmonia quatuor euangeliſtarum, tum inter ſe tum cum veteri teſtamento; deſcriptio templi Hieroſolymitani, praeſertim quale erat tempore ſeruatoris noſtri; miniſterium templi, quale erat tempore ſeruatoris noſtri*, & alia quaedam. In poſteriori autem tomo continentur: *harmonia, chronica & ordo noui teſtamenti, quibus ſubiungitur diſſertatio de Hieroſolymorum excidio, & ſequente Iudaeorum ſtatu; horae ebraicae & talmudicae in quatuor euangeliſtas, in acta apoſtolorum, in capita quaedam epiſtolae Pauli ad Romanos*, & *in epiſtolam primam ad Corinthios*, ſingulis autem euangeliſtis praemiſſae *obſeruationes* quaedam *chorographicae; commentarius chronologicus & criticus in acta apoſtolorum. Horae ebraicae & talmudicae* Lipſiae etiam recuſae ſunt, opera & ſtudio IO. BENED. CARPZOVII, theologi celeberrimi. Ad duos porro iſtos, quos recenſuimus, operum LIGHTFOOTII tomos, etiam *tertius* deinceps acceſſit, ſeu *opera* eius *poſthuma, antehac inedita*, Franequerae an. 1699. fol. In iis praeter alia, ab hoc loco non aliena, occurrunt λειψανα *de rebus ad LXX interpretum verſionem grae-*

graecam ſpectantibus; verſiones propheta-rum minorum, graeca & vulgaris, nec non targum, cum ebraeo fonte collatae; item *dilucida expoſitio quatuor priorum capitum Hoſeae &c.* Scripta haecce LIGHTFOOTI multa, eaque recondita eruditione, referta eſſe, & locis quibusdam obſcurioribus lucem inſignem ex antiquitate iudaica adferre; nemo, niſi iniquus harum rerum exiſtimator, negauerit. Quo nomine etiam laudantur RICH. SIMONI, *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. cap. LIII. p. 793.* Addit tamen, ſi a ritibus veterum, ſimilibusque rebus diſceſſeris, rabbinorum lectionem non multum prodeſſe; ad ſtilum noui teſtamenti pernoſcendum magis conducere diligentem lectionem verſionis LXX interpretum, cui ſi vel mediocris linguae ebraeae & ſyriacae notitia acceſſerit, magis inde nos iuuari, quam magno illo rabbinismi adparatu. Conferenda &, quae in *reſponſione ad iudicia theologorum quorumdam batauorum ſuper hiſt. crit. vet. teſt. cap. XVIII. p. 213.* eumdem in modum de LIGHTFOOTO diſſerit. In *iudiciis* equidem iſtis *theologorum batauorum*, quorum auctorem praecipuum IO. CLERICVM eſſe, conſtat, laudatur LIGHTFOOTVS, *p. 377.* In *arte* autem ſua *critica*, *tom. II. part. III. ſect. I. cap. XI. §. XII. p. 217.* CLERICVS de eo ita pronuntiat: *diligens quidem rabbinicorum ſcriptorum lector, atque excerptor, ſed qui magiſtris illis ſaepe multo acutior non eſt.* Praeclare admodum contra de illo ſentit IO. FRID. MAYERVS, qui & eum reliquis omnibus, qui aut ante, aut poſt illum, ex Ebraeorum ſcriptis noui teſtamenti libros illuſtrare conati ſunt, vt IO. DRVSIO, CHRISTOPH. CARTWRIGHTO, LVDOVICO & IAC. CAPPELLIS, IO. HENR. HOTTINGERO, IO. SELDENO, LVD. DE DIEV, ceterisque, quos longa ſerie recenſet, in hoc ſcribendi genere palmam praeripere, contendit; in *biblioth. bibl. diſſertat. VII. §. IX. p. 116.* Nec ſane laude ſua LIGHTFOOTVS defraudandus eſt: quamquam & hoc certum ſit, eum ſaepe ſine neceſſitate, rabbinica, ſpeciatim talmudica, adferre teſtimonia, & quaedam inde illuſtrare velle, quae & ſine iſta illuſtratione ſatis clara ſunt. Praeterea id quoque certum, eum de vſu, quem ex talmudicorum ſcriptorum lectione capere queamus, nimis magnifice ſentire. Sed hoc iam ſupra obſeruatum, *lib. I. c. IV.* ad *§. VI. p. 135.* Summam operum LIGHTFOOTI exhibet THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichen Bericht von denen alten vnd neuen commentariis*, ad *tom. I. der gründlichen Erleuterung &c. p. 125. ſeqq.*

Plerique illorum, quos commemorauimus, interpretes, in eo ſtudium ſuum poſuerunt, vt, quidquid grammatica aut critica ars, aut ebraeae graecaeque, & aliarum linguarum notitia ſuppeditat, ad ſcripturae ſacrae adhiberent explicationem; ea quidem ratione, vt, vocibus formulisque inhaerentes, de rebus ipſis, adcuratiorique earum notitia ex ſcriptura ſacra haurienda, parum eſſent ſolliciti. Quo ipſo fere contigit, vt, cum olim linguarum & philologiae ignorantia obſtaret, quo minus eximii quid ab illis, qui eo tempore ad ſacrarum litterarum explicationem accedebant, exſpectare liceret; deinceps viri docti, linguarumque & bonarum artium notitia florentes, ad alterum extremum prolaberentur, & in limine velut aut atrio ſubſiſtentes, ad id, quod caput cauſſae eſt, non pertingerent. Aliam itaque viam ingreſſus eſt IO. COCCEIVS, praeſtantiſſimis vtique reformatae eccleſiae doctoribus adnumerandus. Cum enim nihil eorum, quibus ſcripturae interpretem inſtructum eſſe decet, illi deeſſet; cumprimis vero linguae ebraeae haud vulgarem notitiam ſibi comparaſſet; hiſce ita vſus eſt praeſidiis, vt, minutiis procul faceſſere iuſſis, ea vbique quaereret & inueſtigaret, quibus rerum diuina-

uinarum, & ſaluti mortalium inſeruientium, intelligentia augeri poſſet. Vnde & per illum theologia exegetica apud reformatos, certe in Belgio, nouam velut accepit faciem, nouamque quamdam eius arceſſere inde licet periodum. De vita fatisque viri huius doctiſſimi nihil dicemus. Conſtant ea aliunde, praeſertim ex HENR. LVDOLPHI BENTHEMII *hollaendiſchem Kirchen-vnd Schulen-Staat, part. II. cap. III. p. 118. ſeqq.* itemque ex deſcriptione vitae eius, quam IO. HENR. COCCEIVS, filius, *operibus* illius praemiſit. Nimirum, ad ſcripta eius quod attinet; ea ſeorſim primum, deinde & cura filii eius, iam laudati, iunctim prodierunt Amſtelodami anno 1675 octo voluminibus in fol. recuſa deinceps Francofurti an. 1689 & iterum Amſtelodami an. 1701. Acceſſerunt deinceps *opera ἀνέκδοτα theologica & philologica*, Amſtelodami an. 1706 duobus voluminibus in fol. Singula recenſet IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 680. ſeqq.* Diuerſa autem doctorum virorum COCCEIVS expertus eſt iudicia. A nonnullis vel hoc nomine maxime laudatur, quod ſumma diligentia Chriſtum in veteri teſtamento quaeſiuerit: etſi non vbique inuenerit. Paſſimque celebratur illud quorumdam iudicium: *Grotium nusquam in ſacris litteris inuenire Chriſtum, Cocceium vbique.* Aliis contra diſplicent hypotheſes iſtae hermeneuticae, COCCEIO propriae & peculiares, de federibus diuinis, eorumque oeconomia, & quod fideles veteris teſtamenti, quo nomine periodum Moſaicam, ſiue a Moſe ad Chriſtum, intelligit, nullas habuerint promiſſiones ſpirituales, quodue eo modo, quo fideles noui teſtamenti, non fuerint iuſtificati; porro de ſeptem periodis eccleſiae noui teſtamenti, per ſeptem eccleſias apocalypticas deſignatis, ad quas adeo pleraque veteris teſtamenti vaticinia cum ſpeciali determinatione refert, adeo, vt *Eſ. XIX. 2.* lites familiae & ſucceſſorum Conſtantini magni; *c. XXIII.* magnam partem hiſtoria Caroli v. imperatoris, *c. XXXIII. 7.* mortem Guſtaui Adolphi, Suecorum regis, ſibi inueniſſe videatur; & denique de verborum ſcripturae ſignificatione eousque extendenda, vt ſignificare credantur, quidquid ſignificare poſſunt; quam quidem excogitaſſe regulam cenſetur, vt eo facilius, quae de certis euentibus in nouo teſtamento illi in mentem venerunt, ex typis & vaticiniis veteris teſtamenti elicere poſſet. Typos namque eiusmodi atque imagines vbique ſibi inuenire videtur; immo totum vetus teſtamentum & eccleſiam iudaicam, ſpeculum ac typum eſſe, contendit, in quo prophetice facies eccleſiae noui teſtamenti exhibeatur. Certamina, quae ſuper hisce, aliisque quibusdam COCCEII placitis, in Belgio exorta ſunt, enarrare, huius loci non eſt. Quid in iis deſideratum ſit ab illis, qui COCCEIO ſe oppoſuerunt, intelligere licet ex ANT. HVLSII *ſpecimine theologiae hypotheticae*, MELCH. LEYDECKERI *ſynopſi controuerſiarum de federe & teſtamento Dei, quae hodie in Belgio mouentur*, aliisque ſcriptis, FRID. SPANHEMII *epiſtola de nouiſſimis in Belgio diſſidiis*; quibus ex noſtratibus addendus VALENTINVS ALBERTI, in *Carteſianismo, & Cocceianismo.* Conferenda &, quae IO. GE. WALCHIVS de hiſce controuerſiis diſſeruit, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten, cap. IV. §. VII. p. 459. ſeqq.* In commentariis itaque etiam ſuis, atque ſcriptis exegeticis, cum ſaepiſſime hiſce placitis ſuis COCCEIVS locum concedat, & iis ſuas interpretationes ſuperſtruat: non poteſt non a recto ſubinde aberrare tramite, & talia proferre, quae a vero & genuino ſcriptorum ſacrorum ſenſu abhorrent. Cumprimis in vaticiniorum ad euentus ſpeciales in nouo teſtamento adplicatione, itemque in typorum & imaginum multiplicatione, ita vir ille doctus ingenio ſuo indulget, vt quae ille pro explicationibus,

nibus certis venditat, aliis non poſſint non inanes, vaniſſimique imaginationis luſus, qui ne ſpeciem quidem veroſimilitudinis habeant, videri. Nec tamen ideo omnia eius cogitata contemnenda ſunt. Quin potius lubens fateor, multa praeclare egregieque ab eo dicta, dignosque eſſe eius commentarios, qui ab omnibus legantur.

Prodierunt etiam ex eius diſciplina viri longe praeſtantiſſimi, qui ſumma diligentia ſtudium exegeticum in Belgio reſuſcitarunt, & ad eius ductum methodumque ſcripturam ſacram explicarunt: licet non omnia eius placita calculo ſuo adprobarent, ſaltem cautius iis vterentur, hinc & in quibusdam, immo interdum in plurimis, ab eo diſſentirent. Inter hos maxime celebrantur FRANC. BVRMANNVS, cuius exſtat *explicatio pentateuchi, ceterorumque librorum veteris teſtamenti, vsque ad librum Iobi*, belgice ſcripta, & in linguam quoque germanicam translata, & alia quaedam, laudata IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 658.* IO. BRAVNIVS nemini temere ignotus, & hic commemorandus, ob *ſelecta ſacra*, itemque ob *commentarium in epiſtolam ad Ebraeos*, ne quid de opere eius, *de veſtitu Ebraeorum*, dicam, quippe quod *commentarium ampliſſimum in exod. cap. XXVIII. ac XXIX. & Leuit. cap. XVI. aliaque loca ſacrae ſcripturae quam plurima*, vt ipſa nos docet inſcriptio, continet; HERM. WITSIVS, ob *miſcellaneorum ſacrorum tomos duos*, in quibus plurima ad ſacrae ſcripturae, variorumque in ea locorum illuſtrationem facientia, occurrunt; cumprimis vero obſeruatu digna, quae in *priori tomo* de *prophetis & prophetia*, de *tabernaculi Leuitici myſteriis*, de *collatione ſacerdotii Aaronis & Chriſti*, itemque de *ſenſu epiſtolarum apocalypticarum*, diſſerit; vbi quidem ad vltimum iſtud caput quod attinet, dum reiecto epiſtolarum iſtarum ſenſu prophetico, hiſtoricum adſtruit, praecipuum aliquod ſyſtematis Cocceiani fundamentum labefactat; porro ob *meletemata Leidenſia*, in quibus *praelectiones de vita & rebus geſtis Pauli apoſtoli*, nec non *diſſertationum exegeticarum duodecas*; vt & *commentarius in epiſtolam Iudae apoſtoli*, continentur; aliaque; CAMPEGIVS VITRINGA, ob *ſacrarum obſeruationum, in quibus de rebus varii argumenti, & vtiliſſimae inueſtigationis, critice ac theologice diſſeritur; ſacrorum inprimis librorum loca multa obſcuriora, noua vel clariore luce perfunduntur, libros ſex*, exquiſita eruditione refertos; item ob ἀνάκρισιν *apocalypſeos Ioannis apoſtoli, qua in veras interpretandae eius hypotheſes diligenter inquiritur, & ex iisdem interpretatio facta, certis hiſtoriarum monumentis confirmatur, atque illuſtratur*; in qua auctor ſenſum epiſtolarum apocalypticarum myſticum, vel propheticum defendit, aut potius cum hiſtorico & litterali coniungit, a qua ſententia & IO. COCCEIVM minime alienum fuiſſe, contendit, ad *cap. I. v. 20. p. 42.* cumprimis ob *commentarium in librum prophetiarum Ieſaiae*, quem merito ſpecimen commentarii omnibus numeris abſoluti dixeris; in cuius *praefatione p. 23.* ſuum de COCCEII methodo iudicium exponit, & cur ei non plane ſubſcribere queat, indicat; IOANNES VAN DER WAYEN, ob *varia ſacra*, in quibus *analyſis epiſtolae ad Galatas; diſſertatio de hirco Azazel; Ioannis Spenceri diſſertatio de hirco Azazel excuſſa; oratio de eccleſiae ex vtraque Babylone exitu*, aliaque eiusdem generis, continentur; SAL. VAN TIL, theologus Lugdunenſis, & inter Cocceianos haud vltimus, ob *commentarium litteralem, de tabernaculo Moſis, ſeu in caput XXV. ad XXX. exodi, & zoologiam, ſeu de quadrupedibus ſacrae ſcripturae*; ob *phosphorum propheticum, ſeu Moſis & Habacuci vaticinia, nouo commentario illuſtrata &c.* ob *pſalmorum Dauidis explicationem*, belgice pariter ac germanice editam; porro ob *Malachiam*

illuſtratum, *ſeu nouo commentario analytico & exegetico elucidatum*, cum *diſſertatione geographica de ſitu paradiſi terreſtris*, item ob *explicationem Matthaei* belgice ſcriptam, & in linguam germanicam translatam; ne quid de reliquis eius commentationibus, huc itidem comparatis, cumprimis *de poëſi & muſica veterum*, *praeſertim Ebraeorum*, belgice & germanice edita, in qua variis ſcripturae locis lux quaedam adfunditur, dicam; IOANNES denique D' OVTREINIVS, cuius plurima proſtant ſcripta, belgica lingua compoſita, quorum nonnulla etiam in germanicam conuerſa ſunt, quae omnia diligenter recenſentur in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi*, *claſſe I. faſcic. II. num. VIII. p. 181. ſeqq.* latine autem idem vir doctus edidit *diſſertationem philologico-theologicam de Melchizedeco non Henocho*, (contra hypotheſin HENR. HVLSII) & *obſeruationes miſcellaneas in ſelecta ſacri codicis loca*; Amſtelodami an. 1713. 8. Mitto reliquos, qui adhuc commemorari poterant. De quibusdam ex iis, quos commemorauimus, vt, IO. COCCEIO, FRANC. BVRMANNO, IO. BRAVNIO, CAMPEGIO VITRINGA, conferendus THEOPH. ALETHAEVS, in *dem ausführlichen Bericht*, *von denen alten vnd neuen commentariis &c.* ad *tom. II. der gründlichen Erleuterung*, *p. 257. ſeqq.* & *313. ſeqq.* ad *tom. I. p. 225. ſeqq.* ad *tom. V. p. 33. ſeqq.* rurſus ad *tom. II. p. 99. ſeqq.* & ad *tom. V. p. 127. ſeqq.*

Quoniam autem IOAN. COCCEIVS, eiusque ſectatores, in prophetarum vaticiniis explicandis illuſtrandisue maximum ſtudium poſuerunt, & alii quoque illorum exemplum ſequebantur: factum eſt hac ratione, vt ea theologiae exegeticae pars, quae circa vaticiniorum interpretationem verſatur, quamue nonnulli *theologiam propheticam* vocare ſolent, haud contemnenda inde caperet incrementa. Prodieruntque ex eo tempore libri haud pauci, in quibus aut de natura indoleque prophetiae, deque vita, fatis, & hiſtoria prophetarum agitur, aut de ratione, vaticinia prophetarum interpretandi, tractatur, aut alia quaedam eiusdem generis, ad theologiam propheticam ſpectantia, adferuntur. HERM. WITSII *commentationem de prophetis & prophetia* in *miſcellaneorum* eius *ſacrorum tomo priori* exſtare, antea ſignificauimus, ſed & ſupra commendauimus, cum de iis, qui vitas prophetarum deſcripſerunt, quaedam moneremus ad *§. III.* huius capitis, vbi & alios quosdam laudauimus, quorum, vt inſtituti noſtri ſibi conſtet ratio, nunc iterum iniicienda eſt mentio. SAL. VAN TIL ſcriptis iam laudatis addenda omnino eiusdem *iſagoge ad ſcripta prophetica*, belgice edita, an. 1685. 4. & in linguam quoque germanicam translata, atque excuſa Francofurti an. 1699. 4. in qua non tantum vtilitatem & neceſſitatem ſtudii prophetici valde commendat, ſed & regulas eidem inſeruientes tradit, cumprimis Cocceianam de ſeptem eccleſiae periodis hypotheſin acriter defendit. DAVIDIS KNIBBII *hiſtoria prophetarum*, belgice ſcripta, at a GEROLDO FREYTAGIO in linguam germanicam translata, editaque Bernae an. 1709. 4. non tantum de veris, ſed & de falſis prophetis, immo & de variis diuinationum generibus, apud ethnicos vſitatis, agit. Integrum autem aliquod corpus theologiae propheticae dare voluit NIC. GVRTLERVS, in *ſyſtemate theologiae propheticae*, Amſtelodami 1702. 4. edito, in quo eccleſiae verae falſaeque fata generalia & ſpecialia, a primorum parentum lapſu, vsque ad finem mundi, per vaticinia repraeſentata, continua ſerie exhibet, &, quod ad ſtatum eccleſiae ſub nouo teſtamento attinet, ſeptem periodis ſecundum methodum COCCEII inſiſtit; nonnulla etiam *cap. I. & ſeqq.* generatim de prophetia & prophetis praemiſit. ANT. HVLSIVS *nucleum*

nucleum propheticae veteris teſtamenti dedit, Lugduni Batauorum 1683. 4. HENRICVS autem HVLSIVS tum ob alia ingenii monumenta, ad theologiam exegeticam ſpectantia, tum maxime ob librum, *de vallibus prophetarum ſacris*, Lugduni Batauorum 1693. 4. euulgatum, notus eſt; in quo non tam de vallibus ipſis ſollicitus eſt, vt earum naturam & ſitum explicet, quam de viſionibus, reuelationibusque, quae circa eas prophetis obtigerunt, deque rebus, hac ratione iis patefactis. Qua in tractatione ita verſatur, vt multa, hiſtoriae prophetarum, & theologiae propheticae lucem adfundentia, admiſceat. Summatim, ſimulque elegantiſſime omnia, quae ad theologiam propheticam ſpectant, complexus eſt CAMPEGIVS VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae*, *in quo de prophetis & prophetiis agitur*, *huiusque ſcientiae praecepta traduntur;* qui ſubnexus eſt eiusdem *hypotypoſi hiſtoriae & chronologiae ſacrae*, editae Franecquerae anno 1708. 8. Nimirum tribus libellus hicce prorſus egregius abſoluitur partibus; in quarum *prima* auctor generatim de prophetiis, deque prophetis, porro de oraculis veris, falſis, verorum ac falſorum criteriis, eorum reuelandorum modis, ſtudii denique prophetici vtilitate & neceſſitate, agit; in *ſecunda* de prophetiis ipſis, pro variis ſuis obiectis in certum quemdam ordinem digerendis, verba facit; in parte denique *tertia* de interpretatione prophetiarum loquitur, & canones eidem inſeruientes tradit. Adſumit autem & hic vir doctiſſimus hypotheſin COCCEII de ſeptem periodis noui teſtamenti, ſeptem epiſtolis apocalypticis ſuperſtructam; etſi ſeptem iſtas periodos paullo aliter, quam COCCEIVS, digerat; *part. II. cap. VII. p. 163*. Ad ſtudii denique prophetici commendationem ſpectat diſſertatio, quam TACO HAIO VAN DEN HONERT edidit, *de theologiae propheticae neceſſitate*, *eiusque perpetuo in eccleſia vſu*, Lugduni Batauorum an. 1720. 4. Ex noſtratibus equidem & IO. HENR. MAIVS *theologiam propheticam* edidit, Francofurti an. 1710. 4. ſed in ea id agit, vt ſelectiora veteris teſtamenti oracula, ſecundum ſeriem locorum theologicorum diſpoſita, explicet.

Referre autem huc etiam licet doctrinam de typis, ſeu imaginibus, quibus res futurae repraeſentatae ſunt, & adumbratae; quaeque adeo haud vltimam theologiae propheticae partem conſtituit. Ea minime equidem neglecta fuit a noſtratibus. FRID. BALDVINI *paſſionem Chriſti typicam* ſupra iam laudauimus, cum theologi huius merita in theologiam exegeticam commemoraremus. Nunc & eiusdem *aduentum Chriſti typicum* addimus, excuſum Wittebergae an. 1621. 8. Iungi huic porro poſſunt LVC. BACMEISTERVS, in *explicatione typorum veteris teſtamenti, Chriſtum adumbrantium*, MICH. BAVMANNVS, in *analectis typicis ſacris*, DAN. FESSELIVS, in *Chriſto myſtico*, item in *regno Chriſti myſtico*, & *regno diaboli myſtico;* & cumprimis, qui noſtra aetate hoc argumentum ſibi pertractandum ſumſit, IOACH. LANGIVS, in *myſterio Chriſti & chriſtianiſmi in faſciis typicis antiquitatum biblicarum veteris teſtamenti &c.* Ex Anglis cumprimis THOM. TAYLORIVS hic in cenſum venit, ob librum, qui inſcribitur: *Chriſtus reuelatus, id eſt, vetus teſtamentum expoſitum, ſiue tractatus de typis ac figuris, ceu vmbris ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quotquot in veteris teſtamenti codice comparent inſigniores, perſpicue explicatis &c.* quiue ex anglicana in latinam conuerſus, tum alias, tum & Franecquerae anno 1708. 8. excuſus eſt. Nec alii ex veteribus reformatae eccleſiae doctoribus defuerunt, qui hocce argumentum attingerent: ad quod tamen diligentius excolendum recentiori aetate longe plures animum ſuum adiecerunt, poſtquam IO. COCCEIVS eos,

vt id facerent, exemplo ſuo excitauit. Et plerique ſane ex eius ſectatoribus, quos commemorauimus, illud ſimul attingunt, aut exempla theologiae typicae ſuppeditant, praeſertim qui de theologia prophetica ex inſtituto commentantur. Speciatim HENR. HVLSIVS libro ſuo *de vallibus prophetarum ſacris*, antea laudato, commentationem *de figuris temporum*, ſeu *ſchema triplicis prophetiae*, adiecit, in qua varia typorum exempla adfert. Tum vero in hocce campo ingenii vires periclitati ſunt IO. BIERMANNVS, in *Moſe & Chriſto*, cuius libri verſio germanica Offenbaci prodiit, an. 1706. 4. HERM. DEVSINGIVS, in *demonſtrationibus allegoriae hiſtoricae, ſeu hiſtoriae allegoricae veteris teſtamenti*, Franecquerae an. 1701. 4. item in libro, qui inſcribitur: *Moſes euangelizans, ſeu explicatio allegorico-prophetica hiſtoriarum Moſaicarum complurium atque inſignium &c.* Traiecti ad Rhenum anno 1719. 4. quiue recenſetur in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica, Bremenſi claſſ. II. faſcic. IV. p. 752. ſeqq.* aliisque ſcriptis a IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. II. p. 699.* laudatis; nimio typorum & allegoriarum ſtudio eousque abreptus, vt ipſum myſterium trinitatis in allegoriam quamdam conuerteret, omniaque ſcripturae ſacrae loca, quae de patre & filio agunt, ita explicaret, vt neutiquam perſonas diuinas, ſed per *patrem* praedictiones rerum futurarum, per *filium* veritatem clare reuelatam, intelligeret: quam quidem mentem ſuam in commentatione, *myſterium ſacro-ſanctae triados* inſcripta, & *demonſtrationibus allegoriae hiſtoricae* adiecta, luculenter ſatis prodidit; IO. GEORG. BELLERSHEIMIVS, in *exercitationibus typico-propheticis de fatis Chriſti inſignioribus, myſticis in fatis eccleſiae & vnoquoque fideli* &c. Herbornae Naſſouiorum an. 1718. 4. quae recenſentur in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi claſſe I. faſcic. VI. p. 879. ſeqq.* BERNH. SEB. CREMER, in *prodromo typico* Amſtelodami 1720. 4. cuius ſumma in eadem *bibliotheca Bremenſi* exhibetur, *claſſe IV. faſcic. I. p. 175. ſeqq.* ne quid nunc de ANT. DRIESSENI *diatribe de principiis theologiae emblematicae*, aliisque eiusdem generis ſcriptis, dicam, quae magno numero adducit CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS, in *commentatione academica, de recta theologiae typicae conformatione, p. 4. ſeqq.* itemque in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. I. lib. I.* ad §. *V. p. 94. ſeqq.*

Ceterum Cocceianos, certe quosdam, modum hac in re exceſſiſſe, negari vtique nequit. Praeterquam enim, quod vbique imagines rerum futurarum typosque deprehendere ſibi videantur, vbi alii nullos conſpiciunt: cum in adplicatione ad antitypum verſantur, haud raro ad minutias, immo ad ineptias prolabuntur, ludicraque & friuola proferunt, quibus ſcriptura ſacra profanorum hominum ludibrio exponitur. Obſeruare hic exegeticae theologiae fata iuuabit: dum intempeſtiuum illud allegoriarum ſtudium, in ORIGENE aliisque patribus, cumprimis ſcholaſticis iam pridem damnatum, poſtliminio iterum in ſcenam, ſub alio licet ſchemate, productum eſt. Typica enim iſta ſcripturae interpretatio ab allegorica in eo ſolum differt, quod in illa rerum futurarum habeatur ratio, quae per typos adumbrentur; poteſtque adeo typica, ceu ſpecies quaedam allegoricae interpretationis, conſiderari. Vtrobique autem luxurianti imaginationi, & variis ingenii luſibus, ampliſſimus ſeſe aperit campus. Mirandum itaque non eſt, fuiſſe, qui hancce methodum interpretandi ſcripturam, acriter perſtringerent; quod & praeter alios IONCVRTIVS, eccleſiae gallicanae, quae Hagae Comitum eſt, miniſter, fecit, quippe qui librum edidit, inſcriptum: *Entretiens ſur les diffe-*

differentes methodes d'expliquer l' Ecriture & de precher de ceux qu' on appelle Cocceiens & Voëtiens, dans les provinces vnies &c. Amſtelodami an. 1707. in 8. Quo in libello etſi auctor modeſtiae & prudentiae leges migrauit, & in quosdam magni nominis viros iniquus fuit; quod non laudandum: naeuos tamen quosdam atque abuſus theologiae propheticae & typicae Cocceianorum eum interdum non ſine ratione reprehendiſſe, negari nequit. Multorum itaque animos cum IONCVRTIVS irritaſſet; varios quoque nactus eſt cenſores, interque eos SAL. VAN TIL, quippe qui *antidotum, viperinis morſibus D. I. oppoſitum*, edidit, Amſtelodami an. 1708. in 8. itemque IO. BRAVNIVM, cuius exſtat *avertiſſement neceſſaire aux Egliſes touchant le genie de Ioncourt miniſtre a la Haye* &c. Amſtelodami anno 1708. 12. cui editioni praemiſſa eſt praefatio, qua reſpondetur ad epiſtolam, qua IONCVRTIVS, quae ſcripſerat, retractare voluit. Sed IOANNES quoque D'OVTREINIVS, in epiſtola quadam ad amicum, belgica lingua ſcripta, IONCVRTIO obuiam iuit, Cocceianorumque contra eum cauſſam egit. IONCVRTIVS contra ad ſui defenſionem in lucem emiſit *nouveaux entretiens ſur les differentes methodes d' expliquer l' Ecriture & de precher de ceux qu'on appelle Cocceiens & Voëtiens dans les provinces vnies &c.* Amſtelodami 1707. 12. Quibus in *colloquiis* ad ea, quae ſibi obiecta fuerant, reſpondere, & rationem, momentumque iſtius controuerſiae exponere voluit. Idem certamen & aliis ſcriptis, partim belgica, partim gallica lingua editis, occaſionem dedit, quae CHRIST. MATTH. PFAFFIVS recenſet, in *commentatione academica de recta theologiae typicae conformatione*, ad *§. VII. p. 31.* Nos equidem illorum, etiam Cocceianorum quorumdam, qui typos, in ſcriptura ſacra occurrentes, ſibi euoluendos ſumunt, ſtudium atque laborem neutiquam damnamus, ſed omni potius laude dignum cenſemus, ſi modo caute atque ſobrie ea in re verſentur. Nimirum duo hic ſedulo euitanda ſunt extrema. Alterum illorum eſt, qui nullos prorſus typos, nullasque rerum futurarum adumbrationes admittunt. Quae Socinianis tribui ſolet ſententia; qui tamen non omnes typos reiiciunt, ſed quosdam admittunt; quamquam ita admittant, ne quid inde, quod ſuae ſententiae aduerſetur, colligi queat. Qui typos ſolum pro adplicationibus quibusdam venditant, quae ex recepta apud Iudaeos ſcripturam ita explicandi conſuetudine vim omnem probandi acceperint, reuera omnes typos negant. In eam vero haud obſcure ingreditur ſententiam IO. CLERICVS in *notis* ad *Henrici Hammondi paraphraſin noui teſtamenti*, ad *Matth. I. 2. 15.* & *Gal. IV. 25.* alibique. Enimuero licet typica & allegorica ſcripturae explicatio iam pridem apud Iudaeos in vſu fuerit; vt ſupra iam obſeruauimus: licet etiam apoſtoli in modo allegandi & interpretandi libros veteris teſtamenti morem Iudaeorum ſequuti ſint; quod ex inſtituto GVIL. SVRENHVSIVS, in opere: ספר המשוה ſiue *βίβλος καταλλαγῆς, in quo ſecundum veterum theologorum ebraeorum formulas allegandi, & modos interpretandi, conciliantur loca ex veteri in nouo allegata*, probauit; licet denique Iudaei eo minus eiusmodi demonſtrationes reiicere potuerint, quod apud ſe receptae eſſent; ex eo tamen minime ſequitur, nulla in veteri teſtamento exſiſtere facta aut ritus, qui ex intentione ſpiritus ſancti aliud quid ſignificent. Certe ad ritus & caerimonias, quas Moſes, aut Deus per Moſen, in cultu Leuitico praeſcripſit, quod attinet, ſublimiores iis ſubfuiſſe rationes, resque futuras ac ſpirituales per eas repraeſentatas, eo minus dubitare licet, quo luculentius hoc Paulus apoſtolus docet *Col. II. 17.* & *Ebr. VIII. 5.* Meritoque hoc nomine vapulat IO. SPENCERVS,

dum

dum in opere notiſſimo *de legibus Ebraeorum ritualibus earumque rationibus*, praeeunte in *canone chronico* IO. MARSHAMO, id egit, vt longe alias, quam typicas aut myſticas legum cerimonialium comminiſceretur cauſſas; quamquam nec has prorſus reiicere videri velit, ſiquidem *lib. I. cap. XI.* myſteriorum adumbrationem finem ſecundarium legum Moſaicarum fuiſſe, contendit; vti iam a me obſeruatum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. tom. I. per. II. ſect. I.* ad §. *XXXI. p. 669.* vbi eius placita ex inſtituto ſub examen reuocaui. Diſputant vero etiam contra SPENCERVM IACOB. TRIGLANDIVS, in *diſſertat. de origine & cauſſis rituum Moſaicorum*, HERM. WITSIVS, in *aegyptiacis*, MELCH. LEYDECKERVS, de *republica Ebraeorum*, & ex noſtratibus SAL. DEYLINGIVS, vir doctiſſimus, in *obſeruationibus ſacris*, aliique, quos longo agmine producit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introductione in hiſtoriam theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. I. lib. I.* ad §. *V. p. 98.* & *99.* Qui quidem, dum rationes legum Moſaicarum, ab eo excogitatas, profligant; typicas aut myſticas locum habere, innuunt, aut etiam aperte docent. Atque ita illos conſiderauimus, qui typis atque imaginibus rerum futurarum minime fauent. Alterum extremum illorum eſt, qui plus, quam decet, in eiusmodi typis inueniendis, aut ad antitypum adplicandis, ingenio ſuo aut imaginationi indulgent. Nimirum diſcrimen, quod inter typos intercedit, probe obſeruandum. Alii enim ſunt, quorum antitypi in ſcriptura ſacra indicantur, quiue ideo *innati* a quibusdam vocantur; alii rurſus, qui ex rituum quorumdam aut factorum cum futuris euentibus comparatione eruuntur, & *illati* adpellitari ſolent. Ad illos quod attinet, ſi antitypus diſerte in ſcriptura indicetur, res dubio caret, eosque vere ac proprie dictos typos eſſe, nemo negauerit. Referre etiam ad hanc claſſem ea licet, quorum antitypi diſerte equidem non indicantur, quae tamen itidem ſignificationem quamdam rerum ſpiritualium & futurarum habere, ex certis characteribus, aut alio quodam fundamento, conſtat. Sic licet omnium legum caerimonialium antitypi ſpeciatim in nouo teſtamento non tradantur; eas tamen typicas eſſe, ex ratione generali, a Paulo *Col. II. 17.* & *Ebr. VIII. 5.* ſuppeditata, colligitur; adeoque non errant, qui antitypos ibi quaerunt, typosque illos euoluunt, modo caute & ſobrie ea in re verſentur. Reliquae vero comparationes, quae in ſcriptura ſacra fundamentum non habent, vt non, niſi in latiori ſenſu typi dici poſſunt; ita, ſi adcurate loqui velimus, adcommodationes ſolum aut adplicationes ſunt, quae vſu ſuo non carent, eodem tamen, quo typi proprie dicti loco haberi nequeunt; ſimul vero & in hisce magna opus eſt cautione, ne imaginationi habenas nimis laxemus, ingeniique noſtri commenta pro verbi diuini venderemus effatis. In vtrisque etiam typis, tum *innatis*, tum *illatis*, ita verſandum, ne comparationem vltra, quam decet, extendamus; cum, qui illud faciunt, non ſolum in maxima ſe coniiciant incommoda, ſed talia facile proferant, quae non ſolum a veritate aliena ſunt, ſed venerationem quoque, qua verbum diuinum, & religionis chriſtianae dogmata, proſequi homines debebant, eorum animis eximunt. Atque hoc vt generatim de typis quibusuis; ita ſpeciatim de *peccatis*, quae vocantur, *typicis*, hoc eſt actionibus malis, quibus res futurae ſimul ſignificabantur, obſeruandum. Dari enim eiusmodi peccata typica, negari nequit, idque a me demonſtratum eſt in *diſſertatione de peccatis typicis*, quae in *ſyntagmate diſſertationum theologicarum p. 289. ſeqq.* exſtat; vbi & PETRI IVRIEI de iis ſententiam ſub examen reuocaui, & quae in iis rite diiudicandis aut admit-

Digitized by Google

admittenda, aut euitanda ſint, expoſui. Generatim vero de typorum veteris teſtamenti vſu & abuſu in peculiari *exercitatione* diſſerit GVIL. SALDENVS, quae in *otiis* eius *theologicis* legitur *lib. II. num. III. p. 235. ſeqq.* in qua tamen itidem quaedam occurrunt, quae cenſuram promerentur. Sed hoc nunc non agimus.

Si omnes, qui ex reformatae eccleſiae doctoribus aut commentariis in ſcripturam ſacram editis, aut aliis ſcriptis, de theologia exegetica praeclare meriti ſunt, recenſere vellem; magnus adhuc ſupereſſet illorum numerus, praeſertim ex Anglis, quorum adhuc iniicienda eſſet mentio. Cum vero noſtri hoc nec poſtulet, nec permittat, inſtituti ratio, vt ſaepe iam profeſſi ſumus; IAC. LE LONG, in *bibliothecae ſacrae tomo poſteriori*, alioſque, conſulere poſſunt, qui eorum, quos praetermiſimus, ſibi comparare notitiam cupiunt. Ex iis namque, quae in medium attulimus, abunde liquet, quaenam theologiae exegeticae apud reformatos fuerint fata; intelligetur etiam, fuiſſe apud eos viros longe praeſtantiſſimos, qui, vt meliorem indueret faciem, atque incrementa minime contemnenda caperet, plurimum contulerunt. Et ſane nec noſtra aetate inter eos defuiſſe, qui ad ſcripturam ſacram, noua ſemper luce perfundendam, operam ſuam ſtudiumque conferrent, non tantum ex dictis conſtat, ſed & *bibliotheca* iſta *hiſtorico-philologico-theologica*, quae Bremae editur, documento eſſe poteſt. Etſi enim alia quoque continet; praecipue tamen commentationes, quae ad varia ſcripturae ſacrae loca illuſtranda ſpectant, complectitur. In ea nimirum virorum doctiſſimorum, IOANNIS D'OVTREINII, IAC. HASAEI, THEOD. HASAEI, FRID. ADOLPH. LAMPII, ANT. DRIESSENI, HERM. DEVSINGII, GERH. OVTHOVII, HADR. RELANDI, CAMP. VITRINGAE filii, GERH. CROESII, IO. BAPT. OTTII, LVD. CHRIST. MIEGII, MICH. ROSSALLI, HERMANNI VAN de WALL, THEOD. IANSONII AB ALMELOVEEN, IO. GEO. MICHAELIS, IAC. ELSNERI, BERNH. PETR. KARLII, LVD. GEORG. TREVIRANI, FRANC. BVRMANNI, aliorumque, tam reformatorum, quam noſtratium quorumdam meditationes, diſſertationeſque, explicandis ſcripturae ſacrae locis variis deſtinatae, conſpiciuntur. Quae licet non omnes vnius generis, aut eiuſdem ponderis ſint; quaſdam tamen auctorum, a quibus profectae ſunt, ingenium haud vulgare, eruditionemque ſolidam, prodere, negari nequit. Collecta eſt haecce *bibliotheca* initio a viris doctiſſimis FRID. ADOLPHO LAMPIO, & THEOD. HASAEO, prodieruntque ab an. 1720 ad hocce tempus vſque *claſſes VI.* quarum quaelibet *ſex* conſtat *faſciculis.* FRIDERICVS autem iſte ADOLPH. LAMPIVS alio quoque nomine hic commemorandus eſt. *Commentarium* enim *analytico-exegeticum, tam litteralem quam realem euangelii ſecundum Ioannem, quo non tantum ſingulis vocibus ac phraſibus lux adfunditur, veritateſque in iis latentes eruuntur atque vindicantur, ſed etiam ordo ac ſcopus omnium ac ſingularum partium eius, adcurate oſtenditur,* edere coepit, cuius *tomus I. praeter ampliſſima prolegomena, quatuor priorum capitum explicationem continens,* Amſtelodami prodiit, an. 1724. 4. *tomus* autem *II. & III.* ibidem an. 1726. Luculentus is admodum eſt, variaque eruditione refertus, meritoque, ſi a placitis, reformatae eccleſiae propriis, quae auctor paſſim, vt *Ioan. III. 16.* alibique, acriter defendit, diſcedas, omnibus, qui ante eum euangeliſtam huncce illuſtrandum ſumſerunt, dubiam reddere cenſetur palmam. Cumprimis *prolegomena*, quae haud exiguam *tomi I.* partem implent, lectu digna, vtpote in quibus, quidquid de Ioannis euangeliſtae & apoſtoli vita, rebus geſtis,

Digitized by Google

ac ſcriptis ſcitu dignum, ſumma diligentia collegit, & non minore ſollertia diiudicauit, ſimulque varia antiquitatis eccleſiaſticae capita attigit, quae ibi non temere quaeſiueris.

Arminianorum, ſeu remonſtrantium, vel ideo hic iniicienda eſt mentio, quod nonnulli illorum, vt in dogmatibus, ita & in ſcripturae ſacrae explicatione, a recepta eccleſiae reformatae ſententia diſceſſerunt, longeque maiori vſi ſunt libertate. Idque, cum itidem ad fata theologiae exegeticae ſpectet, obſeruare, non abs re fuerit. Ipſe quidem IAC. ARMINIVS nihil, quod huius loci ſit, reliquit, praeter *diſſertationem de vero & genuino ſenſu capitis VII. epiſtolae ad Romanos*; & *analyſin capitis IX. eiusdem epiſtolae.* Vtraque commentatio haecce & ſeorſim prodiit, & in *operibus* quoque eius, Amſtelodami anno 1629. 4. editis, exſtat; vtraque obſeruatu digna. Poſterior quidem, quod in ea argumentum tractat, de quo vel maxime inter remonſtrantes & contraremonſtrantes diſputatum fuit; prior autem, quod ſententia, quam in illa propugnauit, acerrimas illi itidem peperit lites. Nimirum, cum in *capitis VII. epiſtolae* huius *ad Romanos* explicatione ad *comma XIV.* perueniſſet, palam docuit atque profeſſus eſt: *Paulum hic loci non de ſe ipſo, qualis tunc erat, neque de homine, ſub gratia euangelica exſiſtente, loqui, ſed perſonam in ſe transtuliſſe hominis ſub lege conſtituti, in quo lex Moſaica officio ſuo defuncta eſſet; qui proinde ſancti ſpiritus auxilio contritus propter peccata, deque impotentia legis ad ſalutem adquirendam conuictus, liberatorem quaereret, eſſetque non quidem regenitus, ſed in proximo ad regenerationem gradu.* Hanc vero, vt CASP. BRANTIVS nos docet, in *hiſtoria vitae Iacobi Arminii p. 47.* ARMINIVS eo facilius adprobauit explicationem, quod ſecum reputaret, *receptam a multis huius loci, de homine vere pleneque per gratiam euangelicam renato, interpretationem, regenerationis chriſtianae efficaciam, ſtudiumque germanae pietatis, quam maxime infringere, vtpote qua totum diuini cultus exercitium, tota obedientia euangelica, & noua illa creatura, quam euangelici ſcriptores tam acriter totiesque inculcant, ad has anguſtias redigeretur, vt non in effectu, ſed in adfectu ſolummodo conſiſteret.* Interim hoc ipſo magnam ſibi conflauit inuidiam, & multorum in ſe concitauit animos. *Eo nomine*, ita pergit BRANTIVS *l. c. p. 49. impactum ipſi a quibusdam Pelagianiſmi crimen; vtpote qui homini irregenito boni nimium tribuiſſet. Alii ſententiam ipſius haereſeos labe adſpergere, non aliam ob cauſſam, quam quod eodem fere modo caput hocce Paulinum Fauſtus Socinus expoſuiſſet ſub nomine Proſperi Dyſidaei.* Et ſane ſub iſto nomine FAVSTVS SOCINVS *diſputationem* de hocce in *epiſtola ad Romanos* loco edidit, quae *tomo I. operum* in *bibliotheca fratrum Polonorum p. 87. ſeqq.* exſtat; quam ibidem *p. 115. ſeqq. defenſio* eius excipit. Sed reliqua, quae eam ob cauſſam ARMINIO obiecta fuerunt, quaeue ideo ſubiit certamina, apud eumdem BRANTIVM *l. c.* legi poſſunt. SIM. EPISCOPII plura polemica, quam exegetica, habemus ſcripta, eo quod remonſtrantium contra plures aduerſarios illi agenda eſſet cauſſa. Reliquit tamen *paraphraſin & obſeruationes in caput VIII. IX. X. & XI. epiſtolae ad Romanos*, in quibus ampliſſimum campum, controuerſias, quae Arminianis cum contra-remonſtrantibus intercedunt, pertractandi, inuenit. Reliquit etiam *notas breues in XXIV. priora capita Matthaei*; itemque *lectiones ſacras in primam epiſtolam S. Ioannis, & in caput II. & III. apocalypſeos.* Omnia haecce in *operibus* eius, iunctim Londini, aut potius Amſtelodami, an. 1678 duobus tomis in fol. editis, exhibentur. Sed principem citra controuerſiam inter remonſtrantes, qui ad ſcripturae ſacrae illuſtrationem aliquid contulerunt, locum tenet HVGO GRO-

GROTIVS, qui cum aliis ſcriptis, tum & *adnotatis* ſuis in *ſcripturam ſacram* magnam ſibi comparauit ingenii & eruditionis gloriam. Non tantum ſeorſim iſta prodierunt, ſed & in *operibus* GROTII, iunctim editis, item in *bibliis criticis*, exſtant, vt & in *bibliis illuſtratis* ABRAH. CALOVII, qui & ex inſtituto, quae perperam ab eo dicta ſunt, ſibi refutanda ſumſit, vti iam ſupra obſeruauimus. Quemadmodum autem omnes in eo conſentiunt, plurima prorſus egregia, & exquiſitam auctoris eruditionem demonſtrantia, in hiſce *adnotatis* occurrere; ita nec illud negandum quod in poëtarum, aliorumque ſcriptorum profanorum, teſtimoniis adferendis nimis, & citra neceſſitatem copioſus ſit. Tum IO. PRICAEVM, tum HVG. GROTIVM hoc nomine a IO. CLERICO *art. crit. tom. I. part. II. ſect. I. cap. XIV. §. V. p. 420.* reprehendi, iam monuimus, cum de PRICAEO verba faceremus. Idem in GROTIO deſiderat LVD. ELL. DV PIN, qui tamen addit, eum excuſari poſſe, ſiquidem regula iſta iuris, *quod abundat, non vitiat*, hic quoque locum inueniat; *bibliotheque des auteurs ſeparéz de la communion de l' Egliſe romaine* &c. *tom. II. part. II. p. 501.* Eadem eſt ſententia RICH. SIMONIS, qui rurſus, *adnotata* iſta GROTII merito omnibus in pretio eſſe, adſerit, quod veteres bibliorum, & quidem graecos, interpretes cum textu ebraeo in veteri teſtamento conferat, nec maſorae nimia exiſtimatione imbutus ſit; (quod quid ſibi ſecundum mentem SIMONIS velit, nemini obſcurum eſſe poteſt) varias tamen eum, vt eidem critico videtur, ſine neceſſitate interdum multiplicare lectiones, & quamuis vt plurimum meliorem textus explicationem eligat; ſubinde tamen, quod praeiudicatis Socinianorum & Arminianorum opinionibus plenus eſſet, haud raro vtriusque ſectae hypotheſibus patrocinari. Ita SIMON in *hiſtor. critic. vet. teſt. lib. III. c. XV. p. 443.* Eumdem fere in modum, de eo pronuntiat in *hiſtor. crit. commentat. noui teſt. cap. LIV. p. 803. ſeqq.* Reprehendit eum namque, quod Socinianorum ſe abripi paſſus ſit commentis; quamuis non omnia iſtorum hominum placita adprobet, & quaedam etiam ſcripturae effata aliter, ac illi, interpretetur; immo ſubinde Arianis magis faueat, quam Socinianis. At hoc non obſtare, porro contendit, quo minus, ſiue eruditionem, ſiue iudicium ſpectes, reliquos, qui ante eum nouum teſtamentum commentariis ſuis illuſtrare adgreſſi ſunt, longo poſt ſe interuallo relinquat. Sollicite namque illum ſenſum litteralem inueſtigare, eumque vt eo rectius adſequatur, in ſingularum vocum inquirere origines; explicare ebraismos, & vt ſermoni, quo apoſtoli & euangeliſtae vſi ſunt, lucem adfundat, verſionem LXX interpretum vocare in ſubſidium; immo nec rabbinicas negligere loquendi formulas; & quamuis ex inſtituto controuerſias non tractet, diſſertatiunculas tamen quaſdam hinc inde inſerere, quibus veterum theologia illuſtretur; & quae alia ſunt eiusdem generis. Quam vero in *adnotatis* ſuis conficiendis ingreſſus ſit viam, ipſemet in *prooemio ad nouum teſtamentum* HVGO GROTIVS profitetur. *Si quis*, inquit, *dicat, me, quae ad euangelia ſcripſi, debere aliis, qui ſe in eodem argumento exercuerunt, is neque penitus mentietur, neque penitus verum dicet. Ego, per omnes eos, qui ſcripſere antehac, profeciſſe me, non diffiteor, quin gaudeo etiam glorior que.* Hinc, paucis quibusdam interiectis, pergit: *Mihi autem, cum iſta adnotarem, propoſitum ſemper fuit, non alicui earum inſeruire partium, in quas, ingenti noſtri ſaeculi malo, diuiſi ſumus chriſtiani, ſed chriſtianis plane omnibus, meaque dirigere ad notitiam euangelicae veritatis, & incrementum pietatis eius, ad quam omni ſtudio debemus contendere, ſi ex tanto nomine cenſeri volumus.* Nimirum, dum eclecticus in theologia eſſe voluit GROTIVS; in gra-

uiſſimos haud raro prolapſus eſt errores, cumprimis autem, quod ex RICH. SIMONE iam obſeruauimus, in Socinianorum ſaepe tranſiit caſtra, & ad illorum mentem ſcripturam non tam interpretatus eſt, quam peruertit. Quod ex Socinianorum ſcriptis profecerit, adeo non diſſimulat HVGO GROTIVS, vt aperte potius fateatur, & velut laudi ſibi ducat. Nec mirabitur hoc, qui ſecum cogitauerit, quantum alias quoque Socinianis tribuat. Ad IO. CRELLIVM dum ſcribit, gratias ei agit, *quod multa ſe docuerit, partim vtilia, partim iucunda ſcitu*, immo, eius *ſe excitatum exemplo*, profitetur, *ad penitus expendendum ſenſus ſacrorum librorum*; *epiſt. CCLXXX. p. 104.* In alia ad eumdem CRELLIVM *epiſtola*, quae inter *Grotianas* eſt *CCXCVII. p. 107.* ita loquitur: *conſtitui & legere, & relegere diligenter, quaecumque a te proficiſcuntur, expertus, quo cum fructu id antehac fecerim. Eo ipſo tempore, quo litteras tuas accepi, verſabar in lectione tuae interpretationis in epiſtolam ad Galatas. Quantum iudicare poſſum, & ſcripti occaſionem, & propoſitum, & totam ſeriem dictionis, vt magna cum cura indagaſti, ita feliciter admodum adſequutus es. Quare Deum precor, vt & tibi, & ſimilibus, vitam det, & quae alia ad eiusmodi labores neceſſaria.* Atque haec quidem documento ſunt luculentiſſimo, propenſo nimis in Socinianos animo HVG. GROTIVM fuiſſe, quod & *adnotata* eius abunde teſtantur. ABRAHAMVS equidem CALOVIVS omnino atheismum ei obiicit. *Theologiam eius*, inquit, *mere electiuam, & vere* ἀρνητικὴν *eſſe, merito dixeris, niſi quod atheiſmus quandoque in ea ſe prodat, haereſi quauis peior*; in *epicriſi ad prooemium* GROTII in *nouum teſtamentum p. 1.* At, hoc durum nimis videtur. Atheum enim fuiſſe GROTIVM, nemo dixerit, nec probari poteſt. Alibi tamen, ſcilicet in *epiſtola ad lectorem*, *bibliis illuſtratis in vetus teſtamentum* praemiſſa, CALOVIVS ingenue ſatis atque cordate de GROTIO iudicat. Cum enim, eum *virum ſui nominis*, id eſt, *magnum*, vel SAM. MARESIO, acri eius aduerſario, iudice, recte vocari, monuiſſet; de eo vſurpari poſſe, porro adſerit, quod de ORIGENE dictum olim fuit: *vbi bene, nemo melius, vbi male, nemo peius.* Refert inde eiusdem MARESII de GROTIO effatum: *poteras & theologus cenſeri, ſi nihil ad theologiam ſcripſiſſet, memorque fuiſſet moniti illius Epicteti:* ἂν ὑπὲρ δύναμιν ἀναλάβῃς τι πρόσωπον, καὶ ἐν τούτῳ ἠσχημόνησας, καὶ ὃ ἠδύνασο ἐκπληρῶσαι, παρέλιπες· *Si quam perſonam, quae vires tuas ſuperet, indueris, tum eam indecore geres, tum eam, quam ſuſtinere poſſes, negliges*; ſed recte addit: *Non inde credo Grotium tam frequenter lapſum, quod eam perſonam induerit, quae vires eius ſuperarit; ſiquidem ex ingenti illa eruditionis multiuariae ſupellectile vir magni iudicii, & ingenii capaciſſimi, multa conferre potuerit ad ipſarum etiam ſacrarum litterarum interpretationem, & contulerit etiam nonnulla; tametſi aliorum non raro in iis, quae boni adhuc commatis ſunt, arauit vitulo, ſed quod amplae nimis, vel potius nullius eſſet religionis, omnesque propemodum ſectas conciliare ſatageret &c.*

Poſt HVG. GROTIVM hic maxime in cenſum venit IO. CLERICVS, qui & ipſe in hoc ſtudiorum genere induſtriam ſuam collocauit. Cumprimis autem commentarii eius, ſimiliaque ſcripta, quibus ſcripturam ſacram illuſtrare adgreſſus eſt, locum hic ſibi vindicant. Et *geneſis* quidem, *ſiue Moſis prophetae liber primus ex translatione* eius, cum eiusdem *paraphraſi perpetua*, *commentario philologico*, *diſſertationibus criticis quinque*, & *tabulis chronologicis*, lucem adſpexit Amſtelodami, anno 1693. fol. Ad *diſſertationes criticas*, operi huic additas, quod attinet, earum tres eidem praemiſſae ſunt, & *prolegomena* conſtituunt, quas inter prima, *de lingua ebraica*,

Digitized by Google

ta, altera, de *optimo genere interpretum ſcripturae*, tertia autem, *de ſcriptore pentateuchi Moſe*, agit. Quod enim antea inficiatus fuerat, Moſen pentateuchi auctorem eſſe, poſtea agnouit, & in vltima haecce diſſertatione ex inſtituto comprobat. Reliquae duae diſſertationes per modum adpendicis adiunctae ſunt, earumque altera *de Sodomae, finitimarumque vrbium, ſubuerſione*, altera *de ſtatua ſalis* tractat. Sequuti mox ſunt reliqui libri Moſis, eadem ratione explicati, atque inſcripti: *Moſis prophetae libri quatuor, exodus, Leuiticus, numeri, & deuteronomium ex translatione Ioannis Clerici, cum eiuſdem paraphraſi perpetua, commentario philologico, diſſertationibus criticis, & tabulis chronologicis ac geographicis*, Amſtelodami 1696. fol. Diſſertationum, quarum in inſcriptione mentio iniicitur, criticarum altera ipſius auctoris eſt, agitque de *maris Idumaei traiectione*, in qua maris iſtius diuiſionem, cum Iſraelitae tranſirent, factam, ex cauſſis naturalibus explicare ſatagit; altera vero IO. SELDENI eſt, & de *decimis* tractat, quam IO. CLERICVS ex lingua anglicana in latinam tranſtulit, notiſque illuſtrauit. Praemiſſa etiam eſt huic operi ipſius CLERICI *paraphraſis octodecim priorum commatum capitis primi euangelii Ioannis*, cum eiuſdem *animaduerſionibus, vbi demonſtratur contra alogos, euangelium hoc eſſe foetum Ioannis apoſtoli, & euertitur ſententia Fauſti Socini, de ſenſu primorum eius euangelii commatum.* Seorſim iam iſta CLERICI commentatiuncula prodierat; ſed ne paruitate ſua periret, eam adiungere huic quatuor vltimorum librorum Moſis explicationi, illi viſum fuit. Varios autem haec ipſa commentatiuncula experta eſt cenſores. Speciatim multis diſplicuit, quod prima euangelii Ioannis verba ita tranſtuliſſet: *Initio erat ratio, eaque ratio erat apud Deum, & Deus erat ea ratio*; itemque, quod in *animaduerſionibus* adſeruiſſet, ex ſchola Platonica hanc vocem tranſſumtam, cuius rectum & genuinum vſum docere voluerit Ioannes. Inter hos & IOANNES VAN DER WAYEN fuit, qui calamum contra CLERICVM ſtrinxit, in *diſſertatione de λόγῳ*, cum STEPH. RITTANGELII *libra veritatis & de paſchate tractatu*, Franecquerae an. 1698 edita, itemque in praefatione, quam eidem diſſertationi praemiſit. Idem fecit ELIAS BENOIST, verbi diuini eo tempore in gallicana Delfenſi eccleſia miniſter, cuius *tres diſſertationes epiſtolicae in priores octodecim primi capituli euangelii ſecundum Ioannem verſiculos* Roterodami prodierunt an. 1697. 8. Rationes, cur, hiſce aduerſariis reſpondendum non eſſe, exiſtimauerit, exponit CLERICVS in *parrhaſianis, tom. I. p. 404. ſeqq.* Sed vt ad reliqua ſcripta exegetica viri huius doctiſſimi reuertamur, poſt pentateuchum, ad libros hiſtoricos veteris teſtamenti illuſtrandos ſe contulit, licet aliis negotiis praepeditus anno demum 1708 promiſſorum exſoluere fidem potuerit. Lucem enim tum adſpexerunt *veteris teſtamenti libri hiſtorici, Ioſua, iudices, Rutha, Samuel, reges, paralipomena, Eſdras, Nehemia, & Eſther, ex translatione Ioannis Clerici, cum eiuſdem commentario philologico, diſſertationibus criticis, & tabulis chronologicis*, Amſtelodami in fol. Eamdem & hic, qua in pentateucho vſus fuerat, obſeruat methodum, niſi quod paraphraſin omiſit, quoniam hiſtoriae ſolum in hoc volumine habeantur, ſimplici & facili ſtilo ſcriptae, ſi cantica quaedam & orationes excipias, nec rerum nexus obſcurus ſit, ita, vt opus ſit, eum paraphraſi explicari. In reliquis autem veteris teſtamenti libris ſe eam iterum exhibiturum, promiſit. Praefixa eſt huic volumini diſſertatio *de ſcriptoribus librorum hiſtoricorum veteris teſtamenti*; ſubiunctae autem ſunt duae; altera *de LXXII. virorum in republica populi ebraei ſynedrio*; altera *de lepra Moſaica ex litteris Danielis Clerici.* In reliquos

Digitized by Google

veteris teſtamenti libros viri iſtius celeberrimi commentarii & paraphraſes adhuc exſpectantur. Ad nouum teſtamentum quod attinet, opera eius ſtudioque prodiit *nouum teſtamentum ex verſione vulgata cum paraphraſi & adnotationibus Henrici Hammondi*, Amſtelodami an. 1698. fol. HENRICI nimirum HAMMONDI *paraphraſin* & *adnotationes* ex anglicana lingua in latinam transtulit, ſuisque animaduerſionibus illuſtrauit, caſtigauit, auxit. Multis namque viris eruditis cum ſcripta HAMMONDI placerent; operae ſe facturum pretium, CLERICVS putauit, ſi in gratiam eorum, qui linguae anglicanae rudes ſunt, HAMMONDI hancce *paraphraſin* & *adnotationes* in linguam latinam conuerteret. Eo libentius etiam ſe hoc feciſſe, profitetur, quod Arminiani HAMMONDVM ſuis quodammodo adnumerare queant; certe a nemine eum plura mutuatum eſſe, adſerit, in interpretatione noui teſtamenti, vniuerſisque adeo theologicis ſcriptis, quam ab HVG. GROTIO & SIM. EPISCOPIO. Et ſane, GROTII veſtigiis paſſim inſiſtere HAMMONDVM, res ipſa docet. Quo nomine etſi vel maxime a CLERICO commendatur, hoc ipſum tamen eſſe, quod iure in illo reprehendi queat, alii exiſtimant. Nec hoc ſolum, ſed illud quoque nonnullis diſplicet, quod plurima noui teſtamenti loca obtorto velut collo ad gnosticos trahat, immo vbique gnosticos ſibi inuenire videatur; itemque quod epiſcopalium, quos vocant, in Anglia partibus addictus, eorumdem de diuina epiſcopatus origine ſententiam defendat. Certe, ad gnoſticos quod attinet, licet negandum non ſit, hinc inde, praeſertim in epiſtolis apoſtolicis, ad veteris aeui haereticos reſpici, multumque lucis plurimis locis accedere, ſi horum opiniones & dogmata perſpecta habeamus; HAMMONDVS tamen, vbique gnoſticos ſuos quaerens, multorum ſcripturae ſacrae effatorum ſenſum mirum in modum peruertit, ideoque ab ipſo ſubinde caſtigatur CLERICO. Et hic quidem nouo induſtriae ſuae monumento de hocce ſtudiorum genere bene mereri voluit, edita *harmonia euangelica, cui ſubiecta eſt hiſtoria Chriſti ex quatuor euangeliſtis concinnata; acceſſerunt tres diſſertationes, de annis Chriſti deque concordia & auctoritate euangeliorum*; Amſtelodami an. 1699, fol. Quibus inductus fuerit rationibus ad hancce harmoniam concinnandam, ipſe in *praefatione ad lectorem* exponit. Plurimas enim, ait, prodiiſſe harmonias, ſed nullam ſe vidiſſe, quae non laboraret duobus grauiſſimis incommodis; primum enim ordinis temporum & euangeliſtarum exiguam in iis habitam fuiſſe rationem; deinde aut ieiunis, aut operoſiſſimis commentariis eas fuiſſe illuſtratas. Vbi vltimis iſtis verbis *harmoniam euangeliſtarum*, a MART. CHEMNITIO inchoatam, a POLYC. LYSERO continuatam, & a IO. GERHARDO ad finem perductam, pungere videtur. Sed ſine ratione iſtud ab eo factum, ſupra iam obſeruauimus, cum de CHEMNITIO loqueremur. Pergit autem porro: *Igitur nihil occurrebat, quod ſtudioſorum vſui ſatis adcommodatum videretur, optabamque, doctum quempiam virum manum huic operi admouere. Ac ſane commodum audiebam, aliquot eruditos homines in Gallia eiusmodi operibus dudum inſudare. Sed poſtquam aliquamdiu fruſtra exſpectaſſem, cumque neſcirem, an eſſent id, quod potiſſimum ſpectabam, praeſtituri; volui & ipſe experiri &c.* Hinc dum doctorum quorumdam in Gallia virorum mentionem facit, qui eiusmodi operibus dudum inſudarint; aut me omnia fallunt, aut ad NIC. TOINARDVM reſpicit, cuius *harmonia graeco-latina* in quibusdam, ſi methodum & diſpoſitionem ſpectes, cum *harmonia* IO. CLERICI conuenit, &, Pariſiis an. 1707 in folio excuſa, publici iuris facta eſt. Dudum equidem antea typis commiſſa fuit; ſed, cum eam auctor

Digitized by Google

auctor in vſum priuatum concinnaſſet, quinque vel ſex tantum exempla exſcripta ſunt, amicis auctoris diſtribuenda. Nec enim induci TOINARDVS poterat, vt eam in omnium vſum in lucem publicam proferret; quam demum poſt eius mortem adſpexit. Plura de hacce TOINARDI *harmonia* ipſe dabit CLERICVS, *bibliotheque choiſie tom. XV. p. 247. ſeqq.* itemque LVD. ELL. DV PIN, *nouv. biblioth. des auteurs eccleſiaſt. tom. XIX. p. 395.* Ad ipſius CLERICI harmoniam vt redeamus, methodus iſta, qua ſingulorum euangeliſtarum verba ita diſponuntur, vt quid quisque dixerit, aut non dixerit, ſtatim omnium conſpectui ſe offerat, ſatis concinna eſt. Recteque omnino factum, vt ipſe textus graecus, cum verſione latina, hac ratione exhiberetur. Paraphraſis etiam ſubiecta elegantia & perſpicuitate ſe commendat; caute tamen legenda, cum in ea auctor ſuis paſſim inſeruiat hypotheſibus. In ordine rerum & temporum ſe IO. RICHARDSONI preſſiſſe veſtigia, ipſemet fatetur CLERICVS. *Sed quamuis tacuiſſet Lucas*, inquit, *res ipſa nunc oſtendit, poſſe commodiſſime ad eius ordinem referri ceteros euangeliſtas, quod & ante nos indicauit vir eruditus Ioannes Richardſonus, Ardachadenſis olim in Hibernia epiſcopus, cuius harmoniam potiſſimum ſequuti ſumus, ad ſummam rei quod attinet, qualem eam nobis praebet in annalibus noui teſtamenti Iacobus Vſſerius; diſſ. II. harmoniae* eius ſubiecta, ad *can. I. p. 516.* Nimirum cum Lucas & Ioannes, immo & Marcus, ordinis obſeruantiores fuerint, quam Matthaeus; horum etiam praecipue in temporum rationibus digerendis ſequendum eſſe ductum, exiſtimat. Ex quo patet, eum ab illorum ſententia, qui, ſingulos euangeliſtas temporum ordinem adcurate obſeruare, contendunt, cuius primum ac praecipuum auctorem ANDR. OSIANDRVM fuiſſe, antea diximus, alienum eſſe. Recuſa eſt CLERICI *harmonia*, ſed latine tantum, Altorfi an. 1700. 4. cum *diſſertatione de harmoniae euangelicae potioribus ſcriptoribus*, cuius auctorem IO. MICH. LANGIVM, virum doctiſſimum, eſſe, conſtat. Eamdem quoque praecipue ſequutus eſt, vt tamen interdum a ſententia CLERICI diſcederet, PETR. BVTINI, in *hiſtoria vitae Chriſti, ſiue paraphraſi harmonica quatuor euangeliorum*, gallice ſcripta editaque Geneuae, an. 1710. in 4. Scriptis iſtis IO. CLERICI, quae hucusque commemorauimus, addi adhuc poſſet *verſio gallica noui teſtamenti*; ſed eius iam ſuo loco facta eſt mentio. Quantumuis autem in hisce omnibus plurima occurrant, quae viris eruditis non placere nequeunt; deprehenduntur tamen etiam, quae nonnullis non probantur. In commentariis in pentateuchum IO. VAN DER WAYEN, acris CLERICI cenſor, multa deſiderat; ſpeciatim & hoc, quod Chriſtum in Moſaicis ſcriptis nusquam reperiat, quodue loca ad conuincendam Iudaeorum contumaciam, & refutandos, qui filium Dei verum eſſe Deum negant, vel maxime facientia, alioſum detorqueat, & ita eneruet, vt omnis eorum vis euaneſcat, nihilque vsquam adpareat myſterii; in *diſſertat. de λόγῳ p. 4.* Diſplicet eidem auctori, quod myſticis interpretationibus nullum relinquat locum; quod nec vere, nec candide de ritibus Moſaicis ſentiat; quod, in cherubinis myſterium quaerere, illi ſit *operoſe nugari*; quod ne in paſchate quidem vllam Chriſti imaginem, aut vmbram deprehenderit; & quae alia ſunt eiusdem generis, in eadem *diſſertat. p. 5. 6. ſeqq.* Aliis rurſus minime probatur viri iſtius doctiſſimi ſententia de *Schilo Geneſ. XLIX. 10.* non alium in finem, ut videtur, excogitata, quam vt argumentum, quod inde contra Iudaeos petitur, omni robore ſpolietur; quod & a me obſeruatum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. ſect. III.* ad §. *XIV. p. 349 ſeqq.* Nonnulla equidem ad haec, aliaque,

aliaque, paſſim ſibi obiecta, reponit CLERICVS in *parrhaſianis, tom. I. p. 398. ſeqq.* ſed ita, vt contemnat potius iſtos aduerſarios ſuos, quam ut ſpeciatim ad ea, quae illi oppoſuerunt, quidquam regerat. Nec ego dixerim, omnia, quae nonnulli reprehenderunt, recte reprehenſa eſſe: hoc tamen, ni fallor, nimis manifeſtum eſt, virum doctiſſimum ſubinde vaticinia luculentiſſima de Chriſto ita explicare, ut nihil iis, quod Iudaeis ac Socinianis opponi queat, relinquatur: miracula etiam quaeuis, quantum poteſt, euertere aut extenuare, dum ex cauſſis naturalibus, irrito quamuis conatu, cuncta deriuare, adnititur. Documento eſſe poteſt ſententia eius *de tranſitu populi iſraelitici per mare rubrum*, quam peculiari diſſertatione, antea memorata, tuetur, & in qua hoc agit, vt probet, tranſitum iſtum factum eo tempore, quo maris refluxus eſſet, ventumque, qui ſimul ortus ſit, aeſtum maris in oceanum reflui auxiſſe, vt ita commode Iſraelitae tranſire potuerint. Quod quam parum cum clariſſimis Moſis verbis conueniat, a me oſtenſum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. per. II. ſect. III. p. 583. ſeqq.* Sed & alia eiusdem generis in eadem *veteris teſtamenti hiſtoria eccleſiaſtica* paſſim a me ſunt notata. Sunt equidem neutiquam augenda miracula, aut omnino fingenda, vbi nulla inueniuntur: vera tamen miracula pro talibus omnino ſunt agnoſcenda. Obiectum ab aliis CLERICO fuit, quod in *commentario in pentateuchum*, IO. SPENCERI, & SAM. BOCHARTI vitulo ararit, & ex illorum riuis ſua irrigarit arua: parumque abeſt, quin a nonnullis, nimio adfectuum impetu contra illum irritatis, plagii reus agatur. Qua in re tamen quin magna viro doctiſſimo fiat iniuria, non eſt, quod dubitemus. Etſi enim SPENCERO pariter atque BOCHARTO quaedam debeat, & illum ſubinde in legum Moſaicarum explicatione ſequatur; ideo tamen plagii crimen illi obiici nequit, cum & plerumque fontes indicauerit, ex quibus ſua hauſerit, nec caeco impetu hos duces ſequatur, ſed interdum ab iis diſſentiat; quod ipſemet exemplis quibusdam comprobat *dans la biblioth. choiſie, tom. XVI. artic. II. p. 91. 92.* Idem de HVG. GROTIO cenſendum, cuius eum, praeſertim in *notis* ad HENR. HAMMONDVM, vt & in *adnotationibus* ad *verſionem gallicam noui teſtamenti*, diligenter premere veſtigia, diffitendum non eſt. Principia IO. CLERICI hermeneutica, quibus in *commentariis* ſuis inſiſtit, ex *diſſertatione* eius, de *optimo genere interpretum ſcripturae*, quam cum aliis quibusdam *commentario* eius in *pentateuchum* praemiſſam, diximus, itemque ex *arte* eius *critica*, ſatis nota ſunt. In vocum ebraearum vera & genuina ſignificatione inueſtiganda, parallelismo & collationi ſcripturae tantum non omnia tribuit. Ebraeorum magiſtros negligit, nec multum lucis ex illorum ſcriptis interpretationi ſacrarum litterarum adferri poſſe, credit. Nec adeo magnum pretium antiquis verſionibus ſtatuit; ſiquidem earum auctores regulas hermeneuticas non obſeruauerint; vnde &, bibliorum polyglottorum exiguum admodum vſum eſſe, contendit. Paucis: parallelismus ſcripturae, vocum ebraearum ſignificationi eruendae inſeruiens, & regulae hermeneuticae, quas ſana ratio tradit, vtramque apud illum faciunt paginam. De textus ebraei integritate quaenam eius ſit ſententia, iam expoſuimus ad §. *III.* huius *capitis*. Dum itaque ſecundum ſuam methodum incedit, multa quidem inutilia & ſuperuacanea euitat vir ſane inſigni iudicio & excellenti eruditione praeditus, multa quoque praeclare & egregie docet; ſed maiorem adhuc laudem conſequi potuiſſet, niſi, praeiudicatis opinionibus, & nimia ingenii fiducia, abreptus, a recto ſubinde aberraſſet tramite. Pari ratione etiam de *arte* eius *critica*, omnibus ſatis

ſatis nota, alibique nobis iam ex inſtituto laudata, cenſendum. In ea de ratione interpretandi multa recte & eleganter praecipit: varia tamen, praeſertim in exemplis, quibus regulas illuſtrat, adfert, quae neutiquam omnium obtinebunt calculum. Hinc & cenſuram quorumdam *ars* haecce *critica* ſubiit; vt anonymi cuiusdam Angli, itemque IOANNIS VAN DER WAYEN, quibus tamen ipſe CLERICVS nonnulla opponit, in *parrhaſianis tom. I. p. 425. ſeqq.* Ex inſtituto eam quoque ſub examen reuocauit IO. HENR. MAIVS, in *introduct. ad ſtudium philologicum, criticum, & exegeticum*, quae eiusdem *repetito examini hiſtoriae criticae textus noui teſtamenti Rich. Simonis* ſubiuncta eſt, Francofurti an. 1699 in 4.

IO. CLERICO merito adhuc ex eodem remonſtrantium coetu iungimus PHILIPPVM A LIMBORCH, vtpote cuius praeter alia ingenii monumenta exſtat *commentarius in acta apoſtolorum, & in epiſtolas ad Romanos & ad Ebraeos*, Roterodami an. 1711, in fol. In eo vt de ſenſu litterali vnice fuit ſollicitus; ita in *praefatione* allegoricas, ſeu typicas, vt vocant, Cocceianorum interpretationes vehementer improbat. De fonte enim, ex quo allegorica ſcripturas interpretandi ratio manauerit, cum diſputaſſet; cumque monuiſſet, viros illos eximios, qui eccleſiae, a variis erroribus ac ſuperſtitionibus reformandae, laudabilem impenderunt operam, etiam hunc, ſcripturas myſtice interpretandi, & ad quaeuis commenta adplicandi, modum in pontificiis reprehendiſſe, &, ex eccleſia eliminandum docuiſſe; ita pergit: *Quis credidiſſet, ſemel illa allegorizandi prurigine reiecta, quae ſcriptura, tamquam regula lesbia, ac cereo naſu abutitur, & cuiuis homini otioſo quaeuis ſomnia, cuiusque ingenio, indoli, ac temperamento, quin & opinionibus, quibus imbutus eſt, accommodata, pro diuinis oraculis venditandi, anſa datur, eamdem denuo in eccleſiam reformatam inuehi, & maximo plurium applauſu recipi ac praeualere potuiſſe? &c. Reiicitur quidem nomen allegoriae, ſed ipſa nihilominus ſub alio nomine retinetur, & ſenſus, qui mera conſtat allegoria, litteralis ſcripturae ſenſus adpellatur, ampla atque latiſſima interpretandi excogitata claue, verba ſcripturae hoc omne ſignificare, quod ſignificare poſſunt. Verum quidem eſt, ne illius abſurditas primo ſtatim adſpectu ſeſe prodat, reſtrictionem quamdam addi ſolere, quod hoc intelligendum ſit de verbis textus originalis* θεοπνεύστου*, atque iis non ſeparatim ſumtis, ſed prout in contextu integro occurrunt. Attamen praxis oſtendit, huius reſtrictionis exiguam haberi rationem & vnumquemque ſub praetextu ſenſus litteralis quaeuis per vanam imaginationem commenta effingendi, non minorem, ſi non maiorem, quam vmquam pontificios, per allegorias, licentiam arrogare, & tamquam genuinum ſcripturae ſacrae ſenſum magna cum confidentia obtrudere. Inde enatae tot adplicationes ſingularum, etiam minutiſſimarum particularum tabernaculi & templi, veſtimentorum pontificalium, & diuerſarum non tantum victimarum & oblationum, ſed & circumſtantiarum, in ſingulis praeſcriptarum, ad eccleſiam noui teſtamenti, &, quid per ſingula ſignificetur, ſollicita inueſtigatio, & temeraria determinatio.* Legenda & reliqua, quae ita comparata ſunt, vt iis, quae ſupra de Cocceianorum illa ratione, interpretandi ſcripturam ſacram, attulimus, lucem adfundant. LIMBORCHIVS itaque non tantum alia via incedit; ſed criticorum quoque ac grammaticorum minutiis non immoratur, rebus ipſis vnice intentus, ſenſumque luculenter exponit, vt quilibet ſtatim, quae inde fluant, dogmata perſpiciat; quae tamen interdum, pro re nata, fuſius explicat. Veſtigia doctrinae, quae remonſtrantibus propria eſt, in hocce commentario occurrere, monere, neceſſe non eſt.

Agmen claudant Sociniani, qui, quidquid habent ingenii aut eruditionis, ad peruertendum ſcripturae ſacrae ſenſum conferre ſolent, vt, proſcriptis ex orbe chriſtiano, quae ipſi non admittunt, dogmatibus, ſuos eo felicius propagare errores queant. De veteri teſtamento non adeo fuere ſolliciti; eo quod, in nouo praecipue talia contineri, crederent, quae ſuis aduerſentur erroribus. Solus fere DAN. BRENIVS, Harlemo Batauus, SIM. EPISCOPII, ſi CHRISTOPH. SANDIO, in *bibliotheca antitrinitar. p. 135.* credimus, diſcipulus, in vetus teſtamentum aliquid dedit. Exſtant namque *adnotationes* eius *breues in vetus & nouum teſtamentum*, in *operibus* eius, iunctim an. 1664 Amſtelodami in fol. editis. Praemiſſa eſt hiſce BRENII *adnotationibus introductio breuis ad intellectum ſacrarum litterarum*, ex qua methodum, quam Sociniani in ſcripturae ſacrae interpretatione tenent, condiſcere licet. Summa eius eo redit: nullum ſcripturae ſacrae ſenſum, ceu verum, admittendum eſſe, qui vel ſanae rationi, vel ſibi ipſi, vel euidenti ſenſuum externorum experientiae, repugnet. Exegeticis, in varios noui teſtamenti libros, ſcriptis, inclaruere FAVSTVS SOCINVS ipſe, IOAN. CRELLIVS, IONAS SCHLICHTINGIVS DE BVCOWIEC, & IO. LVD. WOLZOGENIVS, quae omnia iunctim noui teſtamenti explicationem complectuntur, & in *bibliotheca fratrum Polonorum, quos vnitarios vocant*, exhibentur; quod & de SAM. PRZIPCOVIO obſeruandum, vt deinceps dicemus. Nimirum in *primo* operis iſtius *tomo* comparent FAVSTI SOCINI *explicatio Matthaei cap. V. & partis VI; initii cap. I. euangelii Ioannis; cap. VII. epiſtolae ad Romanos; explicationis iſtius defenſio; explicatio variorum ſcripturae locorum; & denique commentarius in epiſtolam Ioannis primam.* Atque ex hiſce perſpicere licet, nec ingenium, nec eruditionem, auctori huic defuiſſe; verumque plurimorum locorum non aliam ob cauſſam eum non adſequutum ſenſum, quam quod animum, ad reiicienda & impugnanda dogmata quaedam maniſeſtiſſima, obſirmaſſet. Ad linguas originales ſubinde prouocat, etſi, *graecos fontes ſe leuiter admodum deguſtaſſe, ebraeos vix dum attigiſſe*, profiteatur. Quantum autem SOCINVS ingenio ſuo indulſerit, aut potius, quanta fuerit, in ſcriptura ad ſuas opiniones adcommodanda, temeritate ac impudentia, vel ex explicatione *partis primae c. I. euangelii Ioannis*, quae *p. 77. ſeqq.* exſtat, cognoſcitur. Cum enim *c. I. v. 1.* dicitur: *in principio erat verbum*, per *principium* initium noui teſtamenti, ſeu earum rerum, de quibus loqui volebat Ioannes, intelligit; per *verbum* autem Ieſum Chriſtum, Dei filium, *hominem ſcilicet illum, qui Auguſto imperante ex virgine Maria natus eſt*, eumque ita vocari, *non ob aliquam eius naturam aut ſubſtantiam, ſed muneris tantum cauſſa, quo ipſe Dei filius functus eſt, dum euangelicum patris ſui verbum exponeret*; hocce *verbum erat apud Deum*, inquit, *quatenus Ieſus Dei verbum, antequam baptiſtae praedicatione pateſieret, ſoli Deo notus erat*; cum denique Ioannes addit, *& Deus erat verbum*; Chriſtum, ſeu *verbum*, Deum dici, contendit, non natura, ſed potentia & auctoritate, qua a Deo praeditus fuerit. Speciminis inſtar haec eſſe poſſunt, vt inde conſtet, quales ſint Socinianorum interpretationes. De *explicatione cap. VII. epiſtolae ad Romanos* iam ſupra aliquid monuimus, cum de IAC. ARMINIO verba faceremus. In *commentario* in *primam Ioannis epiſtolam*, vbi ad *cap. V. v. 7.* peruenit, comma hoc de tribus teſtibus in caelo ſpurium equidem & adulterinum eſſe, contendit; id tamen ita explicat, vt, ſi vel maxime, genuinum eſſe, concedatur, ſententiae tamen Socinianorum non obſtet. Per *teſtimonium* enim *patris*, vocem ex caelo delapſam: *hic eſt filius meus dilectus Matth. III. 17.*

III. 17. intelligit; per *teſtimonium* autem *verbi*, ſeu Chriſti, adparitiones, viſiones, ſermones habitos ab ipſo, poſtquam iam in caelum adſcenderat; & denique per *teſtimonium ſpiritus ſancti* adparitiones angelorum, voces auditas, viſiones, monitiones, ſimilesque res; *p. 242.* Quae omnia nihil aliud, quam ſomnia ſunt, hominis vigilantis, indigna, quae refutentur. Longe plura, quam aut SOCINVS ipſe, aut alius quiſpiam, eidem coetui addictus, in exegeticis reliquit IO. CRELLIVS, quae *bibliothecae fratrum Polonorum* volumen tertium implent, ita quidem, vt in *tres* iterum *tomos* diſtribuantur; quorum primus *commentarium in quatuor capita priora, & partem quinti, Matthaei; commentarium itemq; paraphraſin in epiſtolam ad Romanos; commentarium in decem priora capita prioris ad Corinthios*; vt & *in caput decimum quintum eiusdem epiſtolae; commentarium*, itemq; *paraphraſin in epiſtolam ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes; commentarium in vtramque ad Theſſalonicenſes*, complectitur; ſecundus *commentarium in priorem ad Timotheum; in epiſtolam ad Titum & Philemonem; commentarium & paraphraſin in epiſtolam ad Ebraeos; commentarium in prioris epiſtolae Petri duo priora capita*; & denique *explicationes locorum difficiliorum noui teſtamenti*; tertius *commentarium in varia loca euangeliorum Matthaei, Marci, & Lucae*; in *magnam partem euangelii Ioannis*, vt & *actorum apoſtolicorum*; in *plurima capita & loca epiſtolarum Pauli apoſtoli; in poſteriorem ad Timotheum epiſtolam*; in *multa loca epiſtolarum catholicarum*; in *maximam partem apocalypſeos Ioannis*; itemque *ſynopſes aliquot concionum*, continet. Ex hiſce commentariis CRELLIVS quosdam auditoribus ſuis dictauit, quosdam ipſe litteris conſignauit, alios vero nonnulli ex praelectionibus eius collegerunt; vt adeo non ſint vnius generis. Praemiſſa hiſce CRELLII *commentariis* eſt *praefatio* ſeu *epiſtola liminaris* IO. STOINSKI, coetus Racouienſis miniſtri, in qua generatim de iis dicitur: *immaturus eſt hic foetus, &, vt vides, magna ſui parte truncus, vt e matris vtero exciſus potius, quam natus, videri poſſit.* Rationes, cur CRELLIVS integrum nouum teſtamentum, quod illi conſtitutum fuerat, illuſtrare (ſi non obſcurare) non potuerit, idem auctor exponit. Omni autem conatu hoc agere CRELLIVM, vt ſcriptoribus ſacris ſenſum, qui Socinianis placet, adfingat, vel me non monente quilibet intelligit. Criticis obſeruationibus non multum immoratur, grammaticas ſaepius in ſubſidium vocat, vt ſenſum, quem cupit, inueniat, ratiocinationes tamen ſimul adiicit, vt eo facilius lectorem in ſuam pertrahat ſententiam; hinc, iudice RICH. SIMONE, vno eodemque tempore & grammaticus eſt, & philoſophus, & theologus; in *hiſtor. crit. commentator. nou. teſt. c. LVI. p. 846.* Sequitur IONAS SCHLICHTINGIVS DE BVCOWIEC, cuius *commentaria poſthuma in pleroſque noui teſtamenti libros* quintum *bibliothecae fratrum Polonorum* volumen conſtituunt, & in duos diſtributa ſunt tomos, quorum prior *commentarium in euangelium Ioannis; paraphraſin in initium eiusdem euangelii*; & *commentarium in epiſtolam Pauli ad Romanos*; poſterior autem *commentarium in epiſtolam vtramque ad Corinthios, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Philippenſes, in vtramque ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum, in epiſtolam ad Titum, ad Philemonem*, porro in *vtramque Petri*, in *tres Ioannis*, cum *fragmento in epiſtolam Iudae*, exhibet. Sequitur in plerisque FAVSTVM SOCINVM, etiam in explicatione *cap. I. verſ. 1. & ſeqq. euangelii Ioannis.* Interdum & HVG. GROTII *adnotatis* vſus eſt. Difficile quoque fuit illi, noui quid proferre; cum SOCINVS & CRELLIVS in peruertendis noui teſtamenti locis, quae illorum impietati obſtare videbantur, tanta iam vſi ſint diligentia, vt vix quidquam

aliis, quod adiicere poſſent, reliquerint: Idem de IO. LVD. WOLZOGENIO obſeruandum, cuius opera *duobus* conſtant *tomis*, quorum prior *commentarium* eius *in quatuor euangeliſtas*, poſterior A. W. id eſt, ANDR. WISSOWATII *commentarium in acta apoſtolorum*, WOLZOGENII *prooemium in epiſtolam ad Romanos*, vitam Pauli apoſtoli continens, & rurſus WISSOWATII *adnotationes in epiſtolam Iacobi & Iudae*, & WOLZOGENII reliqua ſcripta didactica & polemica complectitur. *Commentarii* eius *in quatuor euangeliſtas* germanice ab eo ſcripti ſunt, ſed a IOACH. STEGMANNO iuniore in linguam latinam tranſlati, qui & in *euangelio Ioannis cap. VI. VII. VIII. IX. & X.* vtpote quae in autographo deerant, ſuppleuit. Docet hoc CHRISTOPH. SANDIVS in *bibliotheca antitrinitar. p. 139.* WOLZOGENIVM diligenter SOCINI veſtigia premere, iterum vel ex his, quae ad *Ioann. cap. I. v. 1. p. 704.* diſſerit, patet, vbi nihil fere aliud dicit, quam quod dixerat SOCINVS. Qui ergo vnum ex hiſce nouit, omnes nouit. Supereſt SAM. PRZIPCOVIVS, cuius *cogitationes ſacrae in initium euangelii Matthaei, & omnes epiſtolas apoſtolicas*, nec non *tractatus varii argumenti*, an. 1692 in fol. edita, *bibliothecae fratrum Polonorum* iungi ſolent. Cur commentarios iſtos ſuos, ſiue explicationes, *cogitationes* inſcripſerit, rationem ipſe, in *reſponſione ad notas amicas* (ANDR. WISSOWATII) *in ſacras ad epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes cogitationes p. 205.* hanc reddit: *ſcripto huic noſtro titulum cogitationum eo conſilio dedimus, ne quis lectorum putaret, nos in iis plenam, & cui nihil addi poſſet, ſacrorum librorum explicationem, polliceri. Proinde iniquum eſt, toties cenſurae animaduerſionem in nos extendi, quoties forte vſpiam, quod dici poterat, omiſimus.* Quae verba cum & auctor *praefationis* operum PRZIPCOVII recitaſſet; addit: *vnde liquido conſtat, auctori ſcopum non fuiſſe, quae a Crellio, Slichtingio, aliisque enucleata ſunt, pertractare, atque falcem in alienam meſſem immittere, ſed quae ſacras litteras euoluenti incidebant, chartis illeuiſſe.* Verum, quantumuis illi conſtitutum non fuerit, quae a CRELLIO, SCHLICHTINGIO, aliisque enucleata ſunt, pertractare; reuera tamen nihil aliud profert, quam quod in Socinianorum ſcholis didicit. Documento eſſe poteſt, quod ſtatim ab initio ad *Matthaei cap. I. v. 1. p. 1.* profert: *Duae generationes filii Dei deſcribuntur in ſacris litteris, quarum altera eſt ſecundum carnem, per quam humanam naturam imbecillam & mortalem; altera eſt ſecundum ſpiritum ſanctitatis ex reſurrectione mortuorum, per quam diuinam naturam, potentem & immortalem conſequutus eſt, factus filius Dei in potentia &c.* Magnifice admodum idem auctor *praefationis* de PRZIPCOVIO ſentit, dum inter alia ita de eo loquitur: *Quisquis a limine ſcripta magni Przipcouii introſpexerit, protinus admirandam rerum maieſtatem, verae ſapientiae medullam, entheos animi ſenſus, & profundam eruditionem, adprime in agenda vita vtilem, oculis habebit expoſitam, ad quam frigent, torpent, languent, vulgaris notae theologi, in quorum ſcriptis vix micam ſalis, aut bonae mentis reperias; ſed omnia rancida, inſulſa, putida ex locis ſuis communibus, tamquam penaria cella, depromta.* Sed eiusmodi iactantia veras etiam iuſtasque laudes ſuſpectas reddere ſolet. De methodo, quam Sociniani in ſcripturae ſactae explicatione obſeruent, generatim iam antea diximus. Nunc illud addendum, falli magnopere RICH. SIMONEM, quando Socinianis & proteſtantibus vnum idemque religionis principium tribuit, ſcilicet ſcripturam ſacram, quae non alibi, quam in veteri nouoque teſtamento quaerenda ſit, minime autem in patribus aut traditionibus; cumque nihilo ſecius in quaeſtionum, ad fundamentum fidei ſpectantium, deciſione, magnopere

pere iidem a ſe inuicem diſſentiant; inde concludit, principium, quo vtrique vtuntur, ad fidei controuerſias decidendas non ſufficere; ſed aliud, traditionem ſcilicet, cum romanenſibus adſumendum eſſe. Adſerit etiam, paucos theologorum proteſtantium Socinianorum obiectionibus ſatisfeciſſe, vtpote qui contendant; inter ſuam & romanenſium religionem non dari mediam; ſiquidem, qui ſcripturam & rationem ſequatur, non poſſit non ſuis partibus accedere: ad traditionem autem ſi quis ſe recipiat, eum ſtatim ad romanenſium caſtra deflectere; in *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. cap. XVI. p. 448. & 451.* Verum, quantumuis Sociniani, aeque ac nos, ad ſolam ſcripturam ſacram prouocent, eccleſiaeque deciſionibus & traditionibus in quaeſtionibus fidei locum non concedant; nos tamen & illos vnum idemque agnoſcere religionis principium, nullo modo dici poteſt. Longe aliam enim Sociniani ſequuntur methodum, ſcripturam ſacram interpretandi, quam nos. Illi enim ſcripturam ſacram ita interpretantur, vt in ea nihil admittant, quod ratio capere nequit; adeoque omnia myſteria explodunt; cum nos contra, ſcripturam ex ſcriptura interpretandam, doceamus, & principii loco ponamus analogiam fidei. Haec vero licet itidem ex ſcriptura ſacra deſumatur; non tamen ideo res in circulum redit, quod nonnulli nobis obiiciunt; cum haecce analogia fidei ex locis claris & perſpicuis, nihilque difficultatis habentibus, deſumatur, & deinde locis obſcurioribus illuſtrandis explicandisue inſeruiat. Rationis itaque vſum, qui praecipue in regularum hermeneuticarum legitima adplicatione conſiſtit, neutiquam contemnimus, ſed hactenus admittimus: at, rationem primum ac vnicum interpretandi ſcripturam principium eſſe, negamus. Sociniani contra, cum omnia ad rationis captum exigant, in longe alia abeunt, & non tantum in quaeſtionum, ad fundamentum fidei ſpectantium, deciſione; ſed & in ipſo principio religionis a nobis diſſentiunt. Nobis enim vnicum religionis principium eſt ſcriptura ſacra, ex ipſa ſcriptura recte explicata; Socinianis autem, ſi dicendum quod res eſt, non ſcriptura ſacra, ſed ſola ratio, aut ſcriptura ad ductum rationis non tam explicata, quam deprauata. Vt itaque libenter concedimus, principium iſtud Socinianorum ad decidendas fidei controuerſias non ſufficere; immo ad euertenda fidei dogmata vnice comparatum eſſe; ita de noſtro hoc adſeri nequit, quod eiusmodi eſt, vt nec eccleſiae deciſionibus, nec traditionibus, indigeamus. Abunde etiam a noſtratibus ſatisfactum Socinianis, non negabit, qui ſcripta, iis oppoſita, ſine partium ſtudio legerit. Hoc vero ſi RICH. SIMON ſibi perſuadere nequit, inde forte prouenit, quod propenſo nimis in Socinianos eſt animo, quem & alias haud obſcure prodit. Si denique Sociniani credunt, inter ſuam & romanenſium ſententiam, aut rationem etiam, ſcripturam ſacram interpretandi, non dari mediam, adeo, vt, qui cum ipſis non faciat, ei ad horum deflectendum ſit caſtra, vehementer errant, erratque cum iis RICH. SIMON, qui tamen hoc ex ſua potius, quam illorum, mente dicere videtur. Socinianis ſola ratio principium eſt, & religionis, & interpretandi ſcripturam ſacram; romanenſibus eccleſiae auctoritas atque traditio: nobis autem ſcriptura, quam ex ipſa ſcriptura ſacra rite interpretamur. Sed plura hac de re dixi, ſimulque SIMONIS iſta commenta profligaui, in *praefatione* SAL. GLASSII *philologiae ſacrae*, & quidem editioni, quae Lipſiae an. 1713. prodiit, praemiſſa.

Socinianis merito adhuc iungimus Arianae ſectae reſtauratorem CHRIST. SANDIVM, ob *interpretationes paradoxas quatuor euangeliorum*, Coſmopoli an. 1669 in 8. editas.

editas. Cur eas ita inſcripſerit, ipſemet in *praefatione* nos condocet. *Paradoxas*, inquit, *euangeliorum interpretationes tibi hoc opere exhibeo, quas tum ex patribus, recentioribusque, catbolico titulo gloriantibus, tum baereticorum ſententiis excerpſi: neque primus tale opus adgreſſus videri debeo. Idem fecit ſeculo proxime elapſo Sixtus Senenſis pontificius, & boc ſaeculo Dorſcbeus Lutberanus; quorum ille in bibliotbeca ſancta; bic in detectione malae fidei papalis: ille ex patrum potiſſimum, bic ex pontificiorum ſcriptis; ille paradoxas quaſcumque, bic Arianis tantum Socinianisue fauentes, in vnum collegit ſacrae ſcripturae explicationes.* Et ſunt ſane explicationes iſtae ex variis auctoribus, praecipue ex patribus, congeſtae; longe alium tamen in finem, quam FRANC. SIXTVS Senenſis, & IO. GE. DORSCHEVS, ad quos SANDIVS prouocat, eiusmodi quid fecerunt. Arianorum enim hac ratione poſtliminio reuocare commenta; & lectoribus propinare, voluit. Eum in finem (quod ſpeciminis loco eſſe poteſt) *Ioan. I. 1.* vocem λόγος ea ſignificatione accipiendam, contendit, qua eam intellexerint rabbini & philoſophi Platonici; ad *euangelium Ioannis p. 151.* Immo peculiarem περὶ τοῦ λόγου diſſertationem ſubiecit *p. 259. ſeqq.* in qua, quid PHILO Iudaeus & Platonici per λόγον intellexerint, explicare voluit. Addidit etiam *adpendicem interpretationum paradoxarum*, in qua loca quaedam ſcripturae ſacrae, ad cauſſam praecipue Arianorum ſpectantia, ſuo more explicat.

Ex iis, quae fuſe ſatis atque copioſe per integrum hocce caput diſſeruimus, hiſtoriam atque fata theologiae exegeticae intelligere licet. Cumprimis autem, quanto conatu, ſed & quam diuerſo ſucceſſu, poſt bonarum litterarum reſtitutionem, viri doctiſſimi in hacce theologiae parte, ornanda, illuſtranda, amplificanda, elaborauerint, omnibus inde palam erit. Neque tamen omnia diximus, quae dici poterant, aut debebant; praſertim quid recentior aetas, vt noua huic ſtudiorum generi incrementa daret, praeſtiterit. Hiſtoriam textus originalis ſummatim exhibuimus; verſiones maxime memorabiles indicauimus; commentatores praecipuos ita enarrauimus, vt, quantum ex iis aut commodi, aut incommodi, ad ipſam theologiam exegeticam redundauerit, non diſſimularemus. Praeter eos vero, qui ſcripturam ſacram, aut ſingulos eius libros, commentariis ſuis illuſtrarunt, alii adhuc ſuperſunt, & quidem quamplurimi, qui alia quadam ratione ad ſacrarum litterarum intelligentiam aliquid contulerunt. Nihil nunc de iis dicam, qui de geographia ſacra, chronologia ſacra, phyſica ſacra, rebusque aliis, quarum in ſcriptura ſacra mentio iniicitur, commentati ſunt. Multo minus eos, qui grammaticas aut lexica, ſacrarum litterarum ſtudio inſeruitura, condiderunt, commemorabo. De hisce enim omnibus iam quaedam in medium prolata ſunt, cum de *propaedeumatibus* verba faceremus; ſaltem fontes ibi indicati, ex quibus vberior eiusmodi ſcriptorum, ingens illis praeſidium, qui ſe in hocce dare ſtudiorum genus cupiunt, adferentium notitia hauriri poteſt. Omnium quoque inſtar, ſi quis ſolum nomina eiusmodi auctorum quaerat, eſſe poteſt IAC. LE LONG, *bibliotb. ſacr. tom. II. part. II. artic. IX. p. 1045. ſeqq.* At triplex adhuc ſupereſt ſcriptorum genus, de quibus adhuc aliquid dicendum eſt, ne noſtrae quidquam tractationi deſit, immo vt hiſtoria theologiae exegeticae ſibi conſtet, ſimulque innoteſcat, quantum hic virorum doctorum induſtriae debeamus; primum eorum, qui oracula quaedam, aut dicta ſcripturae ſacrae, ſpeciatim ſibi illuſtranda ſumſerunt; alterum eorum, qui ea, quae in ſcriptura ſacra inter ſe pugnare videntur, conciliare, atque in concordiam redigere adgreſſi ſunt; tertium eorum, qui eius-

eiusmodi indices ſcripturae ſacrae, quos *concordantias* vocamus, condiderunt.

Ad eos itaque quod attinet, qui non integros ſcripturae ſacrae libros, ſed dicta ſolum quaedam illuſtrarunt; tantus illorum eſt numerus, vt omnes recenſere tam difficile foret, quam illud eſt ſuperuacaneum; praeſertim ſi & illi intelligantur, qui in vnum aliquod dictum, aut oraculum, peculiarem aut diſſertationem, aut commentationem ediderunt. Commendandus interim illorum labor eſt, qui eiusmodi diſſertationum aut commentationum, ſecundum ordinem librorum biblicorum, indices dederunt; quorſum IO. GE. DORSCHEI *biblia numerata*, ſimiliaque aliorum ſcripta, ſpectant, quae ſupra iam indicauimus, cum de DORSCHEO verba faceremus. Nobis illi nunc in cenſum veniunt, qui aut ſuas de variis dictis ſcripturae obſeruationes commentationesue ipſimet iunctim ediderunt, aut ab aliis conſcriptas collegerunt, & ita, in lucem publicam eas emittendo, ab interitu vindicarunt. Prioris generis ſunt SEB. SCHMIDII *collegium biblicum prius & poſterius*, CAMPEGII VITRINGAE *ſacrarum obſeruationum libri ſex*, HERM. WITSII *miſcellanea ſacra*, IO. BRAVNII *ſelecta ſacra*, & quae alia ſunt eiusdem generis, a nobis iam commemorata, cum de ipſis auctoribus, eorumque in theologiam exegeticam meritis, loqueremur. Sunt autem longe plura, quae iis adhuc addi poſſunt, vt ALOYSII NOVARINI *electa ſacra, in quibus, qua ex latino, graeco, ebraico, & chaldaico fonte, qua ex antiquis Ebraeorum, Perſarum, Graecorum, Romanorum, aliarumque gentium ritibus quaedam diuinae ſcripturae loca nauiter explicantur, & illuſtrantur*; MARTINI DE ROA *ſingularia locorum & rerum ſcripturae ſacrae*; THOM. GATAKERI *cinnus, ſiue aduerſaria miſcellanea*; IO. DOVGHTRII *analecta ſacra veteris & noui teſtamenti*; quae cum NORTONI KNATCHBVLLI *animaduerſionibus in libros noui teſtamenti* recuſa ſunt Amſtelodami 1694, 8. GVIL. SALDENI *otia theologica, ſiue exercitationum ſubciſiuarum varii argumenti libri quatuor*, IO. MARCKII *exercitationes iuueniles, ſiue ſelectarum diſputationum textualium, atque orationum, in academia Franecquerana olim habitarum, faſciculus*; eiusdem *exegeticae exercitationes ad quinquaginta ſelecta loca veteris & noui teſtamenti, in quibus argumenta quaedam praecipua de diluuii vniuerſalis modo, tranſitu Iſraelitarum per mare miraculoſo, teraphim, propinquitate iudicii tempore apoſtolorum, dominio angelorum & hominum in eccleſiam veteris teſtamenti &c. paullo plenius exponuntur, & quorumdam textuum analyſes exegeticae miſcentur*; item *exercitationes biblicae, in quibus argumenta quaedam praecipua, de ordine natiuitatis filiorum Noachi anno natiuitatis Abrahami &c. exponuntur*; porro *exercitationes ſcripturariae ad quinque & viginti ſelecta loca veteris teſtamenti, in quibus argumenta quaedam praecipua, de Chami culpa, & Canaanis maledictione, Eſaui ſeruitute ſub Iacobo &c. plenius exponuntur*; CORN. ADAMI *obſeruationes theologico philologicae*, item *exercitationes exegeticae de Iſraelis in Aegypto multiplicatione & oppreſſione; natiuitate & inſtitutione Moſis in ſapientia Aegyptiorum &c. veſperae Groeninganae*, (quarum auctor IAC. GOVSSETIVS eſſe dicitur) *ſiue amica de rebus ſacris collatio, vbi varia ſcripturae loca ſelecta, difficilia, ac magni momenti, adcurate tractantur, & egregie explanantur*; IO. FRID. HOMBERGK ZV VACH *parerga ſacra, ſeu obſeruationes quaedam ad nouum teſtamentum domini noſtri Ieſu Chriſti*; LAMB. BOS *exercitationes philologicae in nouum foedus*; itemque *obſeruationes miſcellaneae in loca quaedam noui teſtamenti*, cum HORATII VITRINGAE *animaduerſionibus ad Io. Vorſtii philologiam ſacram*; porro,

porro, ſi, quae a noſtratibus profecta ſunt, ſpectes, IO. HENR. VRSINI *analecta ſacra*, & alia, IO. MICH. DILHERRI *diſputationes academicae, praecipue philologicae*, iunctim duobus tomis in 4. editae; THEODORICI HACKSPANII *miſcellaneorum ſacrorum libri duo*; item *ſylloge diſputationum philologicarum & theologicarum*; AVG. PFEIFFERI *dubia vexata ſcripturae ſacrae, ſiue loca difficiliora veteris teſtamenti, circa quae auctores diſſident vel haerent &c. ſuccincte deciſa &c.* IO. SAVBERTI *opera poſthuma*, quippe in quibus tum *ſelectiorum ſcripturae ſacrae dictorum ſolida & adcurata explicatio*; tum *de ſacerdotibus & ſacris Ebraeorum perſonis commentarius ſingularis*, continentur; IO. BENED. CARPZOVII *diſputationes academicae, philologicae, exegeticae, polemicae, in vnum volumen collectae*, & cum *praefatione* SAM. BENED. CARPZOVII editae; SAL. DEYLINGII *obſeruationum ſacrarum partes tres*; GOTTFRIDI OLEARII *obſeruationes ſacrae in euangelium Matthaei*; IO. HENR. MAII, filii, *obſeruationes ſacrae, quibus diuerſa vtriusque teſtamenti loca ex linguarum indole & antiquitatibus potiſſimum illuſtrantur*; ALB. SCHVLTENS *animaduerſiones philologicae & criticae ad varia loca veteris teſtamenti*; IAC. ELSNERI *obſeruationes ſacrae, in noui foederis libros, quibus plura illorum librorum loca ex auctoribus potiſſimum graecis & antiquitate exponuntur & illuſtrantur.* Sed mitto reliqua; tantus enim eſt eiusmodi librorum numerus, vt omnes enumerare, longum nimis foret. Iis, quos laudauimus, qui vtique pauciſſimi ſunt, longe plures addi poſſunt, ex iis, quos IAC. LE LONG, qui copioſiſſimum eorum indicem exhibet *biblioth. ſacr. tom. II. part. II. c. II. p. 1074. ſeqq.* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſ. illuſtrata, part. I. lib. I.* ad *§. XV. p. 181. ſeqq.* itemque IOACH. LANGIVS in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis, ſect. V. c. VIII. §. VII, ſeqq. p. 558. ſeqq.* commemorant. Inter recentiſſimos, qui hoc ſcribendi genus ſequuti ſunt, referendus etiam celeberrimus Helmſtadienſium theologus IOAN. LAVR. MOSHEMIVS, cuius *cogitationum in noui federis locos ſelectiores liber primus* lucem adſpexit Hannouerae an. 1726, in 8. In eadem quoque academia Helmſtadienſi IO. GOTHOFR. LAKEMACHERVS *obſeruationes philologicas, quibus varia antiquitatis ebraicae atque graecae capita, & nonnulla ſacri codicis loca noua luce colluſtrantur*, in lucem emiſit Helmſtadii an. 1725, 8. Nec praetermittendus hic PETR. ZORNIVS, vir doctiſſimus, quippe a quo profecta eſt *bibliotheca antiquaria & exegetica in vniuerſam ſcripturam ſacram veteris & noui teſtamenti, omnium adhuc locupletiſſima, nec in lucem hac ratione edita, nec viſa vmquam; doctiſſimi rariſſimique ex Hiſpanis, Italis, Gallis, Anglis, Belgis, Germanis, &c. antiquariis, quatenus theologorum vſui, & ſacri codicis lectioni inſeruiunt, optima fide recenſentur, emendantur, & variis auctoris obſeruationibus adaugentur.* Prodiit hucusque ſolum, quantum quidem mihi conſtat, tomus primus, duodecim conſtans partibus, Francofurti & Lipſiae an. 1724, in 8. Ex praeſtantiſſimis nimirum, & non vbiuis obuiis, antiquitatum ſcriptoribus, auctor ea excerpit, quae variis ſcripturae ſacrae locis illuſtrandis inſeruiunt. Idem etiam vir clariſſimus, ſub nomine THEOPH. AMELII latitare dicitur, qui lingua germanica edidit: *Eroerterung der dunckelſten und ſchwereſten Schrifft-Stellen im neuen Teſtament*, quod opus ab an. 1711 Coloniae, vt inſcriptio prae ſe fert, reuera autem Hamburgi, per partes edi coepit in 8. eidemque CHRIST. GABR. FISCHERVS *examen noui laboris menſtrui* oppoſuit Lipſiae an. 1712, in 4. Simile eſt inſtitutum THEOPH. ALETHAEI, vt alius vir doctus vocari voluit, in *der gründlichen Erleu-*

Erleuterung der dunckelſten Oerter und Steine des Anſtoſſens altes und neues Teſtaments; cui commentationi cum etiam adiunxerit *einen ausführlichen Bericht von denen commentariis und Auslegern der heiligen Schrifft*, iam ſupra eius facta eſt mentio. Primus autem, qui ſub THEOPH. ALETHAEI nomine huncce laborem inchoauit, LAVR. MVLLERVS, diaconus Suhlenſis, fuit, qui & in eo vsque ad *partem XXXVII*, ſeu *tomum quartum* progreſſus eſt, quem deinceps IER. FRIDERICI, cum MVLLERVS mortalium rebus ereptus eſſet, continuauit. Huius vero etiam loci ſunt, qui dum dicta quaedam ſcripturae ſacrae a diſſentientium corruptelis, & prauis interpretationibus, vindicant, ea ſimul ſolide vtplurimum explicant; quod IO. HVLSEMANNVM, in *vindiciis ſcripturae ſacrae* &c. quae in *operibus* eius poſthumis a IOAN. ADAMO SCHERZERO, Lipſiae an. 1679, in 4. euulgatis, exhibentur, GE. KOENIGIVM, *in vindiciis ſacris*, Norimbergae 1651, in 4. quae editio priori, quae Altdorffi an. 1628 lucem adſpexit, eſt locupletior; & noſtra aetate IO. GVIL. BAIERVM, theologum Altdorffenſem celeberrimum, in *analyſi & vindicatione illuſtrium ſcripturae ſacrae dictorum*, Altdorffi 1719, in 4. ex reformatae autem eccleſiae doctoribus FRID. SPANHEMIVM, in *euangelicarum vindiciarum, ſeu locorum illuſtrium ex euangeliis, ac praecipue illo Matthaei, a falſis τῶν ἀντιλεγόντων quorumuis interpretamentis, exceptionibus, inſtantiis, vindicatorum, varieque illuſtratorum, libris tribus*, qui *tomo III.* operum eius, iunctim editorum, exſtant, *p. 1. ſeqq.* aliosque feciſſe, conſtat. De ANDR. BRVCKNERI *vindiciis biblicis* deinceps dicemus, cum de ſcriptoribus harmonicis nobis verba facienda erunt. Atque haec de illis, qui ſuas ipſimet obſeruationes, aut diſſertationes ediderunt, ſufficiant. Dici nunc & de illis adhuc potuiſſet, qui non quidem ex inſtituto, ſed aliud velut agendo, egregie tamen ſcripturae ſacrae dicta quaedam explicant, & ex antiquitate illuſtrant, vt ISAACO CASAVBONO, in *exercitationibus aduerſus Baronium*, SAMVELE BASNAGIO FLOTTEMANVILLAEO, itidem in *exercitationibus hiſtorico-criticis*, quas Baronio maxime oppoſuit, STEPH. LE MOYNE, in *notis ad varia ſacra*, aliisque; ſed pergendum nobis eſt ad alteram ſcriptorum claſſem, de qua nos acturos antea ſignificauimus.

Non minus enim & illorum laudandum eſt inſtitutum, qui aliorum diſſertationes, commentationesue, quibus variis ſcripturae locis lux adfunditur, colligunt, atque in vnum velut corpus coire iubent, vt eo facilius ab interitu vindicentur, & ad poſteros propagentur. In *bibliis iſtis criticis*, de quibus ſupra copioſe diximus, praeſertim vero *quatuor* vltimis eorum *tomis*, ſecundum editionem Francofurtenſem, plurimos iſtius generis tractatus, & commentationes, contineri, conſtat. Deinde & THOM. CRENIVS in eiusmodi ſcriptis colligendis & edendis ſtudium & diligentiam ſingularem demonſtrauit. *Exercitationum* namque *philologico - hiſtoricarum faſces quinque* dedit, quorum *primus* Lugduni Batauorum an. 1697 *quartus* & *quintus* an. 1700, in 8. prodierunt. Singulis *faſcibus praefationem* praemiſit, & notas ſubinde, multiplicem viri lectionem oſtendentes, adſperſit. Diuerſi ab hisce *faſcibus* ſunt *faſciculi decem opuſculorum, quae ad hiſtoriam & philologiam ſacram ſpectant*, quiue Roterodami an. 1693, & ſeqq. vsque ad annum 1700 prodierunt. Fama equidem tulit, & huius collectionis auctorem eſſe THOM. CRENIVM. Sed praeterquam, quod nomen eius hic nusquam compareat, hoc falſum eſſe, aliunde quoque conſtat. Selectus equidem in hisce *faſciculis* tanto ſtudio adhibitus non eſt, quanto id factum in *faſcibus* THOM. CRENII; quaedam tamen, quae in iis exhibentur, docto-

rum virorum monumenta, non indigna fuerunt, quae hac ratione obliuioni eriperentur. Ipſe rurſus THOM. CRENIVS *theſaurum librorum philologicorum & hiſtoricorum* in lucem emiſit, duobus voluminibus in 8. quorum prius an. 1700, poſterius an. 1701 vtrumque Lugduni Batauorum, prodiit. Quae in iis exhibentur, BONAVENTVRAE CORNELII BERTRAMI *lucubrationes Franktallenſes*, THEOD. HACKSPANII *interpres errabundus*, & reliqua, prorſus ad noſtrum inſtitutum ſpectant. Eiusdem porro auctoris proſtant *analecta critico-hiſtorica*, Amſtelodami an. 1699, in 8. edita, in quibus etſi non eiusmodi commentationes inueniuntur, quae locis quibusdam ſcripturae illuſtrandis deſtinatae ſint; philologiae tamen ſacrae ſtudio inſeruiunt THOM. HAYNE *diſſertatio de linguarum cognatione, ſeu de variarum linguarum harmonia*; MERICI CASAVBONI *de verborum vſu diatribe*, CHRISTOPH. CRINESII *de confuſione linguarum diſputatio*, & alia. Quae autem idem vir doctus in *muſeo philologico & hiſtorico* iterum in ſcenam produxit, ab hocce loco remotiora ſunt. Non tantum autem, aliena ſcripta colligendo, harum litterarum cultoribus prodeſſe voluiſſe CRENIVM; ſed ex ſuo quaedam depromendo ingenio, *exercitia* eius *ſacra, priora quaedam Moſis tractantia*, Lipſiae an. 1704, in 8. edita, teſtantur. Sed vt ad reliquos pergamus, qui in eiusmodi ſcriptis colligendis ſtudium operamque poſuerunt; commemorandus nunc etiam nobis eſt GODEFR. MENTHENIVS, vtpote qui *theſaurum philologico-theologicum, ſeu ſyllogen diſſertationum elegantiorum ad ſelectiora & illuſtriora veteris & noui teſtamenti loca a theologis proteſtantibus in Germania ſeparatim diuerſis temporibus conſcriptarum*, orbi erudito obtulit Amſtelodami 1701, & 1702, in fol. Locum quoque hic inueniret *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica* Bremenſis, in qua haud paucae doctorum virorum in dicta quaedam ſcripturae ſacrae obſeruationes ſiſtuntur, niſi de ea iam ſupra dictum eſſet, cum reformatae eccleſiae doctorum in theologiam exegeticam merita exponeremus. Sed & IO. ALB. FABRICII, viri ſummi, collectionem, qua LAVR. RAMIRESII DE PRADO *pentecontarchum*, ALEX. MORI in *nouum foedus notas*, & PETR. POSSINI *ſpicilegium euangelicum*, complexus eſt, ſupra iam laudauimus. Germanica denique lingua eiusmodi in loca varia ſcripturae ſacrae obſeruationes exhibentur in opere, quod per partes Berolini an. 1715 edi coepit, & hucusque continuatum eſt, adeo vt *partes* eius *quadraginta* prodierint, quodue *freywilliges Hebopffer* inſcribitur.

Sequuntur nunc inter illos, de quibus ſecundum tractationis noſtrae, quam antea conſtituimus, legem, nobis dicendum eſt, illi, qui ea, quae in ſcriptura ſacra inter ſe pugnare videntur, conciliare, & in concordiam redigere, adgreſſi ſunt. Etſi enim nonnullos eorum cum occaſio ſe offerret, & inſtituti noſtri ratio hoc requirere videretur, iam commemorauimus; res tamen tanti in theologia exegetica momenti eſt, vt nimis incurii atque negligentes merito videri poſſemus, niſi & reliqua, quae de eadem monenda ſunt, adderemus. Cauſſam praecipuam, cur in ſcriptura quaedam occurrant, quae inter ſe pugnare videntur, in hominum ignorantia & imbecillitate quaerendam eſſe, nemo, qui paullo adcuratius cuncta ponderauerit, dubitabit. Omnia enim ſi nobis ſatis cognita atque perſpecta eſſent; nullam vſpiam pugnam, nullam deprehenſuri eſſemus contradictionem. Accedit tamen, quod ea, quae in ſcriptura ſacra narrantur, tempore, a noſtro longe remotiſſimo, contigerint, quodue ſaepiſſime de gentibus, quarum longe alia fuit viuendi ratio, alii mores, aliae de rebus variis opiniones, alia inſtituta, quam apud nos obtinent, loquatur; vnde non

poſſunt

non multa nobis obſcura, aut omnino ſecum pugnantia, videri, quae plana, perſpicua, euidentia forent, ſi aut eodem tempore vixiſſemus, aut ſcriptura de rebus nobis magis perſpectis & exploratis, loqueretur. Qui autem, vt hinc ſe expediant, & pugnam omnem & contradictionem tollant, textum originalem ſcripturae ſacrae corruptum ac deprauatum eſſe, clamitant, aut, verſionem quamdam ei praeferendam, contendunt; nihil aliud agunt, quam vt in Scyllam incidant, dum euitare volunt Charybdim. Rectiorem tutioremque viam ingreſſi ſunt alii, dum de certis regulis fuere ſolliciti, ſecundum quas conciliatio locorum, quae inter ſe pugnare videntur, inſtitui poſſit, vt ſalua & illibata maneat ſacri textus integritas. Quorum etiam eo vehementius commendandus eſt labor, quo maior omni tempore eiusmodi hominum exſtitit numerus, qui, pugnas & contradictiones ſcripturae ſacrae exprobrando, diuinam eius euertere ac labefactare auctoritatem, ſuarum duxerunt eſſe partium. PORPHYRIVM, CELSVM, IVLIANVM, aliosque gentilium philoſophorum, qui ſe iuratos chriſtianorum profitebantur hoſtes, id egiſſe, ſimulque eam ob cauſſam veteris eccleſiae doctores, vt de harmonia ſcripturae ſacrae, praeſertim quatuor euangeliſtarum, demonſtranda, eſſent ſolliciti, inductos fuiſſe, ſupra iam obſeruauimus. Haeretici quidam veteres eamdem cum gentilium philoſophis inflarunt tibiam; quamquam nonnulli peculiari quadam, vt hoc facerent, impulſi ſint ratione. Marcionitae enim, Manichaei, atque alii, qui duplex aliquod principium adſerebant, dum verus teſtamentum, ſeu Moſen, & prophetas, a principio malo, nouum autem, ſeu euangeliſtas, & apoſtolos, a principio bono deriuabant; non poterant non nouum teſtamentum cum veteri committere; adeoque omnes ingenii vires intendebant, vt ex nouo teſtamento colligerent, quae veteri repugnare videbantur. Ex horum numero ADIMANTVS fuit, homo Manichaeus, cui peculiarem librum AVGVSTINVS oppoſuit, qui *operum* eius *tomo VIII. p. 82. ſeqq.* exſtat, in quo conciliantur inter ſe ſcripturarum ſententiae, quas de teſtamento veteri & nouo, velut inuicem contrarias, ADIMANTVS, vtrumque teſtamentum ab vno eodemque Deo eſſe non poſſe, contendens, corraſerat. Comparati huc quoque ſunt eiusdem AVGVSTINI *contra aduerſarium legis & prophetarum libri duo*, qui ibidem exhibentur, *p. 389. ſeqq.* Recentiori aetate inter pontificios, Socinianos, fanaticos, nonnullos fuiſſe, qui non adeo praeclare de ſcriptura ſacra ſentirent, notum eſt. Hi vero, dum talia adſerebant, quibuscum θεοπνευστία ſcripturae ſacrae conſiſtere nequit; ſi contradictiones apertas in ſcriptura non ſtatuerunt, certe haud difficulter eas admittere potuerunt; ſaltem nullam, cur admitti non poſſent, habuerunt cauſſam. Vnica enim, cur nullae pugnae, nullae contradictiones, in ſacris litteris admitti queant, haec eſt, quod ab auctoribus, a Deo inſpiratis, ſint profectae. Repetenda hic, quae de RICH. SIMONE, aliisque, ſupra ex inſtituto diſputauimus. Omnium tandem impudentiam & impietatem ſuperarunt BENEDICTVS DE SPINOZA, THOMAS HOBBESIVS, ISAACVS PEIRERIVS, ceterique ex profana atheorum cohorte, quos, dum, quidquid habuerunt virium, eo contulerunt, vt diuinam ſcripturae ſacrae imminuerent ac labefactarent auctoritatem, pugnas quoque ac contradictiones eidem obieciſſe, certe quod in ea tales inuenerint, ſibi perſuaſiſſe, monere, neceſſe non eſt. Grauiſſimas itaque omni tempore verae eccleſiae doctores habuerunt rationes, vt, ad iſtos profanorum hominum inſultus repellendos, harmoniam ſcripturae ſacrae conſtantem, perpetuumque & pulcherrimum conſenſum, oſtenderent ac

demonſtrarent. Idque ſane factum eſt a quam plurimis, quos IOACH. LANGIVS, in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis ſect. V. cap. VIII. §. XIII. ſeqq. p. 565. ſeqq.* CHRISTOPH. MATT. PFAFFIVS, in *introductione in hiſtoriam theologiae litterariam, notis ampliſſimis illuſtrata, part. I. lib. I.* ad *§. X. p. 137. ſeqq.* IAC. LE LONG, *bibliothecae ſacrae tom. II. part. II. c. II. p. 1076. ſeqq.* aliique, laudarunt. Omnium autem diligentiam ſuperauit NIC. ALARDVS, in *bibliotheca harmonico-biblica, quae praeter hiſtoriam harmonicam, tradit notitiam ſcriptorum harmonicorum, cuiuſcumque aetatis & religionis &c.* Hamburgi edita an. 1725, in 8. In ea auctor doctiſſimus non tantum notitiam ſcriptorum harmonicorum ſuppeditat; ſed & *ſect. I. c. II. ſeqq.* de origine & cauſſis antilogiarum, de auctoribus, qui ſcripturae ſacrae antilogias, ſeu contradictiones obiecerunt, de remediis, tum ſpuriis, tum genuinis, ſimilibusque, erudite differit. Nobis id ſolum relictum eſt, vt de praecipuis quibusdam ſcriptoribus harmonicis aliquid moneamus.

Atque initio quidem nonnulli ex ipſis quoque Iudaeis hic in cenſum veniunt. Sunt enim ex iis, qui in commentariis ſuis id diligenter agunt, vt, quae in veteri teſtamento occurrunt, contradictiones apparentes, ſoluant. Quo nomine R. DAV. KIMCHI, R. SAL. IARCHI, R. SAMVEL LANIADO, & MOSES BAR NACHMAN, maxime laudantur. Ideoque ad huncce, praeter alia, vſum eiusmodi ſcriptores legendos, cenſet AVG. PFEIFFERVS, in *hermeneutica ſacra c. XIV. §. XIII. p. 190.* Sed omnibus citra controuerſiam dubiam hic reddidit palmam MENASSE BEN ISRAEL, inter cuius ſcripta eminet eius *conciliator, ſiue de conuenientia locorum ſacrae ſcripturae, quae pugnare inter ſe videntur*; de quo tamen opere quoniam ſupra iam, cum & reliqua Iudaei huius ſcripta recenſeremus, dictum eſt, nihil nunc addimus. Ex patribus, mediique aeui ſcriptoribus, itidem praecipuos quosdam praeſertim eos, qui quatuor euangeliſtarum harmonias condiderunt, commemorauimus, cum generatim eorum in theologiam exegeticam merita laudaremus; reliquos, qui a nobis praetermiſſi ſunt, condiſcere licebit ex NIC. ALARDI *bibliotheca harmonico-biblica, ſect. II. c. III. p. 44. ſeqq.* Idem etiam vir doctus *cap. IV. p. 51. ſeqq.* eos enarrat, qui ex pontificiis hoc labore perfuncti ſunt; ex quibus tamen pauci obſeruatu digni, vt MART. BECANVS, in *analogia veteris nouique teſtamenti*, Pariſiis an. 1620, 8. alibique edita; DOMINICVS MACER, ſeu, vt alii vocant, MACRINVS, in *contradictionibus apparentibus & conciliationibus ſacrae ſcripturae*, ſaepe ſeorſim, & etiam cum eiusdem, vt & fratris eius, *hierolexico*, Romae an. 1677, in fol. & iterum ſeorſim cum acceſſionibus, opera & ſtudio IAC. LE FEVRE, Pariſiis an. 1683, & 85, in 12. editis; & IO. PONTASIVS, in *ſcriptura ſacra ſemper ſibi conſtante, ſeu difficilioribus ſacrae ſcripturae locis, in ſpeciem ſecum pugnantibus, iuxta ſanctorum patrum, celeberrimorumque theologorum, ſententiam conciliatis*, cuius operis *tomus I.* qui pentateuchum complectitur, Pariſiis an. 1698, 4. euulgatus, recenſetur in *actis eruditorum Lipſienſibus, an. 1700 menſe Ianuario p. 18. ſeqq.* Ex reformatae eccleſiae theologis maxime celebrantur NICOL. ARNOLDVS, cuius *lux in tenebris, ſeu breuis & ſuccincta vindicatio, ſimul & conciliatio locorum veteris & noui teſtamenti*, Franecquerae an. 1662 in 4. prodiit, & deinde non ſemel recuſa eſt; HVGO BROVGHTONVS, cuius *concentus ſcripturae ſacrae*, anglice ſcriptus, ſed in linguam latinam translatus, cum *chronico* BEROALDI, Hanouiae an. 1602 in 4. & alias quoque excuſus eſt; & FRANC. RIDDERVS, qui belgica lingua edidit *Schrifft-Licht vber ſchein-*

Digitized by Google

ſchein-ſtreitende, dunckele und misdeutige Texte der heiligen Schrifft, Roterodami an. 1675. ſeqq. in 4. IO. SCHARPIVS, Scotus, cuius *ſymphonia prophetarum & apoſtolorum, in qua, ordine temporum ſeruato, ſacrae ſcripturae ad ſpeciem pugnantes conciliantur, nec non ad quaeſtiones chronologicas, aliasque veteris teſtamenti, reſpondetur*, lucem adſpexit Geneuae an. 1625. 4. IO. LIGHTFOOTI, *chronica temporum*, & *ordinem textuum veteris* vt & *noui teſtamenti*, item *harmoniam quatuor euangeliſtarum*, aeque ac GVIL. SVRENHVSII ספר המשוה, ſiue βίβλον καταλλαγῆς, *in quo ſecundum veterum theologorum formulas allegandi, & modos interpretandi, conciliantur loca ex veteri in nouo teſtamento allegata*, ſupra iam, cum alia hoc poſtularet occaſio, laudauimus. Nimirum & illi hic in cenſum veniunt, qui dicta veteris teſtamenti, quae in nouo allegantur, ita conſiderant, vt diſſenſum, qui interdum hic ſe offerre videtur, tollant. Hinc & FRANC. IVNII, itemque IO. DRVSII *parallela ſacra* commemoranda eſſent, niſi vtrorumque itidem iam ſupra facta eſſet mentio. Ad noſtrates denique quod attinet, commendari prae reliquis ſolent ANDR. ALTHAMMERI *conciliationes locorum ſcripturae ſpecietenus inter ſe pugnantium*, Norimbergae an. 1528 editae, & ſaepius recuſae; CHRIST. MATTHIAE *antilogiae biblicae, ſeu conciliationes dictorum ſcripturae ſacrae in ſpeciem inter ſe pugnantium, ſecundum ſeriem locorum theologicorum &c.* a IOAN. SCHELHAMMERO euulgatae, Hamburgi an. 1700. 4. & denique MICH. WALTHERI *harmonia biblica, ſiue breuis & plana conciliatio locorum veteris & noui teſtamenti, apparenter ſibi contradicentium*; cuius vltima editio, quae Norimbergae an. 1696 fol. lucem adſpexit, prioribus, ſi inſcriptioni fides habenda, locupletior eſt & emendatior. Diligentia equidem WALTHERVS omnes ſuperat; ſed eum numerum locorum, pugnantium inter ſe, praeter neceſſitatem multiplicare, & pugnam ſtatuere apparentem, vbi nullum eius veſtigium deprehenditur, viris doctis obſeruatum eſt. Id quod & de aliis quibusdam eius generis ſcriptoribus obſeruandum. Ad ſcriptores harmonicos referri etiam poteſt IACOB. DORNKRELLIVS AB EBERHERTZ, ob *biblia hiſtorico harmonica, ſeu vniuerſae ſcripturae tam veteris quam noui teſtamenti ſeriem & ordinem conſenſum & concordiam*; quam vna cum filiis HENR. GEORGIO, & CHRIST. LVDOVICO compoſuit, tandemque in lucem emiſit Luneburgi an. 1683 ad 86, in fol. Nimirum totam ſcripturam ſacram, ordine chronologico diſpoſitam, exhibet, vt ſtatim, quo tempore quidlibet aut dictum aut ſcriptum ſit, adpareat. Quod quidem inſtitutum, vt vſu ſuo non caret; eoque etiam comparatum eſt, vt harmonia & conſenſus ſcripturae ſacrae eo facilius perſpiciatur; ita non defuerunt, qui breuiori via ad eumdem progreſſi ſunt ſcopum. PHIL. HENR. FRIEDLIEBII *theologia exegetica, ſeu obſeruationes in vetus ac nouum teſtamentum*, quae tum alias, tum & Francofurti an. 1660 duobus voluminibus in fol. prodiit, hoc nomine quibusdam in pretio eſt, quod in conciliandis inter ſe, quae pugnare videntur, magnam adhibeat diligentiam. Idem & de ANDR. PRVCKNERI *vindiciis biblicis, ſeu commentario philologico-theologico in omnes veteris ac noui teſtamenti libros, in quinque partes diſtributo &c.* Francofurti an. 1663 fol. duobus tomis edito, cenſendum. Iis autem, qui de dictorum veteris teſtamenti in nouo allegatione egerunt, quos huius itidem loci eſſe antea diximus, ex noſtratibus addendus ANDR. KESLERVS, cuius *de dictorum veteris teſtamenti allegatione in nouo diſſertatio theologica*, recuſa proſtat in IAC. RHENFERDII *ſyntagmate diſſertationum philologico-theologicarum de ſtilo noui teſtamenti p. 543. ſeqq.*

Atque hi quidem, quos hucusque commemorauimus, ſcriptores harmonici, aut generatim ad ſcripturam ſacram, aut ſpeciatim ad vetus teſtamentum ſpectant. Ad nouum teſtamentum quod attinet, illi ſe nobis offerunt, qui quatuor euangeliſtarum harmoniam condiderunt, quorum notitiam ſuppeditant IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. tom. I. cap.* ſeu *artic. IX. p. 448. ſeqq.* ſecundum editionem Pariſienſem recentiorem, aut ſecundum Lipſienſem *cap. XIV. p. 376. ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. c. V. §. XX. p. 212. ſeqq.* GEO. SERPILIVS, in *praefatione*, quam ABR. COVETI DV VIVIER *hiſtoriae euangelicae*, *ordine naturali digeſtae*, *ſiue nouae harmoniae quatuor euangeliſtarum*, ab HECTORE MAXIMILIANO DE GEYERSBERG & OSTERBVRG, ſacri romani imperii comite, ex lingua gallicana in germanicam conuerſae, & Ratisbonae an. 1711, in 4. editae, praemiſit; IO. MICH. LANGIVS, in *diſſertatione prooemiali de potioribus harmoniarum euangelicarum ſcriptoribus*, editioni *harmoniae euangelicae* IO. CLERICI, quae Altdorffii an. 1700, 4. prodiit, praefixa; IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *Sagittarianae introductionis in hiſt. eccleſiaſt. tom. II. ſect. I. p. 3. ſeqq.* IO. GE. PRITIVS, in *introduct. in lectionem noui teſtam. c. XV. p. 136. ſeqq.* IOACH. LANGIVS, in *inſtitut. ſtudii theologici litterariis, ſect. V. c. VI. §. VII. ſeqq. p. 488. ſeqq.* THOM. ITTIGIVS, in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſ. primi a Chriſto nato ſaeculi, c. VII. ſect. I. §. XXXVIII. p. 379. ſeqq.* CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſt. theologiae litterariam notis ampliſſ. illuſtrata, part. I. lib. I.* ad *§. X. p. 137. ſeqq.* NIC. ALARDVS, in *bibliotheca harmonico-biblica*, *ſect. III. c. II. p. 71. ſeqq.* De veteribus, qui quatuor euangeliſtas in harmoniam redegerunt, certe praecipuis, immo & de quibusdam recentioribus, ſuo iam loco diximus. Superſunt tamen nonnulli obſeruatu digni, quos nondum commemorauimus, & de quibus pauca quaedam addere, operae pretium fuerit. Inter pontificios in hocce ſcriptorum genere haud vltimum locum tenet CORN. IANSENIVS vterque, Gandauenſis & Yprenſis epiſcopus; ſed eos iam ſupra laudauimus. De NIC. TOINARDO itidem iam diximus, cum de IO. CLERICI *harmonia* loqueremur. Reliquis dubiam facere palmam videtur BERNARDVS LAMY, cuius, ob varia ingenii monumenta, haud ignotum eruditis nomen eſt. Initio is *harmoniam* quamdam, ſeu *concordiam quatuor euangeliſtarum*, in lucem emiſit, Pariſiis an. 1689, 12. Tum vero ſcripta quaedam, ad quaeſtionem de vltimo, quod Chriſtus ante mortem ſuam celebrauit, paſchate, ſpectantia, an. 1692, ſeqq. edidit. Cuius controuerſiae hiſtoriam apud LVD. ELL. DV PIN, in *bibliotheca noua ſcriptorum eccleſiaſt. tom. XIX. p. 118. ſeqq.* legiſſe, poenitebit neminem. Tandem *commentarius* eius *in concordiam euangelicam*, *cum adparatu chronologico & geographico*, prodiit Pariſiis an. 1699 in 4. Harmoniam nimirum non ſolum exhibet, ſed eamdem etiam commentariis, quos ſingulis capitibus ſubiunxit, illuſtrauit, quibus interdum adnotationes, ac diſſertationes paullo fuſiores, inſeruit. Ipſa autem *harmonia* hoc peculiare habet, quod auctor, Matthaeum ac Ioannem, ceu teſtes oculatos, praecipue ſibi ſequendos, duxerit. Marcum enim & Lucam cum e numero diſcipulorum Chriſti fuiſſe, ſibi perſuadere nequeat; rerum geſtarum ordinem adeo adcuratum ac concinnum apud hos non aeque, ac apud iſtos, reperiri, contendit. Quae eius non omnibus ſeſe probabit ſententia. Eodem an. 1699 etiam prodiit SEBASTIANI LE ROVX *concordia quatuor euangeliſtarum*, Pariſiis 8. qua, ſi ipſi auctori credimus, nihil adcuratius, nihil perfectius vmquam orbis eruditus vidit. *Singularis artis opus adpel-*

adpellat auctor hanc euangeliſtarum concordiam abs ſe adornatam, qua vna decem annorum ſpatio ſe totum detentum fuiſſe, innuit, & eamdem nunc demum abſolutam, operae induſtriaeque omnium, quotquot vmquam in ſimili labore occupatos ſeſe geſſerint, anteferendam venire, totus ſibi perſuadet. Ita de eo pronuntiatur in *actis erudítor. Lipſienſibus an. 1700 menſ. Febr. p. 82.* Refertur ibidem, quidnam auctor iſte prae aliis peculiare ſibi habere videatur, & tum porro additur: *In huius autem inuenti commendatione vt multus auctor ipſe eſt, ita nec a nobis inuitis induſtriae prorſus ſingularis, & interdum vsque ad ſuperſtitionem propemodum adcuratae, laudem impetrabit &c.* Interim minime ferendum, quod, euangeliſtas de ordine ſeruando non adeo ſollicitos fuiſſe, putat, vtpote quorum praecipua cura fuerit, vt vera, ſibique compertiſſima narrarent; eamque ob cauſſam eos multa, quae inter ſe non cohaereant, & extra proprium locum, referre, ſaepe etiam continua narratione coniungere, quae longo interuallo disiuncta ſint, adſerere nullus dubitat.

Inter reformatae quoque eccleſiae doctores non defuiſſe, qui in euangeliſtis, inter ſe conciliandis, ſtudium operamque ſuam collocarent; ex auctoribus, antea laudatis, abunde intelligitur. IO. GE. PRITIVS *harmoniae*, inter IAC. VSSERII ſchedas repertae, itemque IO. LIGHTFOOTI *harmoniae quatuor euangeliſtarum*, principem haud obſcure tribuit locum; *introduct. in lection. noui teſtam. c. XV. §. VI. p. 142.* De poſteriori cum ſupra iam dictum ſit; nunc de priori eumdem virum doctiſſimum audire iuuabit. *Prodierunt tamen,* inquit, *deinde & harmoniae aliae, quae nequaquam videntur aſpernandae; vbi illius euangeliorum harmoniae mentionem fieri haud abs re iudicauimus, quam in ſchedis Iacobi Vſſerii, archiepiſcopi Armachani, repertam, & ex anglico idiomate in germanicam linguam conuerſam, edidere primum Francofurti, quamque nuper ſua praefatione ornatam Halae Saxonum recudi fecit Auguſtus Hermannus Franckius, ſacrarum in illa academia litterarum profeſſor celeberrimus. In qua harmonia cum illud ſit laudandum, quod chronologiam habeat praefixam, & in translatione germanica non textus ſaltem adhibeatur ex verſione Lutheri; ſed & anglicana verſio in noſtrum idioma conuerſa, aliis tamen litteris repraeſentetur; tum & illa propterea magni videtur eſſe facienda, quod eruditiſſimae ad textum ſacrum adiectae ſint adnotationes, eumdem multis in locis inſigniter elucidantes; quamquam diffitendum non eſt, ipſas ſe per omnia omnibus vix eſſe adprobaturas.* Sunt equidem, qui, *harmoniam* hanc a CHRIST. KNORRIO A ROSENROTH, viro doctiſſimo, &, ob kabbalae, cui ſe totum tradidit, ſtudium notiſſimo, ex anglicana lingua in germanicam, conuerſam, autumant; ſed alii, eum non tam verſionis, quam ipſius potius *harmoniae*, auctorem eſſe, contendunt. Myſterium omne ex fide HERMANNI VON DER HARDT hunc in modum detexit IO. ANDR. SCHMIDIVS: *Diu ſatis hic anonymus eruditos habuit dubios, cuinam parenti hic foetus ſit adſcribendus. Primus quantum ego quidem ſcio, illuſtris vir Gerhardus a Maſtricht, publice monuit, huius ſi non operis, ſaltem editionis & notarum auctorem eſſe nobilem Knorr von Roſenroth, ſibi a fide dignis relatum eſſe. Vt vero poſthac omnis dubitatio ceſſet, ſciendum eſt, dominum Knorr a Roſenroth reuera eſſe huius harmoniae auctorem, Ioannem Ludouicum Fabricium vero, theologum Heidelbergenſem, illam conſenſu auctoris caſtraſſe* (delendo, quae auctor hinc inde ex kabbaliſtarum placitis inſeruerat) *Helmontium iuniorem Francofurti, cum praefatione D. Schulzii, iureconſulti edidiſſe, & ſegmenta operis copioſa* (quae ex opere hocce remouerat FABRICIVS) *ad Batauos iam delata, ex*

manu

manu Helmontii tandem accepiſſe virum ſumme venerabilem Hermannum ab Hardt &c. in *Sagittarianae introduct. ad hiſt. eccleſ. tom. II. ſect. I. p. 14. ſeqq.* Nimirum, cum auctor latere vellet, orbi perſuaſum fuit, *harmoniam* hanc in bibliotheca IAC. VSSERII repertam, & ex lingua anglicana in germanicam translatam eſſe. Prodiit iſta *harmonia* primum Francofurti, anno 1672, 8. deinde cum *praefatione* AVG. HERM. FRANCKII recuſa eſt Halae Saxonum an. 1700, 8. Ad reformatae autem eccleſiae doctores vt reuertamur, commemorandus ex iis adhuc eſſet ABR. COVETVS DV VIVIER, ob *hiſtoriam euangelicam ordine naturali digeſtam &c.* Sed eam ſupra iam laudauimus, cum de ANDR. OSIANDRO verba faceremus, vtpote cuius methodum auctor iſte ſequitur. Lucem adſpexit gallice Hagae Comitum an. 1706 in 4. Verſio autem germanica, ab HECTORE MAXIMILIANO comite DE GEYERSBERG & OSTERBVRG adornata, Ratisbonae 1611, 4.

Ex noſtratibus denique, qui in hocce harmonici ſtudii genere ingenii periclitati ſunt vires, praecipuos quosdam iam ſupra laudauimus. Speciatim de opere iſto praeſtantiſſimo, quod MART. CHEMNITIVS inchoauit, POLYC. LYSERVS continuauit, & IO. GERHARDVS ad finem perduxit, copioſe verba fecimus, cum CHEMNITII in theologiam exegeticam merita recenſeremus. Ibidem & ex inſtituto iam de ANDR. OSIANDRO commentati ſumus, cui haecce gloria propria eſt, quod primus euangeliſtas ita inter ſe componere adgreſſus eſt, vt in ſingulis ordo temporis retineatur. Addenda, quae de hacce ipſa methodo Oſiandriſtica breuiter quidem, ſed erudite, differit, DAV. SOLBRIGIVS, in *diſſertatiuncula de methodo harmoniae euangelicae* ἀμεταθέτῳ *ſiue Oſiandrina, eiusque fatis*, eiusdem *harmoniae ſanctorum euangeliſtarum* ἰσοθετάκτῳ praemiſſa. Obſeruat inter alia, inter pontificios neminem fuiſſe, qui hancce methodum aut ſequutus ſit, aut calculo ſuo adprobauerit, praeter vnicum CAR. MOLINAEVM, iureconſultum, idque non ſolum ex partium ſtudio profectum, putat, ſed & inde, quod methodus haecce traditionibus quibusdam, in eccleſia romana receptis, e diametro aduerſetur, *§. XVIII.* Ex reformatis quoque diu neminem fuiſſe, qui hanc, conciliandae harmoniae, viam ingrederetur, docet; forte, quod IO. CALVINI obſtiterit auctoritas, cui perſuaſum fuiſſe, conſtat, euangeliſtas ordinem temporis parum curaſſe; proxime tamen ad ſententiam, quae, ordinem euangeliſtarum nusquam mutandum, cenſet, acceſſiſſe IOAN. CHRISTIANVM, paſtorem Munſingenſem, in *harmonia ſancta quatuor euangeliſtarum*, an. 1684 edita; tandem vero ABR. COVETVM DV VIVIER methodum hancce elegiſſe, ſibique excolendam ornandamque ſumſiſſe, *§. XIX. XX.* In noſtra eccleſia quod haec, conciliandi euangeliſtas ratio diu neglecta iacuerit, &, praeter LAVR. CODOMANNVM, nemo fuerit, qui eam ſequutus ſit; id auctor ob MART. CHEMNITII, POLYC. LYSERI, & IO. GERHARDI, vtpote qui ab OSIANDRO hic diſſenſerint, auctoritatem, factum, exiſtimat; *§. IX.* Accedere tamen & hoc potuit, quod OSIANDRI, ob praua quaedam, quae ſparſit, dogmata, inuiſum apud noſtrates nomen eſſet; vt ſupra iam obſeruauimus. De IO. CLVVERI *harmonia adcuratius ſecundum paſchata & itinera domini digeſta* Roſtochii an. 1628, 4. edita, & deinde non ſemel recuſa, ABR. CALOVIVS in *prolegomenis ad biblia illuſtrata noui teſtam. p. 13.* iudicat, *eam neruoſe ac ſolide concinnatam omnibus palmam facile praeripere;* at SOLBRIGIVS de ea ita pronuntiat; *ſed quia ea & exiguae molis erat, (tribus tantum quaternionibus conſtans) & capita hiſtoriae tantum breuiſſime delineabat,*

bat, non addita vlla ſeruati ordinis confirmatione; placuit illa ſane quidem, & laudata eſt multis; ſed opinionem vulgatam, de neceſſaria in conficienda harmonia ordinis euangeliſtarum translocatione, quae opinio & antiquitus inoleuerat, & conſenſu triumuirorum clariſſimorum, Chemnitii, Lyſeri & Gerhardi, dubitationis quaſi aleae exemta erat, vincere aut conuellere in plurimorum animis non potuit; l. c. §. X. Maius deinde aliquod momentum ad rem hancce attulit ABR. CALOVIVS, quippe qui in *harmonia* iſta *euangelica*, quae in *bibliis* eius *illuſtratis noui teſtamenti p. 18. ſeqq.* exſtat, concinnanda, eamdem viam, qua transpoſitiones textuum euangelicorum euitantur, ingreſſus eſt; quamquam profiteatur, ſe, cum iſto iam labore perfunctus eſſet, deprehendiſſe, eamdem OSIANDRI, MOLINAEI & CODOMANNI fuiſſe ſententiam. Excitatus hac ratione CASP. HERM. SANDHAGENIVS, cuius peritiam, interpretandi ſacras litteras, ſupra iam commendauimus, diligentius adhuc eamdem excoluit, propoſuitque, edito an. 1684 libello, qui inſcribitur: *kurtze Einleitung zu der Geſchichte Ieſu Chriſti vnd ſeiner Apoſtel,* in quo harmoniam, ſeruato euangeliſtarum ordine vbique illibato, exhibet, & in *praefatione*, ſeu *diſſertatione* praeliminari, inſtituti ſui rationes ediſſerit, methodumque iſtam, qua ANDR. OSIANDER primus vſus eſt, quam copioſiſſime confirmat. Quanta is eruditorum virorum exceptus ſit adprobatione, elogia, quibus ornatus eſt, quaeue IO. GE. BERTRAMVS, in *der Reformations- vnd Kirchen- Hiſtorie der Stadt Lüneburg part. II. c. XII. p. 251.* recitat, teſtantur. Immo teſtantur illud editiones, non ſemel repetitae: quas inter eminet ea, quae Berolini an. 1724 in 8. cum *praefatione* mea prodiit, & inſcribitur: *kurtze Einleitung zur Harmonie der vier Euangeliſten vnd der Geſchichte der Apoſtel, mit noethigen Anmerckungen, auch einem Anhange von des ſeel. Auctoris Einleitung in die hohe Offenbahrung, vnd kurtzem Entwurff des Landes Canaan.* Praeter alia *adnotationes* acceſſerunt, in quibus cauſſae ordinis exponuntur, &, vbi rem auctor acu non tetigit, melior ordo ſuppeditatur, & rationibus confirmatur; ſubinde etiam, quo pacto euangeliſtae, quando inter ſe pugnare videntur, conciliari queant, oſtenditur; cumprimis autem ex recentioribus, quae ad opuſculi huius aut emendationem, aut illuſtrationem, faciunt, adducuntur. *Harmoniam* hancce SANDHAGENII, in breuiſſima lemmata contractam, iſti *harmoniae*, quae in IAC. VSSERII ſchedis reperta ferebatur, quamue nonnulli KNORRIO A ROSENROTH vindicant, cum recuderetur, adiunxit AVG. HERM. FRANCKIVS, eo, quod in alterius diſtributione harmonica non omnia illi probarentur. Pari ratione & lemmata iſtius *harmoniae* Sandhagenianae, latino habitu induta, exhibet vir eruditiſſimus IO. GE. PRITIVS, in *introduct. in lectionem noui teſtamenti c. XV. p. 150. ſeqq.* De IAC. DORNKRELLIO AB EBERHERTZ, haeſitante, num OSIANDRI methodum, a SANDHAGENIO reſtauratam, an receptam illam, amplecti deberet, legenda, quae DAVID SOLBRIGIVS diſſerit, *diſſ. cit.* §. *XVI.* Certe ante SANDHAGENIVM reliqui omnes, qui harmonias euangelicas condiderunt, paucis illis, quos laudauimus, exceptis, ab OSIANDRI methodo alieni erant; licet ideo illorum non plane contemnendi ſint labores harmonici. Haud omnino vltimum inter hosce locum tenet GE. CALIXTVS, Helmſtadienſium theologus percelebris, cuius *quatuor euangelicorum ſcriptorum concordia*, ex eius recitationibus academicis, inſcio auctore, edita eſt Halberſtadii, an. 1624, in 4. & non ſemel deinceps recuſa. ABRAHAMVS

NAMVS equidem CALOVIVS, eam, *ob varios errores, tum in harmoniam & hiſtoriam, tum in dogmata fidei, impingentes, in cenſum vix venire*, pronuntiat; in *prolegomenis*, quae *harmoniae* ſuae *euangelicae* praemiſit, *p. 13.* Verum alii de ea longe aliter iudicant. Interim CALIXTVM cum illis, qui, ab omnibus euangeliſtis ordinem temporum obſeruatum, contendunt, non facere, & res ipſa docet, & diſerte profitetur, quando, *iam pridem*, inquit, *monuimus, euangeliſtas non omnia facta aut dicta Chriſti recenſere eo, quo facta & dicta ſunt, ordine, ſed multa, pro re nata, & ex occaſione, vt vicinae materiae coniungerentur, quemadmodum illae in memoriam veniebant, aut potius, vt illas ſuggeſſit ac digeſſit ſpiritus ſanctus; lib. IV. cap. VII.* Recentiori aetate IO. HENR. MAIVS, vir doctiſſimus, & ad theologiae exegeticae ſtudium ornandum & promouendum natus, itidem *harmoniam euangelicam omnium dictorum & factorum domini noſtri Ieſu Chriſti, vsque ad paſcha τιμιώτατον, quinque partibus comprehenſam, itaque concinnatam, vt monoteſſaron, ſiue vnum continuum euangelium ex quatuor euangeliſtis, perpetua paraphraſi ſiſtatur, ac illuſtretur, & ex ſingulis capitibus atque commatibus, cognitio veritatis & praxis pietatis, oſtendatur*, in lucem emiſit Francofurti, an. 1707, in 4. In *praefatione*, cum de IO. CLERICI, & BERNH. LAMY laboribus harmonicis ſententiam ſuam expoſuiſſet; de ANDR. OSIANDRO adſerit, eum vulgarem opinionem, hiſtorias ab euangeliſtis, vel citius, vel tardius, quam eueniſſent, recenſitas fuiſſe, ſolide ſubruere auſum eſſe; huius autem cum deinceps ABR. CALOVIVS, atque CASP. HERM. SANDHAGENIVS, veſtigia preſſerint, ſaltem eamdem viam ingreſſi ſint; iſtos quoque duces, *non ſane caecos*, ſe ſequutum, profitetur: *quamquam*, ita pergit, *nec improuide, nec ſemper id fecerim, ſed ſubinde etiam meo iudicio vſus ſim.* Ex ipſa vero tractatione patet, virum huncce beatum Ioannis, atque plerisque in locis Lucae, ordinem integrum reliquiſſe, in Matthaeo autem atque Marco ſubinde transpoſitiones quasdam admiſiſſe, forte, quod non videret, quo pacto iſtae euitari poſſent. Id quod & DAVIDI SOLBRIGIO obſeruatum, *diſſert. cit. §. XX.* Merito tamen haecce *harmonia*, tum ob paraphraſin perſpicuam, & admodum luculentam, tum ob porismata prorſus egregia, commendatur. Omiſit autem MAIVS harmoniam paſſionis, mortis, & reſurrectionis Chriſti, eaque tanto facilius ſacrarum litterarum cultores carere poſſe, exiſtimauit, quanto magis conſtet, eam a GERH. IO. VOSSIO, atque CASP. SAGITTARIO, ex inſtituto conſcriptam eſſe. Et VOSSIVS ſane *harmoniae euangelicae de paſſione, morte, reſurrectione & adſcenſione Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri libros tres* compoſuit, qui & ſeorſim editi ſunt, & in operibus quoque eius exſtant, *tom. VI. num. III.* Idem praeterea vir praeſtantiſſimus, vt hoc ἐν παρόδῳ moneam, *geminam* conſcripſit *diſſertationem, vnam de Ieſu Chriſti genealogia, alteram de annis, quibus natus, baptizatus, mortuus*; quae ibidem *num. II.* exhibentur, & ab hoc loco non ſunt alienae. CASPARIS autem SAGITTARII *harmoniae hiſtoriae paſſionis Ieſu Chriſti libri tres*, variis obſeruationibus, theologicis pariter, ac philologicis, hiſtoricisque, referti, prodierunt Ienae an. 1684, in 4. Ceterum iſta, de qua loquuti ſumus, IO. HENR. MAII *harmonia*, in memoriam nobis reuocat PETRI LAMBERGII, Sueci, *harmoniam euangelicam omnium dictorum & factorum domini noſtri Ieſu Chriſti, noua prorſus & ſuccincta methodo, ex quatuor euangeliſtis concinnatam, additis canonibus, quibus harmonia haec fulcitur,*

eiusque vſu, quippe quae cum praefatione MAII Gieſſae an. 1719. in 4. euulgata eſt. In *prolegomenis* auctor, cum nonnulla, ad harmoniam euangeliſtarum ſpectantia, attigiſſet; praecipuum inter ſcriptores harmonicos SANDHAGENIO tribuit locum; vt tamen non diſſimulet, non vbique eum rem acu tetigiſſe. *Verum, cum Sandhagenius*, inquit, *in quibusdam locis ipſe dubius haereat de ordine certo, & quibusdam locis ordinem interruperit, alibi etiam ſuo vtatur ingenio; non puto veritati caeleſti inconſulte factum, quod & latino idiomate, & notis cuique periodo adpoſitis, rationes ordinis hiſtorici, quae in Sandhagenio deſiderantur, monſtrantibus, & ſerie hiſtoriae attentius obſeruata, ſequentem harmoniam emiſerim; §. VI. p. 10.* Praecipue id agit LAMBERGIVS, vt, quae ab aliis, ſpeciatim IOAN. CLERICO, GVIL. WHISTONO, & DANIELE WITHBY, minus recte dicta ſunt, ſub examen reuocet. Nimirum, ad GVIL. WHISTONVM quod attinet, is in *chronologia veteris teſtamenti, & harmonia euangeliſtarum noui teſtamenti*, anglice ſcripta editaque Cantabrigiae an. 1702, 4. eo prolapſus eſt, vt adſereret, Matthaei euangelium corruptum plane ad nos perueniſſe, eiusque ordinem a *cap. IV.* ad *cap. XIV.* mirum in modum perturbatum eſſe; cuius rei in eo cauſſam quaerit, quod prior pars huius euangelii ſcripta fuerit in ſchedis quibusdam ſeparatis, ex quibus deinceps a quibusdam, qui temporis ac ordinis nullam habuerint rationem, compoſitum fuerit atque conflatum. Quae ſententia, vt ingenio WHISTONI, ad paradoxa prono, plane eſt conueniens; ita ſolide refutatur a LAMBERGIO, in *prolegomenis §. VIII. p. 12. ſeqq.* Conferenda vero etiam, quae contra eumdem erudite diſputat GOTTFR. OLEARIVS, in *obſeruationibus ſacris in euangelium Matthaei, obſeruat. II. p. 7. ſeqq.* A WHISTONO etiam non tantum hac in re, ſed & in aliis quibusdam, licet interdum a LAMBERGIO itidem notatus, diſſentit DAN. WITHBY, cuius *commentarius & paraphraſis in nouum teſtamentum, duobus voluminibus conſtans, quorum primum quatuor euangelia, & apoſtolorum acta, ſecundum vero omnes epiſtolas, nec non diſſertationem de millennio complectitur*, anglice ſcriptus, publicae luci expoſitus eſt Londini, an. 1703. in fol. Omnium vero, qui in hoc ſtudiorum genere induſtriam ſuam demonſtrarunt, ingeniumque exercuerunt, conatus multum ſuperauit, longoque poſt ſe reliquit interuallo, vir pietate non minus, & eruditione, quam natalium ſplendore, illuſtris, CAR. HILDEBRANDVS, liber baro DE CANSTEIN. Magno enim ſtudio *harmoniam euangelicam* concinnauit, quae Halae 1718 in fol. prodiit, atque inſcribitur: *Harmonie vnd Auslegung der heiligen vier Euangeliſten, oder die Schrifften der Euangeliſten in eine Zuſammenfugung gebracht, vnd nach ihrem Wort-Verſtande von Verſicul zu Verſicul erklaeret, ſamt daraus gezogenen Lehren vnd erbaulichen Anmerckungen* &c. Praeter *praefationem*, in qua de ſcopo, indole, vſu, & neceſſitate huius operis diſſeritur, praemiſſa eſt *praeparatio* quaedam *generalis*, ſeu *introductio ad quatuor euangeliſtas (allgemeine Vorbereitung vnd Einleitung zu denen vier Euangeliſten)* in qua per XVII capita multa de quatuor euangeliſtis, ad hiſtoriam pariter, ac interpretationem eorum ſpectantia, copioſe, erudite, & adcurate diſputat, cumprimis autem & *cap. XIII. p. 84. ſeqq.* de harmonia eorumdem verba facit, & praecipuos quoque ſcriptores harmonicos laudat, vt ſimul profiteatur, ANDR. OSIANDRI, & eorum, qui illum ſequuntur, ſententiam, omnes euangeliſtas ordinem temporis diligenter obſeruare, ſibi vel maxime probari; quam

Digitized by Google

adeo & §. *VIII. p. 88.* rationibus luculentis confirmat; quemadmodum & *§. IX. p. 89.* ad argumenta, quae eidem opponi poſſunt, reſpondet; immo & tabulam quamdam, ſeu ſynopſin rerum omnium, quae ab euangeliſtis narrantur, iuſta ſerie diſpoſitarum §. *XII. p. 91. ſeqq.* exhibet. Mitto reliqua, quae in laudem huius operis dici poſſent, de quo fatendum, nihil in eo praetermiſſum eſſe, quod ad harmoniam euangeliſtarum illuſtrandam, & ita inſtruendam, vt plurima inde ad omnes redundare commoda queant, quacumque ratione facere poteſt. Id ſolum addo, eadem fere, qua CANSTEINIVM, methodo IO. LVD. LINDHAMMERVM commentarium concinnaſſe in *acta apoſtolorum*, qui adeo velut continuatio quaedam operis iſtius harmonici cenſeri debet. Prodiit is Halae, an. 1725, atque inſcribitur: *der von dem heil. Euangeliſten Luca beſchriebenen Apoſtel-Geſchichte ausführliche Erklaerung und Anwendung, darinn der Text von Stück zu Stück ausgelegt, darauf in erbaulichen Anmerckungen zum geiſtlichen Nutzen angewendet, und hiernechſt mit unten geſetzten philologiſchen und critiſchen Noten erlautert wird &c.* Vltimo tandem loco etiam de DAV. SOLBRIGII inſtituto aliquid dicendum eſt. Commentationem namque is quamdam edidit, quae inſcribitur: *harmonia ſanctorum euangeliſtarum* ὀρθοτακτὸς, *hoc eſt, ſumma capita omnium, quae Ieſus Chriſtus filius Dei & ſaluator mundi, in his terris egit, dixit, & perpeſſus eſt; ex ſanctorum euangeliſtarum monumentis* θεοπνεύστοις, *ſeruato cuiuslibet euangeliſtae ordine, & ſacro textu nusquam transpoſito, perpetua ſerie concinnata, maioris operis* πρόδρομος *&c.* Lipſiae & Gardelebiae, an. 1716, 4. Praemiſſa eſt *diſſertatiuncula* iſta, non ſemel nobis iam laudata, *de methodo harmoniae euangelicae* ἀκριβεστάτῃ *ſiue Oſiandrina*, in qua fata eius exponit, quamue & ipſe calculo ſuo adprobat, immo de qua pronuntiat, fore, vt indies pluribus ſe ſit probatura, cum maior hodie religio, ab ordine euangeliſtarum recedendi, quam olim, multorum occupauerit animos. Ad maius autem illud opus, cuius hancce commentationem πρόδρομον eſſe voluit, quod attinet; conſtitutum ſibi eſſe, profitetur, *panarmoniam euangelicam* condere, quod ipſe *diſſ. cit. §. XXIII.* ita explicat: *Omnium harmoniarum euangelicarum claſſes, prout illae ſecundum diuerſum paſchatum, in tempus miniſterii Chriſti incidentium, numerum, concinnatae ſunt, ſynoptico obtutui exponere, & in quibus conueniant, quibusue diſſonent, non iniucundo, vt ſpero, rei intelligentibus, ſpectaculo, oſtendere, paro. Accedet ipſe textus euangeliſtarum ſacer graecus & latinus, harmonice, per columnas diſpoſitus, & mutua opera ſacram hiſtoriam complens, cum rationibus, ordinem, quem ſequar, fulcientibus, nec non notis exegeticoporismaticis &c.* Sed hucusque, quantum mihi quidem conſtat, opus illud lucem non adſpexit. Quid autem *prodromus* hicce, ſiue *harmonia euangeliſtarum* ὀρθοτακτος, ſibi velit, ipſe iterum, hunc in modum *§. XXIV.* edifferit: ὀρθοτάκτου *huic harmoniae epitheton dedi, non quod hunc ordinem, quo ea pertexta eſt, ſolum rectum, & nusquam mutandum, cenſeam; ſed quod ille manuducentibus, qui in methodo hac Oſiandrina praeiuere, euangeliſtarum recto quaſi greſſu procedentium, veſtigia curate ſequitur. Beatum Sandhagenium me plerisque in locis ante oculos habuiſſe, non nego. Eſt tamen, vbi ab illius ordine nonnumquam diſcedo. Sicuti nec ſemina chiliasmi ſubtilioris, quae ille quibusdam locis ſparſit, mea facere, penſi habui.* Fatetur deinde, in iſta, quam ſequitur, methodo harmonica, nondum omnes, qui ex adparente euangeliſtarum diſcrepantia, oriri poſſunt, ſcrupu-

ſcrupulos ſublatos; ſperat tamen, ſi viri docti conſilia & operam ſuam coniungant, eo tandem rem deductum iri, vt, qui aequitatis ſunt amantes, & a contentionis ſtudio alieni, adquieſcere in iſta euangeliſtas conciliandi ratione queant.

Supereſt, vt de tertio capite, de quo nos aliquid dicturos, ſupra promiſimus, aliquid addamus. Iſtud vero ad indices iſtos ſcripturae ſacrae, quos *concordantias* vocare ſolent, ſpectat. Hocce nimirum nomine nobis veniunt indices locorum ſcripturae parallelorum, ſiue eorum, vbi eadem vox occurrit, ordine alphabetico concinnati, vt vel vnius vocis inueſtigatione, vbi quodlibet dictum exſtet, inueniri queat. De origine eiusmodi concordantiarum non vna omnium eſt ſententia. Hoc tamen certum, concordantias omnium primas fuiſſe latinas; a quibus adeo reliquae omnes originem ſuam acceperunt. Quatuor autem nominantur auctores, qui de inuenti huius velut inter ſe dimicant gloria. Primus eſt ANTONIVS DE PADVA, patria Vlyſſiponenſis Luſitanus, DE PADVA autem, ſiue Patauinus dictus, quod Patauii per aliquod temporis ſpatium docuiſſet; idemque Franciſcanorum ordini ſe adiunxit. Floruiſſe dicitur ſaeculo decimo tertio, ſub Friderico II imperatore, & Gregorio IX pontifice, qui eum, ob inſignem promtitudinem in citandis, & memoriam incredibilem in recitandis quibusuis ſcripturae ſacrae dictis, *arcam teſtamenti* adpellitare conſueuerit. IO. BVXTORFIVS, cum obſeruaſſet, ANTONII huius meminiſſe TRITHEMIVM, GESNERVM, GENEBRARDVM aliosque; addit: *ſed quod concordantiarum fuerit auctor, nihil produnt. Laudatur autem a conſcriptis ſermonibus ardentiſſimis de tempore, & de ſanctis*; in *praefatione, concordantiis ebraicis* praemiſſa, *p. 3.* At ſcripſiſſe etiam ANTONIVM *concordantias morales ſacrae ſcripturae, praedicatoribus, ad virtutes commendandas, & vitia condemnanda, vtiliſſimas*, certum eſt; quippe quas LVCAS WADDINGVS anno 1624 Romae edidit, vt ex NIC. ANTONII *bibliotheca hiſpana veteri* conſtat, *tomo II. lib. VIII. cap. II. p. 33.* Easdem *concordantias morales* ANTONII memorant GVIL. CAVE, in *hiſt. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. I. ſec. XIII. p. 493.* LVDOV. ELL. DV PIN, *biblioth. noua ſcriptor. eccleſiaſt. tom. X. p. 94.* cumprimis autem, qui paullo fuſius de ſcriptis ANTONII agit, CHRISTOPH. HENDREICH, in *pandectis Brandenburgicis, voc. Antonius Vlyſſiponenſis p. 216.* Licet vero *concordantiae* iſtae ANTONII, cum iis, quas hodie ita vocamus, prorſus non conueniant; quippe quae non indicem vocabulorum, ordine alphabetico diſpoſitum, ſed collectionem dictorum ſcripturae, ſecundum virtutes & vitia digeſtorum, continebant; nomen tamen *concordantiarum* ab eo vſurpatum, dubitari nequit. Alter, qui hic in cenſum venit, eſt HVGO Carenſis vel *de ſancto Caro*, aut potius *Charo*, qui itidem ſaeculo decimo tertio floruit, & Dominicanorum adſcriptus fuit familiae, poſtea ab Innocentio IV in cardinalium numerum cooptatus, vulgo HVGO cardinalis ſalutatur. Plurimi huic concordantiarum inuentarum gloriam vindicant; nemo tamen maiori ſtudio & animi contentione hoc fecit, quam IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum recenſitis, tom. I. ſaec. XIII. p. 203. ſeqq.* vbi quam copioſiſſime hac de re diſſerunt, ſimulque, quales primae concordantiae fuerint, & quid ſucceſſu temporis in iis acceſſerit, aut mutatum ſit, erudite oſtendunt. Summam eorum, quae fuſiſſime diſputarunt, ipſi tandem hunc in modum complectuntur: *Haec eſt igitur tota & certa concordantiarum*

rum ſacrae bibliothecae hiſtoria. Hugo de ſancto Charo primus aggreſſus eſt, & ope ſuorum ſodalium perfecit locis (ſcripturae ſacrae) tantum indicatis; Ioannes de Derlingtonia, & Ricardus de Stauenesby, & alii Angli ſodales, auxerunt, ad loca indicata adiectis ſacrae ſcripturae ſententiis, ſed plerumque longioribus; hae duae priores editiones dictae ſunt concordantiae ſancti Iacobi; (a domo ſancti Iacobi, quam Dominicani Pariſiis poſſident) *Conradus de Halberſtadt tertiam ſuſcepit, breuioribus capitibus per quatuor tantum litteras diſtinctis, & ſententiis ſcripturae ex parte reciſis, ſicque commodiorem & leuiorem reddidit. Haec ſaeculo decimo tertio, & ſequenti ineunte, confecta; ſaeculo vero decimo quinto circiter medio Ioannes de Raguſio particularum indeclinabilium in prioribus omiſſarum alteras concordantias tentauit, & ope amanuenſium perfecit; adeo vt ſi quae vtilitas ex hoc opere, quae quidem fuit maxima, tota ordini praedicatorum debeatur; l. c. p. 207.* Ceterum HVGO iſte cardinalis, de quo loquuti ſumus, dictus eſt a quibusdam *pater concordantiarum*; adduntque nonnulli, eum trecentorum, aut, vt alii volunt, quingentorum monachorum opera vſum, cuius rei etiam NICOL. ANTONIVS meminit, in *biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. X. cap. IV. p. 149.* Tertius, cui a nonnullis concordantiarum inuentio tribuitur, eſt ARLOTTVS DE PRATO, Tuſcus, ordinis minorum magiſter generalis, qui circa finem ſaeculi decimi tertii floruit. Huic non tantum TRITHEMIVS, CONR. GESNERVS, & FRANC. SIXTVS Senenſis hanc gloriam vindicant; ſed & R. GEDALIA in *ſchalſcheleth hakkab. fol. 59.* auctor eſt, R. ISAACVM NATHANEM concordantias, ab ARLOTTO concinnatas, ex lingua latina in ebraeam transtuliſſe. Refert hoc IO. BVXTORFIVS, *l. c. p. 3.* ſed refragantur prorſus IACOB. QVETIF, & IAC. ECHARD, &, idoneo hanc ſententiam aut teſtimonio, aut argumento, comprobari poſſe, negant; *l. c. p. 207.* Quartus denique, a quo concordantiae inuentae perhibentur, eſt CONRADVS Halberſtadienſis, qui circa finem ſaeculi decimi tertii, & initium decimi quarti, claruit, pariterque Dominicanorum ordini adſcriptus fuit. De eo diſerte IO. TRITHEMIVS: *Hic etiam fertur concordantias totius bibliae noui & veteris teſtamenti primus ordinaſſe; de ſcriptorib. eccleſiaſt. num. DII. p. 124.* Idem & repetit, in *chronico Hirſaugienſi tom. II. p. 65.* Sed non aliter hoc intelligendum, quam quod primus auctor fuerit concordantiarum, in quibus capita breuiora a longioribus ſecreta ſunt, quaeue deinde communiores, magisque receptae, fuerunt, oſtendunt IACOBVS QVETIF, & IAC. ECHARD; *l. c. p. 206.* Sunt equidem, qui auctores, HVGONI Cardinali concordantiarum inuentionem tribuentes, cum illis, qui eam CONRADO Halberſtadienſi vindicant, ita conciliare volunt, vt dicant, HVGONEM & CONRADVM iunctis operis concordantias concinnaſſe: quibus tamen temporum obſtant rationes, cum triginta, & quod excedit, annorum ſpatio a ſe inuicem fuerint ſeiuncti. Immo, ſecundum IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, HVGO cardinalis an. 1262 vel 63 mortuus eſt; cum CONRADVS an. 1321 quamuis iam ſenex, adhuc viueret. Alii putant, de CONRADO quod dicitur, ita intelligendum, primum eum fuiſſe, qui particularum indeclinabilium concordantias concinnauerit. At vero & hosce falli, certum. Iſtud enim conſilium, particularum indeclinabilium concordantias conficiendi, IOANNEM DE RAGVSIO, ſiue Raguſinum, primum ſuſcepiſſe, quos ſaepe iam laudauimus, IAC. QVETIF & IAC. ECHARD contendunt, *l. c. p. 207.* & deinde

inde *p. 797.* vbi ex inſtituto de eo verba faciunt. Vixit autem iſte IOANNES DE RAGVSIO ſaeculo decimo quinto, ordiniſque Dominicanorum monachus, & procurator generalis, fuit; hoc etiam nomine ad concilium Baſileenſe legatus, acriter ibidem contra Huſſitas pugnauit, ſed vt ignorantiae & ſtultitiae ſuae non vnum ederet ſpecimen. Dictum ea de re *cap. praeced.* ad *§. VII. p. 1172.* Alii rurſus non IOANNI DE RAGVSIO, ſed IOANNI DE SEGOVIA, vel Segouienſi, hoc tribuunt, quod primus particularum indeclinabilium concordantias concinnare adgreſſus ſit. Natione is fuit Hiſpanus, theologus Salmanticenſis, cumque itidem concilio Baſileenſi intereſſet, magna ibi polluit auctoritate. Vt autem animum ad eiusmodi concordantias conficiendas adiungeret, id ob controuerſias iſtas factum, aiunt, quae inter eccleſiam graecam & latinam, de proceſſione ſpiritus ſancti a patre & filio, agitabantur. A ſynodo enim IOANNI huic DE SEGOVIA demandatum, vt cum Graecis, ſi aduenirent, in certamen deſcenderet. Cum itaque intelligeret, praecipuum controuerſiae momentum in genuina particularum *ex* & *per* ſignificatione conſiſtere, eamque non aliunde rectius, quam ex ſcriptura ſacra, peti poſſe; haud abs re fore, credidit, ſi omnia & ſingula ſcripturae loca colligeret, in quibus particulae illae occurrunt, & ex locorum collatione veritatem inueſtigaret. Sed aliae quoque ſe offerebant controuerſiae, quae illi e vero particularum quarumdam ſenſu pendere videbantur. Hinc ad indicem adcuratum particularum conficiendum ſe accinxit, adiutus a capellano ſuo GVALTERO LONAV, Scoto, theologiae magiſtro. Ita IO. BVXTORFIVS, *praefat. cit. p. 4.* Pari ratione & NIC. ANTONIVS concordantiarum iſtarum, quae particulas indeclinabiles exhibent, auctorem facit IOANNEM iſtum DE SEGOVIA. *Collegit hic*, inquit, *concordantias biblicas vocum indeclinabilium, quas poſt antiquiores Hugonis cardinalis, qui ad id opera vſus dicitur quingentorum monachorum, grammaticas, & ſancti Antonii Patauini morales concordantias, quod haec indeclinabilium pars deeſſet, a noſtro elaboratas, in Germania a Petro de Langendorf & Ioanne Frobenio de Hamelburg, praemiſſa dedicatione Ioannis Brant ad Ioannem Geyler & Keyſersperg, editas vidit Ioannes Henricus Hottingerus*; in *biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. X. cap. IV. p. 150.* vbi plura de hisce concordantiis. Conferendus & GVIL. CAVE, in *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſiaſt. part. II. ſaec. XV. p. 307.* Dubium itaque hinc oritur, num illorum, qui IOANNEM DE RAGVSIO, an eorum, qui IOANNEM DE SEGOVIA, pro iſtarum, quae particulas indeclinabiles complectuntur, concordantiarum, auctore venditant, ſtandum ſit auctoritate. Vtcumque tamen hoc tollere videtur IO. TRITHEMIVS, dum in *chronico Hirſaugienſi tom. II. p. 65.* IOANNEM DE RAGVSIO, & IOANNEM DE SEGOVIA, immo & GVALTERVM LONAV in hocce labore inter ſe coniungit. Cum enim de CONRADO Halberſtadienſi dixiſſet: *concordantias bibliae veteris & noui teſtamenti, quas repertorium haud improprie nuncupamus, primus iuxta ordinem alphabeti excogitaſſe, dicitur*; poſtea addit: *poſt plures annos, hoc ipſum bibliae repertorium per multos viros eruditos fuit ampliatum, & maxime tempore concilii Baſileenſis per Ioannem de Raguſio, deinde Gualterum Scotum, ac poſtremo per Ioannem de Secubia, ſacrae theologiae doctorem ſtudioſiſſime conſummatum eſt, & in ea forma, qua nunc impreſſum cernitur, perfectum.* Deinceps vero & alii in concordantiis latinis perficiendis elaborarunt, praeſertim cum typis mandarentur, primum

primum quidem Baſileae a FROBENIO, tum & Pariſiis a ROB. STEPHANO. Magnusque hinc concordantiarum latinarum, typis exſcriptarum, exſtitit numerus; quas diligenter recenſet IACOBVS LE LONG, *biblioth. ſacr. cap. XV. p. 403. ſeqq.* ſecundum editionem Lipſienſem. Nonnullas quoque editiones indicat ANDREAS GLAVCHIVS, de *concordantiarum biblicarum vſu, cap. I. §. XIV. p. 13.*

Ex latinis concordantiis tum graecae, tum ebraicae originem duxerunt. Et ad graecas quidem quod attinet, de EVTHALIO Rhodio, monacho ſancti Baſilii, narratur, quod ad imitationem HVGONIS cardinalis, graeco ſermone an. 1300 concordantiarum opus in vniuerſa biblia collegerit. Auctoris huius a FRANC. SIXTO Senenſi, & GILBERTO GENEBRARDO, mentionem fieri, obſeruat IO. BVXTORFIVS, *l. c. p. 4.* Conferendus & IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. cap. XXIV. p. 369.* Sed cum iſtae concordantiae numquam lucem adſpexerint, non eſt, quod nos morentur. Ad veteris teſtamenti concordantias graecas concinnandas deinde animum adiecit CONR. KIRCHERVS, Auguſtanus. Prodierunt iſtae Francofurti an. 1607 duobus voluminibus in 4. atque ita inſcribuntur: *concordantiae veteris teſtamenti graecae, ebraeis vocibus reſpondentes πολύχρηστοι; ſimul enim lexicon ebraico-latinum, ebraico-graecum, graeco-ebraicum, genuinam ſignificationem vocabulorum ex LXXII, vt vulgo volunt, interpretum (vel iſtis pro tempore deficientibus, ex Aquilae nonnunquam vel Symmachi, vel Theodotionis) translatione petitam; homonymiam ac ſynonymiam graecam & ebraeam; quin & ebraiſmorum rariorum explanationem graecam; graeciſmorum eloquutionem ebraeam, & ſic διασάφησιν veteris & noui teſtamenti, collatione linguarum vtrobique facta, ſuauiſſima συμφωνία, lectoribus exhibens.* Ex qua quidem inſcriptione methodus auctoris intelligitur, quam & copioſius ediſſerit IO. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. X. part. II. artic. V. p. 365. ſeqq.* Cum autem in hiſce KIRCHERI concordantiis ABR. TROMMIVS varia deſideraret, cum primis & ipſa illi diſpliceret methodus; ad nouas concinnandas ſeſe accinxit, quae & Amſtelodami ac Vltraiecti an. 1718 duobus voluminibus in fol. prodierunt, & ſequenti inſcriptione gaudent: *concordantiae graecae verſionis vulgo dictae LXX interpretum, cuius voces ſecundum ordinem elementorum ſermonis graeci digeſtae recenſentur, contra atque in opere Kircheriano factum fuerat; leguntur hic praeterea voces graecae pro ebraicis redditae ab antiquis omnibus veteris teſtamenti interpretibus, quorum non niſi fragmenta extant, Aquila, Symmacho, Theodotione & aliis, quorum maximam partem nuper in lucem edidit D. Bernardus de Montfaucon.* Aduerſarium TROMMIVS nactus eſt IO. GAGNIERIVM; cui & ipſi conſtitutum fuit concordantias graecas, ab HENR. SAVILIO olim inchoatas, ſed a ſe locupletatas, itaque ornatas, vt lucem adſpicere poſſent, euulgare. Profectae itaque ab eo ſunt *vindiciae Kircherianae ſiue animaduerſiones in nouas Abrahami Trommii concordantias graecas verſionis vulgo dictae LXX interpretum; I) defenduntur & vindicantur Conradi Kircheri concordantiae graecae, aduerſus Abrahami Trommii iniuſtas accuſationes; II) oſtenditur, nouam editionem Trommianam adhuc grauiſſimis defectibus & vitiis laborare; III) proponitur vera & genuina methodus, qua meliores, adcuratiores, & commodiores concordantiae graecae verſionis LXX. interpretum, de nouo & facilius condantur;* Oxoniae 1718, fol. & 8. At TROMMIVS hiſce *vindiciis* iterum oppoſuit *epiſtolam apologeti-*

cam

cam ad doctiſſimum virum Ioan. Gagnierium, qua ſe ſuasque concordantias graecas in LXX. interpretes nuper a ſe editas, modeſte tuetur, contra animaduerſiones huiusce viri doctiſſimi, recens Oxonii impreſſas ac publici iuris factas, Amſtelodami an. 1718 4. Legendus de hiſce omnibus IO. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. X. part. II. artic. V. p. 380. ſeqq.* Ceterum CONR. KIRCHERVS, cuius iam facta eſt mentio, etiam *concordantiarum biblicarum, maxime veteris teſtamenti graecarum, ebraeis vocibus reſpondentium, vario ac multiplici in ſacro-ſancta theologia vſu, plenam ac perſpicuam* διάπτυξιν edidit, Wittebergae anno 1622. Ad nouum teſtamentum quod attinet, XISTVS primum BETVLEIVS *ſymphoniam, ſiue noui teſtamenti concordantias graecas*, in lucem emiſit, Baſileae an. 1546, fol. Deinde autem HENR. STEPHANVS maiori induſtria expolitas ac locupletatas *concordantias noui teſtamenti graecas* dedit, tum alibi, tum & Geneuae an. 1600 in fol, euulgatas; in quibus cum ERASMVS SCHMIDIVS tot naeuos dephrehenderet, vt, eas ab ipſo HENR. STEPHANO, viro vtique doctiſſimo, profectas, ſibi perſuadere non poſſet; quod diſerte in *praefatione* profitetur; ipſemet aliis concinnandis manum admouit, quae cum magna eruditorum adprobatione ſunt exceptae. Nouiſſima editio, quae & reliquis praeferenda, eo quod *ſingulari ſtudio*, vt inſcriſcriptio docet, *reuiſa, atque ab innumeris mendis repurgata eſt*, cum *praefatione* viri celeberrimi ERN. SAL. CYPRIANI prodiit Gothae & Lipſiae an. 1717. fol. atque inſcribitur: *Noui teſtamenti Ieſu Chriſti, graeci hoc eſt originalis linguae,* ταμεῖον, *aliis concordantiae, iam dudum a pluribus deſideratum; ita concinnatum, vt & loca reperiendi, & vocum veras ſignificationes, & ſignificationum diuerſitates per collationem inueſtigandi, ducis inſtar eſſe poſſit.*

A concordantiis graecis ad ebraeas progredimur; quarum primus auctor R. ISAAC NATHAN eſſe dicitur, qui & alias R. MORDECHAI NATHAN vocatur; qua de re legendus IO. BVXTORFIVS, *praef. cit. p. 5.* Hunc circa annum Chriſti 1438 ARLOTTI DE PRATO concordantias in linguam ebraeam tranſtuliſſe perhibent; vti iam antea obſeruauimus. Id ex ipſo auctore conſtare, eum ſolum ad exemplum concordantiarum latinarum, nouo prorſus labore, ſuas confeciſſe, eadem tamen, qua ARLOTTVS, vſum capitum diuiſione, additis de ſuo commatibus; docet IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 681.* Praeterea, ſi verum eſt, eum ARLOTTI exemplum ſequutum; ſub huius nomine concordantias latinas exſtitiſſe, neceſſe eſt; quod tamen IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, admittere non videntur, dum ſtrenue negant, ARLOTTO huic inuentarum concordantiarum laudem tribui poſſe. Qua de re itidem antea dictum. Quidquid eius ſit, *concordantiae* iſtae R. NATHANIS typis primum exſcriptae ſunt Venetiis a DAN. BOMBERGIO, anno 1523. & iterum an. 1564, porro Baſileae apud AMBROSIVM FROBENIVM, an. 1581, mendis quibusdam e prioribus editionibus ſublatis. Tunc vero MARIVS A CALASIO, Romae an. 1621 nouas *concordantias ebraeas*, quatuor voluminibus in fol. in lucem emiſit, in quibus textus ebraeus ex R. NATHANIS concordantiis eſt deſumtus, ordo quoque idem atque methodus retenta; in mendis autem, quae in numeris, itemque vocibus occurrebant, corrigendis, ſumma adhibita eſt induſtria; chaldaica porro ex Daniele & Esra ſuis locis maximam partem inſerta; & radicum expoſitionibus ebraicis R. NATHANIS, latina illarum interpretatio ſubiuncta; &, quae reliqua ſunt eiusdem generis, fuſius expoſita a IOAN.

Digitized by Google

BVXTORFIO, *praef. cit. p. 8.* Conferendus etiam tum de auctore hocce, tum de ipſo *concordantiarum* iſtarum opere, CAR. IOSEPHVS IMBONATVS, in *bibliotheca latino-ebraica p. 156.* Enimuero, cum ne ſic quidem concordantiae ebraicae, omnibus numeris abſolutae, exſtarent; eumdem laborem in ſe ſuſcepit IO. BVXTORFIVS pater, qui quid praeſtiterit, abunde & copioſe docet IOAN. BVXTORFIVS filius, cuius opera & ſtudio concordantiae iſtae prodierunt Baſileae an. 1632, fol. in *praefatione* lectu digna, vtpote in qua hiſtoriam quamdam concordantiarum exhibet, ideoque non ſemel nobis iam laudata. Inſcribitur hocce opus: *concordantiae bibliorum ebraicae, noua & artificioſa methodo diſpoſitae, in locis innumeris deprauatis emendatae, deficientibus plurimis expletae, radicibus antea confuſis diſtinctae, & ſignificatione vocum omnium latina illuſtratae &c. acceſſerunt nouae concordantiae chaldaicae omnium vocum, quae corpore bibliorum ebraico continentur.* Quantumuis autem BVXTORFIVS eorum, qui ante eum in hoc labore occupati fuerunt, induſtriam ſuperarit; non ita tamen omnia exhauſit, quin a nonnullis quaedam deſiderentur, cuiusmodi ſunt I) quod non tantum nomina propria, ſed etiam particulae indeclinabiles, quarum ingens in ſcripturae ſacrae interpretatione vſus eſt, in hiſce concordantiis deficiant; II) quod allegationes capitum & verſiculorum, non vſitatis numerorum notis, ſed, in vſum & gratiam Iudaeorum, litteris ebraicis expreſſae ſint; III) quod puncta ſint omiſſa, cum non cuiusuis ſit, textum ebraeum ſine punctis legere; IV) quod formae vocabulorum diſtinctae non ſemper diſtincte ſint propoſitae; V) quod non raro metaphorica vocis ſignificatio ante propriam fuerit poſita; VI) quod diuerſae conſtructionis, ex qua tamen interdum diuerſa oritur ſignificatio, non ſemper habita fuerit ratio. Ex his tamen, quod primo poſitum eſt loco, praecipuum momentum trahit, cum de particularum, quas vocant, indeclinabilium genuina ſignificatione, ſcripturae interpretem vel maxime ſollicitum eſſe oporteat. Huncce tamen defectum deinde ſuppleuit CHRISTIANVS NOLDIVS, theologus Haffnienſis, ob alia quoque ingenii monumenta orbi erudito haud ignotus, cuius *concordantiae particularum ebraeo-chaldaicarum veteris teſtamenti, in quibus partium indeclinabilium, quae in fontibus occurrunt, & hactenus in lexicis & concordantiis non ſunt expoſitae, natura & ſenſuum varietas oſtenditur,* Haffniae an. 1679, 4. De quo quidem opere IO. MOLLERVS pronuntiat, iſtud a IOAN. BVXTORFIO, MART. TROSTIO, THOMA BANGIO, IO. SVANINGIO, aliisque fruſtra exſpectatum, a NOLDIO autem orbi erudito inſigni cum adplauſu τῶν φιλιβραίων tandem exhibitum eſſe, in *hypomnematibus* ad ALB. BARTHOLINI librum *de ſcriptis Danorum p. 190.* IO. CLERICVS illud, ceu vtile & doctum laudat, licet ſimul exiſtimet, NOLDIVM particularum ſignificationes ex linguae latinae conditione nimis multiplicaſſe, in *diſſert. de optimo genere interpretum ſcripturae*, quae inter prooemiales, quas *commentario in geneſin* praemiſit, ſecunda eſt, *§. VI.* Nonnullos, qui *concordantias ebraeas* BVXTORFII in compendium miſerunt, recenſet IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. cap. XV. p. 401.* Conferendus & IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 682.*

Tandem & de concordantiis germanicis aliquid dicendum eſt. In his vero ad ductum verſionis germanicae beati LVTHERI concinnandis ſingularem induſtriam collocauit CONR. AGRICOLA, typographus Norimbergenſis, cuius *concordantiae*

tiae an. 1610 lucem adſpexerunt publicam, & tum alias, tum & ſtudio & opera CHRIST. ZEISII recuſae ſunt Francofurti an. 1653, fol. cuius & *ſupplementum concordantiarum biblicarum Conradi Agricolae* ſeorſim prodiit Francofurti an. 1664, 4. Idem in *praefatione* hiſtoriam quamdam concordantiarum germanicarum ſuppeditat, &, quid PETR. PATIENS, IO. NIEDLINGIVS, MART. GVMPRECHTVS, aliique hac in re praeſtiterint, exponit. Recenſet etiam hosce aliosque IAC. LE LONG, *biblioth. ſacr. cap. XV. p. 409, ſeqq.* ſecundum editionem Lipſienſem. Omnium denique induſtriam multis modis ſuperauit FRID. LANCKISCHIVS, in *concordantiis bibliorum germanico-ebraico-graecis*, ſiue *deutſcher, hebraeiſcher, vnd griechiſcher Concordantz-Biebel*, opere laborioſiſſimo & exquiſitiſſimo, quod primum an. 1677, auſpiciis Erneſti pii, Saxoniae ducis, prodiit, & an. 1688, 96, & 1705 recuſum eſt. Ita vero concordantiae iſtae concinnatae ſunt, vt primum voces germanicae ordine alphabetico exhibeantur, tum vocabula ebraea & graeca, quae in textu originali illis reſpondent, ſubiiciantur, & per certa ſigna, ad quamnam vocem germanicam in ſubſequentibus dictis quodlibet eorum referendum ſit, indicetur. Conſtitutum LANCKISCHIO fuerat, tria concordantiarum volumina dare, quorum primum germanicis, alterum ebraeo-chaldaicis, tertium graecis vocabulis euoluendis inſeruiret; attamen non niſi primum illorum, anno, vti dictum, 1677 publicam in lucem prodiit. Ad alterum & tertium quod attinet, cum moles operis multos deterrere potuiſſet, ſi eadem ratione ederentur; vtrumque, ſuaſore beato MART. GEIERO, in epitomen bipartitam coactum, & an. 1680 in forma quadripartita maiori euulgatum eſt. Inſtituti rationem vel ex inſcriptione intelligere licet, quae haec eſt: *concordantiae bibliorum ebraico- & graeco-germanicae, duabus partibus abſolutae, quarum prior voces omnes ebraicas & chaldaicas veteris teſtamenti, poſterior vero omnes graecas, tum noui teſtamenti authenticas, tum in apocryphis vſurpatas, & quae in verſione LXX leguntur, vtrobique cum ſignificatis germanicis e verſione beati Lutheri ordine alphabetico recenſet: magni concordantiarum operis, a M. Friderico Lanckiſch conſcripti, epitome.* Atque iſtae ſunt praecipuae, quarum quidem mentionem faciendam eſſe duximus, concordantiae; de quarum vſu ex inſtituto commentatus eſt ANDR. GLAVCHIVS, in *ſchediaſmate de concordantiarum biblicarum vſu*, tertium edito Lipſiae an. 1694, 8. vbi & ſpeciatim *de concordantiis Lanckiſchianis earumque vſu* agit, *cap. VI. p. 126. ſeqq.* Conferre etiam iuuabit IO. HENR. FEVSTKINGII *hodegeticum concordantiale, ſiue de recondito concordantiarum Lanckiſchianarum vſu in homiliis ſacris, hypomnemata &c.* Lipſiae an. 1699, 8. Inſignem vtique atque multiplicem concordantiarum eſſe vſum, negari nequit; non minorem tamen etiam earum eſſe abuſum, certum eſt; qua de re multa dici poſſent, ſi id huius loci eſſet. A concordantiis hisce, de quibus hucusque loquuti ſumus, quasue nonnulli *verbales* vocant, diſtingui ſolent *reales*, ſeu indices & promtuaria rerum, aut vocum & rerum ſimul, quae in ſcriptura ſacra continentur. Quarum cum in homileticis vſus praecipuus ſit; vt iis recenſendis immoremur, neceſſe non eſt. Quasdam indicat ANDR. GLAVCHIVS *l. c. cap. I. §. XXII. p. 20.*

§. XIII. Quantumuis vero magnus & infinitus fere numerus illorum ſit, qui ab initio eccleſiae ad noſtra vsque tempora in ornanda excolenda-

lendaque theologia exegetica ſtudium operamque collocarunt; plurimos tamen etiam ea id feciſſe ratione, negari nequit, vt fructum, quem ex ſacrarum litterarum tractatione omnes merito exſpectant, impediuerint, tantum abeſt, vt aut ipſi eumdem perceperint, aut, vt alii percipere poſſent, aliquid contulerint. Quorum quidem exemplum cautiores nos reddere debet, vt & hic circumſpecte incedamus, ac, ſcopulos, ad quos alii naufragium fecerunt, diligenter euitantes, in ſacrarum litterarum tractatione ita verſemur, ne fine, que: omnibus conſtitutum eſſe decet, excidamus.*

* Quam multos a primo eccleſiae initio ad noſtra vsque tempora ſcripturae ſacrae interpretatio occupatos tenuerit; quantam ingenii vim, quantam induſtriam, quantum eruditionis adparatum nonnulli, dum ad eam acceſſerunt, ſecum attulerint; ex iis, quae hucusque copioſe ſatis diſſeruimus, abunde liquet. Tot tamen hominum, praeſtantiſſimorum etiam doctiſſimorumque, quales haud paucos fuiſſe, negari nequit, labori & diligentiae non ſemper reſpondiſſe fructus & commoda, quae inde ſperari poterant, non minus longe eſt certiſſimum. Cuius rei cum non alia reddi ratio queat, quam quod non omnes eo, quo decet, modo iſthoc in negotio verſati ſint: horum pariter ac eorum, qui rectam viam ingreſſi ſunt, nobis proponere exempla iuuabit; illorum quidem, vt euitemus, quae noxia ſunt; horum autem, vt vtilia & profutura conſectemur. Quod vt eo rectius fiat, & vt ſimul eorum, quae per integrum hocce caput fuſe tradidimus, vſus eo magis innoteſcat: ſummatim naeuos, qui hinc inde in iſtius generis ſcriptoribus deprehenduntur, & quae hinc fluunt incommoda, indicabimus; & quanta circumſpectione & prudentia opus ſit, ne fine, quem quisque ſibi in ſcripturae interpretatione conſtitutum habere debet, excidamus, commonſtrabimus.

Hic vero vt ab ipſo codice ſacro, eiusque textu originali incipiamus; primo ſtatim ſe offerunt loco critici iſti atque profani homines, qui intempeſtiua ſua diligentia aut diuinam ſcripturae ſacrae labefactare auctoritatem, aut librorum ſacrorum in dubium vocare γνησιότητα, aut textus ſacri ſollicitare integritatem, eumque corruptum ac deprauatum, contendere, ſuarum duxerunt eſſe partium. Quorſum & illi cumprimis pertinent, qui variantium in nouo teſtamento lectionum ita auxerunt numerum; vt nihil tandem in eo relinquatur certi, aut quibusuis interpretationibus feneſtra aperiatur. Iſti vero omnes, vt ſe iuratos potius ſcripturae ſacrae hoſtes profitentur, quam vt ad eius aut interpretationem, aut illuſtrationem aliquid conferant: ita laudandum equidem contra illorum inſtitutum, & vehementer commendandum, qui iis ſe opponunt, & ineptias illorum ac ſophismata profligant: ſimul tamen dolendum, quod plurimi hisce controuerſiis ita immorentur, vt ad id, quod caput cauſſae eſt, non perueniant; immo & aliis hac ratione aditus ad ſcripturam ſacram tot difficultatibus circumſeptus videatur, vt in ipſo ſtatim ſubſiſtant limine, nec vlterius progredi audeant. Idem & de illis cenſendum, qui verſionem quamdam ita extollunt, vt non tantum eodem, ac textum originalem, eam habeant loco, ſed illi omnino praeferant. Nihil enim aliud agunt, quam vt pro certis incerta nobis obtrudant, controuerſiisque & certaminibus, finem non habi-

habituris, cuncta impleant, & ita iterum impedimenta quam plurima aliis obiiciant, quo minus ad id, quod in ſcripturae ſacrae tractatione praecipuum eſt, pertingere queant. Documento eſſe poſſunt, quae de verſione graeca LXX interpretum, occaſionem praebente ISA. VOSSIO, itemque de latina vulgata cum romanenſibus diſputantur; de quibus omnibus ſupra ex inſtituto dictum. Qui autem nouas ipſimet verſiones condunt; multorum equidem commodis praeclare conſulunt, ſi ſuo recte fungantur officio: non minus tamen & quam plurimos ſaepe in errorem inducunt, & vt a recto veritatis aberrent tramite, efficiunt, ſi in verſione, quam concinnarant, non ſpiritus ſancti, ſed ſuum ſenſum exprimant, ſcriptoresque ſacros loqui iubeant, non quod loqui voluerunt, ſed quod interpreti placet. Quam late, quae hinc oriuntur, incommoda pateant, cum omnes facile intelligant, pluribus exponi, neceſſe non eſt. De iis interpretum erroribus, quos ex ignorantia commiſerunt, nunc nihil dicam.

Ad illos itaque, qui ſcripturam ſacram commentariis aut adnotationibus, vel alia ratione explicarunt, nos conuertimus, de quibus paullo copioſius dicendum eſt. Vbi quidem ſi ſcopum & finem, quem ſibi conſtituere ſolent, ſpectes, triplex fere inter eos intercedit diſcrimen. Nonnulli ad vſum moralem aut doctrinalem omnia ita referunt, vt de ſenſu litterali non adeo ſint ſolliciti; quod plerorumque eccleſiae patrum, myſticas, & allegoricas ſcripturae interpretationes ſtudioſe conſectantium, fuiſſe vitium, conſtat. Alii, dum ad ſenſum litteralem inueſtigandum omnes ingenii vires conferunt, vlterius non progrediuntur, ſed ibi ſubſiſtunt, de vſu, quem ad fidem confirmandam, vitamque recte inſtituendam, aut pios animi motus excitandos ex ſcripturae tractatione referre poſſent, parum ſolliciti. Hoc plurimis ex recentioribus contigit, iis praeſertim, qui, artem criticam & grammaticam, linguarumque originalium notitiam, vtramque in ſcripturae ſacrae explicatione facere paginam, ſibi perſuadent; ſuiſque hinc ita ſaepe delectantur inuentis, atque obſeruationibus, vt cetera non curent, immo in minimis ponant. Alii denique media velut via incedunt, & ſenſum praecipue litteralem per ſubſidia hermeneutica eruunt, vt tamen ad dogmata ſimul attendant, & cuncta ad vitae chriſtianae praxin diligenter referant.

Quod ad primam claſſem, eorum ſcilicet, qui inſuper habita litteralis ſenſus inueſtigatione, allegorias vbique, aut myſticas interpretationes, quaerunt, attinet; negandum equidem non eſt, atque ex ſupra quoque dictis patet, hancce explicandi ſcripturam rationem longe eſſe antiquiſſimam, & a Iudaeis ad chriſtianos primum deriuatam. Eos etiam, qui illam primum aut introduxerunt, aut ſequuti ſunt, ſcopo & conſilio neutiquam vituperando hoc feciſſe, longe eſt certiſſimum. Demonſtrare enim hac ratione volebant, ſcripturam ſacram non ideo litteris conſignatam, vt vanae mortalium curioſitati inſeruiret, ſed vt inde numquam non depromerent, quae illos & ſapientiores, & meliores reddere poſſent. Cumque olim Iudaeis in libris ſacris veteris teſtamenti, ad πιρτάσεις ſaltem hiſtoricas quod attinet, multa magis clara & perſpicua eſſent, quam hodie nobis ſunt, aut illis, qui ſequenti vixerunt aetate, fuerunt: neceſſe quoque non erat, vt ſenſui litterali inueſtigando tantopere immorarentur. Eo minus vero mirandum, quod veteris eccleſiae doctoribus haec ipſa ſcripturam explicandi ratio placuerit; quod & illi crederent, in ſcripturae lectione vnice hoc agendum, vt quae fidem alere ac fouere, vitamque inſtruere poſſunt,

 inde

inde hauriamus, reliqua non magnopere ad nos pertinere. Quantumuis autem nec deeſſent, qui ſenſum litteralem inueſtigare adgrederentur; quod & eo magis neceſſarium erat, quo plures, quoue grauiores ſucceſſu temporis circa eum oriri poterant difficultates: praeualuit tamen fere myſtica illa & allegorica interpretandi ratio, pluribusque ob inſignem, quem in vitae fideique praxi habere videbatur, vſum, ſe commendabat. Qui deinde, cum, litteris melioribus fere exſtinctis, ſumma barbaries atque ignorantia orbem chriſtianum occupaſſet, ad ſcripturam ſacram explicandam accedebant, ad ſenſum myſticum & allegoricum amplectendum eo erant proniores, quo minus ad litteralem inueſtigandum, omnibus quippe praeſidiis deſtituti, erant idonei. Atque ita etiam ſe res habuit, cum ſcholaſticorum regnum exortum eſſet. Tametſi enim inter eos inueniebantur, qui ſenſum litteralem recte aeſtimabant; hi ipſi tamen viribus, ad aliquid laude dignum efficiendum, deſtituebantur: plerique contra non modo myſticum allegoricumque vnice conſectabantur ſenſum, ſed ad ineptias ſimul futiles, prorſusque pueriles prolabebantur. Cum autem tandem, pulſis ignorantiae & barbariei tenebris, bonarum litterarum lux iterum exoriretur, & mox eccleſiae ſequeretur emendatio: ad ſcripturae ſacrae interpretationem, ſimulque ſenſum litterarum, magnis tenebris inuolutum, & tantum non conſepultum, poſtliminio reſtituendum, certatim ſtudia ſua contulerunt viri doctiſſimi, iisque praeſidiis affatim inſtructi, quae non poterant non felicem polliceri euentum. Parumque abfuit, quin allegorica ſcripturae ſacrae prorſus proſcripta & eliminata fuiſſet interpretatio, niſi romanenſium interfuiſſet, ſententiam de multiplici ſcripturae ſenſu retinere, vt illam eo facilius obſcuritatis cuiusdam ac ambiguitatis arguere, & ita traditionibus ſuis locum facere poſſent. Fuerunt tamen inter eos, qui, litteralem ſenſum cum myſtico ſeu allegorico coniungentes, in illo inueſtigando & illuſtrando laudabilem operam collocarent. Immo eos, qui, litterali inſuper habito, ſolum myſticum ſenſum conſectantur, ipſemet reprehendit, CORNELIVS A LAPIDE, *prooem. in prophetas minores*, *p. 7.* acrius autem paſſim RICH. SIMON eosdem perſtringit. Beatum MART. LVTHERVM noſtrum ſenſui allegorico non multum tribuiſſe, commentationes eius in ſcripturam ſacram ſatis teſtantur. Immo diſerte profitetur, ab eo tempore, quo ſenſum litteralem, ſeu, vt ipſe loquitur, ſententiam hiſtoricam amplexus ſit, ſe ab allegoriis abhoruiſſe, nec iis vſum, niſi vel ipſe textus eas oſtenderet, vel interpretationes ex nouo teſtamento poſſent ſumi. Effata quaedam eius huc ſpectantia exhibet WOLFG. FRANZIVS, in *praefatione, tractatui de interpretatione ſacrarum ſcripturarum maxime legitima* praemiſſa, *p. 18. ſeqq.* DESIDERIVS contra ERASMVS Roterodamenſis myſticam, ſeu allegoricam interpretationem, vtpote ad alendam fouendamque pietatem vel maxime comparatam, vehementer commendat; in *enchiridio militis chriſtiani, cap. II. §. XVII. ſeqq. p. 18. ſeqq.* *Ex interpretibus*, inquit, *diuinae ſcripturae eos potiſſimum delige, qui a littera quam maxime recedunt; cuiusmodi ſunt inprimis poſt Paullinum, Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Video enim neotericos theologos litterae nimium libenter inhaerere, captioſis quibusdam argutiis magis, quam eruendis myſteriis operam dare, quaſi vero non vere dixerit Paulus, legem noſtram ſpiritualem eſſe.* Et iterum, quibusdam interiectis: *Magis ſapiet, magis paſcet vnius verſiculi meditatio, ſi rupta ſiliqua medullam erueris, quam vniuerſum pſalterium ad litteram decantatum.*

Quod

Digitized by Google

Quod quidem ego, ita pergit, *hoc diligentius admoneo, quod re ipſa cognitum habeam, errorem hunc non vulgi modo animos paſſim occupaſſe, ſed & eorum, qui veſtitu & nomine perfectam religionem profitentur, vt putent, ſummam pietatem hac vna in re ſitam, ſi quam plurimum pſalmorum, vix etiam ad litteram intellectorum, quotidie percenſeant. Neque aliud in cauſſa eſſe iudico (quod videmus) monaſticam pietatem ſic vbique frigere, languere, euaneſcere, quam quod in littera conſeneſcunt, neque ad ſpiritualem ſcripturarum cognitionem elaborant. Neque audiunt Chriſtum in euangelio clamantem: caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui viuificat; non Paulum magiſtrum adſtruentem: littera occidit, ſpiritus eſt qui viuificat; &, ſcimus, quoniam lex ſpiritualis eſt, non carnalis; &, ſpiritualia ſpiritualibus comparanda. Olim in monte, nunc in ſpiritu vult adorari pater ſpirituum.* Quae quidem non ſine grano ſalis accipienda ſunt. Enimuero, ſi comparate intelligantur: commentarios eorum, qui cuncta ad vitae vſum referunt, illorum, qui tricis & ſterilibus argutiis immorantur, praeferendos eſſe; longe ſunt veriſſima. At, ſi ita capiantur, ac ſi allegoricae interpretationes ἁπλῶς, & ſine exceptione, praeferendae ſint litteralibus; prudentiorum adſenſum non impetrabunt. Nec etiam id voluiſſe, aut ſibi perſuaſiſſe ERASMVM, exiſtimo. Nimirum, quemadmodum citra controuerſiam peccant, qui, miſſo ſenſu litterali, ad myſticas & allegoricas accommodationes prolabuntur; ita rurſus nec illi excuſandi ſunt, qui in ſenſu litterali inueſtigando ſubſiſtunt, nec ad vſum, quem ad fidem confirmandam, aut vitam recte inſtituendam, inde haurire decet, reſpiciunt. Hi namque ſcripturam ſacram non alio loco habere videntur, quam ſcriptores profanos, quorum intellexiſſe mentem ſatis eſt, vt de iis, quae dicunt, ad vſum transferendis nos minime ſollicitos eſſe, neceſſe ſit. Atque nihil ſane frequentius fuit, poſtquam viri quidam, cetera doctiſſimi praeſtantiſſimique, non tantum linguarum, qua inſtructi fuerunt, notitam, grammaticaeque & criticae artis peritiam, ad ſenſum litteralem eruendum, magna diligentia adhibuerunt; ſed in ſcripturae quoque ſimul interpretatione ſe ſolos ſapere, & apertis videre oculis, reliquos omnes aut deſipere, aut caecutire, ſibi aliisque perſuadere voluerunt. Qua quidem ratione commentarii quam plurimi prodierunt, magno criticae ac philologicae eruditionis adparatu turgidi; aut potius magna rerum inanium, & ad rem parum facientium, copia referti; ſimul tamen, intuitu rerum, ad quas vel maxime in ſcripturae ſacrae nos attendere decet explicatione, ſteriles atque prorſus ieiuni. Exemplis hoc comprobare, neceſſe non eſt; cum ea ex ſupra commemoratis petere liceat. Quod vitium dum euitare deinceps voluerunt alii, in alterum iterum prolapſi ſunt extremum, & allegoricam myſticamque ſcripturam interpretandi rationem poſtliminio in ſcenam produxerunt. Nihil nunc de IO. COCCEIO dicam, eiusque ſectatoribus, quorum iam ſupra facta eſt mentio. Laudandi quidem iſti maximopere, quod a vocibus formulisque ad ſublimius quid ac excelſius, rerum nimirum ipſarum conſiderationem, in ſcripturae ſacrae explicatione ſtudia ſua conuerterint, ipſumque Chriſtum, de quo & Moſes omnesque prophetae teſtantur, in ſacris litteris quaeſiuerint; id vero dum egerunt, dumque ſuo nimis frena laxarunt ingenio, typosque & imagines vbique inueniſſe ſibi viſi ſunt, conſepultam pridem reſuſcitarunt allegoricam myſticamque ſcripturae interpretationem. Idem & cumprimis illis contigit, qui fanaticorum nomine veniunt. Huic enim hominum generi cum critica philologicaque ſtudia alias

quoque

quoque ſordeant: eo minus eiusmodi illis placere potuerunt commentarii, in quibus eorum ad exceſſum vsque abuſus deprehenditur. Quo magis contra allegorica myſticaque interpretandi ratio pietatem alere, fouere, excitare videtur: eo auidius ab iis arrepta, eo diligentius frequentata; praeſertim cum ad paradoxa quaeuis, ſub ſcripturae ſacrae inuolucro proponenda, perquam adcommodata eſſet. Quo in genere neſcio an illuſtrius exemplum inueniatur, quam illud, quod IAC. BOEHMIVS dedit, in *myſterio magno oder Erklaehrung über das erſte Buch Moſis, von der Offenbahrung goettlichen Worts durch die drey principia goettliches Weſens, auch vom Vrſprung der Welt und der Schoepffung &c.* cum reliquis eius operibus Amſtelodami an. 1682, 8. edito. An auctor omnia, quae in hocce commentario ſcripſit, ipſe intellexerit, neſcio: hoc certum eſt, plurima in eo occurrere, de quibus, an ab vllo mortalium clare & perſpicue intelligi queant, merito dubites. Placuit vero etiam allegorica ſcripturae interpretatio, quod mireris, recentiori aetate, philoſophis quibusdam, quibus ad eam ſe recipere commodum viſum, quoniam ſenſum ſcripturae litteralem commentis ſuis obſtare intelligebant. Ad THOM. BVRNETIVM hic prouoco, qui cum, narrationem Moſaicam de prima rerum origine cum ſua orbis theoria pugnare, videret, veritatemque adeo narrationis Moſaicae euertere vellet: myſticam ſeu parabolicam explicationem in ſubſidium vocauit; in *archaeologia philoſophica, lib. II. c. VII. p. 449. ſeqq.* Quo nomine dum eum auctor libri: *Moſes vindicatus, ſiue adſerta hiſtoriae creationis mundi, aliarumque, quales a Moſe narrantur, veritas &c.* inſcripti, qui Amſtelodami an. 1694, 12. prodiit, reprehendit; ſummatim, quae de myſticae & allegoricae interpretationis ſectatoribus dici poſſunt, hunc in modum complectitur: *in illa otioſorum hominum arte ſuum olim ingenium Eſſeni exercuere, ſuamque illa ſolitudinem monachi, infauſta Eſſenorum propago, iam pridem exhilarant. Monachos ſequuti ſunt Weigelii, Stifelii, Boehmii, aliique fanatici, gens omnino inficeta, & malis auibus nata, quippe quae vna cum bonis litteris, ſenſum communem exſtinguere velle inerti ac ſtolida coniuratione videntur. Iudaeorum doctores hic praetereo, qui ſtupendum in modum in hoc genere luxuriarunt. Gnoſticos ſileo, haereticorum peſſimos, qui impietatem ſuam iſtiusmodi integumentis cooperiebant. Origenem mitto, quem etiam in illam allegoriarum faecem nimium forte philoſophiae ſtudium, haud ſecus ac Burnetium, teſte vniuerſa Chriſti eccleſia, detruſit. Nibil hic de Maximo loquor, ſancti Dionyſii ſcholiaſta, quem ſuis viri docti virtutibus exornarunt; nihil de Hugone de ſancto Victore, cuius de allegoriis veteris ac noui teſtamenti libros vel omnium maxime patienti excutiant ineptiae, quibus referti ſunt;* &c. *cap. VI. p. 115. ſeqq.* Atque iſtud quidem intempeſtiuum, immo inſanum allegoriarum in ſcripturae ſacrae interpretatione ſtudium, vt iure meritoque damnatur; ita rurſus cauendum, ne omnes ſimul expoſitiones myſticas reiiciamus. In quibusdam enim ſcripturae locis ſenſum myſticum, quem alii adcommodationem, ex intentione ſpiritus ſancti profectam, vocant, obtinere, negari nequit. Idque cum ex ipſius ſcripturae ſacrae indicio quodam conſtat: recte omnino atque praeclare agunt, qui in ſenſu myſtico eruendo ſtudium operamque ſuam collocant. Ad iſtam vero adcommodationem, quam ſpiritum ſanctum intendiſſe, certis indicus probari nequit, quod attinet; licet pro *ſenſu* quodam ſcripturae perperam venditetur, omnique ad aliquid probandum robore, & efficacia deſtituatur; non prorſus tamen improbanda, ſi caute

ac

ac ſobrie inſtituatur; cum ad pios animi motus excitandos, fouendos, alendoſque interdum plurimum valeat. Caute vero ſobrieque inſtituitur, ſi caueamus, ne ſenſus litteralis, qui tum vnicus ſenſus eſt, negligatur aut poſtponatur; neue veritati hiſtoricae aliquid derogetur; porro ſi nihil adferatur, quod analogiae fidei aduerſetur, vel alia quacumque ratione menti ſpiritus ſancti repugnet; denique, ſi vanis ineptiſque ſpeculationibus omnibus procul faceſſere iuſſis, ad fidem confirmandam, vitamque recte inſtituendam, cuncta referantur. Sed haec iam obſeruaui in *inſtitut. theol. dogmat. tom. I. lib. I. cap. II.* ad *§. XXV. p. 163.* Addo ſolum, quae eumdem fere in modum hac de re IO. CONR. DANHAVERVS diſſerit. *Abhorreo*, inquit, *ab allegorimania. Influit allegoria in animos hominum, mouet, illuſtrat, ſuumque meretur & locum & elogium, praeſertim ſi ſcripturis ſacris ſit innata, non e proprio cerebro illata; ſi manu, non culeo feratur, poſt fundamenta fidei recte poſita &c. Sed cenſoria virgula digna eſt allegorizandi prurigo, cum vetuſtiſſima illa Origenica, tum ſcholaſtica, ac barbarica vetus in homiliis paſſim deprehenſa, cuius matrem fuiſſe litteralis ſenſus difficultatem, nutricem pigritiam clericorum, recte cenſet Sixtinus Amama &c. theol. conſcientiar. tom. I. part. II. dial. III. artic. VII. quaeſt. XV. p. 1017. & 1018.*

Laudandi itaque cum primis, & velut in exemplum, quod imitari decet, conſtituendi, qui media quadam via in ſcripturae explicatione incedunt, & primum de ſenſu litterali rite inueſtigando ſunt ſolliciti, linguarumque ac antiquitatum notitia, criticaeque artis & hermeneutices praeceptis ac regulis, huncce in finem, non autem ad vanam & inanem oſtentationem vtuntur; tum vero operam nauant, quod & in ſcripturae interpretatione praecipuum eſſe debet, vt ad doctrinam & mores inſtruendos, ſeu ad fidei ac vitae praxin, cuncta referant. RICH. SIMON, etſi illis plerumque palmam tribuere videatur, qui ſecundum regulas artis criticae & grammaticae ſcripturam ſacram exponunt, & eos reprehendat, qui dogmata admiſcent; diffiteri tamen nequit, optimam & perfectiſſimam interpretandi ſcripturam rationem hanc eiſe, ſi ſenſu litterali inueſtigato, ſtatim dogmata, quae in fide & vita nobis prodeſſe poſſunt, ſubiiciantur. Certe hoc nomine WOLFG. MVSCVLVM laudat, in *hiſt. crit. vet. teſt. lib. III. c. XIV. p. 439.* Interim & eos, qui quauis oblata occaſione controuerſias tractant, & ſubinde verba ſcripturae violenta quadam ratione, ad placita, quae defendenda ſuſceperunt, detorquent, idem auctor recte perſtringit. Nimirum, cum ſcriptura ſacra πρὸς ἔλεγχον data ſit, *II. Tim. III. 16.* recte omnino faciunt, qui eadem ad diſſentientium errores refutandos profligandoſque vtuntur; ſed eoſdem ſimul meminiſſe oportebat, eodem apoſtolo Paulo teſte, non ſolum ad ἔλεγχον, ſed & πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ſcripturam ſacram vtilem eſſe. Praeterea facile contingit, vt qui vnice controuerſias & diſſentientium refutationes in ſcripturae explicatione quaerunt, ad eaſdem properent, priuſquam verum & genuinum ſenſum ſatis expenderunt. Immo illud ipſum controuerſiarum ſtudium, ſi modum excedat, caligine quadam animum replet, obſtatque adeo ſaepiſſime, quo minus, qui eo infecti ſunt, verum ac genuinum ſenſum adſequi poſſint; dumque, verbis ſcripturae non recte explicatis, aut intellectis, pugnant; aërem verberant, magnoque conatu nihil agunt.

Qui in ſenſu litterali inueſtigando verſantur, iidem non vna incedunt via, ſed diuerſa vtuntur methodo. Nonnulli namque in artis analyticae praeceptis maximum praeſidium quaerunt, & adcurata textus reſo-

Digitized by Google

reſolutione lucem egregiam ſcripturae ſacrae ſe adfundere poſſe, exiſtimant. Apud alios contra linguarum originalium & earum, quae cum iis affinitatem quamdam habent, notitia vtramque facit paginam; hinc in vocum ebraearum & graecarum ſignificatione inueſtiganda, & aliorum locorum, in quibus occurrunt, parallelismo, variarumque verſionum, orientalium praecipue, collatione, ſtudium omne atque induſtriam collocant. Alii rurſus, ex rabbinorum plurimum ſe proficere poſſe commentationibus exiſtimant, ſimulque in ritibus, & antiquitatibus iudaicis perſcrutandis toti ſunt, vt inde aliquid lucis ſcripturae ſacrae foenerentur. Alii denique in alio quodam litterarum genere, cui ſe tradiderunt, aliquid inueniſſe ſibi viſi ſunt, quod ſcripturae ſacrae cum primis inſeruiat explicationi. Vt enim quisque ſcientiam, aut artem, quam didicit, maxime extollat; ſine ea ſcripturae ſacrae non recte procedere interpretationem, ſibi aliisque perſuadere adnititur. Sed in hisce omnibus modum tenendum, res ipſa docet. Qui enim vnum ex hisce praeſidiis hermeneuticis auide nimis arripiunt, ſaltem plus, quam decet, illi tribuunt, praeſertim ſi & reliqua negligant; quam longiſſime ſaepe in ſcripturae interpretatione a recto tramite diſcedunt, & pro Iunone, quod aiunt, nubem & inania prenſant. Non abnuo, quosdam noſtratium interdum hac in re peccaſſe: ſed qui, omnium hoc vitium eſſe, aut, reliquos, qui ex noſtratium numero non ſunt, eius plane immunes eſſe, dixerit; nihil aliud aget, quam vt aut ignorantiam, aut animi malignitatem, prodat. Idque velim ſibi dictum putent auctores *commentariorum hiſtoriae ſcientiarum & bonarum artium*, qui Triuoltii prodeunt, *(memoires pour l' hiſtoire des ſciences & des beaux arts)* dum de commentariis noſtratium in ſcripturam ſacram, velut dictatoria quadam poteſtate ita pronuntiant: *les interpretes de cette communion ſuivent, en expliquant l' ecriture, vne methode qui n' a ni beaucoup d' agrement, ni beaucoup d' vtilité; ils s' attachent a faire des analyſes metaphyſiques de chaques verſes qu' ils expliquent; leur morale eſt froide, vague, & commune; ils chargent leurs notes d' une erudition confuſe, & le gout, qu' ont la plûpart d' entre eux pour le rabbinage ne leur permet pas de ſeparer le peu d' obſeruations vtiles qu' on trouve dans les docteurs Iuifs, du nombre prodigieux de fables & de fatuitez, dont les auteurs infidelles ſont pleins. Les Lutheriens ſont pour l' ordinaire les plus ennuyeux & les moins inſtructifs de tous le commentateurs de l' ecriture &c. menſe Febr. an. 1707. p. 365.* Nimirum, quoniam Ieſuitis in Gallia noſtratium commentarii non ad palatum ſunt, ideo nihil, quod placere queat, continent. Sed bene eſt, quod aliis placeant: quemadmodum nec omnes RICH. SIMONI diſplicuere, qui in romanenſium non minus, quam noſtratium ſcriptis, quae reprehenderet, inuenit. Non multum vtilitatis noſtratium commentarios adferre, non ſine impudentia dicitur, niſi forte parum vtiles cenſendi, in quibus ſenſus litteralis ſumma diligentia eruitur & inueſtigatur: qua in re noſtrates pontificiis palmam praeripere, adeo manifeſtum eſt, vt cum ipſa veritate certamen inire videatur, qui hoc negare velit. Certe maior inde ad omnes redundat vtilitas, quam ex ineptiis & puerilibus ingenii luſibus, qui in allegoricis interpretationibus, quae plurimis pontificiorum tantopere ſunt in deliciis, conſpiciuntur. Analyſes, ſi recte inſtituantur, & reliqua praeſidia hermeneutica coniungantur, neutiquam ſunt contemnendae. Quae ad formandos inſtruendosque mores noſtrates adferre ſolent, vti ex ipſis ſacrarum litterarum fontibus hauſta ſunt (nec enim aliam doctrinam moralem admittimus) ita ceu frigida, vaga, communia

munia reiici nequeunt, niſi eodem loco, quae ſcriptura ſacra tradit, habere velis. Quod ſi magis Ieſuiticae aequiuocationes, aut reſeruationes mentales, ſimiliaque commenta, ceu rariora placeant; aut ſi cenſores noſtri ex Pelagii fontibus ſua irrigare arua malint; iſtam quidem nos iis non inuidebimus felicitatem. Reliqua eadem facilitate, & meliori iure, in plurimos pontificiorum retorqueri poſſent, quo in noſtrates ſunt coniecta; ſi illud excipias, quod de rabbinorum vſu noſtratibus exprobrarunt. Cum enim pauci inter pontificios ſint, qui linguam ebraeam exacte calleant; pauciores, qui rabbinica legere aut intelligere queant: his ſane nec vti nec abuti poſſunt. Quod ſi concedamus, in quorumdam ex noſtratibus commentariis eiusmodi naeuos deprehendi; imprudentiae tamen, animique parum conſiderati notam, ne quid grauius dicam, auctores iſti, vel quisquis iſta ſcripſit, non effugient, dum ſtatim de omnibus Lutheranorum commentariis tam abiecte, ſimulque tam imperite iudicant. Certe ipſi illi noſtratium commentarii, quorum indicem quemdam ibi ſubiiciunt, vt IO. GE. DORSCHEI *in quatuor euangeliſtas*, AEG. HVNNII *in quatuor euangeliſtas & actus apoſtolorum*, SEB. SCHMIDII *in Ieremiam*, & reliqui, rectiora eos condocere potuiſſent, niſi animum ad obtrectandum obfirmaſſent.

Sed vt eo redeamus, vnde digreſſi ſumus; praeſidia iſta, quae commemorauimus, hermeneutica, vſum in ſcripturae ſacrae interpretatione habent longe maximum, ſi caute ſobrieque ea vſurpemus. Adcurata textus analyſis commendatur merito: ſed ſaepe contingit, vt aliquis, ſuis regulis nimis exacte inſiſtendo, ordinem & connexionem ſcriptoribus ſacris adfingat, quae numquam illis in mentem venit. Qua in re tum vel maxime interpretes peccant, cum ad adfectum loquentis, aut ſcribentis, non attendunt. Linguarum originalium, & earum, quae adfinitate quadam cum illis coniunctae ſunt, notitiam, ad ſcripturae ſacrae interpretationem partim neceſſariam, partim vtilem eſſe, nemo itidem ſanae mentis negauerit. Hoc autem ſolo praeſidio inſtructus ſi quis ad ſcripturae ſacrae interpretationem acceſſerit, reliquis adminiculis hermeneuticis, ſpeciatim rerum diuinarum intelligentia deſtitutus; parum ad rei ſummam proficiet. Immo in grammaticas & criticas minutias omnis tandem iſtorum hominum exit labor, dumque operoſe circa corticem verſantur, nucleum non attingunt. Idem & de illis cenſendum, qui in rabbinicis ac talmudicis ſcriptis excutiendis aetatem conſumunt, inde vt aliquid eruant, quod locis quibusdam ſcripturae obſcurioribus illuſtrandis inſeruiat. Quemadmodum enim hoc interdum non infeliciter faciunt, omnique ideo laude digni ſunt: ita dum ſubinde Iudaeorum commentis nimis delectantur, & quae illi de gentis ſuae ritibus & antiquitatibus tradunt, obtorto veluti collo ad ſcripturae dicta ex ſuo ingenio explicanda rapiunt: ſaepius, quae clara & perſpicua ſunt, obſcura & impedita reddunt, aut ad minimum magno labore quaedam congerunt, ex quibus nihil prorſus lucis ſacris litteris accedit. Immo, cum maior haud raro, quam decebat, apud eos Iudaeorum ſit auctoritas: eadem eousque abripiuntur, vt veteris teſtamenti effata & oracula, quae de Chriſto, aut myſterio trinitatis, agunt, more iudaico peruertant, & ad quaeuis alia detorqueant adeoque cum gente infeliciſſima deſipere, & in tenebris ambulare, quam ſapere cum chriſtianis, & lucem clariſſimam admittere, malint. Ex profanorum ſcriptorum, & quidem veterum, graecorum pariter ac latinorum, lectione, varia, quae interpreti ſcripturae ſacrae vſui eſſe queant, capi poſſe; itidem manifeſtum eſt, & viri doctiſſimi exemplo

ſuo comprobarunt. At vero & illud euidens eſt, nonnullos, hic quoque in deuia abreptos, intempeſtiua ſua diligentia effeciſſe, vt pro laude reprehenſionem iuſtiſſimamque aliorum referrent caſtigationem. Nec vna ratione peccant, qui voces, aut phraſes formulasque, aut dicta & effata ſcriptorum gentilium, congerunt, dum ſcripturam ſacram explicare volunt. Nonnulli enim eruditionis, aut ſi mauis memoriae oſtentandae cauſſa id faciunt, variaque ex poëtis, hiſtoricis, philoſophis ſine diſcrimine colligunt, quae, vt nihil vel parum lucis ſcripturae ſacrae adferunt, ita ad aliud quidquam non proſunt, quam vt commentarii molem augeant. Alii equidem maius iudicium, atque ſelectum quemdam adhibent; ſed non expendunt, voces quasdam aut formulas loquendi apud veteres ſcriptores graecos, ſiue hiſtorici, ſiue poëtae, ſiue philoſophi fuerint, longe aliud quid ſignificare, quam apud ſcriptores ſacros. Vnde aut aliquid magno conatu agunt, quod iterum nihil ad rem faciat, aut omnino lectores in errorem inducunt, efficiuntque, vt aut verba ſcripturae, aut effata ſcriptorum gentilium, perperam intelligant, ſi aut haec in illius, aut illa in horum ſenſu, accipiant. Copioſius hocce eruditorum quorumdam virorum vitium ediſſeruit vir doctiſſimus IO. LAVR. MOSHEMIVS, in *cogitationibus de eo, quod iuſtum eſt, circa ſacrarum litterarum ex graecis & latinis ſcriptoribus interpretationem & emendationem*, quae in eiusdem *obſeruationum ſacrarum & hiſtorico-criticarum libro primo*, Amſtelodami an. 1721, 8. edito, exſtant, *cap. I. p. 1, ſeqq.* IO. PRICAEVM, immo & ipſum HVG. GROTIVM, hac in re peccaſſe, ſupra iam obſeruauimus. MOSHEMIVS autem PRICAEO etiam addit THOM. GATAKERVM, atque ALEX. MORVM, atque de hoc ita pronuntiat: *Nec in Alexandri Mori eruditis alioqui obſeruationibus huius generis nonnulla deſunt. Qui ſi Medicaeis in Membranis aliquid ſacrarum litterarum non diſſimile vidit, ſine mora veluti cedro dignum deſcripſit, inuitoque ſcriptori ſacro alligauit. Vtilitatem horum laborum ſi quaeras, nullam me ſcire, fateor. Equidem illud ſaepe ex iis confirmatum ſenſi, ſapientiam & diligentiam non ſemper in vna ſede morari, magnumque interdum laboris & ineptiarum eſſe vinculum; aut hoc etiam, non raro qui prodeſſe volunt, potius obeſſe. Sed haec monita aliunde ſine negotio diſcuntur; l. c. §. VII. p. 27.* Eos cumprimis, qui obſeruationes in loca quaedam ſcripturae ſacrae ſeorſim edunt, quorum haud paucos ſupra commemorauimus, hoc ſibi datum credere, videas, vt aut ex ebraeorum, aut profanorum ſcriptorum, monumentis, nouam quamdam lucem ſcripturae ſacrae accendant. Qua in re dum ita verſantur, vt aliquid proferre ſatagant, quod hucusque nemini in mentem venit; ſubinde a veritate longiſſime aberrant. Tritam enim, etiamſi rectiſſima ſit, non aliam ob cauſſam deſerunt, viam, quam quia, quae vſitata, quaeue quotidiana ſunt, non placent. Dumque adeo dicere volunt, quae ab aliis dicta non ſunt; dicunt aliquid, quod ſilentio premere ſatius foret, quam in lucem proferre. Exemplis, cum ea ſe quotidie offerant, hoc a nobis confirmari, neceſſe non eſt.

Vltimo tandem loco & de diſcrimine, quod intuitu primi principii hermeneutici inter interpretes ſcripturae ſacrae intercedit, aliquid dicendum eſt. Nonnulli namque non aliud principium agnoſcunt, quam rationem: hinc etiam eum ſolum ſcripturae ſenſum admittunt, quem ratio capere poteſt; eum contra, qui rationis vim ſuperat, ceu ſpurium falſumque reiiciunt. Alii autem ad traditionem prouocant, eumque tantum ſenſum verum ac genuinum credunt, qui cum traditione, in eccleſia, cuius ſacra ſequuntur, recepta, conuenit. Ab vtris-


vtris-

Digitized by Google

IOAN. FRANCISCI BVDDEI
THEOL. D. ET P. P.
HISTORIA THEOLOGIAE
LITTERARIA CONTINVATA
ET
NOVIS ACCESSIONIBVS
ILLVSTRATA
SIVE
ISAGOGES HISTORICO-THEOLOGICAE
AD THEOLOGIAM VNIVERSAM
SINGVLASQVE EIVS PARTES
ADPENDIX
SVPPLEMENTA TVM VETERA; TVM NOVA,
ITEMQVE CONSPECTVM SPECIALEM TOTIVS OPERIS
VT ET INDICES
CONTINENS.

Digitized

Digitized by Google



ADDENDA QVAEDAM ATQVE SVPPLENDA.

AD LIBRI I. CAP. I.

P*Ag. 4. hinc vero iterum Halae &c. recuſum eſt.*) Prodiit etiam deinceps Wittebergae, an. 1727. 8. ſequenti ratione inſcriptum: *B. Martini Lutheri methodus ſtudii theologici interprete Hieronymo Wellero; ſubiectae ſunt notae & adpendix de ſtudio biblico aeui apoſtolici*, curante IOAN. GEORGIO IOCHIO. Quid in noua hac editione, quae plagulis duabus & dimidia conſtat, acceſſerit, ex inſcriptione conſtat. In praefatione vita Welleri ſummatim exhibetur, & elogia, quibus DAVID CHYTRAEVS, CONRADVS PORTA, LVCAS OSIANDER, & NIC. SELNECCERVS, Wellerum ornarunt, recitantur; Hallenſis autem, aut aliarum editionum, nulla fit mentio. Beato Luthero haecce methodus tribuitur, quia Wellerus, quae ex ore eius acceperat, litteris conſignauit.

p. 5. cumprimis tamen beatus Ioan. Gerhardus) Cum GERHARDVS in eo eſſet, vt ſtudio theologico ſe daret, conſilium, quo pacto rite in eo verſari deberet, a beato IOAN. ARNDIO expetiit, qui & methodum ei praeſcripſit, in epiſtola quadam, quam primus in lucem protraxit GVIL. ERNESTVS TENTZELIVS in *denen monathlichen Vnterredungen anno M D C X C. menſe Iul. p. 623. ſeqq.* Deinde quoque eam exhibuit ERDMANNVS RVDOLPHVS FISCHERVS in *vita Ioan. Gerhardi cap. III. p. 23. ſeqq.* cumque in ea nonnulla obſeruatu digna occurrant, illam hic quoque legiſſe poenitebit neminem: εἰρήνη. *Binas pro vnis accipe ad tuas geminas, quae ad me aduolarunt. Priores meas volante calamo fuſas potius, quam ſcriptas, vereor, vt poſſis legere, nec enim occaſionem tabellariorum negligendam ducebam. Ad illa, quae in ſuperioribus non attigi, paucula reſpondeo. Primum de libris theologicis comparandis. Biblia Vatabli ebraeo-latina; lexicon ebraeum vel Pagnini; vel Auenarii, conſilio profeſſoris ebraicae linguae; pro incipientibus ſufficit Auenarius. Extat biblicum opus illud Complutenſe editionis regiae Antvverpianae; in numero illorum tomorum vnus eſt, qui tex-*

tum biblicum continet cum inſerta verſione latina interlineari; ad marginem vero omnes radices hebraeas adnotatas habet. Si hunc tomum ſcorſim nanciſci potes, quemadmodum puto, ſine mora tibi comparato. Interpretes ſacrorum bibliorum, & commentatores, neſcio ſane quos tibi commendare debeam; quidam ſunt adeo populares, vt nihil rerum habeant; quidam tantum in cortice haerent; plurimi, quod pace aliorum dixerim, non ex ſpiritu, ſed ex carne ſcribunt. Regulam igitur hic hanc habe: in libris ſeligendis, antequam emas, aliquot pagellas euoluito, & attende, an ex corde & conſcientia tua loquatur auctor. Si percellit animum, & penetrat ſermo, viuus eſt & ex ſpiritu; ſin minus, ſpiritus carnis ibi dominatur. Bone (Deus) quanti hoc mihi conſtitit? antequam didici diſcernere libros illos, qui ex ſpiritu & qui ex carne ſcripti ſunt. Faſtus, auaritia, contentio, origo plurimorum librorum; carnales hi ſunt. Bernhardus ex ſpiritu ſcripſit, & Kempiſius, & Macarius; Spinaeus; & quidam Granatenſis; ſed poſtillam eius non magni facio, & Auguſtini quaedam. Inter omnes philoſophos neminem ſcio, qui ex ſpiritu ſcripſerit (qui vbi vult ſpirat) praeter vnum Senecam, quem ſi nec dum legiſti, per otium quaeſo legito; emas autem Godefredi editionem. R. Gvvaltheri commentarios, vti & Anetii, neſcio ſane an tibi debeam commendare: cogitabo de his altius. Epitomen hiſtoriae eccleſiaſticae Oſiandri, vsque ad nonum tomum deductam (nuper etiam decimum ſextum ſaeculum prodiit) vt emas & euoluas, auctor ſum. Hebraeae linguae cognitionem tibi commendo; & vt veram pronunciationem adſequare, emas pſalterium Hutteri harmonicum; ſed vide, ne nimis ſcrupuloſus ſis in illa lingua, ſufficit fundamentum ieciſſe. Sufficit etiam, ſic ſatis familiarem tibi reddidiſſe textum biblicum. Meditationibus ego ſacris plurimum laudis tribuo, praeſertim ſi ex intimo Dei amore & ſeria poenitentia proficiſcuntur; hic eſt meus liber praecipuus; de quo aliquando oretenus. Vale iterum & ſalue; 15. Mart. Brunſuigae 1605. Hancce epiſtolam, cum lucem adſpexiſſet, ſi non totam ſuppoſitam, certe aliquot periodos ab aliena manu illi inſertas, contendebat, atque adeo TENTZELIO, qui eam primus, vt diximus, ceu genuinam ediderat, non ſuffragabatur IOAN. CHRISTOPHORVS HOLTZHAVSENIVS in *dem teutſchen Anti-Barclaio adpend. II. p. 1203.* TENTZELIVS contra in ſua perſiſtebat ſententia, ſeque eam ex autographo beati ARNDII, cuius litteras pingendi ratio in aliis eius epiſtolis obuia, hic quoque conſpiciatur, ſancte teſtabatur. *l. c. menſe Nouembr. p. 976.* aliaque adhuc, quibus idem confirmari queat, adfert, *menſe Decembr. p. 1130.* GOTTFR. BALTHASAR SCHARFFIVS ea, quae HOLTZHAVSENIVM permouerint, quo minus epiſtolam hancce, certe integram ARNDIO tribueret, ſummatim ita complectitur; quod theologos noſtrates, qui ante Arndii etiam tempora in illuſtrando codice ſacro multam laudabilemque operam praeſtiterant, vilipendat; libros ex fallaci guſtu motusue animi perceptione diiudicari velit, & Senecam ipſius ſpiritus ſancti adflatu ſcripſiſſe perhibeat, quae communibus viri in ſcriptis ſuis ſententiis e diametro repugnent. Cumque & alia quaedam, idem vir doctus, huc ſpectantia commemoraſſet, tandem ſubiicit. *Res haec, fateor, ad liquidum deducta non eſt, ſuſpectae tamen valde nobis etiam hae litterae videntur;* in *ſupplemento hiſtoriae litisque Arndianae &c. §. V. p. 68.* Quemadmodum autem haecce epiſtola a genio beati ARNDII prorſus abhorret, ita non deerunt forte iis,

iis, qui eam genuinam exiſtimant, quae ad rationes ſecus ſentientium reſpondeant. Quando dicit: *interpretes ſacrorum bibliorum*, & *commentatores*, *neſcio ſane quos tibi commendare debeam; quidam adeo ſunt populares, vt nihil rerum habeant; quidam tantum in cortice haerent, plurimi, quod pace aliorum dixerim, non ex ſpiritu, ſed ex carne ſcribunt*, neutiquam eos, qui ante ſua tempora in illuſtrando codice ſacro operam ſtudiumque ſuum collocarunt, contemnit; ſed tantum eos non vnius eiusdemque generis eſſe docet. Idque ſi recte intelligatur, de noſtra quoque aetate longe eſt veriſſimum, qua magna commentatorum laboramus copia, quorum tamen pauciſſimi id, quod praecipuum eſſe debebat, ea, qua par eſt, ratione agunt. Regulam, quam porro de ſelectu librorum inſtituendo ponit, vtique non ſine grano ſalis admittenda. Videtur autem praecipue de eiusmodi libris, qui ad fouendum & excitandum pietatis & virtutis chriſtianae ſtudium comparati ſunt, loqui. Inter hos enim, qui animum percellunt & mouent, ſi ceteroquin ſani ſunt & cum ſcriptura exacte conueniunt, ceteris vtique ſunt meliores. SPINAEVS, cuius hic ARNDIVS, vel quisquis epiſtolae huius auctor eſt, mentionem facit, haud dubie IOANNES SPINAEVS, ſiue DE SPINA, Andegauenſis eſt, cuius tractatum *de prouidentia Dei ad fidelium conſcientias aſperis temporibus confirmandas & tranquillandas ad Henricum IV. Galliarum regem*, itemque opus *de tranquillitate animi*, praeter alios laudat THOMAS CRENIVS in *notis* ad ARNOLDI CLAPMARII *nobile triennium* in libellis *de eruditione comparanda &c. p. 349.* De Granatenſi, ſiue LVDOVICO illo Granatenſi conferendus NICOLAVS ANTONIVS in *bibliotheca hiſpana noua, tom. II. p. 30.* qui & *p. 32.* iudicium FREDERICI BORRHOMEI, cardinalis, de concionibus eius refert, quo confirmari quodammodo poteſt, quod in hac epiſtola dicitur: *ſed poſtillam eius non magni facio.* Grauiſſimum, quod circa hanc epiſtolam moueri dubium poteſt, illud eſt, quod in ea de Seneca dicitur. Quod, ſi auctor voce *ſpiritus*, generatim bona etiam naturalia Numinis intelligeret, inter quae & illud referendum, quod & ethnici interdum, non SENECA tantum, ſed & EPICTETVS, M. AVRELIVS ANTONINVS, aliique ſingulari quadam vi & efficacia de virtutis ſtudio loquuntur; tolerari vtcumque poſſet. Sin de ſpiritu ſancto, donisque adeo gratiae accipiatur, admitti nequit, & non tantum reliquis ARNDII ſcriptis aduerſatur, ſed & eo plane indignum eſt. Rectiusque adeo mea opinione exiſtimationi viri huius conſulunt, qui dubitant, an epiſtola, aut certe haecce eius pars ab eo profecta ſit, quam qui eiusmodi quid illi tribuunt, quod illi in mentem veniſſe, parum eſt veroſimile. Ceterum ſi auctor eius epiſtolae ſit, eam non anno 1605. ſed 1603. ad GERHARDVM non VVittebergae, ſed Ienae tum commorantem ſcriptam eſſe docet ERDMANNVS RVDOLPHVS FISCHERVS *l. c. p. 24.*

Pag. 7. Huius enim exſtat) Libellus hicce *DESID. ERASMI, *ratio ſeu methodus compendio perueniendi ad veram theologiam*, inſcriptus, ſeorſim etiam excuſus eſt Ienae, an. 1724. in 8. opera & ſtudio viri clariſſimi FRID. ANDREAE HALLBAVER; qui & illi eiusdem ERASMI *adhortationem ad ſanctiſſimum ac ſaluberrimum chriſtianae philoſophiae ſtudium* adiunxit, & *diſſertationem de ſcriptoribus methodorum, theologiam tractandi*, quae itidem huius loci eſt, praemiſit. Quatuor is abſoluitur capitibus, quorum *primum* prologum continet; *altero* de

 tribus

tribus linguis ad theologiam addiſcendam neceſſariis; *tertio* de neceſſariis reliquis ad theologiam addiſcendam diſciplinis, praecipit; *quarto* autem de ipſa ratione, ex ſcripturae fontibus perueniendi ad veram theologiam, copioſiſſime & elegantiſſime diſſerit. Commentatio haecce, optimis praeſtantisſimisque praeceptionibus abundans, dignisſima eſt, quae non ſemel, ſed ſaepius a theologiae cultoribus legatur.

p. 10. Stephani Gauſſenii, Salmurienſis theologi) *Diſſertationes* GAVSSENII *theologicae, de ſtudii theologici ratione; de natura theologiae; de ratione concionandi; de vtilitate philoſophiae in theologia; de recto vſu clauium*, vna cum *theſibus theologicis de verbo Dei*, tum alias prodierunt, tum & cum praefatione viri clariſſimi IOANNIS IACOBI RAMBACHII recuſae ſunt Halae an. 1726. 8. Nec ſine ratione pasſim a viris doctis commendantur; cum multum bonae frugis ex iis capere liceat. Merito itaque eas in *praefatione* laudat RAMBACHIVS, & *de prima*, quae *ſtudii theologici rationem* delineat, adſerit, *quod in ea aurea prorſus monita, de hiſtoria ſacra & eccleſiaſtica rite tractanda, de excolendo antiquitatum iudaicarum ſtudio, de ſolida controuerſiarum intelligentia comparanda, de auctorum profanorum lectione, litterarumque humaniorum cultura, de Theologia ſub iugum philoſophiae infeliciter miſſa, aliisque rebus quamplurimis, pasſim interſpergantur.*

De reliquis, quorum iniicere mentionem non placuit) Facere tamen nequeo, quin commemoratis THOMAM BENNETVM adhuc addam, cuius *introductio in ſtudium* I) *theologiae ſyſtematicae*, II) *articulorum XXXIX normalium eccleſiae anglicanae*, anglicana lingua ſcripta, Londini prodiit anno 1715. in 8. Licet enim inſcriptio *introductionem* ſolum *in theologiae ſyſtematicae ſtudium* polliceatur; hisce tamen auctor ſe non circumſcribit limitibus, ſed multa praecipit, quae generatim ſtudio theologico inſeruiunt, iisque, qui huncce campum ingrediuntur, vt per omnes eius partes animum circumferant, vſui eſſe queunt. Varia in hocce libello occurrunt, obſeruatu haud indigna, quaeue cumprimis illis placebunt, qui ſcire cupiunt, quae in Anglia hodie viris quibusdam doctis probetur theologiam tractandi ratio. Laudat ceteroquin BENNETVS maxime HIERONYMI *epiſtolam ad Nepotianum de vita clericorum*, iisque, qui rectam in ſtudio theologico ingredi viam cupiunt, commendat; quam ideo & integram ſuae *introductioni* ſubiunxit. Recenſetur liber hicce in *actis eruditor. Lipſienſ. anno MDCCXVI. menſe Maio, p. 206. ſeqq.*

p. 17. Certe haec etiam cauſſa fuiſſe videtur) Certaminis iſtius, quod IOANNI MABILLONIO cum ARMANDO IOANNE ROVTHILIERIO RANCEO, abbate Trappenſi, de litterarum ſtudiis, an monachis conueniant? intercesſit, quodue longe acerrimum fuit, hiſtoriam ex inſtituto tradit, vt tamen ſimul MABILLONII cauſſam agat VINCENTIVS THVILLIERIVS, in *operibus poſthumis Ioannis Mabillonii & Theodorici Ruinarti, tom. I. Lib. IV. p. 365. ſeqq.* Conſtat inde, primum certaminis iſtius auctorem fuiſſe abbatem Trappenſem, cui ideo MABILLONIVS librum ſuum *de ſtudiis monaſticis* oppoſuerit. Conſtat quoque librum huncce non omnibus praeſertim in Italia placuiſſe. Aegre namque ferebant, librorum ab haereticis ſcriptorum, eum ſuaſiſſe lectionem; quantumuis non ſine cautione quadam id feciſſet; IACOBI VSSERII *annales* quod prae reliquis in chronologicis commendaſſet, vitio vertebatur, eo, quod

VSSE-

Digitized by Google

VSSERIVS eſſet haereticus; multas quaeſtiones ſcholaſticas, quae circa τὸ quomodo verſantur, ab eo reiectas, reprehenſione itidem dignum videbatur; quemadmodum &, laudando THEODORETVM, reliquos patres graecos magna adfeciſſe iniuria credebatur; & quae reliqua erant eiusdem generis, a THVILLIERIO commemorata, *l. c. p. 367.* Priusquam MABILLONII *conſiderationes ſuper reſponſione abbatis Trappenſis* (*reflexions ſur la reponſe de Mr. l' abbé de la Trappe*) prodirent; lucem adſpexerunt *epiſtolae ad abbatem Trappenſem* (*lettres a Mr. l' abbé de la Trappe*) Amſtelodami, ſi inſcriptioni credendum, an. 1692. in 12. Quatuor fuere iſtae epiſtolae, quibus deinceps quinta acceſſit; vt auctor eſt PHILIPPVS LE CERF DE LA VIEVILLE, *dans la bibliotheque hiſtorique & critique des auteurs de la congregation de ſaint Maur p. 464.* In iis acriter abbas ille Trappenſis perſtringitur; multaque narrantur, quae illi parum ſunt honorifica, quaeue famam illam ſanctitatis haud vulgaris, quam ſeuerioris vitae inſtituto ſibi ſuisque comparauerat, labefactare poterant. Auctor autem iſtarum epiſtolarum eſſe fertur DIONYSIVS SAMMARTHANVS, ex congregatione ſancti Mauri monachus Benedictinus, vir doctisſimus, & multis ingenii monumentis clarus, cui & easdem tribuit PHILIPPVS LE CERF *l. c.* Cum autem iterum *apologia* pro abbate Trappenſi edita eſſet, cuius auctor a PHILIPPO LE CERF, TIERS vocatur, cui & *apologia* iſta *libelli famoſi* nomine venit; SAMMARTHANVS in lucem emiſit *recueil de quelques pieces, qui concernent quelques lettres ecrites a Mr. l' abbé de la Trappe;* ex qua quidem collectione iterum patet, quanta animorum vehementia, quantaue acerbitate, bellum hocce geſtum ſit. MABILLONII conſiderationibus, antea memoratis, abbas Trappenſis nihil repoſuit. Etſi enim a quibusdam memoratur: *Examen des Reflexions du P. Mabillon ſur la reponſe au traité, des etudes monaſtiques:* dubitat tamen THVILLIERIVS, an ſcriptum hocce typis excuſum ſit. Ipſe autem THVILLIERIVS, quem MABILLONII cauſſam egiſſe diximus, aduerſarium acerrimum nactus eſt, GERVASIVM, (GERVAISE) qui & ipſe abbas Trappenſis fuit, & ex variis ingenii monumentis, cumprimis ex *vita Ruffini*, gallice ſcripta, editaque Pariſiis an. 1724. duobus voluminibus in 12. celebritatem nominis conſequutus eſt. Huius enim deinde prodiit *defenſe de la nouvelle hiſtoire de l' abbe Sager, avec l' apologie pour feu M. l' abbé de la Trappe, dom Armand Iean Bouthillier de Rancé, contre les calomnies & les invectives de D. Vincent Thuillier, religieux Benedictin de la congregation de Saint Maur, repandues dans ſon hiſtoire des conteſtations ſur les etudes monaſtiques inſerée dans ſon premier tome des oeuvres poſthumes de dom Mabillon,* Pariſiis an. 1725. in 12. Contendit autem GERVASIVS, MABILLONIVM tandem errorem ſuum agnouiſſe, atque ſententiam abbatis Trappenſis calculo ſuo adprobaſſe: idque ex ſchediasmate illo: *de monaſticorum ſtudiorum ratione ad iuniores ſtudioſosque congregationis ſancti Mauri monachos*, quod THVILLIERIVS *operibus* MABILLONII *poſthumis* inſeruit, quodue *l. c. p. 419.* & *ſeqq.* exſtat, euincere voluit. At vero THVILLIERIVS iam in *praefatione p. 7.* monuit, ſchediasma hocce a MABILLONIO compoſitum fuiſſe, vt nouae editioni SVLPITII SEVERI praemitteretur, incertumque eſſe, num ante *librum de ſtudiis monaſticis*, an poſtea ab eo conſcriptum ſit. Quod ſi ita ſe habet; colligi inde nequit, MABILLONIVM in hacce cauſſa ſententiam ſuam mutaſſe.

Digitized by Google

mutaſſe. Quidquid eius ſit, ſchediaſma hocce MABILLONII lectu dignum eſt, atque praecepta de ratione ſtudiorum ſalutaria continet, quae iis etiam, qui monachi non ſunt, prodeſſe poſſunt. Tria in eo pertractat capita, primum, *cuius rei gratia ſtudendum ſit*; alterum, *quatenus ſtudiorum intentio promouenda*; tertium, *quodnam ſtudiorum genus religioſis viris maxime perſequendum.* Ad ipſam vero hancce controuerſiam quod attinet; ea maximam partem ad λογομαχίαν quamdam redire videtur. Noſtra equidem parum refert, quam monachi ſtudiorum ſuorum inire rationem velint, aut debeant. Vtilitate interim ſua non deſtituitur haecce quaeſtio; cum longe certiſſimum, & quotidiana experientia comprobatum ſit, litterarum ſtudia, ſi incaute, intempeſtiue, & ſine delectu tractentur, maximum vitae ſanctae ſtudio adferre impedimentum, pluſque multos mortalium damni, quam emolumenti, inde accipere. Plurimi forte non periiſſent, niſi docti fuiſſent, aut tales eſſe voluiſſent. Diſpicere itaque omnino, & adcurate conſiderare iuuat, quis hac in re tenendus ſit modus. Hiſtoriam vitae celeberrimi iſtius abbatis Trapenſis praeter alios ſcripſit PETRVS LE NAIN, & quidem gallice, quae Pariſiis prodiit an. 1719. 12. atque recenſetur *dans le iournal des ſçavans anno MDCCXIX. menſe Iulio, p. 90. ſeq.* MABILLONII autem vitam dedit THEODORICVS RVINARTVS Pariſiis 1709. 12. Conferendus & praeter BERNARDVM PEZIVM in *bibliotheca Benedictino-Mauriana*, & PHIL. LE CERF in *bibliotheca ſcriptorum ex congregat. ſancti Mauri*, NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſt. des hommes illuſtres &c. tom. VII. p. 336. ſeqq.*

p. 17. Cuius generis Henrici Cornelii Agrippae liber eſt) Legenda omnino, quae de hocce AGRIPPAE libro diligenter & erudite diſſerit IOANNES GEORGIVS SCHELHORNIVS, in *amoenitatibus litterariis tom. II. obſeruat. V. p. 513. ſeqq.* qui & *obſeruat. VII. p. 553. ſeqq. analecta de vita, fatis, moribus & ſcriptis Agrippae exhibet.*

AD LIBRI I. CAP. II.

P. 29. aut iis animi corporisque dotibus &c.) De hiſce omnibus, vt & prouidentiae diuinae documentis, ex quibus interdum quidam ſe ſtudio theologico deſtinatos eſſe, intelligere potuerunt, multa dici, multa ex patrum quoque; ſeu veteris eccleſiae doctorum ſcriptis colligi poſſent; ſed hoc iam diligenter praeſtitit IOAN. ANDREAS SCHMIDIVS in *commentatione* ſeu *programmate de ſtudioſi theologi fatis, vita & ſtudiis, per exempla patrum illuſtratis*, Helmſtadii an. 1704. 4. Sed magis ad vſum accommodata ſunt, quae hac de re tradunt PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS, in *dem Lehr-reichen Zeugnis von der Geſtalt eines vvürdigen ſtudioſi theologiae*, quem quidem libellum omnibus, qui rebus ſuis recte conſulere cupiunt, vehementer commendandum, adnotationibus quibusdam & praefatione, *de fructu ſcriptorum Speneriano-rum* auctum recudi curauit IOAN. SIGISMVNDVS, Lipſiae 1728. 8. itemque AVGVSTVS HERMANNVS FRANCKIVS, in libello germanice ſcripto: *Timotheus zum Fürbilde denen ſtudioſis theologiae*; vt & in *idea ſtudioſi theologiae*, quae vna cum *monitis* eius *paſtoralibus theologicis*, in linguam latinam conuerſa prodiit Halae Magdeburgicae an. 1723. 8.

p. 37. ſi quis ſpretis minutiis, magna, ſublimia, excelſa conſectetur &c.) Si theologia rite ac, prout decet, ad ductum ſcripturae ſacrae tractetur, nihil niſi quod magnum, excelſum, ſublime ſit, in ea occurrit. Omnia enim eo redeunt, vt, quae Deus de via ac ratione ſalutem aeternam conſequendi nobis reuelauit, recte explicentur, confirmentur, & contra eos, qui veritatem erroribus obſcurare audent, defendantur. Semper itaque illis, qui ad theologiam accedunt, cogitandum eſſet, de re omnium maxima, longeque grauiſſima, aeterna hominum ſalute, ibi agi. Sed non omnes illud obſeruant. Immo haud pauci, immemores velut eius, quod caput cauſſae eſſe debebat, ad ſuperflua, noua, inania, immo minutias, ac ineptias prolabuntur; quod vel ſcholaſticorum exemplo, ſi quis hac de re dubitaret, ne quid de aliis dicam, comprobari poſſet. Dum ergo eos, qui minutiis eiusmodi atque ineptiis delectantur, parum ad theologiam aptos eſſe dixi, metuendum non erat, vt viro cuidam doctiſſimo viſum, ac ſi occaſionem aliis praeberem leui tantum brachio theologiam tractandi. Quo magis enim quis intelligit, minutias eiusmodi ac ineptias, omniaque iſta, quae ad finem theologiae parum faciunt, ſaepiſſime contra, quo minus ad eum perueniamus, obſtant, procul hinc remouendas eſſe, eo quod de rebus longe grauiſſimis, maximique omnino momenti ſit ſollicita; eo clarius etiam cognoſcet, ſummum ſtudium ſummamque hic adhibendam induſtriam, immo numquam tantum ſtudium tantamque adhiberi induſtriam poſſe, vt non maior ſemper acriorque requiratur.

AD LIBRI I. CAP. III.

p. 64. Sed obſeruare iuuat, illum de eo tantum diſputare &c.) Auctorem iſtarum obſeruationum CHRISTIANVM THOMASIVM, virum, dum viueret, celeberrimum, eſſe conſtat; qui & hoc nomine varios nactus eſt cenſores. Legenda cumprimis, quae contra eum diſputat vir doctiſſimus MICHAEL LILIENTHALIVS in *conſultatione de hiſtoria literaria certae cuiusdam gentis ſcribenda, ſect. II. cap. II. §. II. p. 48. ſeqq.* Quae ego hac de re monui, eo tantum ſpectant, vt oſtenderem, quisnam hic quaeſtionis; ſeu controuerſiae ſtatus ſit, quem ſi non obſeruant, qui contra THOMASIVM diſputant, aërem verberant, ſeque ipſos traducunt turpiter. Quemadmodum autem neutiquam omnia, quae a THOMASIO in hacce cauſſa dicta ſunt, mea facio; meque adeo eius ſuſcipere voluiſſe defenſionem, dici nequit; ita & vt ea, quae probari nequeunt, refutarem, a me poſtulari non poterat, quum id inſtituti mei nec pateretur, nec requireret ratio, & ab aliis inſuper factum eſſet. Quodſi inſuper, quis quaeſtionis ſtatus ſit, rite perpendatur, quilibet facile, quousque eius aut admittenda; aut reiicienda adſerta ſint, perſpiciet. Quare qui hic aliquid, quod reprehenderent, inueniſſe ſibi viſi ſunt, aut mentis imbecillitatem, aut animi malignitatem produnt. Quemadmodum autem, quae mea de ſcholarum publicarum & neceſſitate & vtilitate ſententia ſit, luculenter ſatis expoſui; ita plurimas hodie eſſe, in quibus adoleſcentes ne quidem in litteris recte inſtituantur, multo minus ad ſapientiam, quae ſine vera pietate eſſe nequit, ita, vt decet, erudiantur, & ipſa experientia docet, & tot doctorum virorum querelae teſtantur,

Digitized by Google

tur, vt qui hoc negare vellet, ſe ſolum ſapientem, ceteros omnes caecos eſſe, exiſtimare neceſſe ſit, quae ſumma eſt ſtultitia. Atque recte hoc vir clariſſimus, anteaque nobis commendatus MICHAEL LILIENTHALIVS agnoſcit: *quamuis negari non poſſit, magnam ſcholarum hinc inde eſſe corruptionem, peruerſamque multis in locis ſtudendi rationem &c.* vbi & AHASVERVM FRITSCHIVM in *ſcholari peccante*, & VITVM LVDOVICVM SECKENDORFFIVM *de ſtatu chriſtianiſmi lib. III. cap. IX. §. III. ſeqq.* laudat, qui iſtam ſcholarum corruptionem deplorarint. Eſſe tamen etiam hinc inde in ſcholis viros doctos & pios, qui ſuo officio egregie ſatisfaciant, nemo ſanae mentis negauerit.

p. 76. Sixtus Senenſis ſaeculi decimi ſexti ſcriptor &c.) Quid ISAACVS CASAVBONVS de FRANCISCO SIXTO Senenſi exiſtimauerit, ex hisce eius verbis liquet: *Poſtquam legi in Sixti Senenſis praefatione, Oecolampadium finxiſſe volumen Bertrami de coena domini; Caroloſtadium opus contra imagines ſub nomine Caroli magni, & id genus alia, non dubitaui, Sixtum hunc aut ſtultiſſimum eſſe morionem, qui criticum agere inſtitueret, adeo* πρὸς τὰ Ἰουδαϊκὰ ἀφυὴς, *aut metu praeuaricari, & dare verba Romano pontifici. At Poſſeuino fatuo fatuus ipſe perſuaſit, indocto doctus. Nam Sixtum alioquin fuiſſe virum eruditiſſimum, lectio operis me docuit. Fuit & litterarum ebraicarum peritus. Lectum ſibi talmud ait p. 97. iudicia eius non temere ſequenda, vt paucis exemplis patebit &c. Graecae linguae fuit admodum imperitus &c. Libri quinti praefatio, ſi pauca excipias, docta plane & eximia eſt; ſcopus eſt, oſtendere, in ſcriptis patrum multa occurrere aut caute accipienda, & cum venia ſcriptorum legenda, aut plane etiam damnanda; ita tamen, vt nihil propterea decedat exiſtimationi & gloriae piorum patrum. Omnino lectu digniſſima praefatio.* Eiusdem generis & alia adhuc idem vir doctiſſimus addit, in *Caſaubonianis p. 27.* Conferenda & quae de eodem hocce auctore diximus *lib. II. cap. VIII. ad §. II. p. 1436.*

p. 77. Iungenda his, quae de Poſſeuino &c.) Nec praetermittendum iudicium ISAACI CASAVBONI de POSSEVINO ita pronuntiantis: *Apparet, multae diligentiae hominem eſſe, eruditionis mediocris, iudicii oppido exigui* (ita enim haud dubie legendum pro: *eximii.*) *Videtur enim id inprimis ſpectaſſe, vt molem libri augeret; adeo multa inſeruntur inutilia, & plane mox tollenda, niſi inſaniat, vt in tot libros emendationes leuiſſimorum mendorum typographicorum, quae multis paginis perſequitur. Ex vno auctore duos facit, vt in Nicolao de Clemangis. Saepe eadem repetit,* (cum) *de iisdem libris tamquam de diuerſis loquatur, vt in Nicol. Cabaſila. Omitto iniquitatem erga omnes a papa quoquo modo diſſentientes. Eſt tamen propter duas res auctor ille & hoc opus vtiliſſimum; primum eſt, quod de editis & ineditis ſcriptoribus multa vtiliter obſeruat, non paſſim omnibus nota; alterum eſt, quod multa obiter inſerit ſcitu neceſſaria;* in *Caſaubonianis p. 6.* Non diſſimilia aliorum de POSSEVINO iudicia a THOMA CRENIO diſſertat. I. de *furibus librariis p. 94.* alibique collecta, obſeruat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS ad *h. l. p. 208.* qui & cum monuiſſet, POSSEVINVM a STEPHANO LE MOYNE in *prolegomenis ad varia ſacra, p. 129. virum diligentiae non vulgaris* vocari, ſubiicit; *at quod idem* (STEPHANVS LE MOYNE) *p. 124. virum emunctae & exercitatae naris appellat, erunt forte, qui cum Caſaubono minus ex vero dictum putent.* RICHARDVM SIMONEM in POSSEVINI *adparatu* id nomi-

nominatim reprehendere, quod multorum librorum titulos ibi legas, qui numquam prodierunt, ex eiusdem *epiſtolis ſelectis epiſt. XVI.* docet.

p. 81. Cuius tamen prima tantum pars) Sequuta deinceps eſt *pars ſecunda*, an. 1725. & *pars tertia* ſeu *vltima* an. 1726.

p. 83. Sed plura qui de raritate librorum ſcire auet) Laudatis a nobis auctoribus addendus IOANNES GEORGIVS SCHELHORNIVS de *libris rarioribus, & variis raritatis eorum cauſſis, in amoenitatibus* eius *litterariis tom. II. p. 321. ſeqq.* Speciatim ibidem *de libris ſub ipſis typographiae primordiis excuſis*; *de libris paullo poſt typographiam inuentam impreſſis*; *de libris a celebrioribus ſaeculi XVI. typographis exſcriptis*; *de libris publica auctoritate ſuppreſſis*; *de libris, qui a priuatis ſuppreſſi ſunt*; *de libris, quorum pauca exempla impreſſa ſunt*, & reliquis eiusdem generis raritatis causſis fuſe diſſerit. Continuatio diſſertationis iſtius de *libris rarioribus* exhibetur *tom. V.* earumdem *amoenitatum litterariarum p. 239. ſeqq.*

p. 84. Iungantur hisce, qui itidem de raritate librorum &c.) Exſtat & IOACHIMI ERNESTI BERGERI *diatribe, de libris rarioribus horumque notis diagnoſticis*; cuius *editio ſecunda priori auctior* prodiit Berolini, 1729. 4. Sequentes autem is rariorum librorum notas diagnoſticas ponit: I) *libri non diu, aut ſtatim poſt inuentam typographiam exſcripti typis, merito rarioribus adnumerantur*; II) *accenſentur rarioribus libris illi, qui manu virorum illuſtrium notati ſunt & illuſtrati*; III) *librum rariorem facit eiusdem rara & non facile obuia editio*; *inprimis maximi aeſtimantur primae omnium editiones*; IV) *rariora opera biblica, inter rariores libros principem tuentur locum*; V) *libri cari, omnino reputantur rari*; VI) *libri damnati & prohibiti aliis rariores habentur, ſed ex opinione vulgi.* Subiicit hinc quinam prouida magiſtratus cura, iure prohibeantur atque damnentur, libri ſcilicet atheiſtici, magici, obſcoeni, famoſi, ſeditioſi, blaſphemi. Ita auctor iſte cuncta, quae de libris rarioribus ſummatim dici poſſunt, concinne ſatis complectitur, & quas dedit regulas, exemplis illuſtrat; in quibus num omnia acu tetigerit, non dixerim. Mihi ſtat ſententia, in libris aeſtimandis non ad raritatem, ſed ad vtilitatem reſpiciendum eſſe.

p. 85. Qua de quaeſtione vt recte ſtatuatur &c.) Conferenda hic omnino viri illuſtris IVSTI HENNINGI BOEHMERI *diſſertatio iuridica de iure circa libros improbatae lectionis*, Halae an. 1726. edita. In ea dum auctores, qui hocce argumentum attigerint, recenſet, THEOPHILO RAYNAVDO & IACOBO GRETSERO, a nobis iam laudatis, addit GABRIELEM PVTHERBEVM, qui Pariſiis an. 1549. ediderit *Theotimum, ſeu tres libros de expurgandis malis libris*, qui eo circiter tempore ſcripti ſint, quo de *indicibus prohibitoriis* edendis cogitatum fuit; quem in finem & THEOPHILVS RAYNAVDVS *erotemata* ſua *de bonis & malis libris* compoſuerit. Obſeruat quoque inter alia IOAN. HVSSVM de *prohibitione librorum haereticorum* librum conſcripſiſſe. Exſtatque omnino inter opera IOANNIS HVSSI & HIERONYMI Pragenſis, Norimbergae an. 1715. recuſa, *p. 127. ſeqq. de libris haereticorum legendis*, libellus ſeu diſſertatio, in qua haereticorum legendos, non comburendos eſſe libros, contendit, dum in ipſis veritas contineatur, idque auctoritate AVGVSTINI, HIERONYMI, AMBROSII, BEDAE, THEODORI, LIBERATI, CYRILLI, GELASII papae, canonibus item & ratione comprobat. Recte autem BOEHMERVS monet, in eo quidem omnes facile con-

uenire, libros noxios non tolerandos, atque corruptores morum vitandos eſſe: maximam contra hanc ſupereſſe difficultatem, quinam libri impii atque periculoſi cenſendi ſint, cum pro diuerſo ſectarum ſtudio haereticum ſubinde atque noxium cenſeatur, quod cum veritate prorſus conſentit, quemadmodum contra quod impium & quauis ratione deteſtandum ac reiiciendum eſt, pro veritate diuina, orbi obtrudatur, §. *III. p. 5.* Morem autem comburendi libros ſanioribus gentilium diſplicuiſſe docet: quem ambabus contra manibus romanae eccleſiae addicti arripuerint, qui & dum eumdem defendere velint, lubricis admodum innitantur fundamentis. Cum autem non vna eademque ratione malae notae libri improbari ſoleant, aliterque hoc fiat a doctoribus, aliter ab imperantibus, & ab his iterum non vno eodemque modo, haec omnia diſtincte edifferere ſuarum duxit eſſe partium; expurgationem autem quam vocant, hoc eſt caſtrationem ac corruptionem librorum iure meritoque vehementer deteſtatur, cum maxima inde in veritatem hiſtoricam & rem litterariam, addo & eccleſiaſticam, non poſſint non redundare incommoda. Libros hinc, qui pro noxiis haberi, adeoque improbari ſolent, recenſet, quales ſunt: magici, in religionem chriſtianam iniurii, libelli famoſi, haeretici, obſcoeni & laſciui, athei & ſeditioſi; quibus hactenus ipſa ſcriptura ſacra addi poſſit, prout PIVS IV. pontifex eius lectionem in lingua vulgari non omnibus concedere voluit; de quibus omnibus varia lectu digna obſeruat. Qui monent lectionem librorum noxiorum delendam, ad exempla populorum, qui idem fecerint, prouocare ſolent, Iudaeorum ſcilicet & gentilium, ſpeciatim Graecorum pariter ac Romanorum; quod poſtquam commemorauit, trium primorum ſaeculorum chriſtianos a m〈o〉re exurendi libros abhorruiſſe contendit; quod & mirum non eſt, cum apud eos non eſſent, qui imperantium fungerentur munere, quorumue adeo hoc fieri potuiſſet auctoritate; a lectione librorum, qui religioni & veritati chriſtianae damnum aliquod adferre poterant, iſtius temporis doctores, ſuos dehortatos fuiſſe, ipſemet vir doctiſſimus non abnuit. Saeculo quarto morem comburendi haereticorum libros ortum eſſe conſtat, & vel Conſtantini magni imperatoris exemplo comprobari poteſt, qui non tantum, vt Arii libri flammis traderentur, praecepit, ſed in eos etiam, qui eos occultaſſent, nec ablatos ſtatim igne combuſſiſſent, capitis poenam conſtituit, teſte SOCRATE *hiſtor. eccleſ. lib. I. cap. IX.* & SOZOMENO *hiſtor. eccleſ. lib. I. cap. XXI.* Quod quidem illuſtri viro adeo diſplicet, vt concilii Nicaeni patribus *zelum plus; quam carnalem & ethnicum* tribuere non dubitet; quae eius, annon quibusdam paullo durior videri ſententia queat, aliis diiudicandum relinquo. Conſtantini exemplum alii deinceps ſequuti ſunt imperatores; donec tandem epiſcopi & inter hos romani maxime pontifices poteſtatem decernendi, vt haereticorum libri comburerentur, ſibi vindicarent. Quae omnia dum auctor doctiſſimus copioſius edifferit, hiſtoriam quamdam moris huius atque inſtituti tradit, quam vt ſummatim & hic exhiberem, operae pretium me feciſſe exiſtimo. Ad caput cauſſae, ſeu quaeſtionem: an & quousque omnibus poteſtas libros ſuos pro lubitu per typos euulgandi atque in lucem proferendi, concedenda ſit, quod attinet, cum idem vir doctiſſimus rationes eorum, qui hancce libertatem quoscumque libros in publicum emittendi, nullis limitibus, nulliſque legibus circumſcriptam defendunt, retuliſſet, recte omnino pronuntiat: *Non quidem negari poteſt,*

poteſt, cenſuras librorum variis obnoxias eſſe abuſibus, grauiora tamen metuenda ſunt incommoda & mala ex omnimoda preli libertate, praeſertim, quum cenſurae quoque ſuos limites apud nos habeant, quos ſi exceſſerint cenſores, recurſus ad ſuperiorem ſupereſt, qui iniquitatem cenſurae corrigere valet. Media ergo via in hac quaeſtione praeiudiciali amplectenda videtur, tum ne nimius rigor, more curiae Romanae, in improbanda lectione librorum prohibitorum exerceatur, tum etiam ne licentia preli ita extendatur, vt omnes excludat limites, & in noxiam degeneret publicam. Neque enim tantum is peccat & delinquit, qui peſſimos libros & in republica non tolerandos, diuulgat, ſed etiam qui ope typographiae ſuae in cauſſa eſt, vt a quibuscumque hominibus libere legi queant; cap. II. §. III. p. 48. Ceterum de libris publica auctoritate combuſtis legenda etiam, quae diligenter collegit IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS in *diſſertat. hiſtorica de libris combuſtis*, quae in *amoenitatibus* eius *litterariis tomo ſeptimo* exſtat, §. *IV. ſeqq. p. 84. ſeqq.* vbi & ſpeciatim lectu digna, quae de beati LVTHERI eiusque συνέργων ſcriptis, magno numero non publice tantum; ſed & priuatim combuſtis obſeruat §. *IX. p. 95. ſeqq.* Societati Ignatianae adſcriptos id ſibi cumprimis datum credere, ſingularemque captare gloriam, quod in haereticis, quos vocant, libris abolendis, & in fauillas vertendis ſtudium omne atque induſtriam collocent, copioſius edifferit §. *XV. p. 114. ſeqq.* Ceterum de libris damnatis & prohibitis ex inſtituto etiam agit BVRCARDVS GOTTHELFFIVS STRVVIVS in *introd. ad notitiam rei litterariae cap. IX. p. 787. ſeqq.* Quaedam non vbiuis obuia de *libris publica auctoritate ſuppreſſis* ſuppeditat, quem iam laudauimus SCHELHORNIVS *amoenit. litterar. tom. II. p. 341. ſeqq.* Quod ex veterum haereticorum monumentis pauca ad nos peruenerint, id inter alia inde proueniſſe, quod libri eorum ab imperatoribus chriſtianis prohibiti ſint ignique adiudicati, poena quoque in eos, qui illos retinerent, ſtatuta, iam a nobis obſeruatum eſt, *lib. II. cap. VII. ad §. IV. p. 1043.*

ibid. quid de romanenſium indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum &c.) Nimirum cum iampridem pontificibus romanis in more poſitum fuiſſet, lectionem librorum haereticorum prohibere, immo ipſos hosce libros flammis adiudicare; hoc etiam ſibi agendum cenſuerunt, cum LVTHERI aliorumque, qui eccleſiae emendationem promouebant, ſcriptis orbis chriſtianus inundaretur. Leo X. enim pontifex non tantum omnia LVTHERI ſcripta damnauit, ſed excommunicationis fulmen in eos, qui illa lecturi eſſent, ſe vibraturum comminatus eſt; quod eius exemplum, qui illum in romana ſede exceperunt, ſpeciatim Hadrianus VI. & Clemens VII. ita ſequuti ſunt, vt omnium ſine diſcrimine haereticorum libros legere quam ſeueriſſime prohiberent. Cum vero non omnibus ſtatim pateret, quinam libri dogmata haeretica continerent, neceſſitatem, qui eccleſiae romanae conſultum cupiebant ſaluti, ſibi impoſitam viderunt, certos librorum indices conficiendi, in quibus deſignarentur, quinam ceu noxii fugiendi eſſent & euitandi. Cumprimis ſuarum hoc eſſe partium exiſtimarunt theologi Pariſienſes, dum iam anno 1551. eiusmodi indicem confecerunt; quem in lucem iterum produxit CAROLVS DV PLESSIS D'ARGENTRE, doctor Sorbonicus, in *collectione iudiciorum de nouis erroribus, qui ab initio duodecimi ſaeculi poſt incarnationem verbi, vsque ad annum 1713. in eccleſia proſcripti ſunt & notati, &c. tom. ſecundo p. 164. ſeqq.* Inſcriptio indicis huius prout hic exhibetur, ita ſe habet: *catalogus librorum ab anno*

1544. vsque ad annum 1551. cenſura notatorum a facultate theologiae Pariſienſi, & olim in lucem editus anno 1551. cum hac praefatione. Sequitur tum praefatio ſatis longa, in qua neceſſitatem eiusmodi indices conficiendi doctores iſti vrgent, & de haereticorum dogmatum propagatione multum conqueruntur, tandemque inſtituti ſui hunc in modum exponunt rationem: *Verum quia difficile eſt admodum ſimplicibus viris & non ſatis in ſcriptura exercitatis, adulterinos libros & peſtiferos a ſalubribus dignoſcere; ob idque ſaepius obtruduntur impii pro orthodoxis; multorum precibus & quotidianis efflagitationibus obſequentes, aequum duximus, & veris chriſtianis (quibus neque fas eſt, neque tutum, horum lectioni incumbere) apprime conducibile, libros omnes, qui in manus noſtras deuenerunt (ſunt autem permulti, qui latent adhuc, ſunt, qui quotidie in lucem recenter prodeunt, quos cum in manus noſtras venerint, in alterum catalogum redigendos curabimus) ſuis nominibus deſignare. Vt compertum habeant & intelligant, ſiue eccleſiarum praefecti & praeſules, ſiue magnates & principes, ſiue ſenatores & prouinciarum praeſides, a quorum lectione librorum ſubditam ſibi plebem arcere debeant. Sunt autem ex eorum numero quidam plane haeretici flammisque digni. Sunt & qui ſuſpicione haereſeos vehementer laborant. Sunt, qui offendiculum & ſcandalum praebeant. Sunt, qui blaſphemias ſuboleant. Sunt & quos non expediat reipublicae chriſtianae in lucem & vulgus emitti. Sunt & alii permulti, quos ad plenum diſcuſſos, execrandis ſcatere erroribus deprehendimus; atque tandem, vna (pro more) congregati, coëuntibus omnium in vnam ſententiam iudiciis, in catalogum redegimus.* Praefationem excipit ipſe *catalogus* ordine litterarum ſecundum auctorum cognomina diſpoſitus. Sic, ſub littera A conſpicitur GEORGII AEMILII *hiſtoriarum, ſeu lectionum euangelicarum, quae veteri more dominicis atque feſtis diebus in eccleſia tractari ſolent, explicatio:* ANDREAE ALTHAMERI *commentaria Germaniae in P. Cornelii Taciti libellum de ſitu, moribus & populis Germanorum*; in quibus quidem commentariis, dubito an quis alius temere, quam theologi iſti Pariſienſes, quod cenſura dignum ſit, inueniſſet; ſub littera B. biblia ROBERTI STEPHANI exſtant, itemque ſcripta varia IO. BRENTII, THEODORI BIBLIANDRI &c. Exemplum hocce theologorum Pariſienſium haud dubie aliis placuit, ſiquidem iuſſu Philippi II. Hiſpaniae regis anno 1558. index librorum a tribunali inquiſitionis in Belgio prohibitorum euulgatus eſt; quemadmodum & Paulus IV. eiusmodi indicem confici voluit. De quo quidem indice, quae PETRVS SVAVIS POLANVS, aut potius PAVLVS SARPIVS Venetus pronuntiauit, prorſus obſeruatu digna ſunt. *In eo,* inquit, *multis paraſangis longius itum eſt, quam ſuperioribus ſaeculis, iactaque fundamenta tuendae magnoque opere amplificandae auctoritati curiae romanae, ademta hominibus ea cognitione, quae neceſſario requiritur ad vnum quemque ab iniuſtis vſurpationibus defendendum. Nam ad eum vsque diem librorum prohibitiones numquam exceſſerant terminos librorum haereticorum; neque quisquam liber legi prohibitus, niſi cuius auctor eſſet damnatus.* Recenſet hinc tres iſtas claſſes, in quas index hicce diſtributus fuit, atque ita pergit: *Quo nomine multi auctores & libri damnantur, quos totis trecentis, ducentis & centum annis litterati omnes in eccleſia romana manibus verſarunt, pontificibus romanis conſciis, nec contradicentibus tanti temporis ſpatio. E nouitiis etiam damnati nonnulli in Italia ipſa, immo Romae excuſi, inquiſitione approbante, immo per diploma ſuum pontifice; quo ex genere ſunt Eraſmi adno-*

adnotationes in nouum teſtamentum, ab Leone decimo, poſteaquam eas euoluiſſet, approbatae diplomate dato Romae X. Septembr. anno MDXVIII. Illud vero ſupra omnia notabile, quod fidei ac religionis praetextu pari ſeueritate interdicuntur damnanturque auctores librorum, quibus auctoritas principum & magiſtratus ciuilis contra illicitas eccleſiaſticorum vſurpationes defenditur; aut poteſtas conciliorum & epiſcoporum curiae romanae iniuſtis occupationibus vindicatur; aut denique illorum hypocriſis & tyrannis, quibus fuco religionis imponitur populo, aut vis adfertur, liquido deteguntur. In ſumma, numquam arcano tam praecellenti religio ad dementandos homines adhibita: in *hiſtor. concil. Trid. lib. VI. p. 813.* Copioſius deinde quid in iſto concilio Tridentino hac in re actum ſit, idem auctor ediſſerit. Ex ipſius autem concilii huius decretis patet, conſtitutos fuiſſe quosdam ex patribus, qui de variis cenſuris ac libris, vel ſuſpectis vel perniciofis, quid facto opus eſſet, conſiderarent, atque ad ipſam ſynodum referrent; cui quidem operi etſi extrema manus, (vt verba decreti ſe habent) impoſita eſſet; nec tamen, ob librorum varietatem & multitudinem diſtincte & commode a ſynodo diiudicari poſſet; praecepit eadem ſynodus, vt, quidquid ab illis praeſtitum eſſet, romano pontifici exhiberetur, vt eius iudicio & auctoritate terminaretur & euulgaretur; conf. *canones & decreta concilii Tridentini ſeſſ. XXV. die IV. Decembr. p. m. 222.* Atque ita *index* ille *romanus* concilii quidem Tridentini nomine euulgatus eſt, licet Pii IV. pontificis praecipuae in eo partes fuerint. Auctus hinc ſubinde atque recognitus ſub aliis pontificibus *index* hicce *librorum prohibitorum* prodiit. Hiſtoriae indicum librorum prohibitorum & expurgandorum praeter DANIELEM FRANCVM & THOMAM ITTIGIVM, quos iam laudauimus, lucem adfundet ADRIANVS BAILLETVS, qui eam ſummatim tradit *dans les iugemens des ſçavans ſur les principaux ouvrages des auteurs tom. II. part. I. p. 43. ſeqq. Index librorum prohibitorum Innocentii XI. pontificis maximi iuſſu editus, vsque ad annum 1681.* recuſus eſt Pragae an. 1726. 8. vna cum *adpendice ab anno 1681. vsque ad menſem Iunii incluſiue 1704.* Immo acceſſit *adpendix nouiſſima ad indicem librorum prohibitorum ab anno 1704. vsque ad totum menſem Martii 1716.* In his autem cum etiam comprehendantur, qui vsque ad iſtud temporis ſpacium ſub Clemente XI. prodierunt, facere nequeo, quin hic repetam, quae de iis pronuntiauit GEORGIVS SERPILIVS. *Illud tamen,* inquit, *mirari ſubit, ſub nomine tanti pontificis, cuius eruditionem & prudentiam omnes ſuſpicantur, indicem librorum prohibitorum prodiiſſe, qui nec genuina ſemper auctorum nomina, nec librorum titulos fideliter recenſet; ſed ſupinam ignorationem eorum, quae damnata ſunt, indicat; atque adeo errores ex vitioſis indicibus congeſtos erroribus nouis cumulat. Oculorum fides rei veritatem cuilibet demonſtrat &c.* in commentatione *de Ioan. Launoii opuſculis iunctim edendis &c. p. 11.*

AD LIBRI I. CAP. IV.

p. 97. vt alios eiusdem generis] Spectant huc etiam, qui generatim de litterarum ſtudiis monita ſalutaria ſuppeditant, quos inter haud vltimum locum ſibi vindicat

dicat

dicat IACOBVS FACCIOLATVS, non academiae ſolum Patauinae, ſed totius Italiae decus ac ornamentum ſingulare. Notae enim omnibus, qui, quid a viris eruditis noſtra aetate agatur, non ignorant, ſunt *orationes* eius *decem de optimis ſtudiis*, Patauii an. 1723. 8. editae, & curante SIGISMVNDO IACOBO APINO, profeſſore Norico, Lipſiae an. 1725. 8. recuſae. In iis vero iudicium grauiſſimum de ſcientiis iſtis, de quibus verba facit, vt grammatica, rhetorica, philoſophia, ceteriſque, cum ſermonis elegantia atque nitore, dubia certat palma. Cumprimis obſeruatu digna oratio quinta *ad theologiam*, quippe in qua id agit, vt, theologum neminem dici poſſe, euincat, niſi qui pius ipſe ſupremi Numinis cultor ſit; quique ad modum Socraticorum, qui ita omnino viuebant, quemadmodum docebant, magis ſuo exemplo, quam doctrina, ad virtutem & Dei reuerentiam alios concitet.

ibid. Et a linguis quidem, iisque, quae eruditis quodammodo propriae cenſentur) Hoc nomine linguam latinam, graecam, & ebraeam, venire, notum eſt. Certe, ebraeam, intuitu theologiae cultorum, ex hocce numero non eximendam eſſe, nemo temere diffitebitur. Cum, quid de ſingulis obſeruatu dignum ſit, ordine expoſuerimus; nunc illud ſolum addimus, trium iſtarum linguarum vtilitatem neceſſitatemque ex inſtituto, & cum vario eruditionis adparatu, commendaſſe, GERHARDVM OVTHOVIVM, in *oratione auſpicali de neceſſitate ſtudii linguarum, praeſertim ebraeae, graecae & latinae, earumque ſcientiarum huc pertinentium &c.* Amſtelodami an. 1725. 4.

p. 98. qui hiſtoriam linguae latinae dederunt) Iungendus adhuc IOANNES NICOLAVS FVNCCIVS, qui cum *tractatum de origine linguae latinae, quo Germaniae, ceu matri, primos Italiae incolas, ac proin Romanos, ſuum & genus & linguam debere, ex vtriusque gentis antiquitatibus, & ipſa populorum migratione, demonſtratur*, Gieſſae an. 1720. 4. & deinde alium, *de pueritia latinae linguae, quo priſcus ſermonis Romani, ad vsque bellum Punicum ſecundum, examinatur ſtatus, & diuerſa veteris Latii monumenta illuſtrantur*, Marburgi Cattorum, itidem an. 1720. 4. edidiſſet: in *programmate de variis latinae linguae aetatibus atque fatis, ſingulis tractatibus exhibendis*, in cuius §. *VIII. p. 9. ſeqq.* auctores, qui linguae latinae hiſtoriam deſcripſerunt, recenſet, an. 1722. euulgato, conſilium ſuum de linguae latinae hiſtoria, per ſingulas aetates continuanda, expoſuit, &, praeter duos iſtos tractatus, quos iam commemorauimus, ſeptem adhuc de hocce argumento promiſit, ex quibus primus, ſeu, intuitu praecedentium, tertius, *de adoleſcentia linguae latinae, quo iuuenilis & creſcens eius in variis ſcientiis vigor & fata, inde a bello Punico ſecundo, vsque ad Ciceronis aetatem, demonſtratur*; Marburgi Cattorum 1723. 4. lucem publicam adſpexit. Plures an prodierint, mihi non conſtat.

ibid. qui & ipſe diligenter in hocce argumento verſatus eſt &c.) *Hiſtoria* haecce *critica latinae linguae multis acceſſionibus auctior* iterum prodiit Lipſiae an. 1729. 8.

ibid. quaenam latini ſermonis in Germania noſtra fuerint fata &c.) Ad latini ſermonis ſimulque reliquarum, quae ab humanitate nomen habent, litterarum in Germania reſtaurationem, plurimum contulit Maximilianus I. imperator, cuius adhuc exſtat diploma *de inſtaurandis ſtudiis humanitatis*. Licet hoc apud MARQVARDVM FREHERVM *tom. II. ſcriptor. rerum Germ. p. 237. priuilegium erectionis collegii poëtarum & mathematicorum in Vienna*; & apud MELCHIOREM

GOLDA-

GOLDASTVM *conſtitution. imperial. tom. III. p. 482. conſtitutio de honore & priuilegiis poëtarum*, inſcribatur; latius tamen illud patere, & non poëſin ſolum, verum alia etiam humanitatis ſtudia ſpectare, res ipſa docet, & recte quoque viris doctis obſeruatum eſt. Hinc & vir doctiſſimus, quem iam laudauimus, IACOBVS BVRCKHARDVS illud *commentariis* ſuis *de linguae latinae in Germania fatis*, inſeruit, *part. II. cap. IV. p. 188. ſeqq.* Idem etiam *notis & obſeruationibus inſtructum* exhibet IO. HENRICVS A SEELEN in *ſelectis litterariis num. XIV. p. 488. ſeqq.* Primus qui iſtud diploma publici iuris fecit, CONRADVS CELTES fuit, inter ſummos iſtius aetatis viros referendus, cui & meliores in Germania litterae multum debent. Hinc & de eo quaedam obſeruauit, aliosque qui de eo egerunt, laudauit SEELENIVS *l. c. p. 506.* Cumprimis de eo conferendus NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS *obſeruation. ſelectar. tom. I. p. 1. ſeqq.*

ibid. non ſane, vt eos, a Lactantio ſi diſcedas &c.) Recte hac de re pronuntiat IO. GEORGIVS WALCHIVS: *eccleſia quoque inuexit vocabula, quae ante tempora chriſtianorum in Latio inaudita fuerunt, ſaltem alio ſenſu. Multa illorum ex graecis ſcripturis veteris & noui teſtamenti deſumpta ſunt; alia ad conſuetudinem eccleſiae conformata. Attamen ſunt inter illos, quorum dictio caſtitate, elegantia & ſuauitate nitet & commendabilis eſt, quiue oſtendunt, friuolam eſſe obiectionem vulgarem, theologica non poſſe latine ſatis ac eleganter in medium proferri. Omnino ſingula recte ac bene cum aliis per latinam linguam communicari poſſunt; quamuis id ſine adſiduo ſtudio ſummaque induſtria fieri nequeat. Ex his chriſtianis auctoribus eminent Minutius Felix, L. C. Lactantius, & Sulpitius Seuerus, qui latine atque eleganter ſcripſerunt, merito ad lectionem atque imitationem, praeſertim in argumentis ſacris commendandi*; in *hiſtoria critica linguae latinae cap. XI. §. I. p. 639.* Non ſine ratione LACTANTIO iungit MINVTIVM FELICEM & SVLPITIVM SEVERVM, cum & in his ſermonis latini nitor & ſingularis elegantia conſpiciatur; vnde & de tribus hisce *l. c.* copioſius commentatur; de LACTANTIO autem eiusque ſtilo ex inſtituto etiam diſſerit in *diatribe de Lactantio eiusque ſtilo*, editioni operum eius a ſe curatae, praemiſſa.

p. 103. Et Philippum quidem Melanchthonem) Non eximendus hic eſt ipſe MARTINVS LVTHERVS, quem litterarum, quae ab humanitate nomen ſortitae ſunt, ſermonisque latini non prorſus rudem fuiſſe, tum aliunde, tum & ex iis, quae IOAN. IACOBVS RAMBACHIVS, theologus Hallenſis clariſſimus, de *latina Lutheri dictione* erudite commentatur, patet, in praefatione, quam *commentario* LVTHERI in *pſalmum ſecundum*, Halae Magdeburgicae an. 1728. ipſius cura recuſo, praemiſit. *Et profecto*, inquit, *Lutheri dictionem latinam, quamuis non omnibus numeris abſolutam, praeſtantem tamen atque eximiam eſſe, facile concedet, qui excellentes, quas a natura acceperat, ingenii iudiciique dotes perſpectas atque exploratas habuerit; &c. Illuſtres illas animi dotes indefeſſo ſtudio Lutherus excoluerat, fertiliſſimumque ingenii agrum optimorum auctorum irrigauerat lectione. Teſte enim Philippo Melanchthone, Ciceronem, Virgilium, Liuium, aliosque latinitatis antiſtites, legendo ſibi familiariſſimos reddiderat. Quod vero hiſtoricos inſuper graecos ac latinos, quod Platonem, Ariſtotelem aliosque priſci aeui philoſophos exploratos habuerit; id vero frequentiores ſententiae, quas ex illis decerptas ſcriptis ſuis paſſim inſpergit, abunde teſtantur, &c. §. IV. p. 11. ſeqq.* Et iterum: *Quodſi igitur vir magnus praeclaram illam vim ingenii,*

 huma-

humanioribus litteris haud leuiter tincti, & grammaticis rhetoricisque praeſidiis ſuffulti, ad latinam linguam excolendam conuertere aut voluiſſet, aut potuiſſet, factum ſine controuerſia fuiſſet, vt in hac lingua eumdem perfectionis gradum attigiſſet, quem in lingua germanica attigit, in qua inimitabilem copiam, cum ſingulari gratia coniunctam, ſibi comparauit. Verum lectio doctorum ſcholaſticorum, cui, monaſterio mancipatus, vacare iuſſus fuit; certamina, quibus deinceps fuit inuolutus &c. iſta, inquam, & alia impediuerunt, quo minus ampliores in ſtili latini elegantia facere progreſſus potuerit, facile alioquin & Eraſmum ſuperaturus, & Philippum Melanchthonem, cuius planum dicendi genus naturali quadam ſimplicitate & pulchritudine cunctis ſeſe probabat. Interim non ſolum de venuſtate latini ſermonis haud ſpernenda monita dedit, ſed quando animum etiam aduertebat, atque plus otii aliquando nactus, ad viros doctos ſcribebat, ſatis etiam, quid in politiori litteratura poſſet, oſtendit. Teſtis eſt liber de ſeruo arbitrio Eraſmo oppoſitus, & anno M D XXV. ſcriptus. Quamuis enim in eius exordio Lutherus ſuam infantiam excuſet, atque Eraſmo ingenii & eloquentiae palmam lubens concedat; ipſe tamen Eraſmus, nitidiore libri ſtilo deceptus, primum ſuſpicabatur, Melanchthonem ipſum, cum omnibus, quotquot Wittebergae agerent, eruditis, Lutheri calamum rexiſſe; §. *V.* & *VI. p. 15. ſeqq.* Eadem fere ratione de ſtilo Lutheri latino iudicat vir ſummus IO. ALB. FABRICIVS: *Sicut germanicam Lutheri dictionem pro heroica agnoſcit laudatque illuſtris vir Io. Ludouicus Praſchius (in praeceptis ſtyli latini p. 101.) ſic latinae perſpicuitatem, & vbi non de induſtria ſcholaſticiſſet, aut monachiſſet, puritatem quoque ac nitorem pro illorum temporum rationibus, lector peritus & aequus facile agnoſcet; ingenium vero, proprietatem, vim ac pondus etiam mirabitur*; in *centifolio Lutherano, ſiue notitia litteraria ſcriptorum omnis generis de beato D. Luthero, eiusque vita, ſcriptis &c. cap. CXIII. p. 270.* vbi & alios idem hocce argumentum attingentes laudat, quemadmodum & eos, qui de meritis ac beneficiis Lutheri in ſcholas & litteras vniuerſe, ſpeciatim humaniores commentati ſunt, ibidem commemorat.

p. 109. cuius hactenus duodecim prodierunt volumina) Acceſſit poſtea *decimum tertium, quo continetur elenchus medicorum veterum, & notitia collectionum ac ſcriptorum graecorum iunctim editorum, liturgicorumque*, Hamburgi 1726. 4. tandemque & *decimum quartum vltimumque, quo continentur paralipomena quaedam & de ſcriptis pſeudonymis atque ſuppoſititiis diatriba; poſtremo ad vniuerſa quatuordecim volumina index generalis*; Hamburgi 1728. 4. Accedunt in hocce volumine praeter alia GEMESTI PLETHONIS *compendium Zoroaſtreorum & Platonicorum dogmatum*, graece & latine, & genuini BEROSI chaldaei *fragmenta*, nec non *epiſtolae, quae feruntur ſub falſo* DIODORI SICVLI *nomine*.

p. 111. Iungendi & qui de linguae ebraeae antiquitate &c.) Cumprimis hic addendus IO. GOTTLOB CARPZOVIVS in *critica ſacra veter. teſtam. part. I. cap. V. ſect. I. ſeqq. p. 165. ſeqq.* vbi de linguae ebraeae adpellationibus, primaeua antiquitate, ratione & indole &c. fuſe ac erudite differit.

p. 113. Mirum itaque non eſt, Conringio ſe oppoſuiſſe Matthiam Waſmuthum &c.) CONRINGII hic partes contra WASMVTHVM amplexus eſt CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, parum idoneus in hacce controuerſia iudex; dum *minus*, ait, *feliciter cum Conringio luctatus eſt* (Waſmuthus) *in ipſa quoque arena Ebraeorum, vbi parum abfuit,*

fuit, quin ſuccumberet; epiſt. arcan. tom. II. p. 197. vapulans ideo IOANNI HENRICO A SEELEN in *praefatione*, quam *deliciis* ſuis *epiſtolicis* praemiſit, qui & nonnulla ad hiſtoriam huius controuerſiae ſpectantia ſuppeditat in iisdem *deliciis* & quidem in *notis* ad *epiſtol. LXIV. p. 291. ſeqq.*

p. 114. Inter eos qui minus praeclare &c.) Adnumerandus his etiam vir cetera doctiſſimus CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS; ſaltem graecam linguam, ſingulari eius captus amore, ebraeae multum praefert, *epiſt. arcan. tom. I. p. 456.* reprehenſus ideo & refutatus a IOAN. HENRICO A SEELEN in *praefatione*, quam *deliciis* ſuis *epiſtolicis* praemiſit.

p. 117. certo tamen fundamento deſtitui, non ſine ratione iudicarunt alii &c.) Inter hos etiam eſt vir doctiſſimus, & idoneus harum rerum arbiter IOAN. GOTTLOB CARPZOVIVS in *critica ſacra vet. teſtam. part. I. cap. V. ſect. III. p. 186. ſeqq.* Sententiam namque eorum, qui naturalem quamdam vim ſignificandi litteris Ebraeorum tribuunt, cum accurate expoſuiſſet, eam ſub examen reuocaturus, *quam autem*, inquit, *ingenioſe haec ſint excogitata, quantaque cum nouitatis, tum probabilitatis gratia ſe commendent, tantum tamen abeſt, vt omnium tulerint calculum, vt potius contra hanc ſententiam vnus vel alter inſurrexerit; l. c. p. 192.* Laudat deinde in *notis* ad *h. l.* eos, quibus haec ſententia diſplicuit, interque eos SOVCIETVM in *collectione diſſertation. critic. p. 459.* itemque auctores *diarii Triuolt. an. MDCCX. menſe Aug. p. 1369. ſeqq.* Rectiſſime deinceps, quando de interno litterarum valore ac vi ſignificandi diſſerit, pronuntiat: I) ſententiam hancce vix ſatis per omnia videri demonſtrabilem; ſiquidem complurium litterarum ſignificatio vel gratis adſumatur, vel ex ingenio ſupponatur, vnde nec inter ſententiae iſtius patronos ſemper conueniat &c. II) Lubrico eam niti fundamento, eo quod & litterarum figura externa mere ſit technica, non ſignificatiua, id quod aliarum quarumcumque linguarum doceat collatio; & adpellationem non ex valore interno, ſed vt plurimum a figurae quadam ſimilitudine deſumtam res ipſa loquatur, &c. III) Nimis eam eſſe ambiguam; ſiquidem tam ampla, tam lubrica & anceps, litteris tribuatur ſignificatio, vt in compoſitione vnius cum altera, vix definiri ſatis ac determinari queat vis illa & notio, quae hic & nunc praeciſe habeat locum; tam latus porro luxuriantibus ingeniis hic pandatur campus, in quem excurrentia, quidlibet fingendi aequam ſibi poteſtatem nacta queant videri &c. *l. c. p. 195.*

p. 126. pars autem poſterior &c.) Acceſſit etiam *pars tertia* ſiue *volumen tertium complectens acceſſiones & emendationes ad volumen primum totum, & partem ſecundi, quoad de ſcriptis anonymis exponit, pertinentes*; Hamburgi & Lipſiae an. 1727. 4. Cum enim auctor doctiſſimus nouis quibusdam ſubſidiis, ad ampliorem librorum ebraicorum notitiam ſibi comparandam inſtructus fuiſſet, ad *tertium* hocce *bibliothecae ebraeae volumen* edendum inde inductus fuit: Pluribus hoc in *praefatione* exponit. R. SAMVELIS, filii DAVIDIS IEMSEL, Iudaei Karaei *itinerarium* inſertum legitur *p. 1081. ſeqq.* Specimen autem verſionis pentateuchi graeco-barbarae a Iudaeis factae, itemque ſupplementum lacunae libri חזוק אמונה in *adpendice* conſpiciuntur. Multa ceteroquin lectu digna non minus in hocce, quam prioribus, volumine, occurrunt; vt quae de R. ELIA LEVITA diſſerit *p. 97. ſeqq.* de R. IEHVDA, filio ISAACI ABARBANELIS p. 317. ſeqq. de R. IACOB, filio ASCHER, filii IECHIEL p. 443. ſeqq. de R. IACOB IE-

HVDA ARIE ſiue LEONE & verſione germanica libri eius' *de ſtructura templi Salomonis p. 460. ſeqq.* vbi & IOANNIS SAVBERTI *ſolida narratio de verſione germanica* huius libri, inſeritur; &c. Compendium aliquod bibliothecae rabbinicae deinceps edidit FRIDERICVS ÖPFERGELT, coenobii beatae virginis, quod Magdeburgi eſt, praepoſitus, in qua ſummatim ea ſcripta rabbinica recenſet, quae in antiquitatum ebraicarum ſtudio & ſcripturae ſacrae explicatione vſum quemdam praebere poſſunt. Inſcribitur: *Aufrichtige Nachricht von den jüdiſchen Lehrern vnd ihren zur exegeſi vnd antiquitat gehörigen Schrifften, auch wie man mit ihnen von Glaubens-Sachen zu handeln, nebſt einer kleinen bibliotheca rabbinica; imgleichen von denen radicibus der ebraiſchen Sprache, vnd einem ordentlichen alphabeto literaturae ebraicae hieroglyphico, zu einer Probe von des auctoris noch nicht edirten exegetiſchen Lexico an den Tag geleget,* Halae an. 1730. 8. In *praefatione* auctor de ſcriptis rabbinicis ita diſſerit, vt, licet non adeo magnum iis ſtatuat pretium; non tamen etiam prorſus reiicienda aut contemnenda cenſeat.

ibid. Maior equidem linguae arabicae eſt difficultas) Conferenda hic omnino CHRISTIANI BENEDICTI MICHAELIS *diſſertatio philologica de hiſtoria linguae arabicae*, Halae Magdeburgicae an. 1706. eruditorum examini expoſita; in cuius §. *XIX.* & *ſeqq.* difficultatem, §. *XXIX. ſeq.* vſum illius linguae ediſſerit.

p. 127. quod plurima linguis orientalibus conſignata extent ſcripta &c.) Conferendi hic etiam, qui generatim ſcriptorum orientalium notitiam tradunt, quippe qui & ea, quae hiſtoriae eccleſiaſticae inſeruiunt, attingere ſolent; quamquam inde ſimul, quem in aliis quoque eruditionis partibus linguae iſtae vſum habeant, pateat, vt IO. HENRICVS HOTTINGERVS in *bibliothecario quadripartito lib. II. cap. II. p. 222. ſeqq.* vbi de ſcriptoribus ſyriacis agit, & *cap. III. p. 244. ſeqq.* vbi de ſcriptoribus arabicis verba facit, cui & IOANNIS LEONIS africani librum *de viris quibusdam illuſtribus apud Arabes*, ex lingua arabica in latinam conuerſum, ſubiunxit; de quo alibi plura dicemus; itemque BARTHOLOMAEVS HERBELOTIVS, ſiue D' HERBELOT in *bibliotheca orientali*, ſiue vt gallice inſcriptio ſe habet: *bibliotheque orientale, ou dictionaire univerſel, contenant generalement tout ce qui regarde la connoiſſance des peuples de l'orient; leurs hiſtoires & traditions veritables ou fabuleuſes &c. leurs ſciences & leurs arts, leurs theologie, mythologie, magie, phyſique &c. les vies & actions remarquables de tous leurs ſaints, docteurs, philoſophes, hiſtoriens, poetes &c. des iugemens critiques, & des extraits de tous leurs ouvrages, de leurs traicez, traductions, commentaires &c.* Pariſiis an. 1697. fol. Quam operis, non vbiuis, vt credo, obuii, inſcriptionem ideo hunc in modum recitaui, vt pateret, inſignem inde orientalium ſcriptorum notitiam comparari poſſe; quamuis hoc praecipue de arabicis, perſicis, & turcicis ſit intelligendum. Hiſtoriae quoque eccleſiae orientalis inde lucem adfundi poſſe, quilibet facile perſpiciet. Vitam HERBELOTII exhibet NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres tom. IV. p. 410. ſeqq.*

p. 129. immo paſſim querelas quorumdam hominum doctiſſimorum &c.) Qui hiſce litteris ſe totos conſecrarunt, plerumque etiam non aptius ſe inuenire argumentum poſſe putant, in quo ingenii vires periclitentur, quam iſtud de litterarum humaniorum neglectu atque contemtu. Hiſce itaque, quos laudaui, qui de immi-

imminenti bonarum litterarum interitu conqueſti ſunt, plures adhuc addi potuiſſent. Sed ex recentiſſimis vnicum tantum, PAVLINVM A S. IOSEPHO commemorare iuuabit, cuius *orationes in archigymnaſio Romano habitas*, recudi curauit vir doctiſſimus & de hisce litteris praeclare meritus IOANNES ERHARDVS KAPPIVS, Lipſiae 1728. qui & praeter *praefationem*, programma *de cauſis corruptae hoc aeuo eloquentiae Romanae*, adiecit. Inter iſtas autem orationes, quae primum tenet locum, *de neglectu litterarum humaniorum & earum corruptela*, agit. *Mirari plerique ſolent*, inquit orator ille Romanus, *quonam improbo litterarum fato contigerit, quod, tametſi hoc aeuo hominum ingenia nihilo, quam antiquitus, deteriora ſint, immo ſaepe & in multis praeſtantiora eſſe videantur; nemo tamen exiſtat, qui cum ſapientiſſimis illis litterarum parentibus, qui olim floruerunt, de ingenio doctrinaeque laude contendere audeat. Nonne, inquiunt, in grauioribus magisque arduis diſciplinis ſolertiam veterum ingeniumque aetas noſtra non aequauit modo, verum etiam longe lateque ſuperauit? Recentiorem percurrite philoſophiam &c.* Enarrat hinc, quibus incrementis ſingulae fere eruditionis partes noſtra aetate auctae ſint, tumque ita pergit: *Adeone deterior litterarum conditio, vt in tanta ingeniorum vbertate ceterarumque ſcientiarum progreſſu, illae propemodum deſtitutae iaceant, ac ne paſſum quidem progrediantur? p. 7. 8.* Et iterum nonnullis interiectis: *Sed relanguit iampridem, relanguit in plerisque hominum amor erga optimas diſciplinas. Reſtinctus eſt omnino vetus ille ad honeſtas artes ardor animorum atque contentio. Inueterauit enim iam opinio quaedam, non modo litteris humanioribus perniciosa; verum etiam ſcientiarum omnium ordini maxime perjculoſa, in hoc ſtudiorum genere nihil gloriae, nihil diuitiarum eſſe ſperandum; &c. p. 15.* Quae auctoris verba qui paullo accuratius conſiderauerit, intelliget, veriſſimum eſſe, quod deinceps dixi, ab iis, qui humaniorum litterarum cauſſam agunt, ac de illarum contemtu conqueruntur, in eo peccari, quod ea, quae dicunt, nimis exaggerent.

p. 130. Hinc cum negare nequeant, praeſtantiſſimos noſtra aetate exſtitiſſe &c.) Exſtiterunt itaque viri docti, qui ſingularem ſaeculi noſtri, ob iſta litterarum ac ſcientiarum incrementa, praedicare non dubitarunt felicitatem. Lectu cumprimis digna eſt HERMANNI WITSII oratio *de felici; an infelici reipublicae litterariae hoc ſaeculo ſtatu*, quae in *miſcellaneis* eius *ſacris tom. II. p.937. ſeqq.* exſtat. Eleganter ibi, quaenam noſtri temporis ſiue philoſophiam, ſiue philologiam, ſiue artem medicam, ſiue iurisprudentiam ſpectes, felicitas ſit, ediſſerit; cuius etiam nec ipſa expers ſit theologia. *Neque*, inquit, *profecto officio hic ſuo defuerunt illuſtres animae; quae, quicquid in philoſophia inuenerant ſolidi, quicquid in antiquitate ebraea, graeca, romana, eruditi; quicquid in arte Hippocratica, aut iuris ciuilis prudentia, quod aliqua ſe cum ſacris noſtris litteris affinitate commendaret, id omne ad eas illuſtrandas inſigni dexteritate contulerunt. Atque ita vſu venit, vt theologia ſuis ceteroquin opibus contenta, nunc exoticis quoque diuitiis, velut opimis ſpoliis locupletata, cultius quam vnquam in publicum prodierit, maieſtatisque ſuae confeſſionem aemulis etiam atque inuitis extorſerit. Proh! ſanctiſſimum optimumque Numen! quanto interuallo diuinae iſtius tuae, caelitusque reuelatae doctrinae peritia, non modo a praeteritorum nuper ſaeculorum pudenda & plus quam ſcythica ignorantia, ſed & ab eius aetatis quae apoſtolicam proxime ſequuta eſt luminibus diſterminatur? Numquam caeleſtes veritates purius enucleatae, numquam ſapientiſſima*

tiſſima earum connexio clarius demonſtrata; *numquam diuinorum cum hominibus foederum ratio, eorumdemque diuerſa diſpenſatio, illuminatius expoſita; numquam errores ſolidius confutati; numquam veri ſcripturarum ſenſus diligentius indagati, feliciusque in lucem producti, quam hoc ſaeculo ſunt.* Quibus quidem in verbis, annon aliquid, quod nimium ſit, deprehendatur, non diſquiram. Ornamentum ex aliarum diſciplinarum incrementis, cultiorique, quae noſtra aetate obtinet, tractandi ratione, atque decus theologiam accepiſſe, negari nequit; quamquam & id conſtet, ſimulque dolendum ſit, nonnullos externis illis ita adhaerere, vt haud raro id, quod praecipuum eſt, ſeu nucleum amittant. Nec etiam idem vir doctus diſſimulat, quantacumque etiam ſaeculi noſtri ob omnia litterarum genera diligentius exculta ſit felicitas; ex earumdem tamen, maxime critices & philoſophiae abuſu incommoda longe maxima oriri & in ipſam redundare theologiam. *Quae diſciplinae*, inquit, *ſi in homines modeſtos inciderint, ac ſuis ſe contineant terminis, dici ſatis non poteſt, quam ſalubriter lucem ſuam per omnem rem litterariam diffundant: ſed ſi arrogantium ingeniorum moroſitati famulari cogantur, tum nefando earum abuſu non caeteris modo facultatibus ad ciuilem vitam pertinentibus, ſed & ſacratiſſimis oraculis noſtris, totique adeo religioni, praeſentiſſimum creatur diſcrimen; l. c. p. 946.* Idem hocce argumentum de ſaeculi noſtri, qua litterarum ſtudia felicitate, pertractauit vir longe celeberrimus CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, in *oratione, qua docetur, inde a tempore Lutheri ad noſtram vsque aetatem in Germania argenteum fluxiſſe litterarum ſaeculum, noſtro autem aeuo plane aureum decurrere coepiſſe; quae aurea litterariorum ſtudiorum aetas quamdiu duratura ſit, coniectura ſubiungitur haud improbabilis;* quam vt in lucem emitteret, in *poeciles tom. I. lib. IV. epiſt. II. p. 515.* vir doctiſſimus IO. CHRISTOPHORVS COLERVS illi occaſionem praebuit, vtpote qui in *diſſertatione* ſua *de praeſenti rei litterariae ſtatu*, vitio illi verterat, quod ſaeculum noſtrum, qua litterarium ſtudium ſpectatum, aureum dixiſſet. Cui dum primum reſpondet, ſimul nonnullos, qui praeclare de noſtrae aetatis ſtudiis ſenſerunt, vt LVDOVICVM ELL. DV PIN, IO. HENRICVM HOTTINGERVM, IO. CLERICVM, & IO. ALPHONSVM TVRRETINVM, laudat. In ipſa oratione, quae in ſaeculo decimo ſexto, quo optimis litterarum ſtudiis vita quaſi in Germania reddita fuit, laudanda, quaeue deſideranda ſint, exponit, curue ea aetas *argentea* vocanda ſit, oſtendit. De noſtro vero deinceps ſaeculo ita pronuntiat: *Paucis vt complectar omnia, floret noſtro aeuo & eximie exculta eſt philoſophia, eiusque partes praecipuae, logica & ethica, politica, theologia pariter ac iurisprudentia naturalis. Floret quoque aeuo hoc noſtro eloquentia patria, nec aut oratores aut poëtae Germani amplius deſiderantur. Floret ſtudium exegeſeos biblicae, & ſubinde noua lux accenditur obſcurioribus vtriusque teſtamenti locis. Floret ars critica, eius pars maxime realis, nec quidquam hodie pia ſcilicet credulitate admittitur, ſed omnia ſub rigidiſſimum reuocantur examen; vt & factum, vt hiſtoria etiam eccleſiaſtica nouum his temporibus induerit habitum, & ſingulari plane ratione ſit emendata. Floret etiam hiſtoria litteraria, & quotidie maiora capit incrementa, poſtquam tot nouorum librorum recenſiones in publicum prodire, quid? nouellae etiam litterariae a diligentiſſimis ſcriptoribus emitti coeperunt. O! magnam & numquam non praedicandam ſaeculi noſtri felicitatem! O! ſaeculum ipſo auro magis aureum! O! ingratiſſimos nos, niſi & conceſſis*

conceſſis diuinitus bonis vtamur, fruamur, & tanta Numinis beneficia gratiſſimis proſequamur recordationibus; l. c. p. 526. Bene tamen eſt, quod vir iſte doctiſſimus agnoſcit, *non omnia in aureo hocce ſaeculo eſſe aurea, ſed multum aeris, immo ferrei ſaeculi multa ſubeſſe veſtigia.* Nec ſine ratione criticae artis atque philoſophiae huc refert abuſum, recteque pronuntiat: *Fuere ſane critici, fuere philoſophi, idque recentiori tempeſtate, qui ingenio ſuo ad conuellendam ipſius ſacri codicis auctoritatem & ad labefactanda chriſtianae religionis fundamenta, turpiter abuſi ſunt; p. 528.* Non aliunde denique maius bonis litteris, quam a ſuperſtitione romano-catholica imminere periculum, recte obſeruat. Idque a me ipſo etiam in *oratione de bonarum litterarum decremento noſtra aetate non temere metuendo*, pluribus eſt euictum. Addunt nonnulli fanaticiſmum; quem quidem, ſi, qui vere talis eſt, hoc nomine intelligatur, bonis litteris inimicum eſſe, haud abnuo: quamquam & difficulter eidem obuiam iri queat, cum is inter homines, quorum non magna eſt auctoritas, fere ſerpere ſoleat; imperantium autem, eorumque, a quorum nutu fata litterarum pendent, eo infectum iri animos, parum ſit credibile. Qui autem ſincerum pietatis ſtudium, vt hodie interdum fieri ſolet, hocce nomine deſignant, vti aut inſcitiam, aut ſummam animi malignitatem produnt, ita & maximopere falluntur. Hoc enim qui ſerio amplectuntur, noua equidem, inania & inutilia, tum in aliis, tum etiam in humanioribus litteris caute & ſollicite euitant; ipſas iſtas litteras, ſi recte & ſobrie tractentur, adeo non contemnunt, vt iuſtum potius iis ſtatuant pretium.

p. 133. conqueritur Deſiderius Eraſmus &c.) Alibi idem vir doctus rectiſſime ſcribit: *omnem litteraturam delibare profuerit, ſi modo id fiat & annis idoneis & modice; tum & cautim, & cum delectu; deinde curſim & peregrinantis, non habitantis more; poſtremo quod eſt praecipuum:* SI OMNIA AD CHRISTVM REFERANTVR; *in enchiridio militis chriſtiani p. 63.* Copioſius autem & prorſus eleganter hoc, *litteraturam omnem, etiam ethnicam ad Chriſtum referri oportere*, ediſſerit MATTHIAS BELIVS in *paraeneſi ad ſtudioſam iuuentutem,* quam SEB. CASTALIONIS *verſioni noui teſtamenti* praemiſit.

p. 135. Recenſere omnes &c.) Licet non deſint, qui de re critica veterum diſſeruerunt, vt IO. WOWERIVS *de polymathia cap. XVI. & ſeqq.* HENRICVS STEPHANVS in *diſſertat. de criticis veteribus graecis & latinis, eorumque variis apud poëtas potiſſimum reprehenſionibus,* DANIEL HEINSIVS in *diſſertat. de verae criticae apud veteres ortu, progreſſu vſuque cum in diſciplinis ceteris, tum in ſacris,* PHILIPPVS IACOBVS MAVSSACVS in *diſſertatione critica,* a nobis iam commemorata, *de Harpocratione eiusque ſcriptis,* aliique laudati IO. GEORGIO WALCHIO in *hiſtoria critica linguae latinae cap. VIII. §. VIII. p. 514.* neminem tamen hiſtoriam huius artis iuſta ac pleniori ratione tradidiſſe, eidem viro docto recte obſeruatum eſt. Praecipuos ex criticis latinis ipſemet recenſet *l. c. §. XVIII. ſeqq. p. 527. ſeqq.*

ibid. Atque huc illi comparati ſunt, qui ex inſtituto &c.) De hiſce copioſius agit IOAN. GEORGIVS WALCHIVS, in *hiſtoria critica linguae latinae cap. VIII. §. IV. p. 505.* vbi cumprimis legenda, quae de IOAN. CLERICI *arte critica* variisque eius editionibus monet.

p. 136. ita & artis criticae grauiſſimus eſt abuſus &c.) Hinc & non defuerunt, qui abuſum huncce demonſtrare, aut reprehendere potius ſuarum duxerunt eſſe partium. Quanta inde in ipſam religionem

nem redundent incommoda, oſtendere voluit IGNATIVS DE LAVBRVSSEL, Ieſuitarum ſocietati adſcriptus, in lingua gallicana ſcripto, & Pariſiis anno 1710. edito, *de abuſu criticae in rebus ad religionem ſpectantibus*. Eodem fere tempore IACOBVS LADERCHIVS, congregationis oratorii Romanae ſacerdos & ob varia ingenii monumenta ad hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantia, haud ignotus, *diſſertationem de abuſu criticae hodiernae* lingua italica compoſuit, quae tamen anno demum 1726. Romae publicam lucem adſpexit. In ea neutiquam id ſibi conſtitum eſſe profitetur, vt omnem artis criticae vſum reiiciat, ſed tantum, vt lectoribus genuinam critices, qualis quidem noſtris temporibus exerceri vt plurimum conſueuerit, faciem repraeſentet, & quantum *in modo*, quantum *in tempore*, quantum etiam *in perſonis*, quod *nimium* eſt, plerumque committi ſoleat, oſtendat; nec tamen morem iſtum data opera impugnet, & quae in cauſſae ſuae defenſionem obtendi a criticis ſoleant, operoſe diluat; vtpote quod maioris molis & induſtriae opus ſit; conf. *acta erud. Lipſ. an. MDCCXXVII. menſ. Maio p. 239.* Poſſent huc etiam referri HONORII DE SANCTA MARIA *animaduerſiones ſuper regulas & vſum artis criticae, ſpectantes ad hiſtor. eccleſiaſt.* &c. ſed de iis iam ex inſtituto dictum eſt *lib. II. cap. III. §. XI. p. 534.*

ibid. Ineptos porro iſtos criticos &c.) Conferendus & de iſtius generis ſcriptoribus IO. GEORGIVS WALCHIVS in *hiſtoria critica linguae latinae cap. VIII. §. VII. p. 513.*

p. 153. Ex iis, quae de hymnis diximus, nemo non intelligit, fuiſſe inter chriſtianos poëtas) *De poëſi ſanctorum patrum graecorum ac latinorum*, peculiaris exſtat SEBASTIANI PAVLI *diſſertatio* italice ſcripta editaque an. 1714. in 8. cuius ſumma exhibetur in *actis eruditorum Lipſienſibus supplementor. tom. VII. ſect. II. p. 69. ſeqq.*

p. 154. & pars tertia an. 1724.) Acceſſit deinceps pars quarta an. 1728.

p. 155. Hiſtoria naturalis totum hocce vniuerſum &c.) Ad *notitiam* ſcriptorum, qui in hiſtoria naturali excolenda ſtudium operamque collocarunt, comparandam, ſpectat IOANNIS IACOBI SCHEVCHZERI *bibliotheca ſcriptorum hiſtoriae naturali omnium terrae regionum inſeruientium*; quam *hiſtoriae naturalis Heluetiae prodromum* eſſe voluit, & cui IACOBI LE LONG commentationem de *ſcriptoribus hiſtoriae naturalis Galliae*, adiunxit. Quid de opere hocce, quod Tiguri an. 1716. 8. prodiit, cenſendum ſit, intelligere licet ex *actis eruditorum Lipſienſ. an. MDCCXVII. menſ. April. p. 160. 161.*

p. 160. Omnium vero inſtar eſſe poteſt) Quod LANGLETVS DV FRESNOY *part. I. cap. XVI. p. 265.* ſecundum editionem Bruxellenſem, aut *p. 306.* ſecundum verſionem germanicam, quae Lipſiae an. 1718. prodiit, ſcripſit, GRANCOLASIVM memoriae prodidiſſe, Innocentium XI. pontificem in ſuſpicionem quietiſmi veniſſe; id GRANCOLASIVS fateri noluit: ſuamque hinc cauſſam egit in epiſtola quadam, quae exſtat dans le *iournal des ſçavans an. MDCCXX. menſe Maio p. 506. ſeq.*

p. 161. tum & in bibliotheca Menckeniana, quae hoc ipſo anno &c.) *Bibliothecae* huius *Menckenianae*, *quae auctores praecipue veteres, graecos & latinos, hiſtoriae item litterariae, eccleſiaſticae & ciuilis, antiquitatum ac rei nummariae ſcriptores, philologos, oratores, poëtas ac codices manuſcriptos complectitur*, ab OTTONE & IO. BVRCHARDO MENCKENIIS, patre & filio, *multorum annorum ſpatio ſtudioſe collectae, & iuſto ordine diſpoſitae*, editio altera, *longe emendatior*

datior ordinatiorque, quarta nunc parte aucta, & notulis raritatis adpoſitis, magis ad vſum accommodata prodiit Lipſiae 1727. 8. Eam vero non tantum ſcriptorum hiſtoriae ciuilis, ſed & eccleſiaſticae & litterariae notitiae comparandae inſeruire, vel ipſa, quam recitauimus, inſcriptio docet. Obſeruatu cumprimis dignae ſunt variorum auctorum collectiones miſcellaneae & opera iunctim edita, *p. 793. ſeqq.*

ibid. cui merito iungenda Hermanni Dieterici Meibomii &c.) Prodiit deinceps *breuis introductio in hiſtoriam rerum germanicarum litterariam, vbi maxime triumuiri reficiendis rebus Germanorum Conringius, Sagittarius, Meibomius, eorumque de genuinis hiſtoriae germanicae fontibus diſſertationes & iudicia recenſentur, cum analectis & acceſſionibus quibusdam,* Lipſiae an. 1727. 4. Exhibentur nimirum in hacce collectione primo HERMANNI DIETERICI MEIBOMII *oratio inauguralis* iam laudata *de genuinis hiſtoriae germanicae fontibus p. 1. ſeqq.* deinde CASPARIS SAGITTARII *diſſertatiuncula de praecipuis ſcriptoribus hiſtoriae germanicae p. 73. ſeqq.* porro *Conringiana de fontibus rerum germanicarum p. 85. ſeqq.* tandem, *analecta, breuem ad hiſtoriam litterariam rerum germanicarum introductionem,* itemque *acceſſiones & ſupplementa ad Meibomii inauguralem, complexa, p. 103. ſeqq.* Inter eos, qui ex inſtituto hiſtoriam Germaniae litteris conſignare adgreſſi ſunt, auctor analectorum maxime laudat IO. IACOBVM MASCOVIVM, cuius exſtant *Geſchichte der Teutſchen bis zu Anfang der Fränckiſchen monarchie,* Lipſiae 1726. 4. *Verbis*, inquit, *quid opus eſt, res ipſa loquitur. Vnum dico, ſatius fore, infinita noui huius operis de Germanorum rebus merita tacere, quam parce; vel incommode dictis tanti laboris gloriae derogare. Siue enim iudicium, ſiue ordinem ſpectes; ſiue ſtili elegantiam, reliquos omnes infinitis modis ſuperat. Teſtes vbique ſcriptores aequales & coaeuos euoluit. Nummos quoque, inſcriptiones aliaue monumenta, quae quidem illuſtrationi; aut confirmationi inſeruire poſſint, contulit, ipſiſſimis auctorum verbis omnia legentium oculis adprobauit. Primus vernacula res Germanorum veteres ita deſcripſit, vt dubites, an liber ſtilo; an rerum pondere ſelectuque ſe magis commendet; p. 111.*

p. 162. De Pyrrhoniſmo hiſtorico commentandi) Praeter alios id etiam fecit FRIDER. GVIL. BIERLINGIVS, cuius *commentatio de Pyrrhoniſmo hiſtorico* vna cum *diſſertatione de iudicio hiſtorico* recuſa eſt Lipſiae an. 1724. 8. In iſta *commentatione* etiam auctor doctiſſimus de virtutibus hiſtoricorum, de impedimentis veritatis hiſtoricae, de fide monumentorum, ex quibus hiſtoria depromitur, aliisque eiusdem generis capitibus, quae & huius loci ſunt, diſſerit.

p. 164. Initium itaque a quodam bonae notae compendio faciet) Cum inſtituti noſtri nec poſtulauerit, nec permiſerit ratio, omnes iſtos, qui hiſtoriam vniuerſalem compendio quodam complexi ſunt, recenſere: praecipuos indicaſſe, ſatis nobis fuit. Facere tamen nequeo, quin adhuc IACOBI BENIGNI BOSSVETI mentionem faciam, cuius inter Galliae epiſcopos haud ignotum nomen eſt. Plurimis enim maximopere placuit eiusdem *diſcours ſur l' hiſtoire univerſelle, a Monſeigneur le Dauphin; pour expliquer la ſuite de la religion & les changemens des Empires &c.* cuius editio quinta, quae mihi ad manus eſt, Hagae comitum prodiit an. 1696. in 8. Tribus commentatio haecce abſoluitur partibus, quarum prima rerum geſtarum ſeriem a mundo condito vsque ad Carolum magnum per octo epochas exhibet; altera

Digitized by Google

religionis fata; & tertia imperiorum reuolutiones ſiſtit. Omnia autem iſta auctor ita ediſſerit, vt, ſi a placitis eccleſiae romanae, quorum hinc inde deprehenduntur veſtigia, diſcedas, multa prorſus egregia moneat. Religionis omnino, quod ille rectiſſime fecit, in hiſtoria vniuerſali habenda ratio. Cauſſae quoque, vnde tot mutationes reuolutionesque imperiorum exſiſtunt, minime praetermittendae. *Continuatio hiſtoriae* huius *vniuerſalis* BOSSVETI, ab alio quodam auctore concinnata galliceque itidem ſcripta, ab anno Chriſti 800 vsque ad annum 1700 prodiit Amſtelodami an. 1704. in 8.

p. 170. His nuper acceſſit &c.) Commemorandus hic etiam vir illuſtris, idemque non ſemel nobis iam laudatus IOANNES BVRCHARDVS MENCKENIVS, quippe qui itidem non ita pridem eiusmodi ſcriptorum rerum germanicarum collectionem publicae exponere luci coepit; cuius quidem operis duo hucusque prodierunt tomi, Lipſiae an. 1728. fol. Conſtitutum quidem auctori doctiſſimo fuerat, ſpeciatim ſcriptorum Saxonicorum, Misnenſium & Thuringicorum collectionem dare; ſed cum codices manuſcripti haud pauci, ad Germaniae vniuerſae hiſtoriam ſpectantes, ad eum perlati eſſent, mutato conſilio, ſuam ita inſtruere collectionem voluit, vt, qui hiſtoriam Saxonicam illuſtrant, praecipuum in ea locum occuparent: non tamen & alii, generatim hiſtoriae germanicae inſeruientes ibi comparerent. Quae praeclari huius operis ratio ſit, ipſa nos inſcriptio docet, quae ita ſe habet: *Scriptores rerum germanicarum praecipue Saxonicarum, in quibus ſcripta & monumenta illuſtria pleraque hactenus inedita, tum ad hiſtoriam Germaniae generatim, tum ſpeciatim Saxoniae ſuperioris, Miſniae, Thuringiae, & Variſciae ſpectantia, vel nunc primum in lucem protrahuntur, vel cum codicibus manuſcriptis collata notulis illuſtrantur.* De ſcriptis ipſis, quae in hoc opere continentur, ipſe editor in *praefationibus* vtrique tomo praemiſſis, copioſius diſſerit. Non tantum autem ciuilis, ſed eccleſiaſticae quoque hiſtoriae cultor multa hic inueniet, quae ſibi vſui eſſe queant. Ceterum, ſi qui aliarum quoque gentium hiſtoricos iunctim ediderunt, hic locum inuenirent, de LVDOVICO ANTONIO MVRATORIO, *rerumque italicarum ſcriptoribus ab anno aerae chriſtianae D ad MD* eius cura ſtudioque hucusque editis, cumprimis aliquid dicendum eſſet. Idque eo magis, quod in hacce collectione plurima occurrant, quae hiſtoriae eccleſiaſticae non minus, quam ciuili lucem egregiam adfundunt. Sed cum hodie opus hocce ſplendidiſſimum omnibus ſatis notum ſit, hoc ſolum obſeruamus, *primum, ſecundum, tertium* & *quartum* eius *tomum* lucem adſpexiſſe Mediolani an. 1723. fol. *quintum* an. 1724. *tomi primi partem ſecundam*, itemque *tomum ſextum* vt & *ſeptimum* an. 1725. *octauum* itemque *tomi ſecundi partem alteram*, nec non *tomum nonum* an. 1726. *decimum* an. 1726. Recenſentur paſſim in ephemeridibus eruditorum praeſertim *actis eruditorum Lipſienſib. anno MDCCXXIV. menſe Ianuar. p. 1. ſeqq. menſe Februar. p. 49. ſeqq. menſe Septembr. p. 377. ſeqq. anno MDCCXXV. menſe Octobr. p. 433. ſeqq.* item *437. ſeqq. anno MDCCXXVI. menſe Febr. p. 49. ſeqq. ſupplementor. tom. IX. ſect. VI. p. 233. ſeqq.* porro *anno MDCCXXVI. menſe Maio p. 208. ſeqq.* & *menſe Nouembr. p. 481. ſeqq. ſupplementor. tom. IX. ſect. XI. p. 433. ſeqq.* & denique *anno MDCCXXVIII. menſe Decembr. p. 535. ſeqq.* Cum autem opus hocce ex typographia *ſocietatis Palatinae* prodiiſſe dicatur, quaenam *ſocietatis* iſtius *Palatinae* ſit ratio, docetur in *bibliotheca italica*; ſeu *hiſtoria litteraria Italiae*, quae Geneuae

Geneuae an. 1728. edi coepit, *tom. I. artic. I. p. 3. ſeqq.*

p. 171. qui praecipuos quosdam ex iis, qui ad eius hiſtoriam &c.) Exſtiterunt vtique nonnulli, qui hiſtoriam Germaniae generatim deſcribere adlaborarunt. Inter praecipuos non tantum, ſed & primos referendus eſt FRANCISCVS IRENICVS, Eslingacenſis, cuius *exegeſis hiſtoriae Germaniae, ſeu totius Germaniae deſcriptio pulcherrima & iucundiſſima in duodecim volumina diuiſa nunc denuo recognita notisque illuſtrata*, vna cum CONRADI CELTIS *deſcriptione vrbis Norimbergae*, curante IOAN. ADAMO BERNARD, recuſa eſt Hanouiae an. 1728. fol. Laudatur paſſim IRENICVS hicce. *Non indiligenter*, inquit HERMANNVS DIETERICVS MEIBOMIVS, *quoque in vetuſtioribus verſatus eſt Franciſcus Irenicus*; in *notis* additur: *quamquam & ſui temporis inſuper Germaniae deſcriptionem contineat; orat. de genuinis hiſtor. german. fontibus p. 9.* confer. & *analecta, breui introductioni in hiſtoriam rerum germanicarum litterariam* ſubiuncta, *p. 108.* Fuit autem FRANCISCVS IRENICVS Eslinga oriundus, docuitque Heidelbergae in ludo litterario; poſtea autem in patriam rediit, & cum ibi euangelicae doctrinae veritatem, quam amplexus fuerat, profiteri non liceret, Gemmingam conceſſit. Floruit circa tempora reformationis; ſeu initium ſaeculi decimi ſexti. Liber hicce rariſſimus hucusque fuit, ſiquidem duae tantum eius proſtant editiones, quibus nunc tertia acceſſit, quam IOAN. ADAMVS BERNARD, ſcholae Hanouienſis rector, dedit, qui & in *praefatione* vitam IRENICI, de qua tamen non adeo multa conſtant, deſcripſit, nec naeuos, tempori tamen, quo vixit, maximam partem tribuendos, diſſimulauit. Idem etiam notas quasdam partim illuſtrando, partim ſupplendo addit. Ad eos, quod attinet, qui noſtra aetate in ornanda amplificandaque Germaniae hiſtoria ſtudium induſtriamque ſuam collocarunt, IOAN. IACOBI MASCOVII iam antea mentionem fecimus. Nefas autem prorſus eſſet, ſilentio praetermittere virum generis claritate munerumque non minus ſplendore, quam ingenii & eruditionis gloria illuſtriſſimum HENRICVM DE BVNAV, qui vt reliquis omnibus in hoc genere dubiam palmam reddidit; ita exemplo ſuo demonſtrauit, confici Germaniae hiſtoriam poſſe, quae a ſummo perfectionis faſtigio prope abſit. Praeſtitit illud in *der gnauen vnd vmſtandlichen teutſchen Kaiſer- und Reichs-hiſtorie &c.* cuius pars prima 1728. 4. edita, quid de reliquis ſperandum ſit, ſatis demonſtrat.

p. 172. Paulo Pezronio &c.) In libro, quem inſcripſit: *l'antiquité des temps retablie & defendue contre le Iuifs & les nouveaux chronologiſtes*, Pariſiis 1687. 4. Cum autem cenſores varios, interque eos IO. MARTIANAEVM & MICHAELEM LEQVIEN nactus eſſet, edidit porro: *defenſe de l'antiquité des temps au l'on ſoutient la traduction des peres & des egliſes contre celle du talmud & au l'ont fait voir la corruption de l'hebreu des Iuifs;* Pariſiis 1691. 4. Conferendus de hisce, vt & reliquis PEZRONII ſcriptis NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres, tom. 1. p. 181. ſeqq.*

ibid. Praecipuos vtriusque generis) Viris illis doctiſſimis, qui ſpeciatim de chronologia ſacra praeclare meriti ſunt, quosue ibi laudauimus, addendus adhuc GOTTFRIDVS KOHLREIFFIVS, cuius *chronologia ſacra a mundo condito vsque ad ipſius interitum, noua, facilis, & iucunda, ex interioribus fontium receſſibus eruta, & maiori ex parte apodictica, nullo hiatu, ex ſcriptis humanis redintegrando,*

laborans, praecipuorum tamen antiquitatis monumentorum conſenſu ſtipata, integritatis atque eminentiae diuinae, qua ſcriptura ſacra vbique ſibi conſtat ac ſufficit, teſtis ac vindex, plurimorumque locorum biblicorum, pro difficillimis adhuc habitorum, interpres, Hamburgi prodiit an. 1724. 8. Id enimuero auctor doctiſſimus agit, vt, codicis ſacri integritate vindicata, eo accentuationis inprimis praeſidiis adhibitis, adcuratius, quam adhuc a plerisque factum eſt, vniuerſam chronologiae rationem exhibeat. In *praefatione* etiam praecipuos chronologiae ſacrae ſcriptores recenſet. Nonnulla tamen illi oppoſuit DES VIGNOLES, quippe quem KOHLREIFFIVS perſtrinxerat *dans la bibliotheque germanique tom. XIV. art. V. p. 122. ſeqq.* Cum vero etiam GVSTAVVS CHRISTOPHORVS HOSMANNVS, vir doctisſimus, in *hypotypoſi chronologiae ſacrae hiſtoriam populi Iſraëlitici a morte Iſaaci vsque ad captiuitatem Babylonicam illuſtrante,* eleganti & lectu digna, quae Hamburgi 1726. prodiit, in nonnullis a KOHLREIFFIO diſſenſiſſet, hic iterum *defenſionem reſtitutae antiquitatis temporum religioſam & euangelicam, qua plurimorum ſcripturae ſacrae locorum peruerſae interpretationes repelluntur, accentus codicis ebraei vindicantur, & chronologiam, quae temporum* לפרט קטון *notationibus innititur, ſupra omnem teli iactum poſitam eſſe, aperitur; inſperſis ea occaſione multis nouis in hiſtoria ſacra obſeruationibus, locorum ſcripturae ſacrae in ſpeciem difficillimorum explanationibus, aliisque rebus conſideratione dignisſimis; accedit vis ingens teſtimoniorum ex monumentis vetuſtisſimis, vt & defenſio contra dominum Des Vignoles; intercedit quoque diſſertatio contra Theophilum Alethaeum de nuptiis inceſtis;* edidit, Hamburgi 1728. 8. Neque vero praetermittendus eſt RENATVS IOSEPHVS TOVRNEMINIVS, vir clarisſimus, vtpote qui noſtra aetate variis ſcriptis chronologiam ſacram ornandam ſibi ſumſit. Inter haec primum principemque locum tenent *tabulae chronologiae ſacrae veteris & noui teſtamenti, noua methodo diſpoſitae,* quae *bibliis latinis* IOANNIS BAPTISTAE DV HAMEL, Pariſiis an. 1706. in fol. euulgatis, additae ſunt; non minus tamen etiam in *ſupplemento commentariorum* IOANN. STEPHANI MENOCHII, quod editioni, a ſe curatae (de qua ſuo loco diximus) TOVRNEMINIVS ſubiunxit, comparent. Atque in eodem ſupplemento variae etiam viri iſtius doctisſimi exſtant diſſertationes, ad chronologiam ſacram ſpectantes, in quibus de annis patriarcharum, de aetate Seſoſtris, regis iſtius Aegyptii celeberrimi, de ratione, annos regum iudaicorum cum annis regum iſraëliticorum conciliandi, de chronologia regum Aſſyriae & Mediae, aliisque eiusdem generis capitibus, diſſerit. Nec conſueta, aut vſitata hic incedit via; quin potius id numquam fere non agit, vt nouam quamdam rationem, difficultates chronologicas tollendi, adferat. Cumprimis ſingulare quid circa annos patriarcharum commentus eſt. Ad iſtud equidem temporis ſpatium, quod a condito mundo vsque ad diluuium effluxit, quod attinet, in ſupputandis patriarcharum annis cum illis conſentit, qui textum ebraeum ſequuntur. Sed deinceps longe aliter incedit. Cum enim ſecundum receptam ſententiam eorum, qui codicis ebraei veſtigia premunt, a condito mundo vsque ad natiuitatem Abrahami, elapſi ſint anni 2008, ſecundum TOVRNEMINIVM contra effluxerunt anni 2659. Cui eius ſententiae cum codex ebraeus pariter, ac verſio vulgata, refragentur: ita hine ſe expedire conatur, vt contendat, in annis patriarcharum, qui poſt diluuium ad Abrahamum vsque vixerunt, numeros minores ita accipiendos, vt ſimul centum anni, quos Moſes breuitatis

tatis

tatis ſtudio omiſerit, ſubintelligantur. Sic, cum *Gen. XI. 10.* Arphachſadus triginta quinque annos natus dicitur, cum gigneret Salachum; ſenſum eſſe, Arphachſadum eo tempore centum & triginta quinque annos natum fuiſſe; & ſic porro. Haec vero ſi admittatur ſententia, ἀκρίβεια merito in Moſe, ſcriptore θεοπνεύστῳ, deſiderabitur: quod, qua ratione cum diuina ſcripturae ſacrae conciliari auctoritate queat, non video. Atque hoc etiam, & alia quaedam, TOVRNEMINIO a viris doctis obiecta ſunt. Propoſuit is primum hanc ſuam ſententiam in *coniectura circa originem variantium calculorum textus ebraei, editionis Samaritanorum, & verſionis LXX. interpretum, in ſupputandis patriarcharum annis*, quae gallice exhibetur *dans les memoires de Trev. an. MDCCIV. menſ. Ian. artic. VIII. p. 41. ſeq.* ex editione Amſtelodamenſi. Cumque non nemo *examen coniecturae Tourneminii circa originem variantium calculorum &c.* iisdem *commentariis menſ. Aug. anni MDCC IV. artic. II. p. 85.* inſeruiſſet: TOVRNEMINIVS ſtatim reſponſionem dedit, quae ibidem legitur *artic. III. p. 95. ſeqq.* Dum *tabulae* eius *chronologicae*, antea memoratae, *anno MDCCVI. menſe Maio, artic. LXI. p. 807. ſeq.* recenſentur; nouum hoc ſyſtema chronologiae ſacrae itidem ſummatim enarratur. Sed & *defenſio noui* iſtius *ſyſtematis* exſtat *menſe Aug.* eiusdem *anni artic. CXII. p. 1396. ſeqq.* quae tamen praecipue ad locum *Eſaiae VII. 8.* ſpectat.

ibid. vtramque facit paginam Iacobus Vſſerius) Plura de VSSERII *annalibus* dicta ſunt *lib. II. cap. VI.* ad §. *III. p. 775.* vbi & editiones indicatae.

ibid. Cum ex varia, menſes annosque computandi ratione) Cumprimis obſeruandi, qui de aera chriſtiana, quae & celeberrima eſt, & de qua nos maxime ſollicitos eſſe oportet, commentati ſunt. Quo nomine hic laudandus IOANNES GVILIELMVS IANVS, cuius *hiſtoria aerae chriſtianae* cum *ſchediasmate de veritate hiſtorica*, & *oratione de vero hiſtoriae vſu* lucem adſpexit Wittebergae an. 1715. 4. Non minus vero huc comparata eſt eiusdem *hiſtoria cycli Dionyſiani, cum argumentis paſchalibus, & aliis eo ſpectantibus, nunc primum ex manuſcripto integre editi*, quae, per modum diſputationis academicae propoſita, Wittebergae an. 1718 prodiit.

p. 178. Nec tamen omnes in ſuam ita pertrahere ſententiam potuit &c.) Hiſtoriam huius controuerſiae refert, ſcriptaque ad eam ſpectantia recenſet NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres* &c. *tom. VII. p. 351. ſeqq.* vbi varia ſuppeditat, quae a nobis dictis addi poſſunt. Ceterum ad ſcripta de re diplomatica etiam referenda SCIPIONIS MAFFEI *hiſtoria diplomatica, quae introductionis loco eſſe queat ad artem criticam in hocce argumento* (*iſtoria diplomatica, che ſerue d'introduzzione all' arte critica in tal materia &c.*) Mantuae an. 1727. 4. cuius ſumma exhibetur in *bibliotheca italica tom. II. artic. VII. p. 197. ſeqq.*

p. 179. qui reliquias manuſcriptorum quinque hactenus tomis dedit) Acceſſit deinceps tomus ſextus & ſeptimus, immo & octauus. Fuerunt vero & alii, qui noſtra aetate in eiusmodi monumentis in lucem producendis operam ſuam diligentiamque collocarent. Immo hodie adeo hocce ſtudium multorum animos occupauit, vt certatim hoc viri eruditi agant. Laudandique adhuc hoc nomine IOANNES FRIDERICVS SCHANNAT ob *vindemias litterarias, hoc eſt veterum monumentorum, ad Germaniam ſacram praecipue ſpectantium*, duplicem *collectionem*, quarum prior an. 1723, poſterior an. 1724, vtraque Fuldae & Lipſiae in fol.

Digitized by Google

prodiit; item & *corpus traditionum Fuldenſium, ſiue donationum in eccleſiam Fuldenſem collatarum ab anno DCCLIV. ad finem ſaeculi XIII.* Lipſiae 1724 in fol. vt & ob collectionem, quam lingua germanica edere coepit, ſiue *Sammlung alter hiſtoriſcher Schrifften und documenten, aus unterſchiedenen Archiven, wie auch raren manuſcriptis,* cuius *pars I.* Fuldae lucem adſpexit an. 1725 in 4. SIMON FRIDERICVS HAHNIVS ob *collectionem monumentorum veterum & recentiorum ineditorum, ad codicum fidem inſtitutorum, ſelectorum & rariorum*, duobus hactenus conſtantem tomis, quorum prior an. 1724, poſterior an. 1726, vterque Brunſuigae in 8. editus eſt; GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNES, ob *tabularum litterarumque veterum, vsque hac nondum editarum ſpicilegium, idque primum,* Francofurti ad Moenum MDCCXXIV. in 8. Conferenda, quae *lib. II. cap. III.* ad §. *X. p. 593.* dicta ſunt, & ad iſtum locum porro dicentur.

ibid. Scriptores, qui ad vnamquamque hiſtoriae litterariae ſpeciem &c.) Praemitti adhuc generatim quaedam de inſigni hiſtoriae litterariae vtilitate poſſent. Legenda autem, quae hac de re diſſerit DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS *polyhiſt. lib. I. cap. II. num. X. ſeqq. p. 16. ſeqq.* Cumprimis autem conferenda GOTTLIEB STOLLII diſſertatio *de vtilitate hiſtoriae & notitiae litterariae*, eiusdem *manuductioni ad hiſtoriam eruditionis*, ſubnexa. Vtilitas autem iſta; immo neceſſitas hiſtoriae litterariae vel ex ineptis iſtis ac ridiculis quorumdam erroribus, ex rei litterariae ignorantia profectis, intelligitur; quorum exempla diligenter collegit MICHAEL LILIENTHALIVS in *obſeruat. de ſoloecismo litterario*, quae in *ſelectis* eius *hiſtoricis & literariis* exſtat *num. X. p. 315. ſeqq.*

p. 180. in introductione ad notitiam rei litterariae &c.) Quinta *introductionis* huius editio prodiit an. 1729. in qua praeter ipſius auctoris *ſupplementa*, & IO. CHRISTOPHORI COLERI *analecta*, multis locis, vt in *praefatione* dicitur, perpolita nouisque rei litterariae momentis adaucta, MICHAELIS LILIENTHALII *adnotationes* ad *cap. I. & II.* acceſſere. Ne enim in nimiam molem liber iſte excreſceret, eiusdem LILIENTHALII *adnotationes* in reliqua capita, vna cum IOAN. BVRCHARDI MENCKENII *obſeruationibus* in hunc librum, itemque STRVVII *diſſertat. de doctis impoſtoribus*, & *orat. de meritis Germanorum in hiſtoriam*, vt & COLERI *diſſertat. de praeſenti rei litterar. ſtatu*, peculiari volumine, quod tamen nondum lucem adſpexit, complecti bibliopolae placuit. Adornata haec editio eſt cura & ſtudio IO. CHRIST. KOECHERI, qui & hinc inde notulas quasdam adſperſit.

ibid. Chriſtophorus Auguſtus Heumannus ob conſpectum, quem edidit &c.) Noua libelli huius elegantiſſimi vtiliſſimique editio, eaque locupletior prodiit Hannouerae 1726. in 8.

p. 181. Rectius Ludolpho Kuſtero &c.) Huic etiam librum huncce tribuit NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres tom. I. p. 307.* vbi vitam & ſcripta KVSTERI recenſet.

ibid. Adieci deinde ipſe reliquas &c.) Epiſtolae doctorum virorum non tantum in re litteraria, ſed & theologica ac eccleſiaſtica vſum prorſus inſignem praebent. Qua de re quo minus dubitare liceat, vel *ſupplementum* iſtud *hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi XVI. ex plurimorum celeberrimorumque ex illo aeuo theologorum, ad Ioannem, Eraſmum & Philippum Marbachios, epiſtolis* a IOANNE FECHTIO editum, itemque *epiſtolae eccleſiaſticae & theologicae remonſtrantium*, aliaeque eiusdem generis

Digitized by Google

neris collectiones, prohibent. Ceterum iis, quas poſt DANIELEM GEORGIVM MORHOFIVM, in *praefatione ſupplemento epiſtolarum Lutheri*, praemiſſa, recenſui, alias adhuc addidit vir clariſſimus IOANNES HENRICVS A SEELEN, in *praefatione*, quam *philocaliae* ſuae *epiſtolicae* praefixit; *centuriam* ſcilicet *epiſtolarum theologicarum ad Ioannem Schwebelium*; CONRADI SCHLVSSELBVRGII *ſtudium eccleſiae filii Dei inſeruiendi poſthumum; hoc eſt, epiſtolarum clariſſimorum quorumdam theologorum &c. volumen*; IO. GOTTFRIDI OLEARII *ſcrinium antiquarium*; IANI BRANTII *epiſtolas*; HENRICI BRAKERI *decades quinque epiſtolarum de ſyncretismo hodierno damnabili & noxio*; GEORGII CHRISTIANI IOANNIS *epiſtolas Martini Chemnitii ad Matthiam Ritterum*, & alias quasdam. Ipſe autem vir doctiſſimus, in *philocalia* iſta, Lubecae an. 1728. 8. edita, non tantum *centum epiſtolas varia notatu digna, in primis ad ſanctiorem doctrinam atque hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantia, continentes*, e manuſcriptis in lucem protraxit, ſed & *notis* illuſtrauit, & *praefatione, in qua de ſimilibus nonnullis epiſtolarum collectionibus diſſeritur &c.* auxit. Eiusdem etiam auctoris *deliciae epiſtolicae, ſiue centuria epiſtolarum, memorabilia tum alia, tum inprimis theologica ac hiſtorico-eccleſiaſtica complectentium*; *praefatione*, *notis* & *indicibus* inſtructa prodiit Ratzeburgi an. 1729. & in *praefatione* quidem *iudicia nonnulla, ad rem ſacram ſpectantia, quae in epiſtolis Schurzfleiſchianis occurrunt*, expendit. Cum autem epiſtolae beati LVTHERI noſtri iure meritoque omnibus maxime in pretio ſint, de earum quidem collectionibus nonnulla iam dixi in *praefatione* antea memorata, quam *ſupplemento epiſtolarum Lutheri* praemiſi; addenda autem, quae de iisdem obſeruat IOANNES ALBERTVS FABRICIVS in *centifolio Lutherano, ſiue notitia litteraria ſcriptorum omnis generis de beato D. Luthero &c. cap. LXXIV. p. 207. ſeqq.*

ibid. Eiusdem etiam generis ſunt miſcellanea aliaque ſcripta) Huius itaque etiam loci ſunt IOANNIS GEORGII SCHELLHORNII *amoenitates litterariae*, (optimo iure ita dictae) *quibus variae obſeruationes, ſcripta item quaedam anecdota & rariora opuſcula exhibentur*; quarum hucusque Francofurti & Lipſiae decem prodierunt tomi in 8. quatuor priores an. 1725, quintus an. 1726, ſextus & ſeptimus 1727, octauus & nonus 1728, decimus denique 1729. CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, in *poecile; ſiue epiſtolis miſcellaneis, ad litteratiſſimos aeui noſtri viros*, philologica equidem & critica, aliaque tractat; ſubinde tamen obſeruationes quasdam, quae hiſtoriam litterariam illuſtrare poſſunt, admiſcet. *Tomi primi liber primus* an. 1722, *ſecundus* 1723, *tertius* 1724, *quartus* 1725, & *tomi ſecundi liber primus* itidem 1725, *ſecundus* 1726 Halae in 8. publicam adſpexerunt lucem. Nec praetermittendus ADAMVS HENRICVS LACKMANNVS, cuius *miſcellanea litteraria*, quibus *mantiſſae loco ex editione Lugdunenſi Batauа Thomae Erpenii de peregrinatione gallica vtiliter inſtituenda tractatus, item breuis admodum totius Galliae deſcriptio, & Iuſti Lipſii epiſtola de peregrinatione italica*, acceſſerunt, Hamburgi edita ſunt an. 1721. 8. Cumprimis autem hic commemorandus IOANNES CHRISTOPHORVS COLERVS, ob *anthologiam; ſiue epiſtolas varii argumenti ad illuſtrandam potiſſimum hiſtoriam eccleſiaſticam & litterariam comparatas*, vtpote in qua nonnulla ſingulari ſtudio ſelecta, exhibentur. *Tomi primi faſciculus primus* Lipſiae an. 1725 in 8. conſpectui orbis eruditi oblatus eſt, quem deinde ſecundus & tertius ſequuti ſunt.

Melan-

Melanges d' hiſtoire & de litterature) Quarta editio prioribus & auctior & emendatior prodiit Pariſiis an. 1725, tribus tomis in 12.

p. 152. qui quorumdam prae reliquis eminentium &c.) Inter hosce omnino commemorandus eſt auctor, qui *commentarios hiſtoriae virorum in republica litteraria illuſtrium inſeruientes*, ſiue vt gallice inſcriptio ſe habet: *memoires pour ſervir a l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres, avec un catalogue raiſonné de leurs ouvrages*, edere coepit; quemue NICERONIVM eſſe accepi. Septem huius operis hucusque prodierunt tomi, & plures adhuc exſpectantur. Primus & ſecundus Pariſiis lucem adſpexerunt an. 1727. 8. tertius, quartus, quintus & ſextus an. 1728, ſeptimus an. 1729. In *praefatione* primo tomo praefixa auctor inſtituti ſui rationem exponit & Gallos incuriae cuiusdam ac negligentiae in doctorum virorum memoria conſeruanda & ad poſteros propaganda accuſat. Licet enim quorumdam aut elogia; aut vitae diligenter conſcriptae ſeorſim exſtent; non adeo multis tamen hanc contigiſſe felicitatem, cumque in diuerſis voluminibus reperiantur, integra illi opus eſſe bibliotheca, qui hac ratione notitiam virorum doctorum ſibi comparare velit. Non deeſſe equidem, qui certi generis, aut prouinciae cuiusdam ac regionis viros doctos exhibeant; ſed hos non ſufficere, vt incommodo huic medela adferatur. Germanos maiorem equidem in doctorum ſuae gentis virorum conſeruanda memoria adhibere induſtriam; ſed ad alterum eos prolabi extremum, cum nulla fere vrbs, ſchola nulla aut ſocietas ſit, cuius non bibliotheca quaedam confecta ſit; eorum etiam, qui ſpeciatim viri cuiusdam docti vitam deſcripſerunt, ingentem eſſe numerum; ſiquidem, vt quis inter eruditos hoc pacto referatur, ſufficiat, ſi publica in ſchola quadam fungatur munere, aut non adeo magni momenti ſchediasma ediderit. Longe aliter rurſus hac in re ſe gerere Italos. Eorum enim, in quibus de viris doctis agant, ſcripta ieiuna admodum atque ſicca eſſe, nec aliud fere quam indicem operum a prouinciae cuiusdam; aut vrbis viris eruditis editorum continere; de auctoribus ipſis non niſi communia quaedam atque generalia tradere, iis plerumque praetermiſſis, quae ſcitu maxime erant neceſſaria & praecipuam adferre vtilitatem poterant. Vberiores copioſioresque eſſe, quae ab Anglis proficiſcantur vitarum deſcriptiones; apud quos etiam non temere quis exiſtat meritis in rem litterariam clarus, cuius non diligenter enarretur vita, ſcriptorumque ſingulorum ſumma exhibeatur; hanc vero qui in vitis multorum virorum doctrina praeſtantium iunctim tradendis, ſequi vellet methodum, illum immenſae molis ſuſcepturum eſſe laborem. Atque haecce, quae in aliis auctor notauit, cum illi conſtitutum ſit euitare vitia, quam ipſemet ſibi praeſcripſerit tractandi rationem intelligere inde licet. Non Gallorum tantum, ſed aliarum quoque gentium viros doctos exhibet, eos ſcilicet, qui prae reliquis eminent, & ingenii ac eruditionis laudem conſequuti ſunt. Immo nec religionis diſcrimen obſeruat, cum non minus ex proteſtantibus, quam romanae eccleſiae addictis, hic quidam compareant. Ordo certus cum in iſtius generis ſcriptis obſeruari nequeat, incommodo, quod inde oriri poteſt, per indicem, nomina auctorum ſecundum ordinem litterarum ſiſtentem, obuiam ire voluit. Quaecumque de viris iſtis doctis, quos commemorat, inuenire potuit, diligenter congeſſit. Iudicia aliorum de viris doctis tum demum calculo ſuo adprobauit, cum ea communi orbis eruditi ſententiae conformia eſſe vidit. Generalem certiſſimamque in hoc genere hanc eſſe regulam,

regulam, quam & ipſemet ſequutus ſit, quae etiam inimici viri cuiusdam docti in ſcriptis eius laudent, laude digna eſſe; cenſuram contra promereri, quae nec amici eius laudare aut defendere audeant. De ſcriptis autem doctorum virorum cum maxime ſollicitus ſit NICERONIVS, nihil eorum, quae ad accuratam illorum notitiam ſuppeditandam faciunt, ſe praetermiſiſſe profitetur. De omnibus autem eadem ratione ſe non egiſſe, lubens agnoſcit, cum & ob ingentem illorum hoc fieri non potuerit numerum, &c, ſi minoris momenti ſcripta ſpectes, nec vtile hoc futurum fuiſſet, nec neceſſarium. Atque hinc, cum, quaenam operis huius ratio ſit, conſtet, operae pretium eſt, nonnullos ex illorum, quorum vitas exhibet, numero, quiue prae reliquis obſeruatu digni videntur, indicare. In *primo* itaque *tomo* occurrunt STEPHANVS BALVZIVS, IACOBVS BERNARDVS, GEORGIVS BVLLVS, HENRICVS DODWELLVS, IO. BAPTISTA DV HAMEL, PETRVS HEYLINVS, PETRVS DANIEL HVETIVS, LVDOLPHVS KVSTERVS, IACOBVS LE LONG, IO. LOCKIVS, IO. MARTIANAEVS, AEGIDIVS MENAGIVS, NICOLAVS LE NOVRRY, CASIMIRVS OVDINVS, ANTONIVS PAGI, IACOBVS PERIZONIVS, PAVLVS PEZRONIVS, BENEDICTVS PICTETVS, VINCENTIVS PLACCIVS, ADRIANVS RELANDVS, IAC. RHENFERDIVS, CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, RICHARD SIMON, IOAN. TOLANDVS; in *altero tomo:* IACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS, DOMINICVS BOVHOVRS, IOANNES DEZ, IACOBVS GOVSSETIVS, IOAN. GEORGIVS GRAEVIVS, IACOBVS GRONOVIVS, CHRISTIANVS GRYPHIVS, GODEFREDVS GVILIELMVS LEIBNITIVS, NICOLAVS MALEBRANCHE, IOANNES MILTON, DAN. GEORGIVS MORHOFIVS, DANIEL PAPEBROCHIVS, PAVLVS PELISSON DE FONTANIER, IOANNES LA PLACETTE, THEODORICVS RVINARTVS, EZECHIEL SPANHEIMIVS. Tomo tertio noua praefixa eſt praefatio, in qua auctor ad diuerſa aliorum de hocce opere reſpondet iudicia, atque TOVRNEMINIVM laudat, a quo in quibusdam rectiora edoctus fuit. Inter eos autem, quorum vitae in hocce tomo exhibentur, eminent IOSEPHVS SAENZ D'AGVIRRE, cardinalis, NATALIS ALEXANDER, ADRIANVS BAILLETVS, IOAN. BONA, cardinalis, GVILIEL. CHILLINGWORTH, NIC. COEFFETEAV, IOAN. DALLAEVS, SIMON EPISCOPIVS, FRANCISCVS LAMY, HVBERTVS LANGVETVS, IOBVS LVDOLPHVS, HENRICVS NORISIVS, cardinalis, ISAACVS PAPINVS, GVIL. ERNESTVS TENTZELIVS, LVDOVICVS THOMASSINVS, IOSEPHVS MARIA TOMMASI, cardinalis. In *quarto tomo* prae reliquis obſeruatu digni PETRVS ABAELARDVS, IACOBVS BASNAGIVS, BARTHOLOMAEVS CARRANZA, IOAN. IVSTINVS CIAMPINI, IOAN. CLAVDIVS, CAROLVS LE COINTE, IOAN. BAPTISTA COTELERIVS, THOMAS HOBBESIVS, PETRVS POIRET, CASP. SAGITTARIVS, SAMVEL SORBIERIVS, IOAN. WILKINS. In *tomo quinto:* IOSEPH. ANTELMIVS, CHRISTOPHORVS CELLARIVS, RICHARDVS CVMBERLANDIVS, THOMAS ERPENIVS, PAPIRIVS MASSONVS, PETRVS PITHOEVS, DIONYSIVS SAN-MARTHANVS, IO. SELDENVS, ANTONIVS TEISSIERIVS, HENRICVS VALESIVS, ANTONIVS VARILLASIVS, IACOBVS VSSERIVS. In *ſexto:* PETRVS BAELIVS, GILBERTVS BVRNETVS, GERARDVS CROESIVS, ISAACVS IAQVELOT, IOAN. LIGHTFOOTVS. In *ſeptimo* denique: CAROLVS

LVS ANCILLONIVS, DAVID ANCILLONIVS, ANTONIVS BYNAEVS, THOMAS CAMPANELLA, PAVLVS COLOMESIVS, ADRIANVS IVNIVS, CHRISTIANVS LVPVS, IOAN. MABILLONIVS, GOTTFRIEDVS OLEARIVS, FRANCISCVS PAGI, GEORGIVS PASCHIVS.

ibid. Scaevolae Sammarthani elogia) Commendanda maxime editio, quae cum *praefatione* & notis CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNI Iſenaci prodiit an. 1722. in 8. cui & ſubiunctum eſt *elogium Thomae Stanleii*, a GVILIELMO WOTTONO ſcriptum.

ibid. Pet. Baelii dictionarium hiſtorico-criticum) Multa de hocce *dictionario*, quod tantum in orbe erudito ſtrepitum dedit, adferri in medium poſſent, ſi inſtituti noſtri hoc permitteret ratio. Num plus inde damni, an emolumenti, ad lectores incautos, rerumque, de quibus agitur, non ſatis peritos, vel ea ſolum, quae voluptatem adferre poſſunt, captantes, redundare queat, merito dubitaueris. Sed hac de re diſceptare; aut impia, quibus ſpecies quaedam conciliatur, indicare dogmata, huius loci non eſt. Editiones indicat GOTTLIEB STOLLIVS, in *der Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrtheit part. I. cap. VI.* ad §. *IX. p. 252.* editionis, quae an. 1724. 4. prodiit. Vltimae editioni, quam PROSPER MARCHAND dedit Roterodami 1720. quatuor tomis in fol. nonnulli, priusquam excuderetur, acriter ſe oppoſuerunt; contendentes, eum multa inſerturum, quae a BAELIO profecta non eſſent; multa etiam praeter mentem eius mutaturum. Intelligere iſta licet ex DE LA MONNOYE (qui tamen negauit, ſe libri iſtius auctorem eſſe) *hiſtoire de Mr. Bayle & de ſes ouvrages p. 536. ſeqq.* Nec defuit ſibi PROSPER MARCHAND, quin potius, vt hanc a ſe amoliretur ſuſpicionem, omnem mouit lapidem; conf. *iournal literaire tom. VIII. part. I. artic. VII. p. 90. ſeq.* & IOAN. CLERICI *biblioth. anc. & modern. tom. VI. part. I. p. 233. ſeq.* & *tom. XIV. part. II. p. 383.* Ceterum de vita reliquisque ſcriptis PETRI BAELII praeter auctorem libri iam laudati: *hiſtoire de Mr. Bayle & de ſes ouvrages* &c. qui Amſtelodami an. 1716. 8. prodiit; conferendus NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l'hiſt. des hommes illuſtres &c. tom. VI. p. 251. ſeqq.*

p. 183. das compendieuſe Gelehrten-Lexicon) Noua eius editio prodiit Lipſiae an. 1726 in 8. quae priori non vno nomine eſt praeferenda; conf. *die deutſche acta erudítor. part. CIX. num. V. p. 70. ſeq.*

ibid. praecipue nobis illorum habenda eſt ratio, qui theologorum &c.) commemorandus hic cumprimis eſt IO. ANTONIVS STRVBBERGIVS, cuius *index theologorum euangelico-Lutheranorum chronologicus, ſiſtens a tempore reformationis ad noſtra vsque tempora illorum nomina, patriam, officia & annos emortuales, prodromi loco bibliothecae vniuerſalis theologorum eccleſiae Lutheranae, ſuo tempore diuinis auſpiciis luci donandae publicae, ita concinnatus, &c.* Lemgouiae prodiit an. 1727. 8. Ex qua inſcriptione patet, conſtitutum auctori eſſe, *bibliothecam vniuerſalem theologorum eccleſiae Lutheranae* edere, cui *indicem* huncce *chronologicum*, ceu prodromum quemdam, praemiſit. In *diſcurſu praeliminari de vitis theologorum Lutheranorum*, qui ante huncce *indicem* conſpicitur, diligenter eos indicat, qui tum generatim eccleſiae noſtrae theologorum, tum ſpeciatim certae cuiusdam academiae, vitas deſcripſerunt, & quibus haud pauci a nobis laudati addi poſſunt.

ibid. qui locorum ſimul habita ratione noſtrae eccleſiae theologos &c.) Iis, quos commemorauimus, addendus IOANNES TILEMANNVS dictus SCHENCK, in *vitis profeſſorum theologiae, qui in illuſtri academia Marburgenſi a ſua fundatione ad noſtra*

noſtra vsque tempora docuerunt; Marburgi Cattorum an. 1727. 4. quamuis reformatae ſimul eccleſiae theologorum, illorum ſcilicet, qui in academia iſta in noſtrorum locum ſucceſſerunt, vitas exhibeat. Dum in *praefatione* illos commemorat, qui virorum illuſtrium & eruditione praeſtantium memoriam conſeruarunt & ad poſteros propagarunt, (quod non vna ratione factum docet) huc etiam refert AMBROSII *catalogum virorum illuſtrium & eccleſiaſticorum.* Sine dubio HIERONYMVM dicere voluit. AMBROSIVM enim eiusmodi librum ſcripſiſſe non conſtat. HIERONYMVM vero eum in animo habuiſſe, vel inde conſtat, quod addit, *quo* (catalogo virorum illuſtrium) *& eorum memoriam ab interitu conſeruare, & rabidis chriſtianorum hoſtibus, Celſo, Porphyrio, Iuliano, ethnicos philoſophos celebrantibus, & eccleſiam nullos philoſophos aliosque eruditos adſeclas habuiſſe, nugantibus, os obturare voluit.* Id enimuero eſt, quod HIERONYMVS de ſe profitetur: *Diſcant igitur Celſus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduerſus Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant, eccleſiam nullos philoſophos & eloquentes, nullos habuiſſe doctores, quanti & quales viri eam fundauerint, exſtruxerint, ornauerint; & deſinant fidem noſtram ruſticae tantum ſimplicitatis arguere, ſuamque potius imperitiam agnoſcant;* in *prooemio catalogi ſcriptor. eccleſiaſtic. p.m. 20.* Inter eos, quorum vitae hic deſcribuntur, maxime memorabiles ſunt FRANCISCVS LAMBERTI, Auerionenſis, *p. 1. ſeqq.* ERHARDVS SNEPFIVS *p. 27. ſeqq.* ANDREAS GERARDVS HYPERIVS, cuius non ſemel a nobis facta eſt mentio *p. 54.* AEGIDIVS HVNNIVS *p. 149. ſeqq.* in quem tamen auctor paullo iniquior eſſe videtur, dum inter alia ita ſcribit: *Multa cum moliretur noua, quae omnia hic explicare instituti ratio non permittit, a ſereniſſimis Landgrauiis dimiſſus fuit:* ſimulque litteras Wilhelmi Landgrauii, ad Ludouicum ſeniorem, ad dimiſſionem hanc ſpectantes, ſubiicit: IOANNES WINCKELMANNVS *p. 161. ſ. qq.* & BALTHASAR MENTZERVS *p. 174. ſeqq.* In hisce omnibus maiorem, ni fallor, auctor adhibere potuiſſet diligentiam.

p. 184. ſed ex Socinianis pariter ac Arminianis &c.) Sunt & qui ex inſtituto tum Socinianorum, immo omnium antitrinitariorum, tum Arminianorum, qui ingenii & doctrinae monumentis inclaruerunt, vitas & ſcripta recenſuerunt, & Socinianorum quidem, aut potius omnium anti-trinitariorum CHRISTOPHORVS SANDIVS in *bibliotheca anti-trinitariorum, ſiue catalogo ſcriptorum & ſuccincta narratione de vita eorum auctorum, qui praeterito & hoc ſaeculo, vulgo receptum dogma de tribus in vnico Deo per omnia aequalibus perſonis vel impugnarunt, vel docuerunt ſolum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe illum verum; ſeu altiſſimum Deum;* quod quidem opus poſthumum Freyſtadii, vt inſcriptio ſe habet, prodiit an. 1684. 8. itemque auctor *hiſtoriae Socinianiſmi*, quae lingua gallica Pariſiis prodiit an. 1723. 4. & de qua plura dixi lib. II. cap. VII. ad §. X. p. 1347. remonſtrantium autem; ſeu Arminianorum ADRIANVS CATTENBVRGH in *bibliotheca ſcriptorum remonſtrantium,* quae Amſtelodami an. 1728. 8. lucem adſpexit.

ibid. Eos vero, qui ſpeciatim huius; aut illius theologi &c.) Illis, quos viri illi docti laudarunt, addi adhuc alii poſſent, qui idem noſtra praeſtiterunt aetate. Sic *vita Eraſmi, ea praecipue ipſius pars, quam in Anglia transegit; vbi ſimul refertur, quibus tum inter eruditos amicis vſus eſt; ſtatus itidem qualis tum fuerit & religionis & litterarum in vtraque academia, Oxonienſi ſcilicet atque Cantabrigienſi, edocetur, addita adpendice, varia monumenta inedita*

complexa, lingua anglicana a SAMVELE KNIGHT ſcripta, prodiit Cantabrigiae an. 1726. 8. Enimuero licet iam alii in vita ERASMI deſcribenda operam ſtudiumque ſuum collocauerint, vt poſt RHENANVM, SCRIVERIVM, BATESIVM cęteroſque, cumprimis IOAN. CLERICVS, qui ex epiſtolis eius, quae ad vitam & fata viri huius doctiſſimi ſpectant, colligere adgreſſus eſt; haud pauca tamen adhuc de ea dici poſſe, vel illius, quod ERASMVS in Anglia tranſegit, vitae ſpatii exemplo auctor luculenter comprobauit. Ita vero in hacce deſcriptione verſatus eſt, vt hiſtoriam Angliae litterariam, immo & eccleſiaſticam, in memorabili illa temporis iſtius periodo egregie illuſtraret, quorſum & *vita* IOANNIS COLETI ab eodem auctore deſcripta, comparata eſt. Eaque ratione ſi vitae eruditorum deſcribantur, tum demum, quantam adferant vtilitatem, perſpicere licet. Idem fere, quod ſcilicet inſignem hiſtoriae ſub Henrico VIII. Angliae rege partem complectatur, dicendum de *vita Thomae Mori, equitis & ſupremi Angliae cancellarii*, a THOMA MORO, THOMAE abnepote, ſcripta, & Londini an. 1726. 8. recuſa; de qua conferenda, quae obſeruantur in *actis erudit. Lipſienſib. an. MDCCXXVII. menſe Ianuar. p. 31. ſeqq.* cumprimis autem ab ARMANDO DE LA CHAPELLE *dans la bibliotheque angloiſe tom. XIV. part. I. artic. I. p. 1. ſeqq.* Licet autem THOMAS MORVS theologus non fuerit, plurima tamen in vita eius occurrunt, quae theologiae cultorem ignorare non decet; vnde, vt deſcriptionis vitae eius hic mentionem faceremus, ab hoc loco alienum non fuit. Multo magis de HVGONE GROTIO ita cenſendum, de quo praeclare admodum meritus vir ille doctiſſimus, qui *Hugonis Grotii, Belgarum phoenicis mores, ab iniquis obtrectationibus vindicatos* edidit, Delphis Batauorum, aut potius Lipſiae, an. 1727. 8. Quantumuis enim ei praecipue conſtitutum ſit, a ſiniſtris quorumdam iudiciis HVGONEM GROTIVM vindicare; vitam tamen eius ſimul per omnia interualla deſcribit, iſtorumque temporum hiſtoriae tum ciuili tum litterariae lucem prorſus egregiam adfundit. Siue rerum ſelectum, ſiue iudicii ἀκρίβειαν & ſobrietatem, ſiue ſermonis elegantiam ſpectes, omnibus in hoc ſcribendi genere dubiam reddit palmam. Non ſemel itaque in hiſce a nobis laudabitur adnotationibus. Nec praetermittendus hic eſt OTTO FRIDERICVS SCHVTZIVS, vtpote qui in vita DAVIDIS CHYTRAEI deſcribenda ſingulari prorſus diligentia verſatus eſt. Exſtant namque eius *de vita Dauidis Chytraei, theologi, hiſtorici & polyhiſtoris Roſtochienſis commentariorum libri quatuor, ex editis & ineditis monumentis ita concinnati, vt ſint annalium inſtar & ſupplementorum hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi decimi ſexti, ſpeciatim rerum in Lutherana eccleſia & academia Roſtochienſi geſtarum*; quorum *liber primus* Hamburgi an. 1720, *ſecundus* ibidem 1722, *tertius* autem & *quartus* iunctim, cum noua totius operis inſcriptione: *ſupplementa hiſtoriae eccleſiaſticae inprimis Lutheranae ad dimidium ſaeculi decimi ſexti quatuor libris expoſita &c.* an. 1727. prodierunt. Ita vtique vitam CHYTRAEI enarrat, vt res totius eccleſiae Lutheranae attingat, prout ad iſtud temporis interuallum pertinent, de quibus multa omnino alibi haud obuia obſeruat. Addere vero etiam his iuuabit *vitam Ioan. Georgii Leuckfeldi, paſtoris quondam Groningenſis*, a TOBIA ECKARDO lingua germanica deſcriptam, editamque Quedlimburgi an. 1727. 4. Dignus namque LEVCKFELDIVS fuit, cuius memoria ab obliuione vindicaretur ob ſcripta egregia, quibus hiſtoriam eccleſiaſticam Germaniae illuſtrauit. Dignus vero & hoc nomine fuit, quod & ipſemet in aliorum theologorum

Digitized by Google

gorum vitis deſcribendis diligentiam haud vulgarem collocauit. Proſtant enim eius *hiſtoria Spangenbergenſis, oder hiſtoriſche Nachricht von dem Leben, Lehre und Schrifften Cyriaci Spangenbergs*; quo in libro controuerſiis, quibus MATTHIAS FLACIVS, Illyricus, occaſionem dedit, lux adfunditur; *hiſtoriſche Nachricht von dem Leben vnd Schrifften M. Iohann Spangenbergs, erſten euangeliſchen Predigers zu ſancti Blaſii in Nordhanſen &c. Hiſtoria Heshuſiana, oder hiſtoriſche Nachricht von dem Leben, Bedienungen vnd Schrifften Tilemanni Heshuſii &c. Hiſtoria Hamelmanni, oder hiſtoriſche Nachricht von dem Leben, Bedienungen vnd Schrifften Hamelmanni, geweſenen euangeliſchen Superintendenten im Oldenburgiſchen vnd berühmten hiſtorici &c.* de quibus omnibus multa lectu digna ECKARDVS in medium profert.

ibid. Sunt vero rurſus, qui ad gentium diuerſitatem reſpiciunt &c.) Immo & ad vrbium diuerſitatem. Nonnulli enim certae cuiusdam vrbis viros doctos deſcribere, ſuarum duxerunt eſſe partium. Sic IO. CHRISTOPHORI WENDLERI exſtat *Auguſta literata*, HABICHHORSTII *Roſtochium litteratum*, IOAN. HENRICI VON SEELEN, *Stada litterata*, ANDREAE CHARITII *commentarius de viris eruditis Gedano ortis*; ne quid de reliquis dicam, quorum notitiam ſuppeditabit *bibliotheca Menckeniana p. 34. ſeqq.* vbi magno numero ſcriptores, qui *de certae nationis, prouinciae; aut vrbis eruditis* egerunt, adferuntur. Conferenda & quae de eiusmodi ſcriptoribus tradidit BVRCARDVS GOTTHELFFIVS STRVVIVS in *introduct. in notitiam rei litterariae cap. VII. §. X. ſeqq. p. 590. ſeqq.* & quae IO. CHRISTOPHORVS COLERVS, in *analectis & adnotationib.* ad *h. l.* praeſertim ad §. *XXIII. p. 639.* obſeruauit. Inter recentiſſimos ſcriptores, qui de vrbis cuiusdam viris eruditis egerunt, commemorandus eſt IOAN. MARTINVS SCHAMELIVS, cuius quippe *Numburgum litteratum, in quo viros, quos vel protulit Numburgum, vrbs ad Salam epiſcopalis, vel fouit ac aluit, eruditione aut ſcriptis praeſtantes, ſecundum temporum ſeriem breuiter recenſet*; Lipſiae prodiit an. 1727. 4. Additae ſunt variae epiſtolae PFLVGII, LVTHERI, MELANCHTHONIS, REINESII, DAVMII, SAGITTARII, SPENERI, PETRI ALBINI, & FRANCISCI A FRANCKENAV, nondum hucusque editae. Poteſtque vel hicce liber documento eſſe, in eiusmodi ſcriptis de vrbis cuiusdam viris eruditis ſubinde occurrere, quae omnium theologiae cultorum ſcire intereſt. Talia ſunt, quae de WALRAMO, epiſcopo Numburgenſi, qui circa finem ſaeculi vndecimi & initium duodecimi vixit, & in celeberrima Henrici IV. imperatoris & Gregorii VII. pontificis contentione pro illo ſtetit, immo cauſſam eius ſcriptis quibusdam egit; *p. 1. ſeqq.* de DIETERICO; ſiue THEODORICO III. A BVRGSDORFF, qui *concordantias in ius Saxonicum*, vulgo *Sachſen-Spiegel* dictum, ſcripſit, *p. 7. ſeqq.* de NIC. MEDLERO, qui inter eos, qui ſe libello *interim* oppoſuerunt, eminet, *p. 17. ſeqq.* de NIC. AMSDORFFIO, celeberrimo eccleſiae noſtrae theologo, *p. 41. ſeqq.* de IVLIO PFLVGIO, epiſcopo Numburgenſi, cuius in hiſtoria eccleſiaſtica praeſertim interimiſtica notiſſimum nomen eſt, *p. 44. ſeqq.* de GEORGIO ARNOLDO, epiſcopatus Numburgenſis cancellario, qui vitam Mauritii Saxoniae electoris ſcripſit, *p. 56.* de IO. ROSINO, cuius *antiquitates Romanas* nemo ignorat, *p. 71. ſeqq.* de maximo Germaniae & Belgii ornamento IO. GEORGIO GRAEVIO *p. 81. ſeqq.* commentatur.

ibid. Galliae viros eruditos) Bibliothecam generalem ſcriptorum Galliae edere ſecum conſtituit IOANNES LIRONIVS, ex congregatione ſancti Mauri monachus

nachus Benedictinus, eiusque iam *ſpecimen* aliquod; ſeu *librum primum*, *bibliothecam ſcilicet Carnutenſem, ſiue commentationem de auctoribus viriſque illuſtribus antiquae diocceſeos Carnutenſis, qui aliquod ingenii ſui monumentum poſteritati reliquerunt*, gallicana lingua in lucem emiſit Pariſiis 1719. 4. At acri cenſura hoc *ſpecimen* perſtringit PHILIPPVS LE CERF *dans la bibliotheque hiſtorique & critique des auteurs de la congregation de Saint Maur p. 201. ſeqq.*

ibid. eminet Nicolaus Antonius in bibliotheca hiſpana &c.) Pleniorem *bibliothecae* huius *hiſpanae* notitiam ſuppeditat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *ſelectis litterariis num. I. p. 1. ſeqq.* & inter alia obſeruat, quod cum in *indicibus* ei ſubiectis magno numero adducantur, qui de beata virgine Maria, eiusque parentibus, & Ioſepho ſcripſerint, ſpeciatim centum & ſexaginta ſcriptores commemorentur, qui de ſola conceptione, quam vocant, immaculata commentati ſint, *p. 30.* In proteſtantes interdum NIC. ANTONIVM iniurium eſſe, docet *p. 43.* ſimul tamen addit: *cum autem hoc raro fiat, ipſi, tamquam Hiſpano, eſt aliquid condonandum, neque inuidenda ſunt ideo magnifica elogia, quibus ob eruditionem, induſtriam,* ἀκρίβειαν *& alias boni ſcriptoris virtutes merito fuit ornatus.* Recitat deinde haud paucos, qui NIC. ANTONIVM eiusque *bibliothecam hiſpanam* laudarunt; *p. 43. ſeqq.* I. H. SCHVLTZIVM porro in *bibliotheca nouiſſ. ſect. II. p. 58.* oſtendere voluiſſe, tradit, *bibliothecam* iſtam *hiſpanam* defectibus laborare & paſſim truncatam eſſe ac deprauatam; ipſi quidem ANTONIO viri cordati eum tribuere laudem, non autem omnibus iis, qui poſt ANTONII mortem, eius *bibliothecam* ediderunt, quippe qui magnam illi intulerint iniuriam; defectibus eum inter alia adnumerare, quod nulla ab ANTONIO mentio facta ſit MICHAELIS SERVETI, hominis peſſimi quidem, ſed medici tamen, vel ideo commemorandi, quoniam primus fuiſſe credatur, a quo ſanguinis circulatio, fuſius deinceps demonſtrata a GVIL. HARVAEO, inuenta; *p. 49.* VINCENTIVS equidem PLACCIVS lectorem ſuum ad NIC. ANTONIVM ablegat, vt inde vitam SERVETI hauriat, in *theatro anym. & pſeudonym. num. 2308. p. 536.* ſed falli eum iam obſeruauit IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, aut ſi mauis, HENRICVS AB ALLWOERDEN, vtpote qui in inſcriptione diſſertationis, mox laudandae, tamquam auctor eius laudatur, atque docuit, meminiſſe quidem ANTONIVM MICHAELIS SERVETI, dum ANDREAE SERVETI ſcripta recenſens, his vtatur verbis: *diuerſus eſt Michael Seruetus, Hiſpaniae haud minus poenitendus ob impietatem, quam Priſcillianus olim fuit; bibliothec. hiſp. nou. tom. I. p. 69.* at vitam eius haud deſcripſiſſe, certe in *bibliotheca* eius eam non exſtare, cum veroſimile ſit, cenſores Romanos, qui librum ANTONII ediderint, miſereque caſtrarint, omiſſis omnibus a fide romano-catholica diſſentientibus, hanc quoque hiſtoriam tamquam periculoſam reſecaſſe; id quod vel inde pateat, quod ANTONIVS in *praefatione*, ſe haereticorum quoque vitas enarraturum eſſe, diſerte profiteatur, in *hiſtoria Michaelis Serueti*, per modum diſſertationis academicae Helmſtadii an. 1727. edita, *prooem. §. VI.*

p. 185. Italorum quorumdam) Generatim hiſtoriam Italiae litterariam condere adgreſſus eſt HYACINTHVS GIMMA, in *idea hiſtoriae litterariae Italiae, ordine chronologico a ſuis primordiis vsque ad ſaeculum XVII. expoſita, acceſſit* (vt inſcriptio porro docet) *hiſtoria particularis ſcientiarum, artiumque nobiliorum, inuentorum, ſcriptorum maxime celebrium, & librorum ab iis editorum, monumentorum*

rum

rum item nonnullorum hiſtoriae ciuilis & eccleſiaſticae, religionum, academiarum, & denique controuerſiarum, variis temporibus exortarum, cum defenſione contra cenſuras iniquiores exterorum quorumdam, italice ſcripta editaque Neapoli an. 1723. duobus tomis in 4. Recenſetur hocce opus atque laudatur, vt tamen etiam quaedam perperam dicta reprehendantur, in *actis eruditor. Lipſienſibus anno MDCCXXV. menſe Febr. p. 57. ſeqq.* Auctor recenſionis iſtius cum etiam alia GIMMAE ſcripta, vt *elogia academicorum*, itemque *commentarios de hominibus pariter ac animalibus fabuloſis* commemoraſſet; de *idea* hacce ita pronuntiat: *in ea quidem ſcientiarum Italiae natales ac incrementa tam docte atque adcurate expoſuit, vt in omnibus aeque illum dicas excellere, niſi forte theologica exceperis, in quibus explicandis non adeo ſollerter verſatus videtur.* Recenſetur etiam opus hocce in *bibliotheca italica*, quae gallice Geneuae edi coepit, *tom. II. artic. I. p. 1. ſeqq.* atque obſeruatur, multa ſuperflua & nihil prorſus ad rem facientia ab auctore inſerta eſſe. Ibidem quoque *p. 14. ſeqq.* exhibetur *idée generale de l'etat des ſciences en Italie depuis le XVme ſiecle*, ſummatim hiſtoriam litterariam Italiae ab iſto tempore ad noſtram vsque aetatem exponens. Ad eos autem, qui vrbis cuiusdam aut prouinciae in Italia viros eruditos deſcripſerunt, quod attinet; illis, quos enarrauimus, adhuc addendus IVLIVS NEGRVS, Ferrarienſis, ſocietati Ieſu adſcriptus, qui italica lingua *hiſtoriam ſcriptorum Florentinorum* concinnauit, quae poſt auctoris obitum lucem adſpexit Ferrariae an. 1722. in fol. Recenſetur itidem in *actis eruditor. Lipſienſ. anno MDCCXXIII. menſe Iulio p. 251. ſeqq.* Cumque etiam plurimae artium & ſcientiarum in Italia ſint academiae; per adcuratiorem earum notitiam quin hiſtoria litteraria ſingulare acceptura ſit incrementum, nemo dubitauerit. Hanc vero dum ex inſtituto tradere ſecum conſtituit IOANNES IARKIVS; conſultum duxit, *ſpecimen* aliquod *hiſtoriae academiarum eruditarum Italiae* praemittere; cui *indicem academiarum Italiae omnium* adiecit. Prodiit hoc ſpecimen Lipſiae an. 1725 in 8. & duobus abſoluitur capitibus, quorum prius de *academiis eruditorum Pedemontanis & Montisferratenſibus*; poſterius de *artium & ſcientiarum academiis Mediolanenſibus* agit. Conferenda etiam, quae de hisce Italiae academiis in medium adferuntur in *idea* iſta *generali* iam laudata *p. 29. ſeqq.* Sed haec dum ſcribo, offert ſe mihi viri ſummi IO. ALB. FABRICII *conſpectus theſauri litterarii Italiae, praemiſſam habens praeter alia notitiam diariorum Italiae litterariorum, theſaurorumque ac corporum hiſtoricorum, & academicorum, ſubiuncto peplo Italiae* IOAN. MATTHAEI TOSCANI, Hamburgi an. 1730. 8. Continentur in hoc volumine *notitia ephemeridum; ſiue diariorum eruditorum Italiae; de hiſtoricis rerum Italicarum*; LVDOVICI ANTONII MVRATORII ac Mediolanenſium palatinorum ſociorum *corpus hiſtoricum Mediolanenſe &c. indiculus anecdotorum* a FERDINAND VGHELLO *in Italia ſacra editorum; Sicularum rerum ſcriptores in nouum corpus redacti*; IO. BAPTISTAE CARVSII *bibliotheca hiſtorica regni Siciliae; theſaurus antiquitatum & hiſtoriarum Italiae, mari Liguſtico & Alpibus vicinae, collectus* a IO. GEORGIO GRAEVIO; *theſaurus ſcriptorum Italiae ex conſilio* PETRI BVRMANNI continuatus; *theſaurus ſcriptorum atque antiquitatum Siciliae; fragmentum de originibus Longobardicis illuſtratum* a IO. FRID. CHRISTIO; *theſaurus antiquitatum romanarum congeſtus* a IO. GEORGIO GRAEVIO; *nouus theſaurus antiquitatum romanarum congeſtus* ab ALBERTO HENRICO SALLENGRE;

theſaurus

theſaurus antiquitatum graecarum a IACOBO GRONOVIO; *notitia academiarum Italiae geographica & alphabetica; conſpectus theſauri litterarii Italiae*, ſcilicet *de eruditis Italis vniuerſe, eorumque ſcriptis; de argumentis quibusdam ſpecialibus, vt de ſcriptis pontificum romanorum, de ſcriptis cardinalium; de epiſcopis Italiae; de Italis ebraicae & aliarum linguarum orientalium peritia celebribus; de Italis, qui graece ſcripſerunt; de poetis Italis; de academiis Italiae; de hiſtoricis Italis; de ſatyricis; de interpretibus Italis; de elogiorum ſcriptoribus, tum qui italica, tum qui latina lingua vſi ſunt; de eruditis certarum nationum vel ciuitatum Italiae vel Siciliae; de Aquaui nenſibus & Aquileienſibus.* Subiunctus eſt, vt iam ſignificauimus, IO. MATTHAEI TOSCANI *peplus Italiae, opus*, vt ipſa nos porro inſcriptio docet, *in quo illuſtres viri, grammatici, oratores, hiſtorici, poëtae, mathematici, philoſophi, medici, iurisconſulti (quotquot trecentis ab hinc annis tota Italia floruerunt) eorumque patriae, profeſſiones, & litterarum monumenta, tum carmine, tum ſoluta oratione recenſentur &c.*

ibid. Ad Polonos quod attinet) Referre huc etiam licet DAVIDIS BRAVNII opus, quod inſcribitur: *De ſcriptorum Poloniae & Pruſſiae hiſtoricorum, politicorum, typis impreſſorum, ac manuſcriptorum, in bibliotheca Brauniana collectorum, virtutibus & vitiis, catalogus & iudicium, poſt euolutionem exactum ſine odio & ſtudio, limatiſſimum*, Coloniae an. 1723. in 4.

p. 186. Ab ipſis pontificibus atque cardinalibus &c.) Commemorandus hic etiam GEORGIVS IOSEPHVS AB EGGS, cuius quippe exſtat liber, quem inſcripſit: *pontificium doctum, ſeu vitae, res geſtae, obitus, aliaque ſcitu & memoratu digna ſummorum pontificum romanorum, eorum praecipue, qui ingenio, doctrina & eruditione, ſcriptis, libris editis & lucubrationibus quibuscumque ab initio naſcentis eccleſiae, id eſt a ſancto Petro apoſtolo, romanorum pontificum primo, vsque ad Clementem XI. hodie feliciter & glorioſe regnantem orbi chriſtiano inclaruere; deſumptum ex variis, iisque probatiſſimis, veteribus, mediis, recentioribus ac nouiſſimis ſacrae profanaeque hiſtoriae ſcriptoribus, item genealogiis, chronicis &c. in vnum volumen digeſtum ac in lucem editum* per GEORGIVM IOSEPHVM AB EGGS, ſacroſanctae theolog. doct. caeſareo - archiducalis eccleſiae ad ſanctum Martinum Rheinfeldae cuſtodem & canonicum ſeniorem, Coloniae 1718. fol. Fatetur auctor, inter pontifices, in hoc opere commemoratos, eſſe nonnullos, qui forte haud ſatis digni (rectius feciſſet, ſi ſcripſiſſet, qui prorſus indigni ſunt) criticorum iudicio reputentur, qui inter doctos locum ſortiantur; cum tamen comparati cum reliquis pauci admodum ſint, ſe eos omittere noluiſſe, cumque a potiori fiat denominatio, recte nihilo ſecius opus ſuum inſcribi potuiſſe *pontificium doctum*. Quae quorſum ſpectet excuſatio, nemini temere obſcurum eſſe poteſt. Putat autem auctor, ſe etiam hocce opere haereticis, quos vocat, obuiam iuiſſe, quippe qui mille, vt loquitur, conuiciis inſcitiam romanis pontificibus obiectare conſueuerint. Quod an ita praeſtiterit, vt non deſint, quae regeri queant, forte non ſine ratione nonnulli dubitabunt. Idem auctor etiam de cardinalibus, qui eruditionis laudem conſequuti ſint, agit in *purpura docta*, Francofurti an. 1714. tribus voluminibus in fol. edita: cuius quidem operis etiam exſtare voluit *ſupplementum nouum, ſeu vitae, legationes, res geſtae, obitus, aliaque ſcitu & memoratu digna &c. eorum S. R. E. cardinalium, qui in tribus purpurae doctae voluminibus, hinc inde deſiderati, nunc vero ſuo quisque loco (ſeruato ordine & tempore) reſtituti ſunt, numero*

prope

Digitized by Google

prope CCCC. in libros quatuor diuiſi, ac vno volumine collecti, cum vberrimis notis marginalibus, ac duplici indice perſonarum & rerum &c. Auguſtae Vindelicorum & Graezii an. 1729. fol. Sed in hocce pariter ac praecedentibus operibus auctor non niſi protrita & vulgaria adfert, ſpemque & exſpectationem lectorum mirum in modum fallit: paucisſimi porro ex illis, quos commemorat, ingenii monumenta reliquerunt, vnde & nec hiſtoria litteraria incrementum aliquod inde accipiet; ieiune denique admodum in vitis cardinalium deſcribendis verſatur, quod vel exemplo eorum, quae de LVDOVICO ANTONIO DE NOAILLES, celeberrimo iſto cardinali & archiepiſcopo Pariſienſi *p. 619. ſqq.* refert, comprobari poteſt. Ceterum cum hic de iſtis pontificibus ac cardinalibus, qui inter viros doctos locum promerentur, ac ingenii monumenta reliquerunt, ſermo ſit, eos ſcriptores, qui generatim de pontificibus aut cardinalibus egerunt, aut res illorum in eccleſia geſtas expoſuerunt, hic in cenſum non venire, manifeſtum eſt. Monendum hoc duxi, cum ab aliis, qui in hoc argumento verſantur, hoc non obſeruatum videam.

ibid. De ſcriptoribus itaque huius ordinis ſeu ſocietatis &c.) Sunt quidem alii, qui hiſtoriam ſocietatis iſtius celeberrimae condiderunt, qui tamen cum huius loci non ſint, eos etiam indicare nolui, quamuis nonnulli etiam quaedam, quae ad hiſtoriam eius litterariam ſpectant, attingant. Iſtius generis ſunt IOANNIS DREWS, ſocietatis Ieſu, Puntero-Varmienſis, *faſti ſocietatis Ieſu res & perſonas memorabiles eiusdem ſocietatis per ſingulos anni dies repraeſentantes* poſt auctoris obitum editi Brunsbergae an. 1723. 4. In iis ſecundum ordinem dierum res iſtius ſocietatis maxime memorabiles breuiter enarrat, ſimulque viros, quos habuit ingenii & eruditionis gloria florentes, memorat, & quaedam de iis obſeruat. De IACOBO GRETSERO verba faciens, eum *fortiſſimum pro fide catholica athletam* vocat, *haereticorum domitorem & malleum, quos mira diligentia & conſtantia per omnem vitam acerrime inſectatus ſit plurimis & eruditiſſimis ſcriptis.* Vt autem probet, eum non minori modeſtia, quam eruditione fuiſſe praeditum, eum ciues ſuos repuliſſe, ait, optantes eius effigiem, quam in curia ſua ad poſterorum venerationem reſeruarent; nec ſine ſtomacho repoſuiſſe GRETSERVM: *tum demum illos ſuam habituros imaginem, ſi pictum in tabula aſinum haberent; p. 39.* IODOCVM KEDDIVM *nouam* (contra haereticos) *bellandi methodum elegiſſe*, dicit, *per minores libellos, qui vt facili ſumptu parentur & comparentur, ita ſine taedio, & a pluribus legantur; p. 118.* De IOANNE TOLLENARIO, Belga, qui Antwerpiae an. 1643. mortuus eſt, obſeruat, quod auctor praecipuus fuerit libri: *imago primi ſaeculi ſocietatis*, inſcripti. Eumdem etiam ſequenti ratione laudat: *erga aegros pauperes tenera & forti erat charitate. Mortui pauperis cadauer, in humeros ſublatum, e ſuperiori aedium parte deorſum deportauit, cum feretrum per anguſtos gradus ferri ſurſum non poſſet. Aegri, qui viaticum acceperat, vomitum generoſe ipſe hauſit, in reuerentiam euchariſtici Ieſu. Alias e pauperis vlceribus horridi ſcutella bibit, vt ſe peruinceret &c. p. 127.* De MARTINO BECANO, celebri illo controuerſiarum ſcriptore, adſerit, quod cum Ferdinando imperatori a concionibus aulicis eſſet, & Caeſari & aulae, immo nobilitati toti, etiam heterodoxae ſatisfecerit, *quod nihil attingeret negotiorum politicorum, p. 33.* HENRICVM GARNETVM, Ieſuitam, tanti nominis in Anglia fuiſſe, dicit, vt ab heterodoxis etiam *magnus Ieſuita, & paruus papa* adpellitaretur. Eumdem etiam ob conſpirationem pulueraria accuſatum,

tum, ita rem ſuam in ſenatu egiſſe, nobis perſuadere adnititur, vt palam omnes innocentem faterentur. *Damnatus tamen eſt*, inquit, *quod ſecretum in confeſſione auditum non reuelaſſet, quod ſacerdos, quod Ieſuita eſſet; p. 169.* DE DIDACO RVIZ poſtquam obſeruauerat, quod theologiam editis ſex tomis illuſtraſſet, addit: *culinam autem domeſticam, aliaque viliora loca ſtupendis humilitatis exemplis exornauit.* Adſerit etiam, eum *flexis genibus ſtuduiſſe, humili ſitu ſe diſponentem ad coeleſtia lumina recipienda; p. 201.* FRANCISCI quoque TVRRIANI, ADAMI TANNERI, DIONYSII PETAVII, aliorumque, quorum inter eruditos nota ſunt nomina, mentionem iniicit. Quae de FRANCISCO SVAREZIO & ROBERTO BELLARMINO, cardinali, tradidit, alibi commemorabimus. Atque haec ſufficere poſſunt, vt intelligatur, quemnam liber hicce vſum praebere queat, qui reuera exiguus eſt, cum totus fere commentis, fictis miraculis, ſimilibusque ineptiis ſcateat. Ceterum quanto ſtudio Ieſuitae in ſocietatis ſuae hiſtoria perficienda laborent, ex IGNATII AGRICOLAE *hiſtoria prouinciae ſoc. Ieſu Germaniae ſuperioris, quinque primas annorum complexa decades*, patet, quae Ratisbonae prodiit an. 1727. fol.

ibid. Sed omnium induſtriam ſuperarunt Iacobus Quetif & Iacobus Echard &c.) Conferenda hic omnino viri eruditiſſimi IOANNIS ERHARDI KAPPII *obſeruatio in P. Quetifii & P. Echardi ſcriptores ordinis praedicatorum*, quae in *actis eruditorum Lipſienſibus* exſtat, *anno MDCCXX. menſ. Octobr. p. 441. ſeqq.* Nimirum cum ingenue, quae in opere hocce laudanda ſint, indicaſſet; non diſſimulat quoque, quae in eodem cenſuram promerentur. Reprehendit namque, & quidem merito, Lutheranis inſultandi libidinem, quam in priori etiam tomo aliquoties auctores prodiderint, *quo tamen*, inquit, *Lutheri quippe reformationem nondum attingente, commodum ipſis occaſionem calumniandi fere defuiſſe, exiſtimari poſſet, vt nondum adeo Dominicani immane, quo per ducentos annos in beatum Lutherum flagrarunt, odium depoſuerint.* Reprehendit etiam ſtudium Germanos pungendi, quod paſſim in hocce opere ſeſe prodat, variaque indicat παροράματα ab auctoribus admiſſa. Tandem vero & *ſupplementa* quaedam *ad priorem operis* huius *tomum* addit, lectu digna, in quibus haud pauca, ab auctoribus iſtis praetermiſſa, indicat.

ibid. in actis ſanctorum ordinis ſancti Benedicti &c.) *Acta* haecce *ſanctorum ordinis ſancti Benedicti* in ſaeculorum claſſes diſtributa ſunt. Primum volumen ab anno D ad DC prodiit Pariſiis 1668. fol. Sextum ſeu vltimum ab anno M ad MC ibidem an. 1701 & 1702 duobus tomis in fol. *Annalium ordinis ſancti Benedicti* tomus primus ab ortu ſancti Benedicti ad an. DCC prodiit Pariſiis 1703. fol. Quintus ſeu vltimus ab an. DCCCCLXXXI ad MLXVI ib. 1713. fol. *Acta* ſanctorum non omnibus ordinis eius ſociis placuiſſe conſtat; conf. NICERONIVS *mem. pour ſervir a l' hiſt. des hommes illuſtres tom. VII. p. 347.*

ibid. Cumprimis autem hic commendanda Bernardi Pezii bibliotheca Benedictino-Mauriana &c.) Nec praetermittendae hic ſunt eiusdem BERNARDI PEZII *epiſtolae apologeticae pro ordine ſancti Benedicti*, quas *edidit, notisque & obſeruationibus illuſtrauit* R. D. P. MELLITVS ORATIVS, *eiusdem ordinis* (Benedictini) *theologus*, Campoduni an. 1715. 8. Quidam namque ex Ieſuitarum numero librum *cura ſalutis* inſcriptum an. 1714. Viennae euulgauerat, in quo ſocietatem Ieſu cum ordine Benedictinorum ita comparauit, vt, quae huic parum honorifica aut decora eſſent, adſpergeret. Sui ergo ordinis cauſſam dum in hisce *epiſtolis*

PEZIVS

PEZIVS agit, criminationem quoque Ieſuitae de Benedictinorum ἀμαθίᾳ, &, ac ſi nulla eorum in litterarum ſtudia ſint merita, repellit; idque vt eo rectius faciat, duos adfert indices, quorum priore ſcriptores Benedictinorum, qui prae reliquis celebritatem conſequuti ſunt, inde ab anno 1600 vsque ad an. 1714 vna cum praecipuis eorum operibus, recenſet; poſteriore reliquos eiusdem ordinis ſcriptores, qui cum prioribus non pari paſſu ambulant, exhibet; ſimulque ſpem facit *bibliothecae Benedictinae generalis*, a ſe edendae, quae vitas Benedictinorum ſcriptorum, & adcuratam operum, ab iis profectorum editorumque, enarrationem ſit complexura. *Conſpectum iſtius bibliothecae Benedictinae generalis,* quam PEZIVS promiſit, legere licet in *actis erudit. Lipſ. anno MDCCXVI. menſ. Septembr. p. 403. ſeqq.* vbi & epiſtolae iſtae, iam memoratae, recenſentur. Ceterum, quod ad *bibliothecam* iſtam BERNARDI PEZII Benedictino-Maurianam, quam laudauimus, attinet; maiori deinceps diligentia & τῆς ἀκριβείας laude, eodem in argumento verſatus eſt PHILIPPVS LE CERF DE LA VIEVILLE *dans la bibliotheque hiſtorique & critique des auteurs de la congregation de ſaint Maure; ou l'on fait voir, quel a été leur caractere particulier, ce qu'ils ont fait de plus remarquable; & ou l'on donne un catalogue exact de leurs ouvrages, & une idée generale de ce qu'ils contiennent.* Prodiit haecce *bibliotheca* Hagae Comitum an. 1726 in 8. Praefertur a quibusdam illi, quam PEZIVS dedit, hoc nomine, quod non tantum pleniorem notitiam operum, a ſcriptoribus Benedictino-Maurianis editorum, ſuppeditet, eamdemque adcuratius tradat; ſed &, quod naeuos ac vitia auctorum, quos commemorat, non diſſimulet, quin potius interdum acriter perſtringat; cum PEZIVS contra omnes promiſcue laudet. Interim & hoc certum, aliisque iam obſeruatum, nec hocce opus PHILIPPI LE CERF omnis expers eſſe naeui. Immo ex inſtituto hoc probare voluit PETRVS LE RICHOVX DE NORLAS, cuius quippe exſtat *lettre a un de ſes confreres ſur la bibliotheque hiſtorique & critique des auteurs de la congregation de ſaint Maur, compoſée par Dom Philippe le Cerf de la Vieville*, Aureliae 1727. 12. conf. *iournal de ſçavans MDCCXXVII. menſe Aug. p. 545. ſeqq.* Fuit tamen etiam, qui PHILIPPI LE CERF defenſionem in ſe ſuſciperet. Prodiit namque *defenſe du livre, qui a pour titre: bibliotheque hiſtorique & critique &c.* Pariſiis 1727. 4. Licet autem forte quaedam in hacce *bibliotheca* deſiderari queant; eam tamen plurima continere, quae non modo vtilia in re litteraria, ſed omnino neceſſaria ſunt, negari nequit.

ibid. de quibus, vt & reliquis, a nobis praetermiſſis &c.) conferenda & BVRCARDI GOTTHELFFII STRVVII *introductio in notitiam rei litterariae &c. cap. VII. §. XXV. ſeqq. p. 642. ſeqq.* Repetendum tamen, quod antea iam monuimus, non omnes, qui de ordinibus religioſis commentati ſunt, hic in cenſum venire, quippe qui alterius loci ſunt; ſed eos tantum, qui viros ex iſtis ordinibus doctos, eorumdemque ſcripta recenſent.

p. 187. Sunt, qui in vitis eruditorum ſingularia quaedam &c.) Spectant itaque huc etiam VINCENTII PARAVICINI *ſingularia de viris eruditione claris*, Baſileae an. 1713. 8. edita. Ea maioris operis, aliquot centuriis abſoluendi, quod auctor molitur, ſolum partem quamdam, ſeu centurias tres, continent. Cum autem ad ſingularia virorum doctorum & hoc pertineat, quod nonnulli typographi in emendandis, quos imprimebant, libris operam nauauerint; non abs re fuerit,

commemorare hic IOANNEM CONRADVM ZELTNERVM, qui de illis ex inſtituto commentatus eſt in *theatro virorum eruditorum, qui ſpeciatim typographis laudabilem operam praeſtiterunt*, Norimbergae 1720. 12.

ibid. Multa eiusmodi ſingularia eruditorum &c.) Prodierunt etiam deinceps *ſingularia de viris eruditione florentibus, ex ſcriptis tam latinis, quam externis collecta &c.* ab ANTONIO MVSA, Wittebergae an. 1728. 8. Spectant huc etiam GRATIANI ASCHPANI, vt nonnemo vocari voluit, *de ſuperſtitione erudita & litteraria libellus*, Coloniae (Ienae potius) an. 1728. 8. editus, quo illos perſtringit, qui in ſua erga viros quosdam eruditos veneratione modum excedunt. Cumprimis autem hic merito in cenſum veniunt, qui de religione eruditorum quaedam obſeruant. Cum enim haud raro viri eruditi non ea, qua decebat, cura circa eam verſentur, hinc & in praecipitia ruant, quibus ſummam ſibi ipſi conciliant miſeriam, exempla iſta alios commonefacere poſſunt, vt cautius incedant, nec id, quod praecipuum eſſe debebat, negligant, aut praeponant. Nonnulla, quae huc ſpectant, collegit IO. HENRICVS A SEELEN in *ſelectis litterariis num. VIII. p. 301. ſeqq.* vbi ex inſtituto de ADRIANI TVRNEBI religione diſquiſitionem inſtituit. Obſeruatu cumprimis in eruditis digna eſt religionis mutatio; ea quidem, ſi ab errore ad veritatis cognitionem transeant, vehementer laudanda; improbanda contra & vituperanda, ſi reiecta veritate, errorem amplectantur. *Saeculi decimi ſexti & decimi ſeptimi eruditos LIX, qui ſuam commutarunt religionem, diſſertatione hiſtorico-litteraria* ſiſtit ANDREAS WESTPHAL, Gryphiswaldiae an. 1710. 4. GEORGIVS HENRICVS GOETZIVS autem *ſchediasma hiſtorico-theologicum* dedit *de conuerſis pontificiis ex lectione librorum Lutheri Lutheranorumque doctorum*, Lipſiae an. 1705. 4.

ibid. qui de vitiis eruditorum ex inſtituto commentati ſunt &c.) Addendi etiam, qui de virtutibus eruditorum egerunt. Quod quidem duplici fieri poteſt ratione; primum quidem, vt virtutes, quibus viri quidam docti effulſerunt, ſpeciatim celebrentur; quod quidem a ſcriptoribus elogiorum fieri ſolet, ſed tum demum vſum praebet, ſi adulatio omnis atque fucus abſit, veritatisque tantum habeatur ratio; tum vero, vt de iis virtutibus, quae viris eruditis maximum decus & ornamentum conciliant, generatim agatur. Sic *ideam eruditi modeſti* exhibuit MICHAEL LILIENTHALIVS in *ſelectis hiſtoricis & litterariis obſeruat. III. p. 53. ſeq.* Pari ratione & de *theologo modeſto* orationem ſcripſit HERMANNVS WITSIVS, quae in *miſcellaneor.* eius *ſacror. tom. II.* exſtat, *p. 904. ſeqq.* Mitto reliqua eiusdem generis.

p. 188. commentarius de ſcriptoribus ſedecim poſt Chriſtum natum ſaeculorum &c.) Noua libri huius editio prodiit Wratislauiae an. 1727. 4. in qua acceſſerunt *notae perpetuae*, in quibus auctores praecipue indicantur, qui de ſcriptoribus, in hocce *commentario* laudatis, ex inſtituto agunt; eaeque ſatis copioſae ſunt, licet eas auctor modeſtiae cauſſa *ieiunas in plurimis & imperfectas*, adpellitet. Plura ad hiſtoriam huius libri ſpectantia, ſuppeditant BVRCARDVS GOTTHELFFIVS STRVVIVS in *introduct. in notit. rei litterar. cap. I. §. XI. p. 34. ſeqq.* itemque LILIENTHALIVS, COLERVS, & KOECHERVS in *adnotationibus* ad *h. l.*

p. 189. Inter eos, qui recentiori aetate prodierunt &c.) Cumprimis tum ob librorum ſelectum, tum ob concinnum ordinem, commendanda *bibliotheca Cyprianica, ſiue catalogus librorum hiſtorico-theologicorum, quos Erneſtus Salomo Cyprianus,*

Digitized by Google

prianus, theologiae doctor, conſiliarius conſiſtorialis & eccleſiaſticus Gothanus, ſibi vndecumque conquiſiuit; accedunt indices 1) theologicus, 2) hiſtoricus, 3) antiquarius & litterarius, Gothae 1726. 8.

ibid. Scaliger tamen optat &c.) Legenda de PHOTII *ſcriptis* PAVLI COLOMESII *diſſertatio*, eiusdem *paralipomenis* ad GVIL. CAVEI *chartophylacem eccleſiaſtic.* addita, *p. 29. ſeqq.* In ea de *bibliotheca* hacce PHOTII primo loco verba faciens, & DANIELIS HEINSII in *prolegomenis in Ariſtarchum ſacrum*, calculo ſuo adprobans iudicium, *in qua*, inquit, *de ſummis chriſtianis ſimul profaniſque auctoribus ita accurate ac exquiſite iudicat, vt vnus eruditione varia cum omnibus, quos legerat, legendi diligentia cum maximis, qui ante exſtiterant, committi poſſe videatur.* Nonnulla quoque de verſionibus ac editionibus *bibliothecae* iſtius monet *p. 30. 31.* Interim praeter SCALIGERVM & alii varia in *bibliotheca* iſta PHOTII deſiderant. *De bibliotheca Photii miror*, inquit ISAACVS CASAVBONVS, *quod vir tantus omnem adeo τάξιν inſuper habuerit; nam, vt taceam, quod auctores non diſtinguit, ſed confundit in vnum; vt non dicam, artium & ſcientiarum auctores miſceri & hiſtoricos diuerſiſſimorum temporum; at illud ſane quam mirum, eiusdem ſcriptoris ſcripta eiusdem ſaepe argumenti locis adeo diuerſis commemorari, vt Arriani, Io. Philoponi, aliorum. Quid quod eiusdem libri eadem excerpta vix pauciſſimis mutatis verbis proponit bis, vt p. 217 & 278. Apparet, virum doctum, vt quemcumque librum ſors ei obtuliſſet, ſolitum deuorare, ac ſtatim in codicem ſuorum excerptorum aliquid ſibi ex eo adnotaſſe. Solet Photius ita res excerpere, vt verborum elegantias; aut proprietatem non negligat. Solet etiam, vbi rerum ſummam, quas auctores tractarunt, expoſuit, de genere ſcribendi & charactere aliquid notare. Atque id maxime cum auctorem nobis commendare debet. Eſt enim in ea parte eximius, vt non parum profecturus videatur, qui eius elogia compararit cum ſimilibus iudiciis Dionyſii Halicarnaſſenſis & aliorum*; in *Caſaubonianis p. 11. 12.* Non tantum CASAVBONVM; ſed & alios in PHOTIO hoc deſiderare, quod omnia promiſcue, nullo habito delectu, legerit & in commentarios retulerit, obſeruat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, ſimul tamen monet, huius rei culpam forte non tam in PHOTIVM, quam in operis Photiani audaces interpolatores referendam eſſe; id quod & LVDOLPHO KVSTERO in notis ad SVIDAE *lexicon tom. II. p. 68.* in mentem venerit; in *notis ad Caſauboniana p. 218.*

p. 190. cuius bibliothecae partes ſeptem hactenus prodierunt &c.) Immo iam partes quadraginta prodierunt, & adhuc continuatur. Edi deinceps etiam cœperunt: *Monathliche Nachrichten von gelehrten Leuten vnd Schrifften, beſonders dem gegenwaertigen Zuſtand der Vniuerſitaet Iena:* iamque itidem partes duodecim, ſeu *tomus primus* ad an. M DCC XXVI. ſpectans item tomus ſecundus ad an. 1727, cumque anno 1728. labor iſte interruptus fuiſſet, anno deinceps praeſenti ſeu 1729 aliquot iterum menſes lucem adſpexerunt. In hiſce vero relationibus eorum, quae in noſtra academia geruntur, ita habetur ratio, vt non minus alia quoque ſcripta, eaque ſelectiora, diligenter recenſeantur. Vſu enim fere iam obtinet, vt ſingulae academiae ſuas habeant ephemerides litterarias. Huiusmodi ſunt *acta Lipſienſium academica*, quae germanice edebantur, & in quorum locum quodammodo ſucceſſit *Lipſia litteraria; vel relationes diſſertationum, in academia Lipſienſi euulgatarum*, quae lingua latina conſcribuntur; *acta academiae Wittebergenſis; annales academiae Iuliae* &c. Eadem ratione in ſingu-

larum quarumdam prouinciarum re litteraria deſcribenda hodie nonnulli verſantur. Quorſum ſpectant GEORGII PETRI SCHVLZII *gelehrtes Preuſſen*; item *erläutertes Preuſſen*, auctore praecipuo, vti ferunt, MICHAELE LILIENTHALIO; *noua litteraria circuli Franconici*, quae deinceps continuata ſunt in *denen Fraenckiſchen actis eruditis & curioſis*, quae lingua germanica euulgari coeperunt, & quae alia ſunt eiusdem generis.

ibid. de ephemeridibus, quae in Gallia hodie euulgantur &c.) Inter eas eminent, quae & hodie adhuc continuantur, *iournal des ſçavans*, ſiue *diarium eruditorum*, & *memoires pour l' hiſtoire des ſciences & des beaux arts*, ſiue *commentarii hiſtoriae ſcientiarum & bonarum artium inſeruientes*; qui Treuoltii prodeunt, & hinc quoque *memoires de Trevoux* vocari ſolent. De vtrisque iudicia eruditorum ſatis nota ſunt. Speciatim ad *commentarios Treuoltinos* quod attinet, quod eorum auctores vbique fere partium ſtudium, quod tamen ab eiusmodi inſtituto quam longiſſime remotum eſſe debebat, prodant, omnes vnanimi fere conſenſu conqueruntur. Eoque grauius illos hac in re peccare nonnulli monent, quod iureiurando ſe obſtrinxerant, ſe iſtud euitare velle. Certe hoc iis obiicitur in praefatione *tomo primo bibliothecae italicae* praemiſſa *p. 21.* Ad reliquas ephemerides, quae lingua gallica prodeunt, haud exiguus earum hodie eſt numerus. Conſultum namque quibusdam viſum, certae cuiusdam gentis hiſtoriam litterariam recentiſſimam cum orbe litterato communicare. Sic eam, quae ſpeciatim ad Gallos ſpectat, exhibet *bibliotheca gallica, ſiue hiſtoria litteraria Galliae (bibliotheque françoiſe ou hiſtoire litteraire de la France)* quae an. 1723 euulgari coepit; Germaniae autem hiſtoriam litterariam ſiſtit *bibliotheca germanica, ſiue hiſtoria litteraria Germaniae & regionum ſeptentrionalium* (*bibliotheque germanique ou hiſtoire litteraire de l' Allemagne & des pays du Nord,* quae an. 1720 initium ſumſit, in qua tamen pauca admodum ex Germanorum ſcriptis recenſentur; Angliae, *bibliotheca anglicana, ſiue hiſtoria litteraria magnae Britanniae* (*bibliotheque angloiſe, ou hiſtoire litteraire de la grande Bretagne*, a DE LA ROCHE an. 1717 inchoata, & vsque ad tomum VI. a tomo ſexto autem ad nonum a quodam A. B. D. M. T. a tomo nono denique vsque ad hanc aetatem ab ARMANDO DE LA CHAPELLE continuata. Sequuta tandem eſt *bibliotheca italica* (*bibliotheque italique, ou hiſtoire litteraire de l' Italie*) cuius hucusque duo exſtant tomi Geneuae an. 1728 editi. Atque habet ſane hocce inſtitutum hiſtoriam litterariam certae gentis in ephemeridibus eiusmodi exhibendi, ſua commoda; nec tamen ſuis rurſus deſtituitur incommodis. Vnde rurſus exſtiterunt, qui totius Europae hiſtoriam litterariam in ſuis complecti ephemeridibus, ſuarum duxerunt eſſe partium. Ne quid enim de *hiſtoria litteraria Europae* (*hiſtoire litteraire de l' Europe*) dicam, haud ita pridem *bibliotheque raiſonnée des ouvrages des ſçavans de l' Europe*, edi coepit; cuius etiam bibliothecae *tomus primus*, & *ſecundi pars prima* Amſtelodami an. 1728 & 1729 prodiit. Succeſſit ea quodammodo in locum *bibliothecae antiquae & modernae* IO. CLERICI, cui etiam dubiam reddere videtur palmam; certe ſiue copiam & ſelectum librorum, ſiue accuratam recenſionem, ſiue exquiſitum iudicium ſpectes, non eſt, quod iure in ea deſiderari queat. Theologiae porro cultoribus vel hoc nomine commendanda, quod libros huic ſtudio inſeruientes, neutiquam praetermittat, quemadmodum alii quidam ex eiusdem generis ſcriptoribus facere ſolent. De reliquis ephemeridibus

dibus litterariis recentiſſimis, iisque gallicis conf. IO. CHRISTOPHORVS COLERVS, in *analectis* ad BVRCARDI GOTTHELFII STRVVII *introductionem in notitiam rei litterariae*, & quidem ad *cap. VI. §. L. p. 564.* qui & in *praecedentibus* alias ephemerides recentiores commemorat.

ibid. Adrianus Bailletus ob iudicia eruditorum &c.) Noua editio, eaque multis acceſſionibus auctior ſtudio & opera viri celeberrimi DE LA MONNOYE prodiit Amſtelodami an. 1725 ſeptemdecim voluminibus in 12. & octo voluminibus in 4. conf. NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſt. des hommes illuſtres &c. tom. III. p. 32.* vbi & reliqua BAILLETI ſcripta recenſet.

p. 191. qui de bibliothecis & re bibliothecaria egerunt &c.) Spectant huc etiam illi, qui de bene ordinanda & diſponenda bibliotheca commentati ſunt; quorum praecipuos quosdam iunctim edidit IOAN. DAVID KOELERVS, in *ſylloge aliquot ſcriptorum de bene ordinanda & ornanda bibliotheca.* Francofurti an. 1728. 4. Nimirum licet non deſint, qui de bene ordinanda & ornanda bibliotheca ſcripſerunt, KOELERO tamen iudice, non omnium promeruerunt ſuffragia. Nonnullis hinc in *praefatione* indicatis, IOANNIS CHRISTIANI KOCHII, paſtoris in pago Lenz, *ſchediasma de ordinanda bibliotheca*, Lipſiae an. 1713. 8. editum, commemorat, deque eo pronuntiat, quod nihil praeter vulgaria & ab aliis iam ad nauſeam dicta, referat, additque: *Quid enim Saulus inter prophetas, & paſtor paganus inter bibliothecarios?* &c. In hacce autem *ſylloge* primum tenet locum IOANNIS GARNERII S. I. *ſyſtema bibliothecae collegii Pariſienſis*, quod Pariſiis exſcriptum eſt typis an. 1678. 4. Vitam & ſcripta GARNERII in *praefatione* breuiter enarrat, interque alia obſeruat, BASNAGIVM in *hiſt. de l' egliſe tom. I. p. 685.* notaſſe & variis exemplis comprobaſſe, *Noriſium & Garnerium in hiſtoria Pelagiana optimis ingeniis ſuis ita conſpiraſſe, vt habeant quam ſaepiſſime easdem obſeruationes, absque vlla facta ſcriptorum ſuorum mutua communicatione.* Ceterum ipſum hocce GARNERII ſyſtema auctor ita laudat, vt tamen etiam varia in eo deſideret, inter quae & illud eſt, quod absque vlla ratione adlata Zwinglianos a Caluinianis diſtinxerit. Sed mea opinione diſcrimen aliquod inter eos conſtitui poteſt, cum Zwingliani, antequam CALVINVS accederet, tantum in doctrina de ſacra coena & capitibus connexis, diſſenſerint, Caluiniani autem deinceps errorem de abſoluto decreto adiecerint. Secundum in hac *ſylloge* locum occupat FRIDERICI ROSTGAARD, domini de Kraagenop, Daniae regis quondam conſiliarii ſtatus & iuſtitiae atque archiuarii intimi (cuius fata infelicia ſatis nota ſunt) *deſignatio nouae methodi ad conficiendum catalogum bibliothecae ſecundum materias cum eiusdem ſchemate*, gallice ſcripta, qua lingua & hic exhibetur, & quidem ex editione Pariſina altera, a ſuo auctore aucta aliquot articulis & recognita an. 1698. fol. De qua quidem *deſignatione* plura KOELERVS in *praefatione*, vbi nec eam in omnibus ſibi feciſſe ſatis, ſignificat. Sequitur in hacce *ſylloge* IVSTI FONTANINI, archiepiſcopi nunc Ancyrani, *diſpoſitio catalogi bibliothecae Ioſephi Renati Imperialis ſac. roman. eccleſiae diaconi cardinalis ſancti Georgii, ſecundum ſcientiarum, facultatum, artium & rerum claſſes.* Subiecta ea eſt *catalogo alphabetico auctorum* bibliothecae cardinalis IMPERIALIS, qui recenſetur in *actis erudítor. Lipſ. anno MDCCXIV. menſe maio p. 218. ſeqq.* Agmen denique in hac collectione claudit DANIELIS GVILIELMI MOLLERI *commentatio de technophyſiotameis.* Addita equidem & conſpicitur IO. IA-

COB.

COB. MOSERI *bibliotheca manuſcriptorum maxime anecdotorum*, ſed ipſa illa editio, quae Norimbergae an. 1722. 4. prodiit. Vix itaque dubitari poteſt, quin conſilio bibliopolae hoc factum ſit; ſiquidem a KOELERO nulla *bibliothecae* iſtius in *praefatione* fit mentio.

p. 192. Ad codicum manuſcriptorum theologicorum cognitionem &c.) Referre huc etiam licet *catalogum codicum manuſcriptorum bibliothecae Gothanae*, qui auctore viro eruditiſſimo celeberrimoque ERNESTO SALOMONE CYPRIANO lucem adſpexit Lipſiae an. 1714. 4. Iſtiusmodi enim praecipue codicibus bibliotheca haecce praeſtantiſſima inſtructa eſt, qui in theologia, praeſertim autem hiſtoria eccleſiaſtica vſum pulcherrimum praebent. Idem fere dicendum de tribus catalogis codicum manuſcriptorum graecorum, quos Moſcuae repertos in lucem protraxit ATHANASIVS SCHIADA, quosue ſequenti ratione: *arcana bibliothecae ſynodalis & typographicae Moſcuenſis ſacra, tribus catalogis codicum manuſcriptorum graecorum, ſuperiore anno Moſcuae retecta ab Athanaſio Schiada* inſcriptos, recudi curauit IO. ERHARDVS KAPPIVS, Lipſiae an. 1724. in 8. Etſi enim in hisce quoque catalogis codices profanorum auctorum haud pauci occurrunt; eminent tamen, qui partem quamdam ſcripturae ſacrae, aut ſcripta quaedam eccleſiaſtica, exhibent. Conferre iuuabit, quae de hisce catalogis diſſerit IO. CHRISTOPHORVS COLERVS, in *der auserleſenen theologiſchen bibliotheque part. X. num. V. p. 931.*

ibid. Hiſtoriam typographiae breuiter quidem &c.) Omnibus hic dubiam facit palmam MICHAEL MAITTAIRE, in *annalibus typographicis*, quorum tomus primus, *ab artis inuentae origine ad annum MD* progrediens, Hagae Comitum an. 1719. 4. ſecundus, ſiue *annales typographici ab anno MD ad annum MDXXXVI continuati, & in duo volumina diſtincti*, ibidem an. 1722, tertius denique, ſiue *annales typographici ab anno MDXXXVI ad annum MDLVII continuati, cum adpendice*, & quidem *pars prior* pariter ac *poſterior* Amſtelodami an. 1726 prodierunt. Nimirum non tantum originem & progreſſum artis typographicae auctor doctiſſimus adcurate tradit; ſed & editiones librorum, praeſertim veterum, quae in primo hocce poſt inuentam artem typographicam interuallo prodierunt, quaeue hodie multis in pretio ſunt, diligenter recenſet; vitam quoque & fata celebriorum typographorum, & ſcripta, quae illorum ſtudio & labore publicae luci expoſita fuerunt, enarrat, aliaque admiſcet, quae non vna ratione hiſtoriam litterariam illuſtrare poſſunt. Conferendus IOANNES CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XI. part. II. art. V. p. 352. ſeqq. tom. XVIII. art. VII. p. 398. ſeqq. tom. XXV. part. I. art. II. p. 72. ſeqq.*

ibid. quod nonnulli impia, obſcoena &c.) Cum autem, qui talia, vel etiam ſimilia, quibus aliorum erga ſe irritent animos, ſcribunt, interdum grauiſſima ſibi attrahant incommoda, occaſio hinc enata eſt IO. CHRISTIANO KLOZIO diſſertationem edendi de libris auctoribus ſuis fatalibus, Wittebergae 1728. 4.

p. 193. Iungendi his porro &c.) Cumprimis hic etiam commemoranda eſt viri ſummi IO. ALB. FABRICII *diatriba de ſcriptis graecis ſuppoſitis, quae ſub falſo aut commentitio auctoris nomine circumferuntur*; quae in *bibliotheca* eius *graeca*, & quidem *volumine decimo quarto*, ſiue libro VI. cap. VII. p. 125. ſeqq. exſtat. In ea enim cum critices partem vtilem minimeque contemnendam in auctorum ſcriptis genuinis atque pſeudonymis; ſiue hypobolimaeis diſtinguendis verſari monuiſſet, vberrimam illi iam ab anti-

quiſſimis

quiſſimis temporibus ſcripta graeca omnis generis praebere docet, ſimulque contra PHILIPPVM IACOBVM MAVSSACVM diſputat, in *diſſert. crit.* HARPOCRATIONI adiuncta, *p. 97.* adfirmantem, ante tempora Ptolomaeorum regum Alexandriae & Attalorum regum Pergami magnas certatim inſtruentium bibliothecas, nullum opus falſo inſcriptum fuiſſe, immo ab ipſorum temporum eiusmodi viguiſſe corrumpendorum ἐν ἐπιγραφαῖς librorum libidinem ob φιλοτιμίαν, quae inter illos erat, coëmendorum maiori pretio librorum, quos vetuſtiorum & nobilium auctorum nomina commendabant. Etenim iam diu ante haecce tempora cauſſas exſtitiſſe, quae nonnullos inducere poterant, vt ſcriptis quibusdam aliena praefigerent nomina, idque & ſubinde reuera contigiſſe, erudite oſtendit, §. *II. p. 127. ſeqq.* Cauſſas hinc, quibus homines, vt ingenii vel ſuos, vel aliorum foetus magnis nominibus, aut alienis certe inſcriberent, permoti fuerint, varias fuiſſe docet; criteria etiam ſiue regulas, quibus genuina a ſpuriis ſcriptis diſtingui queant, tradit, atque elenchum auctorum, qui de hacce artis criticae parte praeceperunt, aut criteria diſcernendorum a germanis ſuppoſitorum ſcriptorum expoſuerunt, exhibet, §. *III. p. 131. ſeqq.* Atque hisce praemiſſis ad ipſa ſcripta graeca ſuppoſititia progreditur, multaque lectu digna de iis in medium adfert.

p. 194. Sed qui plene omnium ac ſingularum artium & ſcientiarum hiſtoriam &c.) Specimen aliquod eiusmodi hiſtoriae dedit MARTINVS SCHMEITZELIVS in *dem Verſuch zu einer hiſtorie der Gelehrheit, darinnen überhaupt von dem ganzen cörper der Gelehrheit, vnd denn von allen deſſen Theilen, auch deroſelben Verbindung inſonderheit, hinlänglicher Nachricht gegeben wird;* Iena 1728. 8. Se hiſtoriam non librorum; ſed ipſius eruditionis, ſeu artium & ſcientiarum, quae eruditionis circulum abſoluunt, dare, auctor doctiſſimus in *praefatione* teſtatur, ſimulque confirmat, quod diximus, neminem hucusque exſtitiſſe, qui totum eruditionis ambitum hiſtoria quadam fuerit complexus, licet non deſint, qui ſingularum eius partium originem, fata, progreſſus, & reliqua deſcripſerint; ſibi autem primas tantum eiusmodi hiſtoriae eruditionis vniuerſalis ducere lineas, ſeu ſpecimen tantum atque tentamen exhibere, conſtitutum fuiſſe. Cum etiam auctor id ſollicite agat, vt nexum omnium eruditionis partium oſtendat, ad eos etiam referri poteſt, quos ſimile quid ſuſcepiſſe, ſupra ad *capitis* huius §. *II. p. 95.* & *97.* obſeruauimus.

ibid. lucem egregiam adfundit Gottlieb Stollius in libro elegantiſſimo &c.) Noua eius editio non ſolum emendatior, ſed & variis, iisque egregiis acceſſionibus auctior, lucem adſpexit Ienae an. 1724. 4. Haec vero cum nondum prodiiſſet, quando in *capite* hocce *quarto* verſabamur: de priori editione, quoties ad librum hunc prouocauimus, intelligendum eſt. Tertia deinceps editio nouis iterum acceſſionibus locupletata an. 1727. & verſio latina a CAROLO HENRICO LANGIO adornata an. 1728. prodiit.

p. 195. de ſcriptoribus quibusdam, qui ſcholarum & academiarum hiſtoriam &c.) Referenda itaque huc etiam NICOLAI COMNENI PAPADOPOLI *hiſtoria gymnaſii Patauini*, Venetiis an. 1726. tomis duobus in fol. edita. Certe dum *tomi primi libro tertio* profeſſorum, qui nobiliſſimum iſtud athenaeum ornarunt, non tantum elogia, ſed & vita, fama atque praeclara, tum in vniuerſam litterarum rem, tum in Patauinum praecipue hocce gymnaſium merita enarrantur, ſcriptorumque, quae quisque edidit, notitia ſuppeditatur; dumque *tomo ſecundo* gymnaſii alumni, qui ſiue iurium doctrinae, ſiue liberalibus

beralibus diſciplinis ibidem operam dederunt, exteri pariter ac indigenae, quique ſplendidis, queis poſtea admoti ſunt, muneribus, celebre adepti fuerunt nomen, recenſentur, hiſtoriae, ſi non ipſius eruditionis; ſiue artium & ſcientiarum, attamen virorum eruditorum, lucem egregiam adfundi, nemo non perſpicit. Plura de hocce opere obſeruantur in *actis eruditor. Lipſienſib. an. 1727. menſe Febr. p. 49.*

ibid. illi primum conſulendi, qui ſcriptorum huc facientium notitiam &c.) Spectat huc etiam BVRCARDI GOTTHELFII STRVVII *bibliotheca philoſophica in ſuas claſſes diſtributa,* quam *largiſſimis acceſſionibus inſtructam* iterum edidit IOAN. GEORGIVS LOTTERVS, Ienae 1728. 8. Cumprimis tria priora capita huius loci ſunt, quippe in quibus de ſcriptoribus, qui bibliothecam philoſophicam, & vitas philoſophorum litteris conſignarunt; de fontibus philoſophiae, itemque iis, qui hiſtoriam philoſophicam tradiderunt, agit. In reliquis enim capitibus ad ſpecialia progreditur.

p. 196. Ad recentiores quod attinet &c.) Iis, quos commemorauimus, adhuc iungendus auctor *compendii, in quo vitae veterum philoſophorum delineantur*; ſiue, vt gallice inſcribitur: *abregé des vies des anciens philoſophes, avec un recueil de leurs plus belles maximes,* quod Pariſiis an. 1726. 12. prodiit. Illud quidem initio ſub nomine FRANCISCI SALIGNAC DE LA MOTTE-FENELON, celeberrimi iſtius archiepiſcopi Cameracenſis, orbi erudito obtruſum fuit. Idque eo minus a vero abhorrere videbatur, quod nonnulla in *compendio* hocce occurrunt, quae cum propriis, ſatisque notis, illuſtriſſimi illius praeſulis, de amore puro, placitis conſentiunt. In ipſa enim Epicuri philoſophia auctor aliquid inuenit, quod ad iſtam de amore Dei puro ſententiam proxime accederet. Nimirum cum Epicurus prouidentiam Dei negaret; ne omnem religionem, Numinisque cultum, contemnere cenſeretur, non poterat non adſerere, Deum ob naturae ſuae praeſtantiam cultu ac veneratione dignum eſſe, quantumuis nulla inde ad mortales redundarent commoda. Hoc tandem perinde eſſe videtur, ac ſi dixiſſet, Deum ſine vllo ad noſtram beatitatem intuitu, adeoque amore puriſſimo, amandum eſſe. Et ita Epicurus haud difficulter theologorum myſticorum princeps euadet. Verum libellum huncce perperam Cameracenſi iſti archiepiſcopo tribui, in *epiſtola* quadam RAMSAEI adſeritur, quae inſerta eſt *diario eruditorum Pariſienſi, an. M DCC XXVI. menſe Nouembr. p. 419.* Falletur etiam, qui, in eo iuſtum aliquod hiſtoriae philoſophicae ſyſtema inueniri, exiſtimauerit; quemadmodum & alii ἀκρίβειαν in eo deſiderant. Legenda, quae de hocce libro monentur in *den deutſchen actis eruditorum, part. CXVIII. num. I. p. 665. ſeqq.* Prodiit equidem & *hiſtoire de la philoſophie payenne, ou ſentimens des philoſophes & des peuples payens, les plus celebres ſur Dieu, ſur l' ame, & ſur les devoirs de l' homme,* Hagae Comitum an. 1724. duobus voluminibus in 12. Sed eo in opere gentilium ſolum de Deo, de anima, & officiis hominum, ſententiae recenſentur: adeoque auctor partem tantum quamdam, eamque ab illis, qui de theologia gentilium commentati ſunt, cumprimis a TOBIA PFANNERO in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris*, aliisque, dudum pertractatam, attingit. Recenſetur a IOANNE CLERICO *biblioth. anc. & mod. tom. XXII. part. I. art. IV. p. 115. ſeqq.* & *tom. XXIII. part. II. num. V. p. 365. ſeqq.* Potiori iure hic locum ſibi vindicat, qui ſummatim praecipua hiſtoriae philoſophicae momenta complexus eſt, FRIDERICVS GENTZKENIVS, in *hiſtoria philoſophiae, in qua philoſophorum celebrium vitae,*

vitae, eorumque hypotheſes notabiliores, ac ſectarum fata, a longa rerum memoria ad noſtra vsque tempora, ſuccincte & ordine ſiſtuntur, Hamburgi 1724. 8. Alios adhuc quosdam, qui compendia hiſtoriae philoſophicae dederunt, a nobis non memoratos, vt DANIEL. HEINSII *peplum philoſophorum*, BARTHOLDI FEINDII *theatrum philoſophorum*, verſibus germanicis ſcriptum, HENNINGI WITTENI *compendium hiſtoriae philoſophiae*, THEOPHILI GALEI *hiſtoriam philoſophicam*, recenſet CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. XVII. num. VIII. ſeqq. p. 789. ſeqq.*

p. 200. Intelligere hoc licet) Iungenda, quae nuper ſe mihi obtulit, WILHELMI SLVITERI *idea theologiae Stoicae, ſeu breuis diſquiſitio de praecipuis quibusdam philoſophiae Stoicae placitis, quae agunt de Deo eiusque operibus, ſeu diis & rebus diuinis; hominis officiis erga Deum & proximum, eiusque ſummo bono; vbi oſtenditur, Stoicos ex ratione & philoſophia naturali, nec verum Deum cognouiſſe, nec veram coluiſſe virtutem; annexa eſt commendatio theologiae chriſtianae prae gentili*; Lugduni Batauorum 1726. 8.

p. 201. Sic, cum de fato, omnis reuera impietatis radice &c.) Non tantum IVSTVS LIPSIVS ſententiam Stoicorum de fato emollire & in mitiorem interpretari partem conatus eſt; ſed idem etiam egerunt alii. Cumprimis autem hoc ſibi nuper datum credidit IACOBVS ZIMMERMANNVS, vir doctiſſimus, in *exercitatione de fato Stoicorum*, quae in *muſeo hiſtorico-philologico theologico*, quod Bremae editur, exſtat, *volum. I. part. I. p. 1. ſeqq.* Statum, quem vocant, quaeſtionis ita format: vtrum Stoici philoſophi profeſſi fuerint fatum, id eſt, caecum aliquem & ineuitabilem Dei & creaturae nexum, quo omnia neceſſario, Deus & materia, mentes & corpora, inexorabili vinculo ita agantur, vt omnis poena & praemium, omnis cultus Dei & legum reuerentia tollantur? vel vtrum nomine fati intellexerint prouidam Dei curam in gubernandis & conſeruandis rebus omnibus, conuenienter voluntati humanae & rebus creatis, agentem? Prius dogma licet a plerisque Stoicis tribuatur; auctori tamen poſterius eos ſtatuiſſe, adſerere atque defendere placuit. Id ergo vt euincat, Stoicos veritatem de exiſtentia Numinis pro iuris, omnisque felicitatis principio habuiſſe, Deumque ſumma intelligendi vi praeditum adſeruiſſe; eosdem Deum a mundo diſtinxiſſe, Deumque rebus omnibus proſpicere, ſtatuiſſe; hanc prouidam Dei curam ad omnia, ſcilicet mentes pariter ac corpora extendiſſe, ſingulari autem ratione Deum homini proſpexiſſe atque quam maxime beneficum eſſe, fuiſſe profeſſos &c. probare adnititur. Cumprimis autem ex doctrina illorum de libertate probare contendit, eos neceſſitatem fatalem non admiſiſſe. Quae omnia licet vir doctiſſimus diligenter exſequutus ſit; valde tamen dubito, an omnibus, certe illis, qui animum non plane hoſpitem ex hiſtoria retulerunt philoſophica, iſta ſit perſuaſurus. Occurrunt ſane in Stoicorum ſcriptis effata haud pauca, quae viri clariſſimi adſertis fauere videntur; cuiusmodi nonnulla & ipſemet exhibui in *introductione ad philoſophiam Stoicam ex mente Marci Aurelii Antonini imperatoris*, quae imperatoris huius *libris XII. de ſe ipſo ad ſeipſum*, & quidem in editione, quae Lipſiae an. 1729. 8. prodiit, praemiſſa eſt. Sed longe plura occurrunt, quae iis e diametro aduerſantur. Ita nimirum res ſeſe habet, prout iam monui, & etiam in *introductione* illa obſeruaui, duplici ratione effata Stoicorum conſiderari poſſe, vel in ſe, ſeu extra ſyſtema philoſophiae Stoicae ſpectata; vel prout ex propriis & domeſticis philoſophiae iſtius principiis fluunt ac originem trahunt.

Digitized by

Priori modo ſi quaedam conſiderentur, ſubinde longe veriſſima ſunt, pulcherrimaque; ita etiam comparata, vt nihil minus, quam fatum aliquod Stoicum, indicare videantur. Sed ſi ſecundum vera & genuina Stoicorum principia ea explices, vti omnino fieri decet, longe aliter ſe rem habere deprehendes. Haud raro Stoicos ita loqui, ac ſi *Deum pro ſocietatis humanae vinculo omnisque iuris fundamento* habuerint, lubens equidem fateor; ſed vera & genuina ratio erat, quod Deum, ceu animam mundi, per totum hocce vniuerſum diffuſum crederent, cuius pars quaedam, ſcilicet mens, in ſingulis eſſet hominibus. Hinc homines partes eſſe huius vniuerſi & inter ſe cognatos contendebant, quorum adeo eſſe, neminem laedere, ſe inuicem ſincero amore proſequi, & quae reliqua erant iuris naturalis capita. Conferenda quae dixi in *introduct. ad philoſ. Stoicam &c. ſect. VII.* §. *XIII.* & *ſeqq.* & de *erroribus Stoicor. in philoſophia morali exercitat. IV.* §. *IX. p. 201. ſeqq.* Quod dicitur, Stoicos Deum a mundo diſtinxiſſe, non aliter admitti poteſt, quam ſi per mundum intelligatur materia; a qua licet Deum diſtinxerint; ſimul tamen eum cum illa arctiſſimo vinculo coniunxerunt, adeo vt eum pro anima mundi haberent. Quod vel innumeris, ſi opus eſſet, comprobari poſſet teſtimoniis: ſed ſufficiunt, quae ex M. AVRELIO ANTONINO imperatore attuli, in *introd. ad philoſ. Stoicam ſect. III.* §. *III. p. 34.* Atque hinc reliqua eorum de Deo effata diiudicanda, etiamſi quaedam extra hunc nexum cum genuina, quam animo conceperant, de Deo notione ſpectata, ſatis interdum bene ſe habere videantur. Quantumuis itaque ſplendida etiam ſint illorum de prouidentia diuina dicta; errorem tamen, qui illis tegitur, non poteſt non ſtatim deprehendere, qui tum ad notionem Dei, quae animis illorum inſedit, tum ad reliqua principia eorum propria & domeſtica reſpexerit. Atque ita plurima eorum ſe habent effata, vt incautis hypotheſiumque illorum ignaris fucum facere queant; ſimul tamen ſecundum verum & genuinum eorum ſenſum, cum doctrina de fato optime cohaererent, vt nihil inde, quod huic repugnet, colligi queat. Quaedam tamen rurſus occurrunt, quae cum ſententia de fato conciliari nequeunt; quorſum cumprimis magnifica illorum de libertate pronuntiata pertinent, de quibus dixi in *introduct. ad philoſ. Stoicam ſect. IV.* §. *X. p. 57. ſeqq.* Sed hoc ipſum documento eſt, Stoicos ſubinde non ſatis memores fuiſſe ſuorum principiorum, confirmaturque adeo, quod iam pridem illis PLVTARCHVS obiecit, eorum neutiquam inter ſe conſentire dogmata. Nihilque adeo abſoni eſt, ſi quis dicat, Pelagianos in extollendis liberi arbitrii viribus praeeuntes ſibi quodammodo habuiſſe Stoicos, quod me alicubi dixiſſe probe memini, & auctor etiam doctiſſimus monet. Sane quae ſubindè non ſine iactantia quadam proferre ſolent, cuiusmodi illud M. AVRELII ANTONINI: ἐξάλειφε τὰς φαντασίας, συνεχῶς σεαυτῷ λέγων. νῦν ἐπ' ἐμοί ἐστιν, ἵνα ἐν ταύτῃ τῇ ψυχῇ μηδεμία πονηρία ᾖ μηδὲ ἐπιθυμία, μηδὲ ὅλως ταραχή τις. *imaginationes dele; ſaepe tecum ſic loquendo: in poteſtate mea nunc ſitum eſt, vt nulla in hac anima exſiſtat improbitas, nulla cupiditas, nulla omnino perturbatio &c. Lib. VIII.* §. *XXIX. p. 168.* eſt, & quae reliqua ſunt eiusdem generis frequenter apud eos obuia, cum Pelagianorum erroribus iſta illorum recte comparari placita, ſatis ſuperque docent. Sed quid inde? Ergone nullum admiſerunt fatum? Ergo quidquid de fato dixerunt, de prouida Numinis cura eſt intelligendum? Scio, non omnes vna eademque ratione hac de re fuiſſe loquutos. Scio, etiam nonnullos, vano quamuis atque irrito conatu, hoc egiſſe, vt ſententiam de fato cum libertate hominis

nis conciliarent. Rurſus tamen & illud ſcio, tam aperta, tam euidentia illorum de ineluctabili quodam fato eſſe adſerta, vt ſolem ipſum luce ſua priuare velle videatur, qui iſta de prouidentia diuina explicare velit. Ex iis, quae magno numero proferri poſſent, vnicum tantum, licet iam a me *de errorib. Stoicor. in philoſophia morali exercitat. III. §. VII. p. 178.* laudatum, M. AVRELII ANTONINI, imperatoris, recitabo, quippe quod ita comparatum eſt, vt nullam prorſus exceptionem admittat: πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλέκεται, καὶ ἡ σύνδεσις ἱερὰ, καὶ σχεδόν τι οὐδὲν ἀλλότριον ἄλλο ἄλλῳ. συγκατατέτακται γὰρ, καὶ συγκοσμεῖ τὸν αὐτὸν κόσμον. κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ ἁπάντων, καὶ Θεὸς εἷς διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία, καὶ νόμος εἷς, λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων καὶ ἀλήθεια μία, εἴγε καὶ τελειότης μία τῶν ὁμογενῶν, καὶ τοῦ αὐτοῦ λόγου μετεχόντων ζώων. *Omnia ſunt ſibi inuicem implexa, & vinculo quodam ſacro ſibi inuicem ſic deuincta, vt nihil alterum ab altero ſit alienum. Coordinantur enim ſimul, eumdemque mundum cohoneſtant; etenim & mundus vnus & Deus vnus eſt in omnibus, & eſſentia vna & lex vna; ratio nempe animantium intelligentium omnium communis & veritas vna; ſiquidem & perfectio vna animantium ſibi inuicem congenerum, eiusdemque rationis participum; lib. VII. §. IX. p. 134.* Hic fati immutabilem & indeclinabilem neceſſitatem *ſacri nodi* nomine, referendo ſe forte ad nodum Herculis, aut Iouis catenam, HOMERO memoratam, deſignat, quo omnia ita inter ſe implexa & concatenata ſint, vt alterum ſine altero eſſe nequeat; ſeu vt poſito altero, non poſſit non alterum conſequi. Idque tam firmiter ANTONINO perſuaſum fuit, vt ſaepiſſime repetat, & numquam non inculcet. πολλάκις, iterum inquit, ἐνθυμοῦ τὴν ἐπισύνδεσιν πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ σχέσιν πρὸς ἄλληλα. τρόπον γάρ τινα πάντα ἀλλήλοις ἐπιπέπλεκται, καὶ πάντα κατὰ τοῦτο φίλα ἀλλήλοις ἐστὶ, καὶ γὰρ ἄλλῳ ἑξῆς ἐστι τοῦτο, διὰ τὴν τοπικὴν κίνησιν, καὶ σύμπνοιαν καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς οὐσίας. *Perpende tecum iugiter rerum omnium, quae in mundo ſunt, connexionem mutuam, quamque ad ſe inuicem adfectionem habeant. Sunt enim omnia quodammodo ſibi inuicem implexa, atque ea ratione ſibi inuicem amica. Alterum enim alterius conſequens eſt & per connexionem localem, & per conſpirationem mutuam & per naturae continuitatem; lib. VI. §. XXVIII. p. 122.* Vbi dum πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, *omnium, quae in mundo ſunt,* ἐπισύνδεσιν *connexionem mutuam* adſerit, non poteſt non eodem vinculo, ſeu *ſacro nodo*, Deum ipſum conſtringere, quippe qui pars mundi eſt, vt ipſimet Stoici docent. Hinc & in priori loco non tantum rerum omnium implexam & concatenatam coniunctionem, ceu *ſacrum* aliquem *nodum*, adſerit, ſed inde quoque hoc probat, quod *mundus vnus & Deus vnus in omnibus*, καὶ οὐσία μία & *eſſentia vna* ſit. Quae qui paullo accuratius conſiderauerit, facile perſpiciet, Stoicos per prouidentiam nihil aliud, quam neceſſariam rerum omnium conſequutionem, a Deo iſto cum rebus omnibus, ceu anima quadam mundi, arctiſſimo vinculo coniuncto & omnia permeante, & nihil aliud, quam quod ſecundum naturae ordinem neceſſario agere debet, efficiente, ortam, intelligere, aut intelligere poſſe. Nemini quoque obſcurum eſſe poteſt, quid ANTONINVS ſibi velit, quando dicit: καὶ νόμος εἷς, λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων. Omnia ſcilicet ad Deum illum, omnia permeantem, & ex neceſſitate naturae efficientem redeunt, a quo quidquid ſecundum iſtam naturae neceſſitatem peragitur, id omne legis, rationis, prouidentiae nomine Stoicis venit. Recte quoque hoc obſeruatum viro doctiſſimo & hiſtoriae philoſophicae callentiſſimo IACOBO BRVCKERO, in *epiſtola de prouidentia*

 Stoica

Stoica ad Io. Georgium Schelhornium, quae in huius *amoenitatibus litterariis* exſtat *tom. VIII. num. IV. p. 443. ſeqq.* vbi ex iisdem, quae recitauimus, ANTONINI locis, quamquam a me iam antea *de errorib. Stoicor. in philoſophia morali exercit. III. §. VII.* productis, Stoici fati malignitatem euidenter demonſtrat.

p. 202. Fuerunt praeterea, qui, vt variarum haereſeon &c.) Cumprimis haereſeon, quae prioribus poſt natum Chriſtum ſaeculis, eccleſiam turbarunt, originem ex philoſophia Platonica deriuare nonnulli adgreſſi ſunt. Idque itidem is, quem iam laudauimus, EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS egit, in *ſpecimine hiſtorico de origine & progreſſu haereſium & errorum in eccleſia, in quo oſtenditur, quod haereſes in primitiua eccleſia, inprimis ſaeculis prioribus natae, pleraeque philoſophiae Platonicae originem debeant, & cum modernorum fanaticorum deliriis in multis conſpirent*; anno 1694 edito. An vbique vir iſte doctus rem acu tetigerit, inquirere, huius loci non eſt. Id ſolum monemus, tempore Chriſti & apoſtolorum in Syria, Palaeſtina, aliisque orientis regionibus genus aliquod philoſophiae, ex Chaldaeorum, Perſarum, Aegyptiorumque placitis conflatum, floruiſſe, quod orientale dici poteſt. Illud qui ſequebantur, multa de orbis, rerumque omnium, quae in eo conſpiciuntur, mali cumprimis, tum phyſici, tum moralis origine, certis porro deorum geniorumque & aliarum rerum ordinibus claſſibusque tradebant, mala cumprimis a materia, certe alio quodam principio, quod bono Deo oppoſitum putabant, deriuabant & alia quaedam, quae eiusdem erant generis, docebant; nec tamen in omnibus inter ſe prorſus conſentiebant. Atque ex horum ſchola Simonem magum, aliosque haereticos haud paucos, praeſertim eos, qui Gnoſticorum nomine veniebant, prodiiſſe, non eſt, quod dubitemus. Cum autem Pythagoras pariter ac Plato multa ab Aegyptiis & Chaldaeis acceperint; eorumque adeo philoſophia in nonnullis cum orientali iſta conueniat, mirum non eſt, quosdam haereticorum iſtorum ſpeciatim Gnoſticorum commenta ab Aegyptiis, quosdam a Pythagora, alios a Platone deriuare voluiſſe. Reuera enim illi non diſſentiunt, ſed facile inter ſe conciliari poſſunt; etſi accuratius loquantur, qui iſtam philoſophiam orientalem a Pythagorica & Platonica diſtinguunt, ne Pythagorae, aut Platoni, aut aliis philoſophis aliquid tribuere cogantur, quod non ſtatuerunt. Conferenda, quae hac de re dixi in *commentat. hiſtorico-dogm. de eccleſia apoſtolica cap. V.* ad §. *III. p. 320.* Atque ipſi quoque iſti haeretici neutiquam Platonici videri volebant, ſed ex antiquiori longe philoſophia Chaldaeorum atque Aegyptiorum ſua ſe accepiſſe aliis perſuaſum cupiebant, eumque in finem, vt placitis ſuis auctoritatem conciliarent, ſub ZOROASTRIS, HERMETIS triſmegiſti, ſimiliumque philoſophorum nominibus varia ſcripta confingebant, aut ab aliis conficta auide arripiebant. Mirifice hoc confirmant verba PORPHYRII, quae etſi ab aliis iam allata, facere nequeo, quin hic repetam: γεγόνασι δὲ κατ' αὐτὸν τῶν χριστιανῶν πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι, αἱρετικοὶ δὲ ἐκ τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας ἀνηγμένοι οἱ περὶ τὸν Ἀδέλφιον καὶ Ἀκυλῖνον, οἱ τὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ λίβυος καὶ Φιλοκόμου, καὶ Δημοστράτου καὶ Λίδου συγγράμματα πλεῖστα κεκτημένοι, ἀποκαλύψεις τε προσφέροντες Ζωροάστρου καὶ Ζοστριανοῦ καὶ Νικοθέου καὶ Ἀλλογένους, Μέσου καὶ ἄλλων τοιούτων πολλοὺς ἐξηπάτων καὶ αὐτοὶ ἠπατημένοι, ὡς δὴ τοῦ Πλάτωνος εἰς τὸ βάθος τῆς νοητῆς οὐσίας οὐ πελάσαντος. *Erant chriſtiani eo tempore multi, tum alii, tum ex antiqua philoſophia egreſſi haeretici Adelphii Aquilinique ſectatores, qui Alexandri Libyci, Philocomi, Demoſtrati, Lydi, plurimos libros circumferebant*

bant & reuelationes quaſdam Zoroaſtris, Zoſtriani, Nicothei, Allogenis, Maeſi, aliorumque eiuſmodi palam oſtendentes & deceperunt multos, & ipſi decepti iam fuerant adſerentes, Platonem intelligibilis eſſentiae fundum minime penetraſſe; in *vita Plotini cap. XVI. p. 118.* Duo nimirum hinc condiſcimus; primo, haereticos iſtos noluiſſe Platonicos videri, eo quod diſerte adfirmarent, PLATONEM τὸ βάθος τῆς νοητῆς οὐσίας *profundum eſſentiae intelligibilis minime penetraſſe*; deinde eosdem varia veterum ipſiusque ZOROASTRIS ſcripta circumtuliſſe, iisque alios decepiſſe. Et ſane ad prius quod attinet, ipſa dogmatum, quae iſtis hominibus propria fuerunt, atque genuinae philoſophiae Platonicae collatio vnumquemque facile condocebit, eos ex aliis quoque, quam PLATONE, fontibus ſua hauſiſſe. Nec mouebit temere quemquam, quod TERTVLLIANVS Valentinianam haereſin, in qua pſeudo-theologia Gnoſticorum ſummum conſequuta eſt faſtigium, ex Platonica deriuat philoſophia, dum *vbi Valentinus* inquit, *Platonicae* (philoſophiae) *ſectator? de praeſcriptionibus contra haereticos, cap. XXX. p. m. 476.* qui & iam antea dixerat: *Ipſae denique haereſes a philoſophia ſubornantur. Inde aeones, & formae neſcio quae, & trinitas hominis apud Valentinum; Platonicus fuerat*; *cap. VII. p. 104.* Praeterquam enim quod TERTVLLIANVS nullam orientalis iſtius philoſophiae notitiam habuit; cum videret dogmata iſtorum haereticorum in quibusdam cum ſcitis Platonicae philoſophiae, quae tamen & ipſa ex orientali iſta philoſophia deriuari poterant, conuenire haud difficulter ſibi perſuadere potuit, omnia iſtorum hominum commenta philoſophiae Platonicae tribuenda eſſe. Id vero etiam deinceps aliis recentiori aetate contigit. Sed & poſterius, quod PORPHYRIVS docet, eosdem homines ſub veterum philoſophorum PLATONE longe antiquiorum, nominibus varia circumtuliſſe, vix a quoquam in dubium vocari poterit, quamquam & fieri potuerit, vt nonnulla ex libris, qui iam tum ſub ZOROASTRIS ſimilibusque nominibus exſtabant, depromſerint. Suntque viri doctiſſimi, qui ex eadem hacce veterum haereticorum, ſpeciatim Gnoſticorum officina magnam partem oraculorum Sybillae, Orphei, Hydaſpis, Hermetis trismegiſti, & aliorum, quibus deinceps veteris eccleſiae doctores in ſuis cum gentilibus non ſatis caute vſi fuerint diſputationibus, prodiiſſe contendunt. Cum vero iidem haeretici hoc agerent, vt placita ſua philoſophica cum chriſtianae religionis dogmatibus coniungerent, non minus ſub Chriſti & apoſtolorum nominibus libros comminiſcebantur eo comparatos, vt alios eo facilius in ſuam pertraherent ſententiam, iisque nihil ſe, quod non cum ſeruatoris noſtri doctrina conueniret, tradere, perſuaderent. Ipſum iam Simonem magum, haereticorum iſtius aetatis principem, ſub nomine Chriſti & diſcipulorum eius libros compoſuiſſe, atque ad alios decipiendos circumtuliſſe, in *conſtitutionibus*, quae vocantur, *apoſtolicis lib. VI. cap. XVI.* adſeritur; id quod & a me obſeruatum in *commentat. hiſtorico-dogmat. de eccleſia apoſt. cap. V. ad* §. *III. p. 323.* De aliis eiusdem generis hominibus idem confirmat IRENAEVS *lib. I. contra haereſes cap. XVII. p. 86.* cui & EPIPHANIVM *haereſi XXVI.* §. *XII.* aliosque, ſi opus eſſet, iungere poſſem. Atque hinc fontem iſtum perſpicere licet, ex quo tam immenſa librorum ſuppoſitorum in primitiua eccleſia prodierit copia. Recte hoc etiam intellexit & copioſius enarrauit vir eruditiſſimus IOAN. LAVRENTIVS MOSHEMIVS in *diſſertat. de cauſſis ſuppoſitorum librorum inter chriſtianos ſaeculi primi & ſecundi*, Helmſtadii anno 1725 edita, qui & §. *IX. ſeqq.* pluribus oſten-

oſtendit, nihil iſtos homines hac in re egiſſe, quod non placitis eorum, quae defendebant, moribusque fuerit conueniens. Quemadmodum autem iſti, quos commemorauimus haeretici, ſpeciatim Gnoſtici non minus pſeudo Platonici, orientalem potius, quam Platonicam philoſophiam conſectantes, erant, quam pſeudo-chriſtiani; ita mirum non eſt, eos, qui deinceps exſtiterunt, Platonicos ab iis in quibusdam diſſenſiſſe; quamquam & hi nomine potius, quam re ipſa Platonici fuerint. Nimirum cum eclectica philoſophandi ratio auctore POTAMONE Alexandrino orta eſſet, exſtiterunt Alexandriae, qui eamdem ſequerentur, quos inter primas tuliſſe videtur AMMONIVS, Saccas cognomento, quod mercibus ex portu Alexandrino comportandis victum ſibi quaeſiuiſſet; qui circa Commodi imperatoris tempora inprimis floruit & Alexandriae docuit. Licet autem AMMONIVS hicce chriſtianus eſſet; in hacce tamen philoſophandi ratione non tantum chriſtiani, ſed & pagani exemplum eius atque ductum ſequuti ſunt; quos inter eminent atque illuſtres maxime fuerunt PLOTINVS, HERENNIVS atque ORIGENES, a celebri iſto eccleſiae doctore, cui idem nomen fuit, eruditiſſimorum virorum iudicio probe diſtinguendus. PLOTINVS iterum haud paucos diſcipulos habuit, ex quibus PORPHYRIVS maximam conſequutus eſt celebritatem, vti inter eos, qui ex huius diſciplina prodierunt, IAMBLICHVS. De hisce omnibus, vti & reliquis, qui iis adhuc addi poterant, conferendus GOTTFRIEDVS OLEARIVS, in *diſſertat. de philoſophia eclectica*, quae THOMAE STANLEII *hiſtoriae philoſophiae* ſubiuncta eſt, *cap. III. p. 1210. ſeqq.* Atque hi omnes licet eclectici eſſent, & non tantum ex PLATONE, ſed & ARISTOTELE, aliisque philoſophis, quae veritati conſentanea eſſe exiſtimabant, adſumerent, Platonicorum tamen; aut Pythagoraeorum adpellationem adſciſcere maluiſſe, nonnullis obſeruatum eſt, eo quod nullam ſapientiae partem praeſtantiorem eſſe opinarentur ea, quae de rebus, quae ſub adſpectum haud cadunt, de Deo, de geniis, de mente, de anima, aliisque eius generis agit; hinc & cum quatuor virtutum conſtituerent claſſes; *theurgicas* tamen primo collocaſſe gradu, quarum compotem Deum daemonumque naturam mirabili modo ſpeculari, resque viribus omnium ſuperiores efficere poſſe praedicauerint; ſcientiae autem huius, harumque virtutum HERMETEM triſmegiſtum, primum eos credidiſſe magiſtrum fuiſſe, a quo ad ORPHEVM, ZOROASTREM aliosque orientalium philoſophos manauerit, quorum omnium varios circumtulerint & laudauerint libros; Graecorum autem philoſophorum neminem exiſtimaſſe, tunc vere conſequutum doctrinam praeter PLATONEM & PYTHAGORAM, quorum vterque Aegyptum adierit & columnas HERMETIS inſpexerit. Ita rem omnem ſummatim exprimit IOAN. LAVRENTIVS MOSHEMIVS in *diſſertatione* lectu digna *de turbata per recentiores Platonicos eccleſia*, §. *III. p. 4. 5.* Et ſane iſtius generis philoſophos, quantumuis Platonici videri vellent, multum tamen philoſophiae orientali tribuiſſe, SYRIANI etiam, qui PROCLI fuit magiſter, exemplo comprobari poteſt. Hunc inter optimos IAMBLICHI diſcipulos & ſectatores, iudice ISIDORO, qui ei propterea maxime adhaeſit, fuiſſe, ex DAMASCIO refert SVIDAS *voc.* Συριανός, *p. 410.* edit. KVSTERI. Hic vero etſi Platonicae philoſophiae deditus eſſet; eam tamen cum ORPHEI & PYTHAGORAE philoſophia componebat; immo & ex chaldaicis oraculis, diligentius, quam antea factum, petiiſſe dicitur, quae ad ſublimiorem ſapientiam ſpectarent. Hinc &

SVIDAS

SVIDAS ſcripta eius recenſens, in *Orphei theologiam libros duos; conſenſum Orphei, Pythagorae & Platonis; de oraculis libros decem*, commemorat. Quantumuis itaque iſti, de quibus loquimur, philoſophi orientalis philoſophiae eſſent ſtudioſiſſimi; haereticorum tamen iſtorum, ſpeciatim Gnoſticorum, neutiquam adprobabant placita. Quod cum antea iam obſeruatum ſit, nunc addendum, vel PLOTINI hoc comprobari exemplo poſſe, cum is ex inſtituto Gnoſticos refutauerit. Audire hac de re PORPHYRIVM iuuat, qui poſt ea, quae iam recitauimus, verba, ita pergit: ὅθεν αὐτὸς μὲν πολλοὺς ἐλέγχους ποιούμενος ἐν ταῖς συνουσίαις, γράψας δὲ καὶ βιβλίον, ὅπερ πρὸς τοὺς Γνωστικοὺς ἐπιγεγράψαμεν, ἡμῖν τὰ λοιπὰ κρίνειν καταλέλοιπεν. Ἀμέλιος δὲ ἄχρι τεσσαράκοντα βιβλίων προκεχώρηκε, πρὸς τὸ Ζωστριανοῦ βιβλίον ἀντιγράφων. Πορφύριος δὲ ἐγὼ πρὸς τὸ Ζωροάστρου συχνοὺς πεποίημαι ἐλέγχους, ὅπως νόθον τε καὶ νέον τὸ βιβλίον παραδεικνύς, πεπλασμένον τε δὲ ὑπὸ τῶν τὴν αἵρεσιν συστησαμένων, εἰς δόξαν εἶναι τοῦ παλαιοῦ Ζωροάστρου τὰ δόγματα ἃ αὐτοὶ εἵλοντο πρεσβεύειν. *Quamobrem Plotinus multas in diſputationibus ſuis in eos* (haereticos, qui inter chriſtianos erant) *argumentationes intulit, ſcripſitque contra eos librum, quem contra Gnoſticos nos inſcripſimus, nobisque reliqua diſcutere & indicare commiſit. Amelius autem libros quadraginta compoſuit contra librum Zoſtriani. Ego vero Porphyrius argumentationibus multis oſtendi, librum Zoroaſtri ab illis inſcriptum, adulterinum nouumque eſſe, & ab eis confictum, qui ſtruebant haereſin, vt inſtitutionis ſuae eſſe Zoroaſtris veteris crederentur;* in *vita Plotini cap. XVI. p. 119.* Atque hinc rationem perſpicere licet, cur illi, qui ex AMMONII diſciplina prodierunt philoſophi, etſi orientali philoſophiae magnum ſtatuerent pretium, PLATONIS tamen potius, quam HERMETIS; aut ZOROASTRIS ſectatores videri voluerint. Non aliam enim ob cauſſam hoc factum videtur, quam vt a Gnoſticis haereticisque illis, qui ſua itidem ex orientali philoſophia deſumſerant, ſe diſtinguerent. Atque haec ideo hoc loco obſeruare volui, cum inde pateat, quid de illorum ſentiendum ſit inſtituto, qui Platonicam philoſophiam fontem & ſcaturiginem variarum haereſium, cumprimis veteris & recentioris fanaticismi eſſe contendant. Non enim ſemper accurate ſatis atque diſtincte incedunt. Gnoſticos enim ſimilesque haereticos veteres, cum philoſophis iſtis eclecticis, qui Platonici videri voluerunt, coniungunt; cum tamen hi cum illis non in omnibus conſentiant, etſi vtrique ex vno eodemque philoſophiae orientalis fonte multa hauſerint. Deinde ex PLATONE omnia fluxiſſe, quae tum haeretici iſti, praeſertim Gnoſtici, tum philoſophi, qui hic in cenſum veniunt, docuerunt, perperam dicitur, cum vtrique multa aliunde acceperint, philoſophi etiam iſti reuera fuerint eclectici. Recte vero IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS obſeruat, etiamſi philoſophi iſti nonnihil commodi rei chriſtianae in profligandis Gnoſticis attulerint, multo plus tamen eos attuliſſe damni; idque tum *exterius*, meliorem quamdam faciem philoſophiae conciliando, vt hac ratione reprehenſionibus & obiectionibus chriſtianorum occurrerent, doctrinam porro de Deo rebusque diuinis magis illuſtrando, miraculorum vim theurgia & exemplis eneruando, vitae ſanctae exemplis alia opponendo, fabulas de gentilium diis, quos omnes reueriti fuerint, in allegorias conuertendo, eaque ratione multos, interque eos Iulianum, imperatorem, ad defectionem permouendo, aliis occaſionem praebendo, nouum quoddam genus religionis ex ethnica & chriſtiana comminiſcendi, quod auctor exemplo AMMIANI MARCELLINI & CHALCIDII comprobat; tum & *interius*, dum, qui ex hisce philoſophis ad ſacra

chriſtiana ſe contulerunt, nouam & ſingularem ſibi religionem ingenio effinxerint, quae nec ſpeciem amiſerit prorſus ſapientiae, quam deſeruerant, nec omnia habuerit, quae a Chriſto diſcipuli eius, vt creditu neceſſaria acceperant; id quod SYNESII, cumprimis autem auctoris *Clementinorum* exemplo illuſtrat; atque haec omnia in elegantiſſima anteaque iam laudata *de turbata per recentiores Platonicos eccleſia, diſſertatione* copioſiſſime ediſſerit. Ceterum cum AMMONIVS, vti antea dictum, chriſtianus fuerit, & ex eius ſchola non tantum gentilium philoſophi, ſed & eccleſiae chriſtianae doctores, quos inter ORIGENES eminet, prodierint, qualis & horum philoſophia fuerit, inde intelligere licet. Haud difficulter etiam eos, qui patres iſtos Platonicam philoſophiam amplexos dicunt, cum illis, qui eos eclecticis adnumerant, conciliari poſſe, ex dictis luculenter patet. Atque haec lucem iis adfundere queunt, quae de philoſophia patrum *lib. II. cap. III.* ad §. *V. p. 499.* diſputauimus.

p. 203. Denuo tamen ſententiam ſuam propugnauit &c.) Platonis contra cauſſam rurſus egit IACOBVS ZIMMERMANNVS in *exercitat. de atheiſmo Platonis*, quae in IO. GEORGII SCHELHORNII *amoenitatib. litterariis* exſtat *tom. IX. num. VI. p. 827. ſeqq.* Quinque ibi tum aliorum; tum ipſius PLATONIS teſtimoniis ſibi probanda ſumſit capita: I) *Platonem ens aliquod aeternum, ſapientiſſimum, quod Deum vocamus, agnouiſſe*; II) *eum ſolerter Numen illud a materia diſtinxiſſe*; III) *nullo neceſſario vinculo cum materia coniunxiſſe*; IV) *ſummam libertatem & imperium in materiam Deo tribuiſſe*; V) *tandem prouidam Dei ſapientiſſimi in omnia curam profeſſum eſſe.*

p. 206. Id namque vir ille doctiſſimus ſibi datum credidit &c.) *De vita & moribus Petri Gaſſendi diſſertationem* ſcripſit SAMVEL SORBERIVS, quae operibus GASSENDI praemitti ſolet. Ipſe autem SORBERIVS non tantum admirator, ſed & ſectator GASSENDI, aut ſi mauis, EPICVRI fuit. Hinc & non tantum GASSENDI & MERSENNI inductus precibus THOMAE HOBBESII *elementa de ciue* recudi curauit, ſed gallicam etiam eorumdem *clementorum* verſionem confecit, ediditque, quamuis ſimul apologeticam addiderit diſſertationem, qua illis obuiam ire voluit, qui vitio ei vertere poterant, quod librum, qui principia continebat non omnibus probata, in linguam gallicam transtuliſſet; conf. NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres* &c. *tom. IV. p. 71.* vbi & vita SORBERII exhibetur, & ſcripta accurate recenſentur.

p. 207. Idem quoque Petrus Daniel Huetius fecit &c.) Sunt quidem, qui HVETIVM libelli iſtius auctorem eſſe negant; quod & *ephemeridum Treuoltienſium* auctores faciunt *an. M DCC XXV. menſe Iun. artic. XLVII. p. 989. ſeqq.* At negari illud non poſſe contendunt alii, rationibusque luculentiſſimis illud euincunt; conf. *la bibliotheque françoiſe, an. M DCC XXVI. menſe Septembr. p. 73. ſeqq.* Nec dubitabit hac de re, qui ingenium HVETII, quod ex reliquis eius ſcriptis elucet, paullo accuratius conſiderauerit.

ibid. qui cum ab Arabibus praecipue &c.) Arabum itaque iſtorum philoſophorum hiſtoria lucem quoque conciliabit hiſtoriae ſcholaſticorum. Ad illam vero cumprimis facit IOANNIS LEONIS, africani, libellus *de viris quibusdam illuſtribus apud Arabes*, quem ex lingua arabica in latinam conuerſam exhibet IOANNES HENRICVS HOTTINGERVS in *bibliothecario quadripartito lib. II. cap. III. p. 246.*

Digitized by Google

p. 246. ſeqq. deinde autem eumdem adnotationibus quibusdam illuſtratum *bibliothecae* ſuae *graecae*, & quidem *volumini decimo tertio p. 259. ſeqq.* inſeruit IO. ALBERTVS FABRICIVS Quorumdam etiam philoſophorum iſtorum Arabum notitiam dabit NIC. ANTONIVS in *bibliotheca arabico-hiſpana*, quam *biblioth. hiſ. vet. tom. II.* ſubiecit; immo &, cum nonnullorum in linguam ebraeam translatae ſint commentationes, IO. CHRISTOPHORO WOLFIO de iis in *bibliotheca ebraea* verba faciendi, enata eſt occaſio. Celebriores prae reliquis ſunt AVICENNA & AVERROES; de vtroque IOANNES LEO agit, *cap. IX. p. 268.* & *cap. XX. p. 282. ſeqq.* itemque NIC. ANTONIVS *biblioth. hiſp. vet. tom. II. p. 240.* item *p. 247. ſeqq.* De AVERROE etiam legendus PETRVS BAELIVS in *diction. hiſt. & crit. voc. Averroes p. m. 414. ſeqq.* cumprimis & IO. CHRIST. CLODIVS in *der hiſtorie der Gelehrſamkeit vnſerer Zeiten p. 17. ſeqq.* Prae reliquis etiam inter Arabes hosce philoſophos obſeruatu dignus eſt ABV IAAFAR EBN TOPHAIL, gente Arabs, patria Hiſpanus, qui ſaeculo duodecimo floruit; cuius quippe exſtat *philoſophus autidodactus; ſiue epiſtola de* HAI EBN YOCKDAHN, *in qua oſtenditur, quomodo ex inferiorum contemplatione ad ſuperiorum notitiam ratio humana adſcendere poſſit*; quam arabice cum verſione latina edidit EDVARDVS POCOCKIVS Oxonii an. 1671. 4. Editio ſecunda priori emendatior prodiit Oxonii anno 1700. 4. Verſio quoque germanica, cuius ita ſe habet inſcriptio: *der von ſich ſelbſt gelehrte Weltweiſe, das iſt, eine angenehme vnd ſinnreiche Erzahlung der wunderbahren Begebenheiten des Hai Ebn Yockdahn, darinnen vorgeſtellet wird, wie derſelbe durch das Licht der Natur zur Erkenntnüs natürlicher vnd übernatürlicher Dinge, abſonderlich Gottes, der Vnſterblichkeit der Seele vnd des andern Lebens gelanget ſey; anfangli h im arabiſchen geſchrieben von Abu Iaafar Ebn Tophail &c.* auctore viro doctiſſimo IOAN. GEORGIO PRITIO lucem adſpexit Francofurti anno 1726. 8. Delectat equidem lectorem hicce libellus non minus, quam inſtruit, prout eiusmodi fictiones ſolent; non ſine ratione tamen PETRVS DANIEL HVETIVS *de origine fabular. romanenſ. p. 12.* & auctor *verſionis germanicae* in *praefatione* in eo deſiderant, quod nulla prorſus veroſimilitudinis in eo habita fuerit ratio. Nec ſane, vt reliqua mittam, credibile eſt, fieri poſſe, vt aliquis per ſolam meditationem, non tam philoſophus, quam Ariſtotelicus euadat, & hinc porro ad intimos theologiae myſticae receſſus deducatur. Sed plura de hocce libro dabunt NIC. ANTONIVS in *biblioth. arabico-hiſpana, p. 202.* & IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *biblioth. ebr. part. I. p. 15. ſeqq.*

p. 209. Petrus Syluanus Regis &c.) Addendus illis eſt, qui CARTESIVM contra cenſuram PETRI DANIELIS HVETII defenderant. Controuerſiae quoque cum NIC. MALEBRANCHIO & IO. BAPTISTA DV HAMEL illi interceſſerunt. Conferendus omnino NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres &c. tom. VI. p. 408.* vbi ſcripta eius recenſet.

p. 210. philoſophos aut inter ſe, aut cum ſcriptura ſacra conciliandi &c.) aut etiam cum chriſtianae religionis dogmatibus. Conferenda omnino, quae deinceps ad *capitis* huius §. *XXX. p. 258.* dicentur.

p. 216. Ad ſingulas philoſophiae partes ſi deſcendamus &c.) Praemitti adhuc quaedam potuiſſent de iis, qui lexica philoſophica condiderunt: quippe qui per totum philoſophiae ambitum, omnesque

que eius partes, ſe diffundunt. Sed diligenter hoſce recenſet IOAN. GEORG. WALCHIVS, in *praefatione*, quam *lexico* ſuo *philoſophico*, germanica lingua ſcripto, & Lipſiae an. 1726. 8. edito, praefixit. Nihilque meo erga illum amori dediſſe iure cenſeri potero, ſi dixerim, eum primum praecipuumque inter iſtos, qui eiusmodi quid ſuſceperunt, tenere locum. Neque de vocibus ſolum, in philoſophorum ſcholis vſitatis, earumque ſignificatione, vt pleriſque, qui ante eum in hocce campo ingenii vires periclitati ſunt, in more poſitum fuit, tractationem inſtituit; ſed rerum ipſarum, in omnibus philoſophiae partibus occurrentium, luculentam & copioſam explicationem ſuppeditat. Quae nonnulli contra vſum eiusmodi lexicorum diſputant, in *praefatione* iam laudata, diluit.

p. 221. Nicolaus Malebranchius &c.) Vitam & ſcripta MALEBRANCHII recenſet NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres &c. tom. II. p. 122. ſeqq.* vbi &, dum de opere eius *de inquirenda veritate* verba facit, obſeruat, cum vir quidem doctus in Anglia placita MALEBRANCHII adoptaſſet, eaque perſpicue non minus, quam ornate expoſuiſſet, idque Quakeri in rem ſuam vertiſſent, illi hoc agendum fuiſſe, vt ſcripta apologia ſuſpicionem, ac ſi ad partes Quakerorum tranſiiſſet, a ſe amoliretur; ſimul tamen faſſum eſſe, ſi Quakeri ſuam recte intelligerent doctrinam, ſique ſyſtematis illi conciliare formam apti eſſent, eos non procul admodum a ſua adeoque & MALEBRANCHII diſceſſuros ſententia.

p. 222. haud vltimum locum tenet Ioan. Lockius &c.) Obſeruatu omnino dignus eſt LOCKIVS, non tantum ob nominis, quam inter philoſophos conſequutus eſt celebritatem, ſed & ob controuerſias theologicas, quae illi cum aliis interceſſerunt, & de quibus ſuo loco verba fecimus. Vitam & ſcripta eius recenſet NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres, tom. I. p. 37. ſeqq.* Non minus vero & CHRISTOPH. AVGVSTVS HEVMANNVS vitam philoſophi huius exhibet in *actis philoſophorum tom. I. part. VI. num. III. p. 973. ſeqq.*

p. 236. Hiſtoriam doctrinae phyſicae &c.) Neminem quoque legiſſe poenitebit IO. PET. DE CROSA, praeſtantiſſimi celeberrimique noſtra aetate philoſophi, *praelectionem philoſophicam de phyſicae origine, progreſſibus eiusque tractandi methodo, & de corporis eſſentia in ſpecie*; breuem eam quidem, ſed paucis multa complectentem. Excuſa eſt Groeningae anno 1724. 4. Conferendus & IOANNES CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. XXIV. part. I. artic. VIII. p. 187. ſeqq.* vbi & reliqua viri huius doctiſſimi ſcripta recenſet.

p. 242. Fuerunt etiam ex Anglis praecipue &c.) Non omnibus tamen Anglis principia mathematica NEWTONI placuiſſe, exemplo ſuo ROBERTVS GREEN comprobat, quippe qui lingua anglicana *principia philoſophiae de vi expanſiua & contractiua; ſiue examen principiorum philoſophiae modernae* edidit Cantabrigiae anno 1727. fol. Recenſetur hocce opus in *actis eruditor. Lipſienſib. anno M DCC XXIX. menſe Iun. p. 241. ſeqq.* atque refertur, monere auctorem in praefatione, notiones philoſophorum recentiorum, ſi excipias, quas de grauitatione vniuerſali NEWTONVS a KEPLERO Germano mutuatus ſit, deriuatas eſſe a GALILAEO, Italo, & CARTESIO, Gallo, adeoque vel hoc nomine ſuſpectas, quod in Angliam venerint ex terris, vbi ſuperſtitio & nugae in religione principatum teneant, atheiſmi vel deiſmi labe philoſophiam

phiam

Digitized by Google

phiam neceſſario inficientes; ſe vero proponere philoſophiam Anglicanam &c. Obſeruatur porro, cum opus hocce in ſeptem libros diuiſum ſit, auctorem in primo principia mechanica GALILAEI, NEWTONI & IOANNIS KEILL; in ſecundo phyſicam aſtronomiam KEPLERI, NEWTONI & GREGORII, & ſic porro; in quinto metaphyſica & logica LOCKII; in ſexto moralia & theologiam naturalem LOCKII, CARTESII, CLARCKII & WOLLASTONII ſub examen reuocare. Ceterum ipſius ISAACI NEWTONI *philoſophiae naturalis principiorum mathematicorum* editio tertia, eaque aucta & emendata, prodiit Londini 1726. 4.

ibid. Guil. Iacobus s' Graueſande phyſices elementa mathematica &c.) Tomus ſecundus lucem adſpexit Lugduni Batauorum, anno 1711. Immo & *ſupplementum phyſicum* dedit, in quo etiam nonnulla in *primo elementorum* eius *tomo* emendantur, Lugduni Batauorum 1725. 4.

p. 245. Eclecticam philoſophandi rationem &c.) Eamdem etiam ſequutus eſt IOANNES FRIDERICVS WVCHERERVS, cuius *inſtitutiones philoſophiae naturalis eclecticae* Ienae 1725. in 8. editae, melioris notae compendiis adnumerandae ſunt.

p. 246. Illorum vero inſtitutum, qui phyſicam ita tractant &c.) Eiusmodi ſcriptores haud vltimum, immo primum praecipuumque inter eos, qui contra atheos diſputant, promerentur locum. Quae enim a conditione & ſtructura corporum, ad certum finem comparata, ſummamque adeo conditoris ſapientiam arguente, deſumitur demonſtratio, vt luculenta admodum eſt; ita & atheorum ſtultitiam omnium oculis exponit. Hinc & de eiusmodi ſcriptoribus dictum *lib. II. cap. VII. ad §. X.* Commemorari autem, praeter iam laudata doctorum virorum ſcripta, adhuc poſſent GVILIELMI DERHAM *theologie phyſique, ou demonſtration de l' exiſtence & des attributs de Dieu, tirées des oeuvres de la creation*, Roterodami 1726. 8. BERNHARDI NIEVWENTYT *l' exiſtence de Dieu, demontrée par les merveilles de la nature* & alia eiusdem generis longe plurima; ſed otium hic nobis fecit vir longe celeberrimus IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, qui omnia eiusmodi ſcripta diligenter recenſet, in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptorum, qui veritatem religionis chriſtianae aduerſus atheos &c. adſeruerunt, cap. VII. p. 287. ſeqq.* GVIL. DERHAMI, quod memorauimus, opus ex lingua anglicana in gallicanam; BERNARDI NIEVWENTYT ex belgica in anglicanam, & hinc in gallicanam conuerſum eſt.

p. 248. De arboribus, herbis &c.) Cumprimis hic laudandum MATTH. HILLERI *hierophyton; ſiue commentarius in loca ſacrae ſcripturae, quae plantarum faciunt mentionem;* Vltraiecti anno 1725. 4.

p. 254. Plures qui eidem Beckero ſe oppoſuerunt &c.) De ipſo BALTHASARE BECKERO, & *motibus ab eo excitatis*, peculiaris exſtat obſeruatio MICHAELIS LILIENTHALII in *ſelectis* eius *hiſtoricis & litterariis num. II. p. 17. ſeqq.* vbi vitam eius, & controuerſiae, quae illi ob *commentarium in catechiſmum Palatinum* cum SAM. MARESIO aliisque interceſſit, hiſtoriam diligenter enarrat; motuum autem, quos *mundus* eius *faſcinatus* excitauit, recenſionem nouae cuidam ſe reſeruaſſe obſeruationi, indicat. Haec autem obſeruatio in iſto quidem faſciculo non legitur, an alibi exſtet, mihi notum non eſt.

p. 255. Ad hancce itaque de Deo rebusque diuinis doctrinam &c.) Ad hiſtoriam theologiae naturalis, de qua hic verba facimus, praeter alia ſpectat liber iſte,

gallicana lingua editus, cuius iam antea mentionem fecimus, quiue inſcribitur: *hiſtoria philoſophiae gentilis, ſiue opiniones philoſophorum & populorum gentilium celebriorum de Deo, anima & officiis hominum*, ac Hagae Comitum anno 1724 prodiit. *Obſeruationibus criticis* dum eum illuſtrauit IACOBVS BRVCKERVS, quae in *otio* eius *Vindelico; ſiue meletematum hiſtorico-philoſophicorum triga*, Auguſtae Vindelicorum anno 1729. 8. edita, *p. 127. ſeqq.* exſtant, multa quoque in medium attulit, quae in quibusdam lucem minime contemnendam dabunt.

p. 257. Nec diſſimulandum quod praeſtantiſſima eorum dicta &c.) Conferenda quae hac de re ſupra obſeruauimus ad *capitis* huius §. *XXII. p. 201.*

p. 258. De quo eius quid ſentiendum ſit inſtituto ſupra iam indicauimus) ad §. *XXII.* huius *capitis p. 202.* cum de illis agerem, qui philoſophiae Platonicae cum religione chriſtiana conſenſum oſtendere conati ſunt. De illis autem, qui generatim de ſcriptorum gentilium, praeſertim philoſophorum aut inter ſe, aut cum ſcriptura ſacra vel religione chriſtiana conciliatione egerunt, quaedam iam monui ſupra ad §. *XXII. p. 210.* quae cum hisce coniungenda ſunt. Omnino autem huc referenda IACOBI BRVCKERI erudita & elegans commentatio *de comparatione philoſophiae gentilis cum ſcriptura ſacra & religionis chriſtianae dogmatibus caute inſtituenda*, quae in eiusdem *otio Vindelico; ſiue meletematum hiſtorico-philoſophicorum triga*, Auguſtae Vindelicorum anno 1729. 8. edita, exſtat, *p. 1. ſeqq.* Recte autem vir iſte doctus monet, philoſophiae gentilis cum ſcripturae ſacrae oraculis aut fidei chriſtianae capitibus comparationem non eſſe improbandam, modo ſobria prudentique ratione fuerit ſuſcepta. Rite autem atque caute vt inſtituatur, ſequentes regulas ponit: I) *Caue, ne dubia & incerta ſumas pro certis & indubiis, ſuppoſititia pro genuinis*; II) *Caue, ne linguam ſectarum confundas perperamque intelligas*; III) *Caue, ne ideas, dogmata, opiniones tuas gentilibus philoſophis imputes, nimioque conciliandi ſtudio ea te videre putes, quae auctoribus ſuis numquam in mentem venerunt, aliique iſto praeiudicio non occoecati videri non poſſunt*; IV) *Caue, ne ea, quae obſcure dicta ſunt a philoſophis, tibi imponant*; V) *Caue, ne omnia philoſophorum eſſe putes, quae in ſcriptis ſuis tradunt*; VI) *Caue, ne leges fidei hiſtoricae tranſilias, id quod fit, ſi ſcriptori fides adhibetur, qui vel non potuit, vel noluit veritatem profiteri; vel ſcribere.* Quae omnia luculenter ediſſerit, & variis exemplis copioſe illuſtrat, §. *VI. ſeqq. p. 74. ſeqq.*

p. 259. Saeculo decimo quinto Raymundus de Sabunde &c.) Plura de hocce auctore dabit IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, *l. c. cap. XX. p. 454. ſeqq.* vbi & reliquos ſcriptores theologiae naturalis, a nobis praetermiſſos, laudat. Addimus vnum, eumdemque recentiſſimum, GVILIELMVM WOLLASTONVM, cuius *Ebauche de la religion naturelle, traduite de l'anglois avec un ſupplement, & autres additions conſiderables*, lucem adſpexit Hagae Comitum anno 1726 in 4. Recenſetur hicce liber in *actis erudítor. Lipſ. M DCC XXVII. menſ. Aug. p. 339. ſeqq.* ſimulque *p. 348.* nonnulla, quae ad hiſtoriam eius ſpectant, obſeruantur. Refutauit autem eumdem & ſatis quoque acriter perſtrinxit IOANNES CLARCKIVS, in peculiari libro, cuius ſumma exhibetur in *hiſtoria litteraria Europae M DCC XXVII. menſe Iul. num. III.* ex qua ea repetitur in *nouellis rei litterariae M DCC XXVII. num. XCV. p. 946.*

p. 269. & compendium tantum eorum, quae Iuſtus Lipſius fuſius ediſſeruerat, continent &c.) Addenda & *introductio* noſtra

ſtra *ad philoſophiam Stoicam ex mente* M. AVRELII ANTONINI, imperatoris & philoſophi *libris XII. eorum, quae de ſe ipſo ad ſe ipſum ſcripſit*, & quidem in editione, quae Lipſiae an. 1729. 8. prodiit, praemiſſa, vtpote in qua doctrinam moralem Stoicorum ANTONINI, imperatoris, teſtimoniis copioſe confirmatam ac illuſtratam exhibui.

p. 270. Quaenam moralis doctrinae; ſeu ethicae apud ethnicos &c.) Dici hic aliquid poſſet de vitiis; ſeu naeuis doctrinae moralis ethnicae in omnibus ſectis; ſed legenda, quae diligenter & ex inſtituto hac de re diſſerit MATTHIAS BELIVS in *praefatione* verſioni latinae ſcripturae ſacrae SEB. CASTALIONIS & quidem *tom. II.* librorum veteris teſtamenti praemiſſa.

p. 276. Iungere hiſce licebit &c.) Immo etiam GEORGIVM ANDREAM VINHOLDVM, ob *notitiam ſcriptorum iuris naturae, quorumdam elogiis condecoratam*, quae cum eiusdem iuris omnium principiorum, quae ſcriptores diuerſi fouent, inter ſe collatione, & ex parte conciliatione, inſtituta, Lipſiae prodiit anno 1723. 8.

p. 279. ſtatim ſeſe nobis offert H. Grotius &c.) Vitam & fata viri huius, cui inter principes virorum doctorum haud vltimus locus debetur, exhibet, & ſcripta tum edita, tum inedita accurate ſummoque cum ſtudio indicat auctor libri elegantiſſimi lectuque digniſſimi, ideoque ſuſupra iam a nobis laudati, qui inſcribitur: *Hugonis Grotii Belgarum phoenicis mores ab iniquis obtrectationibus vindicati*, & Delphis Batauorum (aut potius Lipſiae) prodiit anno 1727. 8. Quae ſpeciatim ad notitiam & hiſtoriam operis *de iure belli & pacis* ſpectant, diligenter ediſſerit *part. I. p. 266. ſeqq.* & *part. II. p. 618. ſeqq.* Cumque in poſteriori loco velut ſummam quamdam hiſtoriae iuris naturalis tradat, ſimulque quaedam non vbiuis obuia, obſeruet, nonnulla ex eo commemorare, operae pretium fuerit. *Ac principem quidem*, inquit, *curam Grotius noſter, ſi recte calculum duco, poſuit in limatiſſimo hoc celebratiſſimoque de iure belli & pacis opere, quippe de quo dirigendo & in ordinem redigendo pauci cogitauerunt, rem certe ipſam, propter difficultatem tentauit nemo. Vnus ante alios Grotius, vnus poſt Grotium Pufendorffius, viri, vel hoc nomine, immortaliter meriti, difficillimam rem eo auſu, ea felicitate ſunt adgreſſi, vt vno tempore, & nata pars haec iuris, & virile decus aetatemque, raro ſane exemplo conſequuta videatur; ac ſicut in opere hoc Grotiano magna omnia & omnia ſolida ſunt, ita fundamenta ibi iuris poſita inuenias, fruſtra alibi quaerenda; &c. Ante Grotii tempora Philippus Melanchthon, communis ille Germaniae doctor, & Franciſcus Baconus Verulamius, eques Britannus, viam reformandae philoſophiae, in ethicis ſuis feliciter oſtenderunt; Benedictus item Wincklerus in libro ſuo de principiis iuris, anno M DC XV. radios quosdam clarioris luminis ſparſit. Scripſerat etiam, ante Grotium, Albericus Gentilis, Italus, de iure belli libros tres, duosque de iure armorum Romanorum, doctos quidem & eruditos, nec e ciuili ſolum iure, ſed morali quoque & ciuili prudentia illuſtratos. Quibus tamen omnibus palmam praeripit, re & nomine magnus ille noſter Batauus, Hugo Grotius, in vere palmario ſuo de iure belli & pacis opere, qui Gentilem & imitatus eſt, & caſtigauit, & suppleuit, & ſuperauit, acutius diſputans, atque altioribus e principiis eruens ſua, explicatius quoque omnia proponens;* &c. *Sunt, qui, libris relectionum Franciſci Victoriae, Hiſpani, vſum fuiſſe Grotium, exiſtimant, quamquam illae raro ab eo laudantur, quarumque niſi memoria me fallit mentio vel ſemel eſt facta, in prolegomenis de iure*

belli

belli & pacis. Exſtat liber iſte relectionum, & theologis pariter ac iure-conſultis, maximo eſſe vſui poteſt, adeo quippe accurate & ſubtiliter differens de rebus morum, vt ſine admiratione legi non poſſit. Occurrunt diſſertationes de bello, de vſuris, aliisque in his relectionibus, editis & Antwerpiae & Ingolſtadii anno cIↄ Iↄ XXX. Lugd. Gall. cIↄ Iↄ LVII. & cIↄ Iↄ LXXXVI. 8. Rariſſimae ſunt & magno ſaepe pretio venditae. Magna illis elogia tribuuntur a Medina. Quare non miratus ſum, Hugonem Grotium tantum ex hoc ſcriptore profeciſſe &c. Diſcipuli Franciſci Victoriae fuerunt, Ferdinandus Vasquius & Didacus Conarrunias, ambo Hiſpani, quos diligentiſſime Grotius legit. Neque vero minus in eodem opere quaeſtionibus eſt vſus Franciſci Hottomanni illuſtribus controuerſiarum. Quae circa quaeſtionem illam habet, an iuſta ſit belli cauſſa pro ſubditis, vt ab eis arceatur imperantis iniuria? Grotius hauſit e Stephani Lunii Bruti vindiciis contra tyrannos, cuius libri haud alius auctor, quam Hubertus Langretus fuit; quae vero de Iudaeorum doctrina, in libris de iure belli & pacis adferuntur, e Guilielmi Schickardi Miſchpat deprompſiſſe videtur. KORMARTVM deinde commemorat, in libello: *abregé des memoires illuſtres*, adſerentem HVGONEM GROTIVM MICHAELIS MONTANI *doctrinam in multis & ſaepius de verbo ad verbum adnotaſſe.* Nec THOMAM CRENIVM praetermittit, adfirmantem, GROTIVM in hocce opere, DIONIS CHRYSOSTOMI, LEONHARDI LESSII, *aliorumque Ieſuitarum ſcriptis fuiſſe vſum*, tumque ſubiicit: *Verum ne hoc quidem gloriae illi Grotianae caliginem inducit, ſplendorique vel operis, vel ipſius ſcriptoris detrahit quidquam; ſatis eſt, optima quaeque & cum iudicio delectuque delibata ab ipſo quaſique recocta, & incomparabili huic volumini fuiſſe inſerta &c.* Hinc cum de IO. SELDENO, deque THOMA HOBBESIO quaedam monuiſſet, interpretes operis Grotiani *de iure belli & pacis*, ſeu eos, qui adnotationibus & obſeruationibus ſuis illud illuſtrarunt, recenſet, cumprimis & de SAM. PVFENDORFIO verba facit, *p. 639. ſeqq.* Praeterea in *bibliotheca ſcriptorum Hugonis Grotii, tum editorum, tum ineditorum ab iniuria temporum & hominum obliuione vindicata*, quam *vindiciis* hisce *Grotianis* ſubiunxit, omnes Grotiani operis editiones, verſiones, commentationes, horumque iterum editiones, verſionesque, operis porro Grotiani epitomatores, horumque editiones, ita recenſet, vt veluti bibliothecam quamdam iuris naturalis exhibeat, *p. 739. ſeqq.* eaque in re diligentiam haud vulgarem demonſtrat.

ibid. vnde & initio eosdem iuris gentium nomine adpellare voluit) Ipſius HVG. GROTII teſtimoniis hoc confirmat auctor, quem iam laudauimus, *vindiciarum Grotianarum part. I. p. 267.* recteque addit: *Neque vero haec operis Grotiani adpellatio videtur minus congrua tum veritati, tum rationi loquendi priſcae. Bellum enim & pax, ſunt illi cardines, in quibus res omnes & omnia negotia voluuntur humana. Ad illa duo referri omnia poſſunt, quaecumque in vita noſtra geruntur,* &c. Addit tamen deinceps: *Haud improbabilis quoque ſit coniectura, Grotium titulo, de iure belli & pacis ſuum opus hac etiam de cauſſa inſcripſiſſe, vt principes ac nobiles, vel ipſa inſcriptionis nouitate, ad hoc volumen euoluendum adlicerentur, idque adplauſu tanto maiori exciperetur.*

p. 280. Grotio iungimus Ioannem Seldenum) Auctor *vindiciarum Grotianarum* de SELDENO ita pronuntiat: *Seldenus certe nimis philoſophice tractare videtur ius naturale, non contemnendus ille quidem, ſed dialogis ſuis inuoluit ſententias & abſcondit,*

ſcondit, ac neſcio quid, interdum Platonizare videtur. Hinc imperfectum omnino iſtud habetur ſyſtema, tum propter omiſſa iuris naturalis praecognita, tum propter obſcurum quoque, incertum, & minus domeſticum fundamentum; *part. II. p. 625.* Scripta ad controuerſiam, quae HVGONI GROTIO cum IO. SELDENO de dominio maris interceſſit, ſpectantia idem vir doctiſſimus accurate recenſet *p. 727. ſeqq.* Conferendus vero etiam de SELDENO eiusque ſcriptis auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae &c. cap. I. poſit. VII. p. 67. ſeqq.*

p. 281. vbi & eos, qui Hobbeſium refutarunt &c.) Hoc praeter RICHARDVM CVMBERLANDIVM, & GISBERTVM COCQVIVM, quos iam laudaui, fecerunt ROBERTVS FELMERVS, SETHVS WARDVS, IOANN. BRAMMHALL, ROBERTVS SCHARROCKIVS, aliique, quorum ſcripta, editionibus eorum indicatis, accurate recenſet auctor *vindiciarum Grotianar. part. II. p. 784. ſeqq.* Sed ipſius quoque HOBBESII ſcripta, eorumque editiones & verſiones non minori diligentia enarrat *p. 781. ſeqq.* Lectu quoque haud indigna, quae idem vir doctiſsimus de auctore hocce pronuntiat *p.626.* vbi itidem praecipuos, qui eum refutarunt, commemorat. Addenda porro, quae de HOBBESIO eiusque ſcriptis, aduerſariis, propugnatoribus copioſe diſſerit, auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae cap. I. poſit. VII. §. II. ſeqq. p. 70. ſeqq.* Atque hicce quidem vir doctiſſimus, *ex omnibus Hobbeſii ſcriptis opponere*, ait, *cum vsque ad coeli & terrae offenſionem nouitatis captandae fuiſſe auidum, neque iniuria eum reprehendi ab aduerſariis. Laudandus omnino*, ita pergit, *eſt Anglorum candor, qui, nulla ciuis ſui ratione habita, plus in eo confutando laborarunt, quam reliquae nationes omnes. Ipſa Oxonienſis academia peculiare contra Hobbeſii libros promulgauit decretum, anno M DC LXXXIII. l. c. p. 72.* Deinceps autem, cum adſeclas & defenſores HOBBESII recenſuiſſet, haec ſubiicit: *Si tamen dicendum quod res eſt, neque dum famae & exiſtimationi Hobbianae ſatisfactum, & omnino operae pretium foret, eiusdem ſaniora, licet forſan prima intuitu paradoxa dogmata, vlterius vindicatum ire, ne cum exoſo Hobbii nomine, cuncta eius, ſiue bona, ſiue mala ſint, proſcripta cupiamus*; *l. c. p. 76.* Ego vero valde dubito, an multum ſani apud eum inueniatur, qui id vnice agit, vt omne ius naturae tollat prorſusque euertat, adeoque cum religione omne honeſti & turpis diſcrimen proſcribat. Id enimuero agere HOBBESIVM, ex iis, quae de illo obſeruimus, nemini obſcurum eſſe poteſt. Recte etiam de eodem auctor *vindiciarum Grotianarum* pronuntiauit: *Nam etſi interdum acutius forſan cernat Hobbeſius, vir in recondita hac lateque patente diſciplina ceteroquin apprime verſatus, pleraque tamen eius chimaerae ſunt, & contemplationi magis, quam vſui inſeruiunt, vt optimum hic conſilium ſit Conringii, diſſuadentis nimiam Hobbeſii admirationem, ac multum praeponentis Grotii doctrinas, quae non magis ad philoſophiam, quam ad omnes bonas litteras, & ad ius quodlibet erudiunt.* Qui HOBBESII in ſe ſuſcepérunt defenſionem, de gloria ingenii potius ſui, quod hac ratione oſtendere voluerunt, quam de veritate, ſolliciti fuiſſe videntur.

p. 282. conſulere iuuabit &c.) Nonnulla quoque, ad hiſtoriam iſtorum certaminum ſpectantia, ſuppeditat CHRISTOPHORVS AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſophorum part. XVII. num. VII. p. 770. ſeqq.*

ibid. conſulere iuuabit, &c.) Iungendus hisce omnino auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae*, qui itidem de

 vita,

vita, fatis, ſcriptis, cumprimis autem de aduerſariis PVFENDORFII *cap. I. poſit. V. §. I. ſeqq. p. 29. ſeqq.* copioſe differit. Scripta PVFENDORFII, eorumdemque editiones & verſiones accurate, more ſuo, recenſet auctor *vindiciarum Grotianarum part. II. p. 754. ſeqq.*

p. 283. de quibus ceteriſque huc ſpectantibus &c.) Ipſe etiam GOTTLIEB SAMVEL TREVERVS, cuius *adnotationes* in huncce PVFENDORFII libellum, *quibus principia iuſti ab honeſti & decori regulis ſollicite diſtinguuntur, & recentiorum circa hanc diſciplinam placita expenduntur,* anno M DCC XXVI. Lipſiae & Wolffenbuttelii iterum excuſae ſunt, in *praefatione* iis praemiſſa, reliquos, qui in libello hocce PVFENDORFII illuſtrando ſtudium operamque ſuam collocarunt, recenſet ſententiamque de iis pronuntiat.

p. 284. ſeſe nobis offert Chriſtianus Thomaſius &c.) Scripta THOMASII tum reliqua, tum & quae ſpeciatim ad iuris naturalis doctrinam ſpectant, recenſet auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae cap. I. poſit. VI. p. 47. ſeqq.* qui & de *fundamentis* eius *iuris naturae* & *gentium ex ſenſu communi deductis* ita pronuntiat: *in hoc libro Thomaſius pro more ipſi ſolenni, multa, quae in priori libro (inſtitutionibus iurisprudentiae diuinae) poſuerat, reuocare & refutare haud dubitat; qua in re vtrum gloriam quaerat, an praeſidium, aliis diiudicandum linquimus. Minimum ipſe in pleniori ſua hiſtoria iuris naturae gloriatur, ſe legem diuinam poſitiuam vniuerſalem ſtabiliuiſſe primum, & deſtruxiſſe iterum; l. c. p. 49.*

p. 285. alibique id facere mecum conſtituerim &c.) Nihil tamen obſtat, quo minus hic nonnulla obſeruem, quae diluendis viri doctiſſimi dubiis, meaeque ſententiae confirmandae & ſtabiliendae inſeruire queant. I) Si alii in hacce hypotheſi mea facilitatem & perſpicuitatem inuenire non potuerunt, ideo facilis & perſpicue eſſe non deſinet. Praeiudicatae namque, quae animum occupant, opiniones haud raro efficiunt, vt obſcura videantur, quae ſunt euidentiſſima, & rurſus euidentia, quae ſunt obſcuriſſima. II) SAM. PVFENDORFIVM equidem diſtinctione iſta inter leges *hypotheticas* & *abſolutas* vſum fuiſſe conſtat; ſed vt tantum leges, quae circa officia erga alios verſantur, vel *abſolutas*, vel *hypotheticas* eſſe contenderet, adeoque de inſtitutis humanis tantum loquutus eſt. Ego vero vlterius progreſſus ſum & inſtituta inſuper diuina, hoc eſt, quae immediate originem a Deo ducunt, admiſi, & ex iis praeter alia leges matrimoniales deriuaui. Cumque hac ratione variae, quae hic ſe offerunt difficultates, ſuperari queant, quin vſum omnino haec diſtinctio habeat, dubitari non poterit. An aliquis ante me hac diſtinctione ita vſus ſit, mihi non conſtat. III) Inſtituta humana, hoc eſt, ab hominibus quidem introducta, ſed a Deo adprobata, citra omnem controuerſiam ad hominum ſalutem ſeu vtilitatem ſunt comparata. Hinc & ſequitur, poſtquam introducta fuerunt, homines etiam ad ea obſeruanda fuiſſe obligatos. Liberum equidem hactenus hominibus fuit, an eiusmodi inſtituta introducere vellent, cum non tam lex hoc iuberet, quam vtilitas ſuaderet, & humani generis felicitas poſtularet; poſtquam autem introducta fuerunt, non amplius integrum fuit, ab iis diſcedere, ſed ad ea obſeruanda, actionesque ſuas ad illa componendas omnino fuere obligati; ſecus enim ſi ſe gererent, publicam turbarent omnium tranquillitatem. Cum ergo quaeritur, an homines, qui in communione viuunt, aut qui ſcientes a communi rerum pretio diſcedunt, peccent contra ius naturae hypotheticum? reſpondeo, ad prius quod attinet, cum haud dubio de communione priuatiua ſermo

mo ſit, ſiquidem poſitiua cum rerum dominio coniuncta eſt, non peccare homines, ſi in tali communione viuant, ſi talis communio detur, eo quod nondum inſtitutum illud, ſiue dominium rerum adeſt. Poſtquam autem iſta communio ſublata, rerumque dominia introducta ſunt, peccat omnino homo, quando inſtitutum humanum equidem, ſed a Deo adprobatum, non obſeruat. Vnde &, quod inſtituta eiusmodi in recenſendis praeceptis iuris naturalis recte attulerimus, patet. IV) Matrimonium ad inſtituta diuina referendum eſſe, res ipſa docet, nec opponi nobis poteſt, quod, fatente beato LVTHERO, matrimonium ſit negotium aeque humanum ac dominium. Poſſe enim matrimonium certa quadam ratione negotium ciuile dici, non nego. At non mere ciuile negotium eſſe, inſtitutio immediate a Deo profecta, formamque ſimul & modum eidem praeſcribens *Gen. II. 24.* luculentiſſime docet; quod & pluribus a me demonſtratum in *inſtitutionibus theolog. dogm. lib. V. cap. IV.* ad §. *XXXI.* V) Matrimonium non ob benedictionem diuinam, ſed quod immediate a Deo inſtitum ſit, inter inſtituta diuina retuli. Dominium autem proprie & ſtricte ſic dictum, quod alii *dominium particulare* vocant, ad inſtituta humana, ſed a Deo adprobata pertinet, adeoque inter diuina; ſeu quae immediate a Deo originem ducunt, a me commemorari non debuit. Deus equidem hominibus primis dedit facultatem rebus creatis vtendi, *Gen. I. 28. 29.* At haec facultas nondum eſt dominium proprie & ſtricte ſic dictum, quamuis nonnulli, vocem *dominii* in generaliori ſignificatione vſurpantes, eam ita adpellitent. Vt ergo dominia proprie ſic dicta introducerentur, factum aliquod humanum, diuiſio ſecundum quosdam, ſecundum alios occupatio accedere debuit, & hoc pacto recte inter inſtituta humana referuntur; vt matrimonium contra inter diuina, quoniam immediate a Deo inſtitutum fuit. Cum autem lex iſta, quae matrimonii inſtitutionem ſupponit, ex numero adfirmantium, ſeu aliquid praecipientium ſit, eos, qui ad illud ineundum non ſunt idonei, aut grauiori quadam cauſſa, vt ab ſe abſtineant, inducuntur, ad illud non obligari, manifeſtum eſt. Vnde haec quorumdam exceptio non obſtat, quo minus recte pro inſtituto quodam diuino habeatur. Ceterum cum in omnibus elementorum *philoſophiae practicae* editionibus, vna eademque ratione docuerim, atque luculenter, quae iuris naturalis, quaeue iuris diuini poſitiui vniuerſalis ſint, oſtenderim, quo iure hic mihi a viro doctiſſimo variatio quaedam exprobretur, neſcio. In *inſtitutionibus* autem *theologiae moralis* pro legibus poſitiuis vniuerſalibus hypotheticas poſui; quod an recte a me factum, id quidem eſt, de quo nunc diſceptatur. Siue autem leges poſitiuas, ſiue hypotheticas admittas, certum ratumque eſt, matrimonium eſſe inſtitutum aliquod vniuerſale, idque cum ex ipſo ſeruatoris effato *Matth. XIX. 4. ſeqq.* pateat, durum profecto nimis eſt, hanc doctrinam pro *nugis rabbinicis* venditare. VI) Inter magiſtratum ciuilem & matrimonium hoc intercedit diſcrimen, quod ille a Deo quidem inſtitutus ſit, ſed mediate; hoc autem immediate. Quare cum de inſtitutis, immediate a Deo profectis, ſermo eſt, magiſtratus ciuilis inter ea referri nequit. Quo ipſo tamen auctoritati ac dignitati eius nihil decedit, vt alibi iam eſt demonſtratum. VII) Quando in *inſtitutionib. theolog. mor. part. II. cap. I.* ad §. *XI.* generatim de inſtitutis tum diuinis, tum humanis dixi, quod ad hominum ſalutem ſint comparata, hoc de ſalute tum aeterna, tum temporali, pro diuerſitate inſtitutorum, intelligi poteſt. Nec ſane quidquam obſtat, quo minus

quaedam inſtituta ad aeternam, alia ad temporalem hominum ſalutem comparata ſint. Ius naturae verſari circa ea, quae ad ſalutem hominum aeternam ſpectant, perperam negatur. Secus enim ſe rem habere, demonſtratum a me eſt in *inſtitutionib. theologiae moral. part. II. prolegomen.* §. *VII. ſeqq.* & *cap. II.* §. *XI.* Porro ſi per *ius naturae* illud intelligatur, quod tantum ex lumine rationis innoteſcit, dici vtique nequit, quod verſetur circa ea, quae a reuelatione diuina dependent; nec hoc dixi vnquam. Sin eo nomine leges vniuerſales, prout ex reuelatione diuina conſtant, veniant; aliter cenſendum eſſe, res ipſa docet. VIII) Eum, qui inſtitutum aliquod ex reuelatione diuina conſtare ait, obligationem autem ad hocce inſtitutum obſeruandum ex iure naturae deriuat, *ens* aliquod *contradictorium iuris ſimul naturalis & poſitiui* fingere, perperam & ſine ratione dicitur. Ipſe potius vir doctiſſimus inſtitutum & obligationem, quae cum eo coniuncta eſt, confundit, quae tamen accurate erant diſtinguenda. Fateor, inſtitutionem eſſe aliquid poſitiui, ſed inde non ſequitur, obligationem, quae cum ea coniuncta eſt, eſſe iuris poſitiui. Cumque dicitur omne inſtitutum diuinum inſtar legis eſſe, ſeu vim legis habere, hoc non aliter intelligendum, quam cum inſtitutis diuinis ſemper coniunctam eſſe obligationem, quae ex ipſo iure naturae oritur. Cum etiam dicitur, ius naturae ſiue hypotheticum, ſiue abſolutum ex ſolo rationis lumine deduci, ita vt reuelatione opus non habeat, id quidem verum eſt de obligatione, adeoque hoc pacto mihi non aduerſatur; de ipſis inſtitutis, quibus ius hypotheticum innititur, admitti nequit. IX) Ea, quae ex iſto principio: *quae Deus ad hominum ſalutem inſtituit, ſumma cum diligentia ſunt obſeruanda*, fluunt, iuris naturalis eſſe rectiſſime dicitur. Hinc & omnia, quae Deus in lege quadam poſitiua inſtituit, omnia quoque praecepta religionis chriſtianae, certa quadam ratione iuris naturalis eſſe, adſerere nullus dubito. In hisce omnibus enim obligatio quaedam generalis ad ea omnia facienda & obſeruanda, quae ad hominum ſalutem faciunt, fundamenti loco ponitur. Interim inſtitutorum alia eſt ratio, quam legum poſitiuarum. Has enim & per ſe obligare, nemo non intelligit, adeoque neceſſe non eſt, vt earum obligatio ex vniuerſali quadam iuris diuini principio arceſſatur. In illis autem cum beneficium potius hominibus offeratur, obligatio ad ea obſeruanda non aliunde, quam ex principio iuris vniuerſali, deriuari poteſt. X) Cum dicitur, ad ius naturae requiri, vt non tantum maior, ſed & minor propoſitio ex lumine rectae rationis conſtet; id quidem de iure naturae abſoluto concedimus, neutiquam autem de hypothetico. Ad hoc enim ſufficit, ſi maior propoſitio ex lumine rationis nota ſit. XI) Primum iuris diuini principium eſſe, Deo eſſe parendum, haud abnuo. Cum autem porro quaeritur, quibusnam in rebus illi parendum ſit, nihil obſtat, quo minus alia illi principia adiungantur, ſpeciatim & hoc, in omnibus iis, quae ad noſtram ſalutem & felicitatem conſtituit, illi parendum eſſe. XII) Cur principium hocce, *omnem inſtitutionem diuinam habere vim legis*, admitti nequeat, nullam hucusque praegnantem adlatam vidi rationem. Ecquis enim dubitet, quin Deus per ſummam ſuam & infinitam bonitatem ſerio velit, adeoque praecipiat, vt homines ea omnia faciant & obſeruent, quibus eorum ſalus promoueri poteſt. Inſtituta autem diuina huc comparata eſſe, cum res ipſa doceat, vt hoc probemus, neceſſe non eſt. Quodſi quidam hocce effato, *inſtitutionem diuinam habere vim legis*, abuſi ſunt, hoc ad me non ſpectat, & propter abuſum rectus legitimusque eius vſus minime eſt tollen-

tollendus. Atque ex hiſce omnes rerum iſtarum periti intelligent, meam de legibus diuinis hypotheticis ſententiam rationibus viri doctiſſimi adeo labefactatam non eſſe, vt ſalua potius atque firma perſiſtat; quam etiam doctisſimo viro GOTTLIEB SAMVELI TREVERO ſe probaſſe vidi in *adnotationib.* ad *Sam. Puſendorfii libr. de officio hominis & ciuis lib. II. cap. II. §. XVI. p. 72.* Non aliam autem ob cauſſam mea haecce de legibus hypotheticis ſententia viro doctisſimo tam vehementer diſplicuit, quam quod hypotheſin eius, cui nouum illud, quod exſtruxit, iurisprudentiae, quam vocat, naturalis ſyſtema innititur, leges ſcilicet naturales non eſſe proprie ſic dictas leges, ſed tantum conſilia, calculo meo non adprobauerim. Idque non eas ob rationes, quas ſuſpicio viro doctisſimo dictitauit, ſed ob longe alias, easque grauisſimas me feciſſe profiteor. Mirorque omnino, eum prae ſe tuliſſe, ac ſi *fundamenta iuris naturae ac gentium* ſcriberet, cum tota iſta eo comparata ſit commentatio, vt leges diuinas in conſilia conuerteret, hoc eſt, eas prorſus tolleret euerteretque. Quam quidem eius ſententiam ipſi quoque rectae rationis lumini repugnare, demonſtrari haud difficulter poteſt. Ex hoc quippe Deum non tantum benignisſimum ſapientisſimumque, ſed & iuſtisſimum eſſe, euidenter conſtat. Iuſtitia autem eius ſalua eſſe nequit, niſi peccata hominum puniat, poenis ſcilicet poſitiuis, prout naturalibus opponuntur, proprieque ſic dictis. Iam vero vbi poenae poſitiuae proprieque ſic dictae violationem legis conſequuntur, ipſam quoque legem pro lege proprie ſic dicta, non autem tantum pro conſilio quodam habendam tam manifeſtum eſt, vt a nemine negari queat. Iuſtitiam autem diuinam exigere, vt eiusmodi poenas proprie ſic dictas admittamus, vel inde patet, quod ceteroquin ſequeretur, Deum peccata omnino non punire. Poenae enim naturales cum improprie ſic dictae poenae ſint, reuera pro poenis reputari nequeunt. Immo cum poenae naturales locum haberent, ſi vel maxime poneremus, non eſſe Deum, non poſſunt iuſtitiae diuinae firmum praebere argumentum. Hinc & cum hypotheſi viri doctisſimi prorſus conſentit, quod adſerit, ſi per ius naturae ius proprie & ſtricte ſic dictum intelligatur, abſonum eſſe, ſtatuere eiusmodi ius ſine Deo; ſin vero leges naturales tantum ſint conſilia, eas locum habere, ſi vel maxime ponatur, non eſſe Deum, aut eum res humanas non curare; *fundament. iur. nat. & gent. lib. I. cap. VI. §. VI.* Ex quo & illud omnino conſequitur, poenas quoque naturales locum habere, ſi itidem ponatur, nullum eſſe Deum. Quare & iuſtitiam diuinam corruere neceſſe eſt, ſi nulla ratione hominum peccata puniat. Poenae enim poſitiuae, ex hypotheſi viri doctisſimi non dantur; naturales autem iuſtitiae diuinae tribui nequeunt, cum locum habere posſint, etiamſi ponatur, non dari Deum. Quod ſi etiam concedamus, (quod tamen concedi nequit) poenas naturales veras poenas eſſe, ne tum quidem diuina ſalua erit iuſtitia. Plurima enim tum committi peccata poſſent, quae non punirentur. Poteſt quis grauisſima quandoque ſcelera committere, ſed tam caute, tamque feliciter, vt nec ſanitati, nec famae eius, aut exiſtimationi damnum aliquod inde inferatur, immo vt nec vllos inde ſentiat conſcientiae morſus, ſiue ex ignorantia, ſiue ex falſa quadam perſuaſione, haec omnia in minimis ponat. Si ad ſtatum animae poſt hanc vitam recurrere velint, qui ſolas poenas naturales admittunt, vix dicere poterunt, quales illae futurae ſint, multo minus euincere, eiusmodi eas fore, quae magnitudini delictorum reſpondeant. Iam ſi a lumine rationis

nis ad lumen reuelationis transeamus, videtur equidem vir doctisſimus interdum ita loqui, ac ſi ſuam hypotheſin tantum de illo intellectam velit. *Ratio ſibi relicta*, inquit, *neſcit, quod Deum concipere debeat, vt regem & dominum, qui poenas externas arbitrarias velit inferre iis, qui contra praecepta iuris naturae faciunt, &c.* Idque ſtatim ita explicat: *non negat, adeoque non contradicit theologis, ſi ex ſcriptura multa de Deo, ſe vt regem; vel dominum manifeſtante, doceant*; in *fundament. iuris nat. & gentium lib. I. cap. V.* §. *XXXVIII.* Hoc ergo videtur vir doctisſimus adſerere, rationem equidem non repugnare, quo minus Deus vt rex concipi queat, adeoque & leges naturales ſint propriae ſic dictae leges, hoc tamen eam neſcire. Cumque & concedere videatur, aliter hac de re docere ſcripturam ſacram, ſequetur, quae ratio, vtpote lumen imperfectius, hac de re docet, emendanda, aut, ſi mauis, ſupplenda eſſe ex ſcriptura ſacra, ceu lumine perfectiore. Quae ſi mens eius ſententiaque ſit, aliter eum ſenſiſſe oportet, cum *obſeruationem* illam *de natura legis tam diuinae, quam humanae* ſcriberet, quae *obſeruationum ſelectarum ad rem litterariam ſpectantium tom. VI.* exſtat, *num. XXVII. p. 255. ſeqq.* In ea enim id agit, vt oſtendat, Deum in ſcriptura ſacra non tam vt regem ſeu iudicem ac legislatorem, ſed potius vt patrem benignisſimum, non leges proprie ſic dictas ferentem, ſed conſiliis & monitis paternis mortalium ſaluti conſulentem, repraeſentari. Quod qua ratione vir doctisſimus ſibi perſuadere potuerit, vix capio, cum non tantum innumera fere exſtent ſcripturae ſacrae loca, in quibus Deus vt rex, vt iudex, vt legislator, immo vt *vnicus ille legislator, qui poteſt ſeruare & perdere, Iacob. IV. 12.* deſcribitur, ſed & vbi legum diuinarum vniuerſalium mentio iniicitur, ea id plerumque fiat ratione, vt non aliae, quam leges proprie ſic dictae intelligi queant. Et quis quaeſo conſilium, ſeu legem improprie dictam intelligeret, cum Chriſtus nos liberaſſe dicitur *a maledictione legis? Gal. III. 13.* Et quid de proceſſu extremi iudicii dicam, nonne hic aperte ſatis leges diuinas proprie ſic dictas leges, & quae damnatos manent, poenas poſitiuas eſſe, euincit? Sed misſis hisce ceteriſque, quae neminem fugere poſſunt, obſeruationes tantum quasdam, quae dubiis viri doctisſimi diſſoluendis inſeruire poſſunt, adiiciemus. I) Cum Deus mox vt pater, mox vt rex, aut iudex repraeſentatur, attributa diuina, quorum ex obiectis dependet diuerſitas, vt amor, potentia, iuſtitia, indicantur; quae quidem vt inter ſe ſunt coniunctiſſima, ita vnum alteri opponi nequit. II) Quando itaque Deus, ceu pater benigniſſimus, deſcribitur, idem etiam, quamuis alio intuitu, vt rex ac legislator proprie ſic dictus concipi poteſt. Ita namque & in rebus humanis ſeſe res habet, vt principes rerumque domini reges & legumlatores eſſe non deſinant, etiamſi ſubinde *patres patriae* ſalutentur. Quare licet Deus ſe ſubinde vt patrem reuelauerit; reuelauit tamen ſe ſimul vt regem & legumlatorem. III) Patriarchis Deus equidem ſe vt patrem reuelauit, ſed cum illis etiam vt iudicem adeoque & legumlatorem cognitum fuiſſe vel ex *Gen. XVIII. 25.* & *epiſt. Iudae verſ. 14.* conſtat. IV) Iſraëlitis equidem Deus ſe ſpeciali quadam ratione vt legislatorem reuelauit, ob leges particulares, quas iis dedit. Hoc tamen non obſtat, quo minus etiam intuitu totius generis humani tamquam legislator conſiderari queat. Praeterea non tantum tamquam regem ac legislatorem, ſed & tamquam patrem benigniſſimum, per beneficia innumera & luculentiſſima, amoris documenta, ſe Iſraelitis manifeſtauit; conf. *Deut. XXXII. 10. ſeqq.* Vnde manifeſtum eſt, conceptus

patris

patris & *legiſlatoris* inter ſe coniungendos, non autem ſibi inuicem opponendos eſſe. V) In nouo teſtamento cum, cultu Leuitico ſublato, deſtructaque republica iudaica, leges Iſraelitarum particulares ceſſarent, Deus hac quidem ratione non amplius tamquam legislator conſiderari poterat; manebat tamen legislator intuitu totius generis humani, legumque vniuerſalium; vnde & a Iacobo apoſtolo, vt antea quoque obſeruauimus, *vnicus ille legiſlator* vocatur, *qui poteſt ſeruare & perdere, cap. IV. 12.* VI) In ſtatu integritatis leges diuinae vel *naturales* fuere, vel *poſitiuae*, vt loqui ſolent: quamquam quae *poſitiuae* dicuntur, ſecundum meam ſententiam rectius adpellitentur *hypotheticae*. Naturales perperam pro conſiliis aut legibus improprie ſic dictis venditari, ex iis, quae antea diſputauimus, patet, vt illa repetere neceſſe non ſit. Ad poſitiuas, ſeu hypotheticas, quod attinet, quorſum cumprimis ea de fructu arboris vetitae non comedendo pertinet, eas vt leges proprie ſic dictas non eſſe diſſentientes euincant, poenam in earum transgreſſionem conſtitutam, non poſitiuam, ſed naturalem tantum fuiſſe contendunt. Quod quam ſine omni ratione dicatur, vel ipſius de fructu arboris vetitae non comedendo, exemplo demonſtrari poteſt. Enimuero quando *Gen. II. 17.* dicitur: *moriendo morieris*, hoc neutiquam eſſe indicationem rei per cauſſas naturales conſequuturae, ſed comminationem poenalem res ipſa pariter atque euentus docuerunt. Ebraeis namque in more poſitum eſt, leges aeque ac comminationes poenales per verba futuri temporis exprimere. Sic cum dicitur, *non furaberis*, ſenſus non eſt, non fore, vt aliquis furetur, ſed prohibetur, ne quis furtum committat. Pari igitur ratione cum dicitur: *moriendo morieris*, non euentus ſignificatur, ſed poena conſtituitur, & quidem eiusmodi poena, quae cum actu transgreſſionis nullo nexu naturali coniuncta erat. Per mortem namque, vt ex aliis ſcripturae dictis euidenter patet, non tantum mors naturalis, ſed & ſpiritualis atque aeterna intelligitur. Si vero non alia, quam naturalis poena legis iſtam transgreſſionem ſequuta fuiſſet, aut ſequi debuiſſet, in ipſa quoque transgreſſione actus tantum phyſicus comeſtionis poteſt in cenſum venire. Hinc autem ſi conſideres, & poenam inde naturalem deriuari velis, dicendum, fructum iſtius arboris fuiſſe quodammodo venenatum, qui adeo vim naturalem habuerit corrumpendi humanam naturam. Id vero vt ſine omni ratione adſeritur, & ad vanam inanemque coniecturam redit; ita & transgresſionem in actu iſto mere phyſico conſtitiſſe, fruſtra adſeritur. Idque inde etiam manifeſtum eſt, quod effectus praecipui fuerint morales, qui ex actu illo phyſico fluere non potuerunt. Praeter mortem enim temporalem, ſpiritualem etiam & aeternam inde ortam & in omnes Adami poſteros deriuatam ſcriptura teſtatur. Praeterea terra maledictioni diuinae fuit ſubiecta, mulierique poenae loco inflictum, vt cum dolore liberos pareret, quae omnia quo pacto per naturalem conſequentiam ex iſto transgresſionis actu deduci queant, me non capere, lubens profiteor. Sed haec ſufficere poſſunt, vt omnibus conſtet, quam lubrico fundamento ſententia iſta, leges diuinas, non leges proprie ſic dictas, ſed conſilia eſſe, innitatur; quam etiam impugnandam ſibi ſumpſit ALBERTVS ZVM FELDE in *politica ſacra; ſiue de imperio Dei eiusque iuribus ſect. I. cap. I. §. XII. ſeqq. p. 10. ſeqq.* & *ſect. II. cap. I. §. VII. ſeqq. p. 145.*

p. 289. qui prudentiae etiam ciuilis praecepta ex ſacro codice &c.) Sunt quoque huius loci LAMBERTI DANAEI *politica chriſtiana*; IOANNIS STEPHANI MENOCHII *inſtitutiones politicae ex ſacris*

ſacris litteris; SAMVELIS STVRMII *politica christiana* & alia quaedam eiuſdem generis, quae recenſet BVRCARDVS GOTTHELFF STRVVIVS in *bibliotheca philoſophica cap. VII. §. VII. p. 278.* Scripſit etiam & ALBERTVS ZVM FELDE *politicam ſacram* Kiliae anno 1720. 8. editam; ſed cum in ea de imperio Dei eiusque iuribus agat, rectius ad ſcripta, in quibus iurisprudentia diuina traditur, refertur; vti iam obſeruatum in *addendis* ad *lib. II. cap. IV. §. X.*

p. 292. ſed praecipua quae de vtraque dici poſſunt &c.) Diligenter etiam vtrosque, tum Machiauelliſtas, tum monarchomachos, pariter ac eos, qui vtrisque ſe oppoſuerunt, recenſet auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae* &c. *cap. II. poſit. III. & IV. p. 109. ſeqq.* Nos de monarchomachis, iisque, qui illos refutarunt, quaedam obſeruabimus, cum eiusmodi etiam ad ſcholas theologorum ſpectent controuerſiae, & ſubinde a theologis argumentis quoque non philoſophicis tantum, ſed & theologicis tractari ſoleant. Accedit quod haud raro motus in regnis quibusdam aut rebuspublicis religionis cauſſa, certe ſub eius προφάσει excitati, eiusmodi ſcriptis occaſionem praebuerint. Statim autem hic ſe nobis offert GEORGIVS BVCHANANVS, ingenii & eruditionis gloria illuſtris, & ob ſcripta, quae reliquit, praeſertim *rerum Scoticarum hiſtoriam* percelebris, inter poëtas quoque haud vltimo loco collocandus. Is turbis iſtis in Scotia, imperium tenente Maria Stuarta, Scotiae regina, exortis, inductus *dialogum de iure regni apud Scotos* ſcripſit, latine editum Edinburgi anno 1580, & deinceps non ſemel recuſum, in linguam quoque anglicanam & belgicam translatum. In quo licet ſpeciatim ad regnum Scotiae reſpiciat, eiusmodi tamen ſua ſuperſtruxit fundamentis & principiis, quae omnium imperantium ſummorum, in regnis praecipue monarchicis, non poſſunt non conuellere auctoritatem, ſecuritatemque in diſcrimen adducere. Atque idem ſibi datum credidit STEPHANVS ille IVNIVS BRVTVS, in *vindiciis contra tyrannos; ſiue de principis in populum, populique in principem legitima poteſtate*, anno 1580. 8. (an enim antiquior editio exſtet, a viris doctis dubitatur) ſine loci mentione euulgatis, ac deinceps ſubinde recuſis; in quibus auctor, quod BVCHANANVS ex ſummi imperii origine atque natura deriuauerat, ſcripturae quoque ſacrae auctoritate adſtruere atque confirmare adgreſſus eſt. PETRVM BAELIVM in peculiari diſſertatione in auctorem, qui ſub iſto nomine latitet, inquiſiuiſſe, iam obſeruauimus. Nonnulli FRANCISCO HOTTOMANNO, alii PHILIPPO MORNAEO, alii aliis librum iſtum tribuerunt. Nec defuerunt, qui eum a THEODORO BEZA profectum contenderent, ſub cuius etiam nomine Amſtelodami anno 1660 12. prodiit. GISBERTVS autem VOETIVS peculiarem *de auctore vindiciarum contra tyrannos diſquiſitionem* in lucem emiſit Amſtelodami 1661. 12. in qua id praecipue agit, vt oſtendat BEZAM libri huius auctorem non eſſe. Qui HVBERTO LANGVETO librum iſtum vindicant, quod haud pauci faciunt, rationibus minime contemnendis niti videntur. BVCHANANO atque BRVTO addendus IOANNES BOVCHERIVS, doctor Sorbonicus, qui *de iuſta Henrici III. abdicatione e Francorum regno libros IV.* ſcripſit, Lugduni Gallorum 1591. 8. excuſos, in quibus in auctoritatem ſanctitatemque ſummorum imperantium ſe iniurium demonſtrauit. Nec id mirum, cum deinceps execrandum illud IOANNIS CASTELLI facinus defendere, ſibi non duxerit religioni, in *apologia pro Ioanne Caſtello Pariſienſi, mortis ſupplicio adfecto, & pro patribus ac ſcholaſticis, e Gallia olim exterminatis,*

Digitized by Google

minatis, contra edictum parlamenti Pariſiis in illos latum, gallice ſcripta editaque anno 1610. 8. & latine Lugduni 1611. 8. Sub FRANCISCI enim VERONENSIS CONSTANTINI, quo ea edita eſt nomine, BOVCHERIVM huncce latitare ex GVILIELMO BARCLAIO docet auctor *bibliothecae iuris imperantium* &c. *cap. II. Poſit. IV. §. V. p. 123.* Triumuiris hiſce, qui inter monarchomachos principatum quemdam tenere videntur, BVCHANANO, BRVTO & BOVCHERIO ſe oppoſuit GVILIELMVS BARCLAIVS, ex nobili in Scotia genere oriundus, ſed ingenii monumentis longe clarior. Romanae autem eccleſiae ſacris licet eſſet addictus; non tantum tamen in hocce capite, ſed & in illo de poteſtate, quam Romani pontifices in reges ſummosque imperantes ſibi vindicant, longe ſaniora amplexus eſt dogmata, quam haud pauci illorum, qui eidem eccleſiae ſunt addicti. Id quod huius loci eſt, quodue cum Lotharingiae ducis conſiliarius, ſupplicumque libellorum magiſter, atque in academia Ponti-Muſſana iuris profeſſor eſſet, compoſuit opus, inſcribitur: *de regno & regali poteſtate aduerſus Buchananum, Brutum, Boucherium & reliquos monarchomachos, libri VI.* quorum primum & ſecundum BVCHANANO, tertium & quartum BRVTO, quintum & ſextum BOVCHERIO oppoſuit. Prodierunt Pariſiis anno 1600. 4. & cum eiusdem BARCLAII libro *de poteſtate papae*, Hanouiae anno 1617. 8. Reliquos, qui ſpeciatim contra BVCHANANVM, BRVTVM & BOVCHERIVM ſcripſerunt, indicat auctor *bibliothecae iuris imperantium cap. II. poſit. IV. §. XV.* & *XVI. p. 130.* & *131.* Ad monarchomachos vt redeam, GVILIELMI RAYNOLDI; ſiue REGINALDI, qui ſub GVILIELMI ROSSAEI nomine latitat, *de iuſta reipublicae chriſtianae in reges impios & haereticos auctoritate, animaduerſione, iuſtiſſimaque catholicorum ad Henricum Nauarraeum & quemcumque haereticum a regno Galliae repellendum, confoederatione* librum, Antwerpiae anno 1592 8. editum, itemque WILLIAM ALLEN; ſiue GVILIELMI ALANI, principalis ſeminarii anglicani apud Remenſes, & poſtea cardinalis, *traité politique, ou il eſt prouvé par l'exemple de Moyſe & par d'autres, tirés hors de l'écriture, que tuer un tyran, titulo vel exercitio, n'eſt pas un meurtre*, Lugduni 1658. 12. idem, quem laudauimus, auctor recenſet *l. c.* §. *VII.* & *VIII. p. 124.* & *125.* Sed ad poſteriorem quod attinet, licet is ab aliis, iisque doctiſſimis viris inter ſcripta, quibus notiſſimum illud regicidium anglicanum defenditur, referatur; perperam tamen id fieri obſeruat. *Ex ipſa enim*, inquit, *lectione adparet, eam* (ſcriptionem) *nonniſi inuectiuam eſſe in Oliuierum Cromwellum, Angliae protectorem, ſtylo ſatyrico conſcriptam, ipſique Cromwello per iocum dicatam. Labitur igitur Struuius, dum in bibliotheca philoſophica pariter ac hiſtorica adſerit, defendi hoc ſcripto regicidium Caroli I. Anglorum regis. Tantum enim abeſt, vt auctor Caroli interfectoribus faueat, quin potius a Caroli regis ſtet partibus, ipſiusque hoſtem Cromwellum, tamquam tyrannum, e medio tollendum ſuadeat, iis quidem argumentis, quae haud obſcure auctorem veneno monarchomachico infectum prodant. Quale vero & cuius ſit ſcriptum illud Alanianum, de eadem materia, regibus nimirum impune occidendis, conſcriptum* (cuius auctor antea mentionem fecerat) *atque ab Arnaldo diu ante regicidii anglicani vel Cromwelli tempora memoratum, quidue de eodem ſentiendum ſit, hucdum nos ignorare ingenue lubenterque fatemur.* Praeter eos, quos hucusque commemorauimus, illuſtre inter monarchomachos nomen adepti ſunt, qui Ignatii Loiolae diſciplinam ſequuntur, quosue

Digitized by Google

Ieſuitas vocare moris eſt. Cum enim hoc ſibi datum credant, vt romani pontificis dilatent atque amplificent imperium, eiusdem quoque poteſtati reges ſummosque imperantes ſubiicere non dubitant; adeo vt il' fas ſit, reluctantes imperio bonis ipſaque vita priuare; immo ſi aliter quod cupiunt, obtineri nequeant, omnibus, qui ad iuſſa pontificis exſequenda parati ſunt, facultatem reges principesque non modo haereticos, ſed & haereſeos ſuſpectos, vi fraudibusque, gladio, veneno, quacumque ratione poſſunt, e medio tollendi, concedant. Hoc in IOAN. MARIANAE *libris tribus de rege & regis inſtitutione ad Philippum III. Hiſpaniae regem ſcriptis*, & Toleti anno 1599. alibique editis tam aperte docetur, vt hac de re dubitare non liceat. Et quis quaeſo dubitet, cum eam ob cauſſam liber hicce MARIANAE iuſſu ſupremae curiae Pariſienſis anno 1610. manu carnificis combuſtus fuerit. Legenda quae copioſe de hocce MARIANAE libro differit PETRVS BAELIVS in *dict. hiſtor. & crit. voc. Mariana p. m. 2050. ſeqq.* Eiusdem commatis fuit, ſimileque prorſus fatum expertus eſt FRANCISCI SVAREZII liber, quem *defenſio fidei catholicae & apoſtolicae aduerſus errores ſectae anglicanae* inſcripſit, quiue tum alias, tum & cum eiusdem *reſponſione ad Iacobi regis apologiam pro iuramento fidelitatis*, Moguntiae anno 1619 prodiit. Namque & is iuſſu ſupremae curiae Pariſienſis a carnifice flammis traditus fuit. Hoc ex recentioribus ſocietatis Ieſu hiſtoricis IOANNES DREWS ita narrat, vt non praetermittat, quae eidem ſocietati addictis iterum ſolatium aliquod adferre poſſint. De libro enim iſto verba faciens, *in hunc*, inquit, *ita exarſit Iacobus rex, vt Londini publice per carnificem iuſſerit flammis abſumi, incitaritque regem Hiſpaniae ad ſimilem in eum librum aduerſionem. At ille traditum examini doctorum ac prolixe laudatum, merito elogio ornauit, monuitque per litteras Anglum, vt ipſe potius ſaniora caperet conſilia & ad auitam rediret religionem. Quod ſectarii non impetrarunt in Hiſpania, conati ſunt euincere in Gallia; tantumque profecerunt, vt liber Suarezii infami manu Pariſiis ſit crematus. Indigniſſima res viſa pontifici Paulo V.* (adeoque ipſi pontifices nefanda monarchomachorum placita probant) *nec moratus eſt, conqueri per litteras coram rege Ludouico XIII. & eius parente Medicaea, de inſolenti facto, & illato probro doctori celeberrimo integerrimoque. Rex adoleſcens & regina mater, ſancte teſtati ſunt pontifici, ſe inſciis & Lutetia tunc abſentibus, rem geſtam eſſe. Confeſtim igitur curiae decretum abrogarant, plenamque omnibus fecerant poteſtatem, praedictum librum retinendi, legendi & imprimendi. Illud non iniucundum, quod cum fama libri in Anglia combuſti, perueniſſet Conimbricam in Luſitania ad aures Suarezii, is oculis in coelum ſublatis, vtinam aiebat conceſſa meo volumini ſors, mihi etiam Dei beneficio contingat*; in *factis ſocietatis Ieſu p. 242.* Sed haec ab homine Ieſuita profecta eſſe, meminiſſe oportet. Hoc ſufficit. Praeter IOANNEM MARIANAM & FRANCISCVM SVAREZIVM locum quoque hic ſibi vindicat CAROLVS SCRIBANIVS, *vir erecti*, ſi IOANNI DREWS *l. c. p. 239.* credimus, *ad magna* (quorſum haud dubie ex mente Ieſuitarum conſilia monarchomachica pertinent) *liberalis & religioſiſſimi animi*; vtpote qui ſub ficto CLARI BONARSCII nomine, *amphitheatrum honoris, in quo Caluiniſtarum in ſocietatem Ieſu criminationes iugulatae, libris tribus* edidit, in quo ſimilia in lucem proferre non dubitauit placita, quae quantum ſocietatis iſtius commodis proſunt, tantum ſecuritati ſummorum imperantium nocent. Conferendus de hocce auctore omnino VINCENTIVS

PLAC-

PLACCIVS in *theatro anonymor. & pſeudonymor. part. II.* ſiue *de ſcriptorib. pſeudonymis p. 133.* Quod autem quidam ex iſta ſocietate in ſcriptis ſuis palam profitentur, hoc longe plures ex illorum numero reipſa demonſtrarunt. Hinc ſeditioſae iſtorum hominum in ſermonibus ſacris auditae ſunt voces, hinc molitiones machinationesque variae, contra regum, in Anglia cumprimis & Gallia, capita, Ieſuitis praecipue auctoribus, aut conſiliorum iſtorum promotoribus, certe eorum conſciis. Quas Eliſabethae Angliae reginae inſidias ſtruxerint, neminem, niſi rerum eo tempore in Anglia geſtarum prorſus ignarum, fugere poteſt. Ob conſpirationem pulueraríam contra Iacobum regem regnique proceres, noſtra adhuc obſtupeſcit aetas; Ieſuitarum vero quaenam in ea fuerint partes, vel promeritum iſtud HENRICI GARNETI ſupplicium teſtatur. Conferenda hic, *proditio ſulphurea a Ieſuitis in Iacobum Britanniae regem & regni proceres intentata*, Lugduni Batauorum anno 1607. 4. item, *actio in Henricum Garnetum, ſocietatis Ieſuiticae in Anglia ſuperiorem, & ceteros proditores,* auctore praecipue EDVARDO COQVO, anglice Londini anno 1607. 4. quae & in latinam deinceps conuerſa eſt linguam; cui equidem ANDREAS EVDAEMON IOANNES, ex Ieſuitarum ſocietate, alias quoque nobis commemoratus, *ad actionem proditoriam Eduardi Coqui apologiam pro R. P. Henrico Garneto, Anglo, eiusdem ſocietatis ſacerdote,* oppoſuit, Coloniae Agrippinae anno 1610 8. ſed eam iterum repulit ROBERTVS ABBOT, epiſcopus Sarisburienſis, in *antilogia contra apologiam Andreae Eudaemon-Ioannis pro Henrico Garneto, Ieſuita,* Londini 1613. Atque haec etiam auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae cap. II. poſit. IV. §. XXI. p. 136.* memorat, vbi & alia huc ſpectantia laudat, ſpeciatim & obſeruat, GVIL. CAMBDENVM peculiarem de hacce conſpiratione pulueraria ſcripſiſſe librum; poſtea Romae in librorum prohibitorum indicem relatum, id quod ex vita Cambdeni, ipſius *Britanniae* anglice Londini 1695. fol. editae praefixa, pateat. IOANNEM CASTELLVM, qui Henricum IV. Galliae regem vulnerauit, dum eum occidere voluit, euentu conſilio non reſpondente, ex Ieſuitarum prodiiſſe diſciplina notum ſatis eſt. Atque id etiam ex ANTONII ARNALDI, curiae ſupremae Pariſienſis aduocati, peculiari ſcripto, quo Ieſuitas eam ob rem accuſauit, patet; cui licet FRANCISCVS MONTANVS *apologiam pro ſocietate Ieſu in Gallia,* (*contra Antonii Arnaldi, aduocati Pariſienſis, philippicam*) quae ex gallico in latinam tranſlata, vna cum *adpendice ex hiſtoria de facto Ioannis Schottelii* (Caſtelli) *ſtudioſi Pariſienſis,* Auguſtae Vindelicorum anno 1595 edita, Ingolſtadii anno 1596. 8. prodiit, opponeret; parum tamen hoc Ieſuitis profuit. Eiecti enim ex Gallia ſunt, tamquam homines ad turbanda omnia, & ſeditiones excitandas nati, anno 1595; recipiendi tamen iterum anno 1604, vt, ſublato anno 1610 per Rauaillacum Henrico IV. rege, nouum fidelitatis ſuae aut perfidiae potius, doctrinaeque monarchomachicae ſpecimen darent. Qua quidem re cum magnam omnium ſibi conflaſſent inuidiam, tum quidem PETRVS COTTONVS, cuius magna in hac ſocietate fuit auctoritas, celebritasque, vt eam depelleret, omnem mouit lapidem, eumque in finem *lettre declaratoire de la doctrine des Ieſuites* &c. Pariſiis anno 1610. 8. in lucem emiſit. Eum vero nihil aliud egiſſe, quam vt incautis rerumque imperitis caliginem obfunderet, oſtendit PETRVS DV COIGNET, vtpote quem auctorem libri, qui *anti-Cotton, ou refutation de la lettre declaratoire* &c. inſcribitur, &

ſine auctoris nomine Ponti-Muſſoni 1610. 8. prodiit, eſſe ferunt; qua de re tamen conferenda, quae ADRIANVS BAILLETVS diſputat, *des ſatyres perſonelles &c. tom. I. p. 130. ſeqq.* Liber vero hicce cum Ieſuitas male haberet, varia ſcripta pro defenſione COTTONI in lucem emiſſa fuerunt; vt *reſponſio apologetica contra anti-Cottoni & ſociorum criminationes*, Lugduni 1611. 8. ANDREAE EVDAEMO-IOANNIS, *confutatio anti-Cottoni, de caede regis chriſtianiſſimi*, Moguntiae 1611. 8. & alia, quae auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae* recenſet, *cap. II. poſit. IV.* §. *XIX. p. 134.* Eodem circiter tempore, quo COTTONVS ſocietatis ſuae cauſſam egit, idem etiam praeſtitit CLAVDIVS AQVAVIVA, praepoſitus Ieſuitarum generalis, edito anno 1610 decreto, quo Ieſuitis talia, quae auctoritati ac ſecuritati ſummorum imperantium aduerſantur, docere aut proponere interdicitur. Ipſi quoque Ieſuitae Pariſienſes anno 1612 in ſuprema curia Pariſienſi ſolemni declaratione, ſe ſententiam Sorbonnae, de regum auctoritate & ſanctitate calculo ſuo adprobare profitebantur. Sed & cum ANTONII SANCTARELLI, qui ex eadem ſocietate erat, *tractatus de haereſi, ſchismate, apoſtaſia*, de quo *lib. II. cap. VII.* ad §. *X.* dictum, anno 1625. Romae prodiiſſet, in quo multa regum ſummorumque imperantium auctoritati noxia continebantur; ſe eius ſua non facere placita, ſed ab iis potius diſſentire, teſtari coacti ſunt. Eoque ſpectat ſcriptum anno 1626 editum: *la doctrine des reverends peres de la compagnie de Ieſus, touchant le temporel des Rois, conforme aux ſaints conciles & decrets des papes*; quod *gallicinio in aliquot falſas damnatasque SanEtarelli adſertiones pro rege chriſtianiſſimo*, Pariſiis anno 1626 a BOVTERAIO (BOVTERAIE) pro Ieſuitis edito inſertum legitur. Hoc itidem obſeruat auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae l. c.* §. *XX. p. 135.* qui & addit, tria antea memorata ſcripta Ieſuitica captioſis ambiguisque aequiuocationibus ſcatere, BOVTERAIVM autem Ieſuitarum artibus fuiſſe deceptum, idque oſtendi *dans l'examen de quatre actes publiez de la part des Ieſuites 1610, 1612, 1626 contenans la declaration de leur doctrine, touchant de temporel des Rois*; quod cum quinto & vltimo exhibeatur *dans les traitez pour la defenſe de vniverſité de Paris contre les Ieſuites*, Pariſiis 1643. 8. Solet vero etiam reformatae eccleſiae doctoribus tribui, quod placita a monarchomachorum erroribus non multum diſſidentia foueant. Certe per noſtrae eccleſiae doctrinam ſecuritati ſummorum imperantium rectius, quam per illorum, conſuli adſerere non dubitauit HECTOR GOTTFRIEDVS MASIVS in libro, quem inſcripſit: *intereſſe principum circa religionem euangelicam*, Haffniae anno 1687. 4. edito. Cui cum 10. CHRISTOPHORVS BECMANNVS oppoſuiſſet *Bericht von der reformirten Lehre von der weltlichen Obrigkeit, ſamt einer Ablehnung der in Herrn Hect. Gottfriedi Maſii Buche von dem intereſſe der Fürſten bey der euangeliſchen religion, ihnen desfals aufgebürdeten Nachreden*, Francofurti ad Viadrum 1690. 4. varia hinc ſequuta ſunt ſcripta eriſtica, vtrimque in lucem emiſſa, quorum nonnulla indicaui *lib. II. cap. VII.* ad §. *IX.* quibus addi poſſunt, quae auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae* memorat, *l. c.* §. *XXII. p. 137.* Et quosdam ſane ex reformatae eccleſiae doctoribus talia interdum protuliſſe, quae monarchomachorum patrocinari ſententiae videntur, negari nequit. Idque vel DAVIDIS PAREI comprobari exemplo poteſt, cuius *commentarium in epiſtolam ad Romanos* eam ob cauſſam Iacobus I. Angliae rex manu carnificis comburi iuſſit. Immo & DAVID OWENVS,

NVS,

NVS, Angliae theologus, *anti-Pareum* ſcripſit; *ſeu determinationem de iure regio contra Dauidem Pareum*, Cantabrigiae anno 1622, cui tamen PHILIPPVS PAREVS, patris defenſionem in ſe ſuſcipiens, reſponſionem oppoſuit. Sed hoc iam a me obſeruatum *lib. II. cap. VII.* ad §. *IX.* Quemadmodum autem numquam apertius, quorſum tandem dogmata monarchomachica tendant, quam in regicidio iſto anglicano, quo Carolus I. rex vita priuatus fuit, patuit; ita qui iſtud defendere adgreſſi ſunt, inter monarchomachos primum praecipuumque iure meritoque tenere cenſentur locum. Princeps eorum iterum fuit IOANNES MILTONVS, cui ingenii & eruditionis non temere quis denegabit laudem, quod & varia, quae reliquit, abunde teſtantur ſcripta; licet nemo quoque non ſummam eius in defendendo facinore execrando improbaturus ſit impudentiam. Vitam eius IOANNES ille TOLANDVS dedit, anglice anno 1699 Londini 8. excuſam; quam etiam vna cum ſcriptis eius recenſet NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres, tom. II. p. 145. ſeqq.* add. & PETRVS BAELIVS *diction. hiſt. & crit.* voc. *Milton p. 2112. ſeqq.* Primum impietatis ſuae ſpecimen dedit in libro *de iure regum & magiſtratuum, vbi probatur, poſſe tyrannum accuſari, dignitate ſua priuari & capitali ſupplicio adfici*, anglice edito Londini anno 1649 & 1650. 4. Cum autem eodem tempore liber: *imago regis Caroli in aerumnis ſuis & ſollicitudine*, Hagae anno 1649 prodiiſſet, & per eum quorumdam, qui Carolo regi ſe oppoſuerunt, animi in Anglia commouerentur, MILTONVS iuſſu Cromwelli reſolutionem in ſe ſuſcepit, librumque: *iconoclaſtes; ſiue refutatio libri, cui titulus: icon regia*, inſcriptum edidit, anglice Londini 1649. 4. Sunt, qui ſcriptum iſtud: *icon regia* dictum, ab ipſo rege confectum adſerunt; ab aliis tamen IOANNES EARLES, qui a ſacris regis fuit, auctor eius eſſe perhibetur; ſed D. GAVDEN verum eius auctorem eſſe, ex GILBERTI BVRNETI *commentariis hiſtoriae magnae Britanniae* inſeruientibus refert ARMANDVS DE LA CHAPELLE *biblioth. angloiſe tom. XI. part. I. p. 150.* MILTONI autem *iconoclaſtes* plurimis in Anglia etiam ex presbyterianis diſplicuit: nec defuerunt, qui illi iterum reſponderent, quod & ab auctore libri: *icon ἄκλαςος; ſeu imago illaeſa*, factum. Spectant huc etiam *memoires du Roy d' Angleterre Charles I. au il eſt montré, que le livre intitulé: portrait du Roy de la grande Bretagne, eſt un livre aporté & diffamatoire*, Pariſiis 1649 4. Pro rege porro Carolo I. calamum ſtrinxit CLAVDIVS SALMASIVS, in *defenſione regia pro Carolo I. ad sereniſſimum magnae Britanniae regem Carolum II. filium natu maiorem, haeredem & ſucceſſorem legitimum*; ſumptibus regiis anno 1649. 12. non ſemel deinceps recuſa, & in gallicam quoque linguam conuerſa. Sed ſpei & exſpectationi, quam omnes animo de eo conceperant, non ſatisfecit SALMASIVS. Hinc cum MILTONVS illi *defenſionem pro populo anglicano* Londini anno 1651. fol. oppoſuiſſet, communis eruditorum ſententia fuit, SALMASIVM cauſſam regis optimam peſſime egiſſe, MILTONVM cauſſam populi peſſimam optime. Non ſine ratione auctor *bibliothecae imperantium quadripartitae* hac de re ita pronuntiat: *Quanta quanta enim, quamque erudita ſint, quae profert Salmaſius, inuenit in iis, quae merito reprehenderet Miltonius, vir Salmaſio certe, ſi argutum ac maledicum ſpectes dicendi genus, multo ſuperior, adeoque noſtro quidem iudicio, in Salmaſio confutando, quam populi iure adſerendo, felicior l. c. §. XXIV. p. 138.* CASPARIS ZIEGLERI deinceps calculo

 ſuo

ſuo adprobat effatum, quo *Miltonum etiam in dictis ſcripturae ſacrae interpolandis & eneruandis, ipſis Ieſuitis feliciorem, diabolo audaciorem*, iudicat. Interim non defuit ſibi SALMASIVS, ſed ad MILTONI defenſionem reſponſionem ſcripſit, Diuion. 1660. 4. eodemque anno Londini editam. Praeterea & PETRVS MOLINAEVS, iunior, contra MILTONVM in aciem prodiit, in libro compoſito, quem inſcripſit: *clamor regii ſanguinis ad coelum;* quem cum in Anglia illi non liceret in lucem proferre, eum ad ALEXANDRVM MORVM miſit, qui & addita praefatione illum excudi curauit Hagae Comitum anno 1652. 4. Atque hinc factum, vt nonnulli crederent, ALEXANDRVM MORVM libri iſtius auctorem eſſe, quod & ipſe MILTONVS ſibi perſuaſit, qui & ideo in *defenſione ſecunda pro populo anglicano contra infamem libellum anonymum, cui titulus: regii ſanguinis clamor*, Londini & Hagae Comitum anno 1654. 12. edita, MORVM conuitiis atrociſſimis adgreſſus eſt. Hic autem ea re permotus, iterum contra MILTONVM librum, *fides publica* inſcriptum, edidit Hagae Comitum 1654. 8. cui MILTONVS *defenſionem pro ſe contra Alexandrum Morum* oppoſuit; conf. NICERONIVS, *l. c. p. 155.* & *156.* MILTONO autem ſe etiam oppoſuit IOAN. BRAMMALVS, cuius *pro rege & populo anglicano apologia contra Ioannis Miltonii defenſionem*, ſine auctoris nomine, Antwerpiae lucem adſpexit anno 1651. 12. At cenſorem nactus eſt IOANNEM PHILIPPI, Anglum, in *reſponſione ad apologiam anonymi cuiusdam tenebrionis pro populo anglicano*, Londini 1652. 8. & 12. quam quidem *reſponſionem*, ſi non ab ipſo MILTONO, certe eius conſilio & inſtinctu ſcriptam fuiſſe, viri docti arbitrantur. Sunt & alii, qui MILTONVM refutarunt, quemadmodum & ingens adhuc illorum ſupereſt numerus, qui regicidium illud anglicanum improbando, principia ſimul & fundamenta monarchomachorum, quamquam non pari omnes ſucceſſu, labefactarunt: quos cum auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae*, ſaepe nobis iam laudatus *l. c.* §. *XXVI. p. 140. ſeqq.* recenſeat, vt de iis aliquid dicamus, neceſſe non eſt, cum praecipuorum tantum nobis conſtitutum fuerit mentionem facere. Dignus tamen prae reliquis eſt CASPAR ZIEGLERVS, qui adhuc commemoretur, ob *diſſertationes octo circa regicidium Anglorum*, Lipſiae anno 1652. 12. editas, & deinceps tum Lugduni Batauorum, tum Amſtelodami recuſas. Is enim fuit ZIEGLERVS, a quo nihil, niſi eximium atque egregium, proficiſci potuerit.

p. 299. qui matheſeos in theologia, ſpeciatim ſcripturae ſacrae explicatione &c.) Prae reliquis adhuc commendandus vir doctiſſimus IOANNES BERNARDVS WIDEBVRGIVS noſter, qui haud ita pridem laudabili inſtituto *matheſin biblicam* edere coepit, cuius *ſpecimen primum, exhibens explicationes locorum mathematicorum, quae in geneſi occurrunt*, Ienae anno 1727. 4. prodiit; quod deinceps *ſpecimen ſecundum, exhibens explicationes locorum mathematicorum, quae in quatuor poſterioribus pentateuchi libris occurrunt*, eodem anno excepit, itemque *ſpecimen tertium, exhibens explicationes locorum mathematicorum, quae in libris Ioſuae, Ruth, Samuelis & regum occurrunt*, anno 1728 porro *ſpecimen quartum, exhibens explicationes locorum mathematicorum, quae in libris chronicorum, Esdrae, Nehemiae & Iobi occurrunt*; eodem anno; & denique *ſpecimen quintum, exhibens explicationes locorum mathematicorum, quae in hagiographis & apocryphis ſcripturae libris occurrunt;* anno 1729.

p. 303. Exotericam etiam recte catecheticam &c.) Cum itaque catecheticae theologiae omnino hic habenda ſit ratio, quem-

quemadmodum & in ſequentibus habita fuit; non abs re fuerit, eos hic indicare, qui eius concinnare hiſtoriam adgreſſi ſunt. Id namque noſtra aetate viri quidam docti diligenter praeſtiterunt; quos inter primum nobis commemorandus eſt CHRISTIANVS FRIDERICVS WILISCHIVS, cuius extat *diſſertatio hiſtorico-theologica, hiſtoriam catecheticam breuiter delineans*, Altenburgi anno 1718. 4. In ea *cap. I.* de *catechiſmo eiusque hiſtoria* generatim diſſerit, ſimulque ſcriptores, qui nomen & methodum catecheticam ad alia argumenta transtulerunt, itemque qui *catechiſmos hiſtoricos* dederunt, recenſet; *cap. II.* de *catechiſmis ante Lutherum*, *cap. III.* de *catechiſmo Lutheri*; *cap. IV.* de *catechiſmo Tridentino aliisque pontificiorum poſt Lutherum*; *cap. V.* de *catechiſmo Heidelbergenſi; ſiue Palatino, aliisque, qui ſunt Caluinianorum, ſiue reformatorum*; *cap. VI.* de *catechiſmo Racouienſi, qui eſt Photiniano-Socinianorum*, verba facit; *ſyllogen* praeterea *auctorum catecheticorum ad pleniorem aliquando hiſtoriam catecheticam facientium*, ſubiunxit. Sequutus deinde eſt CHRISTOPHORVS HEINRICVS ZEIBICHIVS, germanicaque lingua ſcripſit: *Weimariſche Catechiſmus-Hiſtorie*, Vinariae anno 1727. 8. qua in commentatione licet ſpeciatim ad hiſtoriam catechiſmi Vinarienſis reſpiciat; ſimul tamen originem & fata catechiſmi generatim ſpectati per omnia fere ſaecula exponit. His denique acceſſit GREGORIVS LANGEMACK, Sundenſium antiſtes doctiſſimus, qui & omnium ſuperauit diligentiam. *Hiſtoriae* eius *catecheticae, oder geſammleter Nachrichten zu einer catechetiſchen hiſtorie, pars prima* prodiit Sundii anno 1729. 8. in qua catecheſes a primo chriſtianae eccleſiae initio vsque ad tempora reformationis per omnia ſaecula diligenter recenſet, ſimulque de falſo ſic dictis catechiſmis, de ſchola catechetica Alexandrina, de catecheſibus CYRILLI, Waldenſium, Wicleſitarum, Huſſitarum, fratrum Bohemorum, antiquis Germanorum monumentis catecheticis, copioſe diſſerit. In *parte ſecunda* de catechiſmo LVTHERI, eiusque elogiis & verſionibus, item, quo pacto tum a pontificiis, tum a reformatis, ſpeciatim crypto-Caluinianis corruptus ſit, porro de ERASMI MONHEMII, aliisque ſaeculi decimi ſexti, decimi ſeptimi, & decimi octaui catechiſmis, aliisque eiusdem generis capitibus verba faciet. In *parte* denique *tertia* de catechiſmis pontificiorum, ſpeciatim romano & Caniſii, reformatorum, ſpeciatim Palatino, Ruthenorum, Mennonitarum, Quackerorum, Socinianorum, indifferentiſtarum, miſſionariorum &c. aget.

AD LIBRI II. CAP. I.

P. 305. Conſulere etiam hac de re iuuabit Ioannem Benedictum Carpzouium &c.) aut, ſi mauis, IOANNEM HENRICVM WOLFFIVM, qui reſpondentis munere, cum iſta diſputatio eruditorum examini ſubmitteretur, functus eſt. Idem etiam vir clariſſimus librum R. DAVIDIS VIDAL, מכתם לדוד *aureum carmen Dauidis* inſcriptum, in quo itidem de tredecim iſtis articulis fidei iudaicae praecipit, cum verſione latina & adnotationibus edere, ſecum conſtituit; immo verſionem praefationis, cum annotationibus, vt ſpecimen ſui laboris daret, iam edidit: quae inſerta eſt *actis germanicis eruditorum, part. CXV. num. II. p. 458. ſeqq.* In *adnotationibus* ad iſtam *praefationem* auctor reliquos etiam, qui ex Iudaeis de tredecim iſtis articulis commentati ſunt, indicat.

p. 306. Neque tamen in hisce verbis com-

compendium aliquod catecheticum &c.) Verba haecce apoſtoli de inſtitutione catechetica intelligenda eſſe, omnes inter ſe conueniunt. At de ipſis, quae hic indicantur, doctrinae catecheticae capitibus, non vna eademque omnium eſt ſententia. Dogmata de *poenitentia ab operibus mortuis*, & de *fide in Deum*; itemque de *reſurrectione a mortuis*, & *ſupplicio aeterno*, inter capita catechetica referenda eſſe, nemo temere dubitauerit. Ad reliqua autem quod attinet, primum obſeruandum, eſſe nonnullos, qui ea ita diſtinguunt: βαπτισμῶν, διδαχῆς, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν, vt adeo tria hic indicentur capita, *baptiſmi, doctrina*, & *impoſitio manuum*. Deinde, cum tria haecce capita ad dogmata catechetica referri non poſſe exiſtiment, ea ideo tantum hic commemorari contendunt, quod per ea Iudaei & ethnici, qui religionem chriſtianam amplectebantur, veluti initiati ac in eccleſiam chriſtianam recepti ſunt; vnde & parentheſi ſint includenda: hunc in modum: *non iacentes fundamentum reſipiſcentiae ab operibus mortuis & fidei in Deum* (*baptiſmis, doctrina & manuum impoſitione*) *& reſurrectionis mortuorum, & iudicii aeterni.* Nimirum cum quis ex Iudaeis aut ethnicis ad chriſtianorum ſacra accedere volebat, is primum inſtituendus; ſeu erudiendus erat, idque per διδαχὴν Paulum ſignificaſſe putant; tum baptizandus erat; cum baptiſmo autem coniuncta erat manuum impoſitio. Ita GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS *de tribus nouellarum naſcentis eccleſiae initiamentis* §. *XIII. ſeqq.* cui etiam ſuffragatur GREGORIVS LANGEMACK in *hiſtoria catechetica part. I. cap. III. p. 48.* Alii autem vocem διδαχὴ cum βαπτισμῶν & ſequentibus iungunt, manuumque impoſitionem de miniſterio eccleſiaſtico intelligunt, adeoque & hoc inter doctrinae catecheticae capita referunt; qua quidem ratione & nulla opus fuerit παρενθέσει. Sex itaque ab apoſtolo contendunt hic commemorari doctrinae catecheticae capita, quorum duo priora, *poenitentia & fides in Deum*; ſeu *Chriſtum*, ipſas veri chriſtianiſmi partes, conſtituant, quum nemo ius ac priuilegium ſocietatis chriſtianae ſibi attribuere poſſit, niſi per regenerationem conuerſionemque ac poenitentiam liberatus ſit a ſtudiis rerum ſaeculi, hisque remiſerit nuntium; hoc autem facto ſe vnice ad Chriſtum, ſeruatorem generis humani, contulerit, eiusque merita ſumma fiducia ſit amplexus ac propter haec ad priſtinam Dei gratiam redierit; duo, quae ſubſequuntur capita, de *baptiſmo* atque *impoſitione manuum* ſeu miniſterio eccleſiaſtico ad media pertineant, quae Deus eum in finem praeſcripſerit ac conſtituerit, vt vſu illorum homines fidem adſequi, hocque nomine earum rerum participes fieri poſſint, quae ad veram hominis chriſtiani indolem comparandam ſunt neceſſariae; reliqua denique reſpiciant ad ipſum finem, ſiue metam chriſtianis propoſitam, ſeu ſempiternam felicitatem; ad quam tamen cum tum demum perueniant, quando mortui ad priſtinam a Chriſto reuocati ſunt vitam, extremumque inſtitutum eſt iudicium, *reſurrectionis* quoque *mortuorum* & *ſupplicii aeterni* apoſtolum mentionem facere. Hunc in modum nexum capitum iſtorum praecipuorum doctrinae catecheticae exhibet IOAN. GEORGIVS VVALCHIVS in *diſſertat. de apoſtolorum inſtitutione catechetica*, in qua tum reliqua ad catecheticam doctrinam apoſtolorum ſpectantia perſequitur, tum ſpeciatim de hocce loco copioſe diſſerit, praeſertim §. *IV. ſeqq.* Conferenda & IOANNIS FECHTII *exercitatio exegetico-hiſtorico-polemica de forma catecheſeos Paulinae* ad locum *Ebr. VI. 1. 2.* Non autem exiſtimandum, ac ſi ſex iſtis capitibus tota inſtitutio catechetica abſoluta fuerit. Praeter-

Praeterquam enim quod Paulus quaedam tantum, non omnia doctrinae catecheticae capita indicare voluerit; haec ipſa etiam, quae commemorauit, cum aliis pluribus tam arcto vinculo coniuncta ſunt & colligata, vt neutiquam aut ab auditoribus recte intelligi, aut ab apoſtolo rite explicari potuiſſent, niſi iſtorum quoque pleniorem tradidiſſet notitiam. Illuſtrari haec quodammodo poſſunt ex *conſtitutionibus apoſtolicis*, in quibus *lib. VII. cap. XXXIX. p. m. 382.* edit. IO. BAPT. COTELERII, quo pacto catechumeni inſtitui debeant, hunc in modum docetur: *ὁ μέλλων τοίνυν κατηχεῖσθαι τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας, παιδευέσθω πρὸ τοῦ βαπτίσματος τὴν περὶ τοῦ ἀγεννήτου γνῶσιν, τὴν περὶ υἱοῦ μονογενοῦς ἐπίγνωσιν, τὴν περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πληροφορίαν. μανθανέτω δημιουργίας διαφόρου τάξιν, προνοίας εἱρμὸν, νομοθεσίας διαφόρου δικαιωτήρια. παιδευέσθω διατί κόσμος γέγονε, καὶ διʼ ὃ κοσμοπολίτης ὁ ἄνθρωπος κατέστη· ἐπιγινωσκέτω τὴν ἑαυτοῦ, οἵα τις ὑπάρχει. παιδευέσθω ὅπως ὁ Θεὸς τοὺς πονηροὺς ἐκόλασεν ὕδατι καὶ πυρὶ, τοὺς δʼ ἁγίους ἐδόξασε καθʼ ἑκάστην γενεάν. λέγω δὲ τὸν Σὴθ κ. τ. λ. προσκυνείτω δὲ ὁ χειροθετῶν αὐτὸν, τὸν Θεὸν τὸν τῶν ὅλων δεσπότην εὐχαριστῶν ὑπὲρ τοῦ πλάσματος. ὅτι κατέπεμψε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ Χριστὸν, ἵνα σώσῃ τὸν ἄνθρωπον ἐξαλείψας τὰς ἀνομίας καὶ ἵνα ἀφῇ τὰς ἀσεβείας καὶ τὰς ἁμαρτίας, καὶ καθαρίσῃ ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, κ. τ. λ. καὶ μετὰ τὴν εὐχαριστίαν ταύτην παιδευέτω αὐτὸν τὰ περὶ τῆς τοῦ κυρίου ἐνανθρωπήσεως, τά τε περὶ τοῦ πάθους αὐτοῦ, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως καὶ ἀναλήψεως.* *Qui ergo ad doctrinam pietatis inſtruendus eſt, erudiatur ante baptiſmum, in ſcientia de ingenito, in cognitione de filio vnigenito, in perſuaſione certa de ſpiritu ſancto. Diſcat creationis diuerſae ordinem, prouidentiae ſeriem, variae legislationis tribunalia. Erudiatur, quare mundus ſit factus, & cur mundi ciuis homo conſtitutus ſit. Agnoſcat naturam ſuam quaenam ſit. Doceatur, quomodo Deus improbos aqua & igne punierit; ſanctos vero per ſingulas aetates honore & gloria decorauerit, Sethum dico &c. Qui autem manus ei imponit, adoret Deum, vniuerſorum dominum, gratias agens pro creatura eius; quod miſerit filium ſuum vnigenitum Chriſtum, vt ſaluet hominem, deletis iniquitatibus, vtque remittat impietates ac peccata, & purget ab omni inquinamento carnis & ſpiritus &c. Poſt vero gratiarum actionem hanc, doceat eum de domini incarnatione, & de paſſione eius, reſurrectione ex mortuis, & adſumptione.* Quae quidem eo lubentius recitauimus verba, quoniam exemplum catecheſeos in veteri eccleſia receptae, praebent.

p. 309. cum praecipuus eius ſcopus ſit, refutare gentiles &c.) Hinc & inter ſcriptores, qui veritatem chriſtianae religionis adſeruerunt, referri ſolet; quod & HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS fecit, qui ex inſtituto de eo differit, & *trium* iſtorum *ad Autolycum librorum* ſummam exhibet in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der alten Kirchen-Lehrer von der Wahrheit vnd Göttlichkeit chriſtlicher religion, part. II. cap. III. p. 184.* add. IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. qui veritatem religionis chriſt. aduerſus atheos &c. adſeruerunt, cap. X. §. 55. ſeqq.* Verſionem germanicam *trium* iſtorum THEOPHILI *ad Autolycum librorum* haud ita pridem dedit GVSTAVVS CHRISTOPHORVS HOSMANNVS; qui & praeter *praefationem adnotationes* quaſdam addidit. Inſcribitur: *des heiligen Theophili, ſechſten Biſchoffs zu Antiochia, drey Bücher an Autolycum, einen gelehrten Heyden, darin der Aberglaube beſchämet, vnd die chriſtliche religion beſchützet wird, aus dem griechiſchen überſetzet, vnd mit einer Vorrede vnd Anmerckungen vermehret &c.* Hamburgi anno 1729. 8.

p. 310. Naenorum eum non expertem eſſe,

eſſe, oſtendunt &c.) Iungendus his IOAN. CLERICVS, qui animaduerſiones quasdam ad hocce THEOPHILI opus exhibet in *hiſtor. eccleſ. duorum primorum a Chriſto nato ſaeculor.* ad *an. CLXVIII.* §. *II. ſeqq. p. 717. ſeqq.* Adſpergit autem nonnulla vir doctiſſimus, quae accuratius examen promerentur, quod tamen inſtituere huius loci non eſt.

p. 313. Inter quarti ſaeculi ſcriptores &c.) Praetermittenda quoque hic non ſunt & alia quaedam doctorum quarti ſaeculi ſcripta catechetica, quae a nonnullis commemorari ſolent. Sic GREGORII Nyſſeni extat λόγος κατηχητικὸς ὁ μέγας, *ſermo catecheticus magnus*, in quadraginta diuiſus capita, *tomo II.* operum eius *p. 475. ſeqq.* In quo tamen ea praecipue tractat capita, quae Iudaeis, gentilibus, cumprimis autem iſtius temporis haereticis opponenda erant. Ad eos namque, qui a Iudaeis, aut gentilibus, aut haereticis ad eccleſiae chriſtianae tranſibant caſtra, & verae doctrinae elementis imbuendi erant, ſe reſpexiſſe, ipſemet indicat. Hinc cum monuiſſet aliis opinionibus anticipatum eſſe, qui ſtat a partibus Iudaeorum, aliis, qui fauet Graecis, anomaeumque & Manichaeum, & Marcioniſtas, & Valentinianos, & Baſilidianos, ſubiicit: κατὰ γὰρ τὸ εἶδος τῆς νόσου καὶ τὸν τρόπον τῆς θεραπείας προσαρμοστέον. οὐ ταῖς αὐταῖς θεραπεύσεις, τοῦ Ἕλληνος τὴν πολυθεΐαν, καὶ τοῦ Ἰουδαίου τὴν περὶ τὸν μονογενῆ θεὸν ἀπιστίαν, οὐδὲ ἀπὸ τῶν αὐτῶν τοῖς κατὰ τὰς αἱρέσεις πεπλανημένοις ἀνατρέψεις τὰς ἠπατημένας περὶ τῶν δογμάτων μυθοποιΐας. *Nam conuenienter generi morbi medicina adhibenda eſt. Non eodem modo medeberis & Graeco, qui multos eſſe Deos opinatur, & Iudaeo, qui non credit Deo vnigenito. Neque in iis, qui decepti ſunt per haereſes, iisdem refelles & euertes falſas & confictas de dogmatibus fabulas.* Vnde, cuiusmodi illa oratio catechetica ſit, haud difficulter intelligetur. Praeter GREGORIVM Nyſſenum hic etiam commemorandus BASILIVS magnus, idque praecipue ob *libros duos de baptiſmo*, qui extant *tomo I.* operum eius *p. m. 548. ſeqq.* in quibus, quo pacto inſtruendi ac commonefaciendi ſint, qui ad baptiſmum accedebant, aut eum iam acceperant, condocet; quamuis ad vitae potius rationem recte inſtituendam, quam ad dogmata reſpiciat. Prior liber tribus conſtat capitibus, poſterior autem quaeſtionibus quibusdam ac reſponſionibus abſoluitur. Refertur huc etiam a nonnullis, quae ſub eiusdem BASILII nomine extat ἔκθεσις πίστεως ἐν συντόμῳ *expoſitio fidei in compendio*, in STEPHANI LE MOYNE *variis ſacris tom. 1. p. 147. ſeqq.* Diuerſa omnino eſt ab eiusdem ſermone de *fidei confeſſione*; ſeu *de vera ac pia fide*, qui *tomo II.* operum eius exſtat *p. 384. ſeqq.* de quo & dictum *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *V. p. 418.* Nec vero ἔκθεσις illa omnia doctrinae catecheticae capita continet, ſed tantum quaedam de ſacro-ſancta trinitate, & de Chriſto. Cumque admodum breuis ſit, nihil obſtat, quo minus eam hic integram repetamus: Ἐρώτησις. πόσας φύσεις ὁμολογεῖς ἐπὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ ἀκτίστου τριάδος; ἀπόκρισις. μίαν φύσιν ὁμολογῶ. *Interrogatio: quot naturas confiteris in ſancta, conſubſtantiali, & increata trinitate? reſponſio: vnam naturam confiteor.* Ἐρ. πόσας οὐσίας; ἀπόκρισ. μίαν οὐσίαν. *Inter. Quot eſſentias? reſp. vnam eſſentiam.* Ἐρ. πόσας μορφάς; ἀπ. μίαν μορφήν. *Int. Quot formas? reſp. vnam formam.* Ἐρ. πόσα θελήματα; ἀπ. ἓν θέλημα. *Int. Quot voluntates? reſp. vnam voluntatem.* Ἐρ. πόσας ὑποστάσεις ἤγουν πρόσωπα; ἀπ. τρεῖς ὑποστάσεις ὁμολογῶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. *Int. Quot hypoſtaſes ſeu perſonas? reſp. tres perſonas confucor, patrem, filium, & ſpiritum ſanctum.* Ἐρ. τίς τῆς ἁγίας τριάδος ἐνηνθρώπησεν; ἀπ. ὁ υἱὸς καὶ λόγος. *Int. Quaenam perſona ſanctae trinitatis eſt incarnata? reſp. filius ſiue verbum.* Ἐρ.

πόσας

πόσας φύσεις ὁμολογεῖς ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντος; ἀπ. δύο φύσεις ὁμολογῶ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος. *Int. Quot naturas confiteris in filio Dei, qui pro nobis eſt incarnatus? reſp. duas naturas confiteor diuinam & humanam.* Ἐρ. πόσας οὐσίας; ἀπ. δύο οὐσίας ὁμολογῶ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον τῇ μητρὶ καὶ ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. *Int. Quot eſſentias? reſp. duas eſſentias confiteor; eſt quippe conſubſtantialis & coëſſentialis patri ratione diuinitatis; eſt vero eſſentialis & conſubſtantialis matri & nobis omnibus, ratione humanitatis.* Ἐρ. πόσα θελήματα; ἀπ. δύο θελήματα ὁμολογῶ, θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος. *Int. Quot ſunt in illo voluntates? reſp. duas voluntates agnoſco, vnam diuinitatis, alteram humanitatis.* Ἐρ. πόσας ἐνεργείας; ἀπ. δύο ἐνεργείας ὁμολογῶ *Int. Quot operationes? reſp. duas operationes confiteor.* Ἐρ. πόσας ὑποστάσεις; ἀπ. μίαν ὑπόστασιν ὁμολογῶ τοῦ θεοῦ λόγου. *Int. Quot hypoſtaſes? reſp. vnam hypoſtaſin confitẽor, verbi Dei.* Ἐρ. πόσας γεννήσεις; ἀπ. δύο γεννήσεις ὁμολογῶ, τὴν προαιώνιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἀχρόνως καὶ ἀσωμάτως, ἐξέλαμψε γὰρ ἐκ τοῦ πατρὸς ὡς ἐξ ἡλίου τὸ φῶς, καὶ τὴν ἐπ' ἐσχάτων ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας τῆς θεοτόκου θεὸς μέγας ἄναρχος, ἀόρατος, ἀκατάληπτος, ἀπερίγραπτος, ἀπεριόριστος, γινώσκων καρδίας πάντων ἀνθρώπων. ὑφ' ἓν δὲ καὶ οὐκ ἀναμερῶς ταύτην τὴν ἔκθεσιν ὁ γινώσκων, ἀληθῶς οὗτος Ισραηλίτης ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστιν· *Int. Quot generationes? reſp. duas generationes confiteor, vnam aeternam ſine tempore & corpore; emanauit enim, vt ſplendor a patre, ſicut lumen a ſole; aliam vero, quae contigit vltimis temporibus, cum ex ſancta virgine Maria, Deipara, natus eſt Deus magnus, inprincipiatus, inuiſibilis, incomprehenſibilis, incircumſcriptus, interminabilis, ſcrutator cordium omnium hominum. Qui integre & non per partes, hanc expoſitionem cognoſcit & profitetur, ille reuera eſt Iſraëlita, in quo nullus eſt dolus.* Eiuſdem generis ſunt & alia quaedam monumenta, ab eodem STEPHANO LE MOYNE *l. c. p. 124. ſeqq.* producta, non quidem totam doctrinam catecheticam, ſed tantum capita quaedam de trinitate perſonarum & de Chriſto exhibentia, vt σύντομος καὶ ἀληθινὴ πίστις ἡμῶν τῶν χριστιανῶν, *compendioſa & vera fides noſtra chriſtiana*, item σύντομος καὶ σαφὴς διάγνωσις τῆς πίστεως ἡμῶν τῶν χριστιανῶν, *breuis elucidatio, qua fides noſtra chriſtiana dignoſcitur*; porro: διδασκαλία σύντομος περὶ φύσεως καὶ πῶς πιστεύειν ὀφείλομεν, *breuis inſtructio de natura & quomodo credere debeamus.* Quae quouſque hic locum inueniant, facile diiudicare licet. GREGORIVS Nazianzenus commemorandus hic itidem videtur ob orationem εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα *in ſanctum baptiſma*; quae eſt *quadrageſima* & *tomo I.* operum eius *p. 637. ſeqq.* exſtat, non aliam tamen ob cauſſam, quam quod circa finem capita quaedam fidei recenſeat, quae credi ab illis debeant, qui baptiſmo initiandi eſſent. Totam ergo doctrinam catecheticam hic fruſtra quaeſiueris. In iis etiam, quae profert, ad haereſes praecipue ſui temporis reſpicit. Incipit a rerum huius vniuerſi creatione, atque tum πίστευε, inquit, μὴ οὐσίαν τινὰ τοῦ κακοῦ εἶναι, μήτε βασιλείαν, ἢ ἄναρχον, ἢ παρ' ἑαυτῆς ὑποστᾶσαν, ἢ παρὰ τοῦ θεοῦ γενομένην, ἀλλ' ἡμέτερον ἔργον εἶναι τοῦτο καὶ τοῦ πονηροῦ. ἐκ τῆς ἀπροσεξίας ἐπεισελθὸν ἡμῖν, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ κτίσαντος. *Crede nullam mali eſſentiam eſſe, nec regnum, aut principii expers, aut a ſe ipſo ſubſiſtens, aut a Deo creatum; ſed noſtrum opus hoc eſſe & praui illius; ipſum enim ex incuria & ſocordia ad nos irrepſiſſe, non autem a creatore; p. 671.* Manichaeis enim haec oppoſita eſſe, nemo non perſpicit. Atque eiuſdem quoque generis ſunt IOAN. CHRYSOSTOMI quaedam homiliae, in quibus de baptiſmo agit. Solemne namque erat veteris eccleſiae doctoribus in ſermonibus ſuis, quibus catechumenos ad baptiſ-

baptiſmum praeparabant, ſumma quaedam doctrinae chriſtianae capita attingere, in quibus adeo veſtigia quaedam inſtitutionis catecheticae adparent. Ex haereticorum vero etiam numero hic commemorandus eſt EVNOMIVS, Arianae factionis homo, & quidem ſectae ánomaeorum poſt Aëtium princeps. Namque & hic, ſi nonnullis credimus, catecheſin ſcripſit, quae hodie adhuc exſtat. SAMVEL MARESIVS in *epiſtola* ad BALTHASAREM BECKERVM, *vtinam*, inquit, *miſſis his catecheticis, ex quibus nouas rixas metuo, bonas tuas horas impendiſſes in latinum transferendae & refutandae catecheſi Eunomii, quam manuſcriptam graece adſeruat illuſtris noſter Voſſius; id feciſſes minori tuo periculo & maiori cum gloria*; apud MICHAELEM LILIENTHALIVM, qui integram MARESII epiſtolam exhibet in *ſelectis hiſtoricis & literariis obſeruat. II. p. 32. ſeqq.* Sed hancce EVNOMII *catecheſin* nihil aliud eſſe, quam eiusdem ἀπολογητικὸν, ſiue *defenſionem doctrinae ſuae*, cui BASILIVS magnus ἀντιῤῥητικὸν κατὰ δυσσεβοῦς Εὐνομίου *antirrheticum aduerſus impium Eunomium libris quinque* oppoſuit, & de qua iam ex inſtituto verba fecimus *lib. II. cap. VII.* ad §. *IV.* viris doctis obſeruatum eſt. Catecheſeos autem ideo forte hoc opus inſignitum eſt nomine, quod EVNOMIVS in eo id praecipue agat, vt doctrinam ſuam exponat. Idque vt eo maiori cum ſpecie facere poſſet, apologiam quamdam doctrinae ſuae ſe ſcribere, prae ſe tulit. Idque etiam recte ipſi obſeruatum eſt BASILIO: πρῶτον μὲν γὰρ αὐτῷ πάντων κακούργημα, τὸ σχῆμα τοῦτο τῶν λόγων ἐπινοῆσαι, ἐν ἀπολογίας εἴδει τὴν διδασκαλίαν συνθεῖναι, ἵνα μὴ δόξῃ προηγουμένως ποιεῖσθαι τῶν δογμάτων τῆς ἀσεβείας τὴν ἔκθεσιν, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης ἐπὶ τοὺς λόγους τούτους ἐληλυθέναι· ἐβούλετο μὲν γὰρ ἐκ παντὸς τρόπου τὸ πονηρὸν τοῦτο καὶ ἄθεον περιαγγεῖλαι κήρυγμα, καὶ εἰς μέσον ἐνεγκεῖν ὃ πάλαι συνέλαβε καὶ ὤδινε βλασφημίαν· *Prima enim ipſi verſutiſſime ſimulatio haec ſcribendi excogitata eſt, vt in ſpeciem apologiae ac defenſionis doctrinam ſuam componat, ne ſponte impia dogmata exponere, ſed coactus ad huiusmodi orationem perueniſſe videatur. Nam omni pacto prauam hanc & ſine aliqua religione praedicationem edere, ac in medium adferre, quam olim concepit & peperit iniquitatem, cupiebat; aduerſus Eunomium lib. I. tom. I.* operum *p. m. 696.*

ibid. cum, vt alia taceam, nexus ac ordo ſyſtematicus &c.) Ordinem quemdam atque nexum in catecheſi ipſemet deſiderat CYRILLVS, quando νόμισόν μοι, inquit, οἰκοδομὴν εἶναι τὴν κατήχησιν. ἐὰν μὴ κατὰ ἀκολουθίαν δεσμοῖς οἰκοδομῆς ἁρμολογήσωμεν τὸν δόμον, ἵνα μὴ εὑρεθῇ τι χαῦνον, καὶ σαθρὰ γένηται ἡ οἰκοδομή· ἀλλὰ δεῖ κατὰ ἀκολουθίαν λίθον μὲν λίθῳ ἀκολουθεῖν, καὶ γωνίαν γωνίᾳ ἕπεσθαι ἀποξεόντων δὲ περισσὰ, οὕτω δὲ λείαν οἰκοδομὴν ἀναβαίνειν· *Aedificium quoddam eſſe intelligas catecheſin, ac niſi ordine vinculis conſtringamus ſtructuram, ne quid laxum & hians reperiatur, debile fiet aedificium. Sed oportet lapidi lapidem opponi, & angulum angulo coniungi, atque ſuperfluis abſciſſis, perfectas aedes efficere,* in *praefat. §. VI. p. 9.* Sed qualem ordinem & nexum intelligat, CYRILLVS ipſemet nos condocet, dum ſtatim ſubiungit: οὕτω προσφέρομέν σοι λίθους ὥσπερ γνώσεως· δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ Θεοῦ ζῶντος· δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ κρίσεως· δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ Χριστοῦ· δεῖ ἀκούειν τὰ περὶ ἀναστάσεως, καὶ πολλά ἐστιν ἀκολούθως λεγόμενα, νῦν μὲν σποράδην εἰρημένα, τότε δὲ κατὰ ἁρμονίαν προσφερόμενα· *Ad eumdem modum, adferimus tibi tamquam lapides cognitionis. Audire oportet de Deo viuente; audire opus eſt de iudicio; audire oportet de Chriſto; audire neceſſe eſt de reſurrectione, & alia permulta ex ordine dicenda ſunt. quae nunc tantum ſummatim recenſentur, deinceps vero ſuo loco ſatis explicabuntur.* Nihil minus hic, quam ordinem

Digitized by Google

dinem & nexum ſyſtematicum inuenias.

ibid. vt credam, haſce catecheſes a Cyrillo iſto Hieroſolymitano non eſſe profectas &c.) Non tantum ANDREAS RIVETVS, ſed & ROBERTVS COCVS, EDMVNDVS ALBERTINVS, IOAN. HENRIC. HOTTINGERVS, PETRVS MOLINAEVS, aliique ex reformatis; ex noſtratibus autem IOANNES GEORGIVS DORSCHEVS & IOANNES HVLSEMANNVS, γνησιότητα, antiquitatem, & integritatem *catecheſeos* CYRILLI in dubium vocarunt. Id quod pontificii, vt argumentum deſperatae proteſtantium cauſſae, eo, quod viderent, CYRILLVM nimis aperte ipſorum refragari dogmatibus, interpretati ſunt. Et ad reformatos quidem quod attinet; mirum non eſt, quod *catecheſes* hae illis diſpliceant: cum in iis praeſentia realis corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra coena tam luculenter adſeratur, vt, quod ad iſtud teſtimonium excipere queant, nihil eis ſit relictum. Conferenda, quae dixi *inſtitut. theolog. dogm. tom. II. lib. V. cap. I.* ad §. *XXIII. p. 1586.* Interim ex iisdem GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, GEORGIVS BVLLVS, GVILIELMVS CAVEVS, THOMAS MILLES, aliique γνησιότητα iſtarum *catecheſeon* agnouerunt: quod & noſtrates hodie facere, conſtat. Nec vllam nobis rationem eſſe, eas repudiandi, cum in omnibus doctrinae ſacrae capitibus, certe iis, ſuper quibus cum pontificiis nobis controuerſia intercedit, CYRILLVS, in *catecheſibus* iſtis, pulcherrime nobiscum conſentiat; ſecus ac ANTONIVS AVGVSTINVS TOVTTAEVS orbi perſuadere voluit; euidenter & erudite demonſtrauit SALOMO DEYLINGIVS in *diſſertatione, qua ſanctum Cyrillum Hieroſolymitanum a corruptelis pontificiis, quas recentiſſimus eius elucidator Antonius Auguſtinus Touttaeus aliique ei adfinxerunt, purgauit & vindicauit*, Lipſiae anno 1726. 4. Ceterum cum CYRILLVS in ſuſpicionem, ac ſi Arianis fuiſſet ſuffragatus, veniſſet, praeter alios & TOVTTAEVS defenſionem eius in ſe ſuſcepit; eumque in finem adſerit, controuerſiam περὶ τοῦ ὁμοουσίου & de tribus hypoſtaſibus eo tempore fuiſſe meras λογομαχίας; Euſebianos, pariter ac eos, qui cum ATHANASIO faciebant, CYRILLO aeque ſuſpectos fuiſſe; vtpote adfectui ſuo nimium indulgentes, & in errore verſantes; potuiſſe CYRILLVM ab Acacio Caeſarienſi in ordinem ſacrum recipi, cum hic eo tempore aperte Arianismum nondum profeſſus eſſet. Quae eius adſerta cum non ſine cenſura dimittenda putarent auctores *des memoires de Trevoux, anno MDCCXXI. menſ. Decembr. art. CII. p. 2352.* anonymus quidam, vt TOVTTAEI cauſſam ageret, edidit *diſſertation ſur les ſemi-Ariens, dans laquelle on defend la nouvelle edition de ſaint Cyrlle de Ieruſalem contre les auteurs des memoires de Trevoux*, Pariſiis 1722. in 12. vid. *iournal des ſçavans MDCCXXIII. menſ. Ianuar. p. 76. ſeqq.* Conferendus etiam PHILIPPVS LE CERF, *dans la bibliotheque hiſtorique & critique des auteurs de la congregation de ſaint Maur, p. 294.* vbi nos condocet, diſſertationis iſtius auctorem eſſe PRVDENTIVM MARANVM, eiusdem congregationis ſancti Mauri monachum.

p. 315. qui erat, impugnare gentiles &c.) Hinc & *libri* iſti *ſeptem diuinarum inſtitutionum*, inter ſcripta, quibus chriſtianae religionis veritas demonſtratur, referri ſolent; conf. HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer von der Wahrheit vnd Gottlichkeit chriſtlicher religion part. IV. cap. I. p. 441. ſeqq.* vbi & librorum iſtorum LACTANTII ſummam exhibet; item IOAN. ALBERTVS FABRICIVS in

delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. qui veritat. chriſtianae relig. aduerſus atheos &c. adſeruerunt, cap. V. §. VIII. p. 230. ſeqq.

ibid. Grauiſſimos quosdam errores &c.) HIERONYMVS ſcilicet, *Lactantius*, inquit, *in libris ſuis & maxime in epiſtolis ad Demetrianum, ſpiritus ſancti negat ſubſtantiam, & errore iudaico dicit, eum vel ad patrem referri, vel ad filium, & ſanctificationem vtriusque perſonae ſub eius nomine demonſtrari; epiſt. XLI. ad Pammachium & Oceanum tom. IV. operum part. II. p. 343.* edit. IO. MARTIANAEI. HIERONYMVM praeter alios ſequitur ROBERTVS BELLARMINVS: *Quemadmodum omnia Lactantii opera ad eloquentiam Tullianam proxime accedunt, ita erroribus ſic deformata ſunt, vt non ſine cauſſa Gelaſius papa in concilio Romano apocrypha cenſeri voluerit, de ſcriptorib. eccleſiaſt. p. 53.* Et alibi: *Lactantius in plures errores lapſus eſt, praeſertim circa futurum ſaeculum, cum eſſet magis librorum Ciceronis, quam ſcripturarum ſacrarum peritus; de ſanctorum beatitudine lib. I. cap. V. p. m. 62.* Eadem ratione & ABRAHAMVS SCVLTETVS, GVIL. CAVEVS, LVDOV. ELLIES DV PIN, aliique de LACTANTIO pronuntiant. Speciatim autem cum de Chriſto ſeruatore noſtro incaute admodum loquutus ſit, mirum non eſt, quod a CHRISTOPHORO SANDIO *dans le Platoniſme devoilé p. 94. 133. &c.* aliisque in patribus illis ante - Nicaenis numeretur, qui eadem docuerint, quae poſtea profeſſus eſt Arius. Defendere nihilo ſecius LACTANTIVM & ab accuſatione liberare conati ſunt GEORGIVS BVLLVS in *defenſione fidei Nicaenae ſect. II. cap. XIV. §. IV. p. 170.* & SAMVEL GARDINERVS in *reſponſione ad Chriſtoph. Sandii nucleum hiſtor. eccleſiaſt. cap. XII. p. 220.* Atque ille quidem, poſtquam verba iſta, quae iam recitauimus, protulerat, immo faſſus erat, LACTANTIVM ex imperitia ſacrarum litterarum, de modo generationis filii, *perabſurda & prorſus ridicula tradidiſſe*; quamquam addat: *ſi modo Lactantius ſit, qui iſta tradidit*; cum tamen dogmatis huius (de Chriſti diuinitate) τὸ ὑπερέχον non ignoraſſe, eaque adeo ſcriptis ſuis docuiſſe, contendit, quae *apprime catholica ſunt, & Arianae haereſi ex diametro repugnant.* Atque iſtud cum productis variis ex LACTANTIO teſtimoniis copioſius ediſſeruiſſet, concludit tandem: *Nihil igitur diminutum aut imperfectum in filio Dei ſomniauit Lactantius, l. c. p. 171.* Quae quidem quo pacto inter ſe conſentiant, me non capere, lubens fateor; praeſertim cum idem vir doctiſſimus alibi iterum hunc in modum de LACTANTIO loquatur: *Vnde non modo in hac quaeſtione* (de diuinitate ſeruatoris noſtri) *ſed & in aliis religionis noſtrae primariis capitibus, in grauiſſimos & abſurdiſſimos errores, catechumeno vix condonandos, prolapſus fuit; quorum catalogum hic recenſere, longum ſit. Nihil itaque mirum eſt, ſi ipſe metaphoricam filii generationem, qua ex patre progreſſus, & quaſi natus fuit, ad conſtituendam hanc rerum vniuerſitatem (de qua ſcilicet nonnihil apud chriſtianos auctores legerat) pro vera eiusdem productione & procreatione perperam acceperit.* Ne tamen prorſus deſerere LACTANTIVM videatur, ſtatim addit: *Praeterea mihi dicendum videtur, aut loca illa Lactantii de filii generatione lib. II. cap. IX. & lib. IV. cap. VIII. quae inprimis tamquam abſurda & impia Petauius & alii viri eruditi merito reprehenderunt, ab haereticis adulterata eſſe, aut certe ipſum Lactantium ab haeretico aliquo deceptum fuiſſe; l. c. ſect. III. cap. X. §. XX. p. 247.* Commodiſſima etiam aliis LACTANTIVM defendendi ratio viſa eſt, ſi dicerent, loca illa, quae nulla ratione in meliorem ſenſum trahi poſ-

Digitized by Google

poſſunt, ab aliena manu inſerta eſſe; qua quidem ratione etiam manichaeiſmi labem, cuius hinc inde haud obſcura veſtigia adparent, ab hisce eius libris abſtergi poſſe exiſtimant. Atque hanc etiam viam ingreſſus eſt NICOLAVS LE NOVRRY, qui, vt LACTANTIVM ab obiectis erroribus purget, omnem mouet lapidem. Hinc de *fragmentis pluribus*, *quae ſpuria videntur, & Lactantii textui praepoſtere inſerta*, ex inſtituto differit in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum*, *tom. II. diſſertat. III. cap. IV. artic. III. p. 635.* Sententiam autem LACTANTII de filio Dei eiusque diuinitate ſanam & orthodoxam fuiſſe, oſtendere conatur *cap. XVI. artic. V. p. 791. ſeqq.* ſed & ab HIERONYMI accuſatione, ac ſi de ſpiritu ſancto non recte docuerit, eum vindicat, *artic. VII. p. 800.* Fieri vtique potuiſſe, vt loca quaedam ab aliena manu hisce LACTANTII libris insererentur, non abnuo; quod ſpeciatim de duobus illis, quae aperte manichaeiſmum redolent, *lib. II. diuinar. inſtit. cap. VIII. p. 206.* & *de opificio Dei cap. XIX. p. 1053.* ex editione IO. GEORGII WALCHII, vbi vterque in *adnotationibus* exhibetur, magno fere conſenſu viri docti adfirmant. An autem vbique haec LACTANTIVM defendendi; aut excuſandi rati. procedat, dubito. Certe verba iſta, quae *lib. II. cap. VIII.* exſtant: *Quum eſſet Deus ad excogitandum prudentiſſimus &c.* in omnibus codicibus manuſcriptis exſtant, a NIC. LE NOVRRY pro genuinis habentur, & nihilo ſecius talia, quae iudice GEORGIO BVLLO a Manichaeiſmo haud ita longe, a catholicae vero eccleſiae doctrina quam longiſſime recedant, continent; id quod & luculenter oſtendit *l. c. p. 248.* Vnde & ſuſpicio oriri poſſet, an duo iſta, quorum antea mentionem fecimus, ceu ſpuria, reiicienda ſint loca, licet in pluribus codicibus manuſcriptis non inueniantur. Cum enim nimis aperte manichaeiſmo faueant, fieri potuit, vt a librariis omitterentur, ne alii iisdem offenderentur. Sed multa adhuc alia in LACTANTIO deſiderari ſolent. Nec vllum veteris eccleſiae doctorem eſſe credo, qui tot cenſuris vexatus ſit, quam ille. PETRVS BAELIVS eum paſſim reprehendit, quod ſententias gentilium non recte propoſuerit, aut eorum non adſequutus ſit mentem, quod ad eorum argumenta aut obiectiones ſolide non reſponderit, quod interdum perperam eos contradictionis arguerit, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, quae diligentem promerentur diſcuſſionem. Acerbe admodum etiam LACTANTIVM perſtringit CHRISTIANVS THOMASIVS, alias quoque in veteris eccleſiae doctores non ſatis aequus. *Quamuis autem*, inquit, *& hodie ob modum iſtum diſputandi rhetoricum maxime aeſtimentur a falſae ſapientiae amatoribus patres iſti, in tantum, vt Lactantius, chriſtianorum Cicero, & lacteus eloquentiae pater audiat; tamen quod methodum inquirendi veritatem & defendendi attinet, ſi reliqui iam memorati patres (quos euoluere nunc non vacat) non meliori ratione vſi fuerunt, quam Lactantius, ſane iam tum ſatis miſera fuit eccleſia. Tot enim fuci rhetorici, tot erroneae opiniones, tot male cohaerentes ſententiae, tot calumniantes expoſitiones doctrinae aduerſariorum, tot veſtigia odii & amoris in ſcriptis Lactantii latent, vt dubium ſit, vtrum veritates ibi contentae naeuos eiusmodi ſint ſuperaturae; obſeruation. ſelectar. ad rem litterariam ſpectant. tom. II. obſeruat. VIII. §. XL. p. 141.* In mitiorem autem partem de LACTANTIO pronuntiauit, cauſſamque eius egit, ita vt praecipue, quae GOTTFRIEDVS ARNOLDVS illi itidem obiecerat, dilueret, CHRISTIANVS EBERHARDVS WEISMANNVS in *introduct. in memorabilia eccleſiaſt. hiſtoriae ſacrae noui teſtam. ſaeculo IV. p. 233. ſeqq.*

p. 318.

p. 318. fuiſſe iam ſaeculo ſexto &c.) Inter ſexti huius ſaeculi ſcriptores referendus etiam FVLGENTIVS, Ruſpenſis epiſcopus, in cuius operibus, Pariſiis anno 1684. iunctim editis, exſtat *de fide; ſeu de regula verae fidei ad Petrum liber vnus p. 500. ſeqq.* in quo itidem nonnulli ſyſtema aliquod, ſeu compendium theologicum, ſibi inueniſſe videntur. Atque omnino praecipua quaedam fidei capita ibi pertractat, cumprimis, quid de trinitate & incarnatione Chriſti credendum ſit, diligenter exponit. Nec tamen ideo pro compendio quodam, aut ſyſtemate theologico hicce liber habendus eſt; etſi minime ſit contemnendus. Auctor *praefationis*, quae editioni operum FVLGENTII antea laudatae eſt praemiſſa, *eſt quidem*, inquit, *Auguſtini ſtylus aliquanto cultior, & a ſaeculi ſui vitiis intactior, cum Fulgentio numquam curae fuerit, abſtergere ſaeculi ſui ſitum; at idem in vtriſque mentis vigor, idem acumen, idem ſententiarum pondus, eadem ingenii felicitas &c.* IOANNES BONA, cardinalis, FVLGENTIVM *ſtylo clarum, doctrina profundum* vocat in *notitia auctorum, pſalmodiae diuinae* praefixa. Stilus ſane impurus & inquinatus eſt; ingenium tamen & rerum theologicarum, pro iſtius temporis conditione, ei non defuiſſe cognitionem, tum ex reliquis eius ſcriptis, in quibus haud pauca dogmatica occurrunt, tum ex hocce, de quo nobis nunc ſermo eſt, libro patet. Quod autem de hocce libro diximus, in eo compendium aliquod; aut ſyſtema theologicum fruſtra quaeri, id multo magis de *libro* eius *ad Donatum de fide orthodoxa & diuerſis erroribus haereticorum*, qui inter *epiſtolas, octaua* eſt, & *p. 197. ſeqq.* legitur, adſerendum, quippe in quo tantum de myſterio trinitatis & incarnationis Chriſti agit, & errores ei oppoſitos breuiter recenſet. Solet etiam FVLGENTIVS inter eos referri, qui ſymbolum apoſtolicum explicarunt, ſcilicet ob *librum decimum* operis aduerſus FABIANVM, Arianae factionis hominem, ex quo tantum fragmenta quaedam ſuperſunt. Quae ad librum iſtum decimum ſpectant, & in quibus defenſio quaedam iſtius ſymboli contra Arianos, ſimulque enarratio continetur, exſtant *p. 652. ſeqq.*

p. 328. Ioannes Georgius Dorſcheus, in Thoma Aquinate, confeſſore veritatis &c.) Plenior operis huius inſcriptio haec eſt: *Thomas Aquinas, dictus doctor angelicus, exhibitus confeſſor veritatis euangelicae, Auguſtana confeſſione repetitae, iuxta ſeriem controuerſiarum tomis quatuor Rob. Bellarmini cardinalis examinatus*, Francofurti 1656. 4. Huncce vero DORSCHEI librum, a THOMA LEONARDO, profeſſore Louanienſi, impugnatum, defendit ANTONIVS REISERVS, in *vindiciis euangelico-Thomiſticis*, Vlmae 1669. 4.

p. 333. Doctrinae catecheticae, qualis medio aeuo fuit) Nonnulla quoque eius generis *monumenta catechetica* exhibentur in IOANNIS SCHILTERI *theſauro antiquit. teutonic. tom. I. part. II. p. 75. ſeqq.*

p. 335. Quod qua ratione factum) Addenda omnino, quae hac de re monet IO. MARTINVS SCHAMELIVS, in *vindiciis catecheticis, p. 122. ſeqq.*

p. 359. Sequutus autem auctor eſt in eo veſtigia beati Ioan. Muſaei &c.) Ipſi IOANNI MVSAEO conſtitutum fuiſſe ſyſtema aliquod; ſiue *locos theologicos* edere, refert IOANN. IACOBVS MÜLLERVS in *epiſtola* ad BALTHASAREM BEBELIVM, quam exhibet IOAN. HENRICVS A SEELEN in *deliciis* ſuis *epiſtolicis num. LXXXI. p. 366. ſeqq.* qui & in *notis p. 368.* ſe exemplar aliquod iſtorum locorum manuſcriptum, poſſidere teſtatur, eiuſque σκιαγραφίαν lectorum oculis ſubiicit.

p. 370. quibus tomus decimus ſeptimus acceſſit) Immo & decimus octauus, & decimus nonus, quorum vterque adhuc de ſacramentis agit; conf. *iournal des ſçavans anno MDCCXXVI. menſ. Octobr. p. 207. ſeqq.* & *menſ. Nouembr. p. 388. ſeqq.* Auctoribus autem hic laudatis addi adhuc poſſet CAROLVS WITASSIVS, cuius haud ignotum apud Gallos nomen eſt. Sex enim hic reliquit tractatus theologicos, *de attributis diuinis, de trinitate, de incarnatione, de euchariſtia, de poenitentia, & de ſacramento ordinis:* qui, cum multorum adprobatione excepti eſſent; reliqua etiam eadem ratione pertractare theologiae capita, anonymo cuidam viſum, vt integrum aliquod inde exſurgeret theologiae corpus. Huc namque ſpectat *continuatio theologiae Caroli Witaſſe &c. tractatus de ſacramento confirmationis*, Pariſiis 1722, duobus voluminibus in 12. conf. *iournal des ſçavans MDCCXXIII. menſe Febr. p. 123. ſeqq.* Specimen etiam aliquod theologiae ſyſtematicae, methodo ſcholaſtica tractatae, dedit HONORATVS TOVRNELY, tum in *praelectionibus theologicis de gratia Chriſti*, Pariſiis 1725. duobus voluminibus in 8. tum in *praelectionibus theologicis de Deo & attributis diuinis*, itidem Pariſiis anno 1725. duobus voluminibus in 8. euulgatis; conf. *iournal des ſçavans MDCCXXV. menſe Aug. p. 152. ſeqq.* & *MDCCXXVI. menſe Maio p. 86. ſeqq.* Et in vltimo quidem tractatu TOVRNELY etiam quaeſtiones, quae de theologia generatim ſpectata agitari ſolent, attingit; vnde colligas, conſtitutum illi pariter eſſe, integrum aliquod ſyſtema ſucceſſu temporis in lucem emittere. Cuius rei dum auctores *diarii erudit. Pariſienſis l. c.* mentionem iniiciunt; ſimul contendunt, quae LVTHERVS, CALVINVS, ERASMVS, CORNELIVS IANSENIVS, contra theologiam ſcholaſticam acriter dixerunt, eam, quae hodie in celeberrimis academiis docetur, non ferire. Et ſane, in Gallia theologiam ſcholaſticam paullo cultiori interdum prodire facie, ipſimet antea obſeruauimus.

p. 378. Eos, quos - - praetermiſimus) Ex recentiſſimis adhuc addendus CAESAR PEGORIER, cuius exſtat *theologie chretienne, qu'on explique en forme d'entretiens, pour la rendre plus claire & plus ſenſible.* Altera editio emendatior & auctior prodiit Amſtelodami anno 1726. 4. In *praefatione*, editioni huic praemiſſa, auctor profitetur, id ſibi maxime conſtitutum fuiſſe, vt principia religionis chriſtianae euidenter demonſtraret, & Pyrrhoniſmum refutaret, qui vltimum ſit atheorum refugium; cumprimis & ſe operam dediſſe, vt ad difficultates, a PETRO BAELIO motas, reſponderet.

ibid. licet compendiorum ac ſyſtematum theologicorum in hac gente tantus non inueniatur numerus &c.) Confirmat hoc THOMAS BENNETVS, in *introductione in ſtudium theologiae ſyſtematicae &c.* quam ſupra iam, ad *libri I. cap. I.* laudauimus. Dum enim theologiae cultoribus auctor eſt, vt ſummam quamdam doctrinae ſacrae ſibi familiarem reddant; ſimul fatetur, talem ſummam in eccleſia anglicana vix obuiam eſſe; vnde & exterorum, ſpeciatim FRANCISCI TVRRETINI, & PHILIPPI LIMBORCHII, in hoc genere ſcripta commendat.

p. 379. Et hic ipſe tandem Limborchius conſequutus eſt &c.) Cum autem LIMBORCHIVS quaedam, ſcitu non indigna, praetermiſiſſet, quaedam autem nimis breuiter attigiſſet; ſucceſſor eius ADRIANVS A CATTENBVRGH, vt illa ſuppleret, haec latius deduceret, *ſpicilegium* edidit *theologiae chriſtianae Philippi a Limborch, variis diſſertationibus hiſtorico-eccleſiaſticis, multisque ad praxin pietatis promouendam pertinentibus, refertum*, Amſtelodami anno 1726. in fol.

Digitized by Google

p. 386. Quod an fecerit, ignoro, niſi huc referre velis &c.) Methodum tamen etiam foederalem in *compendio* ſuo *theologiae* ſequitur, cuius editio tertia Tubingae prodiit anno 1717. 8.

ibid. de reliquis, qui adhuc commemorari hic poterant &c.) Singulari ſtudio doctrinam foederalem ex noſtratibus ſibi excolendam ſumſit IOANNES ANDREAS GRAMLICHIVS, vtpote qui non tantum *tractatum* edidit *theoretico practicum de foederibus diuinis in genere, vbi tum omnes hac de re auctores, laborioſe vndiquaque conquiſiti, recenſentur & in partes vocantur, tum nouae vbique acceſſiones adduntur, vt & compendium ſit, & complementum; cum adpendice, quae per tabulas analyticas in ſynopſi repraeſentat foedera diuina, doctrinamque foederalem per vniuerſum ſacrum codicem exſequitur, & locos theologicos omnes foederali methodo diſpoſitos, complectitur,* euulgatum cum praefatione IOANNIS MARCKII, Lugduni Batauorum 1715 in 8. ſed & hunc ipſum tractatum operis maioris, quod tamen, quantum mihi conſtat, lucem nondum vidit, prodromum eſſe voluit.

ibid. ſed caute tamen hac in re incedendum &c.) Immo omni fundamento deſtitui, quae vulgo de foederibus Dei hominumque dicuntur, acriter contendit, ipſamque methodum foederalem, prout eiusmodi foedera, & quidem proprie ſic dicta, ſupponit, impugnat vir doctiſſimus MICHAEL CHRISTIANVS RVSMETERVS, theologus Gryphiswaldenſis celeberrimus, in *diſquiſitione theologica de foederibus Dei cum hominibus,* Gryphiswaldiae anno 1725. publicae luci expoſita. Dignae ſunt rationes eius, quae diligenter expendantur: quod tamen huius loci non eſt.

p. 390. eam elegerunt methodum, quae vnice ad fidei vitaeque praxin &c.) Hancce methodum beatus IOAN. ERNESTVS GERHARDVS, theologus Gieſſenſis, magni noſtri IO. GERHARDI nepos, *eccleſiaſticam* vocat, eamque ita commendat, vt ſyſtematicam etiam retinendam, contendat. Id namque ex inſtituto agit in *ſchediaſmate problematico de theologia ſyſtematica, quo, vindicato receptorum ſyſtematum vſu genuino, inſtitutum ſuum, theologiam eccleſiaſtica methodo tractandi, vna cum conaminibus, circa ſyſtemata per reliquas theologiae partes, aut conſtituenda aut perficienda, theologorum iudicio exponit &c.* Gieſſae Haſſorum anno 1705. 4. edito. Lectu prorſus digna, quae vir pietate & eruditione conſpicuus, mihique, dum viueret, amiciſſimus, hac de re praecepit. Nimirum cum reformationis tempore eccleſia non adeo multis controuerſiis onerata eſſet, licuiſſe piis doctoribus, ait, veritatem ſimpliciſſima ratione proponere, & eorum maxime rationem habere, quae ad chriſtianam praxin pertinent; auctis autem paſſim controuerſiis, cum ſyſtematibus inferenda eſſent, quae temporum ratio maxime poſtulabat, & quibus aduerſariis obuiam eundum erat, factum eſſe, vt ea, quae ad chriſtianiſmum practicum ſpectant, ex ſyſtematibus didacticis magis magisque euanuerint, omnisque neruus in fidei myſteriis inculcandis eo directus fuerit, vt theſis antitheſin excluderet, & animi aduerſus errores graſſantes munirentur. *Euoluat,* inquit, *qui vult, antiquiorum, Philippi, Chemnitii, Andreae Muſculi, aliorumque antiquiorum locos theologicos & conferat cum ſcriptis recentiorum, ſtatim ibi deprehendet, ex his magis magisque eliminatos articulos iſtos practicos, qui in illorum ſcriptis alias affatim inueniuntur. Sique etiam in reliquis articulis modum tractandi ſpectes, omnia ad vſum polemicum directa deprehendes, & diſciplinam academicam ita obſeruatam, vt quo concinnius ſcriptum aliquod aduerſariorum hypotheſes excludit aut ſtringit, eo*

aptius

aptius ad vſum lectionum academicarum habeatur. Quod inſtitutum etſi omnino egregium vir doctiſſimus eſſe cenſeat, laudeque ſua merito mactandum, negari tamen non poſſe, fatetur, *quod mala quaedam pediſſequa habuerit, quae non exigua incommoda eccleſiae pepegerant. Dum enim,* ſic pergit, *ita in academiis academica ἀκρίβεια ſectanda fuit, id omnino euenit, vt ea, quae in eccleſiaſticis tractationibus potiſſimum vſui eſſe ſolent, & vtramque quaſi paginam faciunt, aut parcius ſaltem, aut ſi etiam ſeſe obtulerint, non tamen eo modo tractare licuerit, qui eccleſiaſtico vſui accommodatus eſt. Et ipſa experientia quotidianus teſtis eſt, multos, qui in academiis methodo conſueta theologiam edocti ſunt, ſat promptos, ſi in cathedra theſis ventilanda, aut de huiusmodi argumentis diſſerendum ſit, quae in ſyſtemate academico tractari ſolent. Quodſi vero de practicis, e. g. de abnegatione ſui ipſius, de variis tentationum generibus, de mortificatione veteris Adami, aliisque huius generis argumentis verba facienda fuerint, in hisce pleroſque hoſpites deprehendi & ieiunos. Malum ergo hoc dum inſtitutioni academicae debetur, vix etiam rectius eidem remedium parari aut exſpectari poterit, atque ab eadem. Etſi enim videri multis poſſit, & etiam viſum ſit, popularia haec & elementaria ſublimitate academica inferiora eſſe, & ex triuialibus aut homileticis inſtitutionibus petenda; nemo tamen non intelliget, id quicquid eſt, in academias denuo recidere, cum experientia teſtis eſt, remedium hoc malo nec adaequatum eſſe, nec ſufficiens.* Haec & reliqua, quae hunc in modum vir beatus egregie iſta de re diſſerit, rariſſima eſſe, nemo niſi eorum omnium, de quibus hic agitur, ignarus, negauerit. Nec ipſum, quod tantopere vrget ac commendat inſtitutum contemnendum aut improbandum cenſeo, quamuis & non videam, ſi polemica & moralis theologia ſeorſim, vt hodie fieri ſolet, tractetur, & ſuperflua minusque neceſſaria in ſyſtematica; ſeu dogmatica reſcindantur, quo minus haec ita tradi queat, vt & ἀκρίβεια, quantum neceſſe eſt, obſeruetur, & cuncta etiam ad fidei vitaeque chriſtianae praxin dirigantur; quae ſane vtramque vbique facere paginam debet.

AD LIBRI II. CAP. II.

P. 408. Plura de hocce ſymbolo (Athanaſiano) dabunt &c.) Addendus adhuc DANIEL WATERLANDVS, qui lingua anglicana *hiſtoriam criticam ſymboli Athanaſiani* edidit, Cantabrigiae anno 1724. 4. Non tantum autem WATERLANDVS veterum pariter ac recentiorum de hocce ſymbolo teſtimonia refert; ſed & eos, qui commentariis ſuis illud illuſtrarunt, codices, qui ſuperſunt, manuſcriptos, itemque verſiones antiquas, recenſet. Inquirit etiam in tempus, quando iſtud ſymbolum in eccleſia chriſtiana receptum fuerit, eiusque originem ad ſaeculum quintum refert; immo, HILARIVM, epiſcopum Arelatenſem, eius auctorem eſſe, conicit. Exhibet deinde ipſum hocce ſymbolum lingua latina, cum variantibus lectionibus ex codicibus manuſcriptis, & *commentarium* in illud, anglice ſcriptum; tandemque eccleſiam anglicanam, quod ſymbolum hocce, quantumuis ATHANASII non ſit, receperit, defendit. Conferendus IOANNES CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XXVI. part. II. art. XI. p. 448. ſeqq.*

p. 428. poſt eius praelectionem a Chriſtiano Pontano &c.) Corrigenda haec ſunt. A Chriſtiano Baiero enim, non autem a Gregorio Pontano confeſſio Augu-

ſtana praelecta fuit. Rem ita deſcribit VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS: *Et ſtare quidem, dum legeretur, volebant Saxoniae elector & conſortes, ſed conſidere ab imperatore moniti ſunt: prodierunt autem in medium, Pontanus, latinum exemplar manu gerens, & Chriſtianus Baierus, cancellarius, germanicum tenens. Caeſar latinum praelegi volebat, ſed cum elector dixiſſet, quia in Germania ſumus (auf teutſchen Boden) ſpero maieſtatem veſtram permiſſuram eſſe, vt germanice loquamur; facile adſenſit caeſar. Legit itaque Baierus tam clare, vt extra triclinium, & in area inferiori epiſcopalis palatii (die Pfaltz) exaudiri vox eius poſſet, duasque fere horas legendo conſumpſit*; in *hiſtoria Lutheraniſmi lib. II. §. LXV. p. 170.* add. HENRICVS PIPPINGIVS in *der hiſtoriſch-theologiſchen Einleitung* &c. *cap. IV. §. XV. p. 61.*

p. 432. cumprimis autem crypto-Calvinianorum &c.) Notitiam ſcriptorum quorumdam, ad hiſtoriam crypto-calvinianiſmi ſpectantium, quae in bibliotheca Vinarienſi exſtant, ſuppeditat IOANNES CHRISTOPHORVS COLERVS in *der auserleſenen theologiſchen Bibliothec part. IV. num. II. p. 307. ſeqq.*

ibid. qui certamen Philippiſtarum & Flacianorum &c.) Conferenda & quae hac de re obſeruauit IO. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica* in *notis ad epiſt. XIV. p. 65.*

p. 436. quod tamen non ſine ratione ab aliis in dubium vocatur &c.) Librum *concordiae* a Friderico II. Daniae rege omnino in ignem coniectum atque combuſtum fuiſſe, contra IOANNEM HERMANNVM AB ELSWICH rationibus admodum luculentis euicit ANDREAS HOIERVS, in *den kurtzgefaſſten Daenuemaerckiſchen Geſchichten vom Anfang dieſes maechtigen Reichs bis zum Ausgang des XVII. ſaeculi*; in *Friderico II. p. 292. ſeqq.*

p. 438. qui & ſcripta, occaſione libelli huius edita, diligenter recenſet.) Nonnulla etiam, & in his quaedam BIECKIO non memorata, non ſolum indicantur in *den monathlichen Nachrichten von gelehrten Leuten vnd Schrifften &c. anno MDCCXXVI. menſ. Februar. num. VIII. p. 164. ſeqq.* ſed & adpendix ipſius libelli *Interim*, a BIECKIO praetermiſſa, exhibetur ibidem *menſ. Sept. num. VII. p. 791. ſeqq.* Alia quaedam adhuc adduntur *menſe Decembr. num. III. p. 1016. ſeqq.*

p. 439. bellum iſtud adiaphoriſticum ſummo ſtudio &c.) Conferenda, & quae de controuerſiis intermiſticis & adiaphoriſticis dicta ſunt *cap. VII.* huius *libri* ad §. *X.* & in *addendis* ad *h. l.*

p. 440. notiſſimae illae Tubingenſium Gieſſenſiumque theologorum controuerſiae &c.) Varia eaque haud contemnenda, quae ad hiſtoriam praeſertim litterariam huius controuerſiae ſpectant, ſuppeditat IOANNES HENRICVS A SEELEN in *deliciis epiſtolicis not. ad. epiſt. V. p. 56. ſeqq.*

p. 442. Nonnullos ex iis indicat &c.) Ordine quoque iſta ſcripta vna cum iis, quae illis oppoſita fuerunt, recenſentur in *ipſa iterata pupillae euangelicae apologia cap. I. p. 10. ſeqq.* Eminet inter ea, ſpeciemque quamdam eruditionis prae ſe fert illud, quod inſcribitur: *pacis compoſitio inter principes & ordines imperii Romani catholicos atque Auguſtanae confeſſioni adhaerentes, in comitiis Auguſtae anno MDLV. edita, quam iureconſulti quidam catholici ex publicis comitiorum actis & decretis aduerſus complurium acatholicorum ſcriptorum commenta, quaeſtionibus illuſtrarunt anno MDCXXIX. iuſſu & auctoritate ſuperiorum.* In ea, qua ego vtor, editione additur: *editio altera, in qua priores quaeſtiones auctae & aliae adiectae ſunt*; nec tamen anni, quo altera haecce editio prodierit, iniicitur mentio:

locus autem indicatur *Dillingae*. Multis hoc opus magno in pretio fuiſſe, adeo vt exiſtimauerint, ex eo ſolo omnes de pace religioſa controuerſias decidi poſſe, in *iterata pupillae euangelicae apologia l. c. p. 14.* ſignificatur additurque, Ieſuitarum ſocietati adſcriptos pluris hoc facere, quam ſcripturam ſacram aut auream bullam; & quamuis directe *pupillae euangelicae* oppoſitum non ſit, ſubinde tamen hanc in eo perſtringi, ſimulque talia tradi, quae illi aduerſentur; ſcopum interim praecipuum eſſe, labefactare pacem religioſam & plurimos ordines euangelicos ab ea excludere. Auctor eius LAVRENTIVS FORERVS eſſe dicitur, qui & aliis eiusdem generis ſcriptis eodem tempore innotuit, quamquam nonnulli illi PAVLVM LAYMANNVM, ex eadem Ieſuitarum ſocietate, iungant, conf. IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS in *iſagoge in libros eccleſiar. Lutheranar. ſymbolicos p.127.* & VINCENTIVS PLACCIVS in *theatro anonymorum & pſeudonymorum part. I.* ſiue *de anonymis num. DCCX. p. 108.* Quid autem iureconſulti iſti Dillingenſes, vt videri volunt, ſibi velint, & quorſum tendant, in ipſa ſtatim praefatione indicant. Negant enim ſtatim ab initio, pacem religioſam ad eos, qui ordinum Romanae eccleſiae ſacris addictorum imperio ſubiecti ſunt, pertinere, ea quidem ratione, vt iis doctrinam Lutheri amplecti liceat; acerbe in eos inuehuntur, *qui ex ipſa littera pacis*, vt loquuntur, *impudenter demonſtrare conantur, quibuscumque catholicorum ſubditis & regionum incolis, licentiam factam eſſe, vt Auguſtanae confeſſionis exercitia in priuatis aedibus inſtituere queant;* putantque eiusmodi adſerta dudum profligata eſſe ab *autonomiae* auctore, FRANCISCO BVRCHARDO, Colonienſi cancellario, *cuius ſcripta*, inquiunt, *nouatores iſti plurimis falſationibus ac criminationibus commaculant, cum ipſe, quippe dudum mortuus, ſe ipſum defendere non poſſit, nemo autem alius appareat, qui eum defenſurus videatur.* Et ſane FRANCISCVS ille BVRCKARDVS primus fuit, qui libro, hanc in rem edito, atque *autonomia*; ſiue *von Freyſtellung der religion* inſcripto, qui Monachii 1601. 4. prodiit, pacem religioſam conuellere atque labefactare conatus eſt. Quis vero ſub iſto FRANCISCI BVRCKARDI nomine latitet, num ANDREAS ERSTENBERGERVS, an ANDREAS GAILIVS, aut omnino Ieſuitae Colonienſes, viri docti inter ſe non conueniunt; vid. VINCENTII PLACCII *theatrum anonymor. & pſeudonymor. part. II.* ſiue *de pſeudonymis num. 495. p. 145.* Refutauit autem iſta BVRCKARDI commenta IVSTVS SPRINGERVS, vtpote, qui ſub nomine PETRI SYRINGII, de *pace religioſa* ſcripſit, Wittebergae 1607. 4. & addito vero nomine Francofurti 1613. 8. in quem adeo fauorem ſuum iureconſulti noſtri Dillingenſes effundunt. Cum enim dixiſſent, *eum egregie in hoc calumniarum ſtudio ſe exercuiſſe;* addunt: *nouitius iſte iureconſultus, cum nondum ex ſcholis emerſiſſet, nullamque rerum experientiam haberet, ſed neque acta; ſeu protocolla comitiorum inſpexiſſet, contra Burgkardum, Colonienſem cancellarium, qui comitiis anni 1555. ipſemet interfuerat, in laruis ſuis pueriliter & imperite inuehitur, quaſi id vincere ſit, ſi conuicia libere & impune inferantur.* Ex quibus verbis colligas, eos credidiſſe, ipſum BVRCKARDVM *autonomiae* auctorem eſſe, nec alium quemdam hocce tegi nomine. Ex iis, quae in eadem praefatione in medium adferunt, abunde perſpicitur, eos id egiſſe, vt non tantum arctioribus limitibus pax religioſa circumſcribatur; ſed vt ea prorſus tollatur; quod & ipſa tractatio adhuc luculentius docet. Abſoluitur ea duodecim capitibus, in quibus de nomine Auguſtanae confeſſionis; de eiusdem origine; de

actis poſt confeſſionem, Carolo caeſari Auguſtae exhibitam, & de bello Smalkaldico; de ſtatu confeſſionis Auguſtanae poſt bellum Smalkaldicum; de religione intermiſtica, & Paſſauienſi transactione; de obligatione federis pacificatorii inter ordines imperii catholicos & Auguſtanae confeſſioni adhaerentes; de libertate religionis in imperio Romano conceſſa; de libertate religionis eccleſiaſticis perſonis denegata; de bonis eccleſiaſticis, quae a confeſſioniſtis, vt loquuntur, occupata, reſtitui debent; de bonis eccleſiaſticis, quae ſecundum pacem religionis, repeti non poſſunt a confeſſionis Auguſtanae ſtatibus; de iudice controuerſiarum, quae circa pacem religionis mouentur; de rebus ac perſonis, quae ſub pace religionis non comprehenduntur; de obligatione iuramenti, quod caeſarea maieſtas, & ſtatus quidam in imperio edere ſolent; de pace religionis ſeruanda, tuenda; fuſe & copioſe, ſed ita ſimul, vt cuncta ad finem, quem ſibi conſtitutum habent, dirigant, tractant; animi vbique malignitatem, ſubinde & iudicii imbecillitatem prodentes. Sic cum cap. I. quaeſt. II. p. 3. probare volunt, dogmata Lutheri plane noua & hucusque inaudita fuiſſe, ad verba eius prouocant, quibus teſtatur, fuiſſe ſe ſolum, cum controuerſiae iſtae primum orirentur. Quis vero inde colligat, dogmata eius noua fuiſſe ac inaudita? cum id ſolum ageret, vt vera & genuina eccleſiae dogmata iterum produceret, & tenebras, quibus inuoluta erant, ab iis diſpelleret. Sed praecipua, quae in iſta *pacis compoſitione*, quam rectius *pacis euerſionem* dixeris, momentum aliquod trahere videntur, ſolide & erudite diſcuſſa ſunt, in *iterata* iſta *pupillae euangelicae apologia*. Sic cum Dillingenſes iſti omnem mouerent lapidem, vt probarent, pacem religionis non habere indolem conſtitutionis; ſeu ſanctionis pragmaticae, ſed tantum transactionis cuiusdam atque federis, inde vt colligerent, eam facillimo negotio tolli poſſe, cum haereticis non ſit ſeruanda fides; *cap. I. quaeſt. XXV. p. 115. ſeqq.* recte theologi Saxonici probant, ſi vel maxime concedatur, eam ſe inſtar federis habere; abſurdiſſimum tamen falſiſſimumque eſſe, quod Romanae eccleſiae addicti contendant, haereticis fidem ſeruandam non eſſe; interim pacem iſtam non ſolum indolem federis, ſed ſimul ſanctionis pragmaticae habere, firmiſſimis rationibus euincunt *l. c. cap. XII. p. 70. ſeqq.* Cumprimis autem Dillingenſes noſtri cum ſociis acriter contendunt, Lutheranos fouere dogmata, quae in Auguſtana confeſſione non contineantur, & nihiloſecius doctrinae eccleſiae Romanae repugnent; eamque ob cauſſam pace religionis excidiſſe, cuius quippe hicce ſenſus ſit, quod nihil plane aliud in eiusmodi controuerſiis docere debeant, quam quod diſerte in confeſſione iſta exprimitur; praeterea non ſemel confeſſionem iſtam a nobis mutatam clamitant, vnde quod eidem ſecundum ſenſum pacis religioſae adhuc addicti ſimus, dici nequeat; & quae reliqua ſunt eiusdem generis, in quibus congerendis operoſi ſunt *cap. II. quaeſt. XIII. p. 35. ſeqq.* quae omnia accurate diluuntur a theologis Saxonicis *l. c. cap. XVIII. p. 151. ſeqq.* & *cap. XX.* ad *XXXIV. p. 330. ſeqq.* Speciatim Dillingenſes, vna cum reliquis doctrinam de omnipraeſentia diuina, humanae Chriſti naturae per vnionem perſonalem communicata, & in *formula concordiae* adſerta, in Auguſtana confeſſione contineri, aut ex ea per legitimam conſequutionem deriuari poſſe negant *cap. II. quaeſt. XIII. p. 44.* ſimul tamen theologis Saxonicis occaſionem praebuerunt, hancce quaeſtionem fuſe admodum & ſumma cum cura pertractandi *cap. XXXIX. ſeqq. p. 518. ſeqq.* Omnia tandem eo fere redeunt, quod Dillingenſes perſuadere orbi volue-

voluerunt, eccleſiae noſtrae doctores ab Auguſtana confeſſione defeciſſe, cum talia doceant, quae in confeſſione iſta non continentur, immo eidem repugnent: id quod & diſerte profitentur, & multis rationibus probare ſatagunt *cap. XI. quaeſt. LXXXII. p. 581. ſeqq.* quam tamen calumniam ſtrenue & ex inſtituto repellunt theologi Saxonici *cap. LXXXIV. p. 864. ſeqq.* Sed mitto reliqua. Obſeruare autem haecce volui, cum non omnibus, quid in iſta *compoſitione pacis* contineatur, conſtet; ſimul vero vt omnes inde intelligerent, quantam *iterata* iſta *pupillae euangelicae apologia* in grauiſſimis controuerſiis, quae nobis cum pontificiis intercedunt, omnibus adferat vtilitatem.

p. 445. Poſt Paulum Sarpium alii quoque &c.) Scriptis iſtis, antea memoratis, quibus PAVLI SARPII hiſtoria confirmari; aut illuſtrari poteſt, addendus: *rerum in ſacra & oecumenica Tridentina ſynodo feliciter geſtarum epilogus*, per LAVRENTIVM PRATANVM NERVIVM nunc primum *editus*, inſertusque cum verſione gallicana *bibliothecae gallicanae* (*bibliotheque françoiſe, ou hiſtoire litteraire de la France*) *anno MDCCXXV. tom. V. part. I. p. 72. ſeqq.* & *part. II. p. 279. ſeqq.* Cum auctor ipſe concilio Tridentino interfuerit, fidem hactenus mereri videtur; tradere etiam quaedam potuit, aliis nondum obſeruata. Sed priores tantum ſeptem ſeſſiones, anno 1547 inſtitutas, deſcripſit. De NICOLAI PSALMAEI *collectione actorum & decretorum ſacri oecumenici concilii Tridentini* deinceps dicemus ad *lib. II. cap. III. p. 529.*

p. 445. Notae hinc ſunt plures concilii iſtius editiones &c.) Inter recentiſſimas obſeruatu digna, quae ita inſcribitur: *ſacro-ſanctum oecumenicum concilium Tridentinum, additis declarationibus cardinalium concilii interpretum, ex vltima recognitione Ioannis Gallemart, & citationibus Ioannis Gotcalli, theologi, & Horatii Lucii, iureconſulti, nec non remiſſionibus D. Auguſtini Barboſae, quibus recens acceſſerunt vtiliſſimae additiones Balthaſaris Andreae, iureconſulti Caeſar-Auguſtani, cum deciſionibus variis Rotae Romanae eodem ſpectantibus, e bibliotheca Proſperi Farinacii, iureconſulti; nunc demum hac poſtrema editione vtiliſſimis adnotationibus practicis, reformationem & forenſia concernentibus, cardinalis de Luca illuſtratum; editio reformata, & ſupra omnes ſuperiores gallicas & belgicas locupletata, item permultis pontificum, Clementis VIII. Pauli V. & Vrbani VIII. inſertis ad varia concilii capita conſtitutionibus; cum indice librorum prohibitorum ex praeſcripto concilii, nec non propoſitionibus, a variis pontificibus hucusque damnatis;* Coloniae Agrippinae an. 1722. 4.

p. 450. Quae cum ſeorſim primum prodiiſſent, in vnum tandem corpus &c.) In iſta confeſſionum collectione deſideratur *confesſio hiſpanica*, vel vt plenius inſcribitur: *confesſio chriſtianae fidei edita a quibusdam fidelibus Hiſpanis, qui propter eccleſiae Romanae abuſus & tyrannidem hiſpanicae inquiſitionis, patriam ſuam reliquerunt, hunc in finem adornata, vt ab eccleſia orthodoxa pro fratribus in Chriſto agnoſcantur.* Nimirum cum nonnulli religionis cauſſa ex Hiſpania profugi in Angliam circa primordia regni Eliſabethae ſe recepiſſent, confesſionem hancce Londini anno 1559. ediderunt. Lectu digna, quae de illa obſeruauit IO. GODOFREDVS LESSINGIVS in *ſpecimine breuis diſquiſitionis hiſtoricae ex theologia ſymbolica de inſigni fidei confesſione, quam proteſtantes Hiſpania eiecti Londini anno MDLIX. ediderunt;* quod exſtat in *analectis ex omni meliorum litterarum genere, ſacro, hiſtorico, philologico, mathematico, antiquario &c. quae collatis operis ad publicos* vſus

vſus euulgat ſocietas caritatis & ſcientiarum tom. II. p. 632. ſeqq. Ibi enim confeſſionis iſtius inſcriptionem, locum, tempus, confeſſores, eorum anteſignanos in Hiſpania, & martyria, auctores, contenta, verſiones, auctoritatem, puritatem, veſtigia Auguſtanae confeſſionis in ea deprehenſa, vſum denique inſignem ordine deſcribit. Et ad puritatem quidem quod attinet, licet haec confeſſio inter reformatorum confeſſiones referatur, eo quod Londini edita eſt; doctrinae tamen, in qua reformati a nobis diſcedunt, nulla in ea deprehendi veſtigia, auctor obſeruat; immo confeſſores iſtos pro inuariatae Auguſtanae confeſſioni addictis recte haberi, pronuntiat; *l. c. §. XV. p. 638.*

p. 451. Legendi de hacce ſynodo) Fuſiſſime hiſtoriam ſynodi Dordracenae deſcribit GERHARDVS BRANDT, in *hiſtoria reformationis Belgii*, quae in compendium miſſa, & in linguam gallicanam translata, inſcriptaque: *hiſtoire abregée de la reformation des pais-bas, traduite du hollandois de Gerard Brandt*, prodiit Hagae Comitum anno 1726. tribus tomis in 8. Per integrum enim *tomum ſecundum* hiſtoria ſynodi iſtius traditur; quemadmodum *tomus tertius confeſſionem fidei remonſtrantium* exhibet; cui & praemiſſus eſt *diſcurſus praeliminaris de vſu* & *abuſu confeſſionum fidei, & de fine, quem remonſtrantes in ſua confeſſione ſibi propoſitum habuerunt.* Cum autem auctor iſte in hiſtoria ſynodi Dordracenae animum in partes remonſtrantium propenſum haud obſcure prodat: audiendi omnino & illi ſunt, qui ex contraremonſtrantium numero de hacce ſynodo commentati ſunt. Quod cum a plurimis factum ſit; nunc tamen ſolum obſeruamus, huc etiam ſpectare IOANNIS IACOBI BREITINGERI *epiſtolam ad miniſtros eccleſiae Tigurinae, de rebus in ſynodo Dordracena actis*, quae in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi* exſtat, *claſſe III. faſc. III. num. IX. p. 574. ſeqq.* itemque IOANNIS HOTTINGERI *memoriam ſaecularem maxime venerabilis & ſacrae ſynodi Dordrechtanae, ſolenni oratione celebratam*, quae in eadem *bibliotheca* exhibetur *claſſe IV. faſc. III. p. 417. ſeqq.*

ibid. cum conſultatione de auctoritate concilii Dordraceni &c.) In hac ipſa etiam *diſſertatione* auctor doctiſſimus varia adfert, ad hiſtoriam iſtius concilii ſpectantia, etſi reformatae eccleſiae doctoribus, conciliique iſtius defenſoribus, parum grata. Hinc STEPHANVS VITVS ſynodi iſtius, ſimulque reformatorum, agere cauſſam, ſuarum duxit eſſe partium, edita *apologia, in qua ſynodus Dordracena & reformata fides, ab iniquis criminationibus, quibus cum alii, tum vero maxime doctiſſimus celeberrimus Ioannes Laurentius Moshemius, in eruditiſſima conſultatione, quam Ioan. Haleſii epiſtolis praemiſit, pie ſacrae inter proteſtantes pacis negotio temere interceſſerunt, vindicatur*; Caſſellis anno 1726. 8. Quo in ſcripto cum maiorem omnes deſiderent modeſtiam; mirum non eſt, auctorem aliorum iterum expertum eſſe cenſuras: iuſtam autem reſponſionem MOSHEMIVS dabit: conf. IO. CHRITOPH. COLERI *auſerleſene theologiſche Bibliotheque part. XIX. num. I. p. 578. ſeqq.* item *monathliche Nachrichten von gelehrten Leuten vnd Schrifften &c. anno MDCCXXVI. menſ. Septembr. num. IV. p. 750. ſeqq.*

p. 452. Expoſitionem iſtorum articulorum &c.) Spectat huc etiam THOMAE BENNETI *introductio in ſtudium I) theologiae ſyſtematicae, II) articulorum XXXIX. normalium eccleſiae anglicanae &c.* quam ſupra iam ad *lib. I. cap. I.* commemorauimus. Nimirum non tantum *articulos* hoſce *XXXIX. normales* eccleſiae anglicanae recenſet; ſed & illuſtrat praecipuis in illos theologorum Anglorum adnotatis

d by Google

adnotatis commentationibus. Idem vero BENNETVS etiam lingua anglicana edidit: *tentamen in triginta nouem articulos religionis compoſitos anno MDLXII. & reuiſos anno MDLXXI. in quo, textu latine & anglice exhibito, & minutiſſimis variationibus octodecim antiquiſſimorum & authenticorum exemplarium adcurate notatis, refertur, quomodo ſynodus eccleſiaſtica proceſſerit in formando & conſtituendo textu, controuerſa clauſula vigeſimi articuli demonſtratur eſſe genuina, & cauſſa ſubſcribendi articulis iuxta legem, hiſtoriam & conſcientiam expenditur &c.* Londini anno 1715 in 8. cuius ſummam legere licet in *actis eruditor. Lipſienſibus anno M DCC XVI. menſe Nouembr. p. 491. ſeqq.*

p. 455. Quae ad formulae iſtius hiſtoriam ſpectant &c.) Poſtquam iſta ſcripſeram, prodierunt etiam *memoires pour ſervir a l' hiſtoire des troubles arrivés en Suiſſe, a l' occaſion du conſenſus*, Amſtelodami anno 1726. 8. Quorum quidem *commentariorum* auctor, licet ſuum ſubinde interponat iudicium; ab omni tamen partium ſtudio ſe alienum eſſe, profitetur. Immo prodiit eodem tempore ipſa formula conſenſus, ſiue *formulaire de conſentement des egliſes reformées de Suiſſe, ſur la doctrine de la grace univerſelle, & les matieres, qui s' y rapportent, comme auſſi ſur quelques autres articles; traduit en françois, avec des remarques*, Amſtelodami in 8. Exhibetur ibi *formula* haecce latine, cum verſione gallica; cuius verſionis auctor & *adnotationes* quasdam addidit, in quibus *formulae* iſtius conditores paſſim perſtringit, iisque obiicit, quod ſententiam eorum, quos damnarunt, non recte retulerint; quod ſcripturae effata adduxerint, quae nihil ad rem faciant; quod in ratiociniis ſuis peccauerint, immo quod ſibi ipſi contradixerint; opponit illis contra non tantum dicta ſcripturae, eorum adſertis diſerte repugnantia; ſed & teſtimonia veterum Heluetiae theologorum, qui de hisce capitibus longe aliter docuerint.

p. 462. aduerſus D. Borthenium, hoc eſt, Ioan. Reinbothium &c.) De controuerſia, quae inter Ioannem Reinbothium, theologum Holſatum, praeſulemque Slesuicenſem, & Io. Conradum Danhauerum interceſſit, quaeue ad ſyncretiſticas, eo tempore agitatas, ſpectat, conferendus IOANNES MOLLERVS in *iſagoge ad hiſtor. cherſon. Cimbr. part. II. cap. VII. p. 190. ſeqq.* Addendi, quos laudat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica* in *notis ad epiſt. XXVI. p. 122. ſeqq.*

p. 467. Hunc vero non tantum &c.) Plures, qui IO. DEEZIVM refutarunt, commemoraui *lib. II. cap. VII.* ad §. *IX.* Eos, qui ex noſtratibus hoc praeſtiterunt, recenſet IOAN. FABRICIVS in *hiſtoria bibliothecae* ſuae *part. VI. p. 512. ſeqq.* Nonnulla etiam, ad hiſtoriam huius certaminis ſpectantia, obſeruat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtol. not. ad epiſtol. XCIV. p. 397. ſeqq.*

AD LIBRI II. CAP. III.

P. 481. Exſtiterunt deinceps & alii &c.) Libris hisce auctorum pontificiorum, de ſcriptoribus eccleſiaſticis agentium, quos commemorauimus, addendum adhuc *breuiarium criticum de ſcriptoribus eccleſiaſticis*; *ſeu critique abregée des ouvrages des auteurs eccleſiaſtiques*, auctore I. G. theologiae doctore in facultate Pariſienſi, Pariſiis 1716. duobus tomis in 12. editum. In *actis eruditorum Lipſienſibus*, vbi liber hicce recenſetur, ita de eo pronuntiatur: auctorem equidem profiteri, con-

conſtitutum ſibi fuiſſe, *omiſſis digreſſionibus breuiter repraeſentare cuiusuis auctoris eccleſiaſtici genuinos libros, ab iisque ſuppoſititios diſcernere, adiectis cauſſis, cur quisque pro libro genuino vel ſubdititio ſit habendus; verum in progreſſu libri videri eum ſcopi ſui oblitum eſſe, ſiquidem ad recentiora delatus tempora ſine vlla κρίσει merum exhibeat, eumque ſatis indiligenter compoſitum, catalogum ſcriptorum eccleſiaſticorum ad noſtra vsque tempora; anno MDCCXVII. menſ. Iun. p. 255.* vbi & varia eius παροράματα indicantur.

p. 488. Sed quosdam, aut certi generis patres & ſcriptores eccleſiaſticos recenſet &c.) Locum hic omnino ſibi adhuc vindicat IOSEPHVS SIMONIVS ASSEMANVS, ob *bibliothecam orientalem Clementino-Vaticanam*, quam *recenſuit, digesſit, & genuina ſcripta a ſpuriis ſecreuit, addita ſingulorum auctorum vita;* cuius & hucusque duo, quantum mihi conſtat, prodierunt tomi; prior Romae anno 1719. poſterior ibidem anno 1721. vterque in fol. De plurimorum nimirum orientalis eccleſiae doctorum vita & ſcriptis parum aut nihil nobis conſtat, eo, quod ex ſcriptoribus orientalibus eorum haurienda eſt notitia. At horum, quae fidem mereantur, pauca superſunt monumenta, & quae ſuperſunt, non in omnium verſantur manibus, aut ab omnibus intelligi poſſunt. *Chaldaeorum* equidem *librorum catalogum* edidit HEBED IESV, quem in linguam latinam conuerſum, cum *praefatione* ac *notis* euulgauit ABRAHAMVS ECCHELLENSIS, recudi autem in *concordia*, quam vocat, *nationum chriſtianarum &c.* curauit BARTHOLDVS NIHVSIVS, Moguntiae 1655 8. At auctorum ſolum nomina & titulos librorum recenſet, adeoque ſatis *ieiune*, vt ABRAH. ECCHELLENSIS ipſe in *praefat. p. 9.* pronuntiat, de iſtis ſcriptoribus egit. Plenius equidem, maiorique ſtudio, opus idem iſte ABRAHAMVS ECCHELLENSIS *l. c.* promiſit. *Quamobrem*, inquit, *in ſtudioſorum gratiam, breui, Deo fauente, ſequetur noſtra orientalis bibliotheca, quae ad vmbilicum vsque iam perducta eſt; vbi non ſolum chaldaei, ſyrique percenſentur ſcriptores, ſed ingenti quoque numero arabes; nec eccleſiaſtici tantum, ſed & profani. Nec ita ieiune agimus de noſtris ſcriptoribus, vt de ſuis egit* HEBED IESV, *verum ſingulorum, quantum datur, deſcribimus chronologiam, patriam indicamus, referimus apophthegmata, proferimus peculiares opiniones & ſectas &c.* Verum haecce *bibliotheca orientalis* cum ipſo auctore exſpiraſſe videtur, cum breuis ſolum ſcriptorum eccleſiaſticorum & profanorum index in calce *Eutychii vindicati* adpareat. FAVSTVS NAIRONVS in praefatione *euopliae fidei catholicae romanae hiſtorico-dogmaticae, ex vetuſtisſimis Syrorum ſeu Chaldaeorum monumentis, erutae,* Romae anno 1694. 8. nonnullos ſcriptores orientales recenſet; ſed argumentum hoc itidem non exhaurit, quod nec IO. HENRICVM HOTTINGERVM in *bibliotheca* ſua *orientali* feciſſe, conſtat. HERBELOTIVS autem in ſua *bibliotheca orientali*, gallice ſcripta, de arabicis ſolum, perſicis, ac turcicis ſcriptoribus ſollicitus fuit. ASSEMANO itaque hoc relictum fuit, vt ex bibliothecae Vaticanae codicibus, partim magno numero iam pridem ibi exſtantibus, partim itineris ſui, ſumtibus Clementis XI. pontificis Romani, in Syriam & Aegyptum ſuſcepti, ope aduectis, nouam ac pleniorem bibliothecam orientalem conderet. Hanc vero in quatuor diuiſit claſſes; quarum *prima* auctores Syros orthodoxos, Iacobitas & Neſtorianos, ſiue ii primum ſyriace ſcripſerint, ſiue ex aliis linguis in ſyriacam tranſlati fuerint, continebit; *altera* Arabes, tum chriſtianos, tum Mohammedanos; *tertia* Coptorum & Aethiopum monumenta; *quarta* ſacros Syrorum codices,

ſyria-

ſyriace vel arabice ſcriptos, vt biblia ſacra, rituales libros, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ad rem eccleſiaſticam ſpectantia, complectetur. Primae claſſis, vtpote admodum diffuſae, quatuor rurſus tomos conſtituit, quorum *primus* ſcriptores ſyriacos orthodoxos, *ſecundus* Iacobitas; ſeu monophyſitas, *tertius* Neſtorianos, *quartus* graecos, latinos, aliarumque gentium ſcriptores, in ſyriacam linguam conuerſos, ſiſtet. Subnectet & *catalogum* HEBED IESV, de quo antea dictum, ſed ex ſyriaco recuſum & ad codices Vaticanos emendatum, patriarcharum quoque ſyrorum, Maronitarum ſcilicet, Melchitarum, Iacobitarum & Neſtorianorum ſeriem adiunget. Primus itaque atque ſecundus tomus tam ampli operis, in quo non tantum ſcriptorum orientalium nomina, aetas, acta, referuntur, ſed libri quoque eorumque auctoritas, antiquitas, argumentum, vſus indicantur, hucusque lucem adſpexerunt publicam, reliqui, pariter ac pars ſecunda, tertia, & quarta adhuc exſpectantur. Vterque *tomus* recenſetur in *actis eruditorum Lipſienſibus*, prior ſupplementor. *tomo VIII. ſect. I. p. 1. ſeqq.* poſterior *anno MDCCXXIII. menſ. Ianuar. p. 5. ſeqq.*

ibid. quae de praecipuis orientalis eccleſiae ſcriptoribus &c.) In *primo tomo* exhibetur vita Dionyſii, vt vulgo vocatur, areopagitae, Ignatii, Polycarpi, Hierothei, Papiae, Quadrati; in *ſecundo*, Abercii, Hierapoleos, in Phrygia epiſcopi, Iuſtini, philoſophi & martyris, Irenaei, Hegeſippi, Theophili Antiocheni, Dionyſii, Corinthiorum epiſcopi, Pinyti, Croſſiorum epiſcopi, Philippi, Gortynae epiſcopi, Apollinaris, Hierapoleos epiſcopi, Melitonis, Sardium epiſcopi, Pantaeni, gymnaſiarchae Alexandrini, Serapionis, epiſcopi Antiocheni. Adiuncta ſunt e Graecorum menaeo, de iisdem ſanctis viris *elogia graeco-latina*, ex eiusdem auctoris verſione, item *notationes & quaeſtiones quaedam ad vitarum confirmationem & illuſtrationem pertinentes.* In hisce *notationibus & quaeſtionibus* auctor non tantum hiſtorica, ſed & theologica tractat. Sic ad *vitam Abercii, Hierapoleos in Phrygia epiſcopi*, quaeſtio hiſtorica eſt, *an M. Aurel. Antoninus & L. Verus imperatores edictum aduerſus chriſtianos ediderint?* theologica: *cur Deus, cum bonus ſit, ſupplicia inferat? & vtrum inferre poſſit, praeſertim aeterna?* item: *vtrum Deus talem creare debuerit hominem, vt bene quidem agere poſſet, male autem non poſſet?* Hinc cuiusmodi reliqua ſint, quam auctor obſeruet tractandi rationem, diiudicare licet.

p. 489. eruditionis laudem patribus non poſſe denegari, ſed eam &c.) Eadem eſt ſententia HERMANNI WITSII, cuius digna ſunt, quae hic legantur, verba. Cum enim dixiſſet, aegerrime ſemper eorum ſe tuliſſe inſtitutum, qui quauis non data ſolum, ſed & quaeſita occaſione, in patrum naeuis detegendis, ingloriam diligentiam exercuerunt, ita pergit: *At ignoſcant mihi ſanctorum heroum calidisſimae animae, ſi noſtro huic ſaeculo quemdam, quo carendum ipſis fuit, felicitatis gradum diuina munificentia obtigiſſe pronuntiem. Iecerint illi eruditionis theologicae fundamenta; non abnuo. Viam ſtrauerint accuratiori indagationi; non repugno. Polluerint ingenio atque induſtria; ipſe ego laudibus iſta meis maiora eſſe praedico. At certe non pauca eſſe, atque exigua, quae noſtris nunc theologis, ex omnibus antiquitatis, praecipue orientalis, recesſibus, incredibili labore eruta, & ad oraculorum noſtrorum mentem exponendam feliciter adhibita ſunt, priſcis autem illis ne fando quidem audita erant, nemo, niſi inexpertus, aut oppido ceruicoſus, inficias iuerit. O! quam beatos ſeſe ipſi illi veteres praedicauiſſent, quanto exultauiſſent gaudio, in* quas

Digitized by Google

quas immortali Deo gratias ſe effudiſſent, ſi ex omnibus illis, quibus nos nunc abundamus, chriſtianae religionis inſtitutionibus, haereticorum refutationibus, in ſacras litteras commentationibus, pauculas quasdam, ſed inſigniores, percurrere datum iis fuiſſet. Orat. de felici an infelici reipubl. literariae, hoc ſaeculo, ſtatu, miſcellaneor. ſacror. tom. II. p. 944.

p. 500. eclectica philoſophandi ratio auctore Potamone Alexandrino orta &c.) Inter eos, qui hanc philoſophandi rationem ſequuti ſunt, primum fere praecipuumque locum tenet AMMONIVS, cognomento SACCAS, qui Alexandriae docuit, cumque is circa Commodi, imperatoris, tempora imprimis floruerit, fieri potuit, vt aliquem ex POLEMONIS diſcipulis audiret; certe ſcripta eius quin legerit, non eſt, quod dubitemus. Ex huius ſchola plurimi non tantum gentilium philoſophi, ſed & chriſtiani prodierunt, qui hanc philoſophandi rationem longe lateque propagarunt. Licet autem eclectici eſſent, plurimum tamen philoſophiae orientali, quae ex HERMETIS, ZOROASTRIS, ſimiliumque fontibus fluxerat, tribuebant; interim tamen Platonici videri volebant, quemadmodum & inter graecos philoſophos PLATONEM maximi faciebant. Atque hinc quaenam patrum eccleſiae, qui ex eadem AMMONII ſchola prodierunt, quos inter ORIGENES eminet, philoſophia fuerit, intelligere licet. Non minus vero & inde perſpicitur, quo ſenſu patres iſti & Platonici, & eclectici vocari queant. Lucem hic vberiorem dabunt, quae hanc in rem ad *lib. I. cap. IV. §. XXII. p. 202.* copioſius dixi.

p. 513. Irenaeum euangelicae veritatis confeſſorem -- exhibuit Salomo Deylingius) Idem vir eruditiſſimus etiam *ſanctum Cyrillum Hieroſolymitanum, a corruptelis pontificiis, quas recentiſſimus eius elucidator Antonius Auguſtinus Touttaeus, aliique ei adſinxerunt, purgatum & vindicatum*, peculiari diſſertatione, nobis ſupra iam laudata, dedit, Lipſiae anno 1726. 4.

p. 515. laudandum inſtitutum viri doctiſſimi Caroli Gottofredi Engelſchallii &c.) Edidit deinde idem vir doctiſſimus, *iteratum ad eruditos alloquium, de operibus doctiſſimis Ioan. Dallaei in lucem propediem edendis*, Dresdae 1728. 4. in quo rationem indicat, cur hucusque iſta operum DALLAEI editio, cuius ſpem fecit, lucem non adſpexerit, ſimulque vitam DALLAEI propediem ſe editurum pollicetur, & varia doctorum virorum elogia de eo exhibet. Conferendus interim de vita & ſcriptis DALLAEI, NICERONIVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſt. des hommes illuſtres dans la republique des lettres &c. tom. III. p. 66. ſeqq.*

p. 523. Sed alia adhuc &c.) Nonnulla, quae huc faciunt, obſeruat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica not. ad epiſt. LXXVI. p. 309.*

ibid. Nos vero priusquam hinc diſcedamus) Nonnullos, qui commemoratis addi poſſunt, laudat CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theolog. litter. notis ampliſſimis illuſtrata, part. III. lib. IV. §. IV. p. 185. ſeqq.*

ibid. Ingentem librorum ſuppoſititiorum &c.) Nec tamen ideo aut omnia aut pleraque patrum ſcripta in dubium vocanda, quod IO. HARDVINVM feciſſe conſtat, cuius *παράδοξον*, aut impium potius & ineptum commentum detexit ac profligauit doctiſſimus vir MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROZE in *vindiciis veterum ſcriptorum contra Io. Harduinum p. 17.* alibique. Conferenda etiam *epiſtola* cuiusdam *ex -- Ieſuitae de operibus, patribus eccleſiae falſo tributis, & famoſo hac in re Harduini ſyſtemate*, quae exſtat *dans la bibliotheque raiſonnée des ouvrages*

igitized by Googl

ges des ſçavans de l' Europe tomo I. artic. VI. p. 71. ſeqq.

ibid. vbi & de variis ſuppoſitionum cauſſis diſſerit) Conferenda hic etiam IO. LAVRENTII MOSHEMII diſſertatio *de cauſſis ſuppoſitorum librorum inter chriſtianos ſaeculi I. & II.* Helmſtadii an. 1725. 4. Addenda omnino, quae ſupra ad *lib. I. cap. IV. p. 182.* diximus.

p. 524. Quantae olim in Romana eccleſia &c.) Si pluribus exemplis, quantum rei theologicae & eccleſiaſticae interſit, vt ſcripta patrum genuina a ſpuriis diſcernantur, comprobare vellem, commemorandae cumprimis eſſent epiſtolae IGNATII. De hiſce enim, praeſertim quaenam ex iis genuinae ſint, quanta animorum contentione inter viros doctos diſceptatum ſit, neminem fugit. Hiſtoriam iſtius certaminis accurate & diligenter ediſſerit CHRISTOPHORVS BEYERVS, in *diſſertatione hiſtorico-critica*, eaque poſteriori, *de Ignatio veritatis confeſſore & martyre*, Lipſiae 1722. 4. euulgata.

p. 526. iure meritoque iis exprobrari &c.) Immo non deſunt inter eos, qui adeo hoc non diffitentur, vt defendant quoque, idque ſibi ius faſque eſſe contendant. Omnium inſtar ſit IACOBVS GRETSERVS, qui diſerte, *ius*, inquit, *hoc ſemper & eſt, & fuit, & erit penes eccleſiam, vt quae gregi detrimentum adferunt, ſollicite amoliatur. Et ſi integrum librum proſcribere fas eſt, fas etiam erit, proſcribere partem libri, ſeu magnam, ſeu paruam, eam exſcindendo, delendo, oblitterando, vel ſimpliciter omittendo, idque ob lectoris vtilitatem.* Probat id quoque exemplo CASSIODORI, qui hoc ſibi neutiquam duxerit religioni. *Fecit*, inquit, *hoc iam olim magnus ille Caſſiodorus, cui nihil magis curae cordique erat, quam vt monachis bibliothecam, ab omni labe puram intactamque compararet, & poſt ſe quaſi teſtamento relinqueret. Quare non contentus latinos ſcriptores vndique conduxiſſe & collegiſſe; Graecos itidem non paucos in latinam linguam transferri curauit, ita tamen vt ſi quid dogmatum ſinceritati aduerſari videretur, id latinis auribus inferendum minime arbitraretur;* id quod prolatis ipſius CASSIODORI verbis confirmat, *de iure & more probibendi, expurgandi, & abolendi libros haereticos & noxios &c. lib. II. cap. X. p. 329.* Et ſane in more poſitum fuiſſe CASSIODORO, vt remouendo a codicibus, quos deſcribi curabat, quae ipſi noxia videbantur, eos non tam emendaret, quam corrumperet, negari nequit, & nobis quoque obſeruatum eſt *lib. II. cap. VIII.* ad §. *IX.* Sed hoc ipſum iure meritoque in CASSIODORO reprehenditur; nec is ille eſt, qui exemplo ſuo efficere queat, vt iuſtum rectumque cenſeatur, quod iniquiſſimum eſſe, ipſa omnes condocet ratio. Efficitur enim hoc pacto, vt numquam poſteri intelligere queant, quid veteres ſenſerint aut dixerint, ſed quid intempeſtiui iſti correctores aut corruptores potius eos dicere voluerint. Cumque eodem iure haeretici hoc facere potuiſſent, (quod & interdum eos feciſſe conſtat) quo catholici ſeu orthodoxi ſe hoc facere poſſe arbitrati ſunt, vitio illis verti non potuiſſet, ſi omnia veterum loca, quae illorum erroribus aduerſantur, ſuſtuliſſent. Vnde tandem, ſi mos hicce adprobetur, nihil certi firmique in omni antiquitate relinqui neceſſe eſt. Quando itaque GRETSERVS quaerit: *Quomodo hoc Caſſiodori factum praedicantibus arridet? Num & bic crimen falſi intonabunt?* reſponſionem noſtram facile perſpicere poteſt. Citra omnem haeſitationem dicimus, peſſima fide hic egiſſe CASSIODORVM, & a crimine falſi abſolui non poſſe. Atque hinc quid de reliquis, quae producit, exemplis ſentiamus, manifeſtum eſt. Prouocat namque ad EVSEBIVM, Vercellenſem, de quo HIERONY-

RONYMVS dicat: *qui omnium pſalmorum commentarios haeretici hominis vertit in noſtrum eloquium, licet haeretica praetermittens, optima quaeque transtulerit;* prouocat ad exemplum ipſius HIERONYMI, qui ex ORIGENE, quae bona ſunt, transtulerit, mala vel amputauerit, vel correxerit, vel tacuerit; *l. c. p. 331.* Quantumuis enim iſti conſilio non malo hoc fecerint; laudandi tamen non ſunt, cum, vt in deſcribendis aliorum codicibus, aut libris eorum vertendis, veram & genuinam eorum exhibeamus ſententiam, fidei & ſinceritatis ratio poſtulet, quam qui inſuper habent, a crimine abſolui nequeunt. Ceterum quod Romanae eccleſiae addictis recte obiiciatur, ſcripta patrum ab iis interdum corrumpi ac deprauari, ex inſtituto demonſtrant theologi Saxonici in *der nochmaligen haupt - vertheidigung des euangeliſchen Aug-apffels &c. cap. XXXV. p. 491. ſeqq.*

p. 527. Notitiam enim hinc adcuratiorem haurire licet &c.) Addendus omnino PHILIPPVS LE CERF, quem in *bibliotheca* ſua *hiſtorica & critica auctorum congregationis ſancti Mauri*, gallice, Hagae Comitum anno 1726. 8. edita, quaedam adcuratius tradere, quam a BERNARDO PEZIO factum, naeuos etiam & errores auctorum, quorum vitam & ſcripta recenſet, non diſſimulare, ſupra iam obſeruauimus. Subiunctus etiam *bibliothecae* eius eſt *catalogus operum a patribus profeſſorum, & ſtudio atque cura Benedictinorum ex congregatione ſancti Mauri editorum.*

p. 529. vel operum Auguſtini editionis exemplo conſtat) Plenius hiſtoriam iſtius certaminis ob editionem operum AVGVSTINI enarrat PHILIPPVS LE CERF, *l. c. p. 23. ſeqq.* vbi & reliqua ſcripta in hacce cauſſa edita, & a nobis praetermiſſa recenſet.

p. 530. Cum autem poſt editam hancce Ittigii commentationem &c.) Collectionibus hisce patrum, aliorumque ſcriptorum eccleſiaſticorum, quae poſt THOMAE ITTIGII *tractatum de bibliothecis & catenis patrum* prodierunt, quasue commemorauimus, aliae adhuc addi poſſunt. Referre namque huc licet *ſacrae antiquitatis monumenta hiſtorica, dogmatica, diplomatica, notis illuſtrata* a CAROLO LVDOVICO HVGO, abbate Stiuagii &c. quorum tomus I. Stiuagii anno 1725 fol. prodiit. Licet enim medii, partim & recentioris aeui, iſta ſint monumenta; quaedam tamen lucem aliquam hiſtoriae eccleſiaſticae conciliare poſſunt. Cumprimis obſeruatu digna eſt, quae in iis exſtat, NICOLAI PSALMAEI *collectio actorum & decretorum ſacri oecumenici concilii Tridentini;* quae duabus conſtat partibus; quarum prior acta & canones iſtius concilii ab anno 1551 ad 53; poſterior autem, quae & ſpeciatim: *medulla votorum & ſententiarum patrum concilii Tridentini, ſuper praecipuis materiis propoſitis in congregationibus, ab aduentu eminentiſſimi cardinalis Lotharingici cum epiſcopis gallis, ad conſeſſus ſolutionem*, inſcribitur, reliqua, quae ab anno 1552 vsque ad finem concilii contigerunt, continet. Adiunctae etiam hisce ſunt eiusdem PSALMAEI *elucidationes nonnullorum locorum ſacri concilii Tridentini, a ſanctae Romanae eccleſiae cardinalibus, dicti concilii interpretibus, nonnullis praelatis & aliis conceſſae.* Recenſetur hocce opus *in actis erud. Lipſ. an. MDCCXXVI. menſe Mart. p. 97. ſeqq.* Nec alienus ab hoc loco eſt IOANNIS SCHILTERI *theſaurus antiquitatum teutonicarum, eccleſiaſticarum, ciuilium, litterariarum, tomus primus, exhibens monumenta eccleſiaſtica chriſtiana veterum Francorum & Alemannorum vernacula; edita, inedita; Otfridi monachi Weiſſenb. opus euangelicum; Notkeri pſalterium &c. poſt ſedulas beati Schilteri curas* (ita inſcriptio porro ſe habet) *Otfridum*

dum ad vetuſtiſſimos codices manuſcriptos caſtigauit emendauitque, *Willeramum & Kronem plane ineditum nouos e manuſcriptis dedit*, *notas & aliorum*, *& ſuas plurimas addidit* IOAN. GEORGIVS SCHERTZIVS &c. *praefationem generalem praemiſit* IOAN. FRICKIVS, Vlmae 1727. Varia enim & in eo theologiae patriſticae, cumprimis exegeticae, inſeruientia, continentur. Conferenda quoque, quae ſupra *lib. I. cap. IV. p.178.* & in *addendis* ad *iſtum locum*, de iis, qui veterum monumenta, nondum edita, collegerunt, diximus.

p. 534. theſaurum eccleſiaſticum e patribus graecis &c.) Noua praeſtantiſſimi huius operis editio eaque, vt inſcriptio docet, priori emendatior, elegantior, & longe auctior, prodiit, ſi iterum inſcriptioni fides habenda, Amſtelaedami anno 1728. fol. In praefatione ſignificatur, in hac editione plurima errata typographica, quaedam etiam ipſius auctoris, & inter haec iſta, quae exinde orta erant, quod verſiones ſcriptorum graecorum latinas parum accuratas ſequutus eſſet, ſublata eſſe. *Supplementa* & *additiones*, quae operi huic ſubnectuntur, & IO. HENRICVM SVICERVM, filium, auctorem agnoſcunt, quamuis & quaedam IO. CASP. ESCHERO debeantur, non equidem adeo multae ſunt, nec omnes ad praecipuum operis huius ſcopum faciunt; lectu tamen non indignae, minimeque contemnendae ſunt.

ibid. Pariſiis duobus tomis &c.) Acceſſit & *tertius tomus* Lugduni anno 1720. 4. in quo vt ea, quae in *tomo ſecundo* de ratione, veras traditiones a falſis diſcernendi, dixerat, exemplis vlterius illuſtrare pergit; ita varias traditiones ab aliis, per abuſum, vt putat, artis criticae reiectas, in priſtinum reſtituere locum omni conatu ſatagit. Hinc *differt. I.* de anno, menſe, & die, quo mortuus eſt mundi ſeruator, agens, ex principiis aſtronomicis & chronologicis certi quid hac de re definiri poſſe, negat, adeoque tutius eſſe, ſi ad traditionem, veterumque quorumdam ſcriptorum auctoritatem hic nos recipiamus. Cui eius ſententiae etſi diſſenſus patrum circa annos Chriſti, eorumque in temporum rationibus ignorantia, & alia, ipſo non diffitente, opponi queant: ab ea tamen ſe dimoueri non patitur. De ritibus quibusdam paſchalibus, more ſuo, *differt. II.* verba facit; & de antiquis liturgiis *differt. III.* Vbi quidem fatetur, initio, ſeu in ipſo naſcentis eccleſiae chriſtianae primordio, liturgiam oratione dominica, & verbis inſtitutionis, conſtitiſſe. Simul tamen putat, Paulum nobis exemplum aliquod liturgiae reliquiſſe *I. Tim. II. 1. 2.* Quae autem ſub Iacobi nomine exſtat, fundamentum eſſe omnium liturgiarum, quae in eccleſia orientali fuere receptae. De *miſſa* quoque *latina*, a MATTHIA FLACIO, illyrico, olim edita, copioſe diſputat. De lingua, qua vetus eccleſia in celebratione myſteriorum & cultu publico vſa ſit, diſquirit *differtat. IV.* atque ex titulo ſeu inſcriptione crucis Chriſti probare adnititur, ſola lingua ebraica, graeca & latina cultum publicum peragendum eſſe. In prioribus quatuor ſaeculis nouum teſtamentum ea lingua exſtitiſſe, vt promiſcue ab omnibus legi potuiſſet, ſatis impudenter contra RICHARDVM SIMONEM negat. *Diſſertatione V.* & *VI.* de reliquiis Chriſti & ſanctorum; & denique *diſſertatione VII.* de teſtimoniis quibusdam ſcriptorum profanorum, in quibus Chriſti, ſeruatoris noſtri, mentio inicitur, tractat. Vbique autem id ſtrenue agit, vt traditionum, quantumuis omni ſpecie veri deſtitutarum, fabularumque dudum exploſarum, pariter ac grauiſſimorum Romanae eccleſiae errorum, acerrimum vindicem ac adſertorem ſe demonſtret. Ad ea, quae circa

tomum

tomum ſecundum illi a quibusdam obiecta fuerunt, inter quae primum eſt, *principia eius ad nimiam ducere credulitatem*, in *praefatione* reſpondere adnititur. Mitto reliqua, quae de hocce opere moneri poſſent.

p. 539. Noua denique editio hoc ipſo, quo haec ſcribo, anno &c.) In ea non tantum eadem, quae in priori, continentur, ſed acceſſerunt etiam HENRICI BVRTONI, & IOAN. DAVISII *notae in epiſtolas Clementis Romani*, itemque BOYSII quaedam. BVRTONI notas ex anglicana lingua in latinam transtulit IO. CLERICVS, qui & duas diſſertationes adiecit, GVIL. WHISTONO oppoſitas, de *conſtitutionibus apoſtolis* alteram, alteram de *Ignatii* epiſtolis. In priori, *conſtitutiones* iſtas non eſſe apoſtolorum, ſed hominis cuiusdam Ariani, euincit; immo, nemini eas rectius tribui poſſe, exiſtimat, quam LEONTIO, Tripolitano in Lydia epiſcopo, qui tempore Conſtantis imperatoris vixerit, & acerrimus diſciplinae eccleſiaſticae defenſor, ſimul vero partibus Arianorum addictus fuerit. In poſteriori autem breuiores illas IGNATII *epiſtolas* ſinceras & genuinas, longiores autem ab Arianis interpolatas eſſe, demonſtrat, profligatis WHISTONI rationibus, quibus, ſecus ſe rem habere, probare voluit. Conferendus CLERICVS ipſe, non tantum *l.c.* ſed & *tom. XXII. part. II. artic. I. p. 237. ſeqq.*

p. 540. quorum alterum illorum eſt, qui plus &c.) Ipſos etiam patres ſibi inuicem olim nimium tribuiſſe recte obſeruat ISAACVS CASAVBONVS. *Veteres illi chriſtiani*, inquit, *ex modeſtia quadam, vt ſuſpicor, minus ordinata ſibi inuicem tribuebant nimium. Quis ferat, quod Gregorius Nyſſenus fratrem Baſilium comparat, vel etiam praefert Moſi in hiſtoria creationis. Iam de Paulino Nolano ad monachismum conuerſo quanta fuit veterum admiratio. Itaque Africani epiſcopi optarunt, illum ceu alterum ſolem ſuae terrae illuceſcere. At enimuero Paulino detractum nihil volumus, viro pio & ſancto. Fatendum tamen eſt, cum ipſius poëmata legas, dubitare te poſſe, an ſatis bonus chriſtianus fuerit; tantum enim fere ſanctis tribuit, quantum τῷ σωτῆρι, quod nobis quidem non probatur;* in *Caſaubonianis p. 146.*

ibid. quam rurſus imminuere & extenuare quauis ratione laborent &c.) Hoc vel NATALIS ALEXANDRI comprobari exemplo poteſt; qui, cum omnia fere adſerta ſua patrum teſtimoniis probet, quoties tamen eos ſententiae ſuae refragari videt, parum illorum curat auctoritatem. Sic de liberatione commentitia Traiani imperatoris ab inferis, diſputans, cum inter reliquas obiectiones hanc quoque propoſuiſſet, quod IOANNES DAMASCENVS in *oratione de fidelibus defunctis*, Traianum ſancti Gregorii precibus ab inferis liberatum adfirmet, iſtudque miraculum totius orientis & occidentis teſtimonio comprobet, primo quidem orationem iſtam ipſius IOANNIS DAMASCENI eſſe, negat. Deinde ita pergit: *reſpondeo ſecundo: quod etſi haec oratio genuinus eſſet ſancti Ioannis Damaſceni foetus, maior ipſi non eſſet adhibenda fides; quin tot argumentis probaretur, illum fuiſſe in hac facti quaeſtione deceptum, quot momentis propoſitionem noſtram probauimus. Nec vero cedit in ſanctorum patrum iniuriam, adſerere, quod in rebus praeſertim hiſtoricis aliquando decepti fuerint, cum & in dogmatibus erraſſe nonnullos nemo neget.* Fatetur ergo, quod non tantum in rebus hiſtoricis interdum decepti ſint patres, ſed & quod nonnulli in *dogmatibus* errauerint. *Certe*, ita pergit, *ſanctus Gregorius, Nazianzenus, Damaſceno maior & doctior theologus a Graecis antonomaſtice nuncupatus, cuius dictis nullus vnquam inferre auſus eſt*

eſt calumniam (vt vir ſanctus Thomas) duos Cyprianos, Antiochenum & Carthaginenſem, in vnum conflauit, ea in oratione, quam habuit in laudem ſancti Cypriani. An idem propterea adſerendum eſt? Sanctus Auguſtinus antipodes exſtare negauit. An hac in re ſequendus? Cur ergo ſequeremur ſanctum Ioannem Damaſcenum, fabulam de Traiani liberatione obtrudentem? Tam immutabilis veritas eſt, vt cuiusuis patris auctoritas efficere non poſſit, vt verum ſit id quod falſum eſt, & falſum eſſe, quod certiſſimis monumentis comprobatur, vt factum ſit, quod factum non eſſe ipſis, vt ita loquar, ſolis radiis demonſtratur; hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. II. diſſertat. I. p. 317. & *318.* Plura eiusdem generis ex eodem auctore collegit ELIAS VEIELIVS in *diſſertat. iſagogica in ſelecta hiſtoriae eccleſiaſt. capita Natalis Alexandri artic. II. p. 22. ſeqq.* Generatim autem, quod Romanae eccleſiae addicti exiguum pretium ſtatuant, eosque erroris argui, & quod haeretica admiſerint dogmata accuſari, oſtendunt theologi Saxonici in *der nochmaligen haupt-vertheidigung des euangeliſchen Aug-apffels cap. XXXV. p. 495.*

ibid. facile fieri potuit, vt ad alterum prolaberentur, certe prolabi viderentur &c.) Non procul ab hocce extremo abeſſe videtur DANIEL WITHBY, in *diſſertatione de ſacrarum ſcripturarum interpretatione ſecundum patrum commentarios, in qua probatur; I) ſacram ſcripturam eſſe regulam fidei vnicam, ex qua de omnibus articulis fidei, creditu neceſſariis ad ſalutem, iudicium ferendum eſt; II) patres, ſiue primaeuos, ſiue ſubſequentes, non eſſe idoneos ſacrae ſcripturae interpretes; III) non poſſe controuerſias, de ſacra trinitate motas, ex patribus, conciliis, aut traditione vere catholica, certo definiri;* Londini 1714. 8. Recenſet hancce *diſſertationem* IOAN. CLERICVS *biblioth. anc. & mod. tom. VI. part. I. art. III. p. 128. ſeqq.*

ibid. Ex inſtituto quoque Lutheri cauſſam &c.) Idem fecerunt theologi Saxonici in *der nochmaligen haupt-vertheidigung des euangeliſchen Aug-apffels &c. cap. XXXV. p. 496.*

AD LIBRI II. CAP. IV.

P. 563. Syriaca enim licet vſus ſit lingua &c.) Hoc non veroſimile modo, ſed plane exploratum eſſe viri docti iudicant, cum linguae graecae non eſſet gnarus, certe non ita peritus, vt ea, cum loqueretur aut ſcriberet, vti potuiſſet; quamuis iterum non deſint, qui, ſecus rem ſe habuiſſe, nobis perſuadere adnituntur, quos inter haud vltimum locum tenet IOSEPHVS SIMONIVS ASSEMANNVS in *bibliotheca orientali Clementino-Vaticana &c. part. I. p. 55.* & *71.* Cumque his THEODORETVS maxime obſtet, vtpote qui de EPHRAEMO dicit, eum παιδείας οὐ γεγευμένον ἑλληνικῆς, *litteras graecas non deguſtaſſe, lib. IV. hiſt. eccleſ. cap. XXVI. p. m. 700.* non de lingua, ſed diſciplinis tantummodo Graecorum, quarum EPHRAEMVS rudis fuerit, haecce verba intelligenda contendit. Sed cum paullo antea idem THEODORETVS de eodem EPHRAEMO adſerat: καὶ οὗτος μὲν τῇ Σύρων κεχρημένος φωνῇ, τῆς πνευματικῆς χάριτος ἀκτῖνας ἠφίει· *& ille quidem ſyriaca vtens lingua, ſpiritualis gratiae radios diffundebat;* haud obſcure innuit, eum graecae quoque linguae ignarum fuiſſe. Quicquid eius ſit, EPHRAEMVM in monumentis ingenii ſui litteris conſignandis lingua ſyriaca vſum, poſitum eſt extra controuerſiam. Hinc & quo maius ſyriacis eius ſcriptis, vtpote authenticis ſtatuendum eſt pretium, eo moleſtius viri docti ferunt, pleraque ex illis, hominum incuria, ſyriacaeque litte-

Digitized by Google

raturae neglectu, vt & temporum iniuria intercidiſſe. Interim in iis colligendis, diligenterque recenſendis, prae reliquis ſtudium ſingulare poſuit, quem iam laudauimus, IOSEPHVS SIMONIVS ASSEMANNVS, in *bibliotheca orientali Clementino-Vaticana &c.* de quo eius opere alibi iam a nobis dictum eſt. Ceterum de EPHRAEMO, hocce Syro, eiusque ſcriptis, & horum editionibus verſionibusque diligenter quidem agit GVIL. ERNESTVS TENTZELIVS in *exercitationib. ſelectis part. I. exercitat. VII. p. 273. ſeqq.* addenda tamen, quae non minori ſtudio de hisce omnibus diſſerit IOAN. PETRVS KOHLIVS in *introduct. in hiſtoriam & rem litterariam Slauorum &c.* in cuius quippe *libro II. hiſtoriam verſionum Ephraemi Syri, imprimisque verſionis ſlauonicae,* ex inſtituto tradit. Duobus nimirum haecce eius tractatio abſoluitur capitibus, in quorum priori, cum contra GVIL. ERNESTVM TENTZELIVM oſtendiſſet, ſlauonicam operum EPHRAEMI, Syri, verſionem neutiquam contemnendam, de ſcriptis EPHRAEMI ſyriacis, authentica lingua conſignatis, de verſionibus eorumdem, graeca, latinis, cum veteribus, tum recentioribus, arabica, aethiopica, gallica, germanica, copioſe verba facit, *p. 219. ſeqq.* Dum graecas operum EPHRAEMI editiones enarrat, de Oxonienſi illa, quam EDVARDVS THWAITES dedit, hunc in modum pronuntiat; *Digna certe tam ſplendido, quo comparet, habitu: tamque & chartarum & typorum munditie. Nam & in digerendis Ephraemi ſcriptis non inconcinnus ordo, & in ſecernendis iis iudicium, & in reſtituendis corrigendisque induſtria non poſtrema deprehenditur. Nihilque plane laboris ſtudiique intermiſit auctor, quin ea omnia, quae reperiri poſſent, manuſcripta, ex bibliothecarum latebris prolata, ſedulo inter ſe conferret, lacunas ſuppleret, variasque lectiones partim in margine, partim ad calcem operis notatas fideliter ſummaque cum diligentia in lectoris vſum adduceret; ea denique omnia, quae ſubinde occurrunt ſacrae ſcripturae loca vbique adnotaret. At nimis iuſto tamen diligens fuiſſe videtur in ſermonibus quibuscumque, Ephraemi nomen praeferentibus, inque codicibus a ſe repertis, diuulgandis; quo factum eſt, vt inter plurimos germanos Ephraemi foetus, adulterini quoque & ὑποβολιμαῖοι alioqui, vti e. g. ſermo, qui inſcribitur,* κατὰ μίμησιν τῶν παροιμιῶν, *ſermo item* εἰς πατέρας τελειωθέντας, *teſtamentum Ephraemi &c. intermiſti paſſim reperiantur.* Errata quoque varia in hac editione irrepſiſſe obſeruat, quae & haud paucis nondum editis EPHRAEMI ſcriptis augeri ac locupletari queat, §. *III. p. 235. ſeqq.* In *poſteriori capite* de *verſione Ephraemi, Syri, ſlauonica* agit, deque ea multa obſeruatu digna in medium adfert, tandemque & duos ex iſta verſione EPHRAEMI ſermones, qui nec in graeco Oxonienſi codice, nec in operibus latinis Voſſianis reperiuntur, cum verſione latina, ſubiicit. Eorum alter de *ſanctiſſimis & viuificantibus chriſtianis ſacramentis* agit, in quo ſingulare aliquod pro eccleſiae noſtrae de vera ac reali corporis ac ſanguinis Chriſti in ſacra coena praeſentia absque transmutatione, ſententia teſtimonium inuenitur, quod auctor maioris adhuc ponderis, quam illud, quod in CHRYSOSTOMI *epiſtola ad Caeſarium* exſtat, eſſe exiſtimat, *p. 368. ſeqq.* in altero autem de *oblatione*; *ſiue* προσφορᾷ *ſanctisſimi panis*, diſſerit.

p. 576. Scholaſticos, quos vocant, doctores &c.) PETRVM ABAELARDVM inter principes iſtius aetatis doctores ſcholaſticos referendum eſſe, conſtat; vnde & alibi de eo copioſius dictum. Hic autem locum ſibi vindicat ob *ethicam*; ſeu librum, *ſcito te ipſum* dictum, qui rectius *theologia* quaedam *moralis* adpellitatur. Eum tenebris hucusque conſepultum in lucem pro-

Digitized by Google

protraxit, ediditque vir doctiſſimus, & non ſemel nobis iam laudatus, BERNARDVS PEZIVS, in *theſauro anecdotorum nouiſſimo, tom. III. part. II. p. 627. ſeqq.* In eo autem praecipue de peccato & poenitentia agit, ita quidem, vt non tantum ſubtilius, quam neceſſe erat, more ſcholaſticorum, de quibusdam quaeſtionibus diſputet, ſed & παράδοξα varia admiſceat. Interim vel hoc nomine obſeruatu dignus eſt iſte ABAELARDI liber, quod BERNARDO vel maxime inuiſus fuit, qui & ex eodem grauiſſimos, quos ABAELARDO exprobraret, adducit errores. *Legite*, inquit, *& alium* (ABAELARDI librum) *quem dicunt ſententiarum eius; nec non & illum, qui inſcribitur:* ſcito te ipſum; *& animaduertite, quanta & ipſi ſilueſcant ſegete ſacrilegiorum & errorum; quid ſentiat de anima Chriſti, de perſona Chriſti, de deſcenſu Chriſti ad inferos, de ſacramento altaris, de poteſtate ligandi atque ſoluendi, de originali peccato, de concupiſcentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiae, de opere peccati, de voluntate peccandi. Et ſi quidem iudicatis, me iuſte moueri, mouemini & vos &c.* in *epiſt. ad epiſcopos & cardinales*, quae eſt *CLXXXIIX. p. 182.* edit. quae Pariſiis 1719. prodiit. Conferenda & *epiſtola CXCII. p. 185.* Eiusmodi autem adſerta, quae BERNARDVS hic reprehendit, cum in hocce ABAELARDI libro, poſtquam eum luci publicae PEZIVS expoſuit, hodie ab omnibus legi queant; occurri illis eo facilius poteſt, qui putant, BERNARDVM errores quosdam tribuiſſe ABAELARDO, a quibus prorſus alienus fuerit; quamquam idem & ex aliis ABAELARDI monumentis, noſtra demum aetate editis, pateat. Atque idem etiam BERNARDO PEZIO obſeruatum, qui & monet, *capitula errorum, Abaelardo imputatorum, qui in aliis eius operibus deſiderantur, & mores ſpectant, totidem fere verbis in libro:* ſcito te ipſum, *contineri*; in *diſſ. iſagogic. tom. III. theſaur. &c.* praemiſſa *p. 20.* Addit tamen idem vir doctiſſimus: *Ceterum num adeo male Abaelardus de peccato ignorantiae, de ſuggeſtione, delectatione & conſenſu &c. docuerit, vt ſancto Bernardo viſum fuit, aliis diiudicandum relinquimus. Certe paſſim in hodiernis ſcholis traditur, inaduertentiam malitiae, ac ignorantiam inuincibilem a formali peccato excuſare, quo amplius forte Abaelardus noluit.* Paſſim vtique in ſcholis quibusdam romanenſium talia tradi, non ignoramus. Sed quo iure tradantur, quaeri poſſet. Certe cordatioribus in eadem eccleſia diſplicere, notum eſt. Licet autem idem PEZIVS errores ABAELARDI defendere aut excuſare nolit, cum tamen haereticum fuiſſe, negat, eo, quod animum ad placita ſua propugnanda non obfirmauerit. Sed hac de re diſputare, huius loci non eſt.

p. 582. quos plures adhuc excipient &c.) Immo iam ſequuti ſunt *tomus VII.* & *VIII.* vterque Ratisbonae anno 1725. 8. quos & *tomus IX.* excepit, ibidem anno 1726. quo auctor collectionem hancce claudere voluit.

p. 586. Supereſt, vt illos tantum adiiciamus &c.) Iis tamen, qui compendia theologiae moralis dederunt, adhuc addendus MARTINVS CHLADENIVS, theologus quondam Wittebergenſis celeberrimus, cuius *inſtitutiones theologiae moralis, regulis & obſeruationibus luculentiſſimis inſtructae, cum praefatione* GOTTLIEB WERNSDORFII, prodierunt Wittebergae anno 1726. 8.

p. 594. Legendus &c.) Conferenda & omnino, quae de hocce auctore obſeruat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *deliciis epiſtolic. not. ad epiſtol. XXXVIII. p. 181.* vbi & ſcripta eius recenſet.

p. 595. Campegius Vitringa in typo theologiae practicae &.) Prima editio

prodiit Franecquerae anno 1716. 8. Verſio eius gallica, quam DE LIMIERS adornauit, Amſtelodami excuſa eſt, anno 1721. 8. Praefatio hiſtoriam quamdam theologiae moralis continet, certe lucem quamdam illi adfundit, dum, qua ratione per diſciplinam monaſticam genuina vitae ſpiritualis ratio obſcurata ac labefactata ſit, exponit.

p. 611. De auctore tamen libri huius praeſtantisſimi dubitatur &c.) Hiſtoriam huius certaminis etiam refert VINCENTIVS THVILLIERIVS, in *operibus poſthumis Io. Mabillonii & Theodorici Ruinarti, tom. I. lib. I. p. 1. ſeqq.* Nimirum, cumprimis inter canonicos, quos vocant, regulares, & monachos ordinis Benedictini, acerrime hac ſuper re dimicatum fuit, illis pro THOMA A KEMPIS, his autem pro IO. GERSEN; ſiue DE GERSEN, abbate Vercellenſi, militantibus. Cum itaque poſt alia ſcripta quam plurima, in hacce cauſſa edita, FRANCISCVS DELFAVIVS, ex congregatione ſancti Mauri monachus Benedictinus, *inſtrumentum, in quo manuſcripti codices librorum de imitatione Chriſti coram illuſtrisſimo archiepiſcopo Pariſienſi ventilati atque diſcusſi indicantur: item ex praemiſſo inſtrumento eruta argumenta, quibus demonſtratur, non Thomam Kempenſem, sed Ioannem Gerſenem, libri controuerſi eſſe auctorem,* ἀνωνύμως edidiſſet; poſt aliquot annorum interuallum PHILIBERTVS TESTELETTE, cancellarius ſanctae Genouefae, *vindicias Kempenſes aduerſus Franciſcum Delfau monachum & presbyterum congregationis ſancti Mauri*, Pariſiis anno 1677. in lucem emiſit; quibus IOANNES MABILLONIVS, cum interea DELFAVIVS mortuus fuiſſet; *animaduerſiones in vindicias Kempenſes &c.* oppoſuit. Atque haſce *animaduerſiones* dum VINCENTIVS THVILLIERIVS *tomo primo poſthumorum Mabillonii* inſeruit; occaſio hinc ei data fuit, hiſtoriam iſtius *controuerſiae* iis praemittendi. Huic autem indicem librorum, in hac cauſſa editorum, ſubnectit *p. 48. ſeqq.* ex quo ingentem illorum numerum non ſine admiratione intelligere licet. De FRANCISCI DELFAVII & IO. MABILLONII in hac cauſſa editis ſcriptis conferendus etiam PHILIPPVS LE CERF, *bibliotheq. hiſtorique & crit. des auteurs de la congregation de ſaint Maur p. 93. ſeqq.* Quemadmodum autem IOAN. MABILLONIVS a partibus Benedictinorum ſtetit, & pro IOANNE GERSEN pugnauit; ita rurſus non ita pridem EVSEBIVS AMORT huncce *de imitatione Chriſti* librum THOMAE A KEMPIS vindicauit. Cum enim THOMAS ERHARDVS, monachus Benedictinus, librum euulgaſſet inſcriptum: *Iohannis Gerſen de Canabaco, ordinis ſancti Benedicti, liber de imitatione Chriſti,* ſimulque ad codicem quemdam; iam ſaeculo decimo quarto ante natum THOMAM A KEMPIS ſcriptum, prouocaſſet; oppoſuit ſe ei AMORT, in *plena & ſuccincta informatione de ſtatu totius controuerſiae, quae de auctore libelli de imitatione Chriſti inter Thomae Kempenſis, canonici regularis, & Ioannis Gerſenis, ordinis ſancti Benedicti abbatis, patronos iam a centum annis agitatur, vbi ſimul vtriusque partis argumenta iuxta leges artis criticae expenduntur*; Auguſtae Vindelicorum anno 1725. 8. Non tantum, quod ERHARDVS de codice iſto antiquo dixerat, inter figmenta refert, ceteraque eius argumenta refellit; ſed & totam hancce cauſſam ſolide & diligenter tractat, &, vt THOMAM A KEMPIS libelli iſtius auctorem euincat, teſtimonia duodecim virorum celebrium, qui ipſius aetate vixerunt, profert; porro ad triginta codices manuſcriptos, THOMAE A KEMPIS libellum huncce tribuentes, item ad editiones centum & tres, quae vsque ad annum 1616 prodierunt, ſtilum quoque ſingularem, & auctores denique

centum

Digitized by Google

centum & octoginta, qui huic ſententiae fa-ueant, prouocat. Ceterum editio libelli huius praeſtantiſſimi germanica nouiſſima, eaque elegantiſſima, meritoque commendanda prodiit Lipſiae 1727. 12.

p. 617. Nec praetermittenda hic eſt apologia iſta theologiae myſticae &c.) Auctorem *apologiae* iſtius liberum baronem DE METTERNICH eſſe, CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS nos condocet; *introd. in hiſtor. theol. litterar. notis amplisſimis illuſtrat. part. III. libr. V.* ad §. *V. p. 374.* cuius quidem viri perilluſtris & alia quaedam, ad theologiam myſticam ſpectantia, exſtant ſcripta, vt: *wahre Vollkommenheit vnd Glückſeligkeit in dieſer Welt*; cui commentationi praeter alia etiam addita eſt defenſio theologiae myſticae contra PHILIPPVM NAVDAEVM; *kurtze Anleitung zum rechten beſtaendigen vnd ſichern Grund des innern Lebens*; *die wahre allein ſeligmachende religion*; *vnpartheyiſche Gedancken von der wahren Religion vnd Kirche, was vnd wo ſie ſey*; quae idem PFAFFIVS *l. c.* commemorat, vbi & plures ſcriptores myſticos laudat, ex quibus, qui a nobis praetermiſſi ſunt, ſuppleri poſſunt.

p. 623. Interim haec ipſa certamina &c.) Commemorari tamen adhuc poſſet abbas DE BRION, qui noſtra aetate adſertiones quietiſtarum myſticas in Gallia reuocaſſe cenſetur. Prodiit namque contra eum *examen des oeuvres de M. l' abbé de Brion; ouvrage en forme de catechisme dans lequel on decouvre le vrai ſyſteme de cet auteur*; Pariſiis 1725. 12. conf. *iournal des ſçavans MDCCXXVI. menſe Ianuar. p. 33.* vbi & ſcripta abbatis DE BRION indicantur.

p. 638. Specialiori quadam ratione id fecit &c.) Referre huc etiam quodammodo licet ALBERTI ZVM FELDE *politicam ſacram*; *ſiue de imperio Dei eiusque iuribus commentarium*, Lubecae anno 1720. 8. editum. Dum enim Deo imperium aliquod proprie ſic dictum in res creatas, rationis vſu praeditas, contra THOMAM HOBBESIVM, aliosque, adſerit, legesque diuinas leges proprie ſic dictas eſſe, oſtendit; genuina iurisprudentiae diuinae fundamenta ſuppeditat. Locum vero praecipue hic ſibi depoſcunt, qui leges diuinas poſitiuas vniuerſales exponunt. Hae enim cum non tam ex rationis, quam reuelationis lumine, innoteſcant, tractatio, quae de iis inſtituitur, ad theologiam potius, quam philoſophiam pertinet. Plerumque tamen ſub *iurisprudentiae diuinae* nomine leges diuinae tum naturales, tum poſitiuae, coniungi ſolent, quod & CHRISTIANVM THOMASIVM feciſſe, conſtat, & ſupra nobis obſeruatum eſt, *lib. I. cap. IV.* ad §. *XXXIII. p. 284.* Seorſim autem de legibus iſtis diuinis poſitiuis vniuerſalibus commentatus eſt FRIDERICVS GENTZKENIVS, in *iuris diuini poſitiui prudentia, in qua legis diuinae poſitiones vniuerſales in iuſta ſerie & nexu traduntur, ac controuerſiae ibidem occurrentes, qua fieri potuit, perſpicuitate & breuitate, enucleantur, &c.* Hamburgi 1725. 8.

p. 639. Sunt vero & huius loci omnes illi, qui de caſibus conſcientiae praeceperunt &c.) Plures adhuc, qui de conſcientia eiusque caſibus ſcripſerunt, ſuppeditat CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theol. litterar. notis amplisſimis illuſtrata part. III. lib. V. §. III. p. 353. ſeqq.*

p. 644. & ſeorſim quoque excuſi ſunt &c.) Immo deinceps iterum *graece & latine, vtrimque recogniti, & notis indicibusque aucti*, prodierunt opera IOAN. ALBERTI BENGELII, Stutgardiae anno 1725. 8. Quae editio, vt ſummo ſtudio adornata; ita & ob *notas variorum ſelectas, ac complures nouas*, Cantabrigienſi eſt praeferenda. In *praefatione* multa veterum recentiorumque teſtimonia ad commen-

Digitized by Google

mendandum hocce CHRYSOSTOMI opus diligenter collecta adferuntur.

p. 645. Ad recentiores itaque ſi progredimur &c.) Addi adhuc quidam poſſunt ex iis, quos laudat CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, in *introduct. ad hiſtor. theolog. litterar. not. ampliſſ. illuſtrata part. III. lib. V. §. II. p. 352.*

ibid. paſtorale Lutheri concinnauit, tum alias &c.) Nouam libri huius longe vtiliſſimi editionem, Ienae anno 1729. 8. excuſam dedit IOAN. CHRISTOPHORVS CRAMERVS, qui & praefationem praemiſit, in qua elogia, quibus viri quidam docti hunc librum ornarunt, collegit, & hinc inde notas quasdam, eas quidem non adeo multas, ſelectas tamen & ad rem facientes adiecit. Non rectius vir ille praeſtantiſſimus operam ſuam ſtudiumque collocare potuiſſet.

AD LIBRI II. CAP. V.

P. 653. Seorſim vero & ex inſtituto hoc egit &c.) Non praetermittendus hic eſt LANGLETVS DV FRESNOY, alibi quoque nobis iam laudatus. Dum enim PETRI PVTEANI *commentarium* in PITHOEI librum *de libertatibus eccleſiae gallicanae*, cum *praefatione hiſtorica* & *adnotationibus*, recudi curauit; priori volumini, ſiue tomo, *indicem* ſatis amplum *ſcriptorum iuris canonici* ſubiunxit, additis itidem *adnotationibus*, in quibus tum de libris ipſis, tum de eorum editionibus, ſententiam ſuam pronuntiat. Inſcribitur hocce opus: *commentaire de M. du Puy ſur le traité de libertés de l'Egliſe gallicane de M. Pierre Pithou, advocat en la cour de parlement, nouvelle edition, revuë, corrigée & augmentée des notes & d'une preface hiſtorique &c.* Pariſiis 1715. duobus tomis 4.

p. 654. Ipſe etiam Ioan. Doniatius) Poſtea etiam prodiit *hiſtoire du droit canonique & du gouvernement de l'Egliſe par M.**. advocat au parlement.* Pariſiis anno 1720. 12. Qui quidem auctor cum DOVIATIO fere conuenit, niſi quod magis ad ius canonicum Galliae, & libertatem eccleſiae gallicanae, reſpiciat, conf. *iourn. des ſçavans an. M DCC XX. menſ. Iun. p. 669. ſeqq.*

ibid. Ad noſtrates vt reuertamur &c.) Inter hoſce etiam commemorandus eſt CHRIST. GODOFREDVS HOFFMANNVS, iureconſultus celeberrimus, qui *introductioni* ſuae *in iurisprudentiam canonicam & pontificiam* &c. *conciſam hiſtoriae iuris canonico-eccleſiaſtici delineationem* praemiſit.

p. 687. Saepe erraſſe Grotianum fatentur etiam &c.) Iuuat hic addere ISAACI CASAVBONI obſeruationem, quae in *Caſaubonianis*, a IO. CHRISTOPHORO WOLFIO editis, *p. 177.* legitur. *Audiui*, inquit, *Perronium ſaepe mihi adfirmantem, falſo ſuſpectam eſſe fidem Grotiani, cum duo ad ſummum poſſint loca reperiri, ſuſpecta merito, de quibus tamen iure poſſit dubitari. Nos ſcimus, multa in ea collectione falſo laudata, multa perperam ſcripta, & Baronius ipſe quaedam agnoſcit, velut in tom. II. annal. p. 21. ſeqq. Super canonibus apoſtolorum, vbi Grotianus tamquam ex Iſidoro mercatore, non Hiſpalenſi. Atqui Baronius locum illum perperam lectum a Grotiano vult &c. Ad exagitandum Grotianum ſatis ſit, ipſum multa deſcripſiſſe nullo iudicio, ſtulte prorſus ex epiſtolis Clementis papae & aliorum primorum paparum, quae ſunt falſa prorſus.*

p. 693. Recudi haec acta combuſtionis iuris canonici curauit &c.) Diuerſa ab his ſunt *acta exuſtionis anti-chriſtianorum decreta-*

decretalium, quae BVRCARDVS GOTTHELFF STRVVIVS exhibet, in *bibliotheca librorum rariorum, theca I. num. VI. p. 135. ſeqq.* quae & ab ipſo LVTHERO non ſunt profecta.

p. 698. Inter noſtrates &c.) Romanenſibus, quibus primum locum dedimus, iungendus porro eſt IOAN. PETRVS GIBERTVS, cuius *inſtitutions eccleſiaſtiques & beneficiales, ſuivant les principes du droit commun & les uſages de France*, Pariſiis prodierunt, anno 1720. 4. Praemiſit hisce *inſtitutionibus* praeparationem quamdam ad ſtudium iuris canonici, in qua de ratione illud tractandi diſſerit, aliaque, quae de eo generatim ſcire oportet, adfert.

p. 703. quod ſchediasma integrum introductioni ſuae &c.) In noua editione; ſeu *notis ampliſſimis illuſtrata*, exſtat, *part. III. lib. IV. §. V. p. 193. ſeqq.* vbi & idem vir doctiſſimus alios quosdam laudat, qui collectiones conciliorum dederunt, aut ſcripta quaedam, eo ſpectantia, euulgarunt.

ibid. Si quid autem a viris hisce doctiſſimis praetermiſſum, id ſupplebit Salmonius &c.) Magna doctorum virorum adprobatione, & quidem non immerito, exceptum eſt hocce FRANCISCI SALMONII opus, multisque paſſim ornatum eſt elogiis, recuſum quoque Lipſiae anno 1726. 8. *Tribus* autem iſtud abſoluitur *partibus*, in quarum *prima* auctor de vtilitate conciliorum, & collectionum, quae ea exhibent, diſſerit, ea quidem ratione, vt eam intuitu tum dogmatum fidei, tum doctrinae moralis, tum diſciplinae eccleſiaſticae, & denique hiſtoriae, demonſtret. De collectionibus conciliorum in *altera parte* verba faciens, veteres pariter ac recentiores, vniuerſales & particulares, diligenter magnoque ſtudio enarrat; nec eos praetermittit, qui *ſummas* aut *compendia conciliorum* dederunt. Hic vero etiam, quaenam ſit ineunda via, oſtendit, vt perfecta quaedam omnibusque numeris abſoluta conciliorum collectio in lucem proferatur; & vt difficultates, quae hic ſe oblaturae ſint, non diſſimulat; ita & dotes, quibus ornati eſſe debeant, qui eiusmodi quid ſuſcipere volunt, enarrat. Vtque eo minus de neceſſitate eiusmodi operis dubitari queat; naeuos atque defectus collectionum, quae hucusque prodierunt, libere & cordate indicat. Agit hoc *cap. VI. p. 474. ſeqq.* ſpeciatim autem de SEVERINII BINII collectionibus mentem ſuam aperit, *artic. IX. p. 500.* de *regia*, quae auſpiciis RICHELII, cardinalis, prodiit, *artic. X. p. 505.* de LABBEI & COSSARTII, *artic. XI. p. 506.* de BALVZII, *artic. XII. p. 515.* cumprimis & de IO. HARDVINI collectione, *artic. XIII. p. 516. ſeqq.* editionis Pariſienſis. In *tertia* denique *parte* de ratione, ſtudium conciliorum tractandi, praecipit. Subiunctus autem eſt *catalogus auctorum praecipuorum, qui collectiones conciliorum dederunt, aut alia huc ſpectantia ſcripta concinnarunt, cum obſeruationibus, tum de libris ipſis, tum de eorum editionibus*; qui egregie illis inſeruiet, qui adcuratiorem eiusmodi ſcriptorum ſibi comparare cupiunt notitiam.

p. 707. quod & ab aliis iam factum eſt) Cumprimis a FRANCISCO SALMONIO, quem iam laudauimus, tum in opere ipſo, vbi *part. II. cap. II. artic. III. p. 264.* de iis agit, qui *ſummas* & *compendia conciliorum* dederunt; tum in *catalogo auctorum praecipuorum*, eidem ſubiuncto, in quo *num. IV. p. 614.* itidem *ſummas & compendia conciliorum*; *num. V. p. 617.* eos, qui commentarios aut ſcholia in concilia & eorum canones ediderunt; *num. VI. p. 619.* eos, qui hiſtoriam conciliorum aut omnium, aut quorumdam ſcripſerunt, recenſet.

p. 710. Nemo autem maiori animi impetu cauſſam romanorum pontificum &c.)

Opera

Opera CHRISTIANI LVPI *omnia* iunctim edita ſunt Venetiis anno 1724. tribus tomis in fol. Varia in iis occurrunt, ad hiſtoriam eccleſiaſticam, ſpeciatim notitiam conciliorum, & canonum quorumdam illuſtrationem ſpectantia. Recenſentur in *den Deutſchen actis eruditorum part. CIX. num. I. p. 1. ſeqq.* Inter iurium pontificis in hacce cauſſa defenſores ſtrenuos poſt CHRISTIANVM LVPVM etiam referendus eſt FRANCISCVS ANTONIVS DE SIMEONIBVS, cuius *de Romani pontificis iudiciaria poteſtate tomus primus ad ſanctiſſimum patrem Clementem XI. pontificem maximum*, Romae prodiit anno 1717. 4. In praefatione praecipuos ſcriptores, qui ex romanenſibus ius illud prouocationis, quod pontifices ſibi vindicant, aut impugnarunt, aut propugnarunt, recenſet, ſuamque de iis fert ſententiam. Et de CHRISTIANO quidem LVPO, quem inter poſteriores haud vltimum locum tenere diximus, iudicat, *quod non adeo comptum dicendi genus ſequens, haud expedito ſatis ordine praeceſſerit, nec arte omni ſcripta, quae magna eruditione ſunt referta, limauerit.* Inter eos autem, qui ad priorem claſſem pertinent, cumprimis LVDOVICVM ELL. DV PIN ſibi refutandum ſumſit, quem & ob librum *de antiqua eccleſiae diſciplina*, tamquam conſtipatam eorum omnium farraginem, quae EDMVNDVS RICHERIVS, IO. LAVNOIVS, PASCHASIVS QVESNELLIVS, LVDOVICVS MAIMBVRGIVS, & ſimiles propoſuerant, & ob alia ſcripta, haereſeos acerrime poſtulat, & vehementius perfricat. Legere iſta & reliqua licet in *actis eruditorum Lipſienſibus ſupplement. tom. VII. ſect. IX. p. 377. ſeqq.*

p. 711. Nec praetermittenda hic eſt Marci Antonii Cappelli &c. diſſertatio*) Quam integram, ſed adnotationibus quibusdam, in quibus auctor ſubinde refellitur, illuſtratam, CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS *introductioni* ſuae *in hiſtoriam theologiae litterariam notis ampliſſimis illuſtratae* inſeruit, *part. III. lib. IV. p. 41. ſeqq.*

p. 714. Nec ſilentio hic praetermittenda bullaria &c.) Recentisſimum eſt *Clementis XI. pontificis maximi bullarium*, quod iuſſu cardinalis ALBANI lucem adſpexit Romae anno 1723. fol. Varia inde quoque, ad hiſtoriam pontificis huius valde memorabilem, ſpectantia, condiſcere licet; *conf. iournal des ſçavans anno MDCCXXV. menſe Nouembr. p. 491. ſeqq.*

p. 720. Singulari namque ſtudio magno ſumtu &c.) Indicem collectionis huius, adnotationibus quibusdam illuſtratum, publicae luci expoſuit HERMANNVS CASPAR KOENIGIVS, ſequenti ratione inſcriptum: *bibliotheca agendorum, beſtehend aus einem vollſtaendigen catalogo derer Kirchen-Ordnungen, agenden, vnd anderer dergleichen Schrifften, welche Herr Iulius Bokelmann, durch mehr als dreysſig-iaehriges Bemühen geſammlet &c. mit einer kurtzen Vorrede vnd hinzugeſetzten Anmerckungen zum Druck ausgefertiget &c.* Cellis anno 1726. 4.

p. 721. dum alii pro imperio &c.) Copioſe & diligenter ſcriptores huc ſpectantes recenſet auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae cap. II. poſit. VII. p. 156. ſeqq.*

p. 723. quorumdam animos commouit, vt maiori ſtudio &c.) Inter hos, qui eo tempore imperatoris HENRICI IV. cauſſam contra pontificem egerunt, haud vltimus fuit WALRAMVS, epiſcopus Numburgenſis, qui epiſcopatui huic ab anno MLXXXIX. ad MCXI. praefuit. Scripta eius, huc ſpectantia, recenſet, variaque lectu digna de iis obſeruat IOAN. MARTINVS SCHAMELIVS in *Numburgo litterato p. 1. ſeqq.*

p. 724.

p. 724. ſummamque illorum in reges ac principes qua temporalia *&c.*) Magnus illorum, qui hoc ſibi datum crediderunt, vt ſupremam hac ratione pontificis in omnes totius orbis imperantes & principes ſtabilirent poteſtatem, eſt numerus. Praecipui ſunt NICOLAVS SANDERVS ſeu SAVNDER, *de viſibili monarchia libris octo*; in quibus cum in Eliſabetham, Angliae reginam, iniurius fuiſſet, GEORGIVS ACKWORTH, BARTHOLOMAEVS CLERCKE, aliique ex Anglis ſe ei oppoſuerunt; ALEXANDER CARERIVS, iureconſultus Patauinus, in *libris duobus de poteſtate papae*; THOMAS BOZIVS, Eugubinus, *de iure diuino & naturali eccleſiaſticae libertatis & poteſtatis*; ABRAHAMVS BZOVIVS *de rebus geſtis, officio, auctoritate, virtutibus &c. ſummorum pontificum*, & cui ob impudentiam primus inter omnes locus debetur, ANTONIVS SANCTARELLVS, Ieſuita, in *tractatu de haereſi, ſchiſmate, apoſtaſia, ſollicitatione in ſacramento poenitentiae & de poteſtate ſummi pontificis in his delictis puniendis*, Romae anno 1625. edito, in quo pontifici directiuam & correctiuam in principes poteſtatem ita tribuit, vt eos deponere quoque & morti addicere queat; quamobrem & a Sorbonna pariter ac ſuprema curia Pariſienſi liber hicce anno 1626. damnatus & manu carnificis combuſtus eſt. Conferenda, quae de *cenſura facultatis Pariſienſis* in huncce SANCTARELLI librum, quam IO. ADAMVS SCHERZERVS *bibliothecae* ſuae *pontificiae* inſeruit, diximus *cap. VII.* huius *libri* ad §. *X.* Ad ROB. BELLARMINVM quod attinet, cuius hic mentionem iniecimus; is tum alibi, tum maxime in *libris quinque de Romano pontifice*, cauſſam eius egit, cumque cautior reliquis eſſe, & media quadam via incedere vellet, adeoque poteſtatem tantum quamdam *indirectam* pontifici in temporalibus regum principumque chriſtianorum tribueret, vtramque partem offendit, fatumque idcirco, quod mediam viam eligentibus commune eſſe ſolet, expertus eſt, vti iam obſeruauimus *cap. VII.* huius *libri* ad §. *IX.* Cenſores interim & aduerſarios in hocce argumento nactus eſt SIBRANDVM LVBBERTVM, MATTHAEVM SVTCLIFFIVM, DANIELEM CHAMIERVM, PHILIPPVM MARNIXIVM, GVIL. WHITAKERVM, ANDREAM DV VAL, ROBERTVM ABBOT, aliosque, quorum ſcripta recenſet auctor *bibliothecae imperantium quadripart. cap. II. poſit. VIII.* §. *IV. p. 180.* Inter reliquos autem, qui BELLARMINO in hocce capite ſe oppoſuerunt, eminet GVIL. BARCLAIVS; cuius licet iam facta ſit mentio; nonnulla tamen obſeruatu digna de eo addere iuuabit. Romanae enim licet is eccleſiae ſacra ſequeretur; in libro tamen iam laudato *de poteſtate papae, an & quatenus in reges & principes ſaeculares ius & imperium habeat*, non tantum BELLARMINVM refutauit; ſed & ipſi pontifici Clementi VIII. eum dicare decreuerat; ſed morte praepeditus hoc facere non potuit. Eamdem etiam ob cauſſam opus hocce ad finem perducere non potuit, nec vltra *cap. XLI.* progreſſus eſt; interim nondum perfectum licet, lucem adſpexit anno 1609. 8. nec ſemel deinceps, etiam cum libris eius *de regno & regali poteſtate*, recuſum eſt. Nec defuit ſibi BELLARMINVS, cardinalis; quin potius in *tractatu*, itidem iam memorato, *de ſummi pontificis in rebus temporalibus poteſtate* contra BARCLAIVM in aciem prodiit; huius contra praeter IOANNEM, epiſcopum Roſſenſem, (hoc eſt, IOANNEM BVCKERIDGE, epiſcopum Roſſenſem, non autem IOANNEM FISCHERVM, itidem Roſſenſem epiſcopum, vt falſo nonnulli tradiderant, vtpote qui tempore HENRICI VIII. Angliae regis, vixit) a nobis iam laudatum, defenſionem in ſe ſuſcipiente IOANNE

P BAR-

Digitized by Google

BARCLAIO, GVILIELMI filio, Romanae eccleſiae ſacris itidem addicto, & ob *Euphormionem*, itidemque *iconem animorum* ſatis noto; cuius quippe exſtat *pietas ſeu publicae pro regibus ac principibus, & priuatae pro Guilielmo Barclaio parente vindiciae contra Bellarminum*; Pariſiis an. 1612. ad quam iterum reſpondit ANDREAS EVDAEMON IOANNES, ex Ieſuitarum ſocietate, in *epiſtola monitoria ad Ioannem Barclaium de libro ab eo pro patre ſuo, contra Bellarminum ſcripto*, Coloniae Agrippinae anno 1613. 8. Addenda quae de hiſce diſſerit auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae cap. II. poſit. VIII. §. V. p. 181.*

ibid. cumque Iacobus rex iuramentum fidelitatis &c.) Plura de haece inter IACOBVM, Angliae regem, & ROB. BELLARMINVM controuerſia diximus *cap. VII.* huius *libri* ad §. *IX.* & in *addendis* ad *iſtum locum*; quae hic omnino conferenda. Addenda quae hac de re ſuppeditat auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae cap. II. poſit. VIII. §. VI. ſeqq. p. 182. ſeqq.* vbi inter regis defenſores praeter LANCELLOTTVM ANDREAM, a nobis laudatum, ROGERVM quoque WIDDRIGTONVM & DAVIDEM PAREVM; inter eos autem, qui LANCELLOTO ANDREAE, adeoque & regi ſe oppoſuerunt, praeter MARTINVM BECANVM, IACOBVM GRETSERVM & ANDREAM EVDAEMONEM IOANNEM refert, eorumque ſcripta recenſet, & alia, quae huius loci ſunt, obſeruat; ſpeciatim & §. *X. p. 186.* alios adhuc, qui pro pontifice & BELLARMINO contra regem pugnarunt, commemorat.

p. 725. Petrus Puteanus) conf. quae antea ad *p. 653.* diximus.

ibid. Inter impugnatores libertatis eccleſiae gallicanae eminet &c.) Nomen ſuum inter hoſce etiam profeſſus eſt ANTONIVS CHARLAS, cuius *tractatus de libertatibus eccleſiae gallicanae*, & quidem *editio tertia ex autographo auctoris locupletior & emendatior*, vna cum eiusdem *opuſculis quatuor, antehac ſeorſim diuulgatis*, prodiit Romae anno 1720. tribus tomis in 4. In eo de origine, progreſſu, iuſtitia, antiquitate, libertatum eccleſiae gallicanae ita tractat, vt, earum defenſores, quid iſto nomine ſibi velint, intelligere, neget, & quidquid de iis dicant, omni deſtitui fundamento, contendat. Dum decreta cleri gallicani, anno 1682. congregati, ſub examen reuocat, pontifici Romano indirectam, quam vocant, in temporalia regum poteſtatem vindicat, eumque ſupra concilia oecumenica, immo in omnibus, quae ad fidem ſpectant, infallibilem, eiusque decretis ac deciſionibus omnes, qui eccleſiae, cui praeeſt, addicti ſunt, obligari, etiamſi conſenſus eccleſiae vniuerſalis non acceſſerit, adſerit. Vnde, cuiusmodi reliqua ſint, intelligere licet. Inter opuſcula, *tractatui* huic adiecta, primum inſcribitur: *primatus iurisdictionis romano pontifici adſertus*; eſtque LVDOVICI ELL. DV PIN diſſertationi *de primatu papae*, quae inter diſſertationes *de antiqua eccleſiae diſciplina*, quartum locum tenet, oppoſitum. Plura de opere hocce dicuntur *dans le iournal des ſçavans MDCCXXV. menſe Nouembr. p. 521.*

p. 732. Nimirum Paulus hicce Sarpius &c. iudicium ſuum conſiderationum nomine ſubiecit &c.) Laudat huncce PAVLI SARPII librum ISAACVS CASAVBONVS, dum non tantum in *Caſaubonianis* eum *optimum librum* vocat, *p. 20.* ſed & deinceps, *in Pauli monachi Seruitae*, inquit, *ſcriptis ſuper controuerſia inter ſereniſſimam Venetorum rempublicam & Paulum V. Romanum pontificem, ſingularem agnoſco auctoris pietatem, doctrinam, probitatem & modeſtiam. Initio controuerſiae huius paulo poſt cum excommunicati eſſent Veneti, tum alia quaedam ſcripta publicata Venetiis,*

Venetiis, tum duo tractatus Gerſonis ſuper inualiditate (vt loquuntur) excommunicationum. His Gerſonis libris ſenatus in officio continere populos ſuos volebat, qui adeo italice verſi cum epiſtola eiusdem argumenti prodierunt. Hinc Bellarminus Atlas ille tyrannidis pontificiae, & praefationem illam, quam ſuſpicor eſſe Pauli, & librum ipſum confutauit. Vidimus illum Bellarmini librum, & deteſtati ſumus. At Paulus ei mox reſpondit, doctiſſimis, ſolidiſſimis & grauiſſimis rationibus vſus, vt, cum legerem, mirarer, tanta cum libertate reſponderi in Italia pontifici, quem pro ſuo nomine colant plerique pontificiorum παπομανῶδες; p. 31. Sed de ſcriptis PAVLI SARPII, ad hancce controuerſiam ſpectantibus, legenda *hiſtoria interdicti Veneti*, quam a SARPIO compoſitam GVIL. BEDELLVS, epiſcopus Kilmorienſis, poſt eius obitum anno 1626. Cantabrigiae edidit; quamue recte etiam hanc ob cauſſam commendat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *notis ad Caſauboniana p. 243.* qui alios ſimul huc facientes ſcriptores laudat. Nec praetermittendum, ipſum quoque ISAACVM CASAVBONVM ad hocce certamen acceſſiſſe, atque de *libertate eccleſiaſtica* librum edere voluiſſe, qui & vsque ad *p. 2641.* excuſus eſt, & hacce inſcriptione ornatus: *de libertate eccleſiaſtica liber ſingularis ad viros politicos, qui de controuerſia inter Paulum V. pontificem maximum, & rempublicam Venetam edoceri cupiunt*; 1607. ſine mentione loci aut typographi. Integer autem cur typis exſcriptus non ſit, hanc ex IAC. CAPPELLI *adſertione bonae fidei aduerſus Herib. Rosweydum p. 17.* rationem adfert, quem iam laudauimus, IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, quod Galliae rex, Henricus IV. compoſitis iam Venetorum cum pontifice Romano controuerſiis, vetuerit vltra progredi, & hoc ipſum, quod fuerat inchoatum, ſupprimi voluerit, vnde factum, vt eius pauca nunc exſtent exempla; *l. c. p. 246.* vbi & alia adhuc lectu digna de hocce libro commemorat. Quantumuis autem imperfectum eſſet hoc CASAVBONI opus; MELCHIOR tamen GOLDASTVS illud *tomo I. monarchiae imperii* recudi curauit. Praefationem autem integram exhibet WOLFIVS *l. c. p. 149.* ex qua patet, cur CASAVBONVS librum hunc *de libertate eccleſiaſtica* inſcribi voluerit. Qui enim Romani pontificis cauſſam contra Venetos agebant, ab his libertatem eccleſiaſticam violatam, clamitabant. * Sed recte CASAVBONVS: *Fidem Dei atque hominum! quaenam iſta, obſecro, libertas eſt, cuius contemtus tam illuſtris capitis, tam bene meriti de eccleſia vniuerſa ſenatus, tot innocentium ciuitatum ac populorum damnatione aeterna ſit expiandus? Sed cur nomina, quae rerum ſigna ſunt, commutantur? Neque enim de eccleſiae libertate in hac cauſſa agitur, verum de paucorum commodis, quae loquendi vſu quodam; an abuſu eccleſiae nomine cenſentur. De impunitate item eccleſiaſticorum agitur, & licentia quiduis ſpecie religionis audendi; non de electionum libertate &c.* Dignum hoc obſeruatu exiſtimo, cum & alias Romanae eccleſiae addictis haud inſolens ſit, veras vocum ſignificationes immutare, quod *ſimoniae* exemplo comprobare poſſem, ſi hoc nunc agerem. Addenda & quae de CASAVBONI, quem commemorauimus, libro *de libertate eccleſiaſtica* obſeruat, atque monet CHRISTIANVS THOMASIVS in *hiſtoria contentionis inter imperium & ſacerdotium, adpend. cap. II. §. XCVI. p. 615.*

p. 734. cum Thomas Eraſtus &c.) *Thomae Eraſti de excommunicatione liber*, inquit ISAACVS CASAVBONVS, *qui Heidelbergae ſcriptus, ſed in Anglia in lucem editus eſt, ſane doctus eſt, & quem legiſſe neminem poeniteat.* Et quibusdam

interiectis: *porro cum aduerſus Eraſti ſententiam Beza ſcripſiſſet, Eraſtus ſex libros compoſuit hoc titulo: theſium, quae de excommunicatione* (ita enim pro *confirmatione* legendum puto) *poſitae fuerunt, confirmatio; & theſes, & hi ſex libri ſane eruditi & aculeati editi ſunt Peſelaniae in Anglia 158*[illegible] in *Caſaubonianis p. 21.* PAVLVS COLOMESIVS, vbi in *icone theologorum presbyterianorum*, de theologis illis agit, qui theologica nolunt ab aliis tractari, ERASTI quoque mentionem facit, eumque *doctorem medicum, ſed in theologicis, quod in illo ordine rarius, haud leuiter verſatum* vocat, *p. 31.* aut in *operibus* eius, iunctim editis *p. 785.* Obſeruatum hoc quoque IO. CHRISTOPHORO WOLFIO in *notis ad Caſauboniana p. 229.* vbi & plures, qui de ERASTO egerunt, laudat.

p. 736. ſcripſitque Ioannes Vytenbogardus &c.) Cum VYTENBOGARDVS librum, iſtum a ſe ſcriptum, in Angliam miſiſſet, inter alios illi reſpondit HADRIANVS SARAVIA, cuius epiſtolam lectu dignam, in qua VYTENBOGARDI ſententiam calculo ſuo adprobat, exhibet IOAN. WOLFGANGVS IAEGERVS in *hiſtoria eccleſiaſtica & polit. ſaeculi decimi ſeptimi, decennio II. lib. II. cap. IX. p. 196.*

p. 737. pietas ordinum Hollandiae, inſcriptum) Conferendus & de hiſtoria huius libri GERARDVS BRANDT *dans l' hiſtoire abregé de la reformation des Pais Bas, tom. I. lib. XXI. p. 426. ſeqq.* cumprimis auctor *vindiciarum Grotianarum*, quae Lipſiae anno 1727. 8. prodierunt, *part. I. p. 41.* qui & *p. 705. ſeqq.* omnia, quae huc ſpectant ſcripta, eorumdemque verſiones & editiones accurate recenſet. Nimirum refutare huncce HVGONIS GROTII librum conatus eſt SIBRANDVS LVBBERTVS in *reſponſione ad pietatem Hugonis Grotii*, cui GROTIVS oppoſuit *bonam fidem Lubberti; ſeu vindicationem pietatis contra Lubbertum*; ſed & IOAN. BOGERMANNVS, *adnotationes ad Hugonis Grotii pietatem*, edidit, in quibus ſcriptum iſtud perſtrinxit. Defenſionem contra GROTII in ſe ſuſceperunt CASPAR BARLAEVS in *Bogermanno elenchomeno, ſeu examine epiſtolae eius, quam ſuis in Grotii pietatem notis praefixit;* & IOAN. ARNOLDVS CORVINVS in *reſponſione ad Bogermanni adnotationes.* Immo ipſe GROTIVS, in libertate iam conſtitutus, *apologeticum* edidit *eorum, qui Hollandiae Weſtfriſiaeque & vicinis quibusdam nationibus ex legibus praefuerunt ante mutationem anni MDCXVIII. &c.* Poſt mortem vero GROTII, vti iam diximus, liber eius *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra*, lucem adſpexit, cum ſcholiis DAVIDIS BLONDELLI non ſemel recuſus. Legendus quoque de hisce auctor *bibliothecae iuris imperantium quadripartitae cap. II. poſit. VII. §. III. p. 159.*

ibid. de quibus vti & reliquis &c.) Conferendus etiam de hisce auctor iam laudatus *bibliothecae iuris imperantium &c. l. c. §. IV. p. 160.* vbi ſpeciatim de NIC. VEDELIO eiusque antagoniſtis agit.

p. 739. de origine excommunicationis &c.) Addenda omnino, quae hac de re diſputaui in *commentat. hiſtorico-dogmat. de eccleſia apoſtolica; ſiue de ſtatu eccleſiae chriſtianae ſub apoſtolis cap. VII.* ad *§. III. p. 803. ſeqq.*

p. 740. in notiſſimo de republ. eccleſiaſtica opere &c.) Magna namque multorum adprobatione hocce opus exceptum eſt, in quo & eruditionem haud vulgarem demonſtrauit, licet non deſint quoque, qui quaedam in eo deſiderent. Cumprimis autem monarchiae papalis defenſoribus valde diſplicuit, quod de regimine eccleſiae non ita ſcripſit, vt illi opta-

optabant. Eccleſiam enim ſub Chriſto, hoc eſt proprie ſic dictam illam & inuiſibilem, perfectiſſimam monarchiam eſſe contendit; Chriſti autem miniſtros, qui in terris ſint, a monarchia terrena alieniſſimos, ipſa Chriſti inſtitutione, ariſtocratice, nec tamen ſine aliqua democratiae admixtione eccleſiam gubernare, primatumque adeo Petri; ſeu papatum cum euangelio & Chriſti inſtitutione pugnare plurimum. Idque in *primo* operis iſtius *libro* ex inſtituto agit. Sic & in *libro tertio* inter epiſcopos iure diuino nullam eſſe praelationem docet, nullam ſubiectionem, ſed ſolo iure eccleſiaſtico locorum gradus inter epiſcopos diſtingui; quemadmodum &, dum *libro quarto* in eo eſt, vt in Romanae eccleſiae priuilegia inquirat, eam neque in ſe, neque in ſuo epiſcopo, neque in ſuo clero vllam habuiſſe a Chriſto ſupra ceteros praeeminentiam, ſed, ſi quam habuit, vel habet, eam ex humanis ipſam praeſidiis accepiſſe, oſtendit. Poteſtatem porro eccleſiae mere ſpiritualem eſſe *libro quinto* euincit, adeoque iurisdictionem omnem ab eccleſia remouet. Laicam autem poteſtatem cum eccleſiaſtica comparans, principes chriſtianos multa poſſe in eccleſia, eccleſiam vero nihil in temporalibus, nedum erga reges. Haec & alia eiusdem generis, cum vehementer ab illorum, qui ſummam in omnia Romano pontifici poteſtatem tribuunt, diſſentiant, mirum non eſt, exſtitiſſe haud paucos, qui calamum contra M. ANTONIVM DE DOMINIS ſtringere, ſuarum duxerunt eſſe partium. Eminent inter eos, MARTINVS BECANVS in *libris quatuor de republica eccleſiaſtica contra Marcum Antonium de Dominis*; ANDREAS EVDAEMON IOANNES in *admonitione ad lectores librorum Marci Antonii de Dominis*; ZACHARIAS BOVERIVS in *cenſura paraenetica in Marci Antonii de Dominis quatuor libros de republica eccleſiaſtica*; FIDELIS ANNOSVS VEREMONTANVS, hoc eſt, IOANNES FLOYDVS, in *cenſura in libros Marci Antonii de Dominis de republica eccleſiaſtica*; NICOLAVS COEFFETEAV; ſiue COEFFETELLVS in *libris quatuor pro monarchia eccleſiae Romanae contra rempublicam Marci Antonii de Dominis.* Mitto reliquos, quos laudat IOANNES FABRICIVS, qui & de hocce opere diligenter agit, eiusque editiones indicat, ſummamque exhibet, & ipſius quoque MARCI ANTONII DE DOMINIS vitam & fata enarrat, auctoresque, qui copioſius iſta exponunt, indicat, in *hiſtoria bibliothecae Fabricianae part. II. p. 131. ſeqq.* Conferendus etiam IO. FRIDERICVS MAYERVS in *ſyllabo ſcriptorum praecipuorum, qui Romam reconciliabilem voluerunt*, IOSEPHI HALLI *Romae irreconciliabili* ſubiecto, *p. 38. ſeqq.* vbi & IOSEPHI HALLI epiſtolam ad MARCVM ANTONIVM DE DOMINIS, qua illi reditum ad Romanum pontificem disſuaſit, lectu digniſſimam, exhibet; item DAVID CZVITTINGERVS in *ſpecimine Hungariae litteratae p. 121. ſeqq.*

p. 743. qui aut pro primatu romani pontificis, aut contra eumdem &c.) Inter recentiores, qui contra primatum Romani pontificis pugnarunt, eminet, adeoque ſilentio hic praetermittendus non eſt ISAACVS BARROW, cuius *tractatum de ſuprema, quam papa ſibi vindicat, poteſtate eccleſiaſtica*, ex lingua anglicana in germanicam transtulit, & cum praefatione ampliſſima edidit AVGVSTVS TITTELIVS, Lipſiae anno 1723. 4. Poſt introductionem quamdam BARROWIVS ſequentia, quibus primatus pontificis innititur, fundamenta diſcutienda ſibi ſumpſit: Petrum apoſtolorum fuiſſe principem; primatum iſtum Petri, vna cum iuribus & praerogatiuis cum eo connexis, non ipſi fuiſſe proprium, ſed ita comparatum, vt ad omnes eius ſucceſſores debuerit propagari; Petrum

trum epiſcopum fuiſſe romanum; Petrum, cum Roma diſceſſiſſet, manſiſſe tamen vrbis iſtius epiſcopum, & quidem ad vitae vsque finem; epiſcopos romanos, ex inſtitutione diuina, adeoque & iure, quod inde oriatur, diuino, primatu quodam vniuerſali & iurisdictione in totam eccleſiam chriſtianam gaudere; penes epiſcopos romanos inde a Petro ſemper ſupremam hancce poteſtatem reuera fuiſſe, illosque eamdem exercuiſſe; poteſtate hacce ſuprema numquam eos poſſe priuari, quae & mutationi nulli ſit obnoxia. In quibus quidem omnibus examinandis auctor ingenium pariter ac peritiam antiquitatis haud vulgarem demonſtrat; nec indignum eſt opus hocce elogio iſto, quo IO. TILLOTSONVS in *praefatione* iſtud ornauit, dum inter alia auctorem multa dixiſſe, pronuntiat, quae toti huic controuerſiae finem imponere queant. Placuit autem interpreti AVGVSTO TITTELIO alium eiusdem fere generis librum, LVDOVICI ſcilicet MAIMBVRGII *tractatum hiſtoricum de inſtitutione & praerogatiuis eccleſiae Romanae eiusque epiſcoporum*, ex lingua gallicana in germanicam translatum & adnotationibus illuſtratum, illi adiungere. Dignusque eſt iſte MAIMBVRGII liber, qui primum anno 1685. deinde acceſſionibus quibusdam auctus anno 1688. prodiit, cuius prae reliquis in hoc genere habeatur ratio; quamquam dubitari fere queat, num inter eos, qui primatum pontificis defendunt, an inter eos, qui illum impugnaut, referendus ſit. Licet enim in *quinque* prioribus *capitibus* id agat, vt primatum Petri euincat illique ac ſucceſſoribus eius non tantum ἐξοχὴν prae reliquis epiſcopis, ſed & iurisdictionem in vniuerſam eccleſiam vindicet ſimulque chriſtianorum totius orbis cum viſibili eccleſiae capite, hoc eſt, pontifice Romano, vnionis neceſſitatem inculcet, adeo, vt ſi vel maxime aliquis cum confesſione Petri *Matth. XVI. 16.* conſentiat; ſi tamen primatum & iurisdictionem capitis iſtius viſibilis in eccleſiam non agnoſcat, non poſſit non in haereticorum referri numerum: nihiloſecius, quando in ſequentibus ad controuerſias, quae in ipſa eccleſia romana agitari ſolent, progreditur, pontificem, cum ſine concilio vniuerſali, aut eccleſiae conſenſu ſententiam pronuntiat, falli omnino & errare poſſe, concedit, eum ſupra concilia eſſe negat, poteſtatem regendi eccleſiam, non aliam, quam quae canonibus circumſcripta ſit, tribuit, nullaque omnino in temporalibus poteſtate, ſiue directa ea ſit, ſiue indirecta, gaudere contendit; inque hisce omnibus ita ſe gerit, vt non tam ipſemet controuerſias iſtas decidere, ſed aliorum tantum, qui talia docuerunt, inſiſtere veſtigiis, videri velit. Et pontifices quidem ſaepisſime ſententiam pronuntiando erraſſe, multis exemplis probat *cap. VII.* ad *XVI. p. 661. ſeqq.* Dumque *cap. XVII. ſeqq. p. 721. ſeqq.* fuſe probat, pontifices conciliis vniuerſalibus eorumque ſanctionibus ſubiectos eſſe, ſimul *cap. XXII. ſeqq. p. 755. ſeqq.* Conſtantienſis concilii hac de re decreta contra EMANVELEM SCHELSTRATENVM vindicat, id quod & ſupra iam a nobis obſeruatum ad §. *X. p. 726.* Conferenda quae de hocce MAIMBVRGII libro obſeruat VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS in *dem Chriſten-Stat*, & quidem in *additionibus* ad *lib. III. cap. XII. p. 1018. ſeqq.* Non omnibus romanae eccleſiae addictis eum placuiſſe, ex dictis facile intelligitur. Cenſuram itaque hinc expertus eſt auctoris, qui edidit: *conſiderations ſur le traité hiſtorique de l' etabliſſement & des prerogatives de l' Egliſe de Rome & de ſes Evêques par M. Maimburg &c.* Coloniae 1686. 12. add. PETRVS BAELIVS *dans les nouvelles de la republique des lettres, M DC LXXXVI. menſe April. num. III. p. 461. ſeqq. ibid.*

ibid. Claudii Salmaſii tractatus de primatu papae &c.) Prodiit Lugduni Batauorum anno 1645. 4. Adiunxit illi NILI, archiepiſcopi Theſſalonicenſis, & BARLAAMI argumenti eiusdem libellos, iam antea a ſe editos. De NILO iſto vid. LEONIS ALLATII *diatriba de Nilis & eorum ſcriptis*, in IO. ALB. FABRICII *bibliotheca graeca volum. V. p. 59. ſeqq.* de BARLAAMO autem FABRICIVS ipſe eiusdem *bibliothecae volum. X. ſiue lib. V. cap. XLIII. p. 427. ſeqq.* Libro SALMASII *de primatu papae* IOANNES DARTES, iureconſultus Pariſinus, iterum *libros tres de ordinibus & dignitatibus eccleſiaſticis* oppoſuit, ſed quos reſponſione minime dignos iudicauit SALMASIVS.

p. 747. recentiſſimae iſtius ſplendidiſſimaeque &c.) Eodem fere tempore, quo alter operis huius tomus Romae lucem adſpexit, anno ſcilicet 1724. ibidem prodiit *liber pontificialis; ſeu de geſtis Romanorum pontificum*, opera & ſtudio IOANNIS VIGNOLII, in 4. quae licet notis longe paucioribus gaudeat editio, quam FRANCISCI BLANCHINI illa, a nobis laudata; ad codices tamen manuſcriptos Vaticanos caſtigata eſt, variis lectionibus & animaduerſionibus inſtructa. ANASTASII autem nomen omiſſum, ne typographo editionis, quam BLANCHINO debemus, conquerendi cauſſa daretur, qui aegre ferre poterat, eumdem librum in eadem vrbe tam facili ſumtu recudi; conf. *acta erudit. Lipſ. MDCCXXVII. menſe Febr. p. 52. ſeqq.*

p. 756. Hosce, qui ſequutus fuerit duces, haud difficulter &c.) Conſulendi tamen etiam, qui liturgiarum aut ſcriptorum liturgicorum collectiones dederunt, quorum notitiam ſuppeditat IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. volum. XIII.* ſiue *lib. VI. cap. X. p. 814. ſeqq.* Addendus illis THOMAS BRETT, qui lingua anglicana *collectionem praecipuarum liturgiarum eccleſiae chriſtianae, in celebratione ſacrae euchariſtiae vſitatarum, inprimis veterum, videlicet Clementinae, qualis exſtat in conſtitutionibus apoſtolicis, liturgiarum ſancti Iacobi, ſancti Marci, ſancti Chryſoſtomi, ſancti Baſilii &c. a diuerſis auctoribus anglice verſarum;* cum *diſſertatione de illarum vtilitate & auctoritate, in qua ſimul diuerſae illarum corruptiones, & interpretationes notantur,* in lucem emiſit, Londini 1720. 8. conf. *acta erudítor. Lipſ. MDCCXXII. menſ. Iul. p. 333.*

p. 761. Inter latinae eccleſiae libros eccleſiaſticos eminet ordo romanus &c.) *Ordinem romanum de miſſa pontificiali*, qualis a GEORGIO CASSANDRO, & deinde a MELCHIORE HITTORPIO, fuit vulgatus, ſed amplius, quam dimidia parte auctiorem, exhibet IOAN. MABILLONIVS *tom. II. muſei italici*, Pariſiis anno 1689. 4. editi; vbi & alios eiusmodi *ordines*; ſiue libros rituales eccleſiae romanae, luci publicae expoſuit; conf. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XIII.* ſiue *lib. VI. cap. X. p. 828.* Ad accuratiorem autem librorum eccleſiaſticorum eccleſiae latinae comparandam notitiam, plurimum praeter eos, quos iam laudauimus, conferet *ſyllabus librorum ſacramentorum, miſſalium, pontificalium, ritualium; ſeu manualium, ordinariorum tam manuſcriptorum, quam editorum*, quem libris quatuor *de antiquis eccleſiae ritibus*, Rothomagi anno 1700. editis, & quidem *libro primo*, EDMVNDVS MARTENE praemiſit.

AD

AD LIBRI II. CAP. VI.

P. 768. In iuriſprudentia eccleſiaſtica neminem ſine hiſtoriae eccleſiaſticae notitia recte verſari &c.) Idem etiam demonſtrauit IOAN. SALOMO BRVNNQVELL in *diſſertat. de vtilitate ex hiſtoria atque antiquitatibus ſacris in iuriſprudentiae eccleſiaſticae ſtudio capienda*, quam INNOCENTII CIRONII *obſeruationibus iuris canonici*, Ienae anno 1726. 4. recuſis, praemiſit.

p. 772. addenda nunc omnino eſt, quam Ioannes Hudſonus dedit) Recuſa ea eſt Amſtelodami anno 1726. duobus tomis in fol. opera & ſtudio SIGEBERTI HAVERCAMPI. Qua in editione quid acceſſerit, ex ipſa inſcriptione condiſcere licet, quae ita ſe habet: *Flauii Ioſephi quae reperiri potuerunt opera omnia, graece & latine, cum notis & noua verſione Ioannis Hudſoni; accedunt nunc primum notae integrae ad graeca Ioſephi & varios eiusdem libros Eduardi Bernardi, Iacobi Gronouii, Franciſci Combefiſii, Ioannis Sibrandae, Henrici Aldrichii, vt & ineditae in vniuerſa Ioſephi opera Ioan. Cocceii, Ezechielis Spanhemii, Hadriani Relandi ſelectae aliorum; adiiciuntur in fine Caroli Daubus libri duo pro teſtimonio Flauii Ioſephi de Ieſu Chriſto, & eiusdem argumenti epiſtolae XXX. virorum doctorum, vt Reineſii, Snellii, Ioan. Frid. Gronouii, aliorumque philologicae & hiſtoricae; vt & Petri Brinck examen chronologiae & hiſtoriae Ioſephicae; Ioan. Bapt. Ottii animaduerſiones ad Ioſephum & ſpecimen lexici Flauiani; Chriſt. Noldii hiſtoria Idumaea; ſeu de vita & geſtis Herodum; quorum ſyllabus exſtat ante initium lib. I. antiquitatum: omnia collegit, diſpoſuit, & poſt Ioan. Hudſonum ad codices fere omnes cum impreſſos, tum manuſcriptos, praecipue Lugduno-Batauos diligenter recenſuit, notasque paſſim ſuas, & quinque in fine indices adiecit* SIGEBERTVS HAVERCAMPVS. Recenſet hanc editionem, & quaedam de eadem obſeruat, IOAN. CLERICVS, *bibliotb. anc. & mod. tom. XVI. part. I. artic. VIII. p. 192. ſeqq.*

p. 776. ad illos progredimur, qui ex inſtituto hiſtoriam eccleſiaſticam &c.) Praeter eos, quos hic laudauimus, quosue alii iam commemorarunt, adhuc obſeruatu dignus AVGVSTINVS CALMETVS, cuius *hiſtoire de l' ancien & du nouveau teſtament*, Pariſiis lucem adſpexit anno 1718. duobus voluminibus in 4. Licet autem inſcriptio *noui* quoque *teſtamenti* hiſtoriam polliceatur; hoc tamen nomine illud ſolum intelligit temporis interuallum, quod ab adſcenſione Chriſti in caelum, vsque ad deſtructam vrbem Hieroſolymam, effluxit. Namque eo vsque, ceu ad finem vaticiniorum veteris teſtamenti, progreditur. Cum vero hocce opus introductionis loco ad *hiſtoriam eccleſiaſticam* FLEVRII (de qua deinceps dicemus) eſſe voluerit; eamdem quoque obſeruauit tractandi rationem. Diſſertationem praemiſit de *praeſtantia hiſtoriae Ebraeorum prae hiſtoria aliarum gentium*; conf. *iournal des ſçavans anno MDCCXIX. menſ. Ianuar. p. 77. ſeqq.* Non alieni ab hoc loco ſunt, qui certa hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti capita illuſtrarunt, vt IACOBVS SAVRINVS, in *diſſertationibus hiſtoricis, criticis, theologicis, moralibus ad praecipuas veteris & noui teſtamenti hiſtorias*, gallice ſcriptis, quarum *tomus I. & II. ad pentateuchum*, Amſtelodami prodiit anno 1720. 8. deinceps autem *diſſertationes* iſtae SAVRINI Hagae Comitum excuſae ſunt anno 1728. duobus tomis in fol. Recenſentur, ſed non ſine acri cenſura *dans la bibliotheque raiſonnée des ouvrages des ſçavans de l' Europe tom. I. part. II. artic. IX. p. 400. ſeqq.* & *tom. II. part. I.*

part. I. artic. VII. p. 177. ſeqq. vindicantur autem *dans les lettres ſerieuſes & badines ſur un livre intitulé, Etat preſent de la republique des provinces unies &c. epiſt. VII. p. 138. ſeqq.* Huius quoque generis ſunt IOSEPHI PASINI *decem diſſertationes ſelectae in pentateuchum*, Auguſtae Taurinorum anno 1722. 4. editae. Immo omnes illi huc quodammodo ſpectant, qui obſeruationes aut diſſertationes criticas, philologicas, exegeticas, in loca quaedam librorum veteris teſtamenti (ne quid de commentariis dicam) ediderunt, quorum praecipuos laudauimus, cum de theologia exegetica verba fecimus.

p. 781. Auguſtinus Calmet in dictionario &c.) *Dictionarium* hocce CALMETI *e gallico in latinum translatum & nonnihil expurgatum* a IO. DOMINICO MANSI, Lucenſi, prodiit Lucae, & recuſum eſt Auguſtae Vindelicorum anno 1729. duobus tomis in fol. Dum *nonnihil expurgatum* dicitur, hoc ita intelligendum, quod interpres, cum nonnulla plane falſa, ſeu vitio typographi, ſeu auctoris lapſu, aut certe praepoſtere deſcripta ex aliis libris deprehendiſſet, ea in notis diligenter emendauerit. Lucem etiam adſpexit *ſupplementum* huius *dictionarii*, auctore ipſomet AVGVSTINO CALMETO, Pariſiis anno 1728. duobus tomis in fol. qui adeo operis huius *tomum tertium* & *quartum* conſtituunt. In hiſce plurima *dictionarii* huius loca ſupplentur, noui quoque articuli non pauci adduntur, & multa praeſertim, quae ad militiam veterum Ebraeorum ſpectant, paſſim inſerta & figuris illuſtrata. Equiti DE FOLLARD ſe debere auctor profitetur, cuius etiam ſingularis *de tactica Ebraeorum* diſſertatio, ſupplemento huic praemiſſa eſt. Sunt porro huius loci & alia quaedam *lexica biblica*, de quibus tamen deinceps ad *libri II. cap. VIII. §. XII.* verba faciemus.

p. 783. De tabernaculo Moſaico &c.) Cumprimis adhuc commemorandus eſt BERNARDVS LAMY, ob *libros ſeptem de tabernaculo foederis, de ſancta ciuitate Ieruſalem, & de templo eius*, Pariſiis editos anno 1720. fol. conf. *iournal des ſçavans anno MDCCXXI. menſ. Iun. p. 673. ſeqq.* vbi & auctoris iſtius vita & ſcripta recenſentur; it. *menſ. Iul. p. 49. ſeqq.*

p. 784. commendandi vel maxime Ioan. Seldeni &c.) Iunctim *omnia* SELDENI *opera, tam edita, quam inedita*, cura & ſtudio DAVIDIS WILKINS prodierunt, qui & *vitam auctoris, praefationes, & indices* adiecit, Londini anno MDCCXXVI. tribus voluminibus in fol. conf. IOAN. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XXV. part. II. artic. III. p. 331.*

p. 799. Antonius Godeau; ſiue Godellus) Quo pacto GODELLVS admonitus a CAROLO LE COINTE nonnulla in altera *hiſtoriae* ſuae *eccleſiaſticae* editione emendauerit, exponit NICERONVS *dans les memoires pour ſervir a l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la republique des lettres &c. tom. IV. p. 277.* Non indigna ſunt, quae legantur.

p. 800. itemque abbas de Choiſy, vt & abbas Fleury &c.) Illius, ſiue abbatis DE CHOISY, tres ſolum tomos recenſet THOMAS ITTIGIVS, *l. c.* Sed plures deinceps prodierunt; & vndecimus quidem; ſiue vltimus Pariſiis lucem vidit anno 1723. Pari ratione & abbatis FLEVRII vndecim tomos memorat ITTIGIVS, ſed deinceps itidem plures acceſſerunt, adeo vt ipſe quidem auctor tomum vigeſimum, qui ab anno 1339. vſque ad annum 1714. progreditur, luci publicae exponeret; poſtea vero ab alio quodam idem opus fuit continuatum, prodiitque tomus XXI. pariter ac XXII. in quo hiſtoria eccleſiaſtica vſque ad annum 1455. deducitur, Bruxellis anno 1726. 8. Diſſertationes quoque, operi huic paſſim inſertae

Digitized by Google

ſertae, in quibus varia monita, hiſtoriae eccleſiaſticae ſtudio inſeruientia, eaque neutiquam contemnenda, continentur, ſeorſim euulgatae ſunt Pariſiis anno 1724. duobus tomis in 8. Inſcribuntur: *diſcours ſur l' hiſtoire eccleſiaſtique par Mr. l' abbé Fleury.*

p. 801. Praecipui & prae reliquis obſeruatu digni &c.) Laude ſua hic neutiquam defraudandus eſt IOAN. GEORGIVS HEINSIVS, qui lingua germanica edidit *kurtze Fragen aus der Kirchen-Hiſtoria des neuen Teſtaments, nach der methode Herrn Iohann Hübners bis auf gegenwaertige Zeit continuirt*; Ienae anno 1725. quinque partibus in 12. Pars quinta anno 1726. prodiit, & ſaeculum decimum ſextum complectitur. Commendandum hocce opus ob perſpicuitatem & concinnum ordinem. Cumprimis autem adhuc commemorandus eſt vir eruditiſſimus celeberrimusque IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, ob *inſtitutiones hiſtoriae eccleſiaſticae noui teſtamenti*, Ienae anno 1726. 8. excuſas, quae omnino elegantioribus compendiis adnumerandae ſunt, aliiſque dubiam reddere palmam poſſunt. Progreſſus autem in iis eſt vsque ad ſaeculum XVI. vt tamen reliquorum etiam, quae reſtant, ſaeculorum nobis ſpem fecerit.

p. 804. De codice ſyriaco hiſtoriam martyrum &c.) De codice hocce ſyriaco EVSEBII, *acta martyrum orientalium & occidentalium* complectente, quem IOSEPHVS SIMONIVS ASSEMANNVS, ſupra quoque nobis iam laudatus, ex oriente ſecum attulit, legenda omnino, quae referuntur in *den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen anno MDCCXIX. num. LXXXVII. p. 689.*

p. 806. cuius martyrologium ſaepe editum &c.) In edendo hocce martyrologio induſtriam ſingularem poſuerat IOANNES BAPTISTA SOLLERIVS, ſocietatis Ieſu theologus, cuius quippe opera & ſtudio *martyrologium Vſuardi, monachi, hac noua editione ad excuſa exemplaria XIV. ad codices manuſcriptos integros XVII. atque ad alios ferme L. collatum, ab additamentis expurgatum, caſtigatum, & quotidianis obſeruationibus illuſtratum,* Antwerpiae prodiit anno 1714. fol. In cuius quidem editionis praefatione praeter alia etiam de martyrologiis copioſe & erudite differit. Legenda *acta erudit. Lipſ. MDCCXV. menſ. Nou. p. 473. ſeqq.* Verum exſtitit deinceps quidam ex congregatione ſancti Mauri, monachus Benedictinus, qui huncce SOLLERII laborem irritum fuiſſe, contendit, eo, quod autographum VSVARDI illi ad manus non fuerit. Publicae itaque luci expoſuit *Vſuardi San-Germanenſis, monachi, martyrologium ſincerum, ad autographi in San-Germanenſi abbatia ſeruati, fidem editum, & ab obſeruationibus Sollerii ſocietatis Ieſu vindicatum,* Pariſiis 1718. conf. *iournal des ſçavans MDCCXIX. menſe Febr. p. 183. ſeq.*

p. 807. Plura, qui de martyrologiis ſcire auet &c.) Conferendus & CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS *introduct. in hiſt. theol. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, part. III. lib. IV. §. X. p. 296. ſeqq.*

p. 808. Doctrinae ſacrae conſeruatio &c.) Hiſtoria dogmatum, tum verorum, tum falſorum, partim ad *theologiam patriſticam*, partim ad *haereſiologiam* ſpectat. Sunt tamen, qui vtraque complectuntur, vt qui religiones huius vniuerſi deſcribunt. Hi equidem, cum & de caerimoniis, quibus cultus Numinis peragitur, exponere ſoleant; ab aliis ad ſcriptores, qui de ritibus & moribus gentium praecipiunt, referuntur. Quoniam vero & ſubinde dogmata, tum vera, tum falſa, recenſent; nihil obſtat, quo minus iis & hic locus concedatur. Huc ergo ſpectant

EDVAR-

Digitized by Google

EDVARDVS BREREWOODIVS, in *ſcrutinio religionum*, anglice ſcripto, & in linguam tum gallicam, tum latinam; & in hanc quidem a IO. IONSTONO conuerſo; ALEXANDER ROSSAEVS, cuius liber, ex anglicana lingua in germanicam ab ALBERTO REIMARO translatus, inſcribitur: *der gantzen Welt Religionen &c.* deinceps autem iterum, variis acceſſionibus auctus, germanice a DAVIDE NERRETERO editus, hac ſe inſcriptione commendat: *Schauplatz der ſtreitenden, doch vnüberwindlichen chriſtlichen Kirchen*, Norimbergae anno 1707. tribus tomis in 8. HIERONYMVS KROMAYERVS, in *ſcrutinio religionum*, Francofurti & Lipſiae anno 1681. 4. GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS, in *hiſtoria religionum, chriſtianae, iudaicae, gentilis & Mahommedanae a condito mundo ad noſtra vsque tempora*, Helmſtadii anno 1697. 4. aliique, quos IOAN. CHRISTOPHORVS DORNIVS laudat, in *bibliotheca theologica critica &c. lib. III. cap. I. p. 261. ſeqq.* conf. & CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata part. III. lib. IV. §. XV. p. 320.* Cum autem, qui totius mundi religiones ſibi deſcribendas ſumunt, nimis multa complectantur; mirum non eſt, quod haud raro ἀκρίβεια in iis deſideretur. Idque vel maxime exemplo ſuo non ita pridem demonſtrauit IOVETVS, cuius *l' hiſtoire des religions de tous les royannes du monde*, Pariſiis prodiit anno 1724. ſex tomis in 12. Quam enim turpiter is in plurimis errauerit, oſtendit IO. CHRISTOPHORVS COLERVS, in *der auserleſenen theologiſchen bibliotheque part. VIII. num. II. p. 676. ſeqq.*

p. 818. qui hiſtoriam conciliorum ſcripſerunt &c.) Horum praecipuos, praeſertim prout eorum notitia iurisprudentiae eccleſiaſticae inſeruit, commemorauimus *cap. praeced.* ad §. *VIII. p. 702. ſeqq.* Ex quibus licet nonnulli ſimul colloquia inter theologos partium diſſentientium, poſt emendationem eccleſiae, ſubinde inſtituta exhibeant; quamquam omnino ingens diſcrimen inter concilia, & eiusmodi colloquia intercedat; eos tamen, qui de his ſpeciatim egerunt, obſeruare iuuabit, cum inſignem hiſtoriae eccleſiaſticae partem conſtituant, & theologiae polemicae quoque inſeruiant. Hinc quosdam equidem, qui notitiam eiusmodi colloquiorum ſuppeditant, vt IOANNEM LVDOVICVM HARTMANNVM *concilior. illuſtrator. tom. IV. p. 450. ſeqq.* IOANNEM ANDREAM SCHMIDIVM in *Sagittarianae introductionis ſupplementis & continuat. p. 1495. ſeqq.* HENRICVM CONRADVM AREND in *diſſertat. hiſtorico-theologica*, ſub meo moderamine in hac academia habita, *de colloquiis charitatiuis ſaeculo decimo ſexto per Germaniam irrito euentu inſtitutis*; CHRISTOPHORVM MATTHAEVM PFAFFIVM in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. part. II. lib. III.* ad §. *VIII. p. 175. ſeqq.* aliud velut agendo & in loco alieno indicaui infra *cap. VII.* ad §. *X. p. 1164.* Addi vero his & alii poſſunt. Et ſummatim quidem hiſtoriam colloquiorum praeter HIERONYMVM KROMAYERVM, CHRISTIANVM KORTHOLTVM, GOTTFRIEDVM ARNOLDVM, aliosque hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores, ſiſtit ADAMVS RECHENBERGIVS in *notitia conciliorum & colloquiorum religionis cauſſa habitorum*, eiusdem *adpendici tripartitae* ad libros *ſymbolicos eccleſiae noſtrae* ſubiecta, *cap. III. p. 296. ſeqq.* Ex reformatae eccleſiae doctoribus hic quoque conſulere iuuabit IO. HOORNBECKIVM in *ſumma controuerſiar. lib. IX. p. 664. ſeqq.* IO. HENRICVM HOTTINGERVM in *bibliothecario quadripartito, bibliothec. theolog. lib. III. cap. I. §. IX. p. 350. ſeqq.* cumprimis GIS-

BERTVM VOETIVM in *politica eccleſiaſtica part. III. lib. III. tractat. IV. ſect. I. cap. I. p. 652. ſeqq.* Ea, quae ſpeciatim inter noſtrae & reformatae eccleſiae theologos inſtituta fuerunt, recenſet atque deſcribit PETRVS ZORNIVS in *hiſtoria derer zwiſchen den Lutheriſchen vnd reformirten theologis gehaltenen colloquiorum*, Hamburgi 1705. 8. eoque etiam pertinet eiusdem auctoris *Bedencken von Sam. Strimeſii nichtigen Anmerckungen über die fürnehmſte colloquia zur Erlauterung ſeiner hiſtoriae colloquiorum*; quod quidem ſcriptum ſubnexum eſt alteri, quod vocatur: *gründliche Ausführung, daſs die Lutheriſche Wahrheit einige Reformirte ſo weit überwunden &c.* Hamburgi 1705. 8. add. CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS *l. c. p. 175.* vbi de colloquiis inter noſtrates & reformatos agit; quemadmodum de colloquiis inter noſtrates & pontificios quaedam monet ad §. *VII. p. 156.* De colloquiis inter noſtrates & anabaptiſtas legendus auctor libri *gründliche hiſtorie von denen Begebenheiten, Streitigkeiten &c. ſo vnter denen Tauffgeſinnten &c. vorgegangen*, quem in linguam germanicam transtulit IOACHIMVS CHRISTIANVS IEHRINGIVS §. *LXII. ſeqq. p. 170. ſeqq.* Dudum autem viri docti optarunt, vt colloquiorum, ſi non omnium, ſaltem praecipuorum acta iunctim ederentur; cuiusmodi quid olim IO. ANDREAS SCHMIDIVS, theologus Helmſtadienſis, molitus eſt; cum autem aliis negotiis praepeditus inſtitutum hocce perficere non poſſet, iſtud in ſe ſuſcepit IOAN. MICHAEL HEINECCIVS, qui & *ſchediaſmate de colloquiis religioſis publice & priuatim, intra bina haec ſaecula, habitis, eorumque vtilitate egregia, quo ad editionem iſtorum, eruditorum ſymbolae efflagitantur*, Halae Magdeburgicae 1719. edito, iſtud ſignificauit. Illorum nimirum colloquiorum exhibere acta voluit, in quibus noſtrae eccleſiae theologorum partes quaedam fuerunt; ſiue cum pontificiis, ſiue cum reformatis, ſiue cum ipſis a communi confeſſione diſſentientibus theologis, ſiue denique cum Socinianis, anabaptiſtis & fanaticis fuerint inſtituta. Enimuero licet eiusmodi colloquia vtplurimum fructu, qui inde ſperabatur, fuerint deſtituta; ipſa tamen illorum acta hiſtoriamque multum adferre vtilitatis, negari nequit, cum in iis plerumque de rebus grauiſſimis inter viros doctiſſimos, ingenioque & doctrina praeſtantiſſimos, fuerit diſputatum. Nec ſine ratione HEINECCIVM pronuntiaſſe arbitror: *Quantacumque ſit conciliorum auctoritas, & quantacumque inde vtilitas ſperanda ſit; adfirmare tamen non dubitarim, multo vberiorem fructum ex colloquiorum eccleſiaſticorum hiſtoria atque actis eſſe exſpectandum.* Eo magis dolendum, per mortem viri huius docti iſtam quoque, quam nobis fecit ſpem, euanuiſſe.

p. 825. ſed ex iis nihil aliud ſupereſt.) De fide inſuper & auctoritate HEGESIPPI, viri docti, multa diſputant. Certe in *hiſtoria martyrii Iacobi, fratris domini*, apud EVSEBIVM *l. c.* talia de apoſtolo hocce tradit, quae parum ſunt credibilia. Conferenda quae hac de re dixi in *commentatione hiſtorico-dogmatica de eccleſia apoſtolica cap. IV.* ad §. *III. p. 232. ſeqq.*

ibid. At vero nec hocce opus integrum &c.) Habuit hosce IVLII, africani, *de chronographia libros V.* EVSEBIVS, qui & eos ἐπ' ἀκριβὲς πεπονημένα σπουδάσματα *accuratiſſime compoſitos* adpellitat; *hiſt. eccleſiaſt. lib. VI. cap. XXXI. p. 230.* Vidit eosdem HIERONYMVS, idque indicat, quando IVLIO huic *quinque de temporibus volumina* tribuit, *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LXIII.* PHOTIVS illos itidem legit, atque ita de auctore pronuntiat: ἔστι δὲ σύντομος μὲν, ἀλλὰ μηδὲν τῶν ἀναγκαίων ἱστορηθῆναι

ἱστορηθῆναι παραλιμπάνων. *Conciſus quidem eſt, nihil tamen cognitu neceſſarium omittit; cod. XXXIV. p. 19.* GEORGIVM quoque SYNCELLVM libros hoſce habuiſſe, dubitari fere nequit, cum ea, quae is ex IVLIO, africano, laudat, non omnia ex EVSEBIO deſumpta videantur. Temporum autem iniuria factum, vt hodie non amplius opus iſtud exſtet. HEBED IESV equidem, vt IO. ANDREAE SCHMIDIO obſeruatum, chronicon africani apud Chaldaeos etiam nunc exſtare auctor eſt; vt GER. IOANNES VOSSIVS, vt idem vir doctus monet, indicat, primum librum collectaneorum chronologicorum, quorum ſex Gallus quidam Caroli magni aetate dedit, eſſe IVLII, africani, cum inſcriptio praeferat incerti nominis ſcriptorem, qui ſub Alexandro Seuero floruit, quo etiam tempore africanus vixit; *ſed nec illius*, inquit SCHMIDIVS, *nec huius auctoritas nos mouebit, niſi certiora fuerint adducta argumenta; id autem certo certius nobis conſtat, integrum hoc opus in priorem chronici ſui partem ſecure transfudiſſe Euſebium, haud vlla africani mentione facta, & nunc deperditis tum africani, tum Euſebii graecis, nihil reſtare niſi, quae Georgius Syncellus in chronographia ſua conſeruauit*; in *programmate de ſcriptis ad hiſtoriam ſacram facientibus deperditis*, Helmſtadii anno 1708. 4. excuſo, in quo, vbi fragmenta operis huius deperditi exſtent, indicat, & de ipſo IVLIO, africano, ceteriſque eius ſcriptis diligenter diſſerit. EVSEBIVM in chronico, παντοδαπὴ ἱστορία dicto, ſua fere ex IVLIO africano deſumſiſſe, ſupra quoque iam indicatum *part. I. cap. IV.* ad §. *XVII. p. 172.*

p. 830. qui ex recentioribus hocce ſpeciatim interuallum &c.) Referenda huc etiam eſt IOAN. CONRADI DANHAVERI *Chriſteis; ſiue drama ſacrum, in quo eccleſiae militia a Ieſu Chriſto ad thronum coeleſtem exaltato, ad nouiſſimum vsque ac praeſens ſaeculum deducitur, aenigmatice primum, poſt aperto commentario.* Eius enim duo ſolum hucusque lucem adſpexerunt *actus*; & *primus* quidem *triſaecularem eccleſiae ſortem a Chriſto in coelos ſublimato, vsque ad Conſtantinum magnum in throno victoriae terreſtri conſidentem, exhibens*, primum Argentorati prodiit anno 1646. 4. deinceps Wittebergae anno 1696. 4. *ſecundus* autem *actus, alteram triſaecularem eccleſiae ſortem a Conſtantino magno vsque ad Heraclium imperatorem exhibens*, cura & ſtudio IOANNIS FRIDERICI WANDALINI, theologi Haffnienſis, e manuſcripto codice editus eſt Haffniae anno 1708. 4. De CONRADO HORNEIO, IOANNE HENICHIO, aliiſque, qui hancce hiſtoriae eccleſiaſticae partem illuſtrarunt, conferendus THOMAS ITTIGIVS in *praefatione ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi primi* praemiſſa, §. *LXXXV. ſeqq. p. 95. ſeqq.* De BALTHASARIS BEBELII *antiquitatibus eccleſiae in quatuor prioribus poſt Chriſtum natum ſaeculis euangelicae &c.* quae huc etiam quodammodo ſpectare videntur, iam ſupra dictum *cap. III.* libri huius ad §. *IX. p. 512.*

p. 839. Reliquos, qui breuiores hic duxerunt lineas &c.) Illi, quos commemorauimus, praecipue hiſtoriam reformationis eccleſiae in Germania tradunt. Addi itaque potuiſſent, qui eccleſiae in aliis quoque regnis ac rebus publicis emendationem deſcribunt; niſi ad ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae particulares nobis deſcendendum eſſet, de quibus deinceps ad §. *IX. p. 849.* verba faciemus. Interim conferre iuuabit CHRISTOPHORVM MATTHAEVM PFAFFIVM, *introduct. in hiſt. theol. litter. notis ampliſſimis illuſtrata part. III. lib. IV.* §. *XI. p. 313. ſeqq.*

p. 842. qui ſeptemdecim concionibus

Digitized by Google

vitam Lutheri enarrauit &c. Recuſae etiam ſunt Francofurti & Lipſiae anno 1724. 8. atque inſcriptae: *das Leben Martin Luthers beſchrieben von M. Ioh. Mattheſio.* Ceterum ſcriptis hisce, quae memorauimus de vita Lutheri, addere adhuc iuuabit IO. QVODVVLTDEI BVRGERI *hiſtoriſche Nachricht von des ſeel. Herrn Martini Lutheri Münchs - Stand vnd Kloſter - Leben*, Lipſiae & Martisburgi 1717. 8.

p. 849. Diligenter eos enarrant &c.) Conferendus omnino & CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, *introduct. in hiſtor. theol. litterar. not. ampliſſimis illuſtrat. part. III. lib. IV. §. III. p. 31. ſeqq.*

AD LIB. II. CAP. VII.

P. 857. Summatim de controuerſiis tempore apoſtolorum &c.) Copioſius cuncta ediſſerui in *comment.at. hiſtorico - dogmat. de eccleſia apoſtolica; ſiue de ſtatu eccleſiae chriſtianae ſub apoſtolis*, quae anno 1729. 8. prodiit, *cap. I. II. & III.* itemque *cap. V.*

p. 858. Hos inter commemorandus &c.) Poſſet & CLEMENTI Romano hic locus concedi, ſi *libri decem recognitionum*, & *Clementina*, quorum illi latine, haec autem graece & latine, in IO. BAPTISTAE COTELERII *operibus patrum apoſtolicorum tom. I. p. 491. ſeqq.* exſtant, genuina eſſent. In vtrisque enim nonnulla ad veritatem religionis chriſtianae contra diſſentientes demonſtrandam, occurrere obſeruat IOAN. ALBERTVS FABRICIVS in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. II. §. VI. p. 41.* Nec diſſentit, praeſertim ad *Clementina* quod attinet, vir doctiſſimus IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS; ſimul tamen auctorem iſtorum *Clementinorum* longe alia, quam reliqui, in hoc argumento verſatum ratione, contendit. Qua de re cum ſingularia quaedam, & obſeruatu digna, ab hoc loco etiam non aliena proferat, paucis ea commemorare non abs re fuerit. Librum hunce circa exordium ſaeculi tertii prodiiſſe, rationibus minime contemnendis euincit. Auctorem autem Iudaeum fuiſſe contendit, eumque Alexandriae genitum & educatum; quorum hoc, praeter alia quaedam, ipſa teſtetur dictio, Alexandrini ſermonis indolem referens; illud autem ex fabularum & opinionum iudaicarum copia, quibus cogitata ſua ſcriptor diſtinguat, perſpicuum ſit. Nec dubitat, quin exemplo aliorum Iudaeorum Alexandrinorum, philoſophiam, tum temporis Alexandriae florentem, animo imbiberit; id quod cum alia, tum doctrina eius de daemoniis & geniis, ſimilibusque capitibus, cum IAMLICHI, PLOTINI, PORPHYRII placitis conſentiens, teſtetur. Iam ad rem ipſam quod attinet, opus hocce idcirco ab auctore compoſitum eſſe, vir eruditiſſimus exiſtimat, vt refellerentur illi, quibus tum temporis aduerſariis vtebatur chriſtiana religio; etiamſi enim hoc laboris genus antea haud paucos ex praeſtantiſſimis chriſtianorum doctoribus exercuiſſet; ſine dubio tamen philoſophum hunc ſibi perſuaſiſſe, neminem eorum hoc officium ita eſſe exſequutum, quemadmodum decuiſſet, resque flagitaſſet; ideoque nouam eum inire voluiſſe viam, quae vniuerſum hoc negotium exhauriret, omniumque ingenio & captui eſſet accommodata. Seriam ſcilicet grauemque orationem & diſputationem, impeditam etiam ac parum exornatam, qua plerique, qui ad illud vsque tempus pro chriſtiana religione verba fecerant, vſi fuerant, cum paucis probari animaduerteret,

Digitized by Google

ret, ipſummet eiusmodi commentandi modum delegiſſe, qui cum dictionis amoenitate & dulcedine lectores alliceret, tum narrationis varietate animum legentis ſuauiter adficeret; fabulas itaque iucundas, nec inficetas prorſus, formam; ſiue σχῆμα optimum exiſtimaſſe fore coeleſtis doctrinae condimentum. Cum porro, qui tum exſtabant religionis chriſtianae adſertores & vindices, non omnes coniunctim ex vno volumine adorti eſſent hoſtes, ſed velut viritim pugnaſſent, alio quidem religionem vulgi abſurditatis arguente, & cultum plurium deorum deiiciente, alio Iudaeorum argutias & ſomnia excutiente, nonnullis haereticorum caſtigantibus delicatiores & ineptias; philoſophum noſtrum perpendentem, moleſtum haud dubie plerisque eſſe, ex multis libris, inuentu fortaſſis praeterea, vt tunc erant tempora, difficilioribus proficere, omnes vno volumine conficere decreuiſſe aduerſarios, quotquot tum ſacris chriſtianis infenſi erant, indeque adeo diſputationum in hoc opere manaſſe varietatem, quibus modo ſimulacrorum, deorumque religio, qualis tum multitudini recepta erat, euertatur; modo Iudaeorum captiones funditus, quamquam peruerſa ratione, disiiciantur; modo philoſophorum ratiocinationibus occurratur; modo denique antiquiorum haereticorum copiae, quorum princeps Simon ille magus ferebatur, profligentur; neque rationem reddi poſſe aliam tot, tamque variorum ſermonum, mutationum, itinerum Petri & aliorum, quos in ſcenam homo philoſophus immittat, niſi ex hoc principio. Sed & cum multi propugnatorum chriſtianae religionis in eo naeuum admiſiſſent, quod fuſe & copioſe confutatis vulgi religionibus, fabuliſque poëtarum de diis & heroibus exploſis, longe parcius attigerint philoſophorum, quibus vel multitudinis ſacris mederi, vel ſuis etiam conſulere ſtuduerint rationibus, effugia; huius quoque maculae correctionem auctorem *Clementinorum* ſibi datam credidiſſe; eamque ob cauſſam egregie quidem paſſim multitudinem deorum & ſimulacra proſternere atque euertere; at multo etiam fuſius, & quod minime negari debeat, ſolide & accurate cum philoſophis congredi; nec enim eos tantum eleganter & ſcite illum refellere, qui ſtoliditatem fabularum allegoriis obtegebant; verum etiam in aliorum de fato, iuſto & iniuſto, naturali iuſtitia, aliisque opinionibus configendis, non contemnendam collocare induſtriam. *Falluntur*, inquit vir doctiſſimus, *profecto, qui nauci hunc hominem fuiſſe credunt, neque praeter otioſi nugatoris veſtigia in eo ſani aliquid deprehendi adſeuerant; habet enim non pauca, quae virum teſtantur non puerorum more inſtitutum, ſed ratione & perſpicuitate multos aetatis ſuae antegreſſum, etſi nec alia deſint Sabinorum ſomniis, quam ſapientum monitis ſimiliora.* Cum denique, qui ex antiquis haereticos ſigillatim ſibi oppugnandos ſumſerant, ſacrarum cumprimis litterarum niterentur praeſidio; ea autem ratione aduerſus eos, qui plane ſibi aliquid cum ſacris litteris rei eſſe negabant, vel integris ſanisque libris alios corruptos a ſe & adulteratos vel ſuppoſitos opponebant, nihil efficerent, nouum hunc rei chriſtianae defenſorem a philoſophia potius & ratione, quam e ſacro codice petiiſſe MOSHEMIVS obſeruat, quibus hanc turbam compeſceret ac obrueret; cumque ſimul in eam ingreſſus eſſet opinionem, illos, qui conſueto more chriſtianam religionem explicabant, ſic vt ea libris continetur ſacris, impares ſemper fore hoſtium incurſionibus, nouo prorſus modo ſanctiſſimam ſibi religionem diſponendam eſſe, nouumque eius & philoſophicum veluti habitum effingendum ſtatuiſſe, quo quicquid proferrent vel philoſophi, vel haeretici, ea nihiloſecius vinceret

ceret ac triumpharet; quod tamen propoſitum peſſime ceſſerit homini alioquin ingenioſo, nec feliciter cedere potuerit. Hinc enim adſerta eius quaedam non tantum paradoxa, ſed & abſona plane atque impia fluxiſſe; quorum exempla quaedam adfert, inter quae primum quaeſtio illa, quam vexatiſſimam vocat, inter philoſophos & chriſtianos occurrit: quare Chriſtus, ſi nulla eſſet, niſi eo duce, ad coelum via, non maturius in has terras deſcenderit? in hac enim diluenda cum mirifice chriſtiani deſudauerint, quod vel ARNOBIVS docere queat, qui ad ignorantiam demum hominum tamquam ad aſylum ſeſe recipiat, auctorem *Clementinorum* ignorantiae exprobrationem non ferentem, vt hinc ſe expediret, eo prolapſum eſſe, vt adſereret: Chriſtum & Adamum non differre; hunc aeternam legem ab initio ſtatim tradidiſſe hominibus, quam deinceps illi deſeruerint, *ab initioque ſaeculi, formas vna cum nominibus mutantem, percurriſſe ſaeculum, donec nactus ſua tempora, Dei miſericordia vnctus, requiem in aeternum poſſideat*; ex quo & perſpiciatur, quam exilem de Chriſto, eiusque natura ſententiam fouerit. Eiusdem generis & alia adfert. Quod vero auctor iſte *Clementinorum* Paulum apoſtolum tanto tamque exquiſito proſequutus ſit odio, non tam inde factum putat, quod ex genere Ebionitarum fuerit, quos Pauli doctrinam vehementer auerſatos fuiſſe EPIPHANIVS doceat, quam potius, quod Pauli ſcripta, ſententiae, quam de libera hominum voluntate fouerit, prorſus aduerſari, iudicauerit; imbutum namque fuiſſe principiis AMMONII, PLOTINI, & reliquorum, quibus tamquam firmamentis & fulcris iſtius aetatis philoſophia nixa fuerit, quibusue nulli fere acrius contra fatum & neceſſitatem dimicauerint, nulli libertati hominum, quod PROCLI & PLOTINI ſcripta teſtentur, ampliorem poteſtatem dederint; hisque omnino ſe conſentire, paſſim auctorem iſtum oſtendere; cui etiam cum conſtitutum eſſet veteres haereticos, fati prope omnia legibus ſubiicientes, refutare atque conficere, fieri hoc non poſſe ſibi perſuaſiſſe, ſi quae Paulus de hominum impotentia, Deique ad bonam hominum voluntatem, actiones & cogitationes concurſione praecipit, vera eſſent. Paulum itaque, quem philoſophiae ſuae non concinere ſenſerit, ſuo relinquendum eſſe loco, cenſuiſſe, nec praeter Petrum quemquam fere ſibi inducendum indicaſſe. Denique cur ſub CLEMENTIS nomine impoſtor hicce latitare voluerit, exponit; ſimulque obſeruat, locis aliquot, perſuaſum ſibi fuiſſe, quamquam obſcurius, indicare, licere veritatis cauſſa mentiri, quodue rationibus & arte nequeas efficere, id dolis & fallaciis tentare. Quod dum copioſius edifferit, eamdem fuiſſe primo Aegyptiorum doctrinam oſtendit, poſtea PYTHAGORAE, tum PLATONIS, ab his ad philoſophos iſtos manaſſe, qui cum eclectici eſſent, Platonici tamen videri voluerint, & ab AMMONIO originem duxerint, per quos & chriſtianorum non vltima pars fuerit infecta, quod tum ex fabulis de Simone mago, ſaeculo tertio natis, quas chriſtiani Platonici excogitauerint, probat, tum ORIGENIS & CHRYSOSTOMI teſtimoniis confirmat. Atque haec ſumma eſt illorum, quae MOSHEMIVS non minus eleganter, quam erudite hac de re diſputat in *diſſertat. de turbata per recentiores Platonicos eccleſia*, praeſertim §. *VIII. ſeqq.* quaeue paullo copioſius exhibere viſum fuit, vt genuina viri doctiſſimi eo rectius intelligeretur ſententia. Quae quidem & vel hoc nomine multis ſe probabit, quod cuncta ingenioſe ſint excogitata, quodue per eam quorumdam, quae obſcura ceteroquin ſunt, ſatisque impedita, haud inconcinne ratio reddi queat. Interim haud diffitendum,

dum, quaedam ad meras hic redire coniecturas; quemadmodum & forte quibusdam vir doctiſſimus nimis praeclare de auctore *Clementinorum* eiusque doctrina & ingenio ſenſiſſe videbitur. Non vtique negandum, quaedam in hocce *Clementinorum* opere occurrere, quae minime ſunt contemnenda, auctoremque nonnullis dubiis haud inepte occurriſſe; dum autem ſubinde ad dubium aliquod remouendum ſententiam longe abſurdiſſimam admittit, ipſamque ſcripturam ſacram, quando aliter ex obiectione quadam ſe expedire nequit, erroris & mendacii arguere non erubeſcit, maiorem, ni fallor, impudentiam, quam vim ingenii demonſtrat. Vera autem falſis mixta in ſcriptura exſtare, diſerte adſerit, certe Petrum hoc adſerentem introducit, *homilia III.* §. *L. p. 652.* Idem etiam, dum libros Moſis non a Moſe ipſo, ſed ab aliquo poſt eius adſumtionem ſcriptos adfirmat, idque inde probat, quod in iis mors Moſis deſcribatur *l. c.* §. *XLVII. p. 651.* exemplum egregium reliquit, quod noſtra aetate impietatis magiſtri imitarentur. Haec & alia cum conſidero, vix mihi perſuadere poſſum, auctorem iſtorum *Clementinorum* chriſtianum fuiſſe, philoſophum autem fuiſſe, aut Iudaeum philoſophiae, prout eo tempore vſitata erat, principiis imbutum, lubens largior; cumque chriſtianam religionem, vt genus aliquod philoſophiae conſiderauerit, mirum non eſt, quod quaedam ex ea adſumſerit, vt nouum aliquod inde more eclectico exſtrueret ſyſtema, hinc & dogmata quaedam chriſtianorum contra alios propugnaret. Hinc qualis iſta, quam pro veritate chriſtianae religionis inſtituiſſe videtur, comparata ſit defenſio, haud difficulter diiudicare licebit.

p. 861. Huius varia exſtant ſcripta polemica &c.) Praeter ea, quae commemorauimus, huius etiam loci eſt: *epiſtola ad Diognetum,* quae in operibus eius, Coloniae, aut, ſi mauis, Lipſiae anno 1686. fol. editis *p. 494. ſeqq.* legitur, & ad veritatem religionis chriſtianae contra ethnicos & Iudaeos demonſtrandam eſt comparata. Licet autem viri quidam docti, eam IVSTINI eſſe, negent; repugnat tamen GVIL. CAVEVS, in *hiſtor. litterar. ſcript. eccleſiaſt. part. I. ſaec. II. p. 28.* Dignam interim eam vir quidam doctus cenſuit, quam in linguam gallicam transferret, inſcriptamque: *Epitre a Diognete, dans laquelle l'auteur ſur les ruines de l'idololatrie & du Iudaiſme, etablit les plus ſolides fondemens de la religion chretienne &c.* ederet Pariſiis anno 1725. 12. Nimirum auctor illis equidem itidem ſuffragatur, qui, hancce epiſtolam IVSTINI eſſe, abnuunt; eam tamen admodum antiquam eſſe, agnoſcit; conf. *iournal des ſçavans anno MDCCXXVI. menſ. Aug. p. 519. ſeqq.*

ibid. Oratio ad Graecos) ſiue λόγος πρὸς ἕλληνας. Sunt, qui *orationem* hancce IVSTINO recte tribui negant, eo quod diſputatio de daemonibus, quam in ea TATIANVS, EVSEBIVS, HIERONYMVS, ac PHOTIVS legerunt, ibi non reperiatur, & verba quoque quaedam, quae ex ea LEONTIVS, Byzantinus, recitat, in ea non exſtent. Atque his, qui ita ſentiunt, HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS etiam THOMAM ITTIGIVM adnumerat, in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer, von der Wahrheit vnd Gottlickeit chriſtlicher religion part. II. cap.* §. *VI. p. 145.* Verum ITTIGIVS hanc IVSTINI orationem aliam quidem ab ea, cuius EVSEBIVS meminit, eſſe exiſtimat, ſuppoſititiam autem eſſe, aut perperam IVSTINO tribui, adeo non adſerit, vt IO. ERNESTO GRABIO, hoc adfirmanti, potius refragetur. Verba eius haec ſunt: *Oratio ad Graecos,* quae λόγος πρὸς ἕλληνας *inſcribitur, non eſt ille* λόγος πρὸς ἕλληνας, *qui ab Euſebio l. c.* memora-

memoratur, & in quo ſuam de daemoniorum natura ſententiam Iuſtinus expoſuiſſe dicitur. Nam in ea, quae hodie supereſt, oratione ad Graecos, nihil de daemoniorum natura legitur. Vnde Grabe in ſpicilegio patrum ſect. II. tom. I. hanc orationem vel mutilam, vel Iuſtino ſuppoſitam eſſe pronuntiat; quorum tamen neutrum ſufficienter probari poſſe, puto; in *ſelectis capitib. hiſt. eccleſ. ſaeculi II. cap. I. §. IX.* Interim non video, cur neceſſe ſit, vt hanc orationem ab ea, cuius meminit EVSEBIVS aliique, diuerſam ſtatuamus, cum omnino in quibusdam mutila eſſe queat. Ceterum de ſcriptis IVSTINI, martyris, ad chriſtianae religionis defenſionem ſpectantibus, quae commemorauimus, conferendus & IO. ALB. FABRICIVS, in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptorum &c. cap. II. §. VII. p. 42. ſeqq.* qui & reliqua, quae vulgo pro ſuppoſititiis habentur, vt, *Ariſtotelicorum quorumdam dogmatum euerſionem; quaeſtiones quinque chriſtianas ad Graecos; quaeſtiones graecanicas de incorporeo, de Deo, de reſurrectione; ſolutiones quaeſtionum CXLVI. ad orthodoxos;* huc refert; *p. 47. ſeqq.*

ibid. apologia prima pro chriſtianis &c.) Naeuis hancce IVSTINI *apologiam*, aeque ac reliqua eius ſcripta non carere, negari nequit; idque ex inſtituto oſtendit IOANNES CLERICVS in *hiſtoria eccleſiaſtica duorum primorum a Chriſto nato ſaeculorum;* ad *annum CXXXIX. p. 614. ſeqq.* vbi epitomen huius apologiae cum animaduerſionibus quibusdam exhibet. An omnia, quae vir iſte doctus in hac apologia reprehendit, recte ſe habeant, diſquirere, animus non eſt; cum id non ſit huius loci. Id potius obſeruandum, naeuos iſtos capiti cauſſae, de qua hic agebatur, nocere non potuiſſe. Exiſtimat etiam idem vir praeſtantiſſimus, *non ſine prouidentia diuina factum fuiſſe, vt horum temporum chriſtiani nec accurate ratiocinandi, nec recte diſponendi, quae cogitabant, nec admodum diſerte exprimendi arte pollerent. Si res aliter,* inquit, *habuiſſet, potuiſſent ſuſpicaces ethnici addubitare, annon eiusmodi homines, philoſophorum inſtar, eſſent dogmatum chriſtianorum auctores, aut certe ea perfeciſſent, aut expoliiſſent, & ingenio atque eloquentia ſectam illam ſuam tuerentur, augerent, & ad poſteros propagaturi eſſent, praeſertim accedente morum probitate; quamuis ceteroquin omnia haec humanis conſiliis fierent; l. c. p. 630.* Quae tamen non ſine grano quodam ſalis admittenda eſſe, quilibet facile perſpicit.

ibid. in quo poetarum teſtimoniis comprobat &c.) Sed & alias haud raro ethnicorum teſtimoniis contra ipſos ethnicos vtitur; qua in re exemplum eius ſequuti ſunt TATIANVS, HERMIAS, ATHENAGORAS, CLEMENS Alexandrinus, aliique. Legenda, quae hac de re obſeruat IACOBVS BRVCKERVS, in commentatione de philoſophiae gentilis cum ſcriptura ſacra & religionis chriſtianae dogmatibus caute inſtituenda comparatione, quae in eiusdem *otio Vindelico;* ſiue *melematum hiſtorico-philoſophicorum triga, §. V. p. 53. ſeqq.* exſtat.

p. 863. Non abs re fuerit de reliquis, qui idem fecerunt &c.) Conferendus hic omnino HENRICI LVDOLPHI BENTHEMII liber, qui inſcribitur: *Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer von der Wahrheit vnd Gottlichkeit chriſtlicher religion;* & poſt auctoris obitum cum praefatione viri ſummi IO. ALBERTI FABRICII lucem adſpexit Hamburgi anno 1727. 8. Conſtitutum auctori fuit, primum de illis agere, quorum monumenta aut prorſus deperdita ſunt, aut ex quibus tantum fragmenta exſtant; deinde illorum, quorum monumenta ſuperſunt, nonnullos ita recenſere, vt ſummatim, quae ab iis dicta ſunt, lectori

Digitized by Google

lectori propinaret; aliorum autem integros libros, ex lingua aut graeca, aut latina in germanicam translatos exhibere; tum & eos, qui tempore Conſtantini magni, & deinceps vixerunt, commemorare; tandem & de illis, qui poſt eccleſiae emendationem, ad noſtra vsque tempora vixerunt, verba facere. At mors viri doctiſſimi obſtitit, quo minus deſtinata exſequi poſſet. Ea autem, quae perfecit, litterisque conſignata reliquit, in hocce exhibentur libro, qui quatuor abſoluitur partibus. In *prima* recte quidem euangeliſtis & apoſtolis primum praecipuumque locum inter eos, qui in chriſtianae religionis veritate demonſtranda elaborarunt, concedit; deinde autem eos, quorum monumenta aut prorſus perierunt, aut non integra ad nos peruenerunt, recenſet. In *altera parte* enarrat ſcripta IVSTINI, martyris, TATIANI, THEOPHILI, Antiocheni, & ATHENAGORAE; in *tertia* CLEMENTIS, Alexandrini, CAECILII, CYPRIANI, ARNOBII; in *quarta* denique, de LACTANTIO & EVSEBIO, huiusque tum *praeparatione*, tum *demonſtratione euangelica* ita agit, vt ſummam omnium iſtorum ſcriptorum exhibeat. Singulis partibus praemiſſa eſt praefatio. In ea, qua primam ornauit, quod omnino de veritate chriſtianae religionis, noſtra praeſertim aetate, ſolliciti eſſe debeamus, oſtendit, cumque ingens ſcriptorum, qui in hocce argumento verſati ſunt, exſtet numerus, patres autem, qui idem praeſtiterunt, non omnibus noti ſint, occaſionem hinc inſtituti ſui rationem exponendi arripit. In *praefatione*, qua lectoribus ad alteram partem aditum munit, ſententiam ſuam de oraculis Sybillinis exponit, ea, non quidem omnia, quae hodie collecta exſtant, ſed quae a ſecundi, tertii & quarti ſaeculi patribus producuntur, genuina eſſe, contendens; ſimulque id agens, vt rationes IO. ALBERTI FABRICII & IO. CLERICI, ſecus hic ſentientium, refellat. Nata hinc FABRICIO occaſio, ſententiam ſuam in *praefatione*, libro huic praefixa, tuendi; idque tanta non minus modeſtia, quam eruditione, vt vtramque dubia in hocce viro inter ſe contendere palma, omnes inde ſint intellecturi. De re ipſa vt plura addamus, neceſſe non eſt, cum id alia occaſione fieri queat. In *praefatione*, tertiae parti praefixa, auctor fuſe admodum contra ANTONIVM VAN DALE diſputat, eiusque ſententiam, qua oracula gentilium fraudibus ſacerdotum ita tribuit, vt diaboli in iis interceſſiſſe operam, prorſus neget, ex inſtituto refellat. Duas autem proponit quaeſtiones I) num oracula gentilium ab infernali genio fuerint edita, an vero a ſacerdotibus vnice conficta, vt adeo mera in iis hominum fuerit impoſtura? II) num ſilentium oraculorum aduentui Chriſti in carnem, & euangelii propagationi, an aliis cauſſis tribuendum ſit? De priori quaeſtione in hac *praefatione* diſputat; de poſteriori in ea, qua partem quartam condecorauit. Sed vt ad ea accedamus, quae huius loci ſunt, IOANNES quidem ALBERTVS FABRICIVS in *praefatione* ſua, vſum, quem hodie adhuc ſcripta haecce apologetica patrum praebeant, luculenter ediſſeruit. BENTHEMIVS autem ea, quae hisce ſcriptis obiici queant, proponit, ſimulque ad ea reſpondet *part. I. cap. III. p. 13. ſeqq.* Deſumſit obiectiones iſtas, vt ipſemet fatetur, ex IO. DALLAEI opere *de vſu patrum*, vnde ita comparatae ſunt, vt non tantum illis, qui pro veritate religionis chriſtianae dimicarunt, ſed & generatim omnibus, aut potius iis, qui in quibusuis ſacrae doctrinae capitibus ad patres prouocant, opponi queant & ſoleant; e. g. multa patrum ſcripta eſſe deperdita, aut integra ad nos non perueniſſe, adeoque nos certos eſſe non poſſe, an non in iis, quae non amplius exſtant, quaedam docuerint aut adſeruerint,

ſeruerint, illis, quae in ſcriptis eorum, quibus vtimur, leguntur, repugnantia; porro incertum eſſe, num genuina ſint haecce ſcripta, an ſpuria ac ſuppoſititia; aut ſi genuina ſint, annon corrupta ſint ac interpolata; & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Dubium vero non eſt, quin profani homines habeant, quae ſpeciatim in illis patribus, qui religionis chriſtianae cauſſam egerunt, deſiderent, quae tamen vt conquiramus; aut diſcutiamus, huius loci non eſt. De vſu eiusmodi ſcriptorum, de quo IO. ALBERTVM FABRICIVM verba feciſſe diximus, etiam BENTHEMIVS diſſerit *l. c.* §. *XVII. ſeqq. p. 32. ſeqq.*

ibid. De Quadrato &c.) De QVADRATO iſto pariter ac MELITONE, Sardenſi, copioſe agit HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS, qui & de reliquis, quorum monumenta ad nos non peruenerunt, ARISTIDE ſcilicet, ARISTONE Pellaeo, CLAVDIO APOLLINARI, MILTIADE & APOLLONIO verba facit in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer von der Wahrheit vnd Göttlichkeit chriſtlicher religion part. I. cap. IV.* & *V. p. 39. ſeqq.* quibus longe adhuc plures addit IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptorum, qui veritatem religionis chriſtianae aduerſus atheos &c. adſeruerunt, cap. III. & IV. p. 151. ſeqq.* vbi itidem ex inſtituto de *ſcriptis deperditis tum graecis, tum latinis, ad veritatem religionis adſerendam facientibus*, agit. Ex QVADRATI pariter ac MELITONIS apologia fragmentum aliquod nobis conſeruauit EVSEBIVS, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. IV. cap. III.* & *XXV.* Vtrumque in linguam germanicam conuerſum exhibet BENTHEMIVS *l. c. cap. IV.* §. *VIII. p. 47.* & *cap. V.* §. *XIII. p. 71. ſeqq.* qui & in tempus, quando MELITONIS apologia imperatori oblata ſit, diligenter inquirit §. *XII. p. 69.* Eodem, quo QVADRATVS, etiam ARISTIDES apologiam ſuam exhibuit tempore. *Ariſtides*, inquit HIERONYMVS, *Athenienſis philoſophus eloquentiſſimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti volumen noſtri dogmatis rationem continens eodem tempore, quo & QVADRATVS Hadriano principi dedit, id eſt, apologeticum pro chriſtianis, quod vsque hodie perſeuerans apud philologos ingenii eius indicium eſt*; de *ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. XX.* Ex quibus HIERONYMI verbis quoque condiſcimus, ARISTIDEM fuiſſe philoſophum Athenienſem, & quidem eloquentiſſimum; deinde eum *ſub priſtino habitu fuiſſe diſcipulum Chriſti*, id eſt, eum iſtud veſtimenti genus, ſeu pallium, quo vt philoſophus vſus erat, etiam retinuiſſe, poſtquam chriſtianorum ſacra amplexus erat. Denique quando HIERONYMVS dicit, apologeticum eius *apud philologos ingenii eius fuiſſe indicium*, ſingularem eius haud dubie ſignificare voluit eruditionem. Forte & ſpeciatim eo reſpexit, quod alibi obſeruauit, hocce eius apologeticum magnam partem *contextum fuiſſe ſententiis philoſophorum*; qua in re illum IVSTINVS, martyr, imitatus fuerit; nec tamen ſolus IVSTINVS, ſed alii quoque eamdem diſputandi rationem ſequuti ſunt, vti ſupra iam obſeruauimus. An ARISTIDIS illa apologia, aut aliquid ex ea hodie ſuperſit, quod nonnulli contenderunt, diſquirit BENTHEMIVS *l. c. part. I. cap. IV.* §. *XIV. ſeqq. p. 53. ſeqq.* Ad ARISTONEM Pellaeum quod attinet, ex Pella Palaeſtinae oppido oriundum, adeoque gente Iudaeum, ſed fidei profeſſione chriſtianum, is ſub Hadriano & Antonino pio, imperatoribus, floruit, & διαλεξιν Παπισκου και Ιασονος edidit, in qua diſputationem inter Iaſonem, gente Iudaeum; ſed ad chriſtianorum ſacra conuerſum, & Papiſcum Iudaeum Alexandrinum, litteris conſignauit, de qua contem-

contemptim admodum loquitur CELSVS, iuratus ille nominis chriſtiani hoſtis, quem hoc nomine perſtringit ORIGENES *lib. IV. contra Celſum p. 199.* Interim alius quidam CELSVS, homo chriſtianus, librum huncce ARISTONIS Pellaei in linguam latinam transtulit; ſed vti ex opere ipſo, ita nec ex hacce verſione quidquam hodie ſupereſt, praeter interpretis praefationem, quae operibus CYPRIANI addi ſolet, & exigua quaedam fragmenta, quae IO. ERNESTVS GRABIVS exhibet *ſpicileg. patrum &c. tom. II. p. 131. ſeqq.* Conferendus & GVIL. SPENCERVS ad *Origenis l. c.* & THOMAS ITTIGIVS *diſſertat. de patrib. apoſtolic. p. 91. ſeqq.* De CLAVDIO APOLLINARI, qui itidem haud vltimum locum inter huius generis ſcriptores obtinet, HIERONYMVS dicit: *Apollinaris, Aſiae Hieropolitanus epiſcopus, ſub imperatore M. Antonino Vero florens, cui & inſigne volumen pro fide chriſtianorum dedit. Exſtant eius & alii quinque aduerſum gentes libri, & de veritate duo &c.* de *ſcriptorib. eccleſiaſtic. cap. XXVI.* Apologiae eius pro chriſtianis ſcriptae & imperatori exhibitae etiam mentionem facit EVSEBIVS *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. XXVII.* ex qua tamen hodie nihil ſupereſt. MILTIADEM chriſtianae religionis cauſſam tum aduerſus ethnicos, tum aduerſus Iudaeos egiſſe, & *ὑπὲρ ἧς μετῄει φιλοσοφίας, pro chriſtiana, quam ipſe profitebatur philoſophia*, doctrinam chriſtianam haud dubie philoſophiae nomine, quod & alias haud inſolens eſt, indicans, conſcripſiſſe, auctor eſt EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. lib. V. cap. XVII.* Scripſit autem hanc apologiam ſuam *πρὸς τοὺς κοσμικοὺς ἄρχοντας*, vt idem EVSEBIVS loquitur, quo nomine praeſides prouinciarum deſignari exiſtimat HENRICVS VALESIVS ad *Euſebii l. c. p. 99.* rectius tamen alii de Marco Aurelio imp. & Lucio Vero, aut de Marco & filio eius Commodo hoc intelligunt. Conferendus & de MILTIADE HIERONYMVS in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſticor. cap. XXXIX.* TERTVLLIANVS MILTIADEM huncce *eccleſiae ſophiſtam* adpellitat, non tam rhetorem, quam philoſophum chriſtianum, hoc eſt, doctrina chriſtiana imbutum, aut, quod magis placet, talem ſignificans, qui chriſtianorum cauſſam contra eorum hoſtes, tamquam in foro egerit. Hoc & IO. ALB. FABRICIO obſeruatum in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. III. §. XVII. p. 161.* Nec praetermittendus hic eſt APOLLONIVS, illuſtris martyr, idemque vir doctus, litteris quippe humanioribus & philoſophiae ſtudiis excultus. Hic, quod e chriſtianorum numero eſſet, religionis cauſſa ab homine perdito, ſed eiusmodi flagitiis idoneo in ius vocabatur. Auditus ergo eſt accuſator, comprehenſusque APOLLONIVS; cumque edicto M. Aurelii, in eos, qui chriſtianos detuliſſent, poena capitis eſſet conſtituta, accuſator ex templo fractis cruribus iuſſu Perennis praefecti praetorio eſt occiſus. APOLLONIVS vero ſpretis Perennis non imperio tantum, ſed & precibus, quibus ſe a chriſtiana religione abducere conabatur, ab eo petiit, vt coram ſenatu fidei ſuae rationem reddere ſibi liceret. Quo impetrato, eleganti oratione, coram omnibus, fidem chriſtianam defendit, nec eo ſecius capitis a ſenatu damnatus eſt; ſiquidem *veteri apud eos lege* ſancitum erat, vt chriſtiani, qui ſemel in ius vocati fuerant, niſi a propoſito ſuo diſcederent, nequaquam dimitterentur. Ita EVSEBIVS *hiſtor. eccleſ. lib. V. cap. XXI.* HIERONYMVS autem hac de re eum in modum loquitur, vt quaedam addat, quae EVSEBIVS non commemorauit. *Apollonius*, inquit, *Romanae vrbis ſenator, ſub Commodo principe a ſeruo Seuero proditus, quod chriſtianus eſſet, imperato, vt rationem fidei ſuae redderet, inſigne volumen*

 compoſuit,

compoſuit, quod in ſenatu legit; & nihilominus ſententia ſenatus, pro Chriſto capite truncatus eſt; veteri apud eos obtinente lege, absque negatione non dimitti chriſtianos, qui ſemel ad eorum iudicium pertracti eſſent; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſticor. cap. XLII.* Nimirum, Apollonium Romanae vrbis ſenatorem vocat, quod apud EVSEBIVM non legitur. Hinc & a IOSEPHO IVSTO SCALIGERO *animaduerſionib. in chron. Euſebii p. 208.* STEPHANO LE MOYNE in *prolegomenis ad varia ſacra p. 126.* SAMVELE BASNAGIO in *annalib. politico-eccleſiaſt. ad annum CLXXXIV. §. VIII.* IOANNE CLERICO in *hiſtoria eccleſiaſt. duorum primor. a Chriſto nato ſaeculorum ad annum CLXXXIV. p. 788.* aliisque hoc in dubium vocatur. Refragantur tamen, &, licet EVSEBIVS hoc non adſerat, HIERONYMVM tamen aliunde, immo ex ipſius EVSEBII *antiquorum martyr. collectione*, quae hodie non amplius exſtat, & in qua fuſius de Apollonii martyrio egerit, iſtud accipere potuiſſe contendunt SEB. NANVS TILLEMONTIVS in *commentariis hiſtoriae eccleſiaſt. ſex primorum ſaeculorum inſeruientibus tom. III. part. I. not. I. ad Apollon. p. 436.* & HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS *l. c. cap. V. p. 86.* Praeterea HIERONYMVS accuſatorem Apollonii ſeruum eius nomine Seuerum fuiſſe, ait, cum EVSEBIVS eum tantum *hominem quemdam perditiſſimum adpellitet, & miniſtrum daemonis, qui ad huiusmodi flagitia inprimis idoneus viſus fuerit.* Vbi quod ad vocem *Seuerus* attinet, dubio fere caret, recteque viris doctis obſeruatum, eam non ipſius HIERONYMI, ſed ab aliena manu eſſe. Veroque prorſus ſimilis eſt eorum ratio, qui vocem *ſeruus* initio per errorem bis ſcriptam, hinc ab alio errorem non aduertente, alteram in *Seuerus* mutatam, qui adeo errorem correcturus, nouum, vt fieri ſolet, adiecerit. Interim tamen HIERONYMVS in eo errauit, certe aliquid, quod EVSEBIVS non habet, dixit, dum accuſatorem illum Apollonii ſeruum fuiſſe adfirmauit, quamuis a veroſimilitudine hoc non abhorreat. Legendi iterum, quos antea laudauimus, & qui hac quoque de re diſputant TILLEMONTIVS & BENTHEMIVS *locis citatis.* Atque hic, BENTHEMIVS, reprehendit etiam IOANNEM CLERICVM, parum credibile eſſe exiſtimantem, Marcum Aurelium imperatorem, cuius omnibus & virtus & eruditio perſpecta eſt, legem de chriſtianis ſupplicio capitali adficiendis dediſſe, & alia rurſus lege ſanxiſſe, vt eorum adcuſatores atrociore adhuc mortis genere adficerentur. Reſpondet enim, nihil inſolens eſſe, vt maxime praeſtantiſſimi inter huius ſaeculi homines ea admittant, quae aliis non poſſint non ab omni ratione aliena videri *l. c. p. 83.* Sed audire hac de re ipſum IOAN. CLERICVM iuuabit. *Permirum*, inquit, *videtur edictum, quo chriſtiani fatentes morti damnabantur, cum delatores tetrius ſupplicium, ob delationem, patiebantur. Si ſcelus chriſtiana religio etiamnum habebatur, quod nonniſi morte reorum piari poſſet, difficile eſt intellectu, eius delatores eodem, aut maiore etiam ſupplicio fuiſſe adfectos; aut ſi poſteriores capite poenas luerent, priores non fuiſſe dimiſſos. Pugnant haec inter ſe, nec edictum eiusmodi ſine omnium ludibrio proponi a M. Aurelio potuiſſet. Multo conuenientius fuiſſet, Traiani reſcriptum, quo delati chriſtiani morti damnabantur, abrogare; l. c. p. 787.* Verum maiores forte viri docti hic ſe inuenire difficultates putant, quam reuera ſunt. Enimuero ſenatum Romanum, dum Apollonium capitis damnauit, legem quamdam Marci Aurelii imperatoris ſequutum eſſe, nec EVSEBIVS dicit, nec HIERONYMVS. Vterque tantum *veteris legis* mentionem facit. HENRICVS VALESIVS

hoc

Digitized by Google

hoc explicaturus, *lex*, inquit, *pro more & conſuetudine hic ſumi videtur. Quamquam interpretes de lege ſcripta haec accepiſſe video. Legem igitur ſeu reſcriptum Traiani ad Plinium Secundum intelligo, in quo cauetur, chriſtianos quidem inquirendos non eſſe, oblatos vero puniri oportere;* in *adnotationib. ad Euſebii l. c. p. 102.* Pari ratione & FRANCISCVS BALDVINVS, Marcum Aurelium eiusmodi legem, quae chriſtianis capitis poenam irrogaret, tuliſſe, negat. *Euſebius*, inquit, *& Hieronymus ſignificant, ſenatum ad ſententiam tam crudelem adductum fuiſſe veteri quadam lege, quae chriſtiani nominis reum abſolui non pateretur. Quae tandem lex iſta fuit? cuius vel auctoris vel temporis?* Nimirum edictum Traiani contra chriſtianos a Marco Aurelio ſublatum eſſe exiſtimat. Qua in re tamen vir ille doctiſſimus fallitur, cum non alio nitatur fundamento, quam *epiſtola* imperatoris huius *Marci Aurelii ad ſenatum*, qua chriſtianis victoriam ab hoſtibus ſuis reportatam tribui, quaeue IVSTINI, martyris, *apologiae primae* ſubiici ſolet. Hanc enim ſpuriam atque confictam eſſe, IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, CLAVDIVS SALMASIVS, PETRVS DANIEL HVETIVS, aliique euicerunt; conf. HERMANNI WITSII *diatribe de legione fulminatrice chriſtianorum*, eiusdem *aegyptiacis* ſubiuncta §. *LIX.* Ad poenam vero, qua accuſator Apollonii adfectus eſt, quod attinet, de ea BALDVINVS ita loquitur: *Indici huic ſeruo ſenatus pro praemio crura confringi iuſſit. Fuiſſe hanc veterem calumniatorum poenam, Cicero ſcribit. Et in hoc ſupplicio irrogando ſenatus ſequutus videtur iudicium Tiberii, Adriani & Antoninorum; quibus, vt dictum eſt, placuit chriſtianorum accuſatores puniri*; in *commentar. ad edicta veterum principum Romanorum de chriſtianis p. m. 97.* Et ſane Marcum Aurelium imperatorem conſtituiſſe, vt delatores punirentur, ex eiusdem *epiſtola ad commune Aſiae*, conſtat apud EVSEBIVM *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. XIII.* Atque haec cum ita ſe habeant, manifeſtum, quidquid in hocce negotio abſonum videtur, non in Marcum Aurelium imperatorem, ſed in ſenatum Romanum recidere, qui cum diuerſorum imperatorum edicta, quorum alia chriſtianos, alia eorum accuſatores punire iubebant, ſimul obſeruare vellet, non aliter hac in re ſe gerere poterat. Reſcriptum Veri imperatoris, ad Galliae praeſidem, vt confitentes quidem (chriſtiani) gladio caederentur, hi vero, qui negarent, incolumes dimitterentur, cuius EVSEBIVS mentionem facit, *hiſt. eccleſiaſt. lib. V. cap. I. p. 162.* & ad quod TILLEMONTIVS *l. c.* prouocat, nobis non obſtare, quilibet, qui paullo accuratius cuncta conſiderauerit, facile perſpiciet. Ad apologiam itaque APOLLONII huius, de quo hucusque verba fecimus, quod attinet, cum λογιωτάτην ὑπὲρ ἧς ἐμαρτύρει, πίστεως ἐπὶ πάντων ἀπολογίαν, *elegantiſſimam orationem pro defenſione fidei ſuae coram omnibus* pronuntiaſſe, teſtatur EVSEBIVS *l. c.* Idque quin lingua latina fecerit, non eſt, quod dubitemus. EVSEBIVS autem eamdem in graecam linguam translatam ſuae *antiquorum martyr. collectioni*, inſeruit. Qui liber cum dudum perierit, ipſa quoque haecce ſimul intercidit. Atque haec quidem de praecipuis iſtius aeui chriſtianae religionis defenſoribus, quorum ſcripta non amplius exſtant, commemorare viſum fuit. De reliquis vt aliquid addamus, neceſſe non eſt.

ibid. orationem ad Graecos compoſuit &c.) Idem TATIANVS & alium librum, ad veritatem chriſtianae religionis demonſtrandam ſpectantem, ſe daturum promiſit. Περὶ μὲν οὖν, inquit, τῆς καθ' ἡμᾶς πολιτείας, ἱστορίας τε τῆς κατὰ τοὺς ἡμετέρους νόμους ὅσα τε εἰρήκασιν οἱ παρὰ τοῖς ἕλλησιν λόγιοι,

γιοι, καὶ πόσοι καὶ τίνες εἰσὶ μνημονεύσαντες, ἐν τῷ πρὸς τοὺς ἀποφηναμένους τὰ περὶ θεοῦ δειχθήσεται. *Sed de administratione noſtra & religionis noſtrae hiſtoria, quaecumque dicta ſunt ab eruditis Graecorum, & qui quotue numero eius meminerint, in libro ad eos, qui rebus diuinis ſimplicem fidem detrahunt, demonſtrabitur, cap. LXII. p. m. 135.* Quod ſi librum iſtum conſcripſit, eum intercidiſſe neceſſe eſt. Nihil enim eius hodie ſupereſt.

p. 864. contra quem diſputat Guil. Caue &c.) TENTZELIVS tamen iterum cauſſam ſuam egit, & ad argumenta CAVEI reſpondit in *der curieuſen bibliothec, oder Fortſetzung der monatlichen Vnterredungen &c. p. 232. ſeqq.* Quod, cum & IO. ALB. FABRICIVS obſeruaſſet, addit: *fateor tamen, praeter nominis congruentiam, nihil valde eſſe in illa Lambecii diuinatione, quod eam veriſimilem reddat. Quod ſi ſola nominis ſimilitudo ſufficit ad hariolandum, non deſint alii Hermiae, quibus non minori ſpecie libellus iſte tribui poſſit, &c.* in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. cap. II. §. XI. p. 57.*

ibid. ad Marcum Aurelium Antoninum &c.) De aetate, quando apologia haecce ATHENAGORAE ſcripta, & imperatori exhibita ſit, quantopere viri docti inter ſe diſſentiant diſputentue, NICOLAVS LE NOVRRY in *adparatu ad biblioth. maxim. patrum, diſſertat. III. cap. II. §. II.* SAMVEL BASNAGIVS in *annalib. politico-eccleſiaſt. tom. II.* ad *annum CLXXVI. p. 161.* PETRVS BAELIVS in *dictionar. hiſtorico crit.* voc. *Athenagoras p. 405.* aliique nos condocere poſſunt. Ex inſtituto quoque hocce argumentum ſibi pertractandum ſumſit IOAN. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, *obſeruation. ſacrar. & hiſtorico-criticar. lib. I. cap. IV. p. 193. ſeqq.* vbi cum oſtendiſſet, omnes eos errare, qui apologiam hancce ante annum CLXXVII. conſcriptam eſſe docuerunt, concludit atque contendit, eam anno CLXXVII. fuiſſe litteris conſignatam. Intra annum CLXXVII. & CLXXX. eam ſcriptam & Marco Aurelio Antonino ac L. Commodo oblatam adſerit IO. ALBERTVS FABRICIVS, qui & editiones eius recenſet, in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor.* &c. *cap. II. §. IX. p. 52. ſeqq.* Plura de ATHENAGORA praeter PETRVM BAELIVM *l. c.* dabit HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer &c. part. II. cap. IV. p. 206. ſeqq.* vbi & ſummam eius exhibet.

ibid. naeuorum autem quorumdam &c.) Addenda, quae de hisce IOAN. CLERICVS obſeruat, in *hiſtor. eccleſ. duor. primor. ſaeculor. ad annum Chriſti CLXVI. p. 702.* vbi epitomen huius apologiae cum quibusdam in eam obſeruationibus exhibet. Cumprimis ſententiam ATHENAGORAE de patre, filio & ſpiritu ſancto paullo copioſius ediſſerit; ita tamen, vt quaedam adſpergat, quae accuratius examen promerentur. Nonnulla quoque de naeuis ATHENAGORAE monet BENTHEMIVS *l. c. p. 217.*

ibid. ob λόγον προτρεπτικὸν πρὸς ἕλληνας) ſiue *librum adhortatorium ad gentes*, de amplectenda ſcilicet religione chriſtiana. Copioſe de eo agit HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS, ſimulque cur illi, qui eo tempore chriſtianae religionis cauſſam egerunt, neceſſitatem contra idololatriam gentilium diſputandi ſibi impoſitam intellexerint, ediſſerit, in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer &c. part. III. cap. I. p. 275. ſeqq.* Idem vir doctus licet huncce CLEMENTIS librum ob argumenta ſolida, probationes aptas, quae conſenſum impetrent, pias ac ingenioſas cogitationes, dictionem elegantem, laudandum cenſeat; non tamen negat, eum & ob ordinis ac partitionis

partitionis neglectum, ob crebras vnius eiusdemque rei repetitiones, allegoricas & obſcuras loquendi formulas, & quod ſaepiſſime ad ea, quae nobis hodie non ſatis nota ſunt, reſpiciat, non ab omnibus, & vix ſine taedio legi poſſe. Summam eius; ſiue analyſin potius exhibet praeter alios NICOLAVS LE NOVRRY in *adparatu ad bibliothec. maximam patrum tom. I. lib. III. diſſert. I. p. 624. ſeqq.* quem ita ſequitur BENTHEMIVS, vt in quibusdam ab eo diſcedere ſibi religioni non ducat, *l. c. cap. II. p. 252. ſeqq.*

p. 865. atque ipſa plerumque verba a Tertulliano ſumſit) Audire hac de re iuuabit ipſum RIGALTIVM: *Etenim ſi Tertullianicis comparentur Minuciana, ſtatim apparebit, Minucium ab Tertulliano & argumenta & diſſerendi ordinem, atque ipſa plerumque verba ſumpſiſſe; Cyprianum vero, in illo praeſertim opere, quo vanitatem idolorum arguit, Minucianis & verbis & ſententiis vſum eſſe, tanquam ſuis, vt gloriari tamen debeat Minucius, ea ſibi in mentem veniſſe, quae Cyprianus vſurpando ſanxerit. Hoc amplius; ne quidem ſemel a Cypriano Minucium eſſe nominatum, neque a Minucio Septimium; rationibus vtrimque, vt par eſt credere, haud improbandis; l. c.*

ibid. Errorum quoque non immunis fuit Minucius &c.) Eum omnino ab illorum errore, qui immortalitatem animae negant, non prorſus alienum videri, LVDOVICVS ELLIES DV PIN adſerit in *noua biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. I. p. 119.* Verba MINVCII, ex quibus hoc colligit, quaeue *cap. XXXIV. p. m. 355.* exſtant, haec ſunt: *Ceterum, quis tam ſtultus aut brutus eſt, vt audeat repugnare, hominem a Deo, vt primum potuiſſe fingi, ita poſſe denuo reformari? nihil eſſe poſt obitum & ante obitum nihil fuiſſe? ſicut de nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere reparari?* Nimirum ſi vltima haecce: *ita de nihilo licere reparari,* ad animam referatur, tum quidem aliquid, quod eius immortalitati repugnaret, continerent. Sed manifeſtum eſt, MINVCIVM hoc de corpore eiusque corruptione; ſeu deſtructione intelligere. Idque & ea, quae ſtatim ſequuntur, confirmant: *Tu perire & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne ſiue areſcit in puluerem, ſiue in humorem ſoluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis; ſed Deo, elementorum cuſtodi, reſeruatur.*

ibid. Recuſus deinde ſaepius eſt &c.) Eminet inter reliquas editiones, quae cum *integris* WOWERI, ELMENHORSTII, HERALDI & RIGALTII *notis, aliorumque hinc inde collectis, ex recenſione* IACOBI GRONOVII, *qui emendationes & explicationes ſuas adiecit*, Lugduni Batauorum prodiit anno 1709. 8. Accedunt in ea CAECILIVS CYPRIANVS *de idolorum vanitate*, & IVLIVS FIRMICVS MATERNVS *de errore profanarum religionum.*

p. 866. Vnde nonnulli coniiciunt &c.) Ita PETRVS ALLIXIVS: *Cum in libris ad nationes duobus idem voluat argumentum Tertullianus, quod in apologetico tractauerat, eodem circiter tempore exaratos fuiſſe oportet. Eadem in vtroque opere rationum momenta, immo eadem plerumque verba, ab vno opere in aliud ab auctore transfuſa diiudicare vix ſinunt, quodnam prius fuerit editum. Vt libri ad nationes forma & ratione ab apologetico differunt, probabile ſit, vno eodemque temporis articulo lucem vidiſſe, accurante Tertulliano, vt quae iudices noſſe intererat, eadem etiam plebi non manerent incognita;* in *diſſertat. de Tertulliani vita & ſcriptis,* quae cum duabus aliis eiusdem auctoris diſſertationibus, *de ſanguine* ſcilicet *domini noſtri Ieſu Chriſti, ad epiſt. CXVI. Auguſtini;* & *de conciliorum quorumuis definitionibus*

Digitized by Google

tionibus expendendis, Lutetiae Pariſiorum anno 1680. 8. prodiit, *cap. IX. p. 79.* & *80.* Ceterum IACOBI BERNARDI, in *nouellis reipubl. litter. an. MDCCI. p. 41.* exiſtimantis, TERTVLLIANVM in apologia ſua, non prudenter ſatis cauſſam chriſtianorum egiſſe, vtpote quae ad gentilium magiſtratuum animos contra chriſtianos potius concitandos, quam placandos aut flectendos, fuerit comparata, ſententiam refellit IO. ALB. FABRICIVS. *Non male*, inquit, *iudicat* vir doctiſſimus, ſi οἷοι νῦν εἰσὶ βροτοί, *quales nunc ſunt homines*, *ita de Tertulliano etiam & eius aequalibus ſententiam quis tulerit. Sed ſi idem cogitet, primos illos chriſtianos recenti calentes Chriſti ſanguine & toto illo plenos ac quotidie paratos ad martyrium, aliter de illorum ſcriptis & melius ſentiet; ſi vero quis effectum etiam & euentus inſequutos expenderit, non modo feciſſe prudenter; ſed melius etiam partibus ſuis conſulere non potuiſſe, fatebitur. Similiter non adſentio eidem viro docto & Baelio, ſuſpicantibus, apologias haſce non ſuo nomine auſos publicare; vel offerre Tertullianum, Athenagoram, alios. Quid enim timerent, qui mortem in lucro ponebant?* in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. cap. V. §. III. p. 208.* Idem vir doctiſſimus etiam TERTVLLIANI libros *de idololatria*; *de reſurrectione carnis*; *de anima*; *de teſtimonio*; *aduerſus Marcionem*; & alios eiusdem generis ad eos refert, in quibus chriſtianae religionis veritas demonſtratur.

ibidem. Tandem contra ipſos catholicos &c.) Quatuor hiſce, quos nominauimus, libris, quosue ex inſtituto contra catholicos ſcripſit HIERONYMVS, adhuc addit *de ecſtaſi libros ſex, & ſeptimum, quem aduerſus Apollonium compoſuit*; in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſticor. cap. LIII. p. m. 61.* Sed hi non amplius exſtant. Ceterum, quo tempore & qua occaſione ſinguli iſti, quos commemorauimus, libri editi ſint, inquirit PETRVS ALLIXIVS, qui & de *iis libris*, *quibus Tertullianus iam Montaniſta diſciplinam a contemptu vindicauit*; itemque de *ſcriptis*, *quae Tertullianus itidem Montaniſta aduerſus varios haereticos edidit*; vt & de ipſo *Tertulliani in Montani errores lapſu*, diligenter diſſerit, in *diſſertat. de Tertulliani vita & ſcriptis*, antea laudata, *cap. V. ſeqq. p. 36. ſeqq.*

p. 869. Naeuorum tamen non eſt expers &c.) Hos praeter alios etiam notauit IOAN. CLERICVS in *hiſtor. eccleſiaſt. duor. primor. a Chriſto nato ſaeculor.* ad *annum Chriſti CLXXX. §. VI. ſeqq. p. 760. ſeqq.* Ad hos etiam referendum eſt, quod in haereſibus recenſendis temporis ordinem non obſeruet, quod tamen fieri oportebat. Cauſſam tamen iſtius rei, eamque admodum veroſimilem expoſuit IOAN. LAVRENTIVS MOSHEMIVS in *demonſtrat. ſectae Nicolaitar.* quae exſtat in *bibliothec. hiſtorico-theologico-philologica Bremenſi, claſſe I. faſcic. IV. num. I. p. 404.* Addenda, quae hac de re dixi in *eccleſia apoſtolica*; *ſiue de ſtatu eccleſiae chriſtianae ſub apoſtolis cap. V.* ad *§. V. p. 416.*

p. 870. Ex ſaeculi tertii patribus &c.) Inter ſaeculi tertii ſcriptores polemicos haud vltimus quoque locus debetur HIPPOLYTO, de quo copioſe & accurate diſputat STEPHANVS LE MOYNE, in *prolegomenis*, quae *variis* ſuis *ſacris* praemiſit. Eum *aduerſus omnes haereſes* ſcripſiſſe, teſtatur EVSEBIVS *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap. XXII.* & HIERONYMVS in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſt. cap. LXI.* Idem confirmat PHOTIVS: ἀνεγνώσθη βιβλιδάριον Ἱππολύτου. Μαθητὴς δὲ Εἰρηναίου ὁ Ἱππόλυτος. ἦν δὲ τὸ σύνταγμα κατὰ αἱρέσεων λβʹ, ἀρχὴν ποιούμενον Δοσιθεανοὺς, καὶ μέχρι Νοητοῦ καὶ Νοητιανῶν διαλαμβανόμενον. Ταύτας δέ φησιν ἐλέγχοις ὑποβληθῆναι ὁμιλοῦντος Εἰρηναίου, ὧν καὶ σύνοψιν ὁ Ἱππο-

Digitized by Google

ὁ Ἱππόλυτος ποιούμενος τόδε τὸ βιβλίον φησὶν συντεταχέναι. Τὴν δὲ φράσιν σαφής ἐστι καὶ ὑπόσεμνος, καὶ ἀπέριττος, εἰ καὶ πρὸς τὸν Ἀττικὸν οὐκ ἐπιστρέφεται λόγον. *Lectus eſt Hippolyti libellus, qui Irenaei diſcipulus fuit. Eſt hoc volumen aduerſus haereſes duas & triginta, faciens initium a Doſitheanis, & in Noëto ac Noëtianis deſinens. Harum, ait, confutationem ſe ſuſcepiſſe ex ſermonibus Irenaei, quorum compendium hoc ſe libro complexum refert. Dictio perſpicua & concinna, nec abundans, licet Atticiſmi rationes non adeo curet; cod. CXXI. p. m. 302.* Quaedam autem minus accurate ab HIPPOLYTO dicta, idem PHOTIVS obſeruat, inter quae illud refert, quod, Paulum epiſtolae ad Ebraeos auctorem eſſe, neget. Interim opus hocce dudum periit; loca autem veterum, in quibus mentionem eius faciunt, aut quaedam ex eo adferunt, collegit IO. ALB. FABRICIVS, *tom. I. operum Hippolyti p. 223. ſeqq. Demonſtrationem* HIPPOLYTI *aduerſus Iudaeos* ex verſione FRANCISCI TVRRIANI idem vir doctiſſimus exhibet *l. c. p. 218.* graece autem ex codice Vaticano, cum eiusdem TVRRIANI verſione *tom. II. p. 2.* Ex libro HIPPOLYTI *aduerſus Graecos, qui inſcribitur aduerſus Platonem de cauſſa vniuerſi,* quae exſtant, graece cum verſione STEPHANI LE MOYNE, ſiſtit *tom. I. p. 220.* ſed, an iſte liber recte HIPPOLYTO tribuatur, nondum prorſus euictum eſt, vt eidem viro celeberrimo obſeruatum, in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. II. §. XIII. p. 62.* Sequuntur inter ſcripta HIPPOLYTI polemica, *ſermones de theologia & incarnatione contra Beronem & Helicem,* cuius fragmenta itidem adferuntur *tom. I. p. 225.* Pro Ἥλικος autem vir doctiſſimus legendum cenſet: ἡλικιωτῶν αἱρετικῶν, vt ſenſus ſit: *aduerſus Beronem & haereticos alios eius aequales.* Quod ſi recepta lectio retineatur, Helicem eadem haereſi, cui Bero addictus fuit, infectum fuiſſe neceſſe eſt. Quis autem Bero fuerit, ipſe HIPPOLYTVS hunc in modum nos condocet: Βήρων γάρ τις ἔναγχος, μεθ᾽ ἑτέρων τινῶν, τὴν Βαλεντίνου φαντασίαν ἀφέντες, χείρονι κακῷ περιεπάρησαν, λέγοντες, τὴν μὲν προσληφθεῖσαν τῷ λόγῳ σάρκα γενέσθαι ταυτουργὸν τῇ θεότητι, διὰ τὴν πρόσληψιν. Τὴν θεότητα δὲ γενέσθαι ταυτοπαθῆ τῇ σαρκὶ διὰ κένωσιν. Τροπὴν ὁμοῦ, καὶ φύρσιν, καὶ σύγχυσιν, καὶ τὴν εἰς ἀλλήλας ἀμφοτέρων μεταβολὴν δογματίζοντες. *Bero enim quidam nuper, & alii quidam, Valentini phantaſia deſerta, deteriori irretiti ſunt prauitate, dicentes, aſſumtam a verbo carnem fuiſſe eadem, quae diuinitus operata eſt, operatam. Diuinitatem vero compaſſibilem carni propter exinanitionem; connectibilitatem ſimul & commixtionem; ſeu confuſionem, atque vtriusque inuicem mutationem dogmatizontes; fragment. ex ſermone V. p. 228.* Quae HIPPOLYTI verba, qui paullo accuratius conſiderauerit, facile perſpiciet Beronem ex Valentini equidem ſchola prodiiſſe, ſed in deteriora prolapſum eſſe, hoc eſt errorem de duarum naturarum in Chriſto confuſione, qui deinceps Eutychianiſmi nomine venit, adhuc craſſiori quadam ratione docuiſſe. Confirmatur hoc porro ex iis, quae contra eumdem Beronem HIPPOLYTVS diſputat, docens, ex ſententia de vna in Chriſto operatione non poſſe non dogma ſequi de vna eiusdem natura. Εἰ τοίνυν κατὰ Βήρωνα τῆς αὐτῆς αὐτῷ προσληφθεῖσα φυσικῆς ἐνεργείας γέγονεν ἡ σάρξ, δηλονότι καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ γέγονε φύσεως μεθ᾽ ὅσων ἡ φύσις, ἀναρχίας, ἀγεννησίας, ἀπειρίας, ἀϊδιότητος, ἀκαταληψίας, καὶ τῶν ὅσα τούτων καθ᾽ ὑπεροχὴν ὁ θεολογικὸς ὑπερφυῶς ἐνορᾷ τῇ θεότητι λόγος κ. τ. λ. *Si igitur ſecundum Beronem aſſumpta ſibi caro eiusdem operationis effecta eſt, haud dubium, quin & eiusdem facta eſt ſibi naturae, cum quotquot eſt natura, id eſt, inprincipialitate, infactione, infinitate, ſempiternitate, incomprehenſibilitate, & quaecumque harum ſecundum magnitudi-*

gnitudinem theologica ampliſſime in Deitate ratio contemplatur, &c. fragm. ex ſerm. VI. p. 229. Immo totum hocce opus HIPPOLYTI, quantum ex fragmentis, quae ſuperſunt, intelligere licet, eo comparatum fuit, vt errorem iſtum, qui poſtea ab Eutyche nomen ſortitus eſt, refelleret. Id namque agit, vt oſtendat, carnem non eſſe per naturam factam deitatem, tranſlata natura, nec deitatem ſecundum naturam factam eſſe carnem, ſed quod erat caro, deitati coaptata, manſiſſe eam, hoc eſt carnem infirmam & natura & operatione poſſibilem. Copioſius hoc demonſtrat, qui ſimul tum de Herone, tum de HIPPOLYTO erudite diſſerit CHRISTIANVS AVGVSTVS SALIG in *tractatu hiſtorico & theologico de Eutychianiſmo ante Eutychen; ſiue de Eutychianiſmi vere & falſo ſuſpectis cap. II. p. 17.* & *cap. III. p. 21. ſeqq.* Quo luculentius autem eſt, quod HIPPOLYTVS errorem ab Eutyche reſtauratum refellat, eo magis mirandum, CHRISTOPHORVM SANDIVM, tam parum, quid dicat, quidue ſcribat, penſi habere, vt eum Eutychianis adnumerare non dubitet. Cum enim HIPPOLYTVM talia docere animaduertat, quae Arianorum errori repugnant, vt telum hocce declinet, mox *librum* huncce *contra Beronem & Helicem*, HIPPOLYTI eſſe negat; mox, auctorem eius hominem aut Sabellianum; aut Eutychianum eſſe, clamitat. *Opuſcula*, inquit, *de theologia & incarnatione contra Beronem & Helicem ſerm. I. apud Anaſtaſ. in collect. non ſunt Hippolyti, tum quia nec Euſebius, nec Hieronymus tractatus eiusmodi, vel excerptorum meminerunt, tum quia vel Sabellianum, vel Eutychianum eorum auctorem fuiſſe, neceſſe eſt, ob haec eius verba:* ὁ ταὐτόν ἐστι τῷ πατρὶ, γενόμενος ταὐτὸν, τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν. *Vtraque autem loquendi formula haeretica eſt ſancto Ignatio epiſt. ad Trullianos, cum dicit haereticos docere* ταὐτὸν εἶναι πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, *& poſt:* οὐδὲ γὰρ ταὐτὸν θεὸς καὶ ἄνθρωπος. *Si enim* ταὐτὸν *identitatem ſubſiſtentiae denotare dicatur, manifeſtus eſt Sabellianiſmus; ſin vnitatem eſſentiae & naturae, apertiſſimus eſt Eutychianiſmus. Porro auctorem Sabellianum fuiſſe, abunde liquet ex eiusdem verbis apud Anaſtaſium, quibus filio* ἀγεννησίαν *tribuit. Nam Ignatius d. l. ſcribit, haereticos* (*Simonianos Sabellii praecurſores*) *Chriſtum* ἀγέννητον *putare*; in *tract. de veteribus ſcriptoribus eccleſiaſt.* eiusdem *nucleo hiſtor. eccleſiaſt.* praemiſſo, *p. 27.* vbi, quod primo loco adſerit SANDIVS, *opuſcula de theologia & incarnatione contra Beronem & Helicem*, non eſſe HIPPOLYTI, de eo deinceps diſquiremus. Auctorem autem iſtorum opuſculorum aut Sabellianum; aut Eutychianum fuiſſe, tam inepte adſeritur, vt nihil ineptius aut a veritate alienius dici queat. Cum enim ex inſtituto, luculentiſſimeque contra Eutychianos, vti probauimus, diſputat, qua ſpecie Eutychianiſmi argui queat, prorſus non video. Quod ſi ipſemet HIPPOLYTVS auctor iſtorum opuſculorum; ſiue ſermonum ſtatuatur, eo minus Sabellianiſmus illi obiici poteſt, quod ipſemet contra Noëtum, eumdem, qui Sabellii deinceps fuit, errorem fouentem, vt mox dicemus, ſcripſit. Ipſemet porro SANDIVS ea potius docuiſſe HIPPOLYTVM contendit, quae poſtea profeſſus eſt Arius, in *nucleo hiſtor. eccleſiaſt. lib. I. p. 98.* Ad rationes autem, quibus SANDIVS ſententiam ſuam probare voluit, iam reſpondit GEORGIVS BVLLVS, obſeruans τ' αὐτὸν in verbis ὁ ταὐτόν ἐστι τῷ πατρὶ, vnitatem eſſentiae & naturae omnino denotare, non ſubſiſtentiae identitatem, quam ſolam impugnauerit, ſpurius ille Ignatius SANDIO laudatus. Dum autem idem SANDIVS ex verbis γενόμενος ταὐτὸν τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν Eutychianiſmum exſculpere conatur, recte BVLLVS intolerabilem ſiue inſcitiam, ſiue fraudulentiam

lentiam homini iſti exprobrat. Enimuero HIPPOLYTVM hoc ex inſtituto agere, vt Eutychianorum errorem in Berone & Helice refellat, antea iam obſeruauimus. Praeterea ſi integrum locum, ex quo verba iſta SANDIVS deſumſit, conſideres, eum nihil minus, quam quod iſte illi tribuit, dicere, patebit. Ita vero ſe habet: τροπὴν οὐχ ὑπέμεινεν, μηδ' ἐνὶ παντελῶς ὁ ταυτόν ἐστι τῷ πατρὶ, γενόμενος ταυτὸν τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν. ἀλλ' ὥσπερ ἦν δίχα σαρκὸς, πάσης ἔξω περιγραφῆς μεμένηκε. *Mutationem non paſſus eſt* (filius Dei) *nec in vllo prorſus, in quo idem eſt cum patre, factus eſt idem cum carne, propter exinanitionem; ſed cuiusmodi erat absque carne, ita manſit extra omnem circumſcriptionem*; *fragm. ex ſermone I. p. 226.* Manifeſtum eſt, auctorem iſtum; ſiue HIPPOLYTVM, non adfirmare, ſed diſerte negare, filium Dei poſt incarnationem in vllo prorſus idem factum cum carne. Ad vocem ἀγένητος autem quod attinet, recte itidem GEORGIVS BVLLVS docet, voces ἀγένητος & ἀγέννητος a ſcriptoribus eccleſiaſticis, praeſertim qui Nicaena ſynodo anteriores fuerunt, promiſcue vſurpari, ita vt tam ἀγέννητον, quam ἀγένητον ſignificaret id, quod increatum vel non factum ſit, quo ſenſu filium ἀγέννητον diſerte dixerit verus IGNATIVS, in *defenſione fidei Nicaenae ſect. II. cap. VIII. §. III. p. 99.* Maioris momenti quaeſtio eſt, an opus hocce, de quo nobis ſermo eſt, reuera HIPPOLYTVM auctorem agnoſcat; quippe quod non tantum CHRISTOPHORVS SANDIVS, ſed & alii negant. Id quidem ex ANASTASIO, Romanae eccleſiae presbytero & apocriſiario, qui ſaeculo ſeptimo vixit, & fragmenta haecce in linguam latinam tranſtulit, conſtat, creditum eo tempore fuiſſe, librum huncce contra Beronem Helicem, Hippolyti eſſe. Cum vero non vnus ex eccleſiae doctoribus fuerit, cui HIPPOLYTI nomen haeſit, vti praeter alios THEODORICVS RVINARTVS docet in *actis primorum martyrum ſinceris & ſelectis, p. 168. ſeqq.* quisnam ex iis intelligendus ſit, dubitari poterat. Portuenſem illum epiſcopum, qui ſaeculo tertio vixit, & de quo hic nobis ſermo eſt, ſermonum iſtorum auctorem eſſe, quo minus adfirmari queat, nonnulla obſtare viri quidam doctiſſimi exiſtimant. Hos inter & IACOBVS BASNAGIVS eſt, qui & ipſe *excerpta* haecce *ex libro* HIPPOLYTI *de theologia & incarnatione contra Beronem & Helicem* exhibet in *theſauro monumentor. eccleſiaſticor. & hiſtoricor. tom. I. p. 13. ſeqq.* De operibus enim, quae tribuuntur HIPPOLYTO, quaeue ſuſpicione laborant, verba faciens, *dubia*, inquit, *ſunt fragmenta aduerſus Beronem & Helicem, quippe ea fragmenta nec laudauit, nec indicauit Theodoretus, qui tot teſtimonia veterum & ipſiusmet Hippolyti aduerſus ſynuſiaſtas congeſſit. Vix nati erant illi haeretici, vel potius haereſiarchae, monothelitarum ataui, ineunte tertio ſaeculo, quo floruit adhuc ſecta Valentinianorum.* Et iterum: *Et reuera vnio diuinitatis cum humanitate absque vlla confuſione naturarum accuratius hic explicatur, plurimisque argumentis eſt ibi probata, quam patiuntur Hippolyti tempora, hocque ſcriptum poſt Eutychetem editum videtur.* Et rurſus quibusdam interiectis: *Sunt, qui illud opus tanquam Hippolyti foetum ambabus vlnis recipiant, indeque valida ſatis argumenta eliciant ad probandum his etiam temporibus patres diſtincte & accurate docuiſſe, Chriſtum fuiſſe* ὁμοούσιον *patri, aeternamque habuiſſe cum eo eſſentiam. Nos, an illa fragmenta ſint Hippolyti, ore rotundo proferre non audemus; immo potius alia plane mens nobis eſt. Reiici tamen non poſſunt, vt nuperrime ſuppoſita; nam leguntur in excerptis Anaſtaſii, qui iam ante octingentos annos vixit. Deinde laudantur apud Theodoretum excerpta plurima Hippolyti, quae cum fragmentis aliquatenus*

nus conueniunt; in *animaduerſionib. de vita, morte & ſcriptis Hippolyti*, quas *fragmentis* hiſce praemiſit, §. *VII. p. 10.* Praeeuntem BASNAGIVS quodammodo ſibi habuit DIONYSIVM PETAVIVM, qui *Hippolyti*, inquit, *argumenta aduerſus longe recentiorem haereſin adeo diſerta ſunt, vt mirum ſit, tanto ante, venturae iſti haereſi occurriſſe ſanctiſſimum martyrem, & ea ſcripſiſſe, cuiusmodi ſi poſt ortum iſtius exſtitiſſet, opponere debuit*; *dogmat. theolog. de incarnat. lib. VIII. cap. VIII. p. 389.* Quantumuis autem iſta ſpeciem quamdam habeant; nondum tamen rem prorſus conficiunt atque euincunt, HIPPOLYTVM iſtorum ſermonum auctorem non eſſe. Si enim Hero & alii, qui cum eo fecerunt, eadem docuerunt, quae poſtea tradidit Eutyches, quid quaeſo obſtat, quo minus HIPPOLYTVS, cui nec ingenium, nec eruditio defuit, vt ex aliis eius monumentis conſtat, eadem illis opponeret, quae deinceps alii his oppoſuerunt? Nec a vero vtique abhorret, ex Valentinianorum ſchola prodiiſſe, qui ea comminiſcerentur, quae Heroni eiusque tribuuntur adſeclis. Obiicit equidem SANDIVS, nec EVSEBIVM, nec HIERONYMVM tractatus eiusmodi meminiſſe; ſed recte reſpondet GEORGIVS BVLLVS: *Quaſi ſcilicet omnia omnium veterum doctorum ſcripta Euſebius & Hieronymus commemorauerint. Sed & Euſebius diſerte profitetur* (*hiſt. eccleſ. lib. VI. cap. XXII.*) *ſe plenum operum Hippolyti catalogum neutiquam exhibuiſſe, dum poſt recenſita quaedam eius ſcripta, haec ſubiungit:* πλεῖστά τε ἄλλα καὶ παρὰ πολλοῖς εὕροις ἂν σωζόμενα, *i. e. & alia plurima apud multos adſeruata licet reperire. Euſebii autem catalogo pauciſſima Hippolyti ſcripta addidit Hieronymus*; *l. c. ſect. II. cap. VIII. §. III. p. 99.* Ad THEODORETVM quod attinet, quem BASNAGIVS fragmenta haec HIPPOLYTI nec indicaſſe, nec laudaſſe, ait, cum tamen tot teſtimonia veterum & ipſiusmet HIPPOLYTI aduerſus ſynuſiaſtas congeſſerit, bene eſt, quod idem vir doctiſſimus deinceps fatetur, laudari apud THEODORETVM excerpta plurima HIPPOLYTI, quae cum *fragmentis aliquatenus conueniant.* Hinc enim fragmenta haecce THEODORETO haud incognita fuiſſe, certe HIPPOLYTVM eadem docuiſſe, ac quae in fragmentis hiſce occurrunt, conſequitur. Sed miſſis hiſce, ad reliqua HIPPOLYTI ſcripta polemica progredimur. Namque & aduerſus haereſin Noëti librum ſcripſiſſe conſtat. Noëtum vero iſtum eadem profeſſum eſſe, quae poſtea Sabellius, a quo & error iſte nomen accepit, docuit, neminem fugit; conf. CHRISTIANVS WORMIVS in *hiſtoria Sabelliana cap. I. §. XVI. p. 84.* Liber equidem iſte HIPPOLYTI periit; ſed inſigne tamen eius adhuc ſupereſt fragmentum, quod latine ex verſione FRANCISCI TVRRIANI exhibet IO. ALB. FABRICIVS *tom. I. p. 235. ſeqq.* graece autem ex codice manuſcripto Vaticano, vna cum eiusdem TVRRIANI verſione *tom. I. p. 5. ſeqq.* Non ſine ratione idem vir eruditiſſimus exiſtimat, ἀποσπασμάτιον hocce extremam partem eſſe libri, quem HIPPOLYTVS aduerſus haereſes ſcripſit, & cuius antea mentionem fecimus.

p. 881. Quod quam parum veroſimile ſit &c.) Idem etiam oſtendunt LVCAS HOLSTENIVS *de vita & ſcriptis Porphyrii cap. III. p. 222.* & NICOLAVS LE NOVRRY in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum tom. II. diſſertat. III. cap. III. artic. III. p. 627.* add. HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer von der Wahrheit vnd Göttligkeit chriſtl. religion part. IV. cap. I. §. IV. & V. p. 444.*

p. 885. in libro de idolorum vanitate &c.) In editione MINVCII FELICIS, quae

quae ex recenſione IACOBI GRONOVII, Lugduni Batauorum anno 1709. 8. prodiit, huncce CYPRIANI *de idolorum vanitate* librum, itidem exhiberi, ſupra iam obſeruauimus.

ibid. deſumptum, alii obſeruant &c.) Conferenda, quae ſupra ad *p. 865.* vbi de MINVCIO FELICE verba fecimus, ex NICOLAO RIGALTIO attulimus.

ibid. patet ex iis, quae ex Lactantio &c.) NICOLAVS LE NOVRRY ita hac de re loquitur: *At Lactantius, non modo libere, ſed ſatis aſpere Cyprianum propterea redarguit, quod Demetrianum bis tantum refellat & oppugnet teſtimoniis ſacrae ſcripturae, quam gentilis ille homo vanam, fictam, commentitiamque putabat. Quamobrem haud dubitanter adſerit, illum in ea, ſicut loquitur, oratione nec plane, nec rite ſuſceptum expleuiſſe defenſionis chriſtianae religionis munus. Non aliter igitur illum excuſari poſſe opinatur, niſi quia raptus eximia eruditione diuinarum litterarum, vt iis ſolus contentus eſſet, quibus fides conſtat.* Quod vtique ſpecie quadam, immo robore non deſtituitur argumentum. Vanam enim & inanem operam ſuſcipere videtur, qui ex ſcriptura ſacra cum hominibus diſputat, qui ſcripturae ſacrae non admittunt auctoritatem. Defendere tamen CYPRIANVM adnititur, & quod recte ad propulſandas Demetriani iniquas criminationes ad ſcripturae prouocauerit teſtimonia, probare NICOLAVS LE NOVRRY in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum tom. II. diſſertat. V. cap. II. artic. I. p. 1602. ſeqq.* vbi & multa alia tum de hocce, tum de priori CYPRIANI; ſiue de *vanitate idolorum*, libello, lectu haud indigna in medium adfert. Ceterum praeter ea, quae indicauimus, etiam alia adhuc quaedam CYPRIANI ſcripta, vt *libellum ad Donatum*; *epiſtolas varias ad confeſſores & martyres*; &c. ad illa, quae ad probandam chriſtianae religionis veritatem ſpectant, refert IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. V. §. IV. p. 218.* qui & *p. 219.* eos laudat, qui vitam CYPRIANI ſcripſerunt.

p. 887. Praeterea ante ſchiſma &c.) De ſcriptis NOVATIANI ita loquitur HIERONYMVS: *Scripſit autem de paſcha, de ſabbatho, de circumciſione, de ſacerdote, de cibis iudaicis, de inſtantia, de Attalo, multaque alia, & de trinitate grande volumen, quaſi ἐπιτομὴν operis Tertulliani faciens; quod plerique neſcientes, Cypriani exiſtimant*; in *catalog. ſcriptor. eccleſiaſticor. cap. LXX. p. m. 77.* Ex hisce vero omnibus nihil amplius exſtat, quam *epiſtola* illa, quam cleri Romani nomine *ad Cyprianum* ſcripſit, quaeue inter *Cyprianicas* eſt *trigeſima*; itemque liber *de cibis iudaicis*, vt & *de regula fidei*; ſiue *de trinitate*, qui cum operibus TERTVLLIANI edi ſolent. Seorſim autem ſcripta NOVATIANI, quae ſuperſunt, ſecundum editionem IACOBI PAMELII recudi curauit GVIL. WHISTONVS Londini anno 1709. 8. eo quod ſibi perſuaderet, NOVATIANVM aperte illorum fauere ſententiae, qui filium patri ὁμοούσιον eſſe negant. Qua in re cum alii illi non ſuffragarentur, WELCHMANNVS poſtea eadem NOVATIANI opera euulgauit ſecundum editionem Frobenianam, eam dogmatibus orthodoxorum melius reſpondere exiſtimans, ſimulque & notas quasdam addidit, eo comparatas, vt doceret, orthodoxos potius, quam Arianos cauſſae ſuae aliquod in hocce auctore inuenire praeſidium. Quod cum recentioribus Arianiſmi in Anglia reſtauratoribus diſpliceret, IOANNES rurſus IACKSON, eccleſiae Anglicanae presbyter, nouam editionem dedit, in qua quid praeſtiterit, inſcriptio nos condocebit, quae ita ſe habet: *Nouatiani, presbyteri Romani, opera, quae ſuperſunt omnia, poſt Iacobi Pamelii Bragenſis*

genſis recenſionem, ad antiquiores editiones caſtigata, & a multis mendis expurgata; illuſtrata etiam copioſiſſimis obſeruationibus & notis, in quibus totum argumentum auctoris, de regula fidei, ex veterum patrum monimentis late diſcutitur; praemittitur diſſertatio de filii Dei homoouſio; ſiue coëſſentialitate vni Deo patri; Londini 1728. 8. Cum autem res praecipue ad librum *de regula fidei;* ſiue *de trinitate* redeat, non vnam eamdemque de eo virorum doctorum eſſe ſententiam, mirum non eſt. Sunt enim, qui NOVATIANVM libri huius auctorem eſſe negant. Ita DIONYSIVS PETAVIVS: *Nouatianus hunc* (Tertullianum) *ſequitur: etſi falſo id ei libro nomen tribuitur, qui de trinitate eſt & inter opera Tertulliani legitur. Cuius quicumque eſt auctor, de hoc myſterio non ſatis accurate eſt loquutus, immo abſurde pleraque tradidit; dogmat. theologicor. tom. II. de trinit. lib. I. cap. V. §. V. p. 30.* Verum quo minus dubitare queamus, quin omnino liber hicce NOVATIANI ſit, vel ſola HIERONYMI efficit auctoritas. Hic enim non tantum eiusmodi librum a NOVATIANO ſcriptum *l. c.* teſtatur; ſed alibi quoque contra RVFINVM diſputans, *tranſit*, inquit, *ad inclytum martyrem Cyprianum, & dicit Tertulliani librum, cui titulus eſt, de trinitate, ſub nomine eius Conſtantinopoli a Macedonianae partis haereticis lectitari. In quo crimine mentitur duo. Nam nec Tertulliani liber eſt, nec Cypriani dicitur, ſed Nouatiani, cuius & inſcribitur titulo, & auctoris eloquium, ſtyli proprietas demonſtrat; apolog. aduerſus Rufinum lib. II. tom. IV. operum part. II. p. 415.* edit. IO. MARTIANAEI. Omnia nimirum iſta, quae HIERONYMVS tradidit, in librum iſtum, de quo nobis ſermo eſt, quadrant. Inſcriptio conuenit: reſpondet ſtilus elegans vtique ſatiſque purus. Imitatur TERTVLLIANVM eiusque ratiocinandi modo vtitur. Cumque eum a Macedonianae partis haereticis lectitatum ex RVFINO referat HIERONYMVS, veroſimile admodum, ab iſtis haereticis illum quibusdam in locis corruptum fuiſſe atque deprauatum. Hinc nonnulla contra diuinitatem ſpiritus ſancti dicta in eo viri docti deprehenderunt. Quod autem HIERONYMVS in *catalog. ſcriptor. eccleſiaſtic. l. c.* adſerit, NOVATIANVM *de trinitate grande volumen quaſi ἐπιτομὴν operis Tertulliani feciſſe*, non ita accipiendum, ac ſi TERTVLLIANVS librum quemdam de trinitate ſcripſerit, ſed quod NOVATIANVS ex ſcriptis TERTVLLIANI collegerit, quae de trinitate diſputauit; conf. LVDOVICVS ELLIES DV PIN *bibliothec. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom. I. p. 181. ſeqq.* Praeterea & de tempore, num ante, an poſt ſchisma liber hicce a NOVATIANO ſcriptus ſit, viri docti inter ſe non conueniunt. Qui enim cauſſae Arianae aliquod in eo praeſidium quaerunt, eum ante ſchisma editum contendunt; indeque inferunt, dogmata eius omnia de trinitate, quantumuis Arianiſmo fauentia, omnibus fuiſſe probata; ſiquidem deinceps ab eius aduerſariis, quod in hisce erraſſet, aut a recepta eccleſiae doctrina diſceſſiſſet, ei non fuerit obiectum, quod intermiſſuri non fuiſſent, ſi res ſe aliter habuiſſet. GVIL. CAVE equidem librum huncce poſt ſchisma ſcriptum inde euincit, quod in eo iam haereſeos Sabellianae fiat mentio, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. part. I. ſaec. III. p. 66.* Verum temporum non obſtare rationes, quo minus ante ſchisma liber hicce ſcriptus dicatur, etiamſi Sabellianae haereſeos in eo fiat mentio, contendunt alii. Quod tamen ſi vel maxime concedatur, hoc ſolum inde conſequitur, fieri potuiſſe, vt liber iſte ante ſchisma ſcriberetur; non autem, eum illo tempore ſcriptum eſſe. Equidem vt hoc quoque euincam, nonnulli ita rationes ſubducunt:

Digitized by Google

ducunt: veroſimile non eſſe, NOVATIANVM tam egregium librum, catholicae doctrinae in omnibus conſonum, ſcripſiſſe, poſtquam iam in deteſtandum iſtud ſchisma prolapſus erat. Quod ineptum plane eſt, atque lubricum. Cum enim ſchisma illud Nouatianum cum doctrina de myſterio trinitatis & diuinitate nihil commune haberet, nihil vtique obſtabat, quo minus NOVATIANVS de ea, etiam poſt ſchisma praeclare admodum atque egregie ſcriberet. De doctrina nimirum vere catholica hoc intellige, non autem de Arianorum erroribus, quos perperam illi, contra quos hic diſputo, catholicae doctrinae nomine inſigniunt. Interim hoc ipſum caput illud cauſſae eſt, de quo vel maxime diſceptatur, an NOVATIANVS, vel quisquis libri huius auctor eſt, talia de myſterio trinitatis tradat, quae a recepta eccleſiae doctrina diſſentiant, ſpeciatim quae faueant Arianis. Quae DIONYSII PETAVII hac de re ſit ſententia, verba eius, quae antea recitauimus, docent. *Non ſatis accurate* auctorem huncce *loqui*, *immo abſurde pleraque tradere*, diſerte pronuntiat. Alibi tamen & librum hunc NOVATIANO tribuit, & defenſionem eius contra IACOBVM PAMELIVM in ſe ſuſcipit *lib. I. de Deo, cap. XI. §. X. p. 76.* CHRISTOPHORVS SANDIVS auctorem libri huius *de trinitate*, quem NOVATIANVM eſſe negat, incaute loquutum adfirmat. *Nouatianum*, inquit, *presbyterum Romanum, catholicum in doctrina de trinitate fuiſſe volunt hiſtorici; nec meo quidem iudicio ſine ratione id adſerere videntur. At enim ſi is ipſe auctor eſt, quod multi volunt, libri de trinitate, incaute certe in eo loquitur, dicens &c.* Addit tandem: *Itaque Petauius auctorem ſcripti (antiquum certe, ſiue is fuerit Tertullianus, ſiue Nouatianus, ſiue Cyprianus, ſiue alius Sabellio recentior) accenſet iis, qui idem, quod Arius, antea tradiderunt;* in *nucleo hiſtor. eccleſiaſt. lib. I. p. 110.* Quaenam GVILIELMI WHISTONI & IOANNIS IACKSONI hac de re ſit ſententia, ex iis, quae antea diximus, nemini obſcurum eſſe poteſt. Quantumuis autem incommode loquutus ſit NOVATIANVS, (quem libri iſtius auctorem eſſe antea euicimus) illum tamen in eo, quod caput cauſſae eſt, a doctrina eccleſiae catholicae non diſſentire contendunt GEORGIVS BVLLVS in *defenſione fidei Nicaenae ſect. III. cap. VIII. §. VI. ſeqq. p. 221. ſeqq.* STEPHANVS LE MOYNE in *notis ad varia ſacra p. 229. ſeqq.* SAMVEL SARDINERVS in *hypotypoſi doctrinae patrum ante-Nicaenor. de ſacro-ſancta trinitate, p. 105. ſeqq.* LVDOVICVS ELLIES DV PIN in *noua bibliotheca ſcriptor. eccleſiaſticor. tom. I. p. 182.* NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. ſaec. II. diſſert. IX. artic. IV. p. 411.* aliique. Ceterum cum L. M. ARTEMONIVS, hoc eſt, SAMVEL CRELLIVS in *initio euangelii ſancti Ioannis, apoſtoli, ex antiquitate eccleſiaſtica reſtituto, itidemque noua ratione illuſtrato*, id omni niſu agat, vt aliis perſuadeat, *Ioan. I. 1.* pro: *& Deus erat verbum*, legendum eſſe: *& Dei erat verbum*; vt ex NOVATIANO quoque hancce ſuam ſententiam confirmet, omnem mouet lapidem. Hinc omnia libri eius loca, in quibus legitur: *& Deus erat verbum*, fraude falſariorum corrupta & aliam lectionem ſubſtitutam eſſe audacter pronuntiat, *part. I. cap. XIX. p. 89. ſeqq.* Praeterea ex verbis quibusdam NOVATIANI colligit, Artemonitas ſtatuiſſe, Chriſtum hominem in principio euangelii in coelo fuiſſe, & inde localiter deſcendiſſe *cap. XX. p. 92. ſeqq.* Ex aliis rurſus NOVATIANI locis euidenter ſe probaturum pollicetur, eum legiſſe: *& Dei erat verbum cap. XXI. p. 102. ſeqq.* Tandem cum NOVATIANVS probare contendat, principium euangelii Ioannis de principio creationis, a Moſe deſcriptae, intelligendum

dum

Digitized by Google

dum eſſe, apparere inde putat, Artemonitas contrarium ſenſiſſe, & eamdem quoque veterum ab EVSEBIO allegatorum fuiſſe ſententiam, adſerit *cap. XXII. p. 106. ſeqq.* Quae omnia magna temeritate a viro iſto docto adſeruntur; quod facili negotio oſtendi poſſet, ſi hoc nunc agerem. Interim cum quaedam eius emendationes nec ipſi IO. IACKSONO probarentur, vt in ſuis ad NOVATIANVM *notis*, oſtendit, occaſio hinc data eſt ARTEMONIO; ſiue CRELLIO edendi *defenſionem emendationum in Nouatiano factarum contra virum clariſſimum Ioan. Iackſonum* anno 1729. 8. ſine loci mentione.

p. 900. adfectuum vehementia eum interdum abreptum &c.) Non deſunt, qui non tantum adfectuum vehementiam, nimium & intempeſtiuum zelum, ſed & alia eaque grauiora vitia, vt ambitionem, contendendi & altercandi libidinem, tyrannidem aliaque ATHANASIO obiiciunt. Atque Arianos quidem tum veteres, tum recentiores id egiſſe, & adhuc agere, vt, quicquid conuitiorum ac contumeliarum excogitare poſſunt, in eum coniiciant, mirandum non eſt, cum in illorum erroribus debellandis tantum is collocauerit ſtudium. GOTHOFREDVS quoque ARNOLDVS haud obſcure ſignificat, perſuaſum ſibi fuiſſe, ATHANASIVM eorum, quae illi obiiciebantur, vitiorum non immunem fuiſſe; quibus & errores quosdam dogmaticos addit, in *hiſtor. eccleſ. & haereſiolog. part. I. lib. IV. cap. IV. §. XI. ſeqq. p. 150. ſeqq.* Errores quosdam & naeuos dogmaticos in eo quoque notauit ABRAHAMVS SCVLTETVS in *medulla patrum part. II. de Athanaſio lib. II. cap. XVII. p. 146. ſeqq.* Sed defendere ATHANASIVM adgreſſus eſt HENRICVS KLAVSINGIVS; aut, ſi mauis, FRID. CAROLVS ZINCKIVS in *diſſertat. quae Athanaſium vindicatum* ſiſtit, Lipſiae 1724. 4.

p. 912. Contra gentiles pugnauit &c.) POSSIDIVS in *indiculo ſcriptorum Auguſtini* longe plura AVGVSTINI ſcripta, paganis oppoſita, enarrat, quae ex eo commemorat IOAN. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. V. §. XII. p. 242. ſeqq.*

p. 922. Adcuratam operis huius analyſin &c.) Non tantum analyſin operis huius tradit, ſed & argumenta, quibus ARNOBIVS veritatem chriſtianae religionis probare voluit, expendit, multaque alia lectu digna in medium adfert. Cum obſeruaſſet, non alium in libris hiſce conſcribendis ARNOBII ſcopum finemque fuiſſe, niſi vt & falſam gentilium, & chriſtianorum veram eſſe religionem demonſtraret, ſubiicit: *Quidam vero vtrumque non pari ſucceſſu ab Arnobio factum opinantur. Longe enim felicius*, inquiunt, *atque efficacius ethnicae religionis falſitatem, quam chriſtianae veritatem oſtendit. Cuius quidem hanc putant eſſe rationem* (quam ego quoque non contemnendam eſſe exiſtimo) *quia Arnobio aliiſque gentilibus, ad chriſtianam fidem nouiſſime adductis, multo facilius fuit, impios abſurdosque, quos perfecte nouerant, ritus & errores funditus euertere, quam chriſtianae doctrinae, cuius myſteria nondum ſatis comperta habebant, demonſtrare veritatem.* Ab hiſce tamen auctor ille diſſentit, putatque nihil obſtare, quo minus ab iis etiam, quibus ſacra noſtra myſteria nondum reſerata ſunt, argumentis generalibus; ſeu, vt ſcholaſtici loquuntur, *credibilitatis motiuis* veritas chriſtianae religionis inuictiſſime demonſtretur. Quod licet non prorſus abnuam; vix tamen fieri poſſe exiſtimo, vt eiusmodi homines de religionis chriſtianae capitibus tam caute tamque circumſpecte loquantur, prout ab illis fieri oportet, qui eius cauſſam contra homines profanos agunt. Interim NOVRRYVS porro ſe demonſtraſſe exiſtimat chriſtia-

chriſtianam religionem ab ARNOBIO validiſſimis rationum momentis, quae ex veris Chriſti diſcipulorumque eius miraculis, ex admirabili ſane ac pene incredibili martyrum innumerabilium conſtantia, atque ex celerrima religionis chriſtianae, quae diu antea ab ſacris vatibus promiſſa fuerat, per vniuerſum orbem propagatione, ab eo ducantur, fuiſſe vindicatam; *l. c. diſſertat. II. cap. II. artic. II. p. 286.* Sed, an ARNOBIVS in hiſce omnibus ita, vt decebat, ſeſe geſſerit, dubitari forte adhuc poteſt. Certe non deſunt, qui varia in eo deſiderant. *Arnobius*, inquit HIERONYMVS, *inaequalis eſt, & nimius, & abſque operis ſui partitione confuſus*; *epiſt. XLIX. ad Paulinum, tom. IV. operum part. II. p. 567.* edit. IO. MARTIANAEI. Sed maioris adhuc momenti eſt, quod alibi de eo pronuntiat; *ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos eccleſiaſticos ſcriptores graecos pariter ac latinos, vt bona eorum eligamus, vitemusque contraria iuxta apoſtolum dicentem: omnia probate, quod bonum eſt retinete*; *epiſt. LVI. ad Tranquillum p. 589.* Eaque in re HIERONYMVS & alios ſecum conſentientes habet. Quantumuis itaque illorum minime vituperandum ſit ſtudium, qui quaedam ab ARNOBIO minus bene dicta emollire adnituntur; omnia autem qui defendere aut excuſare ſatagunt, operam, ni fallor, perdunt, & aliquid, quod minus neceſſarium ſit, ſuſcipiunt. Patres enim ſuos habuiſſe naeuos, neminem fugit. Quales ſi & in hocce ARNOBII opere admittamus, hoc tamen non obſtabit, quo minus egregium prorſus, multaque eruditione refertum cenſeatur. Addenda, quae de ARNOBIO diſſerit HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS in *der Vorſtellung vnd Betrachtung der Schrifften der alten Kirchen-Lehrer von der Wahrheit vnd Göttlichkeit chriſtlicher religion part. III. cap. IV. p. 319. ſeqq.* qui & ſummam librorum iſtorum ARNOBII exhibet *cap. V. p. 327. ſeqq.*

p. 923. rectius huc referri &c.) Praeter libros *ſeptem diuinarum inſtitutionum*, de quibus *loco citato* dictum, huc etiam alia adhuc LACTANTII ſcripta ſpectant. Commemorandus ſcilicet hic eſt liber *de officio Dei*, ad Demetrianum, LACTANTII auditorem. Non alium enim in eo ſcopum habuit, quam vt ex mundi, praeſertim hominis creatione, ac totius corporis eius miranda ſtructura, ipſius quoque animae inſpiratione ac natura prouidentiam Dei demonſtraret. Hinc, *quid eſt tandem*, inquit, *cur nobis inuidioſum quisquam putet, ſi rationem corporis noſtri inſpicere & contemplari velimus? Quae plane obſcura non eſt, quia ex ipſis membrorum officiis, & vſibus partium ſingularum, quanta vi prouidentiae quisque factus ſit, intelligere nobis licet*; *cap. I. p. 982.* Speciatim & quae Epicuraei contra prouidentiam adferebant, quiue querebantur, hominem nimis imbecillum & fragilem naſci, eumdemque morbis & immaturae morti eſſe ſubiectum, diluit *cap. II. ſeqq.* Non minus vero huius quoque loci eſt liber LACTANTII *de ira Dei*, philoſophis quippe illis oppoſitus, qui Deum iraſci negabant, vel quod benefica eius tantum natura eſſet, vel quod res mortalium haud curaret. Poſterius Epicuraeorum, prius Stoicorum ſcitum erat. Sublata autem ira Dei, hoc eſt, eius iuſtitia, ſimulque prouidentia, ipſam collabi religionem, funditusque euerti, non ſine ratione LACTANTIVS cenſebat. Ad hanc itaque adſerendam Dei iram, omnes eum intendiſſe ingenii neruos, omnem adhibuiſſe operam, laborem, induſtriam, ac integrum tandem ad eam demonſtrandam librum edidiſſe ac publicaſſe, recte monet NICOLAVS LE NOVRRY: nec tamen, quantumuis ad defendendos

Digitized by Google

dos & excuſandos patres proniſſimus, inſigni quodam librum huncce deformatum naeuo, diſſimulare poteſt. *Verum longe diſpar*, inquit, *& minus felix fuit huius ſecundae, quam primae diſputationis exitus. A quibusdam enimuero eiusdem ille ac Tertullianus, erroris propterea accuſatur, quod iram Deo tribuat, non ſigno & effectu tantum, vt agunt theologi; ſed etiam re ipſa atque adfectu; ita vt docere videatur, in Deo non modo eſſe effectum irae, quo ab impiis & peccatoribus poenas repetit, ſed irae quoque adfectum & motum, quo aduerſus illos incitatur. Qui autem hunc irae motum & adfectum in Deo eſſe cenſet, is tota procul dubio via errat, &c.* in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum tom. II. diſſertat. III. cap. XV. artic. I. p. 770.* Nec praetermittendus hic eſt liber *de mortibus perſecutorum ad Donatum confeſſorem*; eo quippe vnice comparatus, vt oſtendat, quales quantasque chriſtiani nominis hoſtes poenas praepotenti Deo & ſcelerum vltori dederint, & quam admirabilem religio noſtra de impiis gentilium ſuperſtitionibus triumphum egerit. Nonnullis itaque de Chriſto ſeruatore, eiusque morte ac reſurrectione, vt & eccleſia, per apoſtolos plantata, praemiſſis de Nerone, Domitiano, Decio, Valeriano & Aureliano verba facit, horumque tyrannorum mortem funeſtam enarrat. De Nerone loquens, *deiectus*, inquit, *faſtigio imperii ac deuolutus a ſummo tyrannus impotens, nusquam repente comparuit, vt ne ſepulturae quidem locus in terra tam malae beſtiae appareret. Vnde illum quidam deliri credunt eſſe translatum ac viuum reſeruatum, Sibylla dicente, matricidam profugum a finibus eſſe venturum, & qui primus perſequutus eſt, idem etiam nouiſſimus perſequatur, & antichriſti praecedat aduentum &c. cap. II. p. m. 1061.* Atque hisce leuiter perſtrictis, LACTANTIVS ad Diocletianum venit, deque illo ceterisque ad Conſtantinum vsque magnum ac Licinium imperatoribus longe copioſius fuſiusque diſſerit, id cumprimis agens, vt quanta saeuitia in chriſtianos graſſati ſint, & quam miſere deinceps omnes iuſto Dei iudicio perierint, oſtendat. Ratio haecce, veritatem chriſtianae religionis demonſtrandi, vt minime contemnenda, cum non luculentius, quod Deum auctorem habeat, comprobari queat, quam ſi omnes eos, qui illam opprimere adnituntur, vindictam Numinis iuſtiſſimam certiſſimamque experiri omnibus innoteſcat; ita & ſi argumentum hocce, quod LACTANTIVS incepit, continuaretur, id non ſine fructu quodam atque inſigni vtilitate fore, exiſtimarem. Dubium enim non eſt, quin ſequentia quoque ſaecula ſimilia iuſtitiae diuinae erga eos, qui hoſtili animo veros Numinis cultores irrodunt, exempla memoratu digna ſuppeditent. Caute tamen & circumſpecte hac in re verſandum fateor; ne ſcilicet aliquid admittamus, quod non certum plane ſit & exploratum; tum vero ne ſtatim immediate Deo id tribuamus, quod, vt ex cauſſis aut naturalibus aut moralibus originem trahens, alias quoque, immo & in hominibus piis locum inuenire poterat. Hoc enim ni fiat, non deerunt profanis hominibus, quae excipiant, aut omnino occaſionem hocce argumentum aliorum ludibrio exponendi ſumant. Sed vt ad ipſum *de mortibus perſecutorum* librum reuertamur, is cum diu admodum in tenebris iacuiſſet, reliquis LACTANTII ſcriptis dudum editis, ex codice tandem bibliothecae Colbertinae illum in lucem protraxit STEPHANVS BALVZIVS atque *tomo ſecundo miſcellaneorum*, Pariſiis anno 1679. 8. editorum, inſeruit. Hanc editionem mox aliae inſequutae ſunt, quas inter eminet, quam cum notis STEPHANI BALVZII, & animaduerſionibus GISBERTI CVPERI, IO. COLVMBI, THOMAE SPARCK, NICO-

LAI

Digitized by Google

LAI TOINARDI, IO. GEORGII GRAEVII, THOMAE GALE, ELIAE BOHERELLI, aliorumque immo & ſuis auctam & cum verſionibus collatam dedit PAVLVS BAVLDRI, Traiecti ad Rhenum 1692. 8. Licet autem STEPHANVS BALVZIVS non dubitauerit, quin liber hicce LACTANTIVM auctorem agnoſcat, idque variis etiam rationibus confirmauerit, viroſque eruditos tantum non omnes ſecum hac in re conſentientes habuerit; NICOLAVS tamen LE NOVRRY, cum in eo eſſet, vt partem alteram *adparatus ad bibliothecam maximam veterum patrum* ederet, ſuarumque duceret eſſe partium, ſollicite in auctorem libri iſtius inquirere, in eam ingreſſus eſt ſententiam, LACTANTIO eum adſcribendum non eſſe, ſed neſcio, cui Caecilio. Eamque vt aliis perſuaderet, tum in noua libri huius, quam cum obſeruationibus in lucem emiſit Pariſiis anno 1710. 8. editione, tum & deinceps in *adparatu ad biblioth. maxim. patr. tom. II. diſſertat. VI. cap. II. p. 1658. ſeqq.* omnem nauauit operam. Verum cum & ſtilus cum eo, quo LACTANTIVS vſus eſt, conueniat; liber etiam hicce Donato confeſſori conſecratus ſit, ad quem *de ira Dei* liber eſt inſcriptus; HIERONYMVS porro teſtetur, LACTANTIVM ſcripſiſſe *de perſequutione librum vnum*, in *catalogo ſcriptor. eccleſiaſticor. cap. LXXX. p. m. 83.* quem FRECVLPHVS, HONORIVS, Auguſtodunenſis, TRITHEMIVS, alii ſequuntur, vt cetera mittam, a nemine, quantum quidem ſcio, iſtarum rerum perito, adſenſum hucusque impetrauit, aut temere impetrabit. Et quamuis iterum NOVRRYO non deſint, quae aut pro ſua ſententia ſtabilienda, aut ad diſſentientium argumenta infringenda, in medium adferat; ea tamen non magni admodum momenti, certe ita non comparata eſſe, vt rem conficiant, intelliget, qui cuncta paullo accuratius ponderauerit. Praecipuum hoc eſt, quod in codice iſto, ex quo librum huncce BALVZIVS euulgauit, omiſſo LACTANTII nomine illud LVCII CAECILII tantum adpareat. Quae vi minime contemnenda equidem polleret ratio, ſi nullae aliae adeſſent, quae ſuaderent, LACTANTIO librum iſtum tribuendum eſſe, cum omnino LVCIVS aliquis CAECILIVS, quicumque demum fuerit, auctor iſtius potuerit eſſe libri. At in tanta argumentorum, pro LACTANTIO militantium, euidentia, nihil prorſus efficit; prorſus eſt veroſimile, id incuria aut oſcitantia librarii contigiſſe. Cuius licet vir ille doctiſſimus mirum in modum laudet diligentiam; dum tamen alibi, ſui ipſius velut oblitus, eiusdem imperitiam & negligentiam accuſat, coniecturam hancce confirmat, eamque adeo eo minus reiicere poteſt. Ex inſtituto hanc NOVRRYI ſententiam ſub examen praeter alios reuocarunt DANIEL MAICHELIVS in *introductione ad hiſtor. litterar. de praecipuis bibliothecis Pariſienſib. part. II. cap. IV. p. 178. ſeqq.* & MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROZE, quippe quem auctorem eſſe accepi *obſeruationum* (reflexions) *ſuper noua editione tractatus de mortibus perſecutorum cum diſſertatione Nicolai le Nourry*, quae exſtat *dans le iournal litteraire tom. VII. part. I. p. 1. ſeqq.* cui tamen reponere quaenam conatus eſt NOVRRYVS *dans le iournal des ſçavans an. M DCC XVI. menſe Iun. p. 698. ſeqq.* Conferenda & quae hac de re monet IO. GEORGIVS WALCHIVS in *diatribe de Lactantio eiusdemque ſtilo*, editioni operum Lactantii ab eo curatae, praefixa *cap. V. p. 37.*

ibid. & cum eruditis Ioan. Wowerii notis editus &c.) ex bibliopolio Frobeniano anno 1603. 8. cum MINVCIO FELICE. Prodiit etiam, vt alias editiones mittam, cum MINVCII FELICIS *Octauio*, & CAECILII CYPRIANI *de*

T 3 *idolorum*

idolorum vanitate libro, cura & ſtudio IACOBI GRONOVII Lugduni Batauor. 1709. 8.

ibid. & imperatores, vt prorſus gentilium ſacra extirpent &c.) Conſtantium atque Conſtantem Auguſtus, ad quos librum ſuum ſcripſit, ita adloquitur: *Vos nunc Conſtanti & Conſtans, ſacratiſſimi imperatores, & venerandae fidei veſtrae imploranda virtus eſt, quae ſupra homines erigitur, & a terrena fragilitate ſeparatur, coeleſtiumque ſe rerum ſocietate coniungit, quae in omnibus actibus ſuis, prout poteſt, Dei ſummi ſequitur voluntatem. Modicum tantum ſupereſt, vt legibus veſtris funditus proſtratus diabolus iaceat, vt extinctae idololatriae pereat funeſta contagio. Veneni huius virus euanuit, & per dies ſingulos ſubſtantia profanae cupiditatis exſpirat. Erigite vexillum fidei, vobis hoc diuinitas reſeruauit &c. Felices vos quoque gloriae ac voluntatis ſuae Deus fecit eſſe participes, idololatriae excidium, & profanarum aedium ruinas propitius Chriſtus populo veſtris moribus reſeruauit. p. m. 446.*

ibid. acceſſit Commodianus) *Commodianus*, inquit GENNADIVS, Maſſilienſis, *dum inter ſeculares litteras etiam noſtras legit, occaſionem accepit fidei. Factus itaque chriſtianus & volens aliquid ſtudiorum ſuorum muneris offerre Chriſto, ſuae ſalutis auctori, ſcripſit mediocri ſermone, quaſi verſu librum aduerſus paganos. Et quia parum noſtrarum attigerat litterarum, magis illorum deſtruere potuit dogmata, quam noſtra firmare. Vnde & de diuinis repromiſſionibus aduerſum illos vili ſatis & craſſo, vt ita dixerim, ſenſu, diſſeruit, illis ſtuporem & nobis deſperationem incutiens, Tertullianum & Lactantium & Papiam auctores ſequutus. Moralem ſane doctrinam, & maxime voluntariae paupertatis amorem optime proſequutus; ſtudentibus inculcauit*; de *ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. XV. p. m. 90.* Vbi, quo pacto, quod dicit: *quaſi verſu* intelligendum ſit, hunc in modum explicat IO. ALB. FABRICIVS: *eſt quippe* (liber COMMODIANI) *in octoginta capita; ſiue inſtructiones, vt appellat, diuiſus, quarum ſingulae per acroſtichidem, ſiue litteras verſuum primas vocabulum aliquod referant: verſus autem ita ſunt comparati, vt numerus hexametri carminis vtcumque ſeruetur, neglecta ſyllabarum quantitate, ſicut in carminibus politicis recentis Graeciae ſolet fieri*; in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. V. §. VII. p. 227.* conf. & LVDOVICVS ELLIES DV PIN in *noua biblioth. ſcriptor. eccleſiaſtic. tom. I. p. 210.* Cum autem GENNADIVS dicit, COMMODIANVM de *diuinis repromiſſionibus vili ſatis & craſſo ſenſu diſſeruiſſe*, ſignificat, eum ſententiae de regno Chriſti millenario addictum fuiſſe, atque in ea PAPIAM, TERTVLLIANVM atque LACTANTIVM ſequatur. Et ſane praeter PAPIAM, TERTVLLIANVM quoque atque LACTANTIVM, opinionem hancce, quae & multorum veteris eccleſiae doctorum fuit, fouiſſe, notum eſt; hinc & IO. GVIL. PETERSENIVS eos non praetermiſit in *nube* ſua *teſtium veritatis lib. II. §. XX. p. 106. ſeqq.* & *§. XXVI. p. 122. ſeqq.* Num autem TERTVLLIANO recte GENNADIVS hic LACTANTIVM iunxerit, dubitari merito poteſt, cum temporum obſtent rationes, vt & FABRICIO obſeruatum *l. c. p. 229.* Quod denique GENNADIVS adſerit, COMMODIANVM, cum parum noſtrarum attigiſſet litterarum, magis gentilium deſtruere potuiſſe dogmata, quam noſtra firmare, id vtique cum ARNOBIO, LACTANTIO, aliiſque, qui eo tempore chriſtianae religionis in ſe ſuſceperunt defenſionem, illi commune fuit, vti iam non ſemel monuimus. Ad editionem HENRICI LEONHARDI SCHVRZFLEISCHII, quam commemorauimus,

Digitized by Google

rauimus, quod attinet, adhuc addendum, ſupplementum notarum in COMMODIANVM ex bibliotheca EZECH. SPANHEMII, cum eiusdem SCHVRZFLEISCHII gloſſario & indice, prodiiſſe Wittebergae anno 1709. 4.

ibid. Sed & Paulinus Nolanus &c.) Non PAVLINVM, ſed ANTONIVM quemdam, ex ethniciſmo ad Chriſti nomen conuerſum, carminis huius auctorem eſſe, IO. ALB. FABRICIVS docet, qui illud cum *praefatione* & notis MVRATORII integrum exhibet in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. &c. cap. IV. p. 176. ſeqq.*

ibid. Et hi quidem, ni fallor, praecipui ſunt &c.) Reliquos, qui adhuc addi potuiſſent, ſuppeditabit vir ſummus, ſaepiusque iam nobis laudatus IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. cap. II. p. 34. ſeqq.* & *cap. V. p. 206. ſeqq.*

p. 935. Ita ex recentioribus Dominicani &c.) Hi namque AVGVSTINVM, ceu ſententiae ſuae de praemotione phyſica fauentem, totum ſibi vindicant. Quorſum praeter alia ſpectat IACOBI HYACINTHI SERRII *Auguſtinus Thomae eiusque ſcholae conciliatus, in quaeſtione de gratia primi hominis & angelorum*, Patauii anno 1723. 8. Acriter enim inter Dominicanos & eos, qui illis ſe opponunt, diſputatur, an THOMAS in hisce ſacrae doctrinae capitibus prorſus cum AVGVSTINO conſentiat?

p. 942. Summa eius exhibetur &c.) Continuatur recenſio *anno MDCCXXVI. menſe Maio p. 293. ſeqq.*

p. 959. Conferenda, quae copioſe & erudite &c.) Addendae omnino V. B. S. *animaduerſiones de Carolinis contra imaginum cultum libris & ELI. PHILI. primo eorum editore*, in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi claſſe VI. faſc. III. num. VI. p. 520. ſeqq.*

p. 990. ſummam catholicae fidei contra gentiles &c.) Non tantum liber hicce THOMAE DE AQVINO ſaepiſſime tum ſeorſim tum cum reliquis eius operibus editus, ſed & in varias linguas conuerſus fuit. Graece ex DEMETRII CYDONII verſione eum Pariſiis in bibliotheca regia exſtare, viris doctis obſeruatum eſt. IOSEPHVM CIANTES Romanum, epiſcopum Marſicenſem, *ſummae* huius *contra gentiles* libros tres priores, ebraice interpretatum eſſe, Romae editos anno 1657 ex IVL. BARTOLOCCIO refert IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS *biblioth. ebr. part. I. p. 396.* qui & ſummam hancce a R. IAC. filio ISAACI TZAHALON ebraice in compendium redactam memorat. Quod quidem mirandum non eſt, ſi verum eſt, quod F. I. Cremonenſis, adſerit, volumina THOMAE a Graecis, Chaldaeis, Armenis, atque ipſis etiam Indis fuiſſe translata. Verba eius, quae IAC. QVETIF & IAC. ECHARD, in *ſcriptorib. ordinis praedicator. recenſitis tom. II. p. 43.* recitant, ita ſe habent: *tu, qui Thomiſtas digito notas, mordes Thomam, ſanctum enim virum vocitas, ſed falſa ſaepius meditatum. Thomiſtas mutuo aduerſus venis, quibus vnicum in ſequentibus praeſtabo reſponſum, enumerans, quot praeſtet auctoritatibus angelicum dogma ſancti Thomae Aquinatis, quod Iudaei etiam, quod philoſophi venerantur, cuius volumina a Graecis, Chaldais, Armenis, atque ipſis etiam Indis fuere translata.* Forte ſpeciatim ad ſummam theologiae reſpicit, quam & Arabes & Sinenſes, lingua ſua legere, a nonnullis adſerit, ſupra obſeruauimus *lib. II. cap. I.* ad *§. X. p. 326.* Quicquid eius ſit, mihi dubium adhuc plane atque incertum videtur, an haec ita ſe habeant. Nihil aut facilius, aut frequentius, quam vt talia homines, ad alterius exiſtimationem ac auctoritatem augendam amplificandamque comminiſcantur. Interim *ſummam* hancce *catholicae fidei*

ſidei contra gentiles, laude ſua, quam promeretur, defraudare nolo; quemadmodum etiam ipſum THOMAM ingenio haud vulgari praeditum fuiſſe, nemo diffitebitur. GABRIEL NAVDAEVS, cum inter eos, qui veritatem religionis chriſtianae contra paganos defenderunt, LACTANTIVM, TERTVLLIANVM, MINVCIVM FELICEM, ARNOBIVM, THEODORETVM, SALVIANVM commemoraſſet, de *ſumma* THOMAE *contra gentes*, addit: *quae omnium inſtar iure merito haberi poſſet; adeo ferox eſt ſenſuum, rationum, ſubtilitatis & doctrinae*; in *bibliographia politica p. 53.* Obſeruatum hoc quoque IO. ALB. FABRICIO, & plura de hocce THOMAE opere adfert, & methodum, qua vſus eſt, exhibet in *delectu argumentor. & ſyllabo ſcriptor. cap. V.* §. *XLIX. p. 270. ſeqq.*

p. 1027. ſupra iam obſeruauimus &c.) ad eamdem hancce §. *p. 996.* Conferenda autem, quae in *ſupplementis* ad *iſtum locum* fuſius de hocce opere diximus.

p. 1037. Lutherum in doctrina de gratia & praedeſtinatione &c.) Non tantum LVTHERVM; ſed & alios quoſdam eccleſiae noſtrae theologos, qui aut tempore LVTHERI vixerunt, aut non magno admodum ab illo remoti fuerunt interuallo, eadem de praedeſtinatione capitibusque connexis docuiſſe, quae reformatae eccleſiae doctores, qui IOAN. CALVINVM ſequuntur, profeſſi ſunt, non tantum nonnulli, qui ex horum ſunt numero, ſed & qui in eorum caſtris militant, aut illorum cum noſtra eccleſia vnionem optarunt, nobis perſuadere voluerunt. Et ſaeculo quidem decimo ſexto hoc iam egit IOANNES PANDOCHEVS, ex cuius *conſenſu orthodoxo eccleſiae Lutheranae in doctrina de praedeſtinatione, excerpta illuſtriora quaedam Lutheranae eccleſiae domeſtica teſtimonia*, dedit, atque *apologiae* ſuae pro *ſynodo Dordracena & reformata fide* ſubiunxit STEPHANVS VITVS. Idem etiam, quis IOANNES iſte PANDOCHEVS fuerit, nos ignorare noluit. *Hunc*, inquit, *Ioan. Pandocheum Olearius rerum Thuringicar. ſyntagm. part. II. p. 194. & 196. refert Wibae comitatus Berchlingenſis oppido (vbi ſe ipſe Pandocheus in dedicatione ſeptendecim annis euangelii doctrinam pure & ſincere tradidiſſe docet) verbi diuini miniſtrum fuiſſe; Nordhuſium vero anno M D XC. vocatum, tandem cum anno M DC. munere Nordhuſano pelleretur, Sangerhuſii Superintendentis partibus eſſe functum. In dedicatione*, ita pergit, *Pandocheus conqueritur, quod fuerint, qui ipſum a vere Lutherana doctrina ad noxiam & longe lateque ſe diffundentem Caluiniſtarum ſectam defeciſſe calumniarentur. Hac calumnia adductum ſe dicit, vt multo labore hunc libellum colligeret. In praefatione docet, ſuo tempore doctrinam de praedeſtinatione in grauiſſimum certamen adductam fuiſſe. Laudat Vrbani Regii libellum de formulis caute loquendi. Tantum vero abeſt, vt nobis faueat, vt potius Caluiniſtarum doctrinam cum magna multorum offenſione coniunctam eſſe dictitet. In noxiis vero Caluiniſtarum erroribus refutandis caeco quodam zelo Lutheranos ita infeliciter verſari, vt etiam vere & γνησίως Lutherana de praedeſtinatione doctrina in odium adducatur. Multos ex Lutheranis a praedeſtinatione tamquam Gorgonis capite imperite abhorrere; &c.* in *praefat.* hiſce *teſtimoniis* praemiſſa *p. 520.* Non tantum autem ipſius LVTHERI, ſed & IO. BVGENHAGII, IO. BRENTII, NIC. AMSDORFII, VRBANI REGII, MARTINI CHEMNITII, NIC. SELNECCERI, TIM. KIRCHNERI, TILEMANNI HESHVSII, aliorumque effata exhibet, immo ex Auguſtana confeſſione, articulis Smalkaldicis, apologia formulae concordiae, & confeſſionibus quibusdam particularibus quaedam adfert,

Digitized by Google

adfert, inde vt euincat, iſtius temporis theologos eadem, quae CALVINVS, eiusque ſectatores, de praedeſtinatione docuiſſe. Ad hosce aliosque theologos cum pariter recentiori aetate prouocaſſent, qui noſtrae & reformatae eccleſiae vnionem in votis habebant, non defuerunt, qui illorum cauſſam agerent, & a ſententia CALVINI eiusque ſectatorum prorſus alienos fuiſſe contenderent. Id namque ſibi datum credidit GVSTAVVS LISSEVS, vt nonnemo vocari voluit, cuius quippe exſtat *defenſio pro theologis euangelicis ſeculi reformationis, ſigillatim Luthero, Melanchthone, Bugenhagio, Sarcerio, Regio, Althammero, Coruino, Flacio, Heshuſio, Simone Pauli, Iacobo Andreae, Brentio, Heerbrando, Balthaſ. Bidembachio, Luca Oſiandro, ſeniore, Chemnitio, Cornero, Muſculo, Kirchnero; aduerſus dicam particularismi, ipſis ab auctore litterarum de ſtatu negotii irenici apud Tubingenſes iniquiſſime impactam;* anno 1724. 4. ſine loci mentione. Eodem deinceps labore perfunctus eſt ERNESTVS LEOPOLDVS FRIDERICVS BEHMIVS, cuius *interpretatio locorum quorumdam, quae in beato Luthero aliisque theologis ſaeculi reformationis nonnullis difficultatem in articulo de praedeſtinatione habere videntur*, cum *praefatione* IOAN. LAVRENTII MOSHEMII, theologi Helmſtadienſis celeberrimi, prodiit Helmſtadii anno 1729. 4. In ea primum ipſius LVTHERI quaedam, praeſertim ex libro eius *de arbitrio ſeruo* petita, tum & IO. BVGENHAGII, VRBANI REGII, IO. BRENTII, ANDREAE ALTHAMMERI, ANTONII CORVINI, IO. AGRICOLAE, quem tamen minime dignum cenſet, qui inter theologos Lutheranos referatur, IACOBI HEERBRANDI, TILEMANNI HESHVSII, SIMONIS PAVLI, CHRISTOPHORI CORNERI, TIMOTHEI KIRCHNERI, MARTINI CHEMNITII effata, in quibus gratiae particularis defenſores praeſidium aliquod inuenire ſibi videntur, vindicat, eaque in alienum ſenſum detorqueri oſtendere adnititur. Ad IOANNEM PANDOCHEVM nimirum, cuius antea facta eſt mentio, BEHMIVM reſpicere, IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS in *praefatione* nos condocet, idque adeo agere, vt veterum theologorum loca, quae in partes ſuas PANDOCHEVS traxerat, per interpretationem legitimam illi iterum eripiat. Addit idem vir doctiſſimus: *Recte an ſecus vbique de mente & ſententia veterum doctorum iudicauerit, non mihi licuit, cui parum ſuppetit otii exquirere; inſtitutum vero ipſum laudandum eſſe, illud vero etiam multo laudabilius, quod relictis omnibus ambagibus, rem ipſam placide tractauerit, & ſeruatoris noſtri memor, modeſtiae & pacis amori omnia dederit, mecum fatebuntur omnes, qui ſapiunt.* Mea quidem opinione id maxime conſiderandum, LVTHERO aliisque eiusdem temporis theologis rem fuiſſe cum Romanae eccleſiae addictis, qui, naturae viribus plus, quam decet, in ſpiritualibus tribuentes, Pelagii premebant veſtigia, quod & ſpeciatim DESIDERIVM ERASMVM, Roterodamenſem, quocum ſpeciatim LVTHERO pugnandum fuit, feciſſe conſtat. Quid itaque mirum, ſi idem illis interdum contigerit, quod AVGVSTINO, cum Pelagianis diſputanti, vt ad alterum pauliſper extremum declinantes parum commode loquuti ſint? Idem & de illis, qui cum MATTHIA FLACIO, ſynergiſtis, naturae viribus itidem plus, quam decet, dantibus, ſe opponebant, cenſendum.

p. 1048. Legendus quoque de eo &c.) Iungenda, quae in *addendis* ad *capitis* huius §. *X. p. 1230.* dicta ſunt.

p. 1070. Eo nimirum Gerhardus diſputandi vſus eſt genere) De eo plura diximus ad §. *X.* huius *capitis p. 1161.*

Digitized by Google

p. 1078. contra Ioannem Vorſtium) Vir hicce cetera doctiſſimus & ob varia ingenii monumenta in philologicis, criticis, hiſtoricis, edita, & nobis quoque ſubinde laudata celeberrimus, a noſtratibus ad reformatorum caſtra transiit. Legenda, quae de eo obſeruat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica*, in *notis ad epiſt. XLI. p. 174.*

p. 1083. aperte & cordate more ſuo Bellarminum &c. redarguit Ioan. Launoius) IO. LAVNOIVS, Conſtantienſis, theologus Pariſienſis, inter maximos, quos eccleſia Romana contra ſe ipſum habuit, veritatis teſtes referendus eſt. Dignaque prorſus eius tum ob eruditionem, antiquitatis cumprimis eccleſiaſticae exquiſitam notitiam, tum ob candorem, qui in illis elucet, & ſingulare veritatis ſtudium, quae euoluantur, diligenterque legantur ab omnibus. Recte ANTONIVS REISERVS, in *praefatione* iam laudati operis eum *theologum Pariſienſem & Sorboniſtam inter ſuos iure ac merito celeberrimum, curiae Romanenſis & eorum, quae ibi aduerſus ſcripturam & antiquitatem orthodoxam publice docentur, & absque vllo rubore agantur, hoſtem curatum & irreconciliabilem*, adpellitat. Exſtat *elogium* eius, vna cum *eiusdem notationibus in cenſuram duarum propoſitionum A. A. D. S.* Londini anno 1685. 8. Encomia, quibus alii viri docti LAVNOIVM ornarunt, diligenter collegit GEORGIVS SERPILIVS, in commentatione, qua *ad rariſſimorum Ioannis Launoii, Pariſienſis theologi, opuſculorum editionem nitidiſſimam, ſubſcriptionibus ſuis promouendam aequos hiſtoriae eccleſiaſticae & teſtium veritatis aeſtimatores inuitat*, Ratisbonae edita anno 1719. 4. Fieri autem aliter non potuit, quin iſto candore ſuo multorum odium & inuidiam ſibi conciliaret, vnde & variorum cenſuras atque ſiniſtra expertus eſt iudicia. Et ANTONIVS quidem REISERVS, dum eum, ceu teſtem & confeſſorem veritatis euangelico-catholicae, ſiſtit, ſimul contra CHRISTIANVM LVPVM, Louanienſem, IMMANVELEM A SCHELSTRATE, Antwerpienſem, NATALEM ALEXANDRVM, Pariſienſem, DOMINICVM GALESIVM & FRANCISCVM MARCHESIVM, Romanos, vindicat. Quae NATALIS ALEXANDER reprehenſione, immo ſeueriori caſtigatione digna in LAVNOIO cenſuit, collegit & exhibuit ELIAS VEIELIVS in *diſſertat. iſagogica in ſelecta hiſtoriae eccleſiaſt. capita Natalis Alexandri &c. artic. III. §. XXX. p. 99. ſeqq.* Addi his merentur, quae ADRIANVS BAILLETVS, IO. MABILLONIVS, IVSTVS FONTANINVS, IO. CIAMPINVS, non aeque omnia illi honorifica de eo pronuntiarunt, quae GEORGIVS SERPILIVS refert *l. c. p. 9.* Immo THEOPHILVS RAYNAVDVS eo vsque progreſſus eſt, vt eum impiis atheisque adiungere non dubitauerit, in *antemurali aduerſus fortia ingenia tom. VIII. operum p. 142.* Nec mitius haud dubie de eo cenſuerunt alii. Eo certe reſpicere videtur auctor *elogii* eius, quod Londini prodiiſſe, antea diximus, quando ſcribit: *credi vix poteſt, quantam initio inuidiam his ſcriptis,* quibus fabulas quasdam, in eccleſia Romana receptas, proſcripſerat) *in ſe conſtauerit. Licet enim antiquam atque adeo genuinam traditionem propugnaret, eiusque fidem, vt ipſe ſaepe ad locum Tertulliani alludens dicere ſolebat, ex temporibus adſereret; tamen qui hiſtorias, quas expungebat a teneris annis imbiberant, quiue illas credulae plebi non ſine aliquo commodo ſuo ingerebant, eas ſibi eripi aegre patiebantur, nec qui id tentaſſet, mitius incuſabant, quam firmiſſima religionis fundamenta conuellere decreuiſſet.* Addit autem: *Vicit autem inexpugnabili conſtantia Launoius hominum imperitorum & male feriatorum importunas inofficioſasque querelas*

relas

Digitized by Google

relas, & aniles eorum fabellas ita reuicit, vt nullum iam patronum inueniant inter eos, qui aliqua cura veritatem indagant, multo pauciores, quam antea apud vulgum, & apud eos, qui ne litteras quidem norunt; p. 10. Scriptorum, a LAVNOIO editorum, indicem exhibet IO. ALB. FABRICIVS in *praefatione*, IO. MABILLONII *itineri germanico*, & IO. LAVNOII *de ſcholis celebrioribus a Carolo magno &c. inſtauratis, libro*, ipſius cura ſtudioque recuſis, *praemiſſa*, ſed plenius GEORGIVS SERPILIVS *l. c. p. 12. ſeqq.* Ea autem, quae LAVNOIO oppoſita fuerunt, recenſet IO. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica* ad *epiſt. LXXVI. p. 311.* Quae eo magis obſeruatu digna ſunt, quo luculentius inde patet, quantopere candor eius nonnullis Romanae eccleſiae addictis diſplicuerit. Dudum viri docti optarunt, vt omnia LAVNOII ſcripta iunctim ederentur; ſed voto huic hucusque euentus non reſpondit. GVIL. ERNESTVS TENTZELIVS equidem ſpem orbi litterato fecit, ea Francofurti excuſum iri, in *denen monatl. Vnterredungen M DC XCIV. menſe Ianuar. p. 86.* quod cum factum non eſſet, curam eius rei GEORGIVS SERPILIVS in ſe ſuſcepit, eumque in finem commentationem iſtam non ſemel nobis laudatam euulgauit. Quemadmodum autem & iſta, quantum mihi conſtat, editio lucem non adſpexit, ita an adſpectura ſit, poſtquam rebus mortalium auctor ereptus eſt, dies docebit. Si enim eiusmodi quid ei contingeret, a reuerendo eccleſiae euangelicae Ratisponenſis miniſterio inchoata perfici voluit. Interim ex epiſtola quadam *bibliothecae italicae* (quae lingua Gallica Geneuae haud ita pridem edi coepit) *tomo II. artic. VIII. p. 265. ſeqq.* inſerta didici, opera LAVNOII Geneuae imprimi; cuius editionis *proſpectum*, priusquam prodeat, ſe daturum, epiſtolae iſtius auctor promiſit. Ex iſto autem *proſpectu*, haec ibidem de LAVNOIO recitat verba: *Non neſcimus Launoium audire petulantem criticum ſanctorum euerſorem. Audaciori criticae quandoque indulſiſſe, nec ſemper iuiſſe medio tutiſſimum, concedimus. Qui fieri poterat, vt intacta fere argumenta pertractaturus nusquam a veri tramite diſcederet? Illud eo magis ignoſcendum, quod rigido potius auſteroque nimis veritatis amore, quam ſuperba carpendi quaecumque prurigine peccaſſe videatur. Quamobrem tantum abeſt, vt hic Launoio ſuccenſeamus, non improbanda aliorum exempla alibi aemulaturi, vt potius gratulemur ei audaciam ſuam, dum ſcilicet natam hinc vtilitatem attendimus. Si timidi critici partes egiſſet Launoius, torperet etiamnum eiusmodi quaeſtiones perſcrutandi ſtudium.* Eminent autem inter ſcripta LAVNOII *epiſtolae* eius (quae rectius diſſertationes dici poterant) ad amicos de variis capitibus, ad antiquitates praecipue eccleſiaſticas ſpectantibus, primum Pariſiis anno 1664. octo voluminibus 8. editae; deinceps vnico volumine recuſae Cantabrigiae 1689. fol. Praeter *indices quatuor* in hac editione acceſſit *praefatio apologetica pro reformatione eccleſiae anglicanae a viro admodum reuerendo* (GVIL. SAYWELL) *conſcripta, in qua agitur de auctoritate & vſu catholicae traditionis & oecumenicorum conciliorum, eorumque cum ſacris ſcripturis conſenſu, prout in epiſtolis Launoii fuſius explicatur.* Ad ANTONII REISERI opus, quo IO. LAVNOIVM teſtem & confeſſorem veritatis euangelico-catholicae exhibet, id adhuc addendum, editionem iſtam, quam laudauimus, Amſtelodamenſem, tot vitiis typographicis contaminatam eſſe, vt lectoribus etiam harum rerum non prorſus imperitis inde impedimentum aliquod adferri queat. Hoc iam obſeruatum GVIL. ERN. TENTZELIO *l. c. M DC XCIV. menſe Febr.*

V 2 *p. 162.*

p. 162. ex quo & hoc repetit GEORGIVS SERPILIVS *l. c. p. 19.* Auctores, qui vitam REISERI dederunt, indicat, & alia quaedam de eo obſeruat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtol.* in *notis ad epiſt. LXIX. p. 275.* Conferenda & quae ad ſequentes REISERI epiſtolas idem vir doctus ſubinde adnotauit.

p. 1083. Magis adhuc irritauit Gallos &c.) De controuerſia, quae BELLARMINO cum GVIL. BARCLAIO interceſſit, ſcriptisque eo ſpectantibus conferenda, quae ex inſtituto ſupra diximus ad *libri* huius *cap. V. §. X. p. 724.* & in *addendis* ad *iſtum locum.*

p. 1085. huncce Rainoldi librum inter ſcripta eruditiſſima refert &c.) Conſentiunt & alii. Hoc opus omnium recte ſentientium adplauſu exceptum fuiſſe, quibus ſingularis viri eruditio non probari non potuerit, recte pronuntiat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *notis ad Caſauboniana p. 214.* vbi plura de eodem, vt & certamine IO. RAINOLDI cum fratre WILHELMO lectu non indigna.

p. 1104. cum & ille pacis & concordiae eccleſiaſticae ſtudium &c.) De hocce pacis & concordiae eccleſiaſticae ſtudio, quo HVGO GROTIVS flagrauit, copioſe differit, ita vt iſtud ſimul laudet, eiusque hac in re defenſionem in ſe ſuſcepit auctor *vindiciarum Grotianarum*, quae Lipſiae anno 1727. 8. prodierunt *part. II. p. 530. ſeqq.* Nimirum non poſſe iſtud pacis ac concordiae eccleſiaſticae a quoquam vituperari ſtudium exiſtimat, eo, quod I) ipſum hoc ſuadeat naturale lumen, quod ad ſocietatem colendam hominem natum eſſe doceat; II) theologia quoque naturalis hoc commendet; quod dum ex mente GROTII ediſſerit, *indicabat*, inquit, *quamuis eſſent variantes de Deo ſententiae, Deum tamen tam diuerſa ac diſpari opinionum ratione ſuam velle gloriam illuſtrare, quo ſinguli diuinam maieſtatem magis reuereantur, &c.* III) Scriptura porro ſacra veteris ac noui teſtamenti, ipſius Dei exemplo ad lenitatem erga diſſentientes humanitatemque ac fraternum amorem homines adducere adnitatur; id quod & IV) ex veteribus ATHANASIVS, ARNOBIVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS, VINCENTIVS, Lerinenſis; ex recentioribus IO. CALVINVS, GVIL. PERKINSVS, IACOBVS AVGVSTVS THVANVS, HIERONYMVS OSORIVS, PETRVS DANIEL HVETIVS, aliique agnoſcant. Haec auctor iſte doctiſſimus tam eleganter proponit, vt lectu omnino digna ſint. Facileque in eo omnium conſenſum impetrabit, pacis & concordiae ſtudium ſatis commendari non poſſe; ſed tum demum, quando nulla cum eo coniuncta eſt veritatis iactura. Ad HVGONEM GROTIVM equidem quod attinet, de eo auctor ita pronuntiat: *Laudabilem ergo ſeſe operam ſuſcipere, noſter etiam, pacis & concordiae chriſtianae longe amantiſſimus, Grotius exiſtimauit, vt ad vnienda conſopiendaque religionum diſſidia cogitationes ſuas leniores, ſtudiaque ſua humanitatis plena conferret, prout ipſe hoc innuit*, ILLAESA TAMEN VERITATE *addens*; *p. 545. 546.* At hoc ipſum forte vir ille doctiſſimus non omnibus perſuadebit, conſilia iſta aut placita GROTII *illaeſa veritate* locum inuenire potuiſſe. Ceterum ſcripta occaſione *adnotatorum* GROTII in conſultationem GEORGII CASSANDRI vtrinque in lucem emiſſa, eorumque editiones accurate recenſet idem auctor *p. 826. ſeqq.*

p. 1107. Refutarunt eum &c.) Conferenda & quae hac de re dicta ſunt *lib. II. cap. II.* ad *§. XI. p. 467.* & in *addendis* ad *h. l.*

ibid. Reliqua, quae de eiusmodi ſcriptoribus &c.) Prae reliquis adhuc commemorari potuiſſet ROCCVS DE SPINOLA,

Digitized by Google

NOLA, epiſcopus Tirenſis & primas Croatiae, qui haud leuem ſtrepitum dedit, cum itinere, anno 1682. per aulas principum proteſtantium ſuſcepto, noua concordiae eccleſiaſticae inter proteſtantes ac pontificios ſanciendae conſilia propoſuit; quae ita comparata erant, vt nec proteſtantibus placerent, nec ipſi pontifici probari vnquam poſſe prudentiores iudicarent; vnde mirum non eſt, iſtos in fumum abiiſſe conatus. Data interim nonnullis occaſio fuit iſta conſilia ſub examen reuocandi, magno labore nihil eos agere, qui Romanentes cum proteſtantibus, hoc eſt, tenebras cum luce in concordiam redigere volunt; conf. ANDREAS CAROLI in *memorabilib. eccleſiaſt. ſaeculi XVII. lib. IX. cap. XVI. p. 297. ſeqq.* IO. FRID. MAYERVS in *ſyllabo ſcriptor. praecipuor. qui Romam reconciliabilem voluerunt p. 59.* PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS in *denen theologiſchen Bedencken part. III. cap. VI. artic. I. diſt. IV. ſect. XV. p. 570.* cumprimis autem *part. IV. cap. VII. artic. I. ſect. XXXI. p. 141. ſeqq.* IO. GEORGIVS WALCHIVS in *der hiſtoriſch vnd theologiſchen Einleitung &c. cap. III. ſect. I.* ad §. *XV. p. 216.* vbi & obſeruat, reſpicere huc SAMVELEM PVFENDORFIVM in *iure feciali diuino* §. *XIII. p. 52. ſeqq.*

p. 1110. Nec omittendus hic Valerianus Magnus &c.) Addenda hic omnino, quae de hocce auctore obſeruat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *deliciis epiſtolicis not. ad epiſt. LXIII. p. 286.*

p. 1113. vir vtique doctus & linguae latinae pariter ac graecae peritus &c.) Laudat quoque hoc nomine OECOLAMPADIVM ISAACVS CASAVBONVS. *Hodie*, inquit, *Oecolampadii dialogum de ſacramento eucharistiae, & miratus ſum hominis doctrinam ac peritiam patrum graecorum*; in *Caſaubonianis p. 10.* Alios adhuc, qui eruditionem in OECOLAMPADIO agnouerint, & promeritis ornauerint laudibus, interque eos GEORGIVM SPALATINVM, commemorat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *notis ad Caſauboniana p. 215.* vbi & LVTHERVM ſcripſiſſe obſeruat, *ſe ex corde dolere tantum virum captum friuolis & nihili argumentis.*

p. 1118. Sed & cum Hadriano Sarrauia &c.) HADRIANVM huncce SARRAVIAM, Caluini coetui primum addictum, muneribus publicis in variis Belgii eccleſiis defunctum fuiſſe, quarum doctrinam ſcriptis etiam propugnauerit; deinde facto in Angliam tranſitu, Caluino & Bezae non admodum fauiſſe, obſeruat IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *notis ad Caſauboniana p. 251.* Ipſimet CASAVBONO SARAVIAS *non obſcuri nominis vir in Anglia*; porro *homo admodum eruditus publicae pacis & concordiae in eccleſia Dei cumprimis ſtudioſus*, audit, in *Caſaubonianis p. 43.* vbi & quaedam eius de THEODORO BEZA effata obſeruatu digna refert.

p. 1122. Et initio quidem cum ipſo Roberto Bellarmino &c.) Hiſtoriam controuerſiae huius inter IACOBVM, Angliae regem & ROB. BELLARMINVM, cardinalem, diligenter quoque enarrat IOAN. WOLFGANGVS IAEGERVS in *hiſtoria eccleſiaſt. & polit. ſaeculi decimi ſeptimi, decennio I. lib. IX. cap. V. p. 126. ſeqq.* Iungenda & quae ipſimet ſupra diximus *cap. V.* huius *libri* ad §. *X. p. 724.* praeſertim & in *addendis* ad *h. l.*

ibid. in tortura Torti &c.) De hocce LANCELLOTTI ANDREAE libro ISAACVS CASAVBONVS ita pronuntiat: *Mira elegantia vir doctiſſimus quisquilias, naenias & ineptias, immo aliquando impias blaſphemias Bellarmini confutat, &c.* in *Caſaubonianis p. 6.* MARTINVM BECANVM, quem contra LANCELLOTTVM ANDREAM ſcripſiſſe diximus,

diximus, iterum a RICHARDO THOMSONIO & ROBERTO BVRHILLO refutatum obſeruat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *notis* ad *Caſauboniana p. 208.* De libro, quem NIC. COEFFETEAV; ſiue COEFFETELLVS Angliae regi IACOBO oppoſuit, vid. IO. WOLFGANGVS IAEGERVS *l. c. p. 130.*

p. 1140. Peculiare etiam Mareſio certamen fuit cum Hugone Grotio &c.) Hiſtoriam litterariam huius controuerſiae accurate exhibet PETRVS ZORNIVS, in *opuſculis ſacris, tom. I. p. 619.* Scripta quoque huc ſpectantia recenſet auctor doctiſſimus *vindiciarum Grotianarum*, quae Lipſiae anno 1727. 8. prodierunt *p. 824. ſeqq.*

p. 1156. nemo tamen maiori id egit conatu, quam Ioannes Duraeus &c.) Varia ad hiſtoriam litterariam conatuum irenicorum IO. DVRAEI ſpectantia exhibet IOANNES HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica* in *notis ad epiſt. XXXVIII. p. 170.* vbi & de IOANNE MELLETO, DVRAEI in negotio irenico ſocio, quaedam obſeruat. Addenda & quae iam ſupra diximus, cum de IO. HVLSEMANNO verba faceremus ad §. *VIII.* huius *capitis p. 1072. ſeqq.*

p. 1157. Cum autem magnus adhuc ſuperſit eorum numerus, qui ſpeciatim cum certo hoſtium &c.) Cum in praecedentibus viros eruditione & celebritate conſpicuos, qui ſcriptis polemicis cuiuscumque generis inclaruerunt, enarrauerimus; hic vero ad ipſas controuerſias accedamus, libros quosdam, quorum in iis vſus praecipue eſſe poteſt, indicaturi; praemitti illis potuiſſent, qui generatim de controuerſiis theologicis praecipiunt, atque aut omnes aut pleraſque, quae nobis cum iis, qui ab eccleſiae noſtrae diſſentiunt ſacris, intercedunt, complectuntur. Etſi enim in ſyſtematibus theologicis, praeſertim maioribus, vt IOAN. GERHARDI, ABRAHAMI CALOVII, aliorumque, controuerſiarum omnium quoque ratio haberi ſoleat: nonnulli tamen, miſſa dogmatum explicatione, controuerſias tantum tractant, vt beatus FRIDEMANNVS BECHMANNVS, in *theologia polemica*, ZACHARIAS GRAPIVS, in *theologia recens controuerſa*, eiusque *continuatione*, IO. FABRICIVS, in *conſideratione controuerſiarum, quae euangelicos inter & romano-catholicos, reformatosque agitantur*; & reliqui, quos laudat IO. GEORG. WALCHIVS, in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten cap. I.* ad §. *XIV. p. 24. ſeqq.* Addere iis licebit CHRISTIANI AVGVSTI HAVSENI *Religions-Prüfung, welche von der natürlichen Religion leitet zu der chriſtlichen &c.* Dresdae anno 1724. 4. Eo enim in opere auctor non tantum de chriſtianae, ſpeciatim euangelicae, religionis veritate agit; ſed & de erroribus, eidem oppoſitis, fuſe diſſerit.

p. 1158. Nonnullos enim ex iis - - - non infeliciter contra Romanenſes pugnaſſe &c.) Eorum praeſertim, qui lingua gallicana hoc fecerunt, haud exiguus eſt numerus. Laudat pleroſque CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtr. part. II. lib. III. p. 100. ſeqq.* Iungendus iis vir ingenio & doctrina hodie florentiſſimus IACOBVS SAVRINVS, ob librum, quem inſcripſit: *L'etat du chriſtianiſme en France diviſé en trois parties, ou lettres, addreſſées aux catholiques Romains, aux proteſtans temporiſeurs, & aux deiſtes*; in cuius parte prima, quae Hagae Comitum anno 1725. 8. prodiit, ex inſtituto contra romanenſes diſputat, ſpeciatim autem, in quantas ipſi ſe coniiciant difficultates, dum viam auctoritatis viae examinis praeferunt, luculenter & egregie oſtendit.

p. 1161.

p. 1161. in Ioanne Launoio, teſte & & confeſſore veritatis &c.) Repetenda, quae ſupra ad §. *IX. p. 1083.* de IOANNE hocce LAVNOIO ex inſtituto diximus. Plures eiusmodi teſtes veritatis Gallia ſuppeditat. Omnes enim gallicanae libertatis defenſores, de quibus *cap. V.* huius *libri* ad §. *X. p. 725.* diximus, huc quodammodo referri poſſunt. Pauci tamen, ſiue eruditionem, ſiue animi candorem ſpectes, cum LAVNOIO ſunt comparandi. Locum etiam praeter alios hic ſibi vindicat VALERIANVS MAGNVS; de quo equidem ſupra dictum ad §. *IX.* huius *capitis p. 1110.* Sed copioſius, quae huius loci ſunt, ediſſerit IOAN. HENRICVS A SEELEN in *delic. epiſtolic. not. ad* §. *LXIII. p. 286. ſeqq.*

ibid. cum de Ioanne Gerbardo verba faceremus) ad §. *VIII. p. 1070.* Spectant huc etiam teſtimonia illa veritatis, quae ius canonicum ſuppeditat, de quibus dictum *cap. V. libri* huius ad §. *III. p. 754.*

p. 1162. Longe autem plura theologus hicce &c.) Huc & praeter alia ea adhuc pertinent, quae IOANNI SCHEFFLERO, qui ſub nomine CHRISTIANI CONSCIENTIOSI, emiſit *Send-Schreiben an alle euangeliſche Vniuerſitäten, in welchen er ſeine Gewiſſens-ſcrupel proponiret, vnd zu erörtern bittet 1) ob er in der Lutheriſchen Religion könne ſelig werden, weil ſie nicht die catholiſch iſt, in der allein ſecundum omnes doctores die Seligkeit zu hoffen? 2) ob dieienige die catholiſche ſey, die ſo genennet wird, oder ſo es die nicht iſt, welche es dan ſey?* &c. oppoſuit, de quibus vid. IOAN. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica not. ad epiſt. LXXXII. p. 348.*

p. 1164. legent Sinceri Euangelici, vt vir quidam doctus vocari voluit &c.) Poſtea idem SINCERVS EVANGELICVS, aut potius, qui ſub hocce nomine latet, HENR. WOLFGANGVS FRATSCHERVS, pro defenſione libelli memorati, itidem cum praefatione mea edidit *Sieg der euangeliſchen Wahrheit, in abgenoethigter Rettung der Schrifftmaeſſigen Prüfung des Roemiſch-catholiſchen Glaubens-Bekaentniſſes &c.* Ienae 1725. 8.

p. 1166. Auctores, qui hiſtoriam iſtarum litium tradiderunt &c.) Spectant huc etiam iſti, qui notitiam ſcriptorum, a remonſtrantibus editorum, ſuppeditant, quod non ita pridem ADRIANVS A CATTENBVRGH praeſtitit, in *bibliotheca ſcriptorum remonſtrantium*, Amſtelodami anno 1728. 8. edita. Atque is quidem in *praefatione* inſtituti ſui rationem, minime contemnendam, exponit. Cum enim quosdam, qui eiusdem generis bibliothecas condiderunt, & de quibus a nobis quoque ſupra ſuo loco dictum eſt, commemoraſſet, *verum*, inquit, *cum remonſtrantium libris hoc factum contingat, vt in exteris oris non exiguam beneuolentiam experiantur, me non ingratam operam praeſtiturum confiſus ſum, ſi indicem ſcriptorum ſocietatis noſtrae, in ſtudioſae noſtrae iuuentutis commoda concinnatum, in apertum producerem. Dum maiores noſtri nihil antiquius duxerint, quam popularium ſuorum, inprimis gregis ſuae curae commiſſi aedificationem promouere, plurimas ſuas ſcriptiones lingua noſtra vernacula promulgarunt, nec male librorum lectores ſuos obruere ſtuduerunt, ſed dilucide & breuiter ſententias ſuas illis proponere. Hinc varia ſcripta, egregio licet acumine & ſolidiſſimo iudicio exarata, ad illorum notitiam, qui Batauorum linguam non callent, minus potuerunt peruenire, & deferuente diſputandi ſtudio, etiam in ipſa patria noſtra obliuioni tradi coeperunt.* Hinc cum indicaſſet, quam enixe ſcriptorum IOANNIS VTENBOGARDI editionem & in vnum aliquod corpus collectionem HVGO GROTIVS efflagitaſſet, ſubiicit:

iicit: *verum cum optatus ille ſucceſſus Grotianis illis poſterioribus votis non reſponderit, vel ſola ſcripta huius viri expoſtulant indicem, quo illorum recordatio excitata in poſterorum grata memoria vigeat, atque extraneis etiam commendetur.* Atque ita omnino ſe res habet, quod illorum, qui belgica lingua ſcripſerunt, notitia ad paucos, qui extra Belgium viuunt, peruenerit. Licet itaque auctor id tantum agat, vt indicem librorum a praeſtantibus inter remonſtrantes viris conſcriptorum, exhibeat; vſu tamen ſuo haecce eius bibliotheca non deſtituitur.

ibid. Vitam & ſcripta Arminii &c.) Scripta recenſet quoque ADRIANVS A CATTENBVRGH in *bibliotheca ſcriptor. remonſtrant. p. 4.*

p. 1167. Alter inter remonſtrantes locus debetur Simoni Epiſcopio &c.) Scripta eius diligenter quoque recenſet ADRIANVS A CATTENBVRGH in *bibliotheca ſcriptor. remonſtrant. p. 60. ſeqq.* Non minoris tum auctoritatis tum celebritatis, quam EPISCOPIVS inter remonſtrantes fuit IOANNES VTENBOGARDVS, etſi libri eius, belgica quippe lingua ſcripti, non adeo noti ſint. Conferendus autem de iis omnino CATTENBVRGHIVS *l. c. p. 60. ſeqq.*

ibid. Nec tamen ſolus Bodecherus conſenſum cum Socinianis &c.) Hunc autem conſenſum vt a ſe amoliantur remonſtrantes, omnem mouent lapidem. Cumprimis hoc etiam non ita pridem egit ADRIANVS A CATTENBVRGH, vtpote qui *bibliothecae* ſuae *ſcriptorum remonſtrantium*, antea memoratae, ſubiunxit *ſpecimen controuerſiarum inter remonſtrantes & Socinum eiusque adſeclas, exhibitum ipſiſſimis ſcriptorum verbis.* In praecipuis enim, quae hic in cenſum veniunt, controuerſiis, diſſenſum remonſtrantium & Socinianorum, ipſis praecipuorum vtriusque partis prolatis verbis demonſtrat. In *praefatione* quoque multa, quae huc ſpectant, diſſerit, & ſcripta remonſtrantium, quibus hancce, quam vocat, calumniam a ſe depellere voluerunt, laudat. Illis quoque acriter ſe opponit, qui diſcrimen inter veteres & nouos remonſtrantes conſtituunt. *Sed ſic eadem*, inquit, *fabula luditur, quae fuit acta paucis poſt ſynodum annis. Ante conuentum remonſtrantibus crimen impingebatur, quod placita Socini de trinitate, diuinitate filii, ſatisfactione Chriſti, magiſtratus officio &c. vtroque pollice probarent. Quicquid illi in contrarium dicerent, ſcriberent, orarent, ſurdis narrabatur. Cum ſe ſiſterent parati de hisce coram ſynodo ſe purgare, nemo de crimine illo vel hiſcere eſt auſus. Patres iudicium tulerunt de ſolis quinque articulis controuerſis. Sed vix triennium effluxerat, quin audita fuerit eadem cantilena, Socinum totum ſub quinque articulis abſcondi. Haec continue repetitur. Meram illam fuiſſe calumniam, qua obtrectatores maiorum noſtrorum fidem ac probitatem laceſſebant, nemo non videt illos aperto ore confiteri, qui illud diſcrimen iactant inter veteres ac nouos remonſtrantes. Sed cum hoc ipſum nullo fundamento nitatur, idque diſcrimen plane ſit fictitium, parem cum maioribus iniuriam nobis inferri merito conquerimur.* At vero eſſe inter remonſtrantes, qui paullo propius ad Socinianos accedant, quam alios, fruſtra negatur.

p. 1168. merito excipit Stephanus Curcellaeus &c.) Et huius ſcripta recenſet ADRIANVS A CATTENBVRGH in *bibliotheca ſcriptor. remonſtrant. p. 48. ſeqq.*

ibid. Addendus denique hisce PHILIPPVS A LIMBORCH *&c.*) Dum ADRIANVS A CATTENBVRGH ſcripta LIMBORCHII recenſet, inter alia obſeruat, *relationem* iſtam *hiſtoricam de origine & progreſſu controuerſiarum in foederato*

foederato Belgio, de praedeſtinatione, quae vltimae editioni *theologiae* eius *chriſtianae* acceſſit, in linguam quoque belgicam translatam, atque Amſtelodami anno 1715. 8. excuſam eſſe cum ampliſſima praefatione in defenſionem remonſtrantium contra calumnias, vt loquitur, D. IACOBI FRVITIER in libro eius, cui titulus: *Sions Warſtelingen*, hoc eſt, *luctae Sionis*. Celebriores adhuc, praeter eos, quos commemorauimus, inter remonſtrantes, qui & ſcriptis huc ſpectantibus inclaruerunt, ſunt GERARDVS BRANDT, cum tribus filiis, CASPARO, GERARDO & IOANNE, NICOLAVS GREVINCHOVIVS, ARNOLDVS POELENBVRGIVS, DANIEL TILENVS, quorum ſcripta itidem commemorat, quem iam laudauimus, ADRIANVS CATTENBVRGHIVS, *l. c. p. 19. ſeqq. p. 75. ſeqq. p. 115. ſeqq. p. 130. ſeqq.* Atque TILENVS quidem initio haud vltimus inter eos fuit, qui ſe Arminio oppoſuerunt; quo tempore & *ſyntagma* ſuum *diſputationum theologicarum in academia Sedanenſi habitarum* euulgauit, cuius editio quarta, quae reliquis praeſtantior iudicatur, Harderuici anno 1656. prodiit. Deinceps autem, in *praefatione*, quam *controuerſiarum in belgicis eccleſiis hodie feruentium hypotypoſi dialogiſticae*, praemiſit, quicquid in iſto ſyntagmate in gratiam contraremonſtrantium dixerat, retractauit, immo ipſum iſtud ſyntagma totum fere, hisce reiecit verbis: *Editum eſt a me ante annos viginti ſex, & quod excurrit ſyntagma theologicum ab illo tempore diuerſis in locis me inſcio recuſum; in cuius plerisque paginis non pauca occurrunt, quae Stoicorum & Manichaeorum potius, quam Chriſti & apoſtolorum diſciplinam redolere certus ſum. Erat animus, opus illud incudi reddere, auerruncatisque Geneuenſis ſcholae placitis ad antiquae veritatis obruſſam omnia exigere; quod conſilium, quoniam adfecta iam aetate, & valetudine ex animi mei ſententia exequi non licet, idcirco totum illud opus vna iam litura induco, ac tamquam infelicem foetum abdico & abiicio; haud ignarus iuuentutem non tam erudiri iis, quae bene dicta, quam inſici ſequioribus.* Haud ignotum ceteroquin in controuerſiis remonſtrantium eſt CONRADI VORSTII nomen, cuius tamen CATTENBVRGHIVS nullam in *bibliotheca* ſua mentionem fecit, etſi duos eius filios GVERNERVM & GVILIELMVM commemorat *p. 135.* Haud dubie locum illi inter remonſtrantes concedere noluit, quem inter antitrinitarios ei dedit CHRISTOPHORVS SANDIVS in *bibliotheca antitrinitariorum p. 98.*

p. 1169. Ioan. Arnoldus Coruinus &c.) Lugdunenſis Batauus, in vrbe patria concionator, ex illorum numero fuit, qui coram ſynodo Dordracena comparere iuſſi ſunt; poſtea iurisprudentiae operam dedit, ſcriptisque quibusdam eo ſpectantibus itidem innotuit; conf. ADRIANVS A CATTENBVRGH *l. c. p. 45.*

p. 1172. Ad vitam & fata Serueti quod attinet &c.) Nemo in rebus & fatis MICHAELIS SERVETI enarrandis maiori cura & diligentia verſatus eſt, quam IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, aut, ſi mauis, HENRICVS AB ALLWOERDEN, quippe qui illo praeſide *hiſtoriam Michaelis Serueti*, per modum diſputationis academicae, Helmſtadii 1727. publicae luci expoſuit. Ex ea ſi quaedam, quae mihi maxime obſeruatu digna viſa ſunt, adferam; nonnulla etiam adiiciam, non abs re id fore, nec ab inſtituto noſtro alienum exiſtimo. In *prooemio* eos commemorat, qui in hiſtoria SERVETI conſcribenda induſtriam ſuam collocarunt, aut ei aliquid lucis adfundere poſſunt. PETRI HYPERPHROGENI, Gandauenſis, *hiſtoriam manuſcriptam de Serueto & eius morte* CHRISTOPHORVS

SANDIVS commemorat in *bibliotheca anti trinitariorum p.* 7. in quam ANDREAM VOIDOVIVM *notas* ſcripſiſſe, idem SANDIVS auctor eſt *p. 92.* IO. CALVINVS in *fideli expoſitione errorum Serueti,* ita de dogmatibus SERVETI agit, vt multa etiam de vita, morte & moribus eius adſpergat. *Cuius tamen narrationibus,* inquit auctor, *quum ab infenſiſſimo Serueti aduerſario profectae ſint, fides fortaſſis non ſemper habenda erit.* Hinc cum & in *epiſtolis* CALVINI itemque *vita* eius, a THEODORO BEZA ſcripta, nonnulla, quae huc faciant, inueniri, velut in tranſitu monuiſſet, CONRADVM SCHLVSSELBVRGIVM toto *libro XI. catalogi haereticorum,* copioſiſſime de SERVETO eiusque doctrina expoſuiſſe, obſeruat, ſed ita vt *multa admiſceat aliena, nec tam vitam deſcribat hominis, quam dogmata, Caluino potiſſimum duce, exponat ac refellat.* Iungendum hisce cenſet HIERONYMVM BOLSECVM, qui in *vita Caluini,* quam huic *parum honorificam* vocat, ſimulque adeo, quantum hac in re illi tribuendum ſit, ſignificat, ſingularia quaedam de SERVETO memoret; quam quidem CALVINI *vitam* a BOLSECO ſcriptam IOANNES ENGERDVS, profeſſor Ingolſtadienſis, cum aliis eius generis libellis germanice verterit, & ineptiis non paucis auxerit, qua de re plura in *notis* ſuppeditat. Ad ſaeculum XVII. dum progreditur, recte docet, eo ineunte, cum in Belgio Arminianae lites feruere inciperent, multos in hiſtoriam eius accuratiori, quam antea factum, ſtudio inquiſiuiſſe. Iis enim, qui IO. CALVINI doctrinam de praedeſtinatione odio habebant, nihil fuiſſe antiquius, quam vt omnibus eum modis infamarent; quumque nihil famae eius magis nocere poſſe intelligerent, quam facinus illud, quod in SERVETO admiſit, in eo exaggerando valde fuiſſe laborioſos; acuiſſe ſtudium hominum IOANNEM CVCHLINVM, qui Leydae doctrinam CALVINI de haereticis capitis ſupplicio adficiendis publice defenderit, IOANNEM BOGERMANNVM, qui librum THEODORI BEZAE *de haereticis puniendis,* belgice verterit, & multos, qui tum publice contenderint, exurendos, & ſecuri percutiendos eſſe haereticos, immo fuiſſe ex horum numero, qui anno 1607. effigiem SERVETI Amſtelodami apud CHRISTOPHORVM A SICHEM aere exprimendam curauerint, adiecta eius hiſtoria aut potius pro IO. CALVINO apologia; rurſus tamen ab altera parte ARMINII ſectatores libellos quosdam in lucem reuocaſſe, qui ſaeculo iam decimo ſexto contra CALVINVM occaſione ſupplicii SERVETI editi erant, vt *dialogus inter Vaticanum & Caluinum,* aut vt vera libri huius inſcriptio ſe habet: *contra libellum Caluini, in quo oſtendere conatur, haereticos iure gladii coërcendos eſſe* (de quo auctor copioſius in ipſa *diſſertatione p. 153. ſeqq.* verba facit) aliosque; nec depoſuiſſe Arminianos hoc erga CALVINVM odium & erga SERVETVM ſtudium, poſtquam iam eiecti erant, ſiquidem REINIERIVS TELLIERIVS eo amentiae proceſſerit, vt SERVETI libros *de trinitatis erroribus* belgice verteret, quod tamen eius factum SIMONI EPISCOPIO aliisque neutiquam probatum fuerit; qua de re plura in ipſa *diſſertatione* traduntur *p. 167. ſeqq.*) HVGONEM porro GROTIVM variis in ſcriptis, inprimis *voto pro pace,* CALVINVM ob hanc SERVETI cauſſam laceſſiuiſſe, cui ANDREAS RIVETVS ſatisfacere ſtuduerit; ſed & IOANNEM VYTENBOGARDVM hiſtoriam SERVETI, in *hiſtoria* ſua *eccleſiaſtica* non ſine dedecore CALVINI conſcripſiſſe, cui IACOBVS TRIGLANDIVS ex aduerſa factione occurrerit. Anti-trinitarios SERVETVM non praetermiſiſſe, vbi ſe occaſio de eo loquendi

loquendi illis obtulit, facile coniicere licet; hinc & STANISLAVS LVBIENICIVS, in *hiſtoria reformationis polonicae lib. II. cap. V. p. 96.* & CHRISTOPHORVS SANDIVS in *bibliotheca anti-trinitar. p. 6.* varia de eo commemorant. Et hic etiam auctor eſt, IOANNEM PREVSSIVM, Guba-Marchicum, *carmen polonicum* de morte SERVETI exaraſſe, quod tamen typis excuſum non eſt, *l. c. p. 163.* IACOBVS SPONIVS atque GREGORIVS LETI, vterque Geneuenſis hiſtoriae ſcriptor, fata SERVETI enarrarunt; ſed neuter eorum, iudice auctore noſtro, *aut erroribus caret, aut officio, quod ſuſcepit, ſatisfacit.* Plura equidem & meliora IO. IACOBVM HOTTINGERVM, in *hiſtoria eccleſiaſt. Heluet. tom. III. p. 545.* & *p. 801. ſeqq.* attuliſſe adſerit; ſimul tamen fatetur, ſibi nondum licuiſſe librum iſtum inſpicere. Palmam autem inter omnes MICHAELI DE LA ROCHE tribuit, quo nemo accuratius copioſiusque in hac hiſtoria verſatus ſit: *cui,* inquit, *quum ipſa iudicii acta, & pleroſque Serueti libros inſpicere licitum fuerit, longam Serueti hiſtoriam exarauit, quam primo aliquot epiſtolis comprehenſam in diario ſuo anglice ſcripto edidit, poſtea vero reiectis & demtis nonnullis, additis autem aliis, gallice vertit, ac bibliothecae, quam vocat, anglicae inſeruit. Hic vir doctus,* ita pergit, *etſi multa omiſerit, nonnullaque male narrauerit; multa tamen antea nobis ignota, inprimis ſupplices Serueti libellos, ſententias iudicum in eum latas, & alia in lucem princeps protulit.* Non ſine ratione auctor doctiſſimus quaedam in iſta MICHAELIS DE LA ROCHE narratione deſiderat: deſiderarunt alii & alia. Speciatim hoc fecit auctor, *adnotationum quarumdam de Michaele Serueto ad illuſtrationem eorum, quae in cl. viri de la Roche bibliotheca anglicana, tom. II. part. I. de eo nuper narrata ſunt,* quem SAMVELEM CRELLIVM, qui alias ſub ARTEMONII nomine latere voluit, eſſe accepimus; exſtant autem in *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi claſſe I. faſcic. V. num. IV. p. 739. ſeqq.* Non ſemel enim MICHAELEM DE LA ROCHE, praeſertim in dogmatibus SERVETI exponendis erraſſe, oſtendit, ſimulque ex libro SERVETI rariſſimo, quem *chriſtianiſmi reſtitutio* inſcripſit, multa ſingularia & obſeruatu digna in medium adfert. *Adnotationibus* hisce CRELLII iterum alias *adnotationes* addidit THEODORVS HASAEVS, in quibus inter alia, quaedam SERVETI adſerta, a CRELLIO ex libro antea laudato adducta, eiusmodi eſſe pronuntiat, *vt illa magiſtratus chriſtianus in Turca, vel Iudaeo, vel ethnico ſibi ſubiectis, nedum in homine inter chriſtianos nomen ſuum profitente impune ferre non poſſit.* Addit: *Neque fortiorem apologiam quemquam pro ſenatu Geneuenſi ſcribere poſſe puto, quam haec ipſa e Serueti ſcriptis exhibendo*; *p. 761.* Auctor porro diarii, quod inſcribitur: *bibliotheque raiſonnée des ouvrages des ſçavans de l'Europe*, non tantum adprobat, quod auctor diſſertationis, de MICHAELE DE LA ROCHE dixerat, *hic vir doctus multa omiſit, nonnullaque male narrauit;* ſed & haud obſcure ſignificat, eum talem non eſſe, quem quis tuto ſequi queat; *tom. I. part. II. artic. VIII. p. 369.* hinc & in ſequentibus eum ſubinde refellit. Ex noſtratibus, qui res & fata SERVETI attigerunt, auctor *diſſertationis* adhuc laudat PETRVM ADOLPHVM BOYSEN, qui *hiſtoriam Serueti* diſſertatione academica complexus eſt, Wittebergae anno 1712. 4. itemque IOANNEM HENRICVM A SEELEN, qui in *ſelectis litterariis num. II. p. 52. ſeqq.* recenſionem librorum SERVETI exhibet, ſimulque de ipſo SERVETO, & reliquis eius libris, varia obſeruatu digna, in medium adfert. In eo autem

tem fallitur vir doctiſſimus, quod per editionem librorum *de erroribus trinitatis*, anno 1553. publici iuris factam, forſan *reſtitutionem chriſtianismi*, intelligi debere cenſet; quamquam & alii in eadem verſentur ſententia. Librum enim iſtum, de *reſtitutione chriſtianiſmi*, omnino a priori diuerſum eſſe, ſatis oſtendit auctor *diſſertationis p. 165.* & *199. ſeqq.* Idem vir clariſſimus vna cum aliis haud paucis ſibi perſuaſit, libros SERVETI *de trinitatis erroribus* combuſtos eſſe, quod itidem refellit auctor *diſſertationis p. 164.* CHRISTOPHORVS SANDIVS inter ſcripta SERVETI etiam refert librum, qui inſcribitur: *theſaurus animae chriſtianae; ſiue Deſiderius Peregrinus*, in *bibliotheca antitrinitar. p. 11.* Addit eum hiſpanice primum excuſum, deinde in latinam aliasque linguas verſum & ſaepe impreſſum eſſe. SANDIVM ſequitur GOTTFRIEDVS ARNOLDVS, qui & inde argumentum pro vero SERVETI chriſtianiſmo petit; in *hiſtoria eccleſiaſt. & haereſiologica part. II. lib. XVI. cap. XXXIII. §. III. p. 406.* IOANNES HENRICVS A SEELEN, quem iam laudauimus, dubium aliquod, a viro quodam docto ſibi motum, fatetur, SERVETVM libri huius; ſiue *theſauri animae chriſtianae*, a Mennoniſtis in magno ſemper pretio habiti, auctorem non eſſe medicum illum Hiſpanum, de quo nobis hic ſermo eſt, ſed alium hominem, Arminianis hypotheſibus imbutum, qui eodem nomine ſit gauiſus; ſeque lubentem ad hanc ſententiam acceſſurum, ait, dummodo firmis illa & idoneis documentis poſſet corroborari *l. c. p. 70.* Verum quisquis libri iſtius auctor ſit, huncce, de quo hic verba facimus, SERVETVM eum eſſe, nullo modo probari poſſe, auctor *diſſertationis p. 235.* adſerit. Ad reliquos quod attinet, qui SERVETI hiſtoriam attingunt, laudat adhuc GOTTFRIEDVM ARNOLDVM in *hiſtor. eccleſ. & haereſiologica part. II. lib. XVI. cap. XXXIII. p. 402. ſeqq.* quem IOAN. VYTENBOGARDVM maxime ſequutum monet, & deinceps non vnum ab eo hic admiſſum errorem, docet *p. 9.* IO. FRID. MAYERVM, in *praelectionibus de hiſtoria Socinianorum*, Gryphiswaldiae anno 1708. 4. editis *p. 14. ſeqq.* IO. CONRADVM ZELTNERVM in *centuria correctorum eruditorum p. 496. ſeqq.* CASP. CALVOERIVM *de variis orbis religionib. lib. XVI. cap. III.* qui SCHLVSSELBVRGII veſtigia legat, & denique CAROLVM GOTTFRIEDVM ENGELSCHALL in *praeiudiciis ſaeculi moderni nonnullis in capitib. fidei praeiud. X. p. 443. ſeqq.* Longe autem pluribus luculentioribusque cum auctor *diſſertationis*, quam reliqui omnes, quos commemorauimus, inſtructus fuerit ſubſidiis, maioremque ad hocce argumentum, quippe quod ex inſtituto ſibi pertractandum ſumſit, attulerit induſtriam, rectiora quoque accuratioraque tradere potuit. Multorum animis ea inſedit opinio, SERVETVM, itinere in Africam ſuſcepto, a Muhammedanis impios ſuos de trinitate errores accepiſſe, cui & ego olim adſtipulatus ſum in *commentatione hiſtorico-theologica de origine Socinianiſmi ab eccleſiae emendatione non repetenda p. 8.* vbi & ad STANISLAVM LVBIENICIVM prouocaui, qui de SERVETO verba faciens, *is apis inſtar*, inquit, *cuncta ſibi profutura vbique colligens ex ipſis alcorani &c. tribulis mellis materiam exſugebat*; in *hiſtor. reformat. polon. lib. II. cap. V. p. 96.* Alios, quibus idem perſuaſum fuerit, IACOBVM ſcilicet WIEKVM, Ieſuitam, HENRICVM SPONDANVM, IO. MICRAELIVM, LVCAM OSIANDRVM, NIC. SANDERVM, GEORG. HORNIVM, CONRADVM SCHLVSSELBVRGIVM, reliquos, laudat THEODORVS HASAEVS, qui & antiquiorem iſtius narrationis teſtem,

Digitized by Google

ſtem, GVIL. LINDANO, epiſcopo Ruraemondano & Gandauenſi, qui SERVETI σύγχρονος fuerit, ſe inuenire non potuiſſe teſtatur, *bibliothec. Bremenſis claſſe I. faſcic. V. p. 760.* Quemadmodum autem, qui de itinere SERVETI Africano loquuntur, non prorſus inter ſe conſentiunt; ita exſtiterunt deinceps, qui hocce omnino in dubium vocarunt; aut inter commenta fabulasque retulerunt. Exemplum his praeiuit MICHAEL DE LA ROCHE *biblioth. angl. tom. II. part. I. artic. VII. p. 195.* vel ideo, quicquid de iſto SERVETI itinere dicitur, in dubium vocans, quod nulla eius in *actis iudicii* iniiciatur mentio. Confirmat hoc auctor *adnotationum quarumdam de Michaele Serueto*, quem SAMVELEM CRELLIVM cenſeri antea diximus, eo, quod in *reſtitutione chriſtianismi* nulla huius itineris adpareant veſtigia, cum Romae ſe fuiſſe tantum innuat *biblioth. Bremenſ. l. c. p. 759.* Atque hanc ſententiam ſibi omnino veram videri auctor *diſſertationis p. 20.* profitetur, idque ideo potiſſimum, quod SERVETVS in Ptolomaeo ſuo itinera ſua ex inſtituto enumerans, huius tamen itineris non meminerit, qui & deinceps, vnde rumor iſte de itinere SERVETI Africano enatus ſit, inquirit. Quodſi autem vel maxime falſa ſint, quae de iſto SERVETI in Africam itinere traduntur, inde tamen nondum conficitur, SERVETVM ex Mohammedanorum fontibus ſua non irrigaſſe arua. STANISLAVS ſane LVBIENICIVS, quem antea laudauimus, SERVETVM *ex ipſis alcorani tribulis mellis materiam exſuxiſſe* teſtatur; itineris in Africam ſuſcepti nulla facta mentione. Nec etiam video, cur SERVETVS non arabicae linguae quamdam ſibi comparare potuerit notitiam, etiamſi eam ob cauſſam in Africam profectus non ſit. Dum porro de propagatione dogmatum SERVETI ſermonem *diſſertationis* auctor inſtituit, quaeſtionem obſeruatu dignam, nobisque adeo non praetermittendam, proponit: *num Serueti dogmata, eo iam tempore, quo Auguſtana exhiberetur confeſſio, tam cognita fuerint, vt publice in primo Auguſtanae confeſſionis articulo, tamquam falſa & periculoſa reiecta atque damnata ſint?* Omnes fere enim, quotquot Auguſtanam confeſſionem commentariis illuſtrarunt, in ea eſſe obſeruat ſententia, verbis illis in primo articulo: *damnant Samoſatenianos neotericos*, SERVETVM eiusque diſcipulos intelligit. Fatetur etiam, horum opinionem antiquis non deſtitui teſtimoniis & auctoritatibus; in Auguſtanae namque confeſſionis editione, quae Roſtochii anno 1562. apud CHRIST. MYLIANDRVM prodiit, eam iam ſtabilitam videri, ſiquidem in ea ad verba: *veteres & neotericos*, haec adnotata repeniantur: *noſtra aetate Samoſateni haereſin, editis in Germania & Gallia ſcriptis, renouauit Michael Seruetus, Arago Hiſpanus, qui anno M D LIII. die XVII.* (XXVII.) *Octobris Geneuae in Sabaudia combuſtus eſt;* immo ipſum PHILIPPVM MELANCHTHONEM, in colloquio Wormatienſi ad ECCIVM ita loqui, vt manifeſto doceat, haec verba de SERVETO tunc iam explicata fuiſſe; ita enim eum ECCIVM affatum eſſe: *de primo articulo* (Auguſtanae confeſſionis) *non eſt controuerſia, in quo conſtat, noſtras eccleſias fideliter defendiſſe communem conſenſum aduerſus Seruetum & alios.* Nihilo minus tamen, duabus ſe impediri rationibus, auctor ait, quo minus hisce adſentiri queat; quarum altera eſt, quod dogmata, quae in hoc Auguſtanae confeſſionis articulo reiiciuntur, cum SERVETI ſcitis minime conueniant: *verbum* enim *eſſe vocale, & ſpiritum eſſe motum in rebus creatis*, duo eſſe dogmata, quae tamquam falſa damnentur, nihil vero vnquam SERVETVM ſtatuiſſe; altera vero haec

haec eſt, quod placita SERVETI, cum anno 1530. confeſſio haec conficeretur, nondum in Germania fuerint ſparſa; ſiquidem anno demum inſequuto 1531. libri eius VII. *de trinitatis erroribus* conſcripti atque editi ſint, poſt quorum editionem doctrina eius latius paſſim ſit diffuſa. Suſpicatur autem auctor, in primo hoc Auguſtanae confeſſionis articulo IOANNEM CAMPANVM condemnari, quippe qui anno 1530. & 1531. reuera ſua Wittebergae ſparſerit, teſte CHRISTOPHORO SANDIO in *bibliotheca anti-trinitarior. p. 12.* Ex iſtis vero rationibus, quibus inductus vir doctiſſimus negat, in primo Auguſtanae confeſſionis articulo ad SERVETVM reſpici, poſterior rem conficere videtur, niſi dicere velis, iam per famam dogmata & errores SERVETI innotuiſſe, priusquam hicce eius liber ederetur. Ad priorem autem quod attinet, dogmata illa, quae in Auguſtanae confeſſionis articulo primo damnantur, non adeo a placitis SERVETI abludunt, vt ad illum plane referri nequeant, tametſi accuratius forte proponi potuiſſent. Eum enim τὸν λόγον; ſiue verbum, in ipſo Deo ſpectatum, neutiquam pro hypoſtaſi ſeu filio Dei habuiſſe, conſtat, ſed Chriſtum, prout per *externam verbi prolationem*, homo factus eſt; quod forte per *verbum vocale* indicare voluerunt. De ſpiritu ſancto autem diſerte docuit, *vocem ſpiritus eſſe de genere motus, quaſi motionem, impetum & halitum &c.* Verba eius, ex quibus vtrumque patet, attuli in *inſtitutionib. theologiae dogmat. lib. II. cap. I.* ad *§. LIV. p. 416.* Ceterum quod eruditos maxime in cauſſa SERVETI ſollicitos hucusque tenuit, ad IO. CALVINVM ſpectat, quem hic aliquid, quod reprehenſionem promereatur, admiſiſſe, contendunt alii, alii negant, eiusque in ſe defenſionem ſuſcipiunt. Auctor *diſſertationis* illis haud obſcure accedere videtur, certe vehementiſſimum eius acerrimumque aduerſus SERVETVM fuiſſe odium, paſſim ſignificat. Sic cum obſeruaſſet, SERVETVM circa annum 1546. librum quemdam ad IO. CALVINVM miſiſſe, in quo, teſte HIERONYMO BOLSECO, libere eum perſtrinxerit, & varios eius errores notauerit, deque iſto libro alia quaedam monuiſſet, ſubiicit: *Quicquid id eſt, hic liber prorſus animum Caluini exacerbauit, ita vt non modo in publicis ſcriptis vehementer in eum inueheretur, ſed & perniciem eius vbicumque quaereret, §. XVIII. p. 42.* In *notis* ad *h. l.* addit: *Tam enim maleuolo Caluinus erat animo in Seruetum, vt ne temperare quidem ſibi potuerit, quin in ipſis ſacrorum librorum commentariis maxima iniuria, grauiſſimisque conuiciis eum afficeret.* CALVINVM porro effeciſſe, contendit, vt SERVETVS Viennae in carcerem coniiceretur. *Haec ita ſeſe habere,* inquit, *Caluinumque omnino auctorem fuiſſe carceris Serueti, praeterea, quae modo diximus de odio eius, multa alia extra omnem collocant controuerſiam. Principio enim acta ipſa iudicii, & ſententia iudicum Viennenſium, in Seruetum lata, luculenter hoc docent. Deinde idem, quod in actis exſtat, Seruetus narrauit; Hieronymus quoque Bolſecus confirmat &c. §. XXI. p. 50.* Compertum per exploratores habuiſſe CALVINVM, Vienna diſceſſiſſe SERVETVM & Geneuam venturum eſſe, neque latuiſſe eum, ſimulac adueniſſet, adeſſe hominem, ſtatimque idcirco ad ſupremum vrbis ſyndicum miſiſſe, eumque in carcerem duci curaſſe, docet *§. XXVII. p. 61.* Cum porro obſeruaſſet, maxima cum miſeria in carcere conflictatum SERVETVM, nec habuiſſe, quo ſe contra vim aëris, nuditatem & pulices communiret, addit: *Duriter id factum eſſe atque iniuſte, nemo diffitebitur, praeſertim cum ſatis auri habuiſſet Seruetus, quo neceſſaria ſuppeditari & coëmi poſſent. Verum tum temporis Caluini*

uini nutu Geneuae gerebantur omnia, qui fortaſſis miſeriarum & calamitatum numero hominem hunc ad frugem reuocari poſſe ſperabat; §. *XXXIII. p. 75. 76.* Neque tamen negandum, quod nec auctor negat, ſed potius diligenter obſeruat, SERVETVM, etſi iam in carcere conſtitutum, mirum in modum irritaſſe CALVINVM, & non tantum ſaepiſſime mendacii arguiſſe, ſed & *Simonem magum, impoſtorem, ſycophantam, nebulonem, perfidum, impudentem, murem ridiculum*, immo *cacodaemonem* adpellitaſſe, aliisque adgreſſum eſſe conuiciis §. *XLII. p. 95.* Interim & CALVINVM omni conatu id egiſſe, adſerit, vt capitis ſupplicium in SERVETVM conſtitueretur. Cumque aliarum quoque eccleſiarum Helueticarum hac ſuper re a Geneuenſibus exquireretur ſententia, CALVINVM eiusque amicos perſuaſum voluiſſe aliis, has omnes eccleſias de morte SERVETI ſecum ſenſiſſe; *verum ocularis*, inquit, *litterarum inſpectio docet, nullam earum expreſſe dixiſſe, aut voluiſſe, vt capite damnaretur Seruetus*; §. *XLIV. p. 99.* Cum denique AMADAEVS GORRIVS id ageret, vt SERVETVM poena liberaret, cauſſaeque cognitionem ad iudicium ducentorum virorum perducere vellet; *immoderatum* tamen CALVINI & multorum aliorum *viciſſe feruorem*, ait, quamuis genus mortis terribile CALVINO viſum fuerit, qui tamen, vt aliud decerneretur, obtinere non potuerit, eo quod leges ciuitatis obſtarent, §. *XLVIII. p. 106.* Atque iſta quidem, quae auctor diſſertationis de IO. CALVINO tradidit, ita comparata ſunt, vt illis, qui famam & exiſtimationem viri huius integram conſeruare ſuarum ducunt eſſe partium, placere nequeant. Certe ſibi non placuiſſe teſtati ſunt auctores doctiſſimi diarii gallici, quod inſcribitur, *bibliotheque raiſonné des ouvrages des ſçavans de l'Europe.* In eius enim *tomo I. part. II. artic. VIII. p. 366. ſeqq.* diſſertatio haecce ita recenſetur, vt ſimul nonnulla, praeſertim ea, quae ad inuidiam IO. CALVINO conflandam ei inſerta videntur, refellantur, ſimul tamen varia lectu & obſeruatu digniſſima in medium adferantur. Voluiſſe IO. CALVINVM, vt SERVETVS, poſtquam in poteſtatem Geneuenſium venerat, capitali ſupplicio adficeretur, lubentes fatentur; ex ſingulari autem odio, quo CALVINVS SERVETVM proſequutus ſit, hoc profectum eſſe, id quidem eſt, quod negant atque pernegant. Adſeritur in diſſertatione, cum SERVETVS Viennae degens anno 1546. librum quemdam ad CALVINVM miſiſſet, in quo eum, teſte HIERONYMO BOLSECO, libere perſtrinxerat, variosque eius errores notauerat, animum CALVINI prorſus erga illum exacerbatum, ita vt non modo in publicis ſcriptis vehementer in eum inueheretur, ſed & perniciem eius quaereret. Additur, BOLSECO itidem auctore, CALVINVM eodem anno 1546. ad PETRVM VIRETVM ſcripſiſſe, ſe non paſſurum, vt, ſi veniret SERVETVS, viuus Geneua abiret; ſimilisque argumenti epiſtolam ad FARELLVM miſiſſe, nomenque eius ad TVRNONIVM, cardinalem, miſiſſe; & licet BOLSECVS is non ſit, cui fidem prorſus adiungere liceat; euentum tamen docuiſſe, nihil hac in re incredibile eſſe. Reſpondent ad hoc auctores *bibliothecae* antea laudatae, quod de epiſtolis CALVINI ad VIRETVM & FARELLVM dicitur, teſtibus admodum ſuſpectis, BOLSECO & VYTENBOGARDO, niti, meritoque adeo hoc in dubium vocari poſſe; interim fieri potuiſſe, vt eas iſtum in modum CALVINVS ſcripſerit, quod adeo negare nolint; nec id a genio CALVINI abhorrere, qui bona fide crediderit, ius fasque eſſe, vt haeretici capitali ſupplicio adficiantur, quiue adeo hoc ſuadeant, aut fieri velint, nihil

nihil aliud agere, quam quod conſcientiae ratio poſtulet. Ad TVRNONIVM autem cardinalem ſcripſiſſe CALVINVM, quod BOLSECVS ſignificet, ab omni prorſus veri, immo veriſimilitudinis ſpecie abhorrere contendunt, idque inter fabulas & commenta non tantum referunt, ſed & referendum eſſe, variis rationibus probant. Addunt & alia eiusdem generis, quae vt hic repetamus, neceſſe non eſt. Continuaturi autem hocce argumentum iidem auctores *tom. II. part. I.* partem epiſtolae*, a viro celeberrimo IO. LAVRENTIO MOSHEMIO ad ſe ſcriptae, exhibent *artic. V. p. 88. ſeqq.* in qua de obiecto ſibi partium ſtudio, animoque maligno & a tolerandis diſſentientibus alieno, ſimilibusque conqueritur, ſimulque ad ea reſpondent. Tum vero *artic. VI. p. 93. ſeqq.* in recenſione *diſſertationis*, de qua nobis ſermo eſt, pergunt. Et initio quidem facta iterum quaedam ſub examen reuocant, quae odium aliquod CALVINI erga SERVETVM arguere videntur; cumprimis autem, quod in ipſa *diſſertatione* dictum fuit: *Ex legibus ciuitatis condemnatum eſſe Seruetum, Ioan. Wigandus noſter ſcribit. Nec id prorſus malo. Nam quod ex tota carceris eius hiſtoria conſtat, nondum erat tum temporis lex Geneuae de haereticis puniendis & comburendis abrogata; alioquin ne actio quidem in Seruetum inſtitui potuiſſet*, calculo ſuo adprobant, & copioſius ediſſerunt, cum hoc ad excuſandum CALVINVM plurimum faciat. Atque hinc rationem etiam arceſſunt, cur tam male in carcere habitus ſit SERVETVS, vt adeo inſigniter fallantur, qui id odio CALVINI erga SERVETVM tribuant, *p. 102.* & *104.* Quantumuis autem SERVETVS in carcere iam conſtitutus, quicquid contumeliarum ac conuiciorum inuenire potuit, in CALVINVM contulerit, inde tamen iudices ad duriorem in illum ſententiam pronuntiandam permotos noſtri negant, eo quod iſtud eo tempore & deinceps etiam apud homines doctos recepti veluti fuerit moris, & *partem amoenitatum litterariarum* conſtituerit; CALVINVS etiam eadem ratione erga SERVETVM ſe geſſerit, *p. 112.* Interim non diffitentur, SERVETVM, etiamſi periculum ſibi imminens facile perſpicere potuerit, ita ſe geſſiſſe, vt non potuerit non eiusmodi ſibi attrahere ſupplicium. Quod dum fuſe admodum demonſtrant, ſimul oſtendunt, dogmata, quorum conuictus fuit, non potuiſſe non CALVINO aliisque vehementer impia ac deteſtanda, immo cum blaſphemia quadam coniuncta videri. Inter alia obſeruant, talia eum protuliſſe, quae cum Spinozismo conueniant; qua de re deinceps plura dicemus. Hisce aliisque obſeruationibus hiſtoricis haud paucis, ad ea, quae CALVINO obiici ſolent, diluenda comparatis, zeli, quo inductus CALVINVS ſe oppoſuerit SERVETO, accuratiorem conſiderationem ſubiungunt. Celeberrimum huncce eccleſiae reformatae doctorem ſincere & bona fide illorum ſubſcripſiſſe ſententiae docent, qui magiſtratum haereticis capitis poenam irrogare non tantum poſſe, ſed & ad hoc lege diuina obſtrictum eſſe, exiſtimant, qui hodie *intolerantium* nomine venire ſolent. Nec tamen auctoritatem tanti theologi obſtare, aiunt, quo minus iſta ſententia longe falſiſſima ſit, atque prorſus reiicienda, vtpote cum vera chriſtianismi indole prorſus pugnans. Rationes, quibus eam CALVINVS probare voluerit, nihil aliud, quam puerilia eſſe ſophismata; aut vt gallice loquuntur: *Je dirai ſentiment, qu' aiant peſe, avec attention toutes les raiſons, que Calvin allegue pour le ſoutenir, je n'y ai trouvé, que de pitoyables ſophisme, & qu' un tiſſu des petits lieux communs dont ſe ſervent par tout les convertiſſeurs a la Dragonne*; *p. 149.* Neque mirandum eſſe, quod CALVINVS

in

in eam ingreſſus ſit ſententiam, ſiquidem omnino fieri poſſit, vt quis, cetera vir probus & integer, errore aut praeiudicata quadam opinione ductus; recte omnino ſe agere exiſtimet, ſi haereſes omnes & haereticos magno proſequatur odio, eosque e medio tollendos cenſeat. Cauſſamque, cur in iſto verſatus fuerit errore, haud difficulter intelligi, ſi perpendamus, eum Romanae eccleſiae placitis ab ineunte aetate innutritum fuiſſe, quae haereticum, ceu monſtrum aliquod horrendum, diaboli filium, Deique & hominum hoſtem, aut ſi quid adhuc execrabilius cogitari poteſt, repraeſentabant; quae vtique tam cito exuere non potuerit. Neque ſolum inter eos, qui ab eccleſia Romana diſceſſerant, ita ſenſiſſe CALVINVM. Communem omnium eo tempore iſtam fuiſſe ſententiam, poenis capitalibus coërcendos haereticos, eo quod nec eccleſiae, nec reipublicae aliter conſuli ſaluti queat; ſolos excipiendos anabaptiſtas, qui, vt auctoritatem magiſtratus ciuilis ferre non potuerint, ita & haereticorum poenas capitales improbauerint. Eos autem, qui eccleſiae emendationem ſuſceperunt, neutiquam cenſuiſſe, tolerandos eſſe haereticos, inde manifeſtum eſſe, quod receptae iuris ciuilis & canonici leges poenales, de haereticis capitali ſupplicio adficiendis, eo tempore neutiquam fuerint abrogatae. Primos ſane eccleſiae emendatae doctores tyrannidem pontificis ſtrenue acriterque impugnaſſe; ſimul tamen id egiſſe, vt poteſtatem in haereticos, quam pontifices ſibi vindicauerant, in ſummos imperantes rerumque dominos transferrent. Hinc apud omnes populos, vbi proteſtantes rerum potiebantur, haereticorum ſupplicia capitalia recepta fuiſſe, non tantum adſerunt; ſed & exemplis comprobant. Namque & apud Heluetios, & in Anglia & in Belgio foederato id factum eſſe docent. Eamdem vero etiam veterum eccleſiae proteſtantium theologorum de haereticis puniendis ſententiam, ex publicis eorum comprobari poſſe confeſſionibus, obſeruant. In hisce enim eos equidem de tyrannide Romanorum pontificum ſubinde conqueri; immo ab ipſis ſummis imperantibus cogi quemque ad aliquid credendum poſſe, negare; ſed eos ſemper fundamenti loco ponere, ſe ab omni haereſi quam longiſſime eſſe remotos; adeoque non alio, quam orthodoxi ſolent, loco habendos. Hanc ſolam ob cauſſam, quod orthodoxi eſſent, & nullius haereſeos rei, eos iniuſtum cenſuiſſe, ſi vis ſibi inferretur, aut vlla crearetur moleſtia; de iis autem, quos haereticos eſſe crediderunt, longe aliter exiſtimaſſe, nec repugnaſſe vnquam, ſi poenam legibus in eiusmodi homines ſtatutam ſubire cogerentur. Atque hinc porro colligunt, eccleſias illas Helueticas, quas Geneuenſes in cauſſa SERVETI conſuluerant, in ſupplicium eius capitale conſenſiſſe, etſi genus mortis non definiuerint, aut circa illud Geneuenſibus quidquam praeſcribere minus conſultum duxerint; ſimulque ſecus hic ſentientes refellant. Eo minus autem hac de re dubitandum cenſent, quod ipſe PHILIPPVS MELANCHTHON, cuius nota ſatis omnibusque explorata eſt manſuetudo & lenitas, ab iſta de haereticis capitali ſupplicio adficiendis ſententia, non fuerit alienus, *p. 171. ſeqq.* Atque hinc quidem abunde, vt puto, patet, quae viri docti de SERVETO & CALVINO in vtramque partem diſputent. De dogmatibus eius atque placitis vt multa dicamus neceſſe non eſt, cum id inſtituti noſtri non patiatur ratio. Genuinam eius de trinitate ſententiam luculenter, ni fallor, exhibui in *inſtitutionib. theolog. dogm. tom. I. lib. II. cap. I.* ad §. *LIV. p. 416.* Cum autem iam antea obſeruatum ſit, Spinozismum SERVETO obiectum

ctum fuiſſe, facere nequeo, quin nonnulla adhuc ea de re addam. Et auctores quidem *bibliothecae*, non ſemel iam laudatae, cum ſemel obſeruaſſent, obiectum SERVETO fuiſſe, quod docuiſſet, *deitatem in omnibus creaturis eſſe, ſcilicet ſubſtantialem*; eumque ad hoc reſpondiſſe: *Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, praeſentiam & potentiam, & ſuſtentat omnia*; ad omnium hominum talia intelligentium iudicium prouocant, annon ipſe in hiſce verbis contineatur Spinozismus? Idem etiam in mentem venit viro doctiſſimo THEODORO HASAEO. Ad verba enim SERVETI, quae auctor *adnotationum quarumdam de Michaele Serueto*; ſiue SAMVEL CRELLIVS ex eius *chriſtianismo reſtituto* recitauit; *Conſtat itaque internus noſter homo ex diuina Chriſti & humana ſpiritus noſtri natura, vt ob id nos merito dicamur participes diuinae naturae &c. Internus noſter homo eſt vere coeleſtis, de coelo deſcendit, de ſubſtantia Dei, de ſubſtantia Chriſti diuina*; item: *internus noſter homo Deus eſt, ſicut Chriſtus eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus*; ſequentia adnotauit: *Habent, quod ſibi gratulentur hodierni fanatici, &* ψευδομυστικοὶ, *dum quoad ea, quae de Chriſto in nobis, eiusque ſubſtantia in noſtram veluti transmutanda crepant, ſe Seruetum prorſus* ὁμόψηφον *ſibi habere vident. Sed & animaduertant ſimul, eum a deliriis Spinozae non multum abludere*; *biblioth. Bremenſ. claſſe I. faſcic. V. p. 749.* Sed quod reliqui tandem innuunt, id plenius & ex inſtituto ſibi demonſtrandum ſumſit IOANNES HENRICVS SCHÜLERVS. Huius enim exſtat: *Michael Seruetus Spinozismi conuictus*; *ſiue theologiae Seruetianae tria principia prima Spinozismi veneno infecta, ex ipſius auctoris raris admodum & magni pretii voluminibus ſine partium ſtudio enucleata, & in hiſtoriae eccleſiaſticae vſum, programmatis loco &c. conſcripta*; Idſtenii anno 1727. 4. Cumque eiusmodi ſchediasmata, quae paucis tantum plagulis conſtant, non in omnium conſpectum veniant, ſaepe etiam cito euaneſcant, & obliuione deleantur, lectoribus haud ingratum fore confido, ſi ſummam huius paucis exhibeam. Spinozismum itaque cum primum definiuiſſet, SERVETVM eo omnino infectum fuiſſe adſerit, ſeque ex voluminibus eius probaturum pollicetur: *mundum illi fuiſſe Deum perſonatum*; *ſiue nullam aliam naturam, quae omnium rerum facta ſit eſſentia, a Serueto creditam, quam Deum ipſum*; *idque ratione quadam, quam diſpoſitionem Seruetus, modificationem vero Spinoza, praedicat, nomine magis, quam re, inter ſe diſcrepantes.* Ex ipſius SERVETI voluminibus dum hoc ſe euicturum auctor adfirmat, intelligit *libros* eius *ſeptem de trinitatis erroribus, & dialogorum de trinitate libros duos*; quibus ſimul *de iuſtitia regni Chriſti* quatuor capitula ſint adnexa; eosdemque hosce libros, ſex tantum capitibus auctos, atque *reſtitutio chriſtianismi*, inſcriptos, in lucem denuo prodiiſſe, ſuo tempore ſe demonſtraturum, ait. Qua de re quid ſentiendum ſit, ex iis, quae antea diximus, perſpicere licet. Tametſi autem in eo, quod caput cauſſae eſt, cum SPINOZA conſentiat SERVETVS; hoc tamen inter illos intercedere diſcrimen, auctor contendit, quod hic *ſummam Deo mundi formandi, nec non eius exiſtentiae finis imponendi tribuat libertatem*; ille contra *neceſſitate fatali atque immutabili Deum cogi, vt mundi ſit eſſentia*, doceat. Iam ad ipſum SERVETI ſyſtema quod attinet, cum tribus illud abſoluatur principiis, auctor ſingula exponit ediſſeritque. Primum principium eſt, *de oeconomia Dei*; *ſiue eius diſpoſitione prima, qua oraculum & ſpiritus factus eſt.* Mentem ſententiamque SERVETI hac de re hunc in modum proponit: *Diuinum illud numen,*

Digitized by Google

men, quod ante huius ſaeculi tempora a nobis neque animo concipi, neque cogitatione potuit comprehendi, hoc vniuerſum cum creare conſtitueret, in ſe ipſo pro eius liberrima voluntate, duas ſui ipſius diſpoſitiones; ſiue οἰκονομίας, vel perſonatas repraeſentationes, verbum ſcilicet & ſpiritum (quem eumdem ſcriptura ſacra ſaepe numero angelum vocare ſolet) produxit; quarum diſpoſitionum ope, duorum ad inſtar principiorum in ſpeciem & ſimilitudinem huius vniuerſi conformatorum, ſua ſponte omnino omnium rerum factum eſt eſſentia & vnica, quod conſequens eſt, atque indiuidua natura; idque eum in finem, vt ſe accommodans humani intellectus concipiendi rationi, ſub cadentibus in noſtros ſenſus, verbi ſpecie & ſpiritus flatu, nobis ſe cognoſcendum praeberet & celebrandum. Secundum principium eſt *de diſpoſitione; ſeu oeconomia diuina ſecunda, qua oraculum & ſpiritus, in filii & ſpiritus ſancti naturam ſunt transformati.* Hoc ex mente ſententiaque SERVETI auctor ita explicat: *Illae diuinae naturae diſpoſitiones, verbum & ſpiritus, non erant niſi exemplum, ſimulacrum & figura quaedam oeconomiae illius, qua ſuo tempore verbum in filii Dei carnem tranſiturum, verbi vero ſpiritus in humani ſpiritus ſpeciem transformandus, & Chriſto a mortuis ſuſcitato, ſpiritus ſancti nomine adpellandus, ne tandem vera efficerentur, quod prius quaſi τύπῳ expreſſerant.* Tertium tandem principium eſt, *de Deo, qualis futurus ſit ſub finem oeconomiae filii & ſpiritus ſancti.* Hoc ſecundum auctorem noſtrum SERVETVS ita intellexit: *oeconomiae praeſentis myſterium, quo tres diuinitatis perſonas, patrem, filium & ſpiritum ſanctum veneramur, inueniet finem eo ipſo tempore, quo Deus omnia erit in omnibus.* Atque hancce, qua omnia tria principia, veram & genuinam SERVETI mentem eſſe, teſtimoniis & ſcriptis eius, magno numero prolatis, ipſisque eius verbis comprobat. Concludit tandem: *En! igitur Spinozismi ante Spinozam nouum ſpecimen, monſtroſamque Dei Seruetiani ſpeciem, Proteo certe mutabiliorem, quod omnium rerum formas ipſe induit; & Saturno crudeliorem, ſiquidem Serueti Deus, omnium rerum eſſentia factus, res huius mundi deſtruendo, hominibus quam ſaepiſſime poenas infligendo, barbara feritate ſaeuit in ſe ipſum. Nec minus ex hactenus dictis apparet, a Serueti principiis de Chriſto, omni ex parte diuerſa eſſe Laelii & Fauſti Socinorum placita; quam quidem ob rem a ſcriptoribus ſacris ſeu eccleſiaſticis nullo merito in numerum eorum refertur Seruetus, qui Fauſti Socini (quippe a quo demum ſecta iſta Socinianismi titulum accepit) erroribus inprimis facem praetulerant.* De ſcriptis SERVETI nihil addimus, cum ea in *diſſertatione* ſaepiſſime iam laudata, accurate ſummoque ſtudio, recenſeantur; *p. 162. ſeqq.* Praecipua, in quibus theologica ex inſtituto tractat, ſunt *de trinitatis erroribus libri ſeptem,* anno 1531. 8. *dialogorum de trinitate libri duo; de iuſtitia regni Chriſti capitula quatuor,* anno 1532. 8. in quibus quidem dialogis SERVETVM veluti retractaſſe, quae in praecedentibus libris ſcripſerat, verbaque non minus, quam ſententias correxiſſe & emendaſſe, *diſſert. cit. p. 176.* obſeruatur; *biblia ſacra ex Santis Pagnini translatione, ſed & ad ebraicae linguae amuſſim ita recognita & ſcholiis illuſtrata, vt plane noua videri poſſit,* Lugduni anno 1542. fol. de qua bibliorum editione ſuo loco plura dicemus; *chriſtianismi reſtitutio, totius eccleſiae apoſtolicae ad ſua limina vocatio, in integrum reſtituta cognitione Dei, fidei Chriſti, iuſtificationis noſtrae, regenerationis baptismi, & coenae domini manducationis; reſtituto denique nobis regno coeleſti, Babylonis impiae captiuitate ſoluta, & anti-chriſto cum ſuis penitus deſtructo;*

ſtructo; anno 1553. 8. Cum opus hocce variorum librorum ſit collectio, & in ſex tomos ſeu partes diſpeſcatur, ſingulas indicat CHRISTOPHORVS SANDIVS in *bibliotheca anti-trinitar. p. 13.*

p. 1174. auctorem autem libri de qualitate regni Chriſti &c. Danielem Brenium eſſe &c.) Exſtat etiam in operibus eius, Amſtelodami anno 1664. fol. editis. In his enim praeter *breues in vetus & nouum teſtamentum adnotationes*, de quibus in ſequentibus dicetur, continentur *tractatus de regno eccleſiae glorioſo per Chriſtum erigendo*; item *de qualitate regni Chriſti, quodque totum illud in ſpirituali dominio conſiſtat, vna cum reſponſo ad viri cuiusdam docti in dictum libellum animaduerſiones*; nec non *amica diſputatio aduerſus Iudaeos*; ac tandem: *breuiſſimus dialogus de veritate religionis chriſtianae; cui* (ita inſcriptio ſe porro habet) *ob affinitatem materiae adnexa eſt breuis eiusdem veritatis demonſtratio ab incerto auctore conſcripta.* Reliqua BRENII ſcripta recenſet CHRISTOPHORVS SANDIVS in *bibliotheca antitrinitar. p. 135. ſeqq.* ex quo ea repetit auctor *hiſtoriae Socinianiſmi*, gallice Pariſiis anno 1723. editae *p. 521.*

p. 1178. Poſt Spenerum in hocce contra Socinianos campo &c.) Locum etiam hic inueniunt PETRI IAENICHII *ſtricturae ad libellum catecheticum, germanice ſequenti titulo editum: kurtzer Vnterricht &c.* de quo tamen iam ſupra dictum, *libri* huius *II. cap. II.* ad §. *X. p. 457.* Breuiter admodum Socinianorum errores perſtringit CHRISTOPHORVS LVDOVICVS SCHWARTZENAV, in *enchiridio Socinianiſmi, constricta methodo comportati, ſolide pariter ac ſuccincte confutati &c.* Gieſſae anno 1720. 4.

p. 1179. Parum autem abeſt, quin & Hugonem Grotium inter eos referam &c.) conf. *Hiſtoire abregée de la reformation des pais-bas traduite du hollandois de* GERARD BRANDT, *tom. I. libr. XXVII. p. 466. ſeqq.* vbi varia ad hiſtoriam libri huius *de ſatisfactione Chriſti*, ab HVGONE GROTIO ſcripti, eaque lectu non indigna, in medium adferuntur.

p. 1183. Ad ſcripta, ex quibus genuina anabaptiſtarum doctrina patet &c.) Iungere iis licebit ADRIANI VAN ECGHEM *informationem in fide chriſtiana*, belgice ſcriptam, & inſtar catechiſmi per quaeſtiones & reſponſiones concinnatam, editamque anno 1715. 8.

p. 1194. Conferenda & &c.) Addenda quoque, quae de ANTONIETTA hacce BOVRIGNONIA obſeruat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *deliciis epiſtolicis, not. ad epiſt. LXXXVII. p. 395.* vbi & indicem ſcriptorum eius, & confeſſionem, quam edidit, fidei exhibet.

p. 1200. paſſim viri doctiſſimi hoc ſibi tractandum ſumſerunt &c.) Horum nonnullos etiam ſupra laudaui in *addendis* hisce, ad *lib. I. cap. IV. p. 246.*

p. 1204. Naturaliſtis porro illi omnes &c.) Non valde errauerit, qui & THOMAM BVRNETIVM, virum ceteroquin ob ingenii haud vulgaris monumenta celebrem, a naturaliſmo non prorſus alienum eſſe, exiſtimauerit; idque praeſertim ob *librum de fide & officiis chriſtianorum*, qui Londini anno 1727. 8. prodiit. Etſi enim diuinam ſcripturae ſacrae ſe agnoſcere auctoritatem profiteatur; id etiam agat, vt chriſtianae religionis veritatem euincat; dum tamen id ſibi datum credidit, vt eam rationi conuenientem eſſe oſtendat, adeoque illos, qui huius ſcita ſequuntur, ad eam amplectendam inducat, religioni naturali plus, & reuelatae, certe praecipuis eius capitibus minus, quam decet, tribuit. Hinc cum religionem naturalem deſcripſiſſet, eamque & vniuerſalem & immutabilem eſſe oſtendiſſet,

de

de ea ita porro pronuntiat: *Non eſt adeo ſterile naturae ſolum, vt neque herbas neque fructus ferat. Et qui religionem naturalem inſtar corporis aridi, exanguis & exucci depingunt, nec Dei nec humani generis conſulunt dignitati. Qua religione placuit Deo Enochus? Qua ſcala adſcendit in coelum? Non eſt, crede mihi, languens & enervis illa virtus, qua quis vivus in coelum euehitur. Qua lege praeter illam conſcientiae naturalis vitam inſtituit, mores rexit? Noachus cum* (forte legendum *cur*) *habitus eſt iuſtus & perfectus in conſpectu Dei? Quid dicam de Abele? Qui in mundo recens nato ſecundus tertiusue erat ab Adamo, multis ante Moſen ſaeculis. Ille tamen iuſtus dicitur a Chriſto & inter viros ſanctos numeratur, Matth. XXIII. 35. Denique qua fide Abrahamus & reliqui patres ante latam legem Moſaicam Deo fuerant accepti? Lex nobiscum nata obtinuit vsque a natalibus mundi; lex ſcripta non niſi duo poſt millena a mundo condito; nec dum gentis humanae partem maximam attigit aut illuminauit. Hosne omnes credemus aeternum periiſſe aut perituros eſſe? &c. Te praeterea teſtor, nobilem Arabem, Dei ſeruum Iobum; Dei ſeruum appello; erat enim Deo teſte integer & rectus, timens Dei, & recedens a malo. Quas virtutes heroicas exercuit referente hiſtoria ſacra! Quam vim & conſtantiam animi! Quae praeclara documenta reliquit verbis factisque! cap. II. p. 13.* Quod ſi hi omnes, Abel, Henochus, Noachus, Abrahamus, Iobus, ſola lege; ſiue religione naturali (quippe quae lege tantum eaque naturali abſoluitur) ſaluati ſunt, adeoque & absque fide in Chriſtum; hac vtique ad ſalutem conſequendam opus non eſſe, ſponte ſua inde fluit. Quo ipſo, vt auctor mentem ſuam ſententiamque: naturalem religionem ad ſalutem ſufficere, ſtabiliat, luculenter ſatis prodidit; ita longe falſiſſimum eſſe, quod de viris hisce ſanctis adſeruit, probari facili negotio poſſet, ſi id huius loci eſſet. Aeternae ſalutis viros hosce ſanctitatis laude florentes compotes factos, nemo dubitauerit; per ſolam autem legem; ſiue religionem naturalem hanc iis obtigiſſe, BVRNETIVS fruſtra nobis perſuadere adnititur. Patriarchas enim hosce promiſſionem diuinam de ſemine mulieris, caput ſerpentis contrituro, aut ignoraſſe, aut eius immemores fuiſſe, quis credat? Quaenam ſcala illa ſit, qua in coelum adſcenditur, ipſemet ſeruator nos condocet *Ioan. I. 51.* Quae licet euidentiori quadam ratione in nouo teſtamento ſit manifeſtata; patriarchis tamen, ipſiſque adeo Henocho ignota non fuit, nec eſſe potuit. Dum autem auctor Abrahamum quoque inter eos refert, qui ſola lege; ſeu religione naturali, quam & fidei nomine deſignat, ſaluati ſunt, oblitus plane videtur eorum, quae de hocce omnium credentium patre tam diſerte ſcriptura ſacra commemorat, praeſertim eius, quod ipſemet ſeruator noſter adſerit, Abrahamum laetatum eſſe, quod *diem ſuum viderit, Ioan. VIII. 56.* hoc eſt, quod ex reuelatione diuina eum, ceu hominum redemtorem, ex ſemine eius naſciturum, eaque, quae ad mortalium expianda peccata, viamque ſalutis illis iterum aperiendam neceſſaria, in ſe ſuſcepturum, cognouerit. Qua quidem Meſſiae cognitione ei opus non fuiſſet, ſi per ſolam legem naturalem ſalutem conſequi potuiſſet. Immo conſequutum eſſe, aut conſequi potuiſſe, diſerte negat Paulus apoſtolus, dum per ſolam fidem, non autem per opera legis Abrahamum iuſtificatum contendit, ſuam etiam hac de re doctrinam ipſius vel maxime exemplo confirmat, *Rom. IV. 1. ſeqq.* Per fidem autem, quam Abrahamo tribuit, eam, quae Chriſtum, mundi redemtorem, adprehendit, illum intelligere, dubitari nequit, cum & ſermonis ſeries & diſputationis, quam ibi inſti-

Digitized by Google

inſtituit, ſcopus hoc euidenter doceant. Si ergo Abrahamus per ſolam fidem in Chriſtum iuſtificatus, aeternamque adeo ſalutem conſequutus eſt; per legem ſeu religionem naturalem ſeruatus non eſt, quae Chriſtum atque fidem in illum prorſus ignorat. Idem & de reliquis patriarchis ſpeciatim & de Iobo demonſtrari poſſet, ſi hiſce immorari diutius fas eſſet. A religione *naturali* BVRNETIVS eam, quam *inſtitutam* vocat, diſcernit, eoque nomine & *iudaicam* & *chriſtianam* complectitur; de vtraque autem ita verba facit, vt haud obſcure in naturaliſtarum ſe militare caſtris ſignificet. Nimirum religionem *inſtitutam* duabus abſolui partibus adſerit, *communi* & *propria*. Id, in quo religio inſtituta cum naturali conuenit, *commune*; quod autem habet nouum & huic ſuperadditum, inſtitutione aliqua diuina aut humana, id *proprium* & *peculiare* adpellitat, atque hoc cum *corpore*; illud autem cum *anima* religionis comparat. Vtramque itaque in religione inſtituta paginam facit religio naturalis, quod & adeo non diſſimulat, vt aperte profiteatur, dum, *proinde*, inquit, *ſemper in religione diuinitus inſtituta, adeoque vera, pars naturalis eſt ſuperior, & dominatur alteri quoties ſeſe interferant, atque ita impediunt, vt alterutra ſit intermittenda. Hoc in oeconomia iudaica & chriſtiana a Deo conſtitutis, manifeſto patet; cap. II. p. 14.* Si in religione inſtituta, qualis iudaica & chriſtiana eſt, pars naturalis ſemper ſuperior eſt & dominatur, ſequitur, vt per hanc ſeu religionem naturalem etiam proprie ſalutem conſequamur, quodque illud, quod ceu nouum aliquod ſuperadditum eſt, vtpote tamen acceſſorium quid parum huc faciat. Atque ita ſentire auctorem mirum non eſt, cum id, quod in religione reuelata praecipuum eſt, & quo vel maxime a naturali diſcernitur, peccatorum noſtrorum per ſanguinem Chriſti expiatio, eiusdemque adeo ſatisfactio, & quae huic innititur iuſtificatio per fidem, a religione, quam inſtitutam vocat, procul abeſſe iubet. De religione iudaica hinc ſpeciatim agens, de Moſe ceu legislatore eiusque auctoritate, itemque ipſa eius lege, multa quidem diſputat; ad quaeſtionem vero tandem, quid humano generi lex Moſaica profuerit? delatus, reſpondet, eam *primum gradum fuiſſe ad reformandam gentem humanam; ſiue primam machinam ad amoliendam idololatriam; cap. III. p. 38.* Dum dicit eam *primum gradum* fuiſſe, haud obſcure ſignificat, religionem chriſtianam alterum gradum fuiſſe, adeoque vtriusque & iudaicae & chriſtianae religionis praecipuum ſcopum fuiſſe, ab idololatria ſimilibusque erroribus ac vitiis homines reuocare, reconciliationis cum Deo nulla habita ratione. Deinceps equidem docet, reuelationem, ad Iudaeos factam, *maximi fuiſſe momenti, vſusque & ponderis in aperienda doctrina de Meſſia venturo, & ad eamdem conſeruandam; cap. III. p. 40.* quemadmodum & antea dixerat: *ſunt quidem* (in lege Moſaica) *nonnulla typica aut typice inſtituta, quae Meſſiam & res Meſſiae adumbrant;* ſed vti Meſſiam ſeu Chriſtum tantum pro nouo quodam legislatore, aut doctore, qui homines a variis erroribus liberauerit, habet; ita quae de iſto legis Moſaicae vſu docet, eum aliquid, quod naturaliſtarum ſententiae repugnet, adſeruiſſe, adeo non euincunt, vt potius eum cum illis egregie conſentire demonſtrent. Idque etiam vel inde patet, quod verba Chriſti, quibus *ſe non ad diſſoluendam legem Moſaicam, ſed ad implendam* veniſſe teſtatur *Matth. V. 17.* explicaturus: *quomodo vero*, inquit, *impleuit? quam legem non diſſoluit? Legem ritualem penitus diſſoluit & aboleuit, teſte apoſtolo &c. Quin etiam res ipſa loquitur, exoleuit & euanuit lex iudaica inter chriſtianos, aliter non*

non eſſent chriſtiani, vt a Iudaeis diſtincti; ſed euanuit, vt fugiant vmbrae ad lucem ſolis. Vtcumque quaeres, quid enim non diſſoluerit Chriſtus? quam partem conſeruarit? Dico partem ipſius moralem, naturalem, aeternam, adeoque praeſtantiorem & principalem, quae ex mente legis & legislatoris erat inſtar totius. Caetera typica & adumbrata expleuit quidem & explendo deleuit, ſed partem hanc diuiniorem adeo non extinxit, vt eamdem ſtabilierit, promouerit perfeceritque; cap. II. p. 18. Verum equidem eſt, quod leges caerimoniales abrogatae ſint, poſtquam Chriſtus eas impleuit, hoc eſt, ea omnia peregit, quae per eas ſignificabantur. Ex his autem praecipuum erat redemtio generis humani per cruentum illud ſacrificium, quod pro omnium peccatis Chriſtus patri ſuo obtulit. Idque praecipue commemorandum erat, cum de impletione legis Moſaicae ſermo inſtituitur. At hoc naturaliſtis non placet; nec placet BVRNETIO. Impleuit Chriſtus etiam non tantum legem caerimonialem praeſtando ea, quae per illam ſignificabantur; ſed & legem moralem, vt nos ab eius maledictione liberaret. Praeterea ſi aut intellexiſſet, aut crediſſet, ad ipſum Chriſtum eiusque redemtionem, qua mortalium ſaluti conſultum eſt, legem caerimonialem praecipua quadam ratione ſpectare, non dixiſſet, partem legis Moſaicae moralem praeſtantiorem & principalem, immo diuiniorem eſſe. Euangelii enim, quorſum leges caerimoniales praecipua quadam ratione ſpectabant, non minorem, immo ſuo modo maiorem dignitatem eſſe, quam legis moralis, cum propitius Numinis fauor & miſericordia luculentiſſime in eo fuerit manifeſtatus, & poſt hominum lapſum nobis tantum viam ad ſalutem aeternam conſequendam monſtret, nemo niſi, qui iſtarum rerum plane rudis fuerit, negabit. Sed vt omne dubium eximatur, conſiderandum ſolum, quid de religione chriſtiana doceat. Originem eius atque indolem deſcripturus, *excuſſis*, inquit, *gentium ſordibus, erroribus & fabulis, atque illo onere & farragine ceremoniarum, quibus luxuriabat inſtitutio iudaica, viſum eſt prouidentiae, progrediente mundi aetate, gentem humanam ad vlteriorem vsque perfectionem promouere; tam per notitias rerum diuinarum vitaeque futurae clariores, quam per cultum magis intellectualem, morum & virtutis inſtituta nobiliora. Propterea lex chriſtiana* (hoc nomine totam religionem chriſtianam, certe partem eius praecipuam intelligit) *non tantum poſtulat honeſtatem & innocentiam foras, ſed etiam probitatem integram, ſanctimoniam interiorem, cordis munditiem, renouationem animi ad ſimilitudinem & participationem naturae diuinae; denique voluptatum & vanitatum huius mundi fugam, vitaeque hodiernae & bonorum prae futuris contemptionem, &c. cap. IV. p. 43.* Nulla hic redemptionis, a Chriſto per ſanguinem eius factae, nulla expiationis peccatorum, eorumque, quae huc ſpectant, mentio; perinde ac ſi iſta nullo modo ad religionem chriſtianam pertinerent; cuius tamen caput, praecipuamque partem conſtituunt. Vnde & porro conſequitur, Chriſtum non redemptoris, ſed doctoris ſolum aut legislatoris officio functum, qui id tantum egerit, eumque in finem apparuerit, vt veram virtutis viam illis monſtraret: Hinc & ſeruatorem non aliter, quam doctorem quemdam; ſiue voluntatis diuinae interpretem ac legislatorem deſcribit. *Quidni*, inquit, *audiamus igitur (id iubente Deo) hunc Dei interpretem? hunc coeleſtem legislatorem? cap. IV. p. 53.* Quae porro *cap. V. p. 65. ſeqq.* de *cultu Dei & ritibus ſacris ſecundum legem chriſtianam*, & *cap. VI. p. 85. ſeqq.* de *morum regula & vitae praeceptis ſecundum legem chriſtianam*, differit, ita

com-

comparata ſunt, vt illi etiam, qui ſolius rationis ductum ſequuntur, ea haud difficulter admittere queant. Namque ad ritus ſacros, quo nomine ſacramenta etiam illi veniunt, quod attinet, in iis explicandis ita verſatur, vt, quicquid in illis vim rationis ſuperat, quam diligentiſſime remoueat. Hisce omnibus ita enarratis, tandem ad fidem & dogmata chriſtianorum accedit *cap. VII. p. 104. ſeqq.* vltimo fere loco ponens, quod primum praecipuumque eſſe debebat. Quod cur fecerit, haud difficulter perſpicere licet. Qui enim religionem chriſtianam omnis myſterii expertem eſſe cupiunt, eam totam in doctrinam quamdam moralem conuertunt. De Chriſti, ſeruatoris noſtri, deitate ibidem verba faciens, eam equidem agnoſcit & argumentis quibusdam comprobat *p. 115. ſeqq.* Interim eam creditu non prorſus ad ſalutem neceſſariam eſſe, haud obſcure ſignificare videtur. Hinc Chriſtum id primum a Iudaeis poſtulaſſe ait, vt ipſum agnoſcerent *promiſſum eſſe Meſſiam*, (deitatis nulla facta mentione) & cum hoc agnouiſſent & declaraſſent, *receptos fuiſſe in ſenſum* (forte legendum: *in cenſum*) *fidelium habitosque diſcipulos & proſelytos Chriſti. Haec*, inquit, *erat fides Petri & fidei declaratio, cum Ieſum recognouit pro Meſſia & Dei filio Matth. XVI. 16. Haec erat fides & profeſſio Marthae Chriſto, Lazarum reſuſcitaturo Ioan. XI. 27. Haec fides Nathanaelis & apoſtolorum, Ioan. I. 45. 49.* Verum vt in primo & ſecundo loco ſeruator noſter non tantum Χριστὸς, ſed & diſerte *filius Dei*; in vltimo autem, *filius Dei* & *rex Iſraëlis* vocatur, ita hosce omnes eumdem ſeruatorem noſtrum non tantum agnouiſſe, *promiſſum eſſe Meſſiam*; ſed illum etiam pro *filio Dei*, hoc eſt, vero Deo habuiſſe, longe eſt manifeſtiſſimum. Mirum itaque eſt, qua ratione idem vir doctus quibusdam interiectis ita pergere queat: *His praemiſſis notandum, non patuiſſe, quantum conſtat, diuinitatem Chriſti, ne quidem apoſtolis ante reſurrectionem* (*Marc. XVI. 11. 13. 14. Luc. XXIV. 21.*) *aut Chriſto iam reſuſcitato & in coelum euecto ante effuſionem ſpiritus ſancti; qui de eo teſtimonium adhibiturus erat, & plura dicturus, quam de ſe ipſo dixerat Chriſtus, Ioan. XIV. 26. & XV. 26. &c. Non memini Chriſtum aperte dixiſſe in euangelio, ſe eſſe Deum, ſed eo nomine vſus eſt Thomas apoſtolus audiente Chriſto, nec reprehenſus Ioan. XX. 28. Atque eo modo intellexiſſe videntur Iudaei verba Chriſti Ioan. V. 18. & X. 30. ſeqq.* Enimuero ſi Iudaei verba Chriſti ita intellexerunt, vt inde cognoſcerent, quod ſe Deum vocauerit, quis credat, idem non cognouiſſe apoſtolos? Dumque Thomas, Chriſtum Deum eſſe, profeſſus eſt, vnde hoc didicit, niſi ab ipſo Chriſto? Remota namque incredulitate, quae mentem eius obſcurauerat, eorum iterum memor erat, quae ab ipſo Chriſto fuerat edoctus. Quis itaque credat, diuinitatem Chriſti ne apoſtolis quidem ante eius reſurrectionem; immo nec viſibilem ſpiritus ſancti in illos effuſionem cognitam fuiſſe? Idque ex iis, quae ipſemet auctor deinceps differit, vlterius comprobari poterat. Rectiſſime dicit: *Praeterea cum effecit miracula Chriſtus, non loquutus eſt, vt apoſtoli, nomine alterius; ſed imperatorie & inſtar Dei; p. 107.* Quod ſi ita ſe habet, vti omnino veriſſimum eſt, quis putet, apoſtolos inde non intellexiſſe, eum verum eſſe Deum? Nec tamen ideo eorum cognitionem ita perfectam fuiſſe cenſeo, vt non augeri potuerit. Hoc enim vt lubens fateor; ita nihil aliud quoque ex locis, ad quae auctor prouocat, *Marc. XVI. 11. 13. 14. Luc. XXIV. 21.* probari poteſt. Sed pergit vlterius, atque *in actis apoſtolorum*, inquit, *habemus hiſtoriam naſcentis eccleſiae, prima ipſius lineamenta, ac veluti ſtamina*

Digitized by

ſtamina fidei chriſtianae. Haec declarantes apoſtoli communi & praefato articulo de Ieſu Meſſia adiunxere alterum de ipſius reſurrectione & remiſſione peccatorum credentibus & poenitentibus. Tertium denique de futuro iudicio, per eumdem Chriſtum inſtituendo. Nec plura mihi occurrunt in actis apoſtolorum, l. c. p. 108. Patet hinc luculenter, quod ex mente BVRNETII doctrina de Chriſti deitate, ad *ſtamina fidei chriſtianae*, hoc eſt, ad ipſa religionis chriſtianae fundamenta referenda non ſit. In actis enim apoſtolorum, in quibus ſtamina illa continentur, eam inuenire non potuit. Sed fallitur. Dum enim apoſtoli Iudaeis pariter ac gentilibus Ieſum adnuntiarunt, qui Meſſias, hoc eſt, hominum redemtor eſſet, per cuius etiam nomen remiſſionem peccatorum conſequuturi eſſent, qui in illum eſſent credituri, *act. X. 43.* qui & ſuamet virtute a mortuis reſurrexiſſet, non poterant non ſimul profiteri, eum non nudum eſſe hominem, ſed filium ſimul Dei, verumque adeo Deum, quo nomine & diſerte adpellatur *actor. XX. 28.* Quam quidem ſententiam noſtram auctor ipſemet confirmat, dum eorum, quae apoſtoli docuerunt, ſumma capita in *ſymbolo*, quod vocant, *apoſtolico* contineri obſeruat, *p. 112.* In hoc autem ſymbolo cum non minus in Ieſum Chriſtum & ſpiritum ſanctum, quam in Deum patrem nos credere profiteamur, Ieſum quoque Chriſtum & ſpiritum ſanctum non minus ac patrem verum atque aeternum Deum eſſe, idque apoſtolos quoque docuiſſe neceſſe eſt. Cumque ſymbolum hocce ipſa *ſtamina fidei chriſtianae*, vt auctor loquitur, ſeu fundamenta contineat, doctrinam quoque de Chriſti, ſeruatoris, & ſpiritus ſancti vera & aeterna deitate inter ea referendam eſſe non diffitebitur: quod tamen antea negauerat, certe inter illa, quae apoſtoli in actis, a Luca conſcriptis, docuiſſe leguntur, illi locum non conceſſerat. Hoc equidem deinceps ita explicat, quod haec doctrina *aperte* ab apoſtolis propoſita non ſit: *Proindeque ad dicta vsque tempora, quibus finiuntur acta apoſtolorum, non conſtat, (quaecumque fuerit antiquitas & auctoritas illius ſymboli) vlla dogmata aut fidei chriſtianae capita publice & aperte Iudaeis & gentilibus propoſita fuiſſe, praeter illa praememorata. Dico aperte propoſita ab apoſtolis. Adorabant autem interea Ieſum Chriſtum quotidiano cultu, & in ipſius nomine baptizabant & miracula patrabant. Denique Stephanus moribundus Ieſum Chriſtum inuocans animam in ipſius manus tradidit; act. VII. 59.* Quibus quid ſibi auctor velit verbis, me non ſatis capere, lubens profiteor. Si enim apoſtoli, ceterique, qui eo tempore viuebant, chriſtiani Ieſum Chriſtum quotidiano cultu adorarunt, ſi in ipſius nomine baptizarunt, notum quoque omnibus fuiſſe oportet, Chriſtum eſſe verum Deum. Notum autem eſſe non potuit, niſi aperte hoc docuiſſent apoſtoli. Cuncta qui paullo accuratius conſiderauerit, perſpiciet, auctorem id agere, vt lectoribus perſuadeat, doctrinam de Chriſti deitate ab apoſtolis diſerte non traditam fuiſſe, eamque inter *ſtamina fidei chriſtianae* non eſſe referendam, vnde ſponte ſua ſequitur, eius cognitionem ad ſalutem non prorſus neceſſariam eſſe, ſimul tamen vi veritatis coactum talia adferre, quae huic eius inſtituto e diametro repugnant. Quam parum autem hac in re ſibi conſtet, inde porro patet, quod, cum argumentis quibusdam deitatem Chriſti probaſſet, haec porro ſubiiciat: *Haec cum ita ſint, ſecundum id luminis, quo nos dignatus eſt Deus in oeconomia euangelii, Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, eumdemque Deum, credere & profiteri tenemur. Sin erramus in hac fide, adeo non eſt error voluntarius, vt ſit ineuitabilis. Sequimur enim, quoad poſſumus, duces nobis a Deo datos, ſanctum*

Z Ioan-

Ioannem & apoſtolum Paulum &c. Fieri ergo poſſe putat, vt in hac fide de Chriſti deitate erremus; etſi error non ſit voluntarius, ſed ineuitabilis. Itane in tanta luce, inter tot tamque luculenta de Chriſti deitate teſtimonia fieri poteſt, vt erremus? Non ita exiſtimabit, qui, quae ſcriptura de hocce ſeruatore noſtro, vero homine veroque Deo, tam diſerte tradit, recte conſiderauerit, verbisque eius ac effatis fidem, vt decet, adhibere didicerit. Tantum namque abeſt, vt ſe errare, aut errare poſſe ſibi ſit perſuaſurus, vt potius longe ea de re futurus ſit certiſſimus. De peccato denique originali, ſatisfactione Chriſti, & iuſtificatione, quae omnia ad dogmata ſecundaria in doctrina chriſtiana refert, *cap. VIII. p. 124. ſeqq.* BVRNETIVS eadem ratione verba facit, vt diligenter, quae rationi conſentanea non videntur, remoueat, nihilque adeo, quod ſcopo, quem in hoc opere ſibi conſtitutum habet, repugnet, admittat.

p. 1205. Sed alia adhuc in hocce Houtteuillei opere occurrere &c.) Exſtat etiam *lettre ecrite en province au ſujet du livre de la religion chretienne prouvée par les faits; dans les memoires de Trevoux an. MDCCXXII. menſe Aug. p. 1329.* indeque repetitur *dans le journal des ſtavans MDCCXXII. menſe Iun. p. 632. ſeqq.*

p. 1207. Nimirum belgico primum carmine &c.) Hiſtoriam libri huius, quem *de veritate chriſtianae religionis* HVGO GROTIVS ſcripſit, etiam exhibet auctor *vindiciarum Grotianarum*, quae Lipſiae 1727. 8. prodierunt, *part. I. p. 198. ſeqq.* qui & editiones eius verſionesque ſummo ſtudio recenſet *p. 800. ſeqq.*

ibid. propediemque luci publicae itidem exponet &c.) Immo *notas* iam expoſuit in peculiari volumine, quod inſcribitur: *Hugo Grotius de veritate religionis chriſtianae, Conringii, Henichii, Cypriani, Limborchii, Clerici, Stollii, Heumanni, notis ac animaduerſionibus illuſtratus, opera ac ſtudio* IOAN. CHRISTOPHORI KOECHERI, *qui & ipſe cogitationes ſuas hinc inde adſperſit*; Ienae 1727. 8.

p. 1208. de auctoribus praeſtantiſſimis, qui in eodem argumento &c.) Hisce etiam, vt alios nunc taceam, adnumerandus eſt vir doctiſſimus IO. ALPHONSVS TVRRETINVS, cuius diſſertationes aliquot huc ſpectantes, ſcilicet *de reuelationis neceſſitate*; *de reuelationis veritate*; *de veritate religionis iudaicae*, in *opuſculis* eius *varii generis*, iunctim editis, & quidem *tom. II.* qui Brunſwigae anno 1726. prodiit, exſtant *149. ſeqq.* Ceterum cum ante biennium circiter, ſcilicet anno 1724. Londini *diſſertatio, de fundamentis & rationibus religionis chriſtianae*, anglice ab ANTONIO COLLINO, vt perhibent, quem & *diſſertationis de libertate cogitandi*, quae non minorem ſtrepitum dedit, auctorem eſſe, conſtat, ſcripta prodiiſſet, ad fundamenta religionis chriſtianae labefactanda, comparata; exſtiterunt in Anglia viri praeſtantiſſimi, qui huius defenſionem contra profani hominis inſultus in ſe ſuſciperent. Duabus diſſertatio iſta conſtat partibus; quarum prior *obſeruationes ad loca quaedam veteris teſtamenti, quae in nouo allegantur*, praeſertim ad *vaticinia veteris teſtamenti, quae impleta eſſe in nouo dicuntur*, continet; altera autem ſyſtema GVIL. WHISTONI de eiusmodi allegationibus refellit. Id autem auctor iſte agit, vt ex iſtis allegationibus argumentum ſumat, quo probet, infirmo atque lubrico fundamento veritatem religionis chriſtianae inniti. Summa iſtius diſſertationis exhibetur in ARMANDI DE LA CHAPELLE *bibliotheque angloiſe tom. XI. part. I. artic. III. p. 87. ſeqq.* Quae diſſertationi huic oppoſita fuerunt ſcripta, idem vir doctiſſimus recenſet, & quidem GVIL. WHISTONI, *tom. XII. part. I. artic. III. p. 62. ſeqq.* EDVARDI

CHAND-

CHANDLERI & SAMVELIS CLARCKII, eiusdem *tomi XII. part. II. artic. VII. p. 446. ſeqq.* THOMAE SCHERLOCKII *tom. XIII. part. I. artic. VII. p. 250. ſeqq.* & *part. II. artic. V. p. 471. ſeqq.* Aliud rurſus ſcriptum, quo eamdem diſſertationem impugnauit ARTHVR ASHLEY SYRES, enarrat IOAN. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XXIV. part. I. art. XII. p. 229. ſeqq.* & *part. II. artic. II. p. 298. ſeqq.*

p. 1210. cum Petrus Iurieus librum &c.) Referendus itaque IVRIEVS inter illos eſt, qui religionum indifferentismum impugnarunt, quod & MOSES AMYRALDVS, BENEDICTVS PICTETVS, aliique fecerunt, laudati in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten, cap. VII.* ad §. *XII. p. 703.* Addendus autem illis eſt IOAN. ALPHONSVS TVRRETINVS, in *diſputatione theologica aduerſus eos, qui ſtatuunt, quamcumque religionem profitearis, perinde eſſe*, quae in *opuſculorum* eius *varii generis tom. II.* Brunſwigae 1726. 8. edito, exſtat *p. 116. ſeqq.* Recentiori aetate in Anglia in ſuſpicionem indifferentismi defenſi venit ARTHVR ASHLEY SYRES, antea quoque nobis memoratus, eamque auxit edito lingua anglicana libro: *innocentia erroris* inſcripto, cuius adeo etiam *defenſionem* in lucem emiſit. Recenſet haec, aliaque eiusdem generis monumenta, quae huius loci ſunt, IOAN. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XX. part. I. artic. IV. ſeqq.* vsque ad *XI. p. 149. ſeqq.* & *part. II. artic. X. p. 349. ſeqq.*

ibid. quos inter haud vltimus eſt Hugo Grotius &c.) Repetenda hic omnino, quae de HVGONE GROTIO ſupra dicta ſunt ad §. *IX.* huius *capitis p. 1104.* Addenda autem, quae auctor *vindiciarum Grotianarum part. II. p. 496. ſeqq.* it. *p. 503. ſeqq.* alibique de religione HVGONIS GROTII diſſerit, qui & *p. 497. ſeqq.* remonſtrantium de religionum diuerſarum tolerantia, placita exhibet.

p. 1221. Mohammedem plagii poſtulauit &c.) Alia rurſus via incedit MATTH. GEORG. SCHROEDERVS, dum, impoſtorem iſtum ſubinde ſibi ipſum contradixiſſe, euincit, in *Mohammede teſte veritatis contra ſe ipſum, Turcis verace, qui mendacia admittat, chriſtianis mendace, qui veritatem dicat, vtrimque ex locis alcorani vtrisque demonſtrato; &c.* Lipſiae 1718. 8.

p. 1229. quorum auctor Ioannes Agricola &c.) Non tantum antinomorum auctor fuit Ioannes iſte Agricola, ſed & cum IVLIO PFLVGIO & MICHAELE SIDONIO libellum *interim*, κατ' ἐξοχὴν ſic dictum, confecit; hinc notum ſatis in hiſtoria eccleſiaſtica eius nomen eſt. Vitam eius lectu dignam exhibet IOANNES ERDMANNVS BIECKIVS in *dem dreyfachen interim &c. cap. II. §. II. p. 16. ſeqq.* qui & *p. 19.* ſcripta quaedam, ad hiſtoriam controuerſiarum cum antinomis ſpectantia, laudat; qualia etiam commemorat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *deliciis epiſtolicis &c. not. ad epiſt. I. p. 2. ſeqq.*

p. 1230. Oſiandriſtis deſtinatus eſt &c.) De controuerſiis hisce Oſiandriſticis praeter IO. SLEIDANVM, VITVM LVDOVICVM SECKENDORFIVM, aliosque eiusdem generis ſcriptores, cumprimis conferendus CHRISTOPHORVS HARTKNOCHIVS, in *der Preuſſiſchen Kirchenhiſtorie lib. II. cap. II. p. 309. ſeqq.* Addendi, quos laudat IOAN. HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica*, in *notis ad epiſt. III. p. 8. ſeqq.*

ibid. Ad controuerſias interimiſticas & adiaphoriſticas &c.) IO. ERDMANNVS BIECKIVS *l. c.* generatim ſcripta, ad hasce controuerſias ſpectantia, recenſet; quae autem ſpeciatim MATTHIAM FLA-

CIVM auctorem agnoſcunt IO. BALTHASAR RITTERVS *l. c. p. 353. ſeqq.* Praeter FLACIVM autem NICOLAVS AMSDORFIVS & NICOLAVS GALLVS cumprimis in hoc certamine eminuerunt, vt ſupra quoque obſeruatum ad *cap. VII. §. VIII. p. 1044.* Et illius quidem qui recenſuerunt ſcripta, itidem iam indicauimus *l. c. p. 1048.* quibus tamen adhuc addendus CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS in *der hiſtorie von Wurtzen p. 757.* conf. & IO. MARTINVS SCHAMELIVS in *Numburgo litterato §. XVIII. p. 41.* Huius autem, ſiue NICOLAI GALLI quaedam, quae huc faciunt, indicat IOANNES HENRICVS A SEELEN in *philocalia epiſtolica* in *notis ad epiſt. VI. p. 31.* Alia quoque ad hiſtoriam litterariam belli interimiſtici ſpectantia idem obſeruat in *deliciis epiſtolicis not. ad epiſt. III. p. 47. ſeqq.* De IVLIO PLVGIO, epiſcopo Numburgenſi, quem cum MICHAELE SIDONIO & IO. AGRICOLA libellum *interim*, καθ' ἐξοχὴν ſic dictum, concinnaſſe conſtat, praeter IO. ERDMANNVM BIECKIVM conferendus IO. MARTINVS SCHAMELIVS in *Numburgo litterato §. XIX. p. 44. ſeqq.* vbi ſcripta eius diligenter recenſet, & de antagoniſtis quoque eius quaedam obſeruat. Addenda & quae idem vir doctus de NIC. MEDLERO, qui inter illos, qui ſe libello *interim* oppoſuerunt, haud vltimum locum tenuit, *§. XVI. p. 17. ſeqq.* copioſe diſſerit, vbi & talia tradit, quae controuerſiis hisce interimiſticis earumque hiſtoriae lucem minime contemnendam adfundere poſſunt.

p. 1233. de hisce conſenſus repetiti vindiciis obſeruat) Conferenda, quae de iisdem refert ELIAS MARTINVS EYRINGIVS, in *vita Erneſti pii, ducis Saxoniae, cap. XIV. p. 67.*

AD LIB. II. CAP. VIII.

P. 1244. Prodierunt cum praefatione mea &c.) Tertia libri huius vtiliſſimi editio ab auctore recognita, & adnotationibus quibusdam aucta lucem adſpexit Ienae 1729. 8. Addi his etiam poſſet IOAN. ALPHONSI TVRRETINI *de ſacrae ſcripturae interpretandae methodo tractatus bipartitus: in quo falſae multorum interpretum hypotheſes refelluntur, veraque interpretandae ſacrae ſcripturae methodus adſtruitur*, Traiecti Thuniorum (id eſt Dordraci) anno 1728. Sed continentur tantum in eo quaedam ex TVRRETINI recitationibus, in quibus hoc egit, vt IACOBI GVSSETII ſyſtema, quod in *commentariis linguae ebraeae* propoſuit, ſub examen reuocaret, inſcio & inuito auctore edita, qui tamen ſpem fecit, fore, vt ipſemet hocce opus in lucem emitteret; vid. *bibliotheque raiſonnée des ouvrages des ſçavans de l' Europe tom. I. part. I. artic. IX. p. 121. ſeqq.*

p. 1245. aliique in ſuis praeloquiis ſeu prolegomenis &c.) *Prolegomena* IO. STEPHANI MENOCHII cum *commentariis* eius *totius ſacrae ſcripturae* recudi curauit RENATVS IOSEPHVS TOVRNEMIVS, Pariſiis 1719. duobis tomis in fol. Idem vero etiam *ſupplementum* aliquod adiunxit, in quo IACOBI BONFRERII *praeloquia in totam ſcripturam ſacram*, aliasque virorum doctorum ex Romanenſium coetu commentationes, ſcripturae ſacrae interpretationi inſeruientes, exhibet; de quibus infra plura dicemus, vbi nouam hanc *commentariorum* MENOCHII editionem commemorabimus. Commendatur etiam liber, qui inſcribitur: *regles pour l' intelligence des ſaintes ecritures*, quiue Pariſiis prodiit anno 1716. 12. cuiusue auctor abbas D' ASFELD eſſe dicitur, & hactenus merito commendatur, quod auctor ſibi propoſuerit, vbique in veteri

veteri teſtamento Chriſtum quaerere; quem in finem duodecim poſuit regulas, quibus oſtendere voluit, quo pacto hoc fieri debeat. Conf. *memoires de Trevoux an. M DCC XVII. menſe Iul. artic. LXXIII. p. 1025. ſeqq.* item *iournal des ſçavans M DCC XVII. menſe Februar. p. 153. ſeqq.* Acerrima tamen, ſimul vero parum aequa cenſura huncce librum perſtrinxit nonnemo, qui ſub R. ISMAELIS BEN ABRAHAM nomine latitans, edidit *mouaacab ceinture de douleur, ou refutation du livre intitulé, regles pour l' intelligence des ſaintes ecritures* Pariſiis 1723. 12. vid. *iournal des ſçavans M DCC XXIV. menſ. Mart. p. 313. ſeqq.*

p. 1247. Commendandus itaque potius Theophilus Alethaeus, vt vir quidam doctus vocari voluit) Laborem huncce ſub THEOPHILI ALETHAEI nomine a LAVRENTIO MVLLERO primum inchoatum, deinde a IEREMIA FRIDERICI continuatum, in ſequentibus docebimus.

p. 1248. Ad romanae eccleſiae addictos &c.) Iis, quos commemorauimus, adhuc addendus AVGVSTINVS CALMETVS; cuius quippe *dictionario hiſtorico, critico, chronologico, geographico & litterali ſacrae ſcripturae*, praemiſſa eſt *bibliotheca ſacra; ſiue catalogus optimorum librorum ſtudio ſacrae ſcripturae inſeruientium*, in quo codicis ſacri editiones, verſiones, commentatores, auctores, qui ſingularia quaedam in ſingulis libris biblicis capita illuſtrarunt, & alia eiusdem generis ſcripta ſummatim indicantur. In praefatione ſcriptores concordantiarum & lexicorum biblicorum praecipui indicantur; quamquam ad hos quod attinet, ex recentioribus, qui hic in cenſum veniunt, vnicus tantum nominetur SIMONIVS, cuius *dictionarium biblicum* Lugduni anno 1693. in fol. prodiit, de quo & in ſequentibus plura dicemus. Lucem vero deinceps adſpexit *dictionarii* iſtius *hiſtorici, critici* &c. *ſupplementum*, ab ipſo CALMETO confectum, Pariſiis anno 1728. duobus tomis in fol. quorum poſteriori itidem *ſupplementum bibliothecae* iſtius *ſacrae* ſubiunctum eſt; in quo plurima ſunt addita, multa etiam emendata, idque praecipue opera & ſtudio ILDEFONSI CATHELINOT, qui hac ratione, velut compendium aliquod magni operis, quod de textibus originalibus ſcripturae ſacrae, deque commentariis, aliisque ad ſcripturae illuſtrationem quocumque modo ſpectantibus ſcriptis, compoſuit, dare voluit. Nec tamen adeo eximii quid hocce *ſupplementum*, vti nec ipſa haecce *bibliotheca ſacra* continet, vt non pleraque iam alibi, praeſertim in IACOBI LE LONG *bibliotheca ſacra*, inueniantur, ex qua & errores quidam retenti fuiſſe videntur.

ibid. Ad romanae eccleſiae addictos dum progredimur &c.) Iis, quos commemorauimus, doctorum virorum commentationibus addenda IOSEPHI PASINI *diſſertatio polemica, de praecipuis ſacrorum bibliorum linguis & verſionibus*, Patauii anno 1716. 8. in quam *animaduerſiones polemico-criticas* ſcripſit HENRICVS SCHARBAV, quae exſtant in *parergis* eius *philologico-theologicis part. III. p. 146. ſqq.*

ibid. Primum ſe nobis offert Franciſcus Sixtus, Senenſis &c.) Repetenda, quae de hocce auctore diximus in *addendis* ad *lib. I. cap. III.* §. *XXII. p. 76.*

p. 1271. chronologiam patriarchalem antediluuianam &c.) Calculum tamen huic commento adiecit CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, dum in *epiſt. arcan. tom. I. p. 494.* ad ISAACVM VOSSIVM hunc in modum ſcripſit: *chronologia tua ſeptuaginta interpretum in compluribus iam diu confudit ſciolos, ac de ignorantiae praeſidiis omnibus deiecit.* Sed refutauit eum IOAN. HENRICVS A

SEELEN in *praefatione*, quam *deliciis* ſuis *epiſtolicis* praemiſit.

p. 1303. Similem, ampliorem tamen paulo antea collectionem dederat Iacobus Rhenferdius) De vtraque hacce collectione IOAN. FECHTIVS, celeberrimus quondam academiae Roſtochienſis theologus, hunc in modum pronuntiat: *Sexennium eſt, ex quo in Belgio intra vnius anni ſpatium duo viri eruditi ſelectiores de hoc ipſo argumento diſſertationes in vnum volumen collectas, in publicum ediderunt, ſine & ſcopo, vt ego opinor, plane diſpari. Nam Iacobus Rhenferdius diſſertationum philologico-theologicarum de ſtylo noui teſtamenti ſyntagma eo potiſſimum direxit, vt Coccei atque Gatakeri aduerſus Pſochenium partes auctorum copia firmaret, quem in cenſum nempe referendi ſunt Moſes Solanus, Martinus Petrus Cheitomaeus, Io. Henricus Hottingerus, Io. Leusdenius, Caſparus Wyſſius, Io. Vorſtius; qui adſeruiſſe videbantur, paſſim in nouo teſtamento ebraismum regnare, adeoque totam dictionis indolem & formam faciemque ſtyli, totumque orationis corpus cum ea graecitate non conuenire, quae in profanis occurrit. Quod tamen cum ea moderatione, de qua paulo ante dictum, intellexit Rhenferdius, cum Io. Olearii de hac materia diſſertationem ſimul collaudet, in qua ſuum ebraismis in nouo teſtamento vſum atque frequentiam ita adſeruerit, vt ne tamen de integritate eius quidquam delibaret, neque atticam elegantiam paſſim enitentem illi denegaret. Taco Haio vero van den Honert in ſua collectione contraria via incedit, & eos ſolummodo auctores profert, qui Pſochenii ſententiae acceſſerunt propius, vtpote Henrici Stephani, Theodori Bezae, Georgii Paſoris, (qui nempe Pſochenio, vt Coccio ſeſe opponeret, auctor fuerat) & Ioan. Georgii Straubii editos de hoc argumento tractatus, qui errorem eorum, qui in ſacris noui teſtamenti ſcriptis inculta omnia & horrida eſſe ſentiunt, variis rationibus, ex interiore linguae natura, optimisque Graeciae ſcriptoribus petitis, oſtendant, in plurimis elegantiam Latinis inimitabilem a barbariei vitio vindicent, & ſicubi quaedam occurrant, quae longius a graece loquendi ratione recedunt, ea vel obſeruatione quadam emendent, vel eiusmodi eſſe demonſtrent, vt ex iis ne minimum quidem fidei noſtrae κεφάλαιον attingi nedum conuelli poſſit*; in *praefatione* RAPHELII *annotationibus philologicis in nouum teſtamentum ex Xenophonte collectis* praefixa.

p. 1307. ab eo deinceps ſubinde emendata &c.) De ſecunda editione *noui teſtamenti*, per DES. ERASMVM Roterodamenſem curata, nonnulla lectu & obſeruatu digna in medium adfert IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS, in *amoenitatib. litterariis tom. I. num. VII. p. 222.*

p. 1332. Iam quid Hieronymus &c.) Dum, quid HIERONYMVS circa verſionem ſcripturae ſacrae latinam praeſtitit, hic exponimus, non abs re fuerit, obſeruare, eſſe viros doctos, qui eidem etiam verſionem quamdam dalmaticam ſeu ſlauonicam tribuunt. Sed magnopere eos falli, praeter alios copioſe & ex inſtituto oſtendit IOAN. PETRVS KOHLIVS in *introductione in hiſtoriam & rem litterariam Slauorum inprimis ſacram; ſiue hiſtoria critica verſionum ſlauonicarum maxime inſignium, nimirum codicis ſacri & Ephremi Syri &c.* Altonauiae anno 1729. 8. edita, *cap. II. p. 55. ſeqq.* Speciatim, quae IOAN. GEORGIVS STREDOVSKIVS pro communi ſententia in medium attulit, refellit, originem erroris detegit, & antiquae iſtius verſionis ſlauonicae, quae hodie adhuc exſtat, METHODIVM atque CYRILLVM auctores eſſe euincit, & alia quaedam lectu haud indigna adſpergit, §. *V. ſeqq. p. 94. ſeqq.*

p. 1334. ſub Sixto tamen V. demum iſtud ad finem perductum eſt) Ad adcuratio-

ratiorem editionis huius notitiam facit PROSPERI MARCHAND *hiſtoire de la bible de Sixte quint, avec des remarques pour connoiſtre la veritable edition de 1590.* Pariſiis 1704. Quam quidem diſſertationem integram *amoenitatibus* ſuis *litterariis* inſeruit IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS *tom. IV. p. 433. ſeqq.*

p. 1337. primum ſe nobis offert Santes Pagninus &c.) Copioſius de hacce verſione diſſerit vir doctiſſimus IOAN. GOTTLOB CARPZOVIVS in *critica ſacra veteris teſtamenti part. II. cap. VII. §. IV. p. 712. ſeqq.* Praemiſſa namque paucis eius hiſtoria, aliorum de illa iudicia refert, indolem & rationem exemplis declarat, varias editiones recenſet, recognitionem & emendationem ARIAE MONTANI enarrat, ſimulque, quod ea paſſim male audiat, indicat tandemque & naeuos, ab ARIA MONTANO in iſta emendatione admiſſos, non diſſimulat, quod ſcilicet in vocibus πολυσήμοις incongruam ſaepe & loco ac contextui minus conuenientem ſequutus ſit ſignificationem; quod praeter neceſſitatem vocabula PAGNINI cum aliis aequipollentibus permutauerit; quod, quae PAGNINVS commode transtulerat, in verbis pariter ac ſenſu corruperit, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, quae & exemplis illuſtrat. Editiones autem verſionis huius dum commemorat, eam quoque non praetermittit, quae Lugduni anno 1542. in fol. cum praefatione & ſcholiis quibusdam MICHAELIS VILLANOVANI, hoc eſt, MICHAELIS SERVETI prodiit; de qua & porro pronuntiat: *Velut autem ſub Villanouani nomine Michaelem Seruetum latere, Sandius in bibliotheca antitrinitariorum docuit, ita probe monuit Ioan. Caluinus p. 60. defenſionis orthodoxae fidei aduerſus Serueti errores, edit. an. M D L I V. in 8. quicquid eſt iſtarum adnotationum non Pagnino; ſed Serueto deberi, qui ſingulas paginas partim multis futilibus nugis, partim impiis deliriis inquinauerit; l. c. §. III. p. 715.* Sed cum haecce verſionis PAGNINI editio longe ſit rariſſima, nonnulla ad accuratiorem eius notitiam ſpectantia ſuppeditat MICHAEL DE LA ROCHE, dum, quae alias quidem de ea communicauerat, *bibliothecae* ſuae *anglicanae* inſeruit *tom. V. part. I. artic. II. p. 5. ſeqq.* Sed plenius diligentiusque idem praeſtitit IOAN. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, aut ſi mauis, HENRICVS AB ALLWOERDEN, in *hiſtoria Michaelis Serueti*, per modum diſſertationis academicae, Helmſtadii anno 1727. edita, & ſupra iam a nobis laudata *p. 187. ſeqq.* Integram ibi SERVETI exhibet *praefationem*, quod & MICHAEL DE LA ROCHE fecerat, atque ex ea conſtare, obſeruat, SERVETVM exiſtimaſſe, omnes veteris teſtamenti vaticinationes hiſtoricum & litteralem habere ſenſum, dudum veteris teſtamenti tempore impletum, myſtice vero tantum ad Chriſtum transferri poſſe. Ad *notas* SERVETI quod attinet, monet auctor eruditiſſimus, mediocrem eſſe earum numerum, in libris hiſtoricis perpaucas conſpici, longe vero plures ad pſalmos & libros propheticos adſcriptas eſſe, in quibus omnibus id agatur, vt oracula, quae de Chriſto plerique omnes interpretantur, litteraliter de rebus veteris teſtamenti explicet. Praeter alia exempli loco adfert explicationem *capitis LIII. Eſaiae*, quam SERVETO vel maxime exprobrauerit CALVINVS, & quae ita ſe habet: *Quaſi exigentibus populi peccatis interfectum Cyrum defiet propheta, eo quod poſtea ſub Cambyſe multo deterius habuerint, impedita tunc & diruta templi aedificatione iam inchoata, Dan. IX. Fuitque haec a Deo data occaſio praedicandi paſſionem Chriſti, cui ſoli conuenit horum verborum ſublimitas & veritas.* Mirum autem, CALVINVM iſtam vaticinia veteris teſtamenti explicandi rationem tantopere in SERVETO

TO improbaſſe, quam tamen ipſummet alias ſequutum eſſe conſtat, adeo vt AEGIDIO HVNNIO noſtro occaſionem praebuerit librum edendi, quem *Caluinus iudaizans* &c. inſcripſit, vt alias iam nobis obſeruatum eſt. Ceterum non ſoli CALVINO eiusque ſociis has SERVETI adnotationes impias & periculoſas viſas, ſed pontificios etiam mature animaduertiſſe, eſſe in illis, quae ferri nequeant, HENRICVS ALLWOERDEN ad ductum IO. LAVR. MOSHEMII porro nos condocet, eumque in finem, quae in ANTONIO A SOTOMAIOR, & CASPARIS QVIROGAE *indicibus librorum expurgandorum & prohibendorum* ex iis, ceu atro notanda lapillo, adlata ſunt, recenſet *p. 192. ſeqq.*

p. 1338. verſio Sebaſtiani Caſtalionis &c.) Plura de hac verſione dabit IOAN. GOTTLOB CARPZOVIVS in *critica ſacra vet. teſtam. part. II. cap. VII.* §. *VII. p. 737. ſeqq.* Poſtquam enim de auctore eiusque inſtituto quaedam monuit, cenſuras, quas haecce verſio experta eſt, recenſet, atque hinc ſuam de ea ita exponit ſententiam, vt exemplis quibusdam comprobet, CASTALIONEM verſuum interdum diſtinctionem ſusque deque habere; nec ad accentus attendere; perſonas loquentes mutuo permutare; neglectu ſuffixorum alienum plane reddere ſenſum; emphaſin textus ebraei non ſatis exprimere, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. IACOBVM autem AVGVSTVM THVANVM *hiſtoriar. lib. XXXVI. ad annum LXIII.* de CASTALIONE pronuntiantem, *a rebus ad tantum opus neceſſariis hominem imparatiſſimum, nouam bibliorum interpretationem inſolenti temeritate molitum eſſe*, haud dubie illi iniuriam feciſſe, recte iudicat CARPZOVIVS, ſiquidem verſionem eius cum fontibus comparanti ad oculum pateat, apprime peritum eum fuiſſe ebraismi, a quo non ignorantia, ſed nimio latinae dictionis ac perſpicuitatis ſtudio diſceſſerit *l. c. p. 744.* Generatim autem & ex inſtituto verſionem hancce CASTALIONIS defendendam in ſe ſuſcepit CHRISTOPHORVS WOLLE in *diſſertatione critica de eo, quod pulchrum eſt in hac verſione*, quam praefationis loco editioni Lipſienſi, quae ſumptibus SAM. BENIAM. WALTHERI prodiit, praemiſit. Nimirum varia primum de hacce verſione iudicia recenſet, horumque cauſſas aperit, aberrationes quoque in ea deſideratas indicat, notione hinc pulchri tum generatim, tum ſpeciatim in verſione quadam conſtituta, hancce CASTALIONIS tum ob claritatem, tum ob fidelitatem iure meritoque pulchram dici contendit, ſimulque tum a ſuſpicione eneruatae emphaſeos ſacrae, ſtilique diuini maieſtatis laeſae, tum a leuitate animi auctorem liberat, immo ob ſtilum rei conuenientem vbiuis vſurpatum, maxime in cantico canticorum, commendat. Atque ad editionem quidem iſtam, quam memorauimus, quaeue reliquis a CARPZOVIO *l. c. p. 738.* laudatis addi poteſt, quod attinet, primum nouum teſtamentum prodiit Lipſiae 1724. 12. eique praemiſſa eſt paraeneſis MATTHIAE BELII, in qua, quo pacto omnis litteratura etiam ethnica ad Chriſtum referri & queat, & debeat, eleganter oſtendit. Vetus deinde teſtamentum vna cum libris apocryphis Lipſiae lucem adſpexit anno 1728. tribus tomis 12. Primo *diſſertatio* iſta *critica* CHRISTOPHORI WOLLII, *de eo, quod pulchrum eſt in hac verſione*, cuius iam mentionem fecimus, praefixa eſt; *ſecundo* autem *praefatio* MATTHIAE BELII, in qua de *ethices ethnicae naeuis praecipuis* erudite & eleganter diſſerit. Quod autem CASTALIO ob hancce verſionem ſuam etiam inter reformatos cenſores quosdam, eosque ſatis acerbos nactus eſt, eius rei praecipua haecce ratio eſt, quod in doctrina de praedeſtinatione a IO. CALVINI placitis diſceſſit. Eamdemque ob cauſſam aſpera admodum illi ſubeunda

fuiſſe

fuiſſe fata notum eſt. Arminiani autem vti eum ſuis quodammodo adnumerant; ita & mitius de eius verſione ſentiunt. Conferendus de eo PETRVS BAELIVS in *dictionar. hiſt. & crit. voc. Caſtalio p. 837. ſeqq.* conf. & GERARDI BRANDT *hiſt. abregé de la reformation des pais-bas tom. I. lib. XVIII. p. 375. tom. II. lib. XXXVII. p. 63.* item *lib. LVIII. p. 375.*

p. 1339. hic vel maxime commendandus eſt Sebaſtianus Schmidius &c.) Cenſorem nactus eſt CONRADVM SAMVELEM SCHVRZFLEISCHIVM, qui, *noua*, inquit, *Sebaſtiani Schmidii bibliorum interpretatio aliquot dies ſunt, cum in manus meas venit, quae ceteris quidem accuratior eſt, ſed per omnia exſpectationi meae non reſpondet, & in plerisque ſic obſcura eſt, vt auctor diuini ſcriptoris ſenſum non adſequatur, praeſertim in Leuitico & numeris, vbi explanatio eius dubia & anceps, vel difficultatibus implicata eſt, quas idoneus accuratusque interpres expedire potuiſſet*; *epiſt. arcan. tom. II. p. 200. ſeqq.* Sed hancce *bile & iniuria in Schmidium non carere* cenſuram, adſerit IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, qui tamen, quid ipſemet in hacce verſione deſideret, non diſſimulat, in *critica ſacra vet. teſtam. part. II. cap. VII. §. III. p. 709.* Ex inſtituto etiam SCHMIDII cauſſam contra SCHVRZFLEISCHIVM egit IO. HENR. A SEELEN in *praefatione*, quam *deliciis* ſuis *epiſtolicis* praemiſit.

p. 1342. quod Theodoretus diſerte Scytharum & Sauromatarum &c.) Legenda, quae de hocce THEODORETI loco diſputat IOANNES PETRVS KOHLIVS in *introduct. in hiſtoriam & rem litterariam Slauorum imprimis ſacram &c. cap. II. §. I. p. 62. ſeqq.* vbi illos omnium accuratiſſime iudicare proximeque ad veritatem accedere pronuntiat, qui Getarum quondam populum Sauromatas, geticamque linguam Sauromaticam quoque dictam exiſtimant. De Scythica autem lingua, in quam ſuo iam tempore ſcripturam ſacram conuerſam fuiſſe THEODORETVS memorat, accurate diligenterque diſſerit MATTHIAS BELIVS in *exercitatione de veteri litteratura Hunno-Scythica*, Lipſiae anno 1718. 4. edita.

p. 1343. Tempore Lotharii I. imperatoris & Ludouici II. vixit Otfridus &c.) OTTFRIDI, Weiſſenburgenſis, *volumen euangeliorum, in quinque libros diſtinctum, a Ioan. Schiltero latinitate donatum, ac eximiis obſeruationibus exornatum, collatum autem cum codice manuſcripto Vindobonenſi, & emendatonibus ex codice manuſcripto Vaticano deſumtis, ac praeterea notis auctum*, a IO. GEORGIO SCHERZIO, vna cum SCHILTERI pariter ac MATTHIAE FLACII, illyrici, *praefationibus*; NOTKERI tertii LABEONIS *pſalterium Dauidicum, e latino in theotiſcam veterem linguam verſum, & paraphraſi illuſtratum, numquam alias editum*, quod *e manuſcripto codice peruetuſto domini* DE LA LOVBERE *primus eruit, & deſcribi, dum viueret, curauit, tum interpretatione & notis ornauit* IOANNES SCHILTERVS, cum *praefatione* SCHILTERI eiusque *ſupplemento*, a IO. FRICKIO adornato, & BERNARDI FRANCKII *diſſertatione critico-hiſtorica, de auctore theotiſcae paraphraſis pſalterii*; WILLERAMI denique, abbatis Eberspergenſis in Bauaria, *in canticum canticorum paraphraſis gemina, prior rhythmis latinis, altera veteri lingua francica, ex optimae notae manuſcriptis bibliothecae Rhedigerianae Vratislauienſis exhibita*, cum *variis lectionibus* PETRI SCRIVERII & GOTTHARDI VOEGELINI, vt & *notis* PANCRATII CASTRICOMII & FRANCISCI IVNII *ſelectis*, item *integris* IO. SCHILTERI, nec non IO. GEORGII SCHERZII, continentur in IO. SCHILTERI *theſauro antiquitatum teutonicarum, eccleſiaſticarum, ciuilium, litterariarum*, cuius ſupra iam mentionem fecimus, & quidem *tom. I.* qui Vlmae 1727. in fol. prodiit. IOANNES FRICKIVS, vir longe doctiſſimus in *praefatione*, quam *tomo* huic praemiſit,

miſit, *generali*, pererudita, varia, quae ad notitiam iſtorum monumentorum pertinent, ſuppeditat.

p. 1351. ſed multis paraſangis ſuperauit Io. Diecmannus &c.) Iniquum CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII, de viro hocce doctiſſimo ac de germanicae Lutheri verſionis editionibus praeclare merito, ita pronuntiantis: *Diecmannum neſcio, quid incitauit, vt germanicam, qua nulla terſior eſt, interpretationem refinxerit, eamque operam non minus difficilem, quam moleſtam ſumſerit, quippe Sauberto & Schmidio, qui ad hoc adgreſſi ſunt, impar, atque ab omnibus interpretandi ſubſidiis imparatus*; *epiſt. arc. tom. II. p. 201.* recte explodit IOAN. HENRICVS A SEELEN in *praefatione*, quam *deliciis* ſuis *epiſtolicis* praemiſit.

p. 1355. Sed vt abſoluamus &c.) Bibliis hiſce Vinarienſibus, de quibus hucusque diximus, merito ſubiungimus ſumme reuerendi viri CHRISTOPHORI HEINRICI ZEIBICHII, ſacrorum apud Vinarienſes antiſtitis ſupremi, *biblia exegetica*, quae *biblia Vinarienſia minora* adpellare poſſes, quaeue inſtituto laudabili edere coepit. Quid vir doctiſſimus in hocce opere praeſtiterit, ipſa nos quam rectiſſime docebit inſcriptio: *Biblia exegetica, das iſt, die heilige Bibel, wobey die herrliche Vberſetzung Lutheri ſonder Aenderung beybehalten, der Grundtext aufs fleiſigſte vnterſucht, vnd wie der heilige Geiſt rede, auch denen, die der heiligen Sprachen nicht kundig ſeyn, angezeiget, der real-Parallelismus mühſam mitgenommen, auch alles ſchwere vnd nachdenckliche neruôs erläutert, folglich der Kern aus fleiſiger vieliaehriger Leſung alt vnd neuer Exegeten dargeleget, vnd bey eigner meditation, die reinen, ſichern, vnd bewaehrteſten Meynungen mitgetheilet, ſowohl die Lebens-Beſchreibungen heiliger Scribenten, nebſt ſolider Einleitung in iedes Buch, ſamt nöthigen genealogien vnd chronologien, hinzugefüget werden &c.* Prodiit autem ſolum pentateuchus Eilenburgi anno 1726. 8. forma maiori. Cumque ſumme reuerendus auctor in *praefatione*, ſe eadem methodo reliquos quoque libros biblicos pertractaturum polliceatur; Deum praepotentem, vt illi vires vitamque, ad laborem huncce proſpere finiendum, largiatur, ſupplex veneror.

p. 1387. ſed integros quoque libros biblicos &c.) Inter reliquos CHRYSOSTOMI commentarios, eum, quem in Eſaiam ſcripſit, mirum in modum laudat ISAACVS CASAVBONVS. *Tomum primum*, inquit, *commentariorum Chryſoſtomi, qui deſinit in Eſaiam, abſolui, opus vere aureum, & quod imperfectum eſſet maiori ex parte, ſit dolendum. Vix puto, ex omnibus ſcriptis veterum patrum vtriusque linguae, opus ſimile exſtare illi ſcripto, ſi modo exſtaret integrum. Nam meo iudicio ipſum ſe Chryſoſtomus eo libro ſuperauerat. Tanta pietas, tanta in ſacra ſcriptura eruditio, quam in illo viro animaduerto & in nonnullis aliis veterum non ſinit me iis adſentiri, qui neoterica atque adeo vnum e neotericis toti vetuſtati anteponunt*, in *Caſaubonianis p. 7.* Non contemnendi vtique ſunt veteres; nec tamen hoc negandum, neotericos pluribus melioribusque ſubſidiis, ſacrae ſcripturae interpretationi inſeruientibus, inſtructos fuiſſe, quam veteres. Sed hac de re iam alibi dictum. De GREGORII (aut potius GEORGII) PACHYMERIS, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ addamus, libro *de vita Chryſoſtomi* idem CASAVBONVS ita pronuntiat: *liber eſt eximius & propter argumentum, & nonnihil etiam propter ſcriptorem ipſum; pura eſt huius oratio, neque omni artificio nudata, & cura dictionis: ἐπιτάσεις ἀδιάλειπτοι, quales in hiſtoricis obſeruabamus, frequentiſſimae.* Alios quosdam, qui vitam CHRYSOSTOMI deſcripſerunt, commemorat IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *notis* ad *h. l. p. 230.*

ibid. Hosce vero eius commentarios ſpeciatim indicare &c.) Exſtat equidem IO. CHRYSOSTOMI *breuis interpretatio in euangelium ſecundum Ioannem*, aut potius

in

in euangelii iſtius initium, in *theſauro monumentorum eccleſiaſticorum & hiſtoricorum*; ſeu *lectionibus antiquis* HENRICI CANISII *tom. I. p. 218.* & *ſeqq.* Verum commentarium iſtum ſuppoſititium eſſe, perperamque CHRYSOSTOMO tribui, recte obſeruat IACOBVS BASNAGIVS, in *animaduerſione* eidem praemiſſa, *p. 218.*

p. 1390. cuiusmodi ſint eiusdem enarrationes quorumdam pſalmorum &c.) ISAACVS CASAVBONVS de iis ita pronuntiat: *Ambroſii in pſalmos interpretatio omnis vel vocum eſt, & quaerit ſenſum ac veram lectionem; vel ſenſus ac doctrinae, verbis comprehenſae. Vtrumque genus interpretationis deſiderat ſacra ſcriptura, & vtrumque adhibuerunt patres. Idem ſubinde interpretationes expendit graecas & latinas. Denique familiare ipſi eſt, digredi ad tractationem locorum ſacrae ſcripturae ſatis remotorum, vt in pſalm. CXIX. paſſim. Obſerua etiam, multa πρὸς φιλολογίαν poſſe diſci a magno illo viro*; in *Caſaubonianis p. 7.*

p. 1409. Florentiae anno MDCCXXI.) Recuſae ſunt iſtae *complexiones* Roterodami anno 1723. 8. opera & ſtudio SAMVELIS CHANDLERI, qui & *praefationem* iis praemiſit.

p. 1414. & hac occaſione metaphraſes pſalmorum poëticas &c.) Edidit deinceps idem vir doctiſſimus *votum Danidicum: cor nouum crea in me Deus, a centum quinquaginta amplius metaphraſtis expreſſum carmine ebraico, graeco, latino, germanico &c.* cui praemiſſus eſt *elenchus* ſubiunctaque *breuis notitia alphabetica metaphraſtarum, qui pſalmos vel vniuerſos vel nonnullos, per linguas; ſiue idiomata amplius viginti, verſibus reddiderunt*, Hamburgi 1729. 4.

p. 1449. Ex ſaeculi XVI. ſcriptoribus iudaicis &c.) Saeculo etiam decimo ſexto floruit celeberrimi nominis Iudaeus R. MOSES ALSCHECH, cuius in varios ſcripturae ſacrae libros commentarios recenſet IOAN. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. I. p. 808. ſeqq.* Commentarius eius in *pſalmos* recuſus fuit Ieſnitii Anhaltin. anno 1721. fol. in *prouerbia* ibidem anno 1722; in *Iobum* ibidem eodemque anno; in *prophetas poſteriores* ibidem anno 1723. conf. *acta erudit. Lipſ. anno MDCCXXIV. menſ. Mart. p. 143. ſeqq.* it. *MDCCXXV. menſe Septembr. p. 430. ſeqq.*

p. 1481. vir ſummo ingenio & diligentia incredibili praeditus &c.) *Alphonſus Toſtatus*, inquit ISAACVS CASAVBONVS, *copia librorum ſcriptorum & quidem breuiſſimo tempore (nam fuit ὀλιγοχρόνιος) omnes, opinor, mortales ſuperat. Maxima pars ſcriptorum illius ſunt commentarii in libros ſacros vel veteris, vel noui teſtamenti; nam ad ſingulos fere verſus proponit ingentem quaeſtionum pelagum. Vir illa aetate, ante annos fere CL. ſummus & admirabilis, ſed quem imperitia ſaeculi minorem facit, quam fuiſſet futurus, ſi in haec tempora perueniſſet*; in *Caſaubonianis p. 25.* Quod de πολυγραφίᾳ TOSTATI dixit CASAVBONVS, id IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *notis* ad *h. l. p. 236.* quoque innuit ANCILLONII quoque teſtimonio confirmat, qui in *miſcellaneis p. 498.* neget, ſibi quemquam notum, qui tam exiguo vitae ſpatio tam multa ſcripſerit, quam CALVINVS quidem & TOSTATVS. Addit, eidem ANCILLONIO obſeruatum, a proteſtantibus maiori in pretio haberi TOSTATVM, quam a pontificiis, qui ſaepe in eum inuehantur, rariſſime autem laudent; hinc & ROLANDVM MARESIVM *lib. II. epiſt. XXVI.* adfirmare, ſi duodecim eius tomis, quos de rebus theologicis ſcripſerit, demas aliunde deſumta, nihil fere reliquum futurum eſſe. Quid tamen RICHARDVS SIMON de eo ſentiat, iam diximus.

p. 1488. qui lingua gallicana commentarium litteralem &c.) Recuſum eſt hocce opus anno 1726. nouem tomis in fol. In compendium velut iſtud miſit PETRVS GVILLEMINVS, in *commentario litterali*

in omnes libros veteris & noui teſtamenti, gallice itidem ſcripto, editoque Pariſiis anno 1721. tribus voluminibus in 8. conf. *iournal des ſçavans M D C C XXIII. menſe Ianuar. p. 34. ſeqq.*

p. 1489. Eo itaque antiquior fuit Nicolaus Serarius &c.) Laudat quoque SERARIVM ISAACVS CASAVBONVS: *Video*, inquit, *illum magnum vſum habuiſſe rabbinorum & ſatis verſatum fuiſſe in talmude & talmudicis ſcriptis, quod arguunt multae diſputationes in illis commentariis in Ioſuam, vt de vrim & tummim, de kabbala, de paſchate prolixiſſima digreſſio, & multae id genus diſputationes. Miratus ſum in Serario, ſaepe illum adferre noſtrorum interpretationes, fere quidem vt reprehendat; aliquando tamen ſine vlla reprehenſione. Scaligeri ſaepiuſcule. Idem lib. II. in Ioſuam p. 254. Andream Maſium recenſens inter libri Ioſuae interpretes, accurate illum tuetur contra Leonem Caſtrium & Poſſeuinum &c. Ceterum ipſe Serarius Maſium grauiſſime tractat p. 444.* in *Caſaubonianis p. 25. 26.* SCALIGERVM doctrinam quidem in SERARIO agnoſcere, dum eum *Ieſuitam doctiſſimum* vocet, in *Scaligerianis p. 370.* ſimul tamen eodem in loco nihil ipſi eruditionis, & multam quidem lectionem, ſed iudicium exiguum tribuere, interque alia acerbe in eum dicta, eum non tam doctum, quam ſibi viſus antea ſit, reuera eſſe, pronuntiare, IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS obſeruat in *notis ad Caſauboniana p. 238.* additque, ex ipſo *Scaligerianorum* loco adparere, ſiniſtrum hoc & ſine dubio iniquum de SERARII meritis & doctrina iudicium, SCALIGERO poſt motam illi in trihaereſio controuerſiam excidiſſe. Refert etiam ibidem SALOMONIS GLASSII, noſtri, & SIMEONIS DE MVIS elogia, quibus SERARIVM ornarunt, & auctores, qui honorificam eius mentionem fecerunt, indicat.

p. 1492. memorabiles tamen ſunt ob ampliſſimas digreſſiones &c.) ISAACVS CASAVBONVS de commentario ESPENCAEI in *priorem ad Timotheum epiſtolam*, ita pronuntiat: *Multa ibi diſputantur contra abuſus multos, & magna diligentia adparet in citandis veteribus ac recentioribus interpretibus. Vno verbo* ἡμιπόνηρον *dixeris non male. Erroribus enim pontificiorum parce fauet*; in *Caſaubonianis p. 45.* IO. CHRISTOPHORVS VVOLFIVS haec porro addit: *De Claudii Eſpencaei candore commentarii eius fere omnes, inprimis autem, qui in vtramque ad Timotheum, & vnam ad Titum ſcripti ſunt, teſtantur; hinc Thuanus eum a moderatione laudat, & de tollenda ex eccleſia ſiſſura ſemper cogitaſſe, ait. Quod ſtudium inprimis declaraſſe legitur in colloquio Paſſiacenſi, quam in rem legatur Antonius de la Faye in vita Bezae.* Conferre porro de ESPENCAEI meritis iubet SAMMARTHANI *elogia*, itemque TEISSERII elogia Thuanea *tom. I. p. 356.* & *tom. III. p. 208.* in *notis in Caſauboniana p. 254.*

p. 1494. laudaturque eo nomine a Ioſepho Iuſto Scaligero &c.) Laudatur & ab ISAACO CASAVBONO. *Multi*, inquit, *apocalypſeos interpretes* ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶσι, *quibus non plus tribuo, quam aretologis, ſua pro diuinis oſtentantibus. Melius Caluinus & Beza egerunt, qui neque adgreſſi ſunt interpretationem apocalypſeos, neque paſſi ſunt, vt Geneuae aliquis ex vmbone illius libri interpretationem profiteretur; &c.* in *Caſaubonianis p. 20.* IOAN. BODINI verba: *Valde mihi probatur Caluini non minus vrbana, quam prudens oratio, qui de libro apocalypſeos ſententiam rogatus, ingenue reſpondit, ſe penitus ignorare, quid velit tam obſcurus ſcriptor, qui qualisque fuerit, nondum conſtat inter eruditos*; ſupra iam recitauimus *lib. I. cap. IV.* ad *§. XV. p. 159.* PETRVM BAELIVM, aliosque, inſtitutum hocce CALVINI calculo ſuo adprobantes, commemorat IO. CHRISTOPHORVS VVOLFIVS in *notis* ad *Caſauboniana p. 227.* qui & beatum PHILIPPVM IACOBVM SPENERVM inſuperabilem fere

re

re in hoc libro explicando difficultatem inuenire ſibi viſum, adſerit, ideoque *part. III. conſilior. theolog. p. 255.* teſtari, ſe quinquaginta vel ſexaginta commentatoribus in apocalypſin perlectis, quadraginta eorum in ſynopſin contractis; deprehendiſſe tamen, quo quis diligentius librum legat, eo maiores in pleriſque argumentis difficultates ei offerri.

p. 1501. Andreae Maſii adnotationes & commentaria in Ioſuam &c.) Romanae licet eccleſiae addictus fuerit MASIVS; non omnibus tamen, eiusdem eccleſiae ſacra ſequentibus, ſe probauit. Obſeruatum quoque hoc ISAACO CASAVBONO. De NIC. SERARIO enim verba faciens, cum dixiſſet: *accurate illum* (MASIVM) *tuetur contra Leonem Caſtrium & Poſſeuinum*; ita pergit: *ille in Ieſaiam, hic in bibliotheca accuſauerant Maſium tamquam nouatorem & haereticum, credo, quia furorem illorum per omnia non probabat, & ſunt quaedam in illius ſcriptis liberius dicta &c. Eſt vero locus illuſtriſsimus apud Maſium p. 273. cap. XVII. vbi de malis hodiernis eccleſiae, vt ſic loquitur, grauiter & ſancte deteſtatur ambitionem, ſuperſtitionem, rituum mimicorum vſurpationem, vt vix aliquis noſtra aetate grauius illa defleuerit. Et hic praecipue locus eſt, qui male habuit furioſos illos Caſtrium & Poſſeuinum*; in *Caſaubonianis p. 26.* Copioſius, quae de MASIO dixit CASAVBONVS, ediſſerit IO. CHRISTOPHORVS VVOLFIVS in *notis* ad *h. l. p. 237.* Et ſane laudandus ob iſtum candorem eſt MASIVS, tantum abeſt, vt vllam ideo promereatur reprehenſionem. Ceterum virum eum fuiſſe eruditiſſimum, qui inter praeſtantiſſimos ſcripturae interpretes referendus ſit, omnes, qui non hoſpitem plane ex his litteris retulerunt animum, fatentur.

p. 1515. Si omnes, qui ex eccleſiae reformatae doctoribus &c.) Facere tamen nequeo, quin IO. HENRICI HEIDEGGERI, cuius ſingularis & exquiſita omnibus nota eſt eruditio, mentionem faciam, qui non tantum in *hiſtoria patriarcharum, diſſertationibus ſelectis, exercitationibus biblicis*, aliiſque ſcriptis, locis quamplurimis ſcripturae ſacrae lucem adfudit, ſed & librorum quorumdam biblicorum explicationes dedit, quae poſt auctoris obitum, inſcriptae: *Labores exegetici in Ioſuam, Matthaeum, epiſtolas ſancti Pauli ad Romanos, Corinthios & Ebraeos, eccleſiae Chriſti perpetuis vſibus conſecrati*, Tiguri prodierunt 1700. 4.

